MOSIS PROPHETÆ
LIBRI QUATUOR;
EXODUS,
LEVITICUS,
NUMERI,
ET
DEUTERONOMIUM,

EX TRANSLATIONE
JOANNIS CLERICI.

CUM EJUSDEM
PARAPHRASI PERPETUA,
COMMENTARIO PHILOLOGICO,
DISSERTATIONIBUS CRITICIS,
ET TABULIS CHRONOLOGICIS
AC GEOGRAPHICIS.

EDITIO NOVA AUCTIOR ET EMENDATIOR.



AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM SCHELTE,
CIↃ IↃ CCX.

PRÆFATIO EDITIONIS ANNI MDCXCIII.

LECTORI S. D. JOANNES CLERICUS.

B*Iennium effluxit, ex quo Genesis nostra in lucem prodiit, antequàm sequentes Mosis libros, eadem curâ versos atque illustratos, offerre tibi,* LECTOR, *possemus. Aliquamtisper exspectandum nobis fuit, post Geneseos editionem; donec eruditorum virorum de cœptis nostris, arduis profectò & sumtum non mediocrem poscentibus, judicia cognosceremus. Quorum si vidissemus aut plerisque, aut parti saniori, operam nostram displicere; certum erat ad alia animum convertere, atque hæc sacra aliis curanda relinquere. Interea cognitis eorum judiciis, quæ jam inchoaveramus ad umbilicum perducenda atque edenda fuerunt; dum aliis etiam, non tanti quidem momenti, sed nobis æquè necessariis occuparemur. Itaque paullò seriùs, quamquam indefesso labore rem urgentes, pensum hoc alterum in Vetus Testamentum absolvimus. Verùm, ut fert dictum vetus,* sat citò, si sat bene.

Non possumus tamen dissimulare, ut varia sunt hominum ingenia: ita quoque judicia de nostro Opere variasse. Multi sunt qui laudarunt, & calcar ad cetera currenti addiderunt; quorum judicium, præfiscini dixerim, mihi verum visum est; quare enim homini tenuissimæ fortunæ, gratiæ apud eos qui plurimùm possunt perexiguæ, auctoritatis nullius, nec publici saporis, & catenatis laboribus, quasi pistrino, damnato adulati essent viri optimi & doctissimi? Atque hoc solatio fuit, contra aliorum quorumdam iniquissima judicia, rem ita Deo Opt. Max. temperante; ne calix mero felle plenus, nobis exhauriendus, constantiam nostram labefactaret. Amaras quidem nonnullorum censuras me subiturum non ignorabam, cùm Genesin emitterem; sed speraveram, nec me spes mea fefellit, non defore eruditos & pios viros, quibus conatus mei non essent displicituri; ideòque me ad pergendum forti animo accinxeram. Hoc verò si mihi defuisset, vix umquam ulteriùs progredi ausus essem.

Opus maximum & difficillimum eo animo adgressus eram, qui eum decet qui Religioni illustrandæ ac tuendæ studia sua consecravit. Summum laborem, & qui vix intelligatur, nisi ab expertis, pertuleram & orbi Christiano, aut potiùs Deo Opt. Max. primitias ejus offerebam, eodem quo cœperam animo; cùm ecce Theologi, quos non modò veritatis sed etiam caritatis studium à tam immani facinore absterrere debuisset, sacra etiamnum facientem invadunt, & pro bonis verbis, contumeliis proscindunt. Indolui, fateor; sed, ita me amet Deus, non minùs pacem ejus iis quàm mihi petii; eúmque etiamnum ex animo oro ut eos ad æquitatem, quam homines hominibus debent, mansuetudinémque Christianam transducat, & præterita omnia iis ignoscat. Eos quoque obtestor ut, ratione cum sua conscientia initâ, etiam atque etiam videant quid Christus ab iis qui innocentem læserunt postulet; nam ego quidem quæ peccarint ostendere non adgrediar, ne operam perdam; nec quidquam eorum conviciis opponam, nisi quòd meliora in posterum & accuratiora, quatenus licebit, sim editurus; eaque etiam emendaturus, in quibus verè, quamquam malignè, reprehensus mihi videbor. Ita enim excepta fuit nostra Genesis, ut sperem, si Deus vitam largiatur, secundis curis locum futurum.

Ceterùm inter eos, qui malo animo in Opus nostrum irruisse videntur, non est mihi censendus Reverendissimus in Christo Pater Ricardus Kidderus, *Bathoniensis & Wellensis in Anglia Episcopus. Is enim à maledicis hominibus deceptus, ut sæpe viri pii de aliis ex se judicantes falluntur, inclementiora*

quidem nonnulla in nos dixit; in Præfatione Anglica Notarum in Pentateuchum; sed commonefactus, & pensitatis nostris querelis, benigniùs sentire se de nobis, nostròque Opere, quamvis in quibusdam dissentiret, litteris testatus est, & promisit se in editione Latina Notarum suarum, quam parat, vulneri, quod nobis ἀκυσίως *inflixit, remedium adlaturum. Quod ego, antequàm ejus Opus adpareat, non commemorarem, nisi scirem malevolos quosdam homines, qui ex amaro zelo famam & munera sibi quærunt, ejus auctoritate interea abuti, in existimationis meæ intertrimentum.*

Verùm hæc obiter, ad rem redeo. Præter Paraphrasin & Commentarium in quatuor Mosis libros, habes hic, Lector, *Dissertationem* de Maris Idumæi trajectu, *in qua longè maximum miraculum illustrare copiosiùs conatus sum. Sperabam me huic adjecturum duas alias Dissertationes, alteram de* Lepra, *alteram de* Synedrio, *quarum in Commentariis interdum memini. Sed cùm hujus voluminis crassities multùm crevisset, nec planè necessariæ essent ad intelligendum Mosem, in aliud Volumen eas distulimus. Magis necessaria erat Dissertatio de* Decimis, *quam ex* Joanne Seldeno *vertimus; cùm ille primus totum illud negotium, de Mosaïcis Decimis, feliciter expedierit. At ex illo nihil desumsimus, præter antiquissima illa Decimarum exordia, & institutionem; quæ enim de Decimis apud Christianos persolutis in sequentibus habet, ea ad institutum nostrum non pertinebant. Tantùm abest ut adprobemus, quæ habet de Decimis quæ à Christianis solvuntur; ut nullâ ratione aliâ meliùs prospici possit Pastoribus, quod vel auctoritate Mosis liquere potest. Sequuntur Tabulæ Chronologicæ, & Geographicæ tres, quarum prima ad illustrationem potissimùm Decimi Geneseos Capitis pertinet. Eam ex* Sam. Bocharti *Phalego, nonnihil emendatam, & resectis, quæ ad rem nostram non faciebant, sumsimus. Duas alias cùm Desertæ & Petrææ Arabiæ, tum Chananææ, in usum eorum dumtaxat qui Mosem legunt confecimus; in iis enim nullius loci nomen legitur, nisi ejus meminerit Moses, & omnia sunt quorum ille meminit. Situm urbium partim ex Mose, partim ex* Locis Hebraïcis Hieronymi *collegimus; & Hebraïco quidem more nomina scripsimus, quòd multa sint in Græcis & Latinis Codicibus ita depravata, vix ut agnosci queant. Indices etiam concinnavimus, tædioso labore, sed necessario. Potuissemus Latinum Indicem illustrare variis animadversionibus, at jam & diuturni laboris nos tædebat, & optatus finis nimiùm differebatur. Itaque in alia loca, prout se se occasio dabit, quæ dicturi eramus rejecimus. Quæ possunt haberi Regularum, vel Axiomatum loco, ad interpretationem Scripturæ, ea, primâ voce majusculis litteris descriptâ, ab aliis distinximus, ut à Studiosis faciliùs animadverterentur.*

Hæc sunt, Lector, *quibus Pentateuchum ornaverimúsne, an oneraverimus, judicabis. Certè ab animo profecta sunt Sacrarum Litterarum amantissimo, & promovendæ pietatis Christianæ studiosissimo. Itaque tu etiam boni consule, & precibus tuis ac favore sacrum hoc stadium decurrentem juva. Vale.*

Dabam Amstelodami Calendis Septembris anni CIↃ IↃC XCV.

EIDEM S. D. JOAN. CLERICUS.

N*IHIL addam, nisi mortuum esse V. Reverendiss.* Ricardum Kidderum, *anno* MDCCIII. *antequàm posset id nobis reddere, quod debebat; ideóque nos edidisse ejus Epistolam Vol.* IV. *Bibliothecæ Selectæ, unde quid promisisset cognoscere Lector poterit. Ceterùm hoc volumen auximus & emendavimus eodem modo quo Genesin nostram. Vale.*

Nonis Novembribus Anni MDCCIX.

L I B E R
E X O D I.

I. Jacobi Filii & nepotes, qui in Ægyptum iverunt. Horum posterorum in eo regno incrementa, & vexationes.

1. HAEC sunt nomina filiorum Israëlis, qui cum Jacobo & sua cujus- CAPUT I.
que familia in Ægyptum ivere: 2. Ruben, Simehon, Levi, Ju-
da, 3. Issaschar, Zabulon, Benjamin, 4. Dan, Nephthali, Gad
& Aser. 5. Fuerunt omnes animæ Jacobi femore egressæ septua-
ginta, & Josephus quidem in Ægypto *jam* erat. 6. Is Josephus,
omnesque ejus fratres, tota denique ætas illa cùm interiisset;
7. Israëlitæ sobole aucti, & multiplicati sunt, creveruntque, atque in immensum
convaluerunt, ut terra ea *in qua consederant* iis esset plena.

8. No-

P A R A P H R A S I S.

HÆc sunt Jacobi filiorum, qui unà cum patre
& familiis in Ægyptum ivere, nomina: 2. Ru-
ben, Simehon, Levis, Juda, 3. Issaschar, Zabu-
lon, Benjamin, 4. Dan, Nephthalis, Gadus &
Aser, 5. nam Josephus quidem in Ægypto erat.
Hic autem, duo ejus filii, fratres, eorumque li-
beri, cum patre Jacobo, septuaginta conficiebant
capita. 6. Ex tantillo numero, cùm ætatis illius
homines fato functi essent, ingens succrevit mul-
titudo; adeóque opibus & viris convaluerunt Is-
raëlitæ, ut terræ tractus, quem incolendum olim
acceperant, iis prorsus impleretur.

8. Ea

C O M M E N T A R I U S

In CAPUT I.

1. QUi cum Jacobo &c.] *Ingressorum Ægyptum cum Jacobo, quisque cum domo sua ingressi sunt.*

2. *Ruben*] Ante ultimum nomen cujusque versûs, est conjunctio ו in nostris Codicibus; at in Samaritico, omnibus est præfixa, excepto primo, quod magis est moris Hebraïci. Certè uno versu hæc nomina commodiùs comprehendi posse videntur, ideóque Latinè loquentibus sat fuit ultimo undecim nominum conjunctionem addidisse.

5. *Fuerunt*] In nostris Codicibus est ויהי *vajjehi*, ut in multis aliis locis, sequente numero plurali. Attamen Samariticus habet ויהיו *vajjihjou*. Sed vide quæ notavimus ad Gen. Cap. I, 14. XLII, 35.

Animæ Jacobi femore egressæ] Vide not. ad Gen. Cap. XLVI, 15, 26.

Septuaginta] Enumerantur hæc capita Geneseos laudato Capite XLVI. Atque in hisce intelligendi sunt non modò Josephus cum filiis, qui jam in Ægypto erant, sed etiam ipse pater Jacobus; unde hîc ἄκυρον esse colligimus, cùm Jacobus *ex suo femore* exiisse dici nequeat. Sed Moses rotundo numero uti maluit, ut passim videmus, in Chronologia, menses & dies, qui certæ annorum summæ deerant, aut superarant, fuisse neglectos. Quinimò etiam exceptiones, quando paucorum sunt, interdum refugit, ut Gen. XXXV, 26. ubi vide notata.

Hic autem & Gen. XLVI, 27. non septuaginta, sed ἑβδομήκοντα πέντε habent LXX. Intt. Hoc, nempe, numero complectuntur filium, nepotémque Manassis, & duos filios ac nepotem Ephraïmi, quorum nomina addunt v. 20. Cap. XLVI. Geneseos. Sed multò rectiùs nostri & Samaritici codices septuaginta tantùm numerant, cùm hoc loco nondum natorum ratio haberi nequeat. Alioqui nepotes etiam aliorum Jacobi filiorum fuissent numerandi. *Stephanus* quidem Act. VII, 14. sequitur Septuaginta Interpretes, sed *facile est*, ait *Hieronymus* in Trad. Heb. *excusatio. Non enim debuit Sanctus Lucas in Gentes Actorum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, quæ jam fuerat Gentibus divulgata; & utique majoris opinionis, illo dumtaxat tempore, LXX. Intt. habebatur auctoritas, quàm Lucæ.*

Et Josephus quidem] LXX. Intt. qui fine ratione quinarium numerum superioribus verbis addiderunt, hîc potuissent καὶ υἱοὶ αὐτοῦ, *& filii ejus* non malè addere. Hi enim sunt unà cum Josepho intelligendi.

6. *Tota denique ætas*] *Et omnis ætas.* דור *dor*, hîc homines æquales significat, ut Gen. Cap. VII, 1. Intelligitur ergo spatium sat longum, quam vixit Levis annos 137. ut docet Moses infrà Cap. VI, 16. hoc est, viginti tribus aut quatuor annis post Josephi mortem. Hoc autem mortuo, *Rex* ille *novus*, de quo in sequentibus Moses, exortus est; an statim post Levis mortem, an seriùs non liquet ex verbis Historici Sacri. Sed seriùs factum hoc videtur, neque enim tam brevi tempore usque adeò invalescere potuissent Israëlitæ, ut Ægyptiis essent

 ter-

8. Novus inter hæc, in Ægypto, rex, qui Josephum non noverat, exortus est.
9. Is autem populo suo, en, inquit, Israëlitarum populus numerosus est, nobisque validior.
10. Agite ergo, arte eum adgrediamur, ne *amplius* crescat; neu, si contigerit bellum, ipse quoque hostibus nostris se se conjungat, commissoque nobiscum prælio,

a. Eâ tempestate, Arabes Ægyptum inferiorem invasere, neque eorum dux, qui victis Ægyptiis imperitavit, quidquam inaudiverat de Josepho; cujus memoria gratiam Israëlitis, apud Ægyptios, pepererat. b. Itaque beneficii olim, ab Jacobi filio, in inferioris Ægypti Reges, adeóque Ægyptios omnes collati, rationem nullam habuit. Imò verò cùm ingentem Israelitarum multitudinem esse cerneret, timere sibi ab iis cœpit, c. & inter suos dictitare, periculum esse ne Israëlitæ rebellantibus Ægyptiis suppetias ferrent; aut etiam de mutandis sedibus, ut suis legibus viverent, consilium

terrori. Itaque sub moræ in Ægypto finem contigisse hæc credibile est.

Cùm interiisset] *Et mortua est — & filii Israëlis* &c.

7. *Israëlitæ*] Sic semper vertimus בני ישראל *filios Israël*, quando non de *filiis* propriè dictis, sed de posteris Jacobi sermo est, ut ab illis distinguantur. At vers. 1. *Jacobi filii* propriè ita vocati intelliguntur. *Sobole aucti* &c.] Hîc sunt quatuor voces, quarum tres priores sunt prorsus synonymæ, פרו וישרצו וירבו *pharou vajjischretsou vajjirbou*. Vide Gen. I, 28. sed postremum ויעצמו *vajjahatsoumou*, præter multitudinem, vires significat, quæ multitudine quidem nituntur, sed tamen idem prorsus non sunt. Vide vers. 9. De summa multiplicatione Israëlitarum dicemus ad Cap. XII, 37.

Creverunt &c.] Repetitio Synonymorum hîc maximum incrementum significare videtur. Vide not. ad Gen. VII, 19. & infrà Cap. II, 25.

In immensum convaluerunt] *Et invaluerunt in valde, valde* ויעצמו במאד מאד *vajjahatsoumou bimod mod*. Vid. Gen. VII, 19.

Ut terra in qua consederant] Non est in hisce verbis hyperbole, nam cùm sexcenta armatorum millia ex Ægypto exierint, oportet in populo Israëlitico fuerint minimùm ducentæ capitum myriades; quibus facillimè impleri potuit Goseniticus tractus, ut una perpetua urbs videretur. Neque hoc nimis mirum videri poterit, si in una urbe Thebis *habitaverint quondam septingenta millia ætate militari*, ut ex litteris Ægyptiis obeliscorum interpretatus est Germanico Sacerdos Ægyptius, quod prodidit *Tacitus* Ann. Lib. II. c. 60. Auctor etiam est, ex iisdem & aliis, *Strabo* Lib. XVII. Thebanis Regibus fuisse στρατιώτας εἶναι ἑκατὸν μυριάδας, *centum myriadas*. Quàm populosa fuerit reliqua Ægyptus docet copiosè ex Veteribus *Joan. Marshamus* ad Sæc. XV. p. 396. Ed. Lond. Qua tamen in re, posset esse aliqua αὔξησις, aut in antiquissimis numeris erratum. Prius tamen malim, quia ferè ubique in antiquis Ethnicorum Historiis ex nimio numero nectuntur nodi, quos frustra Interpretes solvere conantur.

Ad Historiam verò Sacram quod adtinet, duo sunt hîc animadvertenda; fertilissimam fuisse Ægyptum, ut multitudinem quamvis magnam alere posset; & populosissimam, quod uno ore Veteres omnes, qui Ægyptum descripsere, testantur. Quinimò etiamnum hodie, pro solitudine reliquarum Turcici Imperii Provinciarum, viris est potentissima, & Constantinopoli ipsi frumentum & legumina omnis generis suppeditat. Vide quæ de ejus fertilitate habemus ad Gen, XLI, 47. XLVI, 34. Non frumento modò abundabat, sed innumeris etiam fructibus, armentisque & pecudibus. *Diodorus* Lib. I. p. 30. de paludibus Ægyptiacis, hoc est, iis locis, quæ ab Israëlitis incolebantur. Ῥίζαι, inquit, ἐν αὐτοῖς παντοδαπαὶ τῇ γεύσει, καὶ καρπῶν καὶ καυλῶν ἰδιάζουσαι φύσεις, πολλὰ συμβαλλόμεναι τοῖς ἀπόροις τῶν ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἀσθενέσι πρὸς αὐτάρκειαν, οὐ γὰρ μόνον τροφὰς παρέχονται ποικίλας καὶ πᾶσι τοῖς δεομένοις ἑτοίμας καὶ δαψιλεῖς, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων εἰς τὸ ζῆν ἀναγκαίων οὐκ ὀλίγα φέρουσι βοηθήματα: *in his vario sapore radices nascuntur, & caulium ac fructuum singulares naturæ, quæ multa pauperibus suppeditant, & infirmis id quod satis sit. Non enim cibos tantùm varios, & omnibus indigentibus paratos ac largos præbent, sed etiam non pauca subsidia ex aliis quæ vitæ necessaria sunt.* Quæ enumerat postea *Diodorus*. Piscibus etiam instructissima erat, ut docet *Herodotus* Lib. II. c. 93. & *Diodorus* p. 31. Lib. I. ubi ait δευτέραν ἔχειν διαγωγὴν τοὺς Αἰγυπτίους τὴν τῶν ἰχθύων βρῶσιν, πολλὴν δαψίλειαν παρεχομένου τοῦ ποταμοῦ, καὶ μάλιστα ὅτε, μετὰ τὴν ἀνάβασιν, ταπεινούμενος ἀναξηραίνοιτο, *secundum* (post herbas & radices) *habuisse victum Ægyptios piscium esum, magnam eorum copiam præbente fluvio, præsertim cùm post auctum minutus exsiccatur.* Hinc solus Moeridis lacus, ἐπεὰν μὲν ἐκρέῃ ὕδωρ ἔξω, τότε τοὺς ἓξ μῆνας ἐς τὸ βασιλήιον καταβάλλει ἐπ' ἡμέρην ἑκάστην τάλαντον ἀργυρίου ἐκ τῶν ἰχθύων· ἐπεὰν δὲ ἐσίῃ τὸ ὕδωρ ἐς αὐτὴν, εἴκοσι μνέας; *cùm effluit aqua, per eos sex menses in regium fiscum talenta argenti singula singulis diebus ex piscibus infert; cùm influit in eum lacum aqua, viginti minas.* Herodot. Lib. II. c. 100. Unde facile est colligere piscosissimum fuisse Nilum. Quod cùm ita sit, mirum non erit tantam Israëlitarum copiam, ut tractum in quo erat impleret, commodè illic potuisse vivere.

8. *Novus inter hæc*] *Et surrexit Rex novus supra Ægyptum.* Auctor est *Manetho*, apud *Josephum* Lib. I. contra *Apionem*, pastores, circa hæc tempora, ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν Ægyptum invasisse, & cùm superiorem atque interiorem totam devastassent, regem sibi elegisse: πέρας, inquit, καὶ βασιλέα ἕνα ἐξ αὐτῶν ἐποίησαν, ᾧ ὄνομα ἦν Σάλατις, *tandem ex se ipsi fecerunt Regem unum, cui nomen erat Salatis.* Quod nomen factum videtur ἀπὸ τοῦ שלט schalat, *dominari*. Hos pastores *Josephus* existimabat fuisse ipsos Israëlitas, sed omnes historiæ circumstantiæ eum confutant, ut rectè ad sæculum octavum rerum Ægyptiacarum ostendit *Joan. Marshamus*. Idem conjecit *novum Regem*, de quo hîc Moses, fuisse Salatim, quem modò

lio, ex hoc tractu discedat. [11] Itaque operum præfectos ei imposuerunt, ut oneribus eum opprimerent, isque urbes Pharahoni, in quibus essent horrea, Phithomum & Rahamsesam exstruxit. [12] Sed prout eum *populum* opprimebant: ita augebatur & crescebat, ut propter Israëlitas angerentur. [13] Servilia igitur opera ab Israëlitis crude-

lium aliquando inirent; armisque exitum ex Ægypto, si negaretur, sibi aperirent. [11] Igitur visum est numerosissimum populum laboribus adterere; impositisque ei operum præfectis, jussus est condere duas urbes, Phithomam & Rahamsesam, in quibus regii tritici essent horrea. Eum exantlarunt laborem Israëlitæ, [12] sed neque multi in iis operibus interierant, neque minus alii augebantur; quod anxietatem non levem Ægyptiorum Regi creabat, cùm intelligeret malè habiti à se populi vires nequaquam esse imminutas. [13] Itaque novis operibus urgendos esse censuit, ut servo-

modò dicebamus. Hic cùm esset alienus, ut pote Arabs, de Josepho nihil antea audierat; neque grato animo ejus in Ægyptum beneficia recolebat. Propterea, ut suspicatur vir doctus, dicitur Lucæ Act. VII, 18. βασιλεὺς ἕτερος, id est, *Rex alienus*, ut Dii novi sunt *alieni* Jud. V, 8. Quod etiam ita intellexit *Josephus*, qui habet τῆς βασιλείας εἰς ἄλλον οἶκον μεταληλυθυίας, *regno in aliam familiam translato.*

10. *Arte eum adgrediamur*] נתחכמה לו *nithbacchemah lo.* חכם *hhacham*, hoc est, *sapiens*, *callidus fuit*, in *Hithpaël*, *arte uti* significat, seu κατασοφίσασθαι, ut verterunt hîc LXX. Intt. Sic Eccles. VII, 17. *Ne sis nimiùm justus, néve sapientior æquo* (ואל תתחכם יותר) *quare perdereris*? Hinc Psalm. CV, 25. ubi hac de re sermo est, utitur Psaltes, verbo התנכל *hithnaccbel*, quod est, *callidum consilium inire.*

Ne ampliùs crescat] Gravissimis enim vectigalibus, aut laboribus nimiis multi sine prole absumuntur, ut postea ostendemus.

Si contigerit] כי תקראנה *chi thikrenah*, hoc est, *si evenerit bellum*, si תקראנה sit analogicum. Sed videtur esse pro תקראנו, ut נה sit adfixum Chaldaïcum loco נו Hebraici, ut observavit *Lud. de Dieu*; nisi sit mendosum, nam Samariticum exemplar habet תקראנו *thikrenou*, quod melius.

Se se hostibus nostris conjungat] Hostes horum pastorum erant, in inferiore & superiore Ægypto, ipsi Ægyptii qui iis parebant, & Thebani quos subigere non potuerant. Timebant pastores ne Ægyptii indigenæ quandoque jugum peregrinum excuterent, atque ab Israëlitis adjuvarentur. Hinc non modò Israëlitas malè habuerunt, ut numerum eorum minuerent, sed etiam ipsos Ægyptios, ποθοῦντες ἀεὶ, ait *Manetho* loco laudato, καὶ μᾶλλον τῆς Αἰγύπτου ἐξᾶραι τὴν ῥίζαν, *optantes semper radicem Ægypti magis exscindere.*

Commissoque nobiscum prælio] *Et pugnet*, aut *bellum gerat in nos*, & *adscendat.*

Discedat] Est *adscendat*; nam *descendere in Ægyptum*, idem est ac *ire in Ægyptum*, & *adscendere* perinde ac *exire*. Perpetuum hoc est In Scriptura, propter situm Ægypti inferioris. Vide Gen. XII, 10. XXVI, 2. &c.

11. *Operum præfectos*] שרי מסים *schare missim*, quod vertas etiam *operarum præfectos*. מס *mas*, unde potuisset fieri etiam *massim*, videtur quodvis onus significare, quibus populi opes *liquescunt*, hoc est, minuuntur, à verbo מסס *masas*, liquefieri. Verùm hoc in loco non tam *tributum* aut *vectigal* significat, quàm opus, quod coguntur populi facere aut nullâ mercede, aut exiguâ admodum. At 1 Reg. V, 13. מס *mas* vocantur ipsi homines, qui ejusmodi opus facere coguntur, qui, nempe, ligna ex Libano cæsuri erant; eorúmque præfectus dicitur versu sequente על המס *hal hammas.* Itaque rectè videntur hîc vertisse LXX. Intt. ἐργων ἐπιστάτας, & Vulg. *magistros operum.* Magis sensum quàm vim vocis spectavit Onkelos, qui habet שלטונין מבאישין *præfectos malefacientes.*

Oneribus] בסבלתם bsiblotham, *oneribus suis*, hoc est, operibus, quæ Regis nomine ab iis exigebant. Existimabant Ægyptii se hac arte populum otiantem à rerum novarum consiliis aversuros; cujus rei exempla, in hunc locum, congessit *Hugo Grotius*. Sed præterea gravissimis operibus plurimos absumtum iri sperabant; etenim in ardenti climate, qualis Ægyptus, graviora opera non possunt perpetuò fieri, sine morbis, adeóque morte eorum, qui ea absolvere nituntur; unde intelligimus quàm aptè מסים ab Hebræis dicantur. Descriptionem ejusmodi operis, ab Ægyptio Rege Cheope impositi, adtulisse supervacuum non erit. Ἐργάζεσθαι, inquit, ἑωυτῷ κελεῦσαι πάντας Αἰγυπτίους· τοῖσι μὲν δὴ ἀποδεδέχθαι ἐκ τῶν λιθοτομιέων τῶν ἐν τῷ Ἀραβίῳ ὄρεϊ, ἐκ τουτέων ἕλκειν λίθους μέχρι τοῦ Νείλου· διαπεραιωθέντας δὲ τὸν ποταμὸν πλοίοισι τοὺς λίθους, ἑτέροισι ἔταξε ἐκδέκεσθαι, καὶ πρὸς τὸ Λιβυκὸν καλεόμενον ὄρος πρὸς τοῦτο ἕλκειν· ἐργάζοντο δὲ κατὰ δέκα μυριάδας ἀνθρώπων (Hoc est מס centum millium hominum, ut Salomoni מס erat triginta millium 1 Reg. V, 13.) αἰεὶ τὴν τρίμηνον ἑκάστην. χρόνον δὲ ἐγγενέσθαι ΤΡΙΒΟΜΕΝΩι τῷ λαῷ (אשר ענו העם בו) δέκα μὲν ἔτεα: *jubet sibi laborare omnes Ægyptios, atque hos quidem excipere lapides ex lapicidinis Arabici montis, atque ab hisce trahere ad Nilum usque. Deinde trajecto fluvio navigiis, lapides ab aliis excipi jussit, & ad montem, qui Libycus dicitur, trahi. Laborabant circiter decem myriades hominum, unaquæque myrias semper per tres menses. Tempus elapsum est, dum* TERITUR *populus, decem annorum.* Herod. Lib. II. c. 124. In fodienda fossa è Nilo ab sinum Arabicum, sub Neco, periere δυώδεκα μυριάδες, *duodecim myriades*, seu CXX millia hominum, ut idem auctor est Cap. 158. Ejusmodi laboribus Israëlitas adtritum iri sperabant Ægyptii.

Urbes in quibus essent horrea] ערי מסכנות *hare mischenoth.* Vide 2 Par. XVI, 4. XVII, 12. XXXII, 28. At LXX. Intt. habent πόλεις ὀχυρὰς *urbes munitas*, non quòd hæc sit propria vocis significatio, sed quia in urbes mœnibus clausas solebant conferri, quæ tutò servanda erant. Regibus Ægypti, à quibus exercitus alebantur, etiam pacis tempore, & quibus erant agri

deliter exigebant Ægyptii, [14] duráque eâ servitute amaram eis vitam faciebant; luto, lateribus, omni opere rustico, singulisque ministeriis, quibus eorum causâ defungebantur, sævum in modum *imperatis*..

[15] Postea etiam Rex Ægypti obstetrices Hebræas, quarum uni Siphræ, alteri Phuhæ

vorum in modum haberentur, & quæcumque iis imponebantur crudeliter exigerentur. [14] Laterum ingens copia aliis imperata est, & coacti alii operi rustico, ceterisque servilibus ministeriis incumbere, summâ sævitiâ, ut jam dirâ tyrannide pressos vitæ ipsius tæderet.

[15] Ad crudeliora tamen consilia Rex Ægypti conversus, Siphram & Phuam Hebræarum obstetri-

agri peculiares adtributi, debuerunt esse ejusmodi urbes in quibus prædiorum regiorum fructus servarentur, & quidem tutò, ne seditione coortâ, aut hostili irruptione diriperentur. Vide not. ad Gen. Cap. XXVII, 36. XLVII, 5, 20. *Manetho* apud *Josephum* Lib. I. cont. Apion. disertè describit Salatim σιτομετρῶν-τα καὶ μισθοφορίαν παρεχόμενον, hoc est, *admetientem militibus frumentum*, *stipendiumque solventem*. Similia cellaria ædificari sibi curavit Hezekias, ut docemur 2 Par. XXXII, 28. & ejusmodi erant urbes in aliis ejusdem libri locis memoratæ.

Phithomum] פתם *phithom*. Urbs fuit non procul ab Arabico sinu sita, juxta quam ducta postea fuit fossa è Nilo in id mare. Hanc vocat *Herodotus* Πάτουμον τὴν Ἀραβίας πόλιν, *Patumum Arabiæ urbem* Lib. II. c. 158. Sic ex *Migdal* urbis vicinæ nomine factum est Μάγδωλος. Huc autem respicere videtur Manetho, cùm dicit Salatim τὰ πρὸς ἀνατολὴν ἠσφαλίσατο μέρη *orientales partes potissimùm muniisse*. Idem etiam scriptor de Abari Saïtis Nomi urbe munita ab eodem rege, nonnulla habet, quæ huc perperam vir doctus traxit, Abarin Pelusium interpretatus. Nam Pelusium *Sin* vocabatur, non *Phithom* aut *Abaris*; deinde Abaris non fuit in eodem Nomo, ac Pelusium.

Rahamsesam] רעמסס. Vidimus ad Gen. XLVII, 11. ita vocatum Regem Ægypti, nam רַעְמְסֵס ut hîc scribitur, & רַעְמְסֵס ut illic, unum idémque esse videtur. Fortè ergo is Ægypti Rex urbem olim suo nomine condiderat, quam instauravit Salatis, operâ Israëlitarum usus. Nec quisquam miretur בנה *banah* exponi *instaurare*, cùm notum sit verbis compositis carere Hebræos, & in libris Regum eo sensu sæpe occurrat. Ita etiam loquutus est, in Salatis historia, *Manetho*, apud *Josephum*, in laudato fragmento: εὑρὼν δὲ, inquit, ἐν νομῷ Σαΐτῃ πόλιν ἐπικαιροτάτην κειμένην μὲν πρὸς ἀνατολὴν τοῦ Βουβαστίτου ποταμοῦ, καλουμένην δ' ἀπό τινος ἀρχαίας θεολογίας Ἄβαριν, ταύτην ΕΚΤΙΣΕ τε καὶ τοῖς τείχεσιν ὀχυρωτάτην ἐποίησεν: *inveniens urbem opportunissimam in nomo Saite, ad orientem Bubastici fluvii sitam, quæ Abaris vocatur ab antiqua Theologia, ædificavit*, vel *instauravit eam*, *murisque munitissimam effecit*. Rahamsesæ urbis nulla alibi mentio, sed frequenter à Regum nominibus factæ sunt urbibus appellationes.

12. *Sed prout*] וכאשר *vechaascher*. Alii post LXX. Intr. & Vulg. *quo magis*; sed quia כאשר sequente particula כן constanter *prout* significat, eam notionem servavimus. Gallicè dicas: *ce peuple s'augmentoit, à mesure qu'il étoit maltraité*. Ægyptiorum crudelitate tantùm aberat ut minuerentur Israëlitæ, ut contrà augmentum æquaret vexationem.

Et crescebat] *Et sic erumpebat*. Vide Genes. XXVIII, 14.

Ut propter Israëlites &c.] *Et angebantur propter filios Israëlis*. Timebant ne ingens ille populus, virium suarum sibi conscius, novas res moliretur. Audiverant fortasse vulgò inter Israëlitas credi tempus aliquando adfore, quo Ægypto relictâ Chananæam repetituri essent, quò etiam videntur verba Regis vers. 10. respicere. Itaque omni arte animos Israëlitarum frangere nitebantur.

13. *Servilia opera crudeliter exigebant*] *Servire faciebant in sævitia* יעבדו בפרך *jababidou bphereck*.

14. *Luto*] Huc est, imperatâ illis certâ luti copiâ, quibus lateres fierent. Aut est ἓν διὰ δυοῖν *unum per duo*, & significantur *lateres è luto*. Fortè ex hac Ægyptiorum sævitia, quæ & sub aliis Ægyptiorum Regibus observata est, natum erat proverbium apud Græcos Αἰγύπτιος πλινθοφόρος, *Ægyptius laterum bajulus*, quod occurrit apud *Aristophanem* in avibus p. 595. ubi sermo est de conditâ nuper urbe, & quærenti quis murum tantum ædificasset, respondet nuncius, inter alia ὡς Αἰγύπτιος πλινθοφόρος, ad quem locum *Scholiastes*: οἱ Αἰγύπτιοι ἐκωμῳδοῦντο, ὡς ἀχθοφόροι, καὶ ἐν Βατράχοις, ὡς οὐκ ἂν οὐδ' ἑκατὸν Αἰγύπτιοι. εἰς τὸ αὐτὸ, ὅτι ἴδιον Αἰγυπτίων τὸ ἀχθοφορεῖν: *Ægyptii in comœdiis lacerabantur, quasi bajuli; & etiam in Ranis*, quos non sustulerint ne quidem centum Ægyptii, *in eumdem sensum*, *quia proprium Ægyptiis bajulare*. Rex *Asychis* non parum exercitos Ægyptios habuit, coquendis & bajulandis lateribus; cùm exstrueret lateritiam pyramidem, quæ *tantum lapideis præcellebat*, *quantùm Jupiter ceteris Diis*, ut habebat ei insculpta inscriptio. Vide *Herodotum* Lib. II. c. 126.

Omni opere rustico] בעבדה בשדה bahabodah baschadeh, *in opere in agro*, hoc est, agrorum cultu, quicumque esset, nam עבד *colere* significat. Vide Deut. XXI, 4. Ezek. XXXVI, 9. & 34. Alioquin in Ægypto, in arandis agris, exigua erat difficultas, ut observavimus ad Gen. XLV, 20. si compararetur cum aliarum regionum labore; sed omnia opera servilia obire, in gratiam duriorum dominorum molestissimum fuit.

Singulisque ministeriis &c.] *Cum omni opere, quod operati sunt* (nempe, Israëlitæ) *in eos* בהם, *in sævitia*. Repetitur בפרך quod antecessit, ut vox עבדה *habodah*, pro Hebræorum more. Hasce autem ταλαιπωρίας sic partim ex conjectura describit *Josephus*: ποταμὸν εἰς διώρυχας πολλὰς αὐτοῖς προσέταξαν διατεμεῖν, τείχη τε οἰκοδομῆσαι ταῖς πόλεσι καὶ χώματα, ὅπως ἂν εἴργοι τὸν ποταμὸν μὴ λιμνάζειν, ἐὰν ἐκείνων ἐπεκβαίνοντα. πυραμίδας ἀνοικοδομοῦντες ἐξέτρυχον ἡμῶν τὸ γένος: sti-

hæ nomen erat, alloquutus est, [16.] &, cùm parientibus, inquit, Hebræis opem feretis, eásque in sellis videbitis, si filius est, eum occidite; sin verò filia, vivat. [17.] Sed timuerunt obstetrices Deum, neque fecerunt ut iis dixerat Pharaho, verùm pueros *etiam* vivos servarunt. [18.] Rex verò Ægypti *ad se* vocatis obstetricibus, quare, inquit,

tricum celeberrimas ad se vocat, [16.] imperátque ab his & aliis omnibus obstetricibus omnem Hebræorum masculam progeniem nascentem suffocari, sequiori dumtaxat sexui vitâ concessâ. [17.] Verùm illæ à tam nefario scelere abhorrentes, Deique timentes, pueros & puellas æquè servarunt. [18.] Cùm verò Pharaho nullum insolitum luctum, apud Hebræos, animadvertisset, delusum se suspicatus

fluvium in fossas plurimas scindere eos jusserunt; muros item ædificare urbibus, & aggeres qui impedirent ne restagnaret fluvius, priusquàm eos superasset. Pyramides ædificantes ut gentem nostram attererent. Lib. II. c. 9. Hi certè erant potissimi Ægyptiorum labores; itaque hos, aut similes, tulere Israëlitæ.

15. *Postea etiam Rex Ægypti*] *Et dixit Rex Ægypti obstetricibus* &c. Cùm duæ obstetrices solæ tantæ multitudini nullâ ratione sufficere possent, rectè *Aben Ezra* videtur conjecisse hasce obstetricum Israëlitidum principes fuisse, & reliquarum veluti præfectas. Potuerunt etiam celeberrimæ dumtaxat ad Regem vocari, à quibus aliæ omnes monerentur.

Obstetrices Hebræas] מילדות העבריות *mjalledoth habhbrijoth*, quas voces alii *obstetrices Hebræarum*, post LXX. & Vulg. Intt. sed sequentia videntur indicare hasce mulieres Hebræas fuisse, quî enim timuissent Deum Ægyptiæ? Præterea nec viri, nec mulieres ejus gentis ita familiariter versabantur cum alienis, ut se eorum causâ polluerent, sicut ex *Herodoto* diximus ad Gen. Cap. XLIII, 30. Attamen *Josephus* Lib. II. c. 9. ait Pharahonem jussisse *ἰβραίων γυναικῶν τοκετοὺς παρατηρεῖν τὰς Αἰγυπτίων μαίας*, *Hebræarum mulierum partus observare Ægyptiorum obstetrices.* Sed oportuisset Mosem dixisse, לעבריות, non העבריות.

16. *In sellis*] על האבנים *hal haobnajim*, quam vocem, ita ut fecimus, convertimus, non quòd certum sit *sellas* eâ significari, sed quia nihil erat certius, quod adfirmaremus. LXX. Intt. habent *πρὸς τῷ τίκτειν*, Vulg. *partûs tempus*, quæ quidem est loci sententia, sed non vocis potestas. Exstat præterea ea vox Jerem. XVIII, 3. ubi sermo est de figulo: *ecce*, inquit Propheta, *faciebat opus* על האבנים. Hîc autem οἱ LXX. *ἐπὶ τῶν λίθων*, Vulg. *super rota*, ut intelligas eos conjecturâ ductos vertisse. Recentiores *sellas* præferunt, quòd parturientes sæpe sellæ imponantur, & sellularii artifices sedentes opus faciant. Nonnulli tamen האבנים esse putant nescio quam sellam, in quam ex utero cadentes fœtus exciperentur, & in quam jubeantur inspicere obstetrices, sed, ut rectè observavit *Nic. Fullerus* Miscel. Lib. V. c. 19. constructio obstat. Ipse verò vult אבנים sellam esse dictam eo nomine, quòd cùm eâ voce propriè significentur lapides molares, sellæ illæ coagmentatæ essent duabus tabulis rotundis, pari intervallo disjunctis; quarum superior sedilis, inferior basis vice fungeretur, illâ huic incumbente, ad similitudinem catilli metæ imminentis. Sed cùm hæc sit mera conjectura, aliam proferre nobis licere existimamus; nimirum, cùm אבנים *obnajim* sit dualis formæ, membrum duplex significari censemus, ut vocibus אזנים *oznajim*, עינים *benajim* &c. Nec membrum ullum videtur posse intelligi præter *genua*, quibus incumbentes puerperæ parere solebant: sic 1. Sam. IV, 19. *in genua se demisit* (ותכרע *vatthichrah*, unde כרעים chirhajim, *crura*) & peperit; quem ad locum ea de re pluribus agemus. Hinc fortè etiamnum hodie, apud Arabas, הבנק *habanakon*, eum situm significat *quo quis considens interiora femorum in solum procumbentia sustinet.* Apud eosdem אהבנקע *ehbankaha*, est *sedet natibus conjungens femora, & crura disjungens.* Fortassis figuli eodem situ corporis operi suo incumbebant. Hoc ergo vellet Rex Ægyptius, eo momento quo nati essent pueri, dum matres adhuc genibus incumberent, suffocandos fuisse, ita ut nec pater impedire posset, nec mater sentire.

Vivat] וחיה *vehhajah*, masculina persona. Sed in Samaritico est חיתה *hhajetha*, convenientiùs Grammaticæ. Observant tamen Grammatici genus verbi interdum cum nomine non convenire. Vide *Sal. Glassii* Gram. Sacr. Lib. III. Tr. 3. Canon. LV. sed vereor ut librariis *ἐναλλαγὰς* plures debeamus. Alii volunt, חיה hîc esse nomen, à masculino חי *vivens.*

17. *Timuerunt Deum*] Hoc est, Dei vindictam, facinus crudelissimum sine dubio damnantis, timuerunt potiusquàm iram Pharahonis. Est antecedens pro consequente, nam perinde est ac abstinere ab eo quod Deo improbatur, quòd, nimirum, eum verearis. Vide not. ad Gen. C. L, 19.

Vivos servarunt] ותחיינה *thehhajjenah*, in *Pihel.* Vide Gen. VI, 20. VII. 3. XII, 12. &c.

18. *Rex verò Ægypti* &c.] *Et vocavit Rex Ægypti obstetrices, & dixit.*

Quare hoc commisistis &c.] *Quare fecistis hanc rem & pueros vivificastis.*

19. *Vegetæ*] חיות *hhajoth*, quod à חיה *vixit.* Apud Arabas dicitur interdum de camela, *quæ pullos edit, quorum vix ullus moritur*, quæ significatio ab hoc loco non est prorsus aliena; ubi manifestum est significari mulieres, quarum faciles essent partus. LXX. Intt. habent *τίκτουσι.* Hieronymus, *obstetricandi habent scientiam*, ut Onkelos חכימן *hhachiman* vertit, id est, *peritæ*, nimirum, artis obstetriciæ, & pro obstetricibus habet חייתא *hajjatha*. *Symmachus* habebat *μαῖαι* hoc in loco; *Theodotion ζωογονοῦσι*, hoc est, vegetos partus edunt. Vide hac de voce, *Davidis Clerici* Quæst. Sacr. XVII.

Antequam ad eas veneris] Tam citò pariunt, ut sæpe partus vocatam obstetricem antevertat.

20. *Benefecit Deus*] Quærunt Interpretes quâ ratione mendacio favere potuerit Deus verita-

quït, hoc commisistis, ut pueros vivos servaretis? 19. Tum obstetrices Pharahoni, quia, inquiunt, non sunt Ægyptiarum instar Hebrææ mulieres, sunt enim vegetæ, & antequàm ad eas venerit obsterrix, pepererunt. 20. Benefecit Deus obstetricibus, crevitque populus, & multùm convaluit. 21. Itaque, quia Deum timuerant obstetrices, fecit eis domos. 22. At Pharaho universo suo populo edictum proposuit, his verbis: omnem filium, qui *Hebrais* nascetur, in fluvium projicite, filiam verò servate.

II. Mo-

catus est, accersitásque obstetrices acriter objurgavit, quòd imperata neglexissent. 19. At hæ sine sua opera vivere Hebræos pueros respondent, Hebræas enim mulieres plerásque tam faciles partus habere, ut sine obstetricis opera parerent, liberísque suis ipsæ consulerent. 20. 21. Igitur nec eâ arte populi incremento modus positus, & obstetrices ipsæ, Deo pietati, quâ alienos liberos servarant, favente, numerosam prolem pepererunt, & opibus floruerunt. 22. Sed Rex Ægypti, missâ earum operâ, palam Arabas & Ægyptios edicto jussit pueros omnes Hebræorum, qui posthac nascerentur, Nilo submersos suffocare.

P A-

tis amans, & ipsa Veritas? Alii negant esse mentitas, plerásque enim Israelitidas faciles partus habuisse, & vivaces liberos peperisse, quo factum ut tantopere Israëlitæ in Ægypto multiplicarentur. Alii mentitas quidem esse volunt, sed mendacium tam utile, atque ex Dei timore profectum vitio verti posse negant, qua de re aliquid diximus ad Gen. XII, 13. & in adnotationibus ad Quæst. Sacr. XVII. Patrui, ante aliquot annos.

21. *Quia Deum timuerant*] Hîc Moses clariùs qua in re benefecerit Deus obstetricibus ostendit.

Fecit eis domos] ויעש להם בתים *vajjabasch labem batthim.* Hic duu quæruntur, prius quid sit *facere domum*, alterum quibus domum fecerit Deus? I. *Domus* duo significat, ædificium, & familiam quæ in eo habitat. Posterius hîc significari videtur, ut enim obstetricum operâ servatæ erant Israelitarum familiæ: sic credibile est numerosam sobolem, divino Numine favente, esse consequutas. Sic 2. Sam. VII, 11. pollicetur Deus se Davidi *facturum domum*, hoc est, eum sobole aucturum, quâ nomen ejus ad posteros transmittendum erat. Hoc vocat ipse David *ædificare domum* vers. 27. & Ruth. IV, 11. Lea & Rachela dicuntur *ædificasse domum Israëlis*, hoc est, ei plures peperisse liberos, quibus familia ejus constituta, & propagata est. II. Dubitantibus an להם, quod masculinum est, possit ad obstetrices referri, respondent alii frequentem esse ἐναλλαγὴν, ut antea diximus. Vide infrà II, 17. Ruth. I, 8, 9, 11. Hinc LXX Intt. ἐποίησαν ἑαυτοῖς οἰκίας, quasi tamen legissent תעשינה. Vulg quoque, *ædificavit eis domos.* Alii verò להם *labem* referunt ad eos, de quibus dixit Moses ultimis vocibus antecedentis commatis, ויעצמו מאד & *creverunt multùm.* Sed durum est dicere, *quia Deum timuerunt obstetrices, fecit Deus domos Israëlitis*; neque enim Deus minorem curam Israëlitarum gessisset, si impiæ fuissent obstetrices, quippe qui aliâ viâ eos contra sævitiam Pharahonis tueri potuit.

22. *Edictum proposuit his verbis*] *Præcepit dicendo.* Cùm videret Rex Ægypti se per Hebræas obstetrices non consequi quod vellet, palam Ægyptios omnes in Hebræorum pueros infantes armavit, ne horum ampliùs numerus augeretur, nam filiæ in alienas familias transire poterant. Simile fuit Lacedæmoniorum in Hilotas institutum, ne ita crescerent, ut tandem liberos Lacedæmonios opprimere possent. Lex erat κρυπτεία, quâ, ut auctor est *Plutarchus* in Lycurgo, τῶν νέων οἱ ἄρχοντες διὰ χρόνου τοὺς μάλιστα νοῦν ἔχειν δοκοῦντας εἰς τὴν χώραν ἄλλως ἐξέπεμπον ἔχοντας ἐγχειρίδια καὶ τροφὴν ἀναγκαίαν· οἱ δὲ μεθ' ἡμέραν μὲν εἰς ἀσυνδήλους διασπειρόμενοι τόπους, ἀπέκρυπτον ἑαυτοὺς καὶ ἀνεπαύοντο, νύκτωρ δὲ κατιόντες, εἰς τὰς ὁδοὺς τῶν Εἱλώτων τὸν ἁλισκόμενον ἀπέσφαττον, καὶ τὰ ἑξῆς: *Magistratus certis temporibus juvenes, qui sollertissimi videbantur, per agros quasi temerè mittebant, nihil habentes præter pugiones & cibum necessarium. Hi interdiu per latebras dispersi recondebant se, & quieti dabant, noctu insidentes itinera, Hilotas, si qui in ipsos incidissent, occidebant.* Eam sævitiam meritò vituperat *Plutarchus*, sed *Plato* in Rep. Lib. VII. Λακεδαιμονίων, inquit, εἱλωτεία πλείστην ἀπορίαν παράσχοιτ' ἂν καὶ ἔριν, τοῖς μὲν ὡς εὖ, τοῖς δ' ὡς οὐκ εὖ γεγονυῖα ἐστί: *Lacedæmoniorum Hilotia servitus magnam creare potest dubitationem, aliis quidem rectè, aliis malè dum videtur instituta.* Postquàm ostendit hominem esse χαλεπὸν κτῆμα *difficilem possessionem*, duas tantùm esse rationes ait, quibus fieri potest ut tutò servis credatur, alteram quidem si non sint populares & concordes; alteram verò si bene educati fuerint, ut heros diligant. Hîc verò Israëlitæ erant omnes consanguinei, & ab Ægyptiis, post adventum Pastorum, malè habiti fuerant. Supererat ergo ut timerentur, quoniam certum erat malè se habentibus eos bene velle non posse. Verùm ab initio Pastores beneficiis eos sibi devincire debuerant, & potiùs in varia Ægypti loca amandare, quàm occidere eorum liberos, quod crudele & stultum fuit.

Qui nascitur] הילוד *hajjilloud.* Alioqui legeremus הַיָּלוּד *hajjaloud.* Est anomalia in punctatione hujus radicis Psalm. II, 7. In lectione Scripturæ, Massorethanum ævo recepta, Grammaticæ multa erant contraria; quæ vix crediderim primis temporibus obtinuisse.

COM-

II. *Mosis natales, educatio, amor in populares, fuga ex Ægypto in Madianitidem, & conjugium cum Sipphora.*

1. IVERAT autem vir è familia Levis, & uxorem Levitidem duxerat. 2. Ea mulier concepit, peperitque filium, quem cùm formosum esse vidisset, per tres menses abscondit. 3. Diutiùs verò abscondere eum cùm non posset, sumsit ei arcam CAPUT II.

PARAPHRASIS.

1. ALIQUOT annis, ante edictum de occidenda mascula Hebræorum prole, Levita, ex eadem Tribu, uxorem duxerat, ex qua filium & filiam susceperat. 2. Is ex eadem uxore, dum crudele edictum exsequutioni mandaretur, alterum filium habuit, quem mater sollicitè per tres menses abscondit, si fortè eum Ægyptiorum sævitiæ eripere posset; cùm maternâ pietate, tum etiam eximiâ pueri specie perculsa. 3. Trimestri verò tempore exacto, cùm domi puerum diutiùs abscondere se posse desperaret; fiscellam junceam paravit, in qua bitumine & pice oblita puerum abdidit, quem postea

COMMENTARIUS

In CAPUT II.

1. IVerat & duxerat] Est Hebraïsmus, ἀντὶ τ̃ duxerat. De Amramo infrà Moses Cap. VI, 16. & seqq.

2. *Quem cùm formosum esse vidisset*] *Et vidit quòd bonus ille.* טוב *tob* hîc sumitur pro *pulcro*, ut Gen. XLI, 22. & sæpe alibi. Non debent autem hæc ita intelligi, quasi sola forma Mosis matris misericordiam commoverit, eúmque propterea dumtaxat servarit, quem submersura fuerat, si deformis fuisset; sed misericordiam auxit, ut solet, infantis forma eximia; & præterea ad sequentia hæc circumstantia pertinet, ut videbimus. Diximus ad calcem superioris Capitis, apud Lacedæmonios, perverso instituto, occisos esse servos ne nimiùm crescerent; eadem sævitiâ Magistratus, ad quos deferebantur pueri recens nati, καταμαθόντες τὸ παιδάριον, εἰ μὲν εὐπαγὲς εἴη καὶ ῥωμαλέον τρέφειν ἐκέλευον, εἰ δ' ἀγεννὲς καὶ ἄμορφον ἀπέπεμπον εἰς τὰς λεγομένας Ἀποθέτας, παρὰ Ταΰγετον, τ̃ βαραθρώδη τόπον, ὡς οὔτε αὐτῷ ζῆν ἄμεινον, οὔτε τῇ πόλει τὸ μὴ καλῶς εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς πρὸς εὐεξίαν καὶ ῥώμην πεφυκός: *conspecto infante, si membris compactis & robustus esset, nutrire jubebant; si verò debilis & deformis, mittebant in locum voraginosum, Apothetas dictum, propè Taygetum; quasi nec illi ipsi, nec civitati, qui non esset ab initio ad bonum habitum & robur comparatus, vivere expediret.* Hæc fortè ratio, ut Mosem servaret, filiam Pharahonis permovit.

Tres menses] ירחים *jerabbim*, Id est, *lunas.* Unde viri docti collegerunt Veterum Hebræorum menses fuisse iis temporibus lunares. Sed illis temporibus, Ægyptiorum menses erant 30 dierum, sequutusque eos fortè est in anno civili Moses; mensis autem Lunaris Synodicus est 29 dierum, 12 horarum & aliquot minutorum. At fortè non ita accuratè tempus Lunæ Periodi observabant, ut dimidiæ partis diei rationem haberent; ideóque triginta dies ei tribuere potuerunt. Postremis certè temporibus, Lunam tum novam dicebant, cùm primùm post conjunctionem conspici potuerat. Vide quæ ex Rabbinis hac de re habet *Joan. Lightfootius de Minist. Templi.* Cap. XI. Adde & quæ habet *Joan. Marshamus* de *anno Hebraico* ad Sæc. IX.

3. *Abscondere cùm non posset.*] *Nec potuit eum amplius abscondere, & sumsit* &c.

Arcam] תבה *thebah*, de qua voce vide dicta ad Gen. VI, 14.

In qua bitumine &c.] *Et illevit eam bitumine — & posuit.*

5. *Ut se lavaret*] Ægyptii multùm ablutionibus utebantur, & intra νυχθήμερον quater lavabantur, ut ex *Herodoto* ostendimus ad Gen. Cap. XXXV, 2

Cùm vidit arcam &c.] *Et vidit arcam — & misit — & cepit eam, & aperuit, & vidit eum* &c.

6. *Qui flebat*] *Et ecce flens.*

Ejusque miserta] Cùm re ipsâ permota, tum etiam propter pueri formam. *Josephus*, qui hanc historiam poeticè pænè ornavit, μετὰ τ̃ κοιτίδος, inquit, ἰδοῦσα τὸ παιδίον ὑπερηγάπησε, μεγέθους τε ἕνεκα καὶ κάλλους: *cum cunis videns infantem summopere amavit, propter magnitudinem & formam.* Hanc Ægyptiam vocat Θέρμουθιν, ex traditionibúsne Judæorum, an Ægyptiorum nescio.

7. *Ibi soror ejus*] *Et dixit soror ejus.* Hæc narratio nimis nuda *Josepho* visa est; fingit Mosem varias nutrices aspernatum fuisse, & sororem, quæ in turba quasi fortè aderat, monuisse Thermuthin infantem ubera Hebrææ nutricis arrepturum, &, jubente demum Reginâ, matrem accersivisse. Lib. II. c. 9.

An accersam] *An ibo & vocabo.*

Quæ lactes] *Et lactabit.*

9. *Recepis*] ותקח vatthikkahh, *& cepit.* Sed simplex est pro composito, quo Hebræi carent.

10. *Ad filiam Pharahonis duxit*] Nempe, ablactatum. Fortè triennem, ut mater illa septem fratrum ab Antiocho occisorum 2. Macch. VII, 28. per triennium ubera filio præbuisse se dicit. *Josephus* in hac Historia: τριετεῖ μὲν αὐτῷ γεγενημένῳ θαυμαστὸν ὁ θεὸς τὸ τ̃ ἡλικίας ἐξῆρεν ἀνάστημα, *cùm esset triennis, Deus mirabile ei staturæ addidit augmentum.*

Fuitque huic pro filio] *In filium*, hoc est, studiosè ab ea, filii instar, educatus, unde *Stephanus* eum παιδευθῆναι πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων docet Act. VII, 22. Ita, nimirum, educati videntur regii juvenes in Ægypto. De ipsorum

arcam junceam, in qua bitumine & pice oblita puerum posuit, eámque in alga, ad fluvii ripam collocavit. 4. Soror verò ejus procul stetit, ut quid eo futurum esset cognosceret.

5. Tum filia Pharahonis descendit ad fluvium, ut se lavaret, ejusque ancillæ secundùm fluvii ripam incedebant, cùm vidit arcam in media alga, *quam conspectam* missa ancilla sumsit. 6. Eâ referatâ puerum vidit, qui flebat; ejusque miserta, ex pueris, inquit, Hebræorum hic est. 7. Hic soror ejus filiæ Pharahonis, an accersam, ait, tibi nutricem ex Hebræis mulieribus, quæ tibi puerum lactet? 8. Pharahonis verò filia, ito, ait; puella autem ivit, & pueri matrem vocavit. 9. Huic verò filia Pharahonis, aufer, inquit, puerum hunc, eum mihi lacta, mercedémque tuam *tibi* dabo. Recepit itaque *mulier* puerum, cúmque lactavit.

10. Cre-

stea in alga, ad Nili ripam, exposuit. 4. Puellam tamen hujus sororem jussit intentis oculis fiscellam observare, ut quid futurum fratre esset resciret.

5. Haud multò pòst, Regis Ægypti filia, lavandi causâ, ad fluvium venit, unà cum ancillis; cujus ripas dum legit, donec ad secretiorem locum pervenisset, ecce verò fiscellam in alga animadvertit. Tum jussâ in aquam descendere ancillâ, eam ad se adferri jubet, 6. reserataque puerum formosissimum flentem deprehendit, nec dubitavit quin esset infelix Hebrææ mulieris partus. Ejus tamen miserta tollere eum, & sibi educare statuit; quod cùm ancillis significasset, pueri soror, quæ interea accesserat, Ægyptiam Principem rogat, velléine Hebræam mulierem è vicinia, quæ puero ubera præberet, vocari? 8. Adnuente Ægyptiâ, puella citato gradu matrem pueri advocat; 9. quæ quamprimùm venit, puerumque ab Ægyptia Principe lactandum, veluti alienum, certâ mercede, recipit.

10. Postquàm ablactatus fuit, in Regiam à matre ductus est; ubi à Regis filia, haud aliter ac si ejus fuisset filius, educatus est, & MOYSES quidem ab ea appellatus, Ægyptio nomine, quod *ex aqua extractum*

rum Regum vivendi ratione, plurima habet lectu digna *Diodorus Siculus* Bibl. Lib. I.

Nomen ei Mosi indidit] משה quod adludit ad משה *maschah* traxit. Contigit Hebraïcâ Linguâ ipsam Ægyptiacam Paronomasiam feliciter exprimi posse, ut diximus in *Diss. de Linguâ Hebraïca* §. 11. Neque enim credibile est Ægyptiam principem Chananæam Linguam tenuisse, aut ei, quem filii loco habebat, nomen alienâ Linguâ imposuisse; cùm Josepho ab Ægypti Rege olim mutatum esset nomen, quia in regiam familiam adsciscebatur. Præterea quamvis Hebraïca vox משה *maschah* adludat ad Mosis nomen, & *extrahere* significet, tamen plenè non exprimit vim Etymologiæ; neque enim tantùm *extractus*, sed *extractus ex aqua* dici nomine debuit; ut vel hinc agnoscas veriverbium non posse ex Hebraïca Lingua duci. Hebræi ipsi veteres, uno ore, Legislatoris sui nomen Ægyptium fuisse propterea fatentur. *Philo* Alexandrinus de vita Mosis: εἶτα δίδωσιν ὄνομα, θεμένη Μωυσῆν ἐτύμως, διὰ τὸ ἐκ τοῦ ὕδατος αὐτὸν ἀνελέσθαι. Τὸ γὰρ ὕδωρ Μὼς ὀνομάζουσιν Αἰγύπτιοι: *deinde dat illi nomen, Mosem ex vero adpellans, quòd ex aqua extractus fuisset, nam aquam Mos vocant Ægyptii.* Rectiùs dixisset *Moy* aut *Mo*, ut cùm auctoritas aliorum, tum etiam rationes Grammaticæ ostendunt. *Josephus* qui in Ægypto aliquamdiu vixit, Cap. IX. Lib. 2. Κατ' αὐτῷ τὴν ἐπίκλησιν ταύτην, κατὰ τὸ συμβεβηκὸς ἔθεντο, εἰς τὸν ποταμὸν ἐμπεσόντι· τὸ γὰρ ὕδωρ μῶυ (alii Codd. μῶ) οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσιν· ὑσῆς δὲ τοὺς ἐξ ὕδατος σωθέντας· συνθέντες οὖν ἐξ ἀμφοτέρων τὴν προσηγορίαν αὐτῷ ταύτην τίθενται: *deinde ei adpellationem hanc ex eo quod contigerat imposuerunt, in flumen delapso; nam aquam* MOY (aut MO) *Ægyptii vocant*, HYSES *verò servatos ex aqua. Conjunctâ ergo utrorumque adpellatione, hanc imposuerunt.* *Clemens* Alexandrinus Strom. Lib. I. p. 443. Τίθεται τῷ παιδίῳ ὄνομα ἡ βασιλὶς Μωυσῆν ἐτύμως, διὰ τὸ ἐξ ὕδατος ἀνελέσθαι αὐτό, τὸ γὰρ ὕδωρ μῶυ ὀνομάζουσιν Αἰγύπτιοι, εἰς ὃ ἐκτίθεται τεθνηξόμενος. καὶ γὰρ τὸ Μωυσῆν τὸν ἀποπνεύσαντα τῷ ὕδατι προσαγορεύουσι: *Regina puero nomen Moysi imponit ex vero, quia ex aqua extractus fuerat, aquam enim Moy appellant Ægyptii, in quam expositus erat moriturus. Moysen etiam vocant eum qui ex aqua emergens respiraverit.* Vetus Lingua Ægyptiaca Hebraïcæ adfinis in multis erat, itaque ut Hebræi מים *majim* aquas vocarunt, à prisco singulari מי *mai*: variante dialecto, Ægyptii dixerunt מו *mo* aut מוי *moi*, quo nomine utuntur sæpe Chaldæi Paraphrastæ, qui scribunt etiam מוהי *mohi*. Syri quoque מיא *majo* efferunt. In Lingua Veterum Ægyptiorum ΣΙ videtur significasse *capere*, quæ vox in Lingua Coptica frequens est, ut ostendit *Cl. Salmasius* in Ep. LX. unde meritò colligit Legislatorem Hebræorum dictum fuisse ΜΩΥΣΙ, hoc est, ad verbum ἀναληφθέντα ἐξ ὕδατος, quod etymon, præter Scriptores laudatos, confirmat vetus Poëta apud *Eusebium* de Præp. Evang. Lib. IX. Cap. 20. Apud Hebræos, quod non observavit vir summus, נשא *nasa* est *capere*, unde derivatum שיא *si*, quod *elationem* significat, quæ sunt Ægyptiacæ voci adfinia.

11. *Eo tempore*] *Et fuit diebus illis, & adolevit Moses & egressus est.* Hoc est, multis annis postea, nam ad virilem ætatem pervenerat Moses. Stephanus VII, 23. quadraginta annos natum eum fuisse ait. Sic *eo tempore* adhibetur Genes. Cap. XXXVIII, 1. ubi sermo est de re diu ante ea, quæ in proximè præcedentibus narrantur, acta. Vide notata ad eum locum.

Egressus] Nimirum, regiâ, atque Ægyptiorum consortio, à quibus fratrum sortem curiosiùs sciscitari fortè non audebat.

Eorum onera] Vide Cap. I. 11. & seqq.

Ex fratribus] Ex Levitica Tribu, ex qua erat Moses. Quamvis Israëlitæ omnes *fratres*, hoc est, consanguinei essent, major tamen fuit inter Tribules conjunctio.

12. *Tum*

10. Crevit is puer, eúmque *mater* ad filiam Pharahonis duxit, & fuit huic pro fi-
lio. Nomen ei Mosi indidit, quia, inquiebat, eum ex aqua extraxi. 11. Eo tem-
pore, cùm adultus esset Moses, ad fratres suos *visendos*, egressus *regiâ*, eorum onera,
& virum Ægyptium verberantem Hebræum ex fratribus vidit. 12. Tum verò cùm cir-
cumspexisset huc atque illuc, neque quemquam vidisset, Ægyptium occidit & *occisum*
sub arena occultavit. 13. Ecce autem postridie etiam egresso *occurrunt* duo viri Hebræi
rixantes, quorum iniquiori, quare, inquit, proximum tuum verberas? 14. At il-
le, quis te, ait, præfectum & judicem nobis imposuit? an quemadmodum Ægyp-
tium occidisti, de me interficiendo cogitas? *Hoc audito*, timuit Moses, & profectò,
inquit *apud se*, res innotuit.

15. Hoc

tractum significat. Mosem Linguâ suâ vocàrunt Hebræi, quasi à voce Hebræa, cujus significatio ab Ægyptiacis aliéna non est. 11. Multò post tempore, Mosem quadraginta annos natum, & Regiæ pertæsum cepit invisendorum popularium cupiditas. Cùm inter eos versaretur, quàm inclementer ab Ægyptiis haberentur, non sine acerbo dolore, vidit. Incidit etiam fortè in Ægyptium, qui Hebræum immisericorditer verberabat; 12. cùmque nemo adesset, & Moses intelligeret Israëlitis jus non ampliùs dici, oppressæ innocentiæ ultor Ægyptium illico obtruncavit, cadavérque ejus in arena sepeliit. 13. Cùm servatum à se Israëlitam rem taciturum speraret, postero die exiit; ecce verò duos Hebræos, qui inter se acriter certabant, quorum cognitâ causâ, eum qui jus violarat, & qui tamen popularem suum verberabat, objurgare cœpit; quòd præter jus & fas innoxium hominem cæderet. 14. Hic verò, objurgationis impatiens, à Mose quærere quo jure Judicis personam agere adgrederetur, anve vellet se interficere, ut hesterno die Ægyptium occiderat? Hinc Moses facinoris sui rumorem, inter Hebræos sparsum esse intellexit, néve ad Ægyptiorum aures perveniret non frustra timuit.

16. Res,

12. *Tum verò cùm circumspexisset*] *Et respexit huc, atque illuc, & vidit quod nemo.*

Ægyptium occidit] ויך *vajjach.* נכה in antecedente versu vertimus *verberare*, quia nullo indicio constat Israëlitam ab Ægyptio occisum; hîc verò manifestum est Ægyptium interfectum à Mose fuisse, ideóque *occidere* transtulimus. Oportet tamen graviora fuisse Ægyptii verbera, si ex ira Mosis de iis judicemus; atque hinc fortè *Jonathan* & *Jerosolimitanus Paraphrastes* dixerunt à Mose hunc obtruncatum fuisse Ægyptium, quòd cognovisset nullum umquam ex eo oriturum Proselytum. Profectò, excusandi Mosis gratiâ, hæc finxerunt. Præstitisset tamen adferre hanc in rem legem Ægyptiam, quâ aliquatenus excusabatur Moses. Ea sic habebat: Ἐὰν δέ τις ἐν ὁδῷ κατὰ τὴν χώραν ἰδὼν φονευόμενον ἄνθρωπον, ἢ τὸ καθόλου βίαιόν τι πάσχοντα, μὴ ῥύσαιτο δυνατὸς ὤν, θανάτῳ περιπεσεῖν ὤφειλεν· εἰ δὲ πρὸς ἀλήθειαν διὰ τὸ ἀδύνατον μὴ κατισχύσαι βοηθῆσαι, μηνῦσαί γε πάντως ὤφειλε τοὺς λῃστὰς, καὶ ἐπεξιέναι τὴν παρανομίαν: *si quis in via viderit hominem interfectum, aut vim alioqui patientem, nec liberarit, quamquam poterat, morte plecti debebat. Sin verò reipsâ non posset auxilium ferre, patefacere eum prorsus oportebat latrones, & scelus aperire.* Verba sunt *Diodori Siculi* Lib. I. p. 69. At hîc non modò Israëlitam liberavit Moses, sed Ægyptium etiam occidit, quod non licebat. Causa tamen hæc gravissima fuit, quòd cùm Ægyptii Reges Israëlitas malè haberi juberent, frustra legum auxilium, contra privatorum injurias, implorabatur. Quò cùm deventum, Republicâ in latrocinium merum conversâ, privata vis licita est.

Sed videtur Moses eo tempore existimasse, peculiari fortè revelatione edoctus, aut conjecturâ ductus, liberandos à se esse quamprimum Israëlitas. Certè, si *Josepho* credimus, ἱερογραμματέων τις prædixerat Regi Ægypti τεχθήσεσθαί τινα κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τοῖς Ἰσραηλίταις ὃς ταπεινώσει μὲν τὴν Αἰγυπτίων ἡγεμονίαν, αὐξήσει δὲ τοὺς Ἰσραηλίτας τραφείς: *nasciturum aliquem circa id tempus Israëlitis, qui Ægyptiorum imperium deprimeret, Israëlitas verò aucturus esset; si aleretur.* Lib. II. Ant. Jud. C. 9. Idem Sacrorum Scriba, qui ante natum Mosem hæc prædixerat, hoc puero in Regia conspecto; ἀνακεκραγὼς, οὗτος, εἶπεν, ὦ βασιλεῦ, ὁ παῖς ἐκεῖνος ὃν κτείναντι ἡμῖν ἐδήλωσεν ὁ Θεὸς ἀφόβοις εἶναι, καὶ τὰ ἑξῆς: *vociferatus, hic, inquit, ô Rex, puer ille, quem si occiderimus ostendit Deus nos sine metu fore.* &c. Si hæc vera sunt, aut simile quid contigit, potuit Moses existimare tempus tandem liberandi Israëlis adesse, & fratribus etiam suis id innotuisse; cùm Dei Israëlis promissa cum hisce vaticiniis consentirent. Vide Gen. XV, 13. L, 24. Hæc autem à parentibus cognoscere potuerat Moses, imò & somnium Amrami patris, si vera narrat *Josephus*, quo Deus apertè significaverat Mosem fore liberatorem Israëlis. Simile quiddam in animo habuisse videtur *Stephanus* primus martyr, quando Act. VII, 25. de hac historia verba faciens, ἐνόμιζε, inquit, συνιέναι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ ὅτι ὁ Θεὸς διὰ χειρὸς αὐτοῦ δίδωσιν αὐτοῖς σωτηρίαν, *credebat conscios esse fratres suos Deum manu ejus salutem eis dare.* Ea Mosis opinio non poterat niti, nisi re quapiam simili, quam Israëlitis probè notam esse putabat.

Sub arena] בחול *bahhol*, *in arena.* Variis in partibus, Ægyptus summopere arenosa est, ut circa Pyramidas, in Heliopolitano Nomo. Contigit sæpiùs æstu aut viâ defessos, qui in arena somnum capiebant, coorto vento, arenâ ita fuisse contectos, ut sepulti sub ea fuerint. „ In Arabiæ desertis, ait *Thevenotius*, interdum canum, interdum hominum inveniuntur cadavera integra; qui cùm „ somno oppressi, post Synodiam mansissent, „ oriente vento, qui mare arenarum volvit, „ arenam sistunt, eáque ita teguntur ut ex ea se „ expedire nequeant. Lib. II. c. 6. P. I. Sic

for-

15. Hoc quoque Pharaho audivit, quæsivitque Mosem ut eum occideret. At à Pharahone aufugit Moses, atque in Madianitide habitavit, & *primùm quidem* ad puteum *illic* sedit. 16. Erant autem Sacerdoti Madianitarum septem filiæ, quæ *eò* cùm venissent, hausissentque *aquam*, & implevissent alveos ad adaquandas patris sui oves, 17. advenere etiam pastores, qui eas *illinc* arcebant; cùm Moses surrexit, liberavitque eas, & earum oves adaquavit. 18. Hæ ad patrem Rehuelem iverunt, qui, quomodo, inquit, hodie tam citò venistis? 19. At illæ, vir, ajunt, Ægy-

15. Res, ut veritus erat, paullò pòst Ægyptiis innotuit, atque ad Regem delata est; qui eum capitalis noxæ reum judicatum quæri, ut ad supplicium duceretur, jussit. Sed monitus Moses Ægyptiaco imperio confestim egressus in Madianitidem ivit, quo cùm pervenisset ad puteum, non procul ab oppido situm, sedit. 16. Eo tum advenerunt septem puellæ unius viri, apud Madianitas sacerdotio fungentis, filiæ, cum ovium grege; quem ut adaquarent, haustâ ex puteo aquâ aquarium implere cœperant, cùm 17. convenientes pastores aquarium invadunt, & puellas, earumque gregem fugant. Tum verò Moses, horum protervìam intolerabilem ratus, surgit, pastores

fortè etiam Ægyptius interiisse credi potuit, cadavere postea invento.

13. *Ecce autem, postridie etiam egresso*] *Et exiit die secundo, & ecce duo viri.*

Iniquiori] לרשע *lraschah.* Hoc est, ei qui injuriam alteri inferebat, seu cujus iniqua erat causa. Sic Proverb. XVII, 15. *Justum pronuncians iniquum* (רשע) *& iniquum pronuncians* (מרשיע) *justum ambo Jehovæ invisi sunt.* Hinc LXX. τῷ ἀδικοῦντι & Vulg. *qui faciebat injuriam.* Vide & infra Cap. IX, 27.

Proximum tuum] רעך rehecha, *proximum tuum.* Hoc est, Israëlitam. Vide Levit. XIX, 15, 16, 17, 18.

14. *Præfectum*] איש שר *isch schar*, virum præfectum.

De me interficiendo cogitas] הלהרגני אתה אמר halhorgeni attha omer, *an ad interficiendum me tu dicens es.* Sæpe אמר *dicere* idem est ac cogitare. Vide quæ diximus ad Gen. I, 3. LXX. Intt. hic rectè: ἀνελεῖν με σὺ θέλεις; Vulg. *occidere me tu vis?*

Timuit Moses] Cùm videret Israëlitam, cujus rem celari intererat, aliis occisum Ægyptium, in sui gratiam, narrasse; timuit ne res Ægyptiis etiam innotesceret.

15. *Quæsivitque Mosem, ut eum occideret.*] *Quæsivit ad occidendum Mosem*, quod est Hebraismus. Homicidii, apud antiquissimos Græcos, pœna erat exsilium, ut diximus ad Gen. IV, 13. fortè propter hominum infrequentiam. At in Ægypto, populosissimo regno, εἰ τις ἑκουσίως ἀποκτείνῃ τὸν ἐλεύθερον, ἢ τὸν δοῦλον, ἀποθνήσκειν τοῦτον οἱ νόμοι προσέταττον, *quicunque liberum hominem, aut etiam servum sponte occidisset, eum mori leges jubebant.* Verba sunt *Diodori* Siculi Lib. I. p. 70. Ed. Rhod. Eadem lex fertur à Deo Cap. IX. Geneseos & alibi. *Josephus* Lib. II. c. 11. narrat, Mosis homicidio cognito, obsessas Regis jussu, ut caperetur, vias fuisse, sed eum τῶν ὁδῶν φυλαττομένων, ποιήσασθαι διὰ τῆς ἐρήμου τὸν δρασμὸν, *servatis viis, fugam per desertum capessivisse.*

In Madianitide habitavit] Quod postea distinctiùs narrat Moses, id interdum uno verbo priùs complectitur. Vide ad Gen. I, 1. *Madianitidem* vertimus ארץ מדין *erets midjan*, quemadmodum plerumque sumi solet in Scriptura. *Josephus* tamen exponit πόλιν Μαδιηνὴν πρὸς τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ κειμένην: *urbem Madienam ad mare rubrum sitam.* Vide not. ad Gen. XXV, 2.

Sedit] Eadem vox, quam modò vertebamus *habitavit. Et habitavit* (וישב vajjescheb) *in terra Midjan & sedit* (וישב) *ad puteum.* Ea ambiguitate delectabantur Hebræi, ut observavimus ad Genes. Cap. III, 7. XXII, 21. Vide inf. C. III, 3. &c.

16. *Sacerdoti Madianitarum*] כהן chohen, quæ vox cùm sit ambigua, alii *sacerdotem*, alii *principem* interpretantur. Sed viri principis malè habitas fuisse à pastoribus filias, vix est verisimile. Sacerdotis verò, qui ἀρχιερεὺς non fuerit, sed minoris dignitatis, spretam sobolem mirum non est. Quamvis enim non alius memoretur Sacerdos Madianitarum, non sequitur nullum alium fuisse. Nobiscum faciunt LXX. & Vulg. qui habent ἱερέα sacerdotem. Aliis Mosem, sine ratione, ornare omni studio nitentibus visum est regnum Madianitarum homini conferre.

Quæ cùm eo venissent] *Et venerunt, & hauserunt & impleverunt* &c.

Oves] צאן tson, *oves & capras.* Vide not. ad Genes. Cap. XII, 16 & inf. XIV.

7. *Qui eas illinc arcebant*] *Et expulerunt eos*, יגרשום jegareschoum, pro יגרשון jegareschoun, ut in ultima commatis voce צאנם pro צאנן. Hebræi exiguam rationem habent generum, ut diximus, cum alibi, tum ad Cap. I, 21. nisi fortè librariis anomaliæ ejusmodi debeantur, quod non absurdè suspicari quis possit. Vide & 1. Sam. VI, 7. Impediebant pastores nequam ne à puellis haustâ aquâ ipsarum adaquarentur pecudes.

Cùm Moses] *Et surrexit Moses.*

18. *Rehuelem*] רעואל quod οἱ LXX. & *Josephus Raguel* efferunt, ut & Vulgatus. ע fortè, apud Hebræos, ut apud Arabas, duplici sono efferebatur, ut G, & ut adspiratio Orientalibus Linguis peculiaris. Socer Mosis Num. X, 29. vocatur חבב בן רעואל *Hhobab filius Rehuel.* Vide & Jud. IV, 11. Idem appellatur *Jithro* aut *Jethro* infrà Cap. III, 1. & alibi sæpiùs. Hinc factum ut alii *Jethronem*, sive *Chobabum* dictum etiam fuisse *Rehuelem*, non secus ac patrem velint, adeóque tribus nominibus insignitum unum eumdémque virum. Alii verò contendunt Rehuelem, de quo hîc sermo est, avum fuisse puellarum, qui more Hebraico *pater* earum vocetur. Vide not. ad Gen. XXXI, 29. Dubitare nos certè non sinit locus Numerorum, quin avus harum puellarum,

Ægyptius nos è pastorum manu liberavit, pro nobis etiam hausit *aquam*, ovésque adaquavit. [20] Filiabus verò suis, *Rebuel*, ubi est? ait, quare virum ita dimisistis? vocate eum, & panem edat. [21] Consensit postea Moses ut cum homine degeret, & Tsipphoram filiam Mosi *uxorem* collocavit *Rebuel*. [22] Hæc filium peperit, eúmque nomine Gersomum vocavit Moses, nam *sum*, inquit, peregrinus in alieno solo.

III. Deus

stores ab aquario recedere cogit; aquam haurit, & puellarum gregi bibendam præbet. [19] Puellæ, aquato grege, ad patris *Rebuelis*, qui & *Jethro* vocabatur, ovile eum egerunt. Is verò miratus eas solito citiùs venire, causam tam properi reditûs rogavit. [19] Illæ rem, ut erat, narrarunt, seque hoc homini Ægyptio, quem non norant, debere professæ sunt. [20] Quo audito, Jethro hominem vocari jubet, cibúmque ei adponi. [21] Non multò post, cùm aliquamdiu Moses apud Jethronem vixisset, rogatus velletne in eo oppido sedem figere consensit, & Sipphoram Jethronis filiam uxorem duxit. [22] Ex hac sustulit filium, quem *Gersomum* vocavit, quo nomine sibi *peregrino* natum puerum in alieno solo significavit.

PA-

larum, idémque Mosis soceri pater, *Rebuel* vocitatus fuerit. Sed mirum est hîc mentionem avi fieri, omisso puellarum patre; itaque *Josephus* Lib. II. c. 2. Ἰεθεγλαίῳ nominato, subdit τοῦτο γὰρ ἦν ἐπίκλημα τῷ Ραγουήλῳ, *erat enim hoc cognomen Raguelo.* Quod si verum est, *Hobab* & *Raguel* fuerint viri nomina propria, *Jethro* verò cognomen. Certè חבב & רעואל non multùm significatione distant, cùm prius *amicum*, vel *amabilem*, posterius *amicum Dei* sonet. Notum autem est nomina significatione adfinia confundi. Sic 2. Par. XXVI, 1. עזיהו Huzzijahou, *vis mea Jehova*, vocatur, qui est עזריה Hazarjah, *auxilium Jehova*, 2 Reg. XV, 1, 2. Similiter qui *Eljakim* vocabatur, levi mutatione *Jehojakim* dictus est, hoc est, *Deus*, aut *Jehova constituit*, 2. Reg. XXIII, 34. Vide alia exempla apud *Sal. Glassium* in Gram. Sacr. Lib. IV. Tr. 3. Obser. XII. Posset יתרו *Jithro*, nomen esse muneris aut dignitatis, ut *Pharabo*; nam יתר dignitatem significat, ut ostendimus ad Gen. XLIX, 3. Atque hoc videtur sensisse Josephus, qui ἐπίκλημα esse dixit Ἰεθεγραῖον, non Ἰεθεγλαῖον, ut malè Codices habent.

Quomodo tam citò venistis] *Quomodo festinastis venire.* Vid. Gen. XXIV, 18. מדוע *madduab* vertimus *quomodo*, ut Jos. XVII, 14. & infrà III, 3. Non solebant primæ greges aquare, propter pastorum proterviam, qui priores aquam invadebant. Τῶν γὰρ χωρίων ἀνύδρων ὄντων προκατελάμβανον οἱ ποιμένες τὰ φρέατα ὅπως μὴ προεξαναλωμένου τοῦ ὕδατος ὑπὸ ἄλλων, σπανίζοι ποτοῦ τὰ θρέμματα: *cùm loca aquis destituantur, præoccupabant pastores puteos, ne aquâ absumtâ ab aliis, pecudes potus deficeret*, ut loquitur *Josephus* Lib. II. c. 11. Hinc quoque in Mesopotamia Charrenses pastores lapide os putei obturabant, ut constat ex Gen. Cap. XXIX, 2.

19. *Hausit*] *Hauriendo hausit.*

20. *Panem edat*] Hocest, cibum sumat, ut alibi passim. Peregrinos solebant honestiores invitare. Vid. ad Gen. XVIII, 5.

21. *Consensit postea*] ויואל *vajjoel*, quod potest etiam verti *voluit*, ut Deut. I, 5. LXX. Intt. omiserunt vertere, Vulg. *Et juravit*, quasi esset ab אלה *juravit*, ut 1. Sam. XIV, 24.

22. *Nomine Gersomum vocavit*] *Vocavit nomen ejus Gersom.* Videtur גרשם compoui ex גר ger *peregrinus* & שם schoum *ponere*, neque enim differentiam ש & שׁ & שׂ moramur. In libro de Nominibus Hebraicis explicatur גר שם *ger scham*, advena ibi.

 COM-

III. Deus Iſraëlitarum miſertus, mirificâ viſione Moſem ad propheticum munus vocat, mandatiſque inſtruit, ut fratres liberaturus in Ægyptum contendat.

23. MULTO pòſt tempore, deceſſit Rex Ægypti; & præ ſervitute *dudum* gemebant, & clamabant Iſraëlitæ, cùm clamor eorum ob ſervitutem ad Deum adſcendit. 24. Audivit ergo Deus eorum gemitum, fœderiſque *ſui* cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo memor fuit. 25. Vidit, cognovitque Deus Iſraëlitas.

1. Mo-

PARAPHRASIS.

23. QUADRAGINTA circiter pòſt annis, is Ægypti Rex, quo regnante, Moſes virum Ægyptium interfecerat, diem ſuum obiit. Per totum tempus, quo regnaverat, ſerviliter habiti Iſraëlitæ vix graviſſimum jugum tulerant, nec precibus Numinis auxilium implorare deſierant. Verùm fruſtra hactenus fuerant, 24-25. donec tempore liberationis olim promiſſo adventante, Deus, pollicitorum ſuorum memor, rationem Hebræorum tandem habere ſtatuit.

1. Eo ergo tempore, quo Moſes ſoceri Jethronis oves paſcebat, cùm eas in Chorebum, montem

COMMENTARIUS

In CAPUT II.

23. M*Ultò poſt tempore*] *Et fuit in diebus plurimis illis & mortuus eſt.* Nempe, per longum illud tempus, quo Moſes in Madianitide fuit; hoc eſt, intra quadraginta annos, ut colligitur ex Act. VII, 23. & hoc ipſo libro Cap. VII, 7.

Dudum gemebant] Aut debet hîc *dudum* ſubaudiri, aut repeti ἀπὸ κοινοῦ בימים הרבים ההם *in diebus plurimis illis*, quod eſt initio commatis; neque enim poſt mortem demum ejus Tyranni gemere cœperunt, ſed jam antequàm Moſes naſceretur; cùm aut intolerandis oneribus premerentur, aut ſobolem omnem maſculam interfici viderent.

Clamabant] Hoc eſt, aut inter ſe querebantur, aut Deum Iſraëlis clamoribus invocabant. Vid. Sam. II, 18. Eſai. XLVI, 2. & quæ diximus ad Gen. XVIII, 20.

Præ ſervitute] Repetitio eſt non neceſſaria, more Hebræorum.

Ad Deum adſcendit] Eſt ἀνθρωποπάθεια, quaſi Deus non audiiſſet Iſraëlitas, niſi poſt diuturnos & maximos clamores; ut homines ſolent, aliis rebus intenti. Diu ſe interdum orari patitur Deus, antequàm exoratum ſe eſſe ſignificet; ut intelligant homines quàm neceſſarium ſit ejus auxilium, virtutémque interea colant, quâ ſe ei gratos poſſe fieri norunt. Stultè *Lucianus* in *Timone*, poſtquàm induxit hunc vociferantem, & Deos incuſantem, ut tandem ad ſe Jovem converterit, hæc verba Mercurio tribuit: *οἷον ἦν τὸ μέγα κεκραγέναι, καὶ ὀχληρὸν εἶναι καὶ θρασύν· οὐ τοῖς δικαιολογοῦσι μόνοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς εὐχομένοις τοῦτο χρήσιμον: quantum erat altùm vociferatum eſſe, & moleſtum eſſe ac audacem? non cauſam dicentibus ſolis, ſed & vota facientibus hoc utile eſt.* Neque enim quiſquam umquam putavit à Deo magnâ voce conceptas preces faciliùs audiri; ſed ob cauſam, quam modò dixi, aliáſque ſimiles, diutiùs & majore contentione orari ſe vult Deus.

24. *Audivit &c.*] Ἀνθρωποπάθεια, ut in ſuperioribus. *Deus*, ait *Seneca* de Beneficiis Lib. V. c. 25. *quorum notitiam nulla res effugit, rogamus; & illos vota non exorant, ſed admonent.*

Fœderis] Quo pollicitus erat ſe eorum poſteros in Chananæam reduces facturum.

25. *Vidit cognovitque Deus*] *Et vidit Deus filios Iſraëlis, & cognovit Deus.* In hiſce repetitionibus, videtur eſſe aliqua ἔμφασις, ut ſup. Cap. I, 7.

In CAPUT III.

1. *Moſes interea Jithronis ſoceri &c.*] *Et Moſes erat paſcens oves*, per quadraginta annos, nimirum, quos in Madianitide fuit.

Et cùm egiſſet oves] *Et duxit oves poſt deſertum, & venit* &c. Dum paſcua, nimirum, ſequitur, per convalles montium; ubi humore è jugis fluente & umbrâ jugorum, alitur gramen. Neque enim putandum in hiſce deſertis nihil eſſe, præter aridas arenas, aut herbas tantùm pecori inſalubres; nam, ut Recentiorum omittam teſtimonia, conſtat ex hiſce Libris Iſraëlitas pecus in deſerto aluiſſe. Vide Levit. IX. & Numer. VII.

Lege etiam quæ habent *Pet. Belonius* Obſerv. Lib. II. c. 61. & ſeqq. & *Pet. Vallenſis* Part. I. Ep. XI. Cairo ſcripta, & locum *Joſephi*, quem mox adferemus.

In deſertum] מדברה *midbarah.* Nonnulli deducunt hanc vocem à ſignificatione Chaldaïca radicis *dbar*, quæ *ducere* ſignificat, quòd eò paſtum agerentur pecudes. Sed ſic per totam Judæam, & in fertiliſſimis potiſſimùm locis, fuiſſet מדבר, cùm tractus dumtaxat meridianus eo nomine vocetur in Scriptura. Itaque prætulerim conjecturam *Lud. de Dieu*, quam habet in Animadverſ. in Exod. XIV, 3. Exiſtimat מדבר deducendum ab Æthiopico דבר *mons*, ac ſanè deſerta Arabia, cui hoc nomen tribuitur, plena eſt montibus. Deinde ea vox loca ſola ſignificavit, & humano cultu deſtituta, qualia eſſe montoſa ſolent.

In

1. Moses interea Jithronis soceri sui Madianitarum sacerdotis, oves pascebat; & CAPUT
cùm egisset oves in desertum , in Chorebum Dei montem pervenit. 2. Tum ei III.
conspectus est Angelus Jehovæ , in ignea flamma, è medio rubo. Vidit *flammam*
Moses, ecce autem rubus igne ardebat, nec tamen absumebatur. 3. Moses verò,
huc, inquit, deflectam, ut magnum hoc visum cernam , & quî fiat ut non uratur
rubus. 4. Hîc conspicatus Jehova eum , ad visendum deflectentem ; clamavítque
Deus è medio rubo; &, Moses, Moses, inquit. *Hic verò* , adsum, ait. 5. Ne
huc *ita* accedas, inquit *Deus*; sed exue è pedibus calceos, locus enim cui insistis
solum sacrum est.
6. Tum subjecit: Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus
Ja-

tem Arabiæ desertæ, iu Madianitidis finibus, egisset; 2. subitò flamma è rubo procul emicuit, quæ oculos ejus ad se convertit. Cùm autem ea flamma diuturnior esset , quàm videbatur posse pari materia quâ alebatur , Moses miratus rubum nou absumi , 3. propiùs accedere statuit, rei mirandæ causam, si fieri posset, cogniturus. 4. Itaque eò gressus tulit, cùm ecce clarâ voce nomen ejus è medio rubo ingeminatur ; cui voci cùm respondisset, jussus est antequàm propiùs accederet, calceos exuere, eum enim locum Deo consecratum, nec pulverulentis calceis esse calcandum.

6. Deinde Angelus, qui Dei uomine eum alloquebatur : Ego sum, inquit, idem ille Deus qui Abrahamo, Isaaco & Jacobo, eorúmque posteris constanter fauturum me esse spopondi. Quibus ver-

Iu Chorebum] חרבה hhorebah. Mons est in Scriptura celeberrimus , qui solet cum Sinaï monte coufundi , quòd sint duo juga uuius , ejusdémque montis , quorum jugorum quod Sinaï dicitur est ad Occidentem , quod Horeb ad Orientem. Vide *Pet. Belonium.* Lib. II. Cap. 62, & 63. Hieronymus de locis Hebraïcis ex *Eusebio: Choreb mons Dei , in regione Madian , juxta montem Sina, supra Arabiam in deserto, cui jungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Mihi autem videtur quod duplici nomine idem mons, nunc Sina, nunc Choreb vocetur.* Coufer Exod. XIX, 20. XXXIII. „ 6. Duo sunt, inquit *Pet. Vallen-* „ *sis* loco laudato, montes uno iu loco , hoc „ est, Horeb & Siuaï, qui ambo nascuntur, ut „ ita dicam, ex radice uua, & dividuntur po- „ stea jugis, quò altiùs adscenditur. Cave autem credideris viris eruditis , qui nomen חרב *hhoreb* huic monti factum aiunt , quòd sit *siccus*; nam חרב *siccum esse* significat. Sinaï quidem aqua caret, exceptâ pluviâ; Chorebus verò fontibus abuudat , ut docet eo loco, quem jam laudavimus, *Pet. Belonius.* Quia loca sicca deserta esse soleut, ideò חרב aliquando desertum sonat, etiam ubi nulla siccitas est. Atque hac de causa montem hunc desertum חרב dictum potiùs crediderim.

Dei montem] Duplice de causa dici potest Chorebus *mons Dei*, sive ob altitudiuem, sive quia Deus postea iu eo Legem Israëlitis tulit, ut sit hîc Prolepsis. Psalm. XXXVI, 7. altissimi montes הררי אל harere el *montes Dei* dicuntur. Ac sanè id jugum, quod Siuaï vocatur, altissimum esse constat. „ Sinaï , inquit *Belonius*, „ Horebo multo altior est, & quemadmodum „ mous Athos umbram in Lemnum projicit, „ quando sol occasui proximus est : sic mons „ Siuaï Horebum obumbrat , sole oriente. „ — Undequaque cinctus est montibus, mul- „ tóque est editior moute Oeta iu Græcia, aut „ Ida in Creta; sed , meo judicio, non æquat „ altitudinem montis Olympi Phrygiæ. Atta- „ men eò usque adsurgit, ut facie ad meridiem „ versâ , facilè duo littora Arabici sinûs cerne- „ remus,eúmque in arcum flexum videremus &c. Vide & *Petrum Vallensem* Part. I. Ep. XI. Caïro scripta. Sed cùm frequentes sint , in hisce libris, uominum Prolepses, potuit à Mose ia mons adpellari *Mons Dei*, ob alteram rationum adlatarum. Vide similia προλήψεως exemplum Gen. XXI, 14. Utrumque in hac historia conjunxit *Josephus* , sed addit antea apud accolas vulgò creditum à Deo eum montem iuhabitatum fuisse. Χρόνῳ δ' ὕστερον , inquit , νέμων , ἐπὶ τὸ Σιναῖον καλούμενον ὄρος ἄγει τὰ ποίμνια· τοῦτο δὲ ἐστιν ὑψηλότατον τῶν ταύτῃ ὀρῶν, καὶ πρὸς νομὰς ἄριστον, ἀγαθῆς φυομένης πόας , καὶ διὰ τὸ δόξαν ἔχειν ἐνδιατρίβειν αὐτῷ τὸν Θεὸν οὐ κατανεμηθείσης πρότερον , οὐ τολμώντων ἐμβατεύειν εἰς αὐτὸ τῶν ποιμένων : *postea pascens ad Sinæum montem agit pecudes. Hic est altissimus montium qui illic sunt , & ad pascua optimus , bonâ uascente herbâ , & propter opinionem quam habebant accolæ Deum illic degere , priùs non depasta , pastoribus non audentibus in illum ire.* Sed hoc postremum fortè Rabbinicum est commentum , ex Mosis verbis temerè fictum ; ut talia multa , quæ apud Judæos passim occurrunt.

2. *Angelus Jehovæ*] *In quo Deus erat* , ut loquitur *Augustinus.* Vide not. ad Gen. Cap. XVI, 13. & XVIII, 1. Hinc Moses Deut. XXXIII. 16. Josephi posteris adprecatur *benevolentiam ejus qui habitabat rubum.*

In ignea flamma] *In flamma ignis :* hoc est, sub specie flammæ. Chaldæi veteres , si *Jamblicho* credimus , inter alias species , sub quibus humanâ præstantiores Naturæ se se hominibus conspiciendas præbent , igneam esse , & varia flammæ discrimina , pro Naturæ sub ea latentis præstantia , observarant. Sic ille , inter alia , Sect. II. c. 4. de Mysteriis : τὸ μὲν τῶν Θεῶν πῦρ ἄτομον , ἀφθέγκτως ἐκλάμπει , καὶ πληροῖ τὰ ὅλα βάθη τοῦ κόσμου. Τὸ δὲ τῶν Ἀρχαγγέλων , ἀμέριστον μὲν , ἔχον δὲ περὶ ἑαυτὸ , ἢ πρὸ ἑαυτοῦ προπορευόμενον , ἢ μεθ' ἑαυτὸ συνεπόμενον πολὺ πλῆθος θεωρεῖται. Τὸ δὲ τῶν Ἀγγέλων διῃρημένον πῦρ , πλὴν ἐν ταῖς γε τελειοτάταις ἰδέαις διαφαίνεται : *Deorum ignis individuus , ineffabilisque emicat , impletque totum cœli profundum. Archangelorum verò ignis etiam individuus , habens circa se , aut ante se præeuntem , vel post se sequentem magnam multitudinem cernitur. At Angelorum ignis divisus est , attamen in perfectissima specie apparet.*

Jacobi. Moses autem faciem suam texit, Deum enim adspicere veritus est. 7. Jehova verò, populi mei, inquit, qui in Ægypto est, ærumnam vidi, clamorem ejus propter exactores audivi, dolores novi. 8. Itaque ut eum è manu Ægyptiorum liberem, descendi, útque educam ex hac terra in regionem bonam, & amplam, in regionem lacte & melle fluentem, in locum Chananæorum, Chitthæorum, Emoræorum, Pherizzæorum, Chivvæorum & Jebusæorum. 9. Tandem ad me pervenit Israëlitarum clamor, & oppressionem, quâ eos premunt Ægyptii, vidi. 10. Nunc ergo adesdum, & te ad Pharahonem mittam; populúmque meum, Israëlitas ex Ægypto educito. 11. At

verbis auditis, Moses faciem veste texit, ne divinitus accensæ flammæ splendore occæcaretur. 7. Interea Angelus: vidi, inquit, quibus malis prematur in Ægypto populus meus; 8. eóque animo è cœlo descendi, ut eum liberem, liberatumque fertilissimis Chananæorum agris donem. 9. Tandem enim tempus venit, quo ejus preces exauditurum me pollicitus sum. 10. Te autem legati mei, apud Ægypti Regem, munere functurum elegi, ut ab eo Hebræis exeundi Ægypto potestatem impetres. Itaque te huic muneri obeundo paratum esse oportere scito. 11. Moses veru se tanto negotio ineptum esse dicere, & legationem, si per Deum liceret, detrectare. 12. At Angelus adfuturum ejus cœptis Deum reposuit, quod cùm multis aliis indiciis esset intellecturus, tum etiam quando Deum circa hunc montem, cum toto Israele, culturus esset. 13. Hic Moses: si ive-

E medio rubo] מתוך הסנה *mitthoch hassench.* Hinc dictum volunt montem סני *sinai*, quasi *rubi montem*, ex mirabili hoc viso. Arbores & arbusta eorum locorum vide apud *Pet. Belonium.* Lib. II. c. 66.

Nec tamen absumebatur] *Et rubus non absumtus.* Oportet aliquamdiu hoc durasse visum, quo factum est ut Moses rubum non absumi miratus sit. Ut autem è longinquo animadvertere posset, oportet flammam hanc fuisse tenuissimam, &, si ita loqui liceat, limpidissimam; alioqui flamma crassior, aut fumus admistus rubi ramorum conspectum intercepisset. Atque hoc ipsum est, quod *Jamblichus* videtur vocare τελεωτάτην ἰδέαν πυρὸς *perfectissimam speciem ignis.*

3. *Huc, inquit, deflectam*] Hoc est, propiùs accedam, à grege aliquantum deflectens. Apud se hæc dixit Moses.

Qui fiat ut non uratur] מדוע לא יבער *maddouah lo jibbar.* De prima voce diximus ad Cap. II, 18. Hic בער est *absumi*, commate superiore *flammare.* Vide ad vers. 15. Capitis superioris.

4. *Hic conspicatus Jehova*] *Et vidit Jehova quod deflecteret ad videndum.*

Clamavitque Deus] Organo Angeli. Vide not. ad Genes. Cap. XVI, 13. XVIII, 1.

5. *Ne huc ita accedas* &c.] Aut est sensus, quem versione expressimus, aut hic: ne huc veneris, sta in eo loco in quo es, & calceos etiam exue, atque à te abjicito.

Exue è pedibus calceos] Idem, eadémque de causa jubetur Josua Cap. V, 15. Cùm munditiès in Sacris requireretur, ut diximus ad Gen. Cap. XXXV, 1. pars hæc munditiei fuit, ut pulverulentis calceis, aut lutulentis abjectis, loca divino cultui consecrata, propteréaque omnibus immunditiis purgata, nudis pedibus ingrederentur. Hoc, præ ceteris populis, munditiei studiosi Ægyptii factitasse videntur. Certè à Pythagora, cujus instituta pleraque ex Ægyptiis deducta erant, hoc præceptum discipulis, ut auctor est *Jamblichus* in ejus vita §. 89. Θύειν χρὴ ἀνυπόδετον καὶ πρὸς ἱερὰ προσιέναι, *oportet immolantem calceis carere, & sic ad sacra accedere.* Iterum §. 105. Ἀνυπόδητος θῦε καὶ προσκύνει: *sacra facito & adora excalceatus.* Aliæ gentes idem fecerunt, ut ostendit vir eruditus *Joan. Dougtæus* in Analect. Sacris, ad hunc locum. Huic ergo mori, non à Mose instituto, sed dudum recepto, se se hîc adtemperavit Deus, quod & sæpiùs aliàs fecit. Ac sanè ut Mosi, Ægyptiis moribus adsueto, reverentia major injiceretur, maxima signa externæ reverentiæ huic loco exhibere juberi eum oportuit.

Justinus Martyr, qui Ethnicos passim furti incusat, quasi & dicta Hebræorum surripuerint, & eorum mores imitati sint, ait Dæmonas hoc quoque æmulatos, Apol. II. p. 95. Τὸ ὑπολύεσθαι, inquit, ἐπιβαίνοντας τοῖς ἱεροῖς, καὶ τοῖς αὐτοῖς τοὺς θρησκεύοντας κελεύεσθαι ὑπὸ τῶν ἱερατευόντων, ἐκ τῶν συμβάντων Μωσεῖ τῷ εἰρημένῳ προφήτῃ μαθόντες οἱ Δαίμονες ἐμιμήσαντο: *quod fana eorum ingredientes calceos deponunt, & cultores eorumdem idem facere sacerdotes jubent, per imitationem ejus quod Mosi Prophetæ, quem diximus, acciderat, instituerunt Dæmones.* Verùm rem tantillam homines satis invenire potuerunt, nec opus fuit, aut Dæmonas Deum imitatos, aut Deum eam primùm instituere. Nec mihi credibile fit Deum, *qui est*, ut loquitur Christus, *spiritus*, corporeos ejusmodi ritus umquam non modò instituturum, sed ne probaturum quidem institutos fuisse; nisi infirmitati hominum se adcommodare voluisset, & erga eos more humano agere. Certè ubi primum magis sapere homines cœperunt, temporibus Messiæ, eos omnes abrogavit.

Solum sacrum est] *Sanctum.* Hoc est, propriè mundum, sed intelligitur ab Angelo præsente veluti consecratum; ideóque non minore reverentiâ calcandum, quàm templa sanctissimis cærimoniis dedicata. *Sanctum* dicitur quidquid Deo, quacumque ratione, sepositum est, unde Templum מקדש mikdasch, *sanctuarium* passim vocatur. Igitur cùm propriè hæc verba significent, *ne locum purum immundis calceis conspurces*, eo ritu significat Angelus, si quis ad Deum precibus, aut sacris, ut ita dicam, accedere velit, vitiis omnibus purgare animum oraturum aut sacra facturum oportere; quod nisi faciat, irritam omnem esse Religionem, quâ Deum colere videtur. Eadem de causa, apud alias Gentes, cùm illotis pedibus & manibus sacra facere nefas habebatur, tum etiam præ-

11. At Moses Deo, quis ego sum, inquit, ut eam ad Pharahonem, útque Israëlitas
ex Ægypto educam? 12. *Deus* verò: eam ob rem, ait, tecum ero, atque hoc tibi
signum erit te à me missum esse, quòd, cùm populum ex Ægypto eduxeris, in hoc
monte Deum coletis. 13. Hìc Moses Deo, en, inquit, iturus sum ad Israëlitas, eis-
que dicturus: Deus patrum vestrorum me ad vos misit; si dixerint mihi, quodnam
ejus nomen est? quid eis reponam? 14. Tum Deus Mosi, ero, inquit, qui ero.
Sic *ergo* ait, dices Israëlitis: Ero misit me ad vos. 15. Subjecit præterea Deus
Mosi, sic Israëlitas alloqueris: Jehova Deus patrum vestrorum, Deus Abraha-
mi,

ivero, inquit, ad populares meos nomine tuo, méque missum à Deo Majorum nostrorum dixero, ii verò à me nomen tuum quæsiverint, quid vis me iis respondere? 14. Angelus verò, parum interest, ait, quomodocumque me vocaveris perinde erit; dicito te missum esse à Deo qui hoc tibi, nomen quærenti, respondit. 15. Postea tamen, Hebræorum imbecillitati se se adcommodans Angelus, vocabor, inquit, quandoquidem nomine singulari adpellari me vultis, Jehova, quo nomine is qui præstat quod promisit, & efficit ut sit, significatur. Dices ergo popularibus tuis: me ad vos misit Jehova, Deus qui majoribus vestris favit, & quod iis promisit nunc est effecturus. Hoc enim in posterum erit nomen meum, ne solo Dei nomine, quod immeritò etiam aliis tribuitur, adpeller. 16. Igi-

præconis voce à sacris sceleribus contaminati abscedere jubebantur. Vide quæ collegit hac de re *Barnabas Brissonius*, initio libri *de formulis*.

6. *Tum subjecit*] *Et dixit.*

Deus patris tui] Hoc est, πατρῷος θεός. Majorum tuorum Deus. Vid. not. ad Genes. Cap. XXI, 5, 53.

Texit] יסתר jasther, *abscondit*, nimirum, veste.

Deum adspicere] Hoc est, speciem illam igneam, quam rei ignarus prospexerat, & propiùs visurus accesserat. Vitæ, aut oculis timebat, qua de re diximus ad Genes. Cap. XVI, 13.

7. *Aerumnam vidi* &c.] Synonymorum repetitio non sine ἐμφάσει esse videtur. Vide Indicem in voce *Repetitio*.

Exactores] נגשים *nogeschim*, qui sunt ἐργοδιῶκται de quibus ad Cap. I, 11.

8. *Descendi*] E cœlo. Vide not. ad Gen. Cap. XI, 5.

Bonam] Fertilem. Vide not. ad Gen. Cap. XLIX, 25.

Amplam] רחבה *rhhaba*. Quamvis maxima esset Ægypti inferioris fertilitas, attamen tanto populo Nomus, in quo degebat, dudum arctior visus fuisset necesse est. Ideóque Deus non fertilem modò regionem pollicetur, sed etiam amplissimam. Hæc autem amplitudo non ea modò est censenda, quæ fuit regionis quam re ipsâ postea occuparunt Hebræi, sed ex finibus agrorum, quos eorum armis permisit Deus, æstimanda. Vide quæ diximus ad Genes. Cap. XV, 17.

Ceterùm dignum est, quod huc transferatur *Aristeæ* de Judæa judicium. Jerosolimam optimè sitam esse ait, τῆς χώρας πολλῆς οὔσης καὶ καλῆς, καὶ τινῶν μὲν πεδινῶν, τῶν κατὰ τὴν Σαμαρεῖτιν λεγομένην, καὶ τῶν συναπτόντων τῇ τῶν Ἰδουμαίων χώρᾳ· τινῶν δὲ ὀρεινῶν, τῶν πρὸς τὴν γεωργίαν καὶ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς γῆς γίνεσθαι συνεχῶς, ἵνα καὶ διὰ τοῦτο οὗτοι τὴν εὐκαρπίαν ἔχωσιν· οὗ γενομένου, γεωργεῖται πάντα δαψιλείας πολλῆς ἐν πάσῃ τῇ προειρημένῃ χώρᾳ: *regio cùm sit ampla & bona, & quædam sint campestria, ad tractum qui Samaritis dicitur, & ubi Idumææ contigua sunt; alia verò sint montana, ubi agri cultura & cura perpetua indigent, ut & hi fertilitatem habeant, ex quo fit ut omnia excolantur, magnáque sit per totam memoratam terram abundantia.* Et paullò post: μεγάλη ἐστὶν ἡ τῶν γεωργημάτων φιλοπονία. καὶ γὰρ ἐλαϊκοῖς πλήθεσι σύνδενδρός ἐστι, καὶ σιτικοῖς καρποῖς αὐτῶν ἡ χώρα, καὶ ὀσπρίοις, ἔτι δὲ ἀμπέλῳ καὶ μέλιτι πολλῷ. τὰ μὲν τῶν ἄλλων ἀκροδρύων καὶ φοινίκων οὐδ' ἀριθμεῖται παρ' αὐτοῖς. κτήνη τε πολλὰ παμμιγῆ, καὶ δαψιλὴς ἡ τούτων νομή: *est ibi magnum studium agriculturæ, ideóque eorum regio consita est plurimis oleis, & frumenti ferax, & leguminum, & vitis etiam, & multi mellis. Cùm aliæ frugiferæ arbores, tum etiam palmæ apud eos non numerantur. Pecora omnis generis sunt multa & copiosum pabulum.* *Hecatæus* apud *Josephum* contrà Apionem Lib. I. p. 1049. de universa gente Hebræorum, ejúsque sub Ptolemæis finibus: τριακοσίας μυριάδας ἀρουρῶν, σχεδὸν τῆς ἀρίστης καὶ παμφορωτάτης χώρας νέμονται, φησίν· ἡ γὰρ Ἰουδαία τοσαύτη πλῆθός ἐστι: *penè decies trecenta millia Ararurum* (Arura est C. cubitorum quaquaversum. *Herodotus*. Lib. II. C. 168.) *optimi & fertilissimi soli habent. Nam Judæa hujus est amplitudinis.* Quod tamen vix crediderim.

Lacte & melle fluentem] Hoc est, in qua potest ali ingens copia pecoris, & plurimæ apes haberi; quæ duo, cùm in maximo haberentur pretio, fertilissimam & beatissimam regionem descripturi solebant Hebræi conjungere. Modò autem, ex *Aristeæ* verbis, vidimus & gregibus & apiariis abundasse Judæam. Hæc phrasis occurrit infrà Cap. XIII, 5 XVI, 31. XXXIII, 3. & alibi sæpiùs, ut eam esse παροιμιώδη intelligamus. Similiter dixit Jobus Cap. XX, 17. *torrentes mellis & butyri*: quemadmodum etiam Poëtæ Græci & Latini sæculi aurei fertilitatem, *fluminibus lactis & mellis*, descripserunt, quorum loca congessit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. IV. c. 12.

Chananæorum &c.] *Chananæi*, *Chitthæi* &c. singulari numero pro plurali, ut passim. Pro decem autem familiis, quarum agros Israëlitis pollicetur Deus Gen. XV, 19. & seqq. hic sex tantùm appellantur, fortè quòd celebriores erant. De Chananæis κατ' ἐξοχὴν dictis, vide notata ad Gen. XII, 6.

9. *Tandem ad me pervenit*] *Et nunc ecce clamor* &c. *Ecce* hìc non potest significare rem subitam, cùm à quadraginta minimùm annis gravissimè vexarentur Israëlitæ.

11. *Quis ego sum* &c.] Hoc est, is non sum, qui

mi, Deus Isaaci, Deus Jacobi ad vos me misit, hoc nomen mihi in perpetuum *erit*, hoc meum in ætates futuras vocabulum. [16] Ito, senésque Israëlis convocato, ac iis dicito: Jehova, Deus patrum vestrorum à me conspectus est, Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, dixitque: vos respexi, & quod in Ægypto vobis factum est; [17] dixique: ex Ægyptiaca ærumna, vos educam in terram Chananæorum, Chitthæorum, Emoræorum, Pherizzæorum, Chivvæorum & Jebusæorum; in terram lacte & melle fluentem. [18] Audient verò illi vocem tuam, & tu, senésque Israëlis Regem Ægypti convenietis, eíque dicetis: Jehova Deus Hebræorum no-

[16] Igitur convocatis Israëlitarum senibus, dices te à Jehova esse missum, qui ærumnarum, quas in Ægypto patiuntur, rationem ab Ægyptiis mox repetet, [17] & Hebræos ex Ægypto in Chananæam copiosissimam regionem, transferet. [18] Te tantæ rei nuncium cupidè excipient, unáque cum iis ibis ad Regem Ægypti, cui dicetis Deum vestrum sese vobis revelasse, & jussisse à populo Hebræo, per triduum in desertam Arabiam progresso, sibi sacra fieri. [19] Novi equidem à Pharahone potestatem exeun-

qui possim rem tantam adgredi. Interrogationes sæpe vim negandi habent, & hæc frequens est. Vid. 1. Sam. XVIII, 18. Rom. IX, 20.

12. *Eam ob rem*] כי *chi*, quod pleniùs על כי *hal chi* exprimi solet. Vide Gen. XXII, 17. & quæ ibi notavimus.

Hoc tibi signum erit] Ne credas casu factum, ut Rex Ægypti Israëlitas, te ad eum oratore misso, dimiserit, cùm multa alia, tum etiam hoc, quod tibi prædico, obstabit. Atque hoc eventus comprobavit. Vide infrà Cap. XIX.

13. *Iturus sum*] בא *ba*. Participium interdum rem futuram, & quidem primo quoque tempore significat. Vide not. ad Genes. Cap. VI, 17. & infrà C. IV, 14.

Si dixerint mihi] ואמרו *veameron*. Aut autem subaudiri oportuit אם *im*, *si*, aut conjunctionem *Vau* ejus loco esse. Vide not. ad Gen. XXXIII, 13.

Quodnam ejus nomen est] Si rem in se spectemus, Deus Deorum, qui unicus est, nullo indiget vocabulo, quo quasi nomine proprio distinguatur ab aliis Naturis, cùm unica tantùm *Deorum* ꝫ *Deus* adpellari possit. Hinc veteres Christiani πολυωνυμίαν Deorum riserunt, noménque ullum Deo esse negarunt. Omnium instar erit *Lactantius* Inst. Divin. Lib. I. c. 6. *Trismegistus*, inquit, *Deum* ἀνώνυμον *esse dixit, eò quod nominis proprietate non egeat, ob ipsam, scilicet, unitatem. Ipsius hæc verba sunt*, ὁ δὲ Θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται· ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. *Deo igitur nomen non est, quia solus est; nec opus est proprio vocabulo, nisi cùm discrimen exigit multitudo, ut unamquámque personam suâ notâ & adpellatione designes. Deo autem, quia semper unus est, proprium nomen est Deus.*

Attamen, quia, temporibus Mosaïcis, multæ Naturæ, eæque diversissimi generis nomine אלהים *elohim* indigitabantur; potuit existimare Moses, cum Israëlitis nondum diu versatus, Deum Israëlis singulari nomine solere adpellari; quod quæsivit, ut eo apud Israëlitas uteretur. Homo in Ægyptiorum disciplinis institutus, necdum prophetico lumine illustratus, errare ea in re, nec periculoso sanè errore, facilè potuit. Deorum nomina ab Ægyptiis inventa fuisse prodidit *Herodotus* Lib. II. c. 4. Δυώδεκα θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν: *duodecim Deorum cognomina aiunt primos Ægyptios in usu habuisse, & Græcos ab illis mutuatos.* Vide & Cap. 50. & seqq. Similia habet scriptor libelli de Dea Syria: πρῶτοι οὐνόματα ἱρὰ ἔγνωσαν, *primi nomina sacra tenuerunt.* Postea etiam, ut superstitio lapsu temporis augetur, longè plurima nomina uni Deo imposuerunt; unde *Isis* dicta est μυριώνυμος, ut auctor est *Plutarchus* in Libro *de Iside & Osiride*. Vide & preces *Apuleii* Lib. Metam. X. Cùm ergo tempore Mosis, Ægyptii Deorum suorum nomina haberent; mirum non est Mosem ab uno vero Deo, nomen quodnam esset, petiisse.

14. *Ero qui ero*] אהיה אשר אהיה *ehjeh ascher ehjeh*. Hîc, ut multi putarunt, non edit nomen suum Deus, sed Mosis quæstionem obiter castigat. Nam in sequentibus manifestò *Jehovam* se se vocat, neque usquam alibi legitur vox *Ehjeh*, quasi Dei nomen. Hoc igitur velle videtur: non est quòd nomen meum quæras, quod nullum mihi hactenus tribui, is ERO Israëli Deus, qui ERO; quocumque me nomine adpellitent, perinde est; seu, eo nomine adpellari me patiar, quo adpellabor. Ea est vis repetitionis ejusdem verbi, cujus vide exempla ad Gen. Cap. XLIII, 13.

LXX. Intt. verterunt ἐγώ εἰμι ὁ Ὤν, *ego sum qui sum*, qui egregius quidem est sensus, sed ex Platonismo, ut videtur, deducendus, potiusquàm ex loci serie. Vide *Eusebii* Præpar. Evang. Lib. IX. c. 9. *Philo* ipse, qui ubique & in hoc etiam loco πλατωνίζει, vidit tamen hîc non edi nomen à Deo, sed contrà non opus esse sibi nomine significari. Prolatis enim memoratis verbis, in Lib. I. de vita Mosis: ἵνα, inquit, μαθόντες διαφορὰν ὄντος προσαναδιδαχθῶσιν ὡς οὐδὲν ὄνομα ἐπ᾽ ἐμοῦ τὸ παράπαν κυριολογεῖται, ᾧ μόνῳ πρόσεστι τὸ εἶναι: *ut cognito discrimine ejus quod est, & quod non est, discant nullum prorsus nomen mihi propriè tribui, cui soli esse competit.*

Ero misit me] אהיה שלחני *ehjeh schlahhani*, hoc compendiosè dicitur ἀντὶ τοῦ: האלהים אשר אמר אלי כאשר שאלתי שמו אהיה אשר אהיה האלהים ההוא שלחני: *is Deus qui dixit mihi, cùm rogavi nomen ejus, Ero qui ero, is Deus, inquam, misit me.* Noluisse Deum dicere Mosem *Ehjeh* nomen ejus esse sequens versus satis, ut diximus, ostendit & perpetuus Sacrorum Scriptorum usus. Volunt quidem nonnulli אהיה idem esse ac יהוה, & prius quidem à Deo ipso primâ personâ, posterius tertiâ ab hominibus usurpari; sed si אהיה haberetur quasi nomen proprium, non minùs adhiberi ab homini-

nobis occurrit; nunc ergo trium, quæsumus, dierum iter in desertum progrediamur, ut illic Jehovæ Deo nostro sacra faciamus. 19. Ego autem novi Regem Ægypti vos ire non permissurum, nisi manu prævalidâ *coactum*. 20. Itaque manum exseram, Ægyptúmque miraculis meis omnibus, quæ in ea edam, feriam; ac postea vos dimittet. 21. Gratiam huic populo apud Ægyptios conciliabo, neque cùm discedetis, vacui ibitis; 22. sed singulæ mulieres, à suis vicinis & inquilinis vasa argentea & aurea petent, & vestes, quas filiis, filiabúsque vestris imponetis, atque *ita* Ægyptum spoliabitis.

9. Re-

exeundi vos nequaquam impetraturos, nisi eum plurimis cladibus coegero; 20. sed tot edam in Ægypto prodigia, tótque malis Ægyptiacam superbiam frangam, ut tandem vos sit dimissurus. 21. Eodem tempore, faciam ut apud ceteros Ægyptios quidquid petieritis impetretis, 22. vosque vasibus suis aureis, argentísque ac vestibus pretiosissimis onustos abire non ægrè patiantur; quo fiet ut Ægypti spoliis ditescatis.

8. Tum

minibus potuit quàm à Deo, nam in nominibus nullæ spectantur personæ; aut saltem à Deo de se alibi loquente. Deinde superiora verba *Ero qui ero*, ad quæ hîc manifestò respicitur, hujus vocis sensum satis declarant. Denique sine ratione ponunt legendum *Jeheveh* aut *Jiveh*, hoc est, erit, cùm nullum ejus pronunciationis vestigium in Veteribus exstet.

15. *Subjecit præterea*] *Et dixit præterea.* Cùm Deus θεοπρεπῶς esset loquutus, & se nomine proprio non indigere significasset; nunc συγκαταβάσει usus, quoniam hoc humana postulabat inscitia, nomen proprium hoc quod sequitur sibi fore pronunciat. Quod aliquatenus expressit *Philo*, loco laudato, ubi hæc sequuntur verba: ἐὰν δὲ ἀσθενέστεροι τὰς φύσεις ὄντες ἐπιζητῶσι προσρήσεως, δήλωσον αὐτοῖς μὴ μόνον τοῦθ᾽ ὅτι καὶ τριῶν τῶν ἐπωνύμων ἀνδρῶν ἀρετῆς, Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ Θεὸς Ἰακώβ: *si naturâ debiliores requirent adpellationem, indica non tantùm esse me Deum, sed etiam trium virorum a virtute denominatorum, Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi.* Cùm apud Ægyptios, aliásque Gentes, qui *Dii*, sive אלהים vocabantur propriis nominibus adpellari solerent, Israelitæque & Moses dudum inter eas Gentes versarentur; ne se cum Numine Ægyptiaco confunderent, nomen ipse sibi indit, se se eorum inscitiæ adtemperans.

Jehova] יהוה, de quo mox additur, *hoc nomen mihi in perpetuum erit, hoc meum in ætates futuras vocabulum*, quæ verba ostendunt nomen hoc, antea inusitatum, in posterum à Deo sumi. Quod etiam liquet ex Cap. VI, 3. Attamen de hac voce quatuor quæruntur, dissentientibus Eruditis, primùm, an ante Mosem nota fuerit? Secundò, quare eam LXX. Intt. veterésque alii Judæi Græcè loquentes voce κύριος verterint? Tertiò, an sit vera pronunciatio, quæ ex punctis ei adpositis nascitur. Quartò, quid hac voce significetur? Quæ paucis hîc nobis sunt expedienda.

I. Ad primum quod adtinet, nobis videtur, antequàm Moses nomen Dei quæreret, nullum fuisse, quod proprium dici posset, idque iterum ad Cap. VI 3. ostendemus. Unum huic sententiæ objicitur, quòd, nimirum, in Genesi passim vox יהוה adhibeatur; cùm ubi homines Deum adpellant, tum etiam ubi de se ipse loquens inducitur Deus, ut Gen. XV, 2, 7, 8. Verùm nihil obstat quominùs Moses velut προλήψει, hac in re, ut in multis aliis usus sit, & loquentibus stylum sui ævi adcommodet, ut alibi observavimus. Nec quamvis directæ orationes referantur, ideò putandum ipsissima verba referri; nam Hebræi vix aliter quemquam loquentem inducunt in Historiis suis, quamquam ejus dictorum sensum tantùm referunt, quod & plus semel monuimus.

II. Ad alteram quæstionem quod spectat, quamvis, ex tota Veteris Testamenti Scriptura, manifestò liqueat nomen יהוה vulgò æquè usitatum fuisse, & in sermone quotidiano adhibitum ac אלהים; attamen haud minùs constat, post Captivitatem Babylonicam, veritos esse Judæos id nomen efferre, usósque esse aliis nominibus, potiùs adpellativis quàm propriis. Cujus rei rationem, quæ verisimillima videtur, postea indicabimus. Nunc satis est rem ipsam, extra dubitandi aleam collocari. Certè si vulgò hoc nomen efferri solitum fuisset, iis temporibus, saltem sub Ptolemæorum regnis; aliqua ejus adparerent vestigia alicubi in libris tertio Esdræ, Tobiæ, Judithæ, Adjectionum ad Estheram, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruchi, Adjectionum ad Danielem, aut Machabæorum, qui Græcè tantùm exstant. Videremus eum sonum Græcè quadamtenus saltem expressum, ut ΙΑΥΩ, aut ΙΑΤΗ, aut ΙΑΥΕ, aut ΙΕΩΥΑ, aut quocumque alio modo legeretur: quemadmodum videmus nomina propria fictorum Deorum & hominum, Græcis elementis expressa, prout saltem licuit. Quod cùm nusquam fiat, hinc sanè liquet illicitam ejus nominis prolationem, in libris & sermone quotidiano, credidisse tunc temporis Judæos. Vocatur dumtaxat, in iis libris, aut Θεὸς, aut ὕψιστος, aut κύριος, etiam ubi nomen proprium videtur debuisse poni, ut Judithæ IX, 10. Κύριος ὄνομά σοι, *Dominus nomen est tibi.* Nimirum, Hebraïcam vocem proferre non audebant, quod disertè non de suo tantùm tempore, sed de superioribus ætatibus *Philo* nos docet Lib. III. *De vita Mosis* p. 519. Χρυσοῦν δὲ πέταλον ὡσανεὶ στέφανος ἐδημιουργεῖτο, τέτταρας ἔχον γλυφὰς ὀνόματος, ὃ μόνοις ὦτα καὶ γλῶτταν σοφίᾳ κεκαθαρμένοις θέμις ἀκούειν καὶ λέγειν ἐν ἁγίοις, ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ τὸ παράπαν οὐδαμοῦ: *lamina aurea quasi corona facta erat, quatuor habens insculptas litteras nominis, quod solis, qui sapientiâ aures & linguam purgata habent, fas est audire & dicere in sacris, nemini verò prorsus alii, ullo in loco.* Eodem Libro p. 529 Εἰ δέ τις οὐ λέγω βλασφημήσειεν εἰς τὸν ἀνθρώπων καὶ θεῶν κύριον, ἀλλὰ καὶ τολμήσειεν

 ἀκαί-

CAPUT IV.

1. Respondit verò Moses, atque, mihi, inquit, non credent, neque voci meæ obsequentur, dicent enim: à te Jehova non est conspectus. 2. At Jehova illi, quid est, ait, in manu tua? Virga, inquit *Moses*. 3. Eam, ait *Deus*, in terram abjicito. Eam abjecit in terram, & facta serpens à Mosis conspectu fugiebat. 4. Tum verò Jehova Mosi, exsere manum & caudam ejus adprehende. Exsertâ ille manu, cau-

1. Tum Moses, sed si Hebræi, inquit, mihi nolint credere, negéntque mihi Deum Majorum suorum adparuisse, quo modo dictis meis fidem faciam? 2. Angelus verò quid manu gereret sciscitatus, ubi virgam esse accepit, 3. eam in terram abjicere Mosem jussit. Vix autem abjecta erat, cùm ecce, (mirabile dictu!) in serpentem conversa Mosem fugere cœpit. 4. At Angelus Mosi imperavit audacter caudam fugientis serpentis adprehendere; quam statim ac adripuisset, pristinam in manu sua vit-

ἀκαίρως αὐτοῦ φθέγξασθαι τοὔνομα, θάνατον ὑπομενέτω τὴν δίκην: *si quis non verbo blasphemarit in dominum hominum & Deorum, sed ausus fuerit intempestivè ejus proferre nomen, subeat pœnam mortis.* *Josephus* etiam, in hac ipsa historia: ὁ Θεὸς αὐτῷ σημαίνει τὴν ἑαυτοῦ προσηγορίαν, οὐ πρότερον εἰς ἀνθρώπους παρελθοῦσαν, περὶ ἧς οὔ μοι θέμις εἰπεῖν: *Deus ei significat adpellationem suam, quæ non priùs ad homines pervenerat, de qua mihi non licet dicere.* Docent etiam Recentiores Rabbini, illicitum fuisse apud Majores suos id nomen pruferre, nisi in sacerdotali benedictione in Sanctuario, die jejunii, prolata; quorum loca vide apud *Sixt. Amamam*, in Dissert. de nomine *Jehova*.

Hac de ratione LXX. Intt. voci יהוה substituerunt vocem Κύριος, quæ nullam adfinitatem cum voce Hebraica habet, sed κατ' ἐξοχὴν sumta κύριον κυριεύοντα significare potest, quod videmus etiam in Novi Fœderis libris perpetuò fieri.

Nemo dubitet quin laudabilis sit divini nominis reverentia, quínve rectè faciant qui ab ejus nomine proferendo in nugis abstinent; sed nemo, præter Judæos aut superstitione simili laborantes, in singulari quodam sono sanctitatem quæsiverit, aut magis minui Majestatem Divinam credat, si vox יהוה temerè pronuncietur, quàm si voces Θεὸς aut κύριος, aut ex quavis alia Lingua petitæ nugis misceantur. Neque enim soni sunt per se ullâ reverentiâ digni, sed is de quo cogitamus, quando soni illi aures nostras verberant, non potest nimiâ veneratione coli; adeóque, non nisi seriis cogitationibus, ejus Numinis notio misceri debet. Quamvis hoc sit perspicuum, attamen Ethnici passim à proferendis quibusdam sacris vocabulis abhorrebant, & nomina Deorum suorum aliis alia sanctiora habebant. De Græcis aut Romanis nihil dicam, sed Ægyptios constat, jam ante Ptolemæorum tempora, eâ superstitione laborasse. *Herodotus*, ubi de condiendorum cadaverum ratione Lib. II. c. 86. negat se nomine proprio adpellare posse exemplar quoddam ligneum, quod ostendebatur mortui consanguineis: οὐκ ὅσιον, inquit, ποιεῦμαι τὸ οὔνομα ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ὀνομάζειν: *non sanctè faciam, si nomen, in tali re, extulero.* *Cicero* Lib. III. de N. D. n. 56. ubi plures Bacchos enumerat: *Quartus*, inquit, *Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent nominare.* Cùm ergo viderent Hebræi Gentibus esse nomina quædam Deorum arcana, quæ proferre Ethnici, nisi in sacris, non audebant; meliore multò jure sibi à veri Dei nomine proferendo abstinendum, reverentiæ causâ, existimarunt. Qui rectiùs fecissent, si, missâ inani soni veneratione, Dei ipsius timentes ejus præcepta servassent, Gentibúsque exemplum sanctitatis & misericordiæ fuissent. Sed &, in aliis rebus, Gentilium de nominibus divinis, & sonorum efficacia, opiniones sequuti sunt; quod facilè ostendere possemus, si necesse esset.

III. Hæc de celanda nominis divini prolatione cùm dudum invaluisset opinio, addita sunt puncta Libris Sacris. Itaque huic voci Judæi, qui in Synagogis pro יהוה dicebant Legem legentes אדני *adonai*, non propria puncta, sed puncta ejus vocis quam proferebant adpinxerunt: quemadmodum aliàs etiam facere solent, ut cùm voci שניהם *schnehem* addunt puncta dictionum מימי רגליהם *meme raglehem*, aquæ pedum eorum. Hoc fatentur uno ore omnes Rabbini, & ex punctatione ipsa manifestum est; ut fusè ostendit, inter alios plures, in Dissertatione *de nominibus Dei*, *Joannes Buxtorfius*, J. F. ubi hanc in rem plurima, quæ non exscribemus.

Hinc quidem colligere est *Jehova* non esse propriam vocis prolationem; attamen quia, ut diximus ad Gen. II, 4. nihil commodius occurrebat, ea usi sumus. Ceterùm illi nobis optimè conjicere videntur, qui יהוה prolatum olim fuisse *Jahavoh*, aut *Jahvoh*, aut *Jahwoh*, existimant; est enim similis variorum nominum prolatio, ut יעקב *jahacob*, פרעה *pharhoh*, שלמה *schalomoh* &c. Quamvis eam pronunciationem celarent Hebræi, attamen in tanto populo non defuisse videntur, aut Apostatæ, aut alii qui tanti magistrorum instituta non faciebant, ex quibus eam accepere Gentiles. Hinc *Diodorus* Lib. I. p. 48. ait Mosem legum suarum anctorem dixisse τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον θεόν. Non multùm hinc abit *Philonis Byblii Sanchoniathon*, apud *Eusebium*. Præp. Evang. Lib. I. c. 9. qui quæ dixerat de Judæis, aiebat se accepisse παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως θεοῦ τοῦ Ἰευώ, *à Jerombale Sacerdote Dei IEUO*. *Alexander* Trallianus profert exorcismum contra podagram, hisce verbis: ὁρκίζω σε τὸ ὄνομα τὸ μέγα Ἰαὼθ (leg. Ἰαὼ) Σαβαώθ: *adjuro te, per nomen magnum Jao Sabaoth.* Nec diffitetur *Philo*, in Legat. ad Caium, eam prolationem ad Ethnicos manasse, sic enim Caligulam loquentem inducit: Ὑμεῖς, εἶπεν, ἐστὲ οἱ θεομισεῖς, οἱ θεὸν μὴ νομίζοντες εἶναί με, ἤδη παρὰ πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἀνωμολογημένον, ἀλλὰ τὸν ἀκατονόμαστον ὑμῖν: *vos, inquit, estis inimici numinis, qui non credentes Deum esse me, jam ab omnibus aliis agnitum, sed illum vobis innominatum.* Deinde subjicit: καὶ ἀνατείνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπεφήμισε πρόσρησιν ἣν οὐδὲ ἀκούειν θεμιτόν, οὐχ ὅτι διερμηνεύειν αὐτολεξεί: *& simul, ma-*

caudam ejus adprehendit, & in manu ejus virga evasit. 5. Propterea, *ait Deus*, tibi Jehovam Deum patrum suorum, Deum Abrahami, Deum Isaaci, Deum Jacobi, conspectum esse credent. 6. Subjecit præterea Jehova: immitte manum in sinum tuum. Manum immisit *Moses* in sinum, eámque eduxit; ecce verò leprosa erat *&* instar nivis. 7. Tum *Jehova*: refer, inquit, iterum manum in suum tuum. Retulit

virgam stupens conspexit. 6. Angelus autem, hoc miraculo, inquit, perculsi Hebræi tibi credent; 8. nec eò seciùs, ut alterum ederetur prodigium, Mosem jussit manum in sinum mittere; quod ubi fecisset Moses, & eductam manum adspexisset, eam, paullò antea sanam, subitò leprâ candicantem vidit. 7. Jussus iterum sinui manum inserere, indéque educere, eam, amissu illico lepræ colore, sanam

manibus ad cœlum protensis, extulit adpellationem, quam etiam audire nefas est, nedum ut vocem ipsam proferre liceat. *Origenes* Tom 2. in Joan. Huet. Ed p. 45. de nominis *Jeremiæ* ירמיהו significatione: ἐξμετεωρισμὸς μετεωρισμὸς Ἰαώ, *exponitur exaltatio Jao.* Compositum est, nimirum, ex רום *roum* altus fuit, & יהוה cujus compendium est in ultimis literis יהו. *Hieronymus*, aut alius ex ejus scriptis, in Ps. VIII. cujus initium est יהוה ארנינו: *Prius nomen Domini apud Hebræos quatuor literarum est Jod He Vau He, quod propriè Dei vocabulum sonat, & legi potest* JAHO, *& Hebræi* ἄῤῥητον, *id est, ineffabile opinantur.* Aliud argumentum etiam habemus ex Poesi Hebræorum petitum, quo nunc non utemur. Alia vide apud *Lud. Cappellum*, in Oratione de nomine יהוה. Samaritani tamen, si *Theodoreto* Quæst. XV. in Exodum credimus, efferebant *Janeh*, aut, ut ille scribit, IABE, & pronunciationem hanc etiamnum ab iis servari auctores sunt, qui eos Pentateuchum legentes audiverunt. Vide quæ collegit hanc in rem *Eduard. Bernardus* in *Josephi* Lib. III. Cap. VII, 7.

IV. Constat quidem hanc vocem derivandam à radice הוה, vel היה, hoc est, *fuit*, sed quærunt Erudití quid illo nomine voluerit sibi Deus? *Philo Judæus*, ut ex allatis ejus verbis vidimus, & plerique Patres Græci, ex Platonica Philosophia, nomen hoc Dei interpretati sunt; cùm viderent à LXX. Interpretibus participio verbi εἰμὶ conversum esse ὁ ὯΝ. Vide, inter alios, *Eusebium* Lib. IX. Præp. Evang. c. 9, 10, 11. Nempe, Deus est qui solus naturâ suâ est, cetera omnia ejus voluntate è nihilo emerserunt; idcóque Deus solus potest, singulari sensu, ὁ ὯΝ meritò vocari. Sed cùm hoc verissimum sit, eò tamen Deum respexisse nullo certo Scripturæ indicio nobis constat. Alii eo nomine significationem æternitatis contineri volunt, & י quidem, inquiunt, futurum tempus signat; הו verò, quæ sunt initiales litteræ participii præsentis, præsens; ה denique, quæ ultima est littera præteriti, præteritum. Atque hoc ipsum expressisse aiunt Joannem Apoc. I. ubi sic describit Deum: ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui est, qui erat, & qui futurus est.* At hîc quoque, ut rem ipsam agnoscimus, & æternitatem à Joanne descriptam concedimus: ita nobis non liquet an voce יהוה id significetur quod volunt, ánve Joannes eam allatâ periphrasi exprimere voluerit. Nec certè quidquam merâ conjecturâ certius hîc adsertur, quæ absona quidem non est, sed nequaquam explorata. Imò verò acutior videtur illa ἀνατομία vocis יהוה, quàm ut quidquam simile suspicari possent rudi ingenio Hebræi.

Itaque nos ad eorum conferimus potiùs sententiam, qui putant voce יהוה significari eum *qui facit ut sit* quod futurum dixit. Cujus rei rationes adferemus ad Cap. VI, 3.

In ætates futuras vocabulum] זכרי לדר דר Zichri lador dor, *memoriale meum in ætatem & ætatem.* Quia, nempe, ope nominum, servatur eorum quibus indita fuerant memoria, ideò *nomen* & זכר *zecher*, quod à verbo זכר *meminit*, aliquando ut Synonyma conjunguntur. Sic Esai. XXVI, 8. *nomini tuo* ולזכרך oulzichrecha *est desiderium animæ.* Vide & Hos. XII, 6. דר דר *dor dor*, est pro דר ודר *dor vedor*, *ætatem & ætatem*, ut alibi sæpe hæc phrasis pleniùs exprimitur, aut דר דרים *dor dorim*; *ætatem ætatum*, hoc est, ætates futuras. Significat Deus hoc sibi fore nomen in perpetuum, inter Hebræos.

16. *Senésque Israëlis convocato*] In tanta Ægyptiorum tyrannide, vix videntur Hebræi gentiles Magistratus habuisse. Itaque זקנים *zkenim* dicuntur non Magistratus, ut nonnulli putant, sed honoratiores senes, quorum maxima erat apud Hebræos auctoritas. Vide tamen quæ in contrariam sententiam habet *Joann. Seldenus* de Synedr. Hebr. Lib. I. c. 14.

A me conspectus est] Vel *mihi conspicuus factus est*, specie, nimirum, flammæ quâ ardere videbatur rubus.

Dixitque] לאמר lemor, *dicendo.*

Vos respexi] פקד פקדתי אתכם *phakod phakadthi ethchem*, quod solent vertere *visitando visitavi vos.* Qua de voce, vide not. ad Gen. XXI, 1.

18. *Nobis occurrit.*] נקרה עלינו *nikra balenou.* Hæc loquutio de quavis ἐπιφανείᾳ non adhibetur, sed de ea demum, quâ interdiu Deus se conspiciendum præbebat, in solis locis. Vide Num. XXIII, 3, 4, 15, 16. LXX. προσκέκληται ἡμᾶς, & Vulg. *vocavit nos*; sed quamvis קרא & קרה misceri queant, attamen קרא in *Niphal*, atque in hâc constructione, activè sumi nequit.

Ut illic Jehovæ &c.] ונזבחה *venizbebhah*, *& sacrificabimus.* ו hîc est idem ac למען *lmahan*, hoc est, ut. Vide Gen. VI, 21. De hac Mosis petitione lege not. ad Cap. V, 1.

19. *Nisi manu prævalida coactum*] ולא ביד חזקה *nisi manu forti.* Hæc phrasis παροιμιώδης esse videtur, & significare vim quamlibet intentatam, seu manus injiciatur in eum qui cogitur, seu aliter ad id quod nollet adigatur. Vide & Cap. XIII, 16.

20. *Feriam*] Hoc est, quovis miraculo damnum quodpiam inferam, ut omnibus, excepto primo mutationis virgæ in serpentem, re ipsâ fecit Deus.

tulit ille manum in ſinum, eámque eduxit, ecce autem iterum evaſerat ut *reliqua* ejus caro. [8] Si fidem tibi derogarint, neque prioris ſigni vocem audierint, at poſterioris ſigni vocem audient. [9] Si verò ne duobus quidem iſtis ſignis crediderint, neque voci tuæ obſequantur; tum capies aquam fluminis, effundéſque eam in aridam *humum*, & aqua, quam è fluvio ſumſeris, in arida humo in ſanguinem mutabitur.

[10] Sed

nam ut antea conſpexit. [8] Tum verò Deus, ſi priore, inquit, prodigio non adducantur Iſraelitæ ut credant te à me eſſe miſſum; poſteriore ſaltem commovebuntur. [9] Sin tamen obdurato animo duo illa prodigia ſpreverint, neque te Prophetam eſſe propterea exiſtimarint; hauſtam è Nilo aquam coram iis in terram effundes, eáque effuſa in ſanguinem, iis ſpectantibus, mutabitur; quo prodigio expugnabitur tandem eorum pertinacia.

[10] At Moſes iterum munus detrectare, & ſuam ti-

21. *Gratiam conciliabo apud Ægyptios*] *Gratiam dabo in oculis Ægyptiorum.* Hoc in loco, *gratiam dare* non eſt gratum & acceptum reddere, ut alibi, ſed facere ut quod petitur obtineatur. Quia qui gratiâ apud quempiam valent, ii ab eo quidvis impetrant, ideò *gratiam dare* hîc eſt *impetrabilem facere.* Alioquin Ægyptii tot plagis à Moſe adfecti ſine dubio Iſraëlitas non amabant; ſed uſque adeò timuerunt ne omnes perirent, ut omnia Iſraëlitis conceſſerint, ne moram eorum diſceſſui adſerrent, & malum ſibi novum crearent. Vide not. ad Gen. VI, 8.

22. *Singulæ mulieres* &c.] *Petet mulier* (אשה iſchah, *quæque*) à vicina ſua. Quæſtio hîc ab Interpretibus agitatur, quî fieri poſſit ut Deus, qui furtum vetuit, ſit Iſraëlitis furti auctor? Alii volunt legem quidem furtum vetantem, apud omnes gentes receptam, hîc violatam fuiſſe; ſed Deum, qui eſt auctor & legis & humanæ ſocietatis, Iſraëlitas lege ſolviſſe. Alii negant Iſraëlitas lege ſolutos; ſed Deum, cujus omnia omnium hominum bona propria ſunt, non minùs ac ipſi homines, vaſa aurea & argentea, veſtémque pretioſam ab Ægyptiis ad Iſraëlitas tranſtuliſſe volunt, pro jure ſuo: quemadmodum etiam Chananæorum facultatibus eoſdem donavit.

Quam ſententiam quamvis priori præferamus, attamen uſquequaque non probamus. Cùm enim invitis Chananæis, armíſque ſe & ſua defendentibus, facultates abſtulerint Iſraëlitæ, videntur Ægyptii non ægrè, quamvis malis coacti, pretioſiſſima vaſa Iſraëlitis non mutua, ſed dono dediſſe. Quamquam enim Iſraëlitæ dictitabant ſe in deſertum tridui iter confecturos, cùm omnes ſuos, & ſua omnia abducere atque avehere ſecum cuperent; intelligebant ſatis Ægyptii, velle eos in æternum Ægypto valedicere; quod & ex Ægyptii Regis reſponſis, non difficile eſt colligere. Igitur cùm Ægyptii vaſa ſua, quaſi mutua, Iſraëlitis darent numquam ea ad ſe reditura reputabant; ſed malebant iis carere, quàm eum populum apud ſe invitum manere, cujus causâ à præpotenti Numine tot calamitatibus adfecti erant. Uſque adeò metuebant, ne morando Iſraëlitas ſibi novas clades θεηλάτους accerſerent, ut quivis Ægyptius ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, ut Homerica utamur phraſi, petentibus quidvis dederit, numquam recepturus. Vid. Cap. X, 1. Si rem introſpiciamus, erant hæc bona veluti mulcta, quam Iſraëlitis, quos uſque adeò malè habuerant, aut haberi ab Regibus ſuis paſſi erant, Ægyptii ſolvebant. Neſcio an ſimile quid animum *Joſephi* ſubiiſſet, cùm dixit de Ægyptiis: δώροις τε τοὺς Ἑβραίους ἐτίμων· οἱ μὲν ὑπὲρ τοῦ τάχιον ἐξελθεῖν, οἱ δὲ καὶ κατὰ γειτνίασιν πρὸς αὐτοὺς συνήθειαν: *donis honorabant Hebræos, alii quidem ut celeriùs exirent, alii propter viciuitatis cum iis conſuetudinem.* Lib. II. c. 14. Ant. Jud.

Et inquilinis] מגרת ביתה *miggarath bethah*, ab hoſpita domûs ſuæ. Intelliguntur ſine dubio Ægyptii, qui non poſſunt in Ægypto גרים *gerim*, peregrini haberi; ſed poterant conduxiſſe domos, quæ Iſraëlitarum erant propriæ, adeóque erant גרי בתיהם gre bathehem, *inquilini domuum eorum*, Sic apud Jobum Cap. XIX, verſ. 15. גרי ביתי gre bethi, *inquilini domus meæ peregrinum me cenſuerunt.* Eo autem nomine dicuntur non qui unà veſcebantur, (quod nefas habebant Ægyptii. Vide Gen. Cap. XLIII, 32.) ſed qui aut ædes ſeparatas, aut ſub eodem tecto, ſejunctam partem ædium, conductionis pretio Iſraëlitis perſoluto, habitabant. Hinc LXX hic habent συσκήνους, & apud Jobum, γείτονες τῆς οἰκίας, *cohabitantes*, & *vicinos domûs*.

In Caput IV.

1. *Mihi, inquit, non credent*] *Et ecce non credent mihi.*

2. *Quid eſt*] מזה *mazzeh*, ſad in margine legendum notant מה זה *mah zeh*, quid hoc, ut legimus in Samaritico codice. Una hæc dicitur ex novem dictionibus, quæ ſcribuntur conjunctim & leguntur diviſim. Ex hoc, aliiſque ſimilibus locis collegit *Lud. Cappellus* punctationem non eſſe à manu Heſdræ, qui numquam paſſus eſſet præpoſterâ religione menda ejuſmodi in Moſis libris manere. Vide Opus ejus de Ant. Punct. Lib. 1. c. XI. §. 10.

3. *Et facta ſerpens* &c.] *Et fuit in ſerpentem & fugit Moſem è facie ejus.* Idem Deus, qui è luto varia animalium genera formare initio potuit, è ligno ſerpentem fingere, atque è ſerpente lignum haud ægrè poterat.

4. *Caudam ejus* &c.] *Adprehende in cauda ejus.*

Exſerta ille manu] *Et miſit manum & adprehendit, & fuit in virgam in vola ejus.*

6. *Subjecit præterea*] *Et dixit Jehova ei adhuc.*

In ſinum tuum] Hoc eſt, in tunicam ſupra cingulum.

Leproſa erat & inſtar nivis] מצרעת כשלג metſorahath chaſſcheleg *leproſa erat inſtar nivis.* Eadem loquutio occurrit Num. XII, 10. 2. Reg. V, 27. Nempe, ſermo eſt de vitiligine alba, cujus candor nivi confertur. *Celſus* Lib. V. c. 28. §. 12. *Vitiliginis tres ſpecies ſunt.* Ἄλφος *vocatur, ubi color albus eſt, ferè ſubaſper & non* con-

10. Sed Moses Jehovæ, adtende, *quæso*, inquit, Domine, non sum homo disertus, *neque hoc cœpit* hesterno die, aut nudius tertius, aut ex quo servum tuum alloqueris, sum enim ore & linguâ gravis. 11. Jehova verò illi, quis homini, ait, os dedit? aut qui mutum, vel surdum fecit, vel videntem, vel cæcum? annon ego Jehova? 12. Ito ergo nunc, ego autem adero ori tuo, & quæ loquaris te docebo. 13. At ille,

timiditatem linguæ tarditate, cùm ab utero balbus esset, excusare. 11. Deus verò eum bono animo esse jussit, & mandatum munus alacriter capessere, qui ab eo mitteretur; qui cùm opifex esset humanæ naturæ, & omnia præstaret quæ polliceretur, facilè eum dotibus quibusvis instruere, si necesse foret, posset. 12. Iret ergo, sciretque Dei auxilium, ad exponenda Israelitis & Regi Ægypti mandata, sibi non defuturum. 13. Moses tamen, quasi à Deo tentaretur, orare eum ut se tandem omisso, alium ido-

continuus, ut quædem quasi guttæ dispersæ esse videantur; interdum etiam latiùs, & cum quibusdam intermissionibus serpit. Μέλας *colore ab hoc differt, quia niger est, & umbræ similis, cetera eadem sunt.* Λεύκη *habet quiddam simile* Ἄλφῳ, *sed magis albida est & altiùs descendit, in eáque albi pili sunt lanugini similes. Omnia hæc serpunt, sed in aliis celeriùs, in aliis tardiùs. Alphos & Melas in quibusdam variis temporibus oriuntur & desinunt. Leuce quem occupavit, non facilè dimittit. Priora curationem non difficillimam recipiunt, ultimum vix umquam sanescit, ac si quid ei vitio demtum est, tamen non ex toto sanus color redditur.* Itaque eò majus est miraculum subita ejus curatio. Mirum est hoc in loco à LXX Intt. omissam esse vocem מצרעת.

7. *Eámque eduxit*] E sinu.

Evaserat ut reliqua caro] *Redierat ut caro ejus.* Hac in re potissimùm erat miraculum; quia, ut vidimus ex *Celso*, hæc vitiligo, quæ λεύκη *alba* vocabatur, sanari posse, ne longo quidem tempore, multisque adhibitis remediis, credebatur.

8. *Si fidem*] Dum manum referret in sinum, & educeret, tacuit Angelus; sed Mose non sine admiratione manum suam spectante, perrexit loqui; nec necesse fuit addere hæc ejus esse verba, cùm res sit manifesta. Atque hæc narrandi ratio nobis rem ob oculos ponit, ut non tam legere Historiam, quàm adesse rei narratæ videamur.

Prioris signi vocem audierint] Certè hæc prodigia tantùm non Israëlitis dicebant: *hic verè à Deo missus est*; ideóque vox iis tribuitur, cùm eorum operâ Deus, non minùs ac voce, suum hunc Prophetam esse significaret. Huc respicit Psaltes. Ps. CV, 27. *Cicero* de prodigiis, quæ accidisse ejus tempore ferebantur: *Pro dii immortales! qui magis nobiscum* LOQUI *possetis, si essetis versaremini que nobiscum?*

9. *Aquam fluminis*] *Ex aquis fluminis*, nempe, Nili, cujus alveus passim in hac historia היאר *hajjeor* dicitur.

In sanguinem mutabitur] *Erit in sanguinem.*

10. *Adtende*] בי *bi*. Vide not. ad Gen. CXLIII, 20. Prodigiis memoratis conspectis, vix poterat sibi persuadere Moses se auditum iri, quòd balbus esset.

Homo disertus] איש דברים isch dbarim, *vir verborum*, hoc est, homo eloquens. Sic Ps. CXL, 12. איש לשון *isch laschon*; dicitur homo maledicus, & mendax, איש חמס, isch hhamas, *homo injuriæ*, ὑβριστής. LXX. Intt. habent hic ἱκανὸς, quod paullò generalius est, unde, credo, factum ut in libris antiquis emendatum sit εὔλογος.

Neque hoc cœpit] Hæc verba Latinè loquentibus supplenda fuere, quasi dixisset ולא תחל זאת *velo thohhal zoth*; hoc enim vult Moses, se nequaquam eloquentem esse, ut legationem à Deo sibi impositam susciperet; neque hanc excusationem esse quæsitam, eùm non nuper tantùm, aut ex quo Deus ipsum alloquebatur, cœpisset balbutire, sed à longo tempore, fortè ab infantia. Itaque verba גם מתמול גם משלשם *gam mitthmol misschilschom*, significant hîc nuper, ut apud Græcos χθὲς καὶ πρώην. Alioqui simpliciter *antea* significant Genes. XXXI, 2. & alibi, quamquam numquam de longo tempore usurpantur. Græcæ phraseos exempla, si necessaria essent, suppeditaret *Joach. Zehnerus* in Adag. Cent. IV. Adag. 6.

Sum enim ore & lingua gravis] Hoc est, balbus, qui Hebræis כבד פה וכבד לשון *chbad pheh ouchbad laschon*, dicitur; quòd os & linguam difficiliùs ad efferendos sonos flectat, quemadmodum gravia morbo membra ægrè molimur. Hinc quia linguam ignorantibus balbutire videntur loquentes, ii quorum sermonem non intelligimus dicuntur עמקי שפה וכבדי לשון himke schaphah vechibde laschon, *profundi labio, & graves linguâ.* Ezek. III, 5, 6. LXX. hîc ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος, *impeditioris & tardioris linguæ*, ut habet Vulgatus.

11. *Quis homini os dedit*] *Posuit*, ut נתן *nathan* interdum *ponere* sonat: ita & שום *schoum* significat *dare*.

Quis mutum, vel surdum fecit &c.] Hoc est, ego qui sensus hominibus & facultates omnes do, & eripio, arbitratu meo, te iis quibus cares ornare, si videbitur, potero. Interrogationes ejusmodi frequentissimæ sunt, apud Hebræos. Vide orationem Dei, apud Jobum Cap. XXXVIII, & *seqq.*

Annon ego Jehova?] Hoc est, vereri non debes ut promissis meis stem, & ut, qui tibi promisi liberatum iri à te populum meum, te in medio incepto, jussa mea exsequentem, deseram. Quasi diceret, ille ego qui vocor nomine, quod EST aut ERIT sonat; faciam ut re ipsâ SIT quod polliceor. Vide notas ad Cap. VI.

12. *Ori tuo adero*] Adero tibi loquenti.

13. *Adtende*] בי ut vers. 10. LXX. utrobique δέομαι, quod tamen, hîc, ubi sequitur נא *na* rogandi particula, non ita convenit.

Eum mitte cujus manu missurus es] Omissum est pronomen relativum, nam שלח ביד תשלח schlahh bjad tischlahh, *mitte in manu mittes*, est pro, שלח את האיש ההוא אשר בידו תשלח *mitte eum hominem per cujus manum missurus es.* Vide ejus Ellipseos exempla, apud *Sal. Glassium* Gram.

ille, adtende, Domine, *eum* mitte, quæso, cujus manu missurus es. 14. Tum verò accensa est ira Jehovæ in Mosem, & annon, inquit, Aharon Levita frater tuus est? scio eum *pro te* loquuturum, imò verò ecce tibi obviam procedet, te videbit & animo lætabitur. 15. Eum alloqueris, & mandatis instrues ; ego autem ori tuo, & ori ejus adero, & quæ faciatis vos docebo. 16. Ille populum pro te alloquetur, erit ille tibi oris loco, at tu ei eris instar Dei. 17. Hanc autem virgam in manum capies, eáque signa editurus es.

IV. Mo-

idoneum rei gerendæ mandatis instrueret. 14. Tum divina vox, eo sono quo ira significatur, reposuit, si nollet ipse alloqui Israëlitas & Pharahonem, præsto ei futurum Aharonem fratrem, qui eo munere defungeretur; néve de fratris voluntate dubitaret, Aharonem etiam ei obviam processurum, & fratrem fraterno animo excepturum. 15. Itaque quæ à Deo accepisset fratri narraret, ut postea Aharon ea aliis exponeret; quo in negotio peragendo, nova mandata, prout res postulatura esset, accepturos, ne quid sibi agendum esset dubitarent. 16. Quâ ratione Mosem futurum Aharoni Dei instar, Aharonem verò Mosi Prophetæ loco, cùm populo & Pharahoni mandata Mosi data expositurus esset. 17. Jussit præterea Deus Mosem virgam eamdem, quam manu gerebat, secum ferre, ut eam prodigiis edendis adhiberet.

P A-

Gram. Sac. Lib. III. T. 2. Can. 23. Hebræi dicunt *mittere per manum* ביד *alicujus nuncium*, quod Latini *per aliquem*, aut *alicujus operâ*, quod frequentissimum in Vetere & Novo Test. Videtur Moses, si præ metu satis mentis compos erat, credidisse Deum quidem decrevisse alium nuncium, aut voluntatis suæ interpretem ad Pharahonem mittere ; sed eum ita loquutum ut se exploraret, viderétque an satis sibi homo balbus confideret, ut auderet hanc legationem suscipere. At nulla, in Dei verbis, erat tentatationis species.

Missurus es] Hoc est, *mittere statuisti*. Similis est loquutio 1 Sam. XXI, 9. ubi Achimelechus Davidi de gladio Goliathi : אם תקח לך קח *si capies, tibi capito*, hoc est, si vis capere, capias. Joan. XIII, 27. *Quod facis, fac citò*, ubi vide Grotiana adnotata. Hoc est, quandoquidem alium mittere statuisti, quid me ei negotio ineptum tentas ? Quæ verba inconsiderata iram Dei moverunt. Vide & Ruth. IV, 4.

14. *Loquuturum*] *Quòd loquendo loquetur*, subauditur תחתיך *thahhthecha*, loco tuo. Ideò te mitto, ait Deus, legatum meum ad Pharahonem, quamquam te balbum esse novi ; quia scio tibi esse fratrem, qui te libens comitabitur ; & cùm sit expeditæ loquelæ, verba loco tuo facere non dubitabit, quando à te intellexerit quid velim.

Obviam procedet] *Egrediens obviam*, participium de re proximè futura poni alibi observavimus. Vide not. ad Cap. III, 13.

15. *Mandatis instrues*] *Pones verba in ore ejus*, hoc est, ei dices quod voles ab eo Pharahoni dici.

16. *Pro te*] לך *tibi*, quod idem est ; sic לכם sumitur Deut. III, 22.

Erit tibi oris loco] לפה lpheh, *erit tibi in os, tu verò eris ei in Deum* ; hoc est, ille erit, ut Græci loquuntur, ὑποφήτης, tu verò instar Dei cujus oracula excipiet. Vide infrà Cap. VII, 1. Qui sensus cùm solus ad rem faciat, & apertissimus sit, non capio quare vir summus interpretatus sit : *jus gladii habebis in ipsum & alios*, quod est à re, quæ hîc agitur, prorsus alienum. Hoc tamen avidè etiam amplexus est *Joan. Seldenus* de Synedr. Lib. I. Cap. ultimo sub finem. Alii ab eo sensu, quem diximus, non recedentes, phrasin hanc ex Orientalium Regum consuetudine desumtam volunt. Nimirum, magni Reges, qui omnia ferè per Ministros solebant agere, habebant purpuratos, quos membrorum suorum nominibus vocitabant ; alii erant *oculi Regis*, alii *aures*, alii *os* &c. Sic apud *Aristophanem*, in *Acharnensibus*, legati Lacedæmonii à Persarum Rege reduces, & secum Artam adducentes, eum vocant τὸ Βασιλέως ὀφθαλμὸν, *Regis oculum*. Act. I. Scen. 2. ubi legendus Scholiastes, qui egregium *Aristotelis* locum hanc in rem profert. Inde ductâ Phrasi, *os Dei* diceretur Dei apud alios interpres. Sed cùm hæc metaphora à consuetudine ipsius Dei, qui per Prophetas, non ipse, solet multitudinem alloqui, deduci potuerit, non opus est longiùs eam petamus.

17. *Eáque*] *Quâ facies signa.*

C O M-

IV. Moses Jethroni socero valedicit, in Ægyptum cum uxore & filiis proficiscitur, obviam habet Aharonem, unà senes Israëlitas adeunt, & portenta coram iis edit Moses.

18. ABIIT ergo Moses, reversúsque ad Jitherum socerum, abeam, quæso, inquit illi, redeam ad fratres qui Ægypto sunt, videámque an etiamnum sint in vivis. Jithro verò Mosi, abi, inquit, in pace. 19. Dixit præterea Jehova

PARAPHRASIS.

18. EX monte Chorebo Moses pecudes soceri egit ad stabulum, &, re dissimulatâ, petiit veniam invisendorum consanguineorum, qui in Ægypto erant, ut an etiamnum in vivis essent cognosceret. Jethro verò socer per se licere respondit, & fausta omnia abeunti adprecatus est. 19. Non timebat Moses ampliùs ne capitis causam dicere cogeretur Ægyptum ingressus, ob interfectum olim Ægyptium; eos enim, qui ejus facinoris pœnas repetere poterant, decessisse monuerat eum Deus.

COMMENTARIUS

In CAPUT IV.

18. *AD Jetherum*] Hîc יתר *jether* dicitur, qui superiùs & alibi appellatur יתרו *jithro*. Sic גשם *geschem* dicitur Nehem. VI, 1, 2. qui vers. 6. גשמו *gaschmou* vocatur. Ceterùm vide dicta ad Cap. II, 18.

Ad fratres] Aut ad Israëlitas, aut ad gentiles suos Levitas, aut ad propiores consanguineos; nam hosce omnes complectitur vox אח *ahh*, frater. Sed Amrami familia potissimùm spectari videtur, neque enim totam gentem Israëliticam fortè exstinctam esse suspicari potuit.

Abi in pace] Hoc est, omnia tibi prospera proficiscenti eveniant. Vid. not. ad Genes. XV, 16.

19. *Dixit*] *Et dixit* &c. quod debuit addi, ne Moses, homicidii sibi conscius, in Ægyptum redire vereretur.

Quicumque enim vitam tuam petebant &c.] *Omnes homines quærentes animam tuam.* Rex ille Ægypti, quo regnante, occiderat Ægyptium, & hujus Ægyptii consanguinei. Vide similem loquutionem Matth. II, 20.

20. *Filios*] Gerschomum & Elihezerem Exod. XVIII, 3, 4.

Asinis imposuit] וירכבם על החמר *vajjarchibam hal hahhamor*, & fecit eos vehi super asino; nimirum, singulos, ut fuerint tres asini, non unus. Solita phrasis esset ירכבם איש על חמרו *vehi fecit eos quemque super asino suo.* Hinc LXX. ἐπὶ τὰ ὑποζύγια, plurali numero. Sunt tamen qui velint Tsipphoram, unà cum duobus filiis, asino uno vectam puerulósque etiamnum eos fuisse; sed mora Mosis in Madianitide, per quadraginta annos, credibile hoc non facit. Si enim non multò postquàm Jethronis hospitio usus est, ejus filiam uxorem duxit, ut omnino videtur; filii ejus jam adolescentes, imò verò juvenes esse debuerunt, nec proinde uno asino simul cum matre vehi potuerunt. Objici nequit quod dicitur Gerschomus incircumcisus fuisse, potuit enim hoc negligentiâ parentum contigisse, & adultus circumcidi à matre, qui infans non fuerat.

Virgam Dei] Hoc est, virgam illam, in qua Deus miraculum ediderat, ut *mons Dei* dicitur, in quo Deus Mosi se se patefecerat Cap. III, 1.

21. *In manu tua posui*] In potestate tua esse volui; quia quæ sunt *in manu nostra*, iis uti possumus.

Animum ejus obfirmabo] אחזק את לבו *ahhazzek eth libbo*, cor ejus confirmabo. Infrà Cap. VII, 3. utitur Deus verbo אקשה akscheh, *indurabo.* Quod hîc Deo tribuitur id Cap. IX, 34. Pharahoni ipsi adscribitur ויכבד לבו vajjachbed libbo, *& obduravit cor suum ipse & servi ejus.* Vide & Capp. VII, 13. VIII, 32. Cùm constet eorum, qui Deo justitiam non detrahunt, eam non esse mentem, ut justissimo Numini peccata hominum, quasi causæ efficienti, tribuant; inter quos veteres Hebræos, non minùs ac Christianos, recenseri oportere certum est; quærunt Interpretes quid ergo sibi Deus velit phrasibus memoratis, quibus videtur pertinaciam Pharahonis sibi, quasi causæ, vindicare? Item, quâ ratione quod facere Deus dicitur id Pharahoni etiam tribuatur?

Sunt qui arcanam quamdam Dei actionem in animum ipsum Pharahonis, quâ factum sit ut pertinacior sit factus, hinc exsculpunt; quam tamen cum divina justitia, vix ac ne vix quidem, conciliare possunt. Ægrè etiam ferunt ejus rationem quæri, quasi ejusmodi quæstione in ordinem cogatur Deus Opt. Max. Nituntur potissimùm allatis phrasibus, quarum ἔμφασιν urgendam, in hoc negotio, censent; adeò ut Deus non sit tantùm cognitor & judex habendus pertinaciæ Pharahonis, sed & illam arcanâ ratione auxisse.

Verùm cùm hæc opinio cum divina justitia conciliari nequeat, antequàm ad eam devenirent, etiam atque etiam considerare ejus fautores oportuit, an nullâ aliâ ratione possent Mosis verba intelligi; nam si non desit mollior interpretatio, eáque ex Linguæ Hebraïcæ idiomate petita, causa nulla est cur hanc ei, quæ divinæ justitæ non convenit, postponamus.

Ante omnia ergo observamus, si ὑποθέσει δουλεύοντες urgere hæc verba nimiùm velint, in aliud ex eorum principiis absurdum delapsuros. Respondeant huic *Origenis*, in Philocaliæ Cap. XXVII. quæstioni: Ὁ ἐπ' ἀπωλείᾳ κτισθεὶς οὐκ ἂν ποτε ποιῆσαί τι τῶν κρειττόνων δύναιτο, αὐτῆς τῆς σύν-

va Mosi, in Madianitide: ito, revertere in Ægyptum, quicumque enim vitam tuam petebant mortui sunt. 20. Itaque Moses uxorem & filios adsumsit, asinis imposuit, atque in Ægyptum reversus est. Virgam quoque Dei in manum cepit.

21. Dixit etiam Jehova Mosi, dum iter facis ad redeundum in Ægyptum, omnia portenta, quæ in manu tua posui, considera. Ea coram Pharahone facies, at ego ani-

Deus. 20. Igitur uxore, filiisque asinis impositis, viam Ægypti securus ingressus est; neque virgam illam, quæ in serpentem fuerat mutata, oblitus est sumere.

21. Cùm in itinere esset, Deus jussit eum in animum revocare omnia illa prodigia, quorum edendorum potestatem ei fecerat, & omnem ti-

morem deponere. Hæc enim, inquit, non tantùm coram Israelitis tibi edenda sunt, ut te à me missum esse cognoscant; sed & coram ipso Ægypti Rege, à quo petes Israelem, ad festum mihi celebrandum, in aliquot dies, dimitti. Scio autem hominem usque adeò pertinacis esse ingenii, ut vel hac ipsâ oratione, editisque prodigiis, ad ne-

συνπαρχούσης φύσεως ἀντιπραττούσης αὐτῷ περὶ τὰ καλά· τίς ἦν χρεία τ̃ Φαραὼ ἀπωλείας, ὥς φασι, υἱοῦ τυγχάνοντα, σκληρύνεσθαι ὑπὸ τ̃ Θεοῦ, ἵνα μὴ ἀποστείλῃ τ̃ λαόν; εἰ γὰρ μὴ ἐσκληρύνετο ἀπέστειλεν ἄν: *qui conditus est ad interitum, numquam quidquam ex melioribus facere potest, cùm ei ad honesta natura ipsa quæ inest repugnet. Quid ergo opus erat Pharahonem, filium, ut dicitis, interitûs, indurari à Deo, ne dimitteret populum? nisi enim fuisset induratus, dimisisset.* Ἀποκρινέσθωσαν δὴ περὶ τούτου λέγοντες· τί ἂν ἐποίησε Φαραώ, εἰ μὴ ἐσκληρύνθη; εἰ μὴ γὰρ ἀπώλετο μὴ σκληρυνθεὶς, οὐχὶ φύσεως ἀπολλυμένης ἦν· εἰ δὲ μὴ ἀπώλετο, περισσὸν τὸ σκληρύνεσθαι αὐτοῦ τὴν καρδίαν, ὁμοίως γὰρ οὐκ ἀπώλετο μὴ σκληρυνθείς; *respondeant, & de hoc quid videatur dicant. Quid fecisset Pharaho, nisi induratus esset? Si enim dimisisset non induratus, non erat perditæ naturæ. Si non dimisisset, supervacuum erat cor ejus indurari, neque enim non induratus dimisisset.* Sed non opus est usque adeò urgeri phrases, quasi essent Geometræ cujusdam, & sine ambiguitate, &, ut nos solemus, loquentis.

Cùm apud omnes Gentes, tum etiam apud Hebræos, qui occasionem præbent cuipiam rei, ejus causa esse dicuntur; quamvis id quod egerunt per se eam rem efficere non potuerit. Vulgus, ex cujus arbitrio pendet Linguarum usus, sæpe occasionis majorem rationem habet, quàm causæ ipsius efficientis. Sæpe quòd alius consequutus est effectus ejus quod antecessit, ita hunc habet, itáque de eo loquitur, ut non aliter de vero ac propriè dicto effectu loqueretur. Quo factum est, ut qui loquentes in Scriptura inducuntur, eodem modo animi sensa efferant. Sic Christus Matth. X, 34. *Ne putetis*, inquit, *me venisse ut pacem terræ adferrem; non veni ut adferrem pacem, sed gladium. Veni enim ut divellerem hominem à patre, filiam à matre, nurum à socru. &c.* Ad quem locum & Luc. XII, 49, 51. legatur *H. Grotius.* Manifestum est hæc verba eodem recidere, ac si dixisset Christus: doctrina mea pacem inter homines non creabit, imò verò innumerorum dissidiorum inter propinquitate conjunctissimos erit occasio. Unde nemo collegerit doctrinam Christi suâ naturâ dissidia parere, cùm nihil magis quàm concordiam & amorem mutuum commendet. Similiter Deus hic id se facturum dicit, cujus rei occasio erat futurus. Misit Mosem ad Pharahonem, Mosésque coram eo miracula fecit, alium quemvis permotura; sed ille inde occasionem cepit pertinaciæ augendæ, quòd veluti gradatim fit à Deo mulctatus, fuerintque inter

mala quæ passus est intervalla quædam, & similia nonnulla miracula à Magis Ægyptiis fieri viderit. Sic Deus pertinaciæ ejus occasio fuit, non causa. Σημεῖον τοσούτων, ait *Origenes* eodem loco, καὶ τεράτων γινομένων οὐ πείθεται ὁ Φαραώ, ἀλλὰ καὶ μετὰ τηλικαῦτα ἀνθίσταται ——— τ̃ σκληρότητος καὶ ἀπιστίας δοκούσης ἐκ τ̃ τεράτων δυναμένης γεγονέναι. *Tot signis & prodigiis factis non obtemperat Pharaho, sed & post hæc resistit, ut duritiés & incredulitas ex prodigiis oriri potuisse videantur.* Idem paullò superiùs, ex sermone familiari alicujus hæc habet; πολλάκις οἱ χρηστοὶ κύριοι, μακροθυμοῦντες ἐπὶ τοὺς ἁμαρτάνοντας τ̃ οἰκετῶν λέγειν εἰώθασιν, τὸ, Ἐγώ σε ἀπώλεσα, καὶ, Ἐγώ σε πονηρὸν ἐποίησα· μετὰ τ̃ ἤθους ἐμφαίνοντες, ὅτι χρηστότης αὐτῶν καὶ μακροθυμία πρόφασις δοκεῖ γεγονέναι τ̃ ἐπὶ πλεῖον πονηρίας· ὥσπερ οὖν τούτων λεγομένων, δύναταί τις λέγειν συκοφαντῶν, ὅτι ὁμολογεῖν ὁ δεσπότης πονηρὸν πεποιηκέναι τ̃ οἰκέτην· οὕτω τὰ ὑπὸ τ̃ ἀγαθότητος τ̃ Θεοῦ πρόφασις γινόμενα τ̃ σκληρότητος τ̃ Φαραὼ, ἐσκληρυκέναι ἀναγέγραπται τὴν καρδίαν Φαραώ: *Sæpe boni heri patientia usi in delinquentes servos, dicere solent*, Ego te perdidi, &, Ego te malum feci, *ostendentes cum adfectu bonitatem suam & patientiam caussam videri fuisse increscentis nequitiæ. Quomodo igitur, cùm hæc dicantur, cavillari quis potest fassum esse herum, se servum improbum fecisse: sic quæ à benignitate Dei profecta sunt, causa facta duritiei Pharahonis, ejus cor indurasse scribuntur.* Simili sensu, & fortè ex Origene desumto, *Faustus* Regiensis de Liber. Arbitr. Lib. II. c. 1. *Sic interdum familiariter, apud homines, genus hoc eloquutionis adsumimus: sic interdum contumacibus famulis exprobramus mansuetudinem nostram, ita dicentes: Ego patientiâ meâ pessimum te feci: Ego remissione meâ malitiam tuam, superbiámque nutrivi: Ego te contumacem indulgentiâ meâ reddidi: Ego dissimulatione meâ, cor tuum, ut contra me animaretur, obduravi.* Similia habent plerique Patres Græci, qui de hoc loco egerunt. Itaque missâ ἐμφατικῇ similium phrasium, quæ nulla est, cùm dicens inducitur Deus: *ego animum Pharahonis obsirmabo*, perinde haberi debet ac si diceret: *tantùm abest ut portentis meis flecti passurus se sit, ut iis sit obsirmandus.* Hoc pacto, facilè intelligimus cùm Pharaho *se indurare* dicitur ipse, proprio hoc sensu intelligendum; cùm Deo verò idem adscribitur, ἰσχυρισμένως, qui sensus nequaquam contrarii sunt. Qua de re legendum Cap. IX. Philocaliæ *Origenis*, & quæ notavimus ad Gen. III, 6.

22. *Primogenitus meus est*] בני בכרי bni bchori,

animum ejus obfirmabo, neque populum dimissurus est. 22. Dices verò Pharahoni: sic dixit Jehova, Israël primogenitus meus *est*, 23. & tibi edicit, dimitte filium meum, ut me colat; si te dimissurum neges, ecce ego filium tuum natu maximum occidam.

24. In via autem, in loco in quo pernoctabant, occurrit Mosi Jehova, eúmque occidere

negandum quod rogabis obstinatior sit futurus. 22. Tum verò ei nomine meo dices, cùm sim omnium hominum & populorum pater, me Israelitarum gentem primogeniti loco habere, & singulari adfectu prosequi; 23. itaque eorum cultu delectari, & jubere eos, ut festum mihi in deserto celebrent, dimitti; quod ni fecerit, sciat se primogeniti sui subitâ nece mihi pœnas daturum. 24. In hoc eodem itinere, cùm tabernaculum statuisset Moses quodam in loco, in quo erat pernoctaturus, ecce verò accedebat Angelus, stricto gladio, quasi eum occisurus, quod alterum fili-

ri, *filius meus*, *primogenitus meus*. Cùm Deus sit omnium hominum re & adfectu pater, hoc est, omnes crearit & beneficiis plurimis ornarit; attamen quosdam populos multò majoribus beneficiis, quàm alios, dignatus est, quemadmodum filiorum natu maximos solemus. Hac de causa Israël hîc *Dei primogenitus* dicitur, quòd plura multò accepisset, aut acceptuius esset à Deo, quàm alii populi. Sic & David dicitur Regum *primogenitus* futurus Ps.LXXXIX, 28. ubi ita Deus loquitur: *Vocabit me patrem, ego vicissim primogenitum eum constituam, sublimem inter Reges terræ.*

23. *Ut me colat*] *Et me colet.*

Si te dimissurum neges] ותמאן vatthemaen, *& recusabis dimittere eum.* Sed manifestum est ו esse hîc, pro אם im, *si*, ut alibi. Vide not. ad Gen. Cap. XXXIII, 13. & suprà Cap. III, 13.

Filium tuum natu maximum] Hæc ultima fuit plaga. Vide Cap. XII, 29.

24. *In loco in quo pernoctabant*] במלון *bammalon*, de qua voce vide dicta ad Gen. Cap. XLII, vers. 27.

Occurrit Mosi Jehova] Hoc est, Angelus, neque enim altissimum ipsum Deum ad hoc ministerium descendisse persuadere sibi poterant Veteres Judæi. LXX. Intt. propterea *συνήντησεν αὐτῷ ἄγγελος κυρίου*, & Oukelos מלאכא דיי *angelus Jehovæ*. Vide not. ad Gen. XVI, 13. Quâ specie se Mosi ostenderit Angelus, cùm ipse non doceat, nemo alius dixerit. Fortè juvenem augustiore specie quàm homines, gladio stricto & minace, obviam è longinquo venientem vidit. Vide not. ad Gen. XII, 7.

Occidere volebat] Præter gladium strictum, potuerunt accedere verba Angeli, dicentis se venire ad occidendum Mosem, quòd incircumcisum filium secum duceret. Sequentia certè hoc suadere videntur, ut paullò pòst ostendemus. Hic autem pro *volebat* est יבקש jebakkesch, *quærebat*, hoc est, in animo habebat occidere, nisi circumcideret filium. Eodem sensu *quærere animam* vidimus vers. 19. Maluimus hîc Vulgatum sequi, quia cùm Hebraïca vox id quod diximus significet, si *quærebat* reddidissemus, videretur Angelus latitantem Mosem investigasse.

25. *Tum Tsippbora &c.*] Hoc facere non poterat Tsipphora, neque Moses faciendum divinare, nisi Angelus monuisset; quæ tamen circumstantia omissa est, ut aliæ plurimæ solent, in hisce Scriptis. Vide not. ad Gen. Cap. XXXII, 4.

Arrepto silice] צר *tsor*, quo significatur acutus silex, ut Josua V, 3. dicitur ad circumcidendum populum fecisse חרבות צרים *bharboth tsurim*, ubi oi LXX. habent *μαχαίρας πετρίνας cultros siliceos*, ut hîc *ψῆφον lapidem*. Constat, apud Ægyptios, lapidem Æthiopicum in cultros acutum fuisse. *Herodotus* enim describens quâ ratione viscera è condiendo cadavere educerent, Lib. II. c. 86. ita orditur: *λίθῳ Αἰθιοπικῷ ὀξέϊ παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην* &c. *lapide Æthiopico acuto circa ilia findentes.* Apud *Catullum*, Atys devolvit *acutâ sibi pondera silice.* Similiter *Samiâ testâ Matris Deûm Sacerdotes, qui Galli vocabantur, virilitatem amputabant, nec aliter citra perniciem* poterant, si *Cælio* apud *Plinium* Lib. XXXV, c. 12. credimus. Fortè & suam circumcisionem lapide Æthiopico peragebant Ægyptii.

Ad ejus pedes abjecit] *Et fecit tangere ad pedes ejus.* Ad pedes, nimirum, Mosis, subirata, ut quod jusserat factum esse intelligeret.

Cruentus es mihi sponsus] כי חתן דמים *quòd sponsus sanguinum tu mihi.* Particula כי est obliquæ orationis initium, quamvis hæc sit directa, quod in Græcis & Latinis Scriptoribus observare licet. Vide Act. I, 5. v. & quæ Intt. ad eùm locum collegerunt. Exprobrat irata Tsipphora Mosi suum cum eo conjugium, filii sui sanguine, sanciri. Aliter tamen rem intellexit *Oukelos*, qui habet in hoc versu: *Propter sanguinem circumcisionis hujus, detur nobis sponsus*, sensúmque horum verborum in sequente clariùs exprimit: *sine sanguine circumcisionis hujus, damnatus erat ad mortem sponsus meus.* Quasi voluisset Tsipphora, se sanguine filii veluti redemisse virum; quod quamvis verum sit, vix videtur satis convenire verbis Mosis. LXX. Intt. multò magis vim iis intulerunt, ut nullum exsculperent sensum: *προσέπεσεν* (ותגע vattagah) *πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ εἶπεν, ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου*: *procidit ad pedes ejus, & dixit stetit sanguis circumcisionis filioli mei.* Alii Intt. Græci verterant *ἥψατο tetigit*, legerántque ותגע *vatthiggab*, in *Kal.*

Val. Schindlerus, in Lexico, ait hæc verba ad filium Mosis, non ad Mosem pertinere. Existimat, nimirum, per metaphoram *sponsum* dici circumcisionis die; quia tum primùm populo Dei conjunctus, Deo quasi despondebatur. Sed nullum aliud adfert exemplum, nec alio nititur fundamento, nisi quòd apud Arabas חתן *chatanu* est *circumcidere*.

27. *Ab illo verò recessit*] וירף *vajjirepb*, quod

potest

cidere volebat. 25. Tum Tſipphora, adrepto ſilice, præputium filii ſui circumcidit, ad ejus pedes abjecit, & cruentus es, inquit, mihi ſponſus. 26. Ab illo verò receſſit *Jehova*, cùm ea, propter citrumciſionem, diceret, ſponſus cruentus mihi es.

27. Dixit interea Jehova Aharoni: Moſi obviam in deſertum procede. Hic ergo proceſſit, & in monte Dei obviam factus eum oſculatus eſt. 28. Omnia verò verba Jehovæ, qui ſe miſerat, huic aperuit Moſes, omniáque ſigna, quibus ſe inſtruxerat.

29. Cùm ergo veniſſent Moſes & Aharon, omnes ſenes Iſraelitas convocarunt. 30. Tum Aharon, quæcumque dixerat Jehova Moſi eloquutus eſt, & *Moſes* in oculis populi ſigna illa edidit. 31. Fidem *ei* habuit populus, & Deum Iſraelitas reſpexiſſe, eorúmque ærumnam vidiſſe intellexit; itaque, inflexo corpore, *cum* veneratus eſt.

V. Pha-

filiorum adhuc incircumciſum eſſe, contra Legem Abrahamidis latam, paſſus eſſet. 25. Tſipphora verò, cognitâ Angeli minarum causâ, adrepto acuto ſilice præputium filio ſuo circumcidit, circumciſúmque ad pedes Moſis abjicit, ſe non potuiſſe eum ſponſum habere, quin liberorum ſanguinem effunderet, ſimul exprobrans. 26. Hæc autem dicente Tſipphorà, minax Angeli ſpecies evanuit, quo Deum eſſe viro placatum cognovit.

27. Cùm ex Madianitide proficiſceretur Moſes, monitus eſt divinitus Aharon fratrem vivere, atque iter in Ægyptum, redeundi causâ, ingredi; juſſúſque ei obviam ire, ad Montem Chorebum, juxta quem tranſiturus eſſet. Paruit illico Aharon divinis monitis, commeatúque ſumto ad Chorebum ſe contulit, quo in loco fratri occurrit, eúmque amantiſſimè complexus eſt. 28. Moſes verò quid à Deo juſſus eſſet Aharoni expoſuit, & prodigia omnia, quorum edendorum facultatem à Deo acceperat, oſtendit.

29. Unà igitur in Ægyptum redierunt, quò cùm veniſſent, quamprimùm Iſraëlitarum ſenes, quorum maxima erat inter populares auctoritas, convocarunt, 30. Aharónque mandata à Deo Moſi data, iis audientibus, expoſuit; útque dictis fidem haberent, memorata antè prodigia Moſes, iiſdem inſpectantibus, edidit. 31. Quibus conſpectis, non dubitarunt Iſraelitæ quin verus eſſet Propheta, à Majorum ſuorum Deo miſſus, qui tandem, ærumnarum ſuarum commiſeratione permotus, Ægyptiaeæ ſervituti finem impoſiturus eſſet. Itaque omnes Deo, inflexo corpore, gratias illico egerunt.

P A-

poteſt etiam verti *& omiſit eum.* Significat Moſes Angelum antea minitantem, poſtquàm filium circumciderat Tſipphora, abiiſſe. Hinc videmur poſſe colligere, alterum filiorum Moſis fuiſſe circumciſum, quandoquidem, uno circumciſo, deſiit Moſi minitari Angelus; neque enim Lege Abrahamo lata minùs tenebatur ambos circumcidere, quàm unum. Uter autem, Gerſomúſne, an Elihezer, circumciſus à Tſipphora fuerit non docet Moſes.

Ceterùm quamvis in patrem, qui non circumcideret liberos mares, nulla feratur pœna Gen. XVII, 14. niſi quòd ejus filii Iſraelitæ non eſſent habendi; attamen hîc Deus Moſem Legiſlatorem futurum, qui id neglexerat, occiſurum ſe propterea minatus eſt; quia eum exemplo ceteris præire par erat, nemine legem curaturo, quam ipſe ſperneret Legiſlator. Si plenior exſtaret hujus eventûs expoſitio, dilucidiora omnia eſſent; nunc in tam brevi narratione, id adripimus quod veriſimillimum videtur.

Jehova] Vocem hanc ſubaudiendam ex ſuperioribus ſatis liquet. Attamen *H. Grotius* Sephoram intelligit; quem præterquàm quòd ſuperiora confutant, genus ipſum verbi וירף *vajjireph*, quod maſculinum eſt, hallucinatum eſſe oſtendit.

Cùm diceret] אז אמרה *az amerah*, quod alii vertunt, *tunc dixit.* Sed narratio antecedens oſtendit Tſipphoram ita eſſe loquutam, antequàm Angelus Moſi minari ceſſaret. Vide Jud. V, 11.

Propter circumciſionem] למולת lammouloth, *circumciſiones.* Samariticus למולות lammalouth, *circumciſionem.*

Cruentus] *Sanguinum.*

27. *Dixit interea*] *Et dixit*, ויאמר, dum, ſcilicet, in via eſſet Moſes.

In monte Dei] *Chorebo*, nimirum, de quo vide not. ad Cap. III, 1. Si accuratè ſciremus quam Ægypti inferioris partem incolerent Iſraëlitæ, poſſemus indicare quantum iter confecerit Aharon, antequàm obviam fratri veniret. Sed videtur ſaltem per ea loca ducem habuiſſe Angelum, cùm ſcire non poſſet quâ deſerti parte venturus eſſet frater, nam in iis locis non ſunt viarum ulla veſtigia. Sciremus etiam quare, breviore viâ, per deſertum Ethami, non redierit Moſes in Ægyptum.

28. *Quibus ſe inſtruxerat*] אשר צוהו *aſcher tſivvahou*, quæ præceperat ei.

29. *Cùm veniſſent*] *Et ivit Moſes, & Aharon & congregarunt.*

Senes] Vide not. ad Cap. III, 16.

30. *Tum Aharon*] Ne balbutientem Moſem ſpernerent.

31. *Reſpexiſſe*] כי פקד *chi phakad.* Vide ſup. Cap. III, 7. & not. ad Gen. XXI, 1.

Iſraëlitas] *Filios Iſraëlis*, ἀντὶ τοῦ ſe, ut paſſim ſolent Hebræi loco pronominum ſubſtantivis uti.

Itaque inflexo corpore eum veneratus eſt] ויקדו וישתחוו vajjikkedou vajjiſchthahhavou, *incurvaverunt ſe & venerati ſunt*, nempe, Moſem, quaſi Dei Prophetam. Alii *Deum* intelligunt, ſed eo geſtu corporis non minùs homines, quàm Deum ſalutabant. Vide Gen. XXIII, 7.

C O M-

V. Pharahonem frustra, de dimittendo Israële, conveniunt Moses & Aharon. Is Israëlitas duriùs habet, qui ab illis se delusos queruntur. Moses ad preces conversus nova Dei audit promissa, quæ ab Israëlitis non creduntur, quo fit ut Pharahonem convenire vereatur. CAPUT V.

1. PHARAHONEM postea Moses & Aharon adiere, & sic, inquiunt, dixit Jehova Deus Israëlis: dimitte populum meum, ut mihi festum in deserto celebret. 2. Pharaho verò, quis est, inquit, Jehova, ut, dimisso Israële, voci ejus obsequar? Nec novi Jehovam, nec Israëlem dimittam. 3. Deus Hebræorum,

PARAPHRASIS.

1. NON multò pòst, Regem Ægypti Moses & Aharon convenere, & significarunt se Dei Israëlis jussu, qui JAHVO diceretur, ab eo petere ut Israelem per aliquot dies in desertum ire, rei divinæ faciendæ causâ, pateretur. 2. At Pharaho negare se scire quis esset ille JAHVO, nec propter ignoti Numinis reverentiam, à se Israelitas potestatem abeundi impetraturos. 3. Aharon verò reposuit, Hebræorum esse Numen, à quo ea mandata accepissent, quod ut festo die sibi placarent, abeundi in desertum per triduanum iter veniam orabant; ne monitis ejus neglectis, bellum exitiale, aut pestilentiam sibi immitteret, quibus spreta sua præcepta ulcisceretur, quod ne ipsi quidem

COMMENTARIUS

In CAPUT V.

1. PHarahonem &c.] *Iverunt — & dixerunt Pharahoni.*

Ut mihi festum in deserto celebret] *Et celebrent festum.* ויחגו *jabbugou.* Adfinia sunt verba חגג & חוג, & posterius quidem, non minùs ac prius, videtur significare *orbem describere*, cùm quacumque ratione, tum etiam *saltando.* Quia autem festis diebus, inter alia hilaritatis publicæ indicia, saltationes erant, ideò חגג postea *festum celebrare* significavit. Choreas fuisse diebus festis docemur infrà Cap. XV, 20. XXXI, 7. Jud. XXI, 19, 21. 2. Sam. VI, 13, 16. Festum hìc intelligit Moses, non choreis modò, sed conviviis, canticis, omnique hilaritatis genere celebrandum; qualia erant Israëlitarum festa, imò verò omnium gentium, qua de re aliàs viderimus. Certè Israëlitæ sat longam, sátque gravem passi erant servitutem, ut aliquando ferias haberent, festísque aliquot diebus recrearentur. Hinc, ut plurimis aliis ex locis, liquet Deum se coli passum iis ritibus, qui populum juvarent, omnémque Religionem non ad usum Dei, quid enim ex miseris mortalibus ad eum redundaret? sed ad usum gentium fuisse comparatam.

2. *Occurrit nobis*] נקרא עלינו *nikra halenou.* Cum א & ה confundantur, non hìc solùm קרא & קרה miscentur, sed & Gen. XLII, 28. & alibi. Vide quæ habemus ad Cap. III, 18.

3. *Trium dierum iter*] Non eo quidem animo in desertum ituri erant Israëlitæ, ut per triduum tantùm progressi sacra facerent, ac redirent; sed iis omne consilium suum aperire necesse non erat; qui enim minora negaturus pertinaciter erat, majora numquam concessisset, quamtumvis æqua. Itaque deserendæ Ægypti consilium videntur dissimulasse Israëlitæ.

Pestilentia aut gladio impetat.] *Occurrat nobis in pestilentia, aut in gladio:* יפגענו *jiphgabenou*; sed verbum hoc, quod propriè sonat *occurrere*, tralaticio sensu *occidere* est, aut *gladio* (si vox gladii adjuncta sit) vel quovis alio telo *impetere*; quod videtur ductum à latronibus, qui viatoribus, quos intersecturi aut spoliaturi sunt, occurrunt. Vide 2 Sam. I, 15.

Gentibus ferè omnibus communis hæc opinio fuit, festis in sui honorem celebratis delectari Numen, eorúmque neglectu offendi; usque adeò ut clades, & pestes, propter omissa sacra, aut negligentiùs procurata, sæpe immiserit. Plenæ sunt exemplis Græcorum & Romanorum Historiæ, quæ hìc commemorare nihil adtinet. Ut de vero Numine loquamur, quamquam festa Deum non juvabant, attamen ea ab Israëlitis celebrari studiosè volebat; quia iis & publica Religionis testificatio, & religiosæ societatis vinculum continebantur. Eget enim populus externâ aliquâ celebritate, ut officii sui commonefiat, memórque sit Dei res humanas curantis; eget communibus & publicis sacris, ut arctiùs iis, qui in civitatem unam coïerunt, conjunctum se intelligat. Alioquin, ut est ingenium humanum, plebs & Dei & officiorum omnium oblita, unà cum Religione, societatis etiam humanæ jura temerè violaret, unde innumera hominibus orirentur in vita mala. Itaque festa non in Dei, sed in hominum usum comparata erant; si res probè expendatur, quamvis hoc vulgus semper non intelligat. Meritò quidem *Lucianus*, in Lib. de Sacrificiis, eos castigat οἳ οὕτω ταπεινὸν καὶ ἀγεννὲς τὸ θεῖον ὑπειλήφασι, ὥστε εἶναι ἀνθρώπων ἐνδεὲς, καὶ κολακευόμενον ἥδεσθαι, *qui tam humile & pusillanimum Numen censent, ut indigeat hominibus, & adulationibus petitum delectetur.* Potest tamen dici ἀγανακτεῖν ἀμελούμενον *neglectum indignari*, non propter se quidem, hominum cultûs nequaquam egenum; sed propter ipsos homines, quibus ille neglectus, ut diximus, vel in hac vita, summoperè noxius est. Licet insectetur τὰ Αἰτωλικὰ πάθη, καὶ τὰς τῶν Καλυδωνίων συμφορὰς, καὶ τοὺς τοσούτους φόνους, καὶ τὴν Μελεάγρου διά-

rum, inquiunt illi, nobis obviam venit; trium dierum iter in desertum, quæsumus, progrediamur, ut Jehovæ Deo nostro sacra faciamus, ne nos pestilentiâ, aut gladio impetat. 4. Rex autem Ægypti, Moses, inquit, & Aharon, quare populum ab opere avocatis? ad onera vestra ite. 5. Dixit etiam Pharaho: nunc multus est terræ populus, vósque ut cesset ab oneribus suis facitis.

6. Die illo, exactoribus populi eorúmque adparitoribus mandata dedit Pharaho, his verbis: 7. ne ampliùs, ut antehac, date paleam huic populo, ad ducendos lateres, eat ipse & sibi colligat. 8. Summam tamen laterum, quam antehac conficiebat, ei imponite, neque quidquam ex ea detrahite. Sunt enim otiosi *Israelitæ*, proptereáque clamitant: eamus, & Deo nostro sacra faciamus. 9. Gravius imponatur hominibus opus, atque in eo occupati sint, neque mendacium verborum

dem Regi optandum erat. 4. Tum objurgare Rex Aharonem & Mosem, quòd vanis sermonibus populares ab impositis operibus avocarent, & jubere illico ad imperata facienda redire, nisi sibi pœnas dare vellent. 5. Multitudine enim Israëlitarum fretos, novas res eos moliri, & specie divini cultùs homines ad otium traducere.

6. Tum vocatos operum præfectos 7. vetuit in posterum paleam, ut antehac, suppeditare Israelitis; oportere enim ipsos ajebat sibi quærere, 8. nec tamen ex summa laterum antea imperata quidquam detrahi. Homines otio abundare, & propterea in circulos coire, legatósque ad se mittere, qui festi Deo Israëlis celebrandi potestatem sibi fieri petant. 9. Quamobrem gravius onus illis esse imponendum, ne præ otio aures mendacibus narrationibus hominum, qui se à Deo missos jactarent, præberent. 10. His auditis, operum præfecti

διάλυσιν, ἃ ἔργα φασὶν εἶναι τῆς Ἀρτέμιδος μεμψιμοιρούσης ὅτι μὴ παρελήφθη αὐτὸς τὴν θυσίαν ὑπὸ τοῦ Οἰνέως, *Ætolica illa mala & Calydoniorum calamitates, & tot cædes & Meleagri interitum, quæ omnia dicunt esse Dianæ opera, quæ graviter ferret se ab Oeneo ad sacrificium non fuisse adhibitam.* Si Numen ejusmodi adfectibus laboraret, Numen non esset; sed ipsorum hominum causâ, útque iis postea bene sit, mala interdum humano generi immittere, quasi pharmaca quædam, benefica est profectò Naturæ, & communis omnium parentis. Atque hæc obiter, ut liqueret quàm meritò possit rituum neglectum verus Deus, pestilentiâ & bello, plectere.

4. *Avocatis*] תפריעו *thaphribou*. Samariticus: תפרידו thaphridou, *separatis*. Idem sensus.

Ad onera vestra] Nimirum, ad lateres. Vide not. ad Cap. I, 11.

5. *Multus est*] *Multi nunc populus terræ*. Hoc est, postquàm vidistis summopere crevisse Israëlitarum numerum, res novas moliri cœpistis; & festorum obtentu, eos à labore adsueto avocatis. Israëlitæ rectè dici possunt *populus terræ*, quia omnes in Ægypto nati erant, quamvis eorum majores, ante quartam ætatem, ex Chananæa venissent. At Samariticus Codex habet מעם meham, *plures sunt quàm populus terræ*, nimirum, quàm veteres Ægyptii. Sensus esset, quia videtis Ægyptios à vobis numero superari, ideò onera ab iis imposita excutere vultis. LXX. verò Intt. Pharahonem inducunt dicentem: μὴ οὖν καταπαύσωμεν αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἔργων, *ne cessationem illis demus ab operibus*; ne scilicet, per otium res novas moliri, ut fit, incipiant.

6. *Exactoribus populi*] *Exigentibus inter populum.*

Eorúmque adparitoribus] שטריו *schoterau*, hoc est, *adparitoribus ejus*, nempe, populi, sed hoc non fert Latina loquutio; nam adparitores ejus dicuntur cujus imperiis parent, cui adstant; nimirum, magistratûs, non populi, in quem imperia magistratuum exsequuntur. Hac autem voce significari *adparitorem*, aut *viatorem*, inde colligere est quod semper soleant Magistratuum mentioni conjungi. Vide Deut. I, 15. XVI, 18. Jos. VIII, 33. 2. Paral. XIX, 11. Prov. VI, 7. Hinc Josuæ I, 10. præconum munere funguntur שטרים schoterim. LXX. Intt. γραμματεῖς & γραμματοεισαγωγεῖς vertunt, sine dubio quia norant שטר *schtar* & משטר *mischtar*, apud Chaldæos & Syros, *scriptum instrumentum* significare, & fortè ad horum hominum munus pertinuit judicum decreta, supplicésque privatorum libellos scribere; ut scribæ essent judicum, eorúmque qui in judicium vocabant, aut vocabantur. Omnes Intt. Judæi & Christiani in eo consentiunt, ut adparitores intelligantur; quorum suffragia collegit *Joan. Seldenus* de Syned. Heb. Lib. I. c. 15.

7. *Ne ampliùs ut antehac &c.*] *Ne addatis dare paleam, ut heri & nudius tertius.* Vide ad Cap. IV, 10. Rectè *Symmachus* αὐτόθεν, *antehac.*

Date paleam] Nimirum, cùm certus numerus laterum Israëlitis imperaretur, ut possent eum præbere, iis è regiis horreis dividebatur palea, quam luto miscerent. Hoc nisi usus doceret hodiernus, discere possemus ex *Lucilii* Sat. Lib. IX. ex quo hoc ἀποσπασμάτιον laudat *Nonius Marcellus*:

Nam laterem qui ducit habet nihil ampliùs unquam,
Quàm commune lutum è paleis, cœnúmque aceratum.

Aceratum, ait Nonius, *est lutum paleis mistum, ut laterarii usus est.*

Ad ducendos lateres] ללבן הלבנים *lilbon hallebenim.*

Et sibi colligat] *Ipsi eant & colligant sibi paleam.*

8. *Sunt enim otiosi*] Vide not. ad vers. 4. & quæ habet *Hug. Grotius* ad Cap. I, 11. Ægyptii eo tempore quo, exundante Nilo, omnibus operibus rusticis soluti erant, festa potissimùm celebrabant. *Diodorus Siculus* Lib. I. p. 33. οἱ ὄχλοι

rum rationem habeant. 10. Egressi ergo è *Regia* exactores populi, eorúmque adparitores, ei dixerunt: Sic dixit Pharaho, nullam ampliùs vobis do paleam, 11. ite vos, paleam undecumque nanciscemini vobis sumite, neque enim quidquam ex opere vestro detrahetur.

12. Sparsus itaque est populus per totam Ægyptum, ad stipulam quærendam paleæ loco. 13. Exactores interea urgebant, & opera vestra, inquiebant, in singulos dies perficite, quemadmodum cùm *erat* palea. 14. Vapulabant etiam adparitores ex Israëlitis, quos iis imposuerant Pharahonis exactores, qui dicebant: quare heri atque hodie præscriptum demensum laterum ducendorum, ut antea, non perfecistis? 15. Præfecti verò ex Israëlitis expostulatum iverunt ad Pharahonem, & quare, inquiebant, ita agis cum servis tuis? 16. Palea nulla datur servis tuis; *exactores*

fecti edictum regium per Israëlitarum agros promulgari curarunt; quo ipsi de palea sibi prospicere jubebantur, sine ulla imperatorum laterum imminutione. 12. Igitur Israëlitæ, ut imperata facere possent, latè per Ægyptum vagati sunt, & quoniam paleam nancisci eâ copiâ, quâ indigebant, non licebat, stipulam quam luto miscerent undequaque colligebant. 13. Interea operis exactores non minùs ac antea eos urgebant, 14. & cùm solitam summam laterum in dies perficere non possent, propter paleæ inopiam, Israëlitæ, quos Ægyptii popularibus præfecerant, pro ceteris vapulabant. 15. Hi verò ad Regem querelas deferunt, 16. & quàm iniquè secum ageretur ostendunt, cùm & ipsi & populares pœnas luerent non absoluti ejus laterum numeri, quem negatâ sibi, quæ antea suppeditabatur, paleâ, conficere in dies nullo labore

ὄχλοι πάντα τὸν τῆς πληρώσεως χρόνον ἀπολελυμένοι τῶν ἔργων, εἰς ἄφεσιν τρέπονται, συνεχῶς ἑστιώμενοι καὶ πάντων τῶν πρὸς ἡδονὴν ἀνηκόντων ἀνεμποδίστως ἀπολαύοντες: *vulgus omni tempore, quo exundat Nilus, operibus exsolutum ad animi relaxationem convertitur, perpetuò epulans, omnibusque ad voluptatem facientibus sine impedimento fruens.*

9. *Gravius imponatur opus* &c.] *Gravius fiat opus super homines.*

Mendacium verborum rationem habeant] *Respiciant ad verba mendacii*, שוי *jishou*. Vide Gen. IV, 4. & quæ ibi notavimus. Adde & Esai. XVII, 7. XXXI, 1. Est, nempe, otiosorum hominum inanibus consiliis aurem præbere. *Verba* autem *mendacia* vocat quod narrabat Moses, jussum se à Deo Pharahonem convenire, ut veniam ab eo peteret in desertum abeundi.

10. *Egressi* &c.] *Et exierunt & dixerunt populo.*

Eorum apparitores] *Ejus apparitores.* Vide ad vers. 6.

12. *Paleæ loco*] לתבן *lattbeben*, in paleam. Sic Cap. IV, 16. לאלהים *lelobim*, est Dei loco.

13 *Exactores interea*] *Et exactores.*

In singulos dies] *Rem diei, die suo.*

Cùm vobis erat palea] Addit Samariticus: נתן לכם nothoun lachem, *data vobis*, & LXX. ἐδίδοτο ὑμῖν, quod satis subauditur.

14. *Adparitores ex Israëlitis*] *Adparitores filiorum Israëlis.* Videntur hi fuisse Israëlitæ, ut Exactores Ægyptii erant. Propterea οἱ LXX. verterunt γραμματεῖς τῆς γένους τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Vide sequentia.

Præscriptum demensum laterum ducendorum.] חקכם ללבן hhokchem lilbon, *statutum vestrum ad lateres faciendos.* De voce חק *bhok.* vide not. ad Gen. XLVII, 22. συντάξεως πλινθείας verterunt οἱ LXX.

15. *Expostulatum iverunt*] *Et venerunt & clamaverunt ad Pharahonem dicendo.*

Interea vapulant] *Ecce vapulant.*

Plectitur] וחטאת vehhatath, *& peccatum populi tui*, hoc est, quasi deliquisset plectitur. Vide not. ad Gen. XXXI, 39. & 1. Reg. I, 21.

18. *Nec eo minùs summam*] *Et summam laterum.*

20. *Qui stabant ut obviam illis fierent*] *Stantes obviam illis*, לקראתם *likratham*; ut, nimirum, rescirent ecquid à Pharahone levamenti obtinuissent.

21. *De vobis viderit*] Hoc est, à vobis pœnas repetat hujusce vestræ temeritatis, quâ invisi & suspecti facti sumus Regi. De verbo ראה *raah*, vidit, vide Cap. III, 7.

Qui nos infamastis &c.] *Qui fœtere fecistis odorem nostrum in oculis Pharahonis, & in oculis servorum ejus.* De hac phrasi vide not. ad Genes. XXXIV, 31. Hoc est, qui nos rerum novarum suspectos fecistis; quâ culpâ nulla est, apud Principes, exitialior.

Quo nos occiderent gladium] Hoc est, causam nos malè habendi. Est παροιμιώδης dictum, quale apud Græcos μὴ παιδὶ μάχαιραν, *ne puero gladium*; hoc est, ne ei des quidquam, qui eo potest abuti, in suam aut aliorum perniciem. Sic argentum adolescenti amanti datum dicitur, apud Plautum, in *Trinummo* Act. I. S. 2. *gladius qui se occidat.*

22. *Conversus ad Jehovam*] *Et reversus est ad Jehovam*; nempe, precibus.

Quare hunc populum malè habuisti] Deus, nimirum, novarum miseriarum occasionem præbuisse videbatur, mandatis ad Pharahonem Mosi datis; cùm liberaturum se Israëlitas promisisset. At si paullùm exspectasset Moses, expostulandi cum Deo nulla ratio fuisset, & se frustra missum non fuisse satis intellexisset.

In Caput VI.

1. *Nunc*] עתה *hattbah.* Samariticus habet אתה atthah, *tu*, sed sæpe in eo codice א & ע miscentur ob adfinitatem.

Prævalida manu coactus] Postremam vocem addidimus ne יד חזקה *jad bhazacha*, manus prævalida Pharahonis esse putaretur, quâ Dei potentia, non hominis ullius, significatur. Est me-

res tamen, facite, inquiunt, nobis latera; interea vapulant servi tui, populúsque
plectitur. 17. Ille verò, otiosi, inquit, estis, otiosi, eáque de causa dicitis: eamus
& sacra Jehovæ faciamus. 18. Abite nunc, operi incumbite, neque enim palea
vobis præbebitur, nec eò minùs summam laterum reddetis.
19. Viderunt præfecti ex Israëlitis se in *extremis* malis *versari*, cùm diceretur,
nihil minuetis è lateribus vestris, in singulos dies *reddendis*. 20. Inciderunt autem
in Mosem, & Aharonem, qui stabant, ut obviam illis fierent, quando à Pharahone egrederentur.
21. His verò *adparitores*, de vobis, inquiunt, viderit Jehova,
judiciúmque ferat, qui nos apud Pharahonem ejúsque servos infamastis, ita ut illis in manum quo nos occiderent gladium dederitis.
22. Tum conversus ad Jehovam Moses, quare, inquit, Domine, hunc populum malè habuisti? quare me sic
mi-

bore possent. 17. Rex verò eorum querelis nihil reposuit, nisi iis satis supérque esse temporis, ad conquirendam paleam, cùm otio abundarent, ideóque de festo celebrando cogitarent. 18. Irent ergo & solitum pensum, sine cunctatione, persolverent.

19. Ex hoc responso intellexerunt Hebræi præfecti, nullum sibi esse ab Regis æquitate auxilium sperandum; 20. & cùm moesti è Regia egrederentur, inciderunt in Mosem & Aharonem, qui in platea exspectabant, ut quale futurum esset responsum Regis cognoscerent. 21. Ibi verò præfecti hominibus indignari, qui populares suos apud Pharahonem rerum novarum suspectos fecissent, & perdendorum Hebræorum immisericordi Regi occasionem præbuissent. Quod scelus, ne impune sineret, Deum orabant. 22. At Moses, his auditis, secessum petiit, & cum Deo expostulare coepit, quasi iratus se ad Hebræos misisset; 23. ex quo enim Pharahonem adiisset, malè ab eo habitum miserrimum populum, nec à Deo ejus sævitiæ ereptum fuisse.

1. Precibus à Mose effusis, divinitus emissa vox respondit, jam adesse tempus; quo potentiæ Dei ea

metaphora sumta ab iis, qnibus à validiore vis infertur, & in sequentibus frequens.

2. *Sum Jehova*] Hoc est, vocor Jehova, nec frustra. Vide sequentia.

3. *Quasi Deus omnipotens*] באל שדי *beel schaddai*, in Deo omnipotente. De hac voce, vide dicta ad Gen. XVII, 1. Hoc est, ostendi me omnia posse, variis beneficiis quæ in eos contuli.

Nomine meo Jehova illis non innotui] Non repetemus quæ de nomine Jehova scripsimus ad Cap. III, 17. Hoc loco confirmatur quod diximus ad Cap. III, 17. Deum nunc demum, non priùs, ab Hebræis nomine hoc adpellari se voluisse; neque clariùs dici hoc potuit, quàm hîc exprimitur. שמי *schmi* est pro בשמי bischmi, *in nomine meo*, nec quidquam est Ellipsi præpositionis ב freqnentius. LXX. tamen Intt. & Vulg. phrasin inverterunt *ὄνομά μου κύριος οὐκ ἐδήλωσα αὐτοῖς*, *nomen meum Adonai non indicavi eis*.

Verùm non hoc tantùm vult Deus, duas syllabas vocis יהוה, quasi nomen suum, à prioribus Patriarchis non auditas; sed quod nomine illo significatur nondum eos conspexisse, ut jam monuimus ad superiora verba. Quemadmodum apud Scriptores Sacros *vocari* interdum idem est ac *esse*: ita hîc ei *indicari nomen* negatur, cui subjecta nomini potestas re ipsâ nondum aperitur. De eo sensu vocis *vocari*, vide Esai. IX, vers. 6. ubi *vocabitur admirandus*, perinde est ac *erit*, & LVI, 7. ubi *domus mea vocabitur domus orationis*, idem significat ac *erit*, ut ipsâ re liquet & Luc. XIX, 46. Adi etiam Intt. ad Matth. I, 23. Pariter in posterum *Dei nomen* futurum dicitur *Jehova*, pro eo quod est, Deus est quod eo nomine exprimitur præstiturus. Hinc apud Prophetas frequenter legas, *nomen ejus est Jehova*, *ἀντὶ τοῦ*, est id quod eo nomine significatur. Exempla inferiùs adferam. Videndum ergo est quæ sit vis vocis יהוה, circa quam cum aliorum conjecturas rejecerimus ad Cap. III, 15. nostra est aperienda.

Dubium non est quin vox ab היה *fuit* derivetur, quo factum ut suspicarer Deum vocabulum יהוה sibi sumsisse, non quòd suâ naturâ sit, adeóque æternitate gaudeat, sed quòd efficiat ut res sint, quasi esset futurum Hiphil יַהְוֶה aut Pihel יְהַוֶּה *faciet ut sit*: quæ sola significatio & huic loco & pluribus aliis convenit, ut paullò diligentiùs ostendemus, quoniam res est nova, & à nemine adhuc, quem norim, excogitata. Uno verbo Græcè non ineleganter dixeris *γενεσιουργὸν* *exsistentiæ effectorem*, quâ voce *Clemens Alexandrinus* alíique Patres usi sunt, ut significetur *ὃς τὴν γένεσιν πάντων ἐργάζεται*. Vult ergo Deus se Abrahamo, Isaaco & Jacobo ea specimina potentiæ suæ ostendisse, ut non possent dubitare quin, ad omnia quæ polliceretur olim præstanda, esset שדי *schaddai*, hoc est, satis potens; sed tamen maximorum illorum promissorum eventum ab iis non fuisse conspectum, qui jam (יְהַוֶּה) *ut esset facturus erat*, eúmque ob oculos Israëlitis positurus. Hinc Deus hîc orationem orditur his verbis אני יהוה *ego Jehova*, hoc est, is sum qui re præstiturus sum quod olim promisi. Idem repetit verss. 6, & 8. postquàm promissa illa commemoravit. Similiter vers. 29. *Ego Jehova*, ait Deus Mosi, ut sciret quamprimùm implenda esse vetera promissa, nec dubitaret ejus apud Pharahonem esse interpres. Capite verò VII, 5. *Tum scient Ægyptii me esse Jehovam, cùm in Ægyptum manum meam exseruero* &c. hoc est, eum esse *qui facit ut sit* quidquid vult. Sic & vers. 17. *Hoc me Jehovam esse cognosces, ecce ego aquas fluvii virgâ quæ in manu mea est percutiam, atque in sanguinem convertentur*; Deum esse, nimirum, qui effectum dat quod videtur. Iterum Cap. VIII, 22. *Distinguam ego die Gosenitidem, ubi est populus meus, ut me Jehovam in media tua terra esse intelligas*; hoc est, ne putes Deum me esse *ἐπιχώριον*, qui in Ægypto
nihil

misisti? [23] Ex quo enim Pharahonem conveni, ut nomine tuo *eum* alloquerer, malefecit huic populo, neque populum tuum liberavi.

[1] Jehova verò Mosi, nunc, inquit, quæ Pharahoni facturus sim videbis, nam prævalidâ manu *coactus* eos dimittet, atque ex agro suo exterminabit. [2] Iterum alloquutus est Mosem Deus, &, ego, inquit, sum Jehova. [3] Patefactus sum Abrahamo, Isaaco & Jacobo, quasi Deus Omnipotens; at nomine meo Jehovâ, illis non innotui. [3] Et fœdus cum iis pepigi, ut eos terra Chananæa, terra in qua peregrinabantur, donarem; [5] & clamorem Israëlitarum; quos in servitutem redegerunt Ægyptii, audii, fœderísque mei sum recordatus. [6] Quamobrem dic Israëlitis: Ego sum Jehovà, oneribus Ægyptiorum vos expediam, vos à servitute quam eis servitis liberabo, vos brachio exserto, magnisque judiciis eripiam. [7] Vos recipiam mihi CAPUT VI.

ea specimina in Rege Ægypti conspecturus esset; quibus adactus tyrannus Hebræos ex agris suis tantùm non expelleret, nedum ut ampliùs moraretur. [2] Intellecturum brevi Mosem Deum id nominis, quo significaretur is qui facit ut quod vult sit, non frustra sibi indidisse. [3] Se quidem satis ostendisse Abrahamo, Isaaco & Jacobo potentiâ suâ maxima quæque effici posse, sed re ipsâ nondum præstitisse quæ potissimùm illis pollicitus erat; at nunc novo nomini sibi indito consentanea tandem peracturum, ex quibus ea fieri quæ vellet, eventu eorum quæ olim prædixerat, cogniturі essent Hebræi. [4] Olim fœdere cum Patriarchis inito pollicitum se fuisse eorum posteris agros Chananæorum, in quibus peregrinabantur; [5] nunc verò, ex eo fœdere, id quod promiserat præstiturum, Israëlitásque tyrannidi Ægyptiacæ erepturum. [6] Iret ergo Moses ad populares, eósque suo nomine alloqueretur, in hanc sententiam: Deum Hebræorum id esse Numen quod re ipsâ præstaret, quæ prædixisset; itaque eos brevi, jugo Ægyptiorum excusso, cladibúsque confectis inimicis, liberos abituros. [7] Quo peracto, Hebræos singulari cultu sibi consecratum iri, séque etiam singulari favore eos prosequuturum; ac tum

nihil facere queat, *faciam ut sint* muscæ caninæ in universa Ægypto, exceptâ Goseniтide Cap. XI; 1, 2. *Mea signa*, ait Deus, *inter eos edam, atque narres filio tuo & nepoti, quæ in Ægyptios fecerim, & quæ mea signa in eos ediderim, sciatisque me esse Jehovam*; id est, eum Deum qui per vates suos nihil prædicit, quod non præstet. Cap. XIV, 18. *Ægyptii*, inquit Deus, *me Jehovam esse intelligent, cùm gloriam ex Pharahone, curribúsque ejus & equitibus mihi pepe-rero.* Scient, scilicet, experti nihil tam magnificum, támque stupendum intelligi posse, quod non יַהְוֶה *faciat ut sit* Israëlitarum Deus. Plura, ex Mose, non addemus; sed ne ullum supersit dubium, aliquot Esaiæ & Jeremiæ loca proferemus.

Esai. Cap. XLII, 5. & *seqq.* *Sic dixit*, inquit, *Deus* JEHOVA (האל יהוה) *qui cœlos creavit, extenditque, qui terram firmavit, ejusque proventus, qui animam dedit populo qui in ea est, & spiritum iis qui ei insistunt.* EGO JEHOVA *vocavi te, præ misericordia, adprehendam manum tuam, servabo te, faciam te fœdus populis, & lucem gentibus, ad aperiendos oculos cæcos, ad educendum vinctum è carcere, sedentésque in tenebris liberandos.* EGO JEHOVA, *hoc nomen meum est, neque gloriam meam alteri, aut laudem sculptilibus concedam.* Hinc *Jehovæ* nomen synonymum esse voci בורא bore, *creator*, satis liquet; adeóque eo significari Numen, quod ea quæ non erant יַהְוֶה *fecit ut essent.* Opponit hanc suam gloriam sculptorum Deorum vanitati, qui nihil cultoribus suis præstant, neque ulli umquam rei τὸ εἶναι dederunt. Similiter Cap. XLVIII, 2. *Ex sancta urbe vocati sunt, Deóque Israëlis freti,* JEHOVA *Deus exercituum nomen ejus. Priùs quàm evenirent, res ab eo tempore nunciavi, ex ore meo exierunt, audientibus iis dixi, tum repente eas feci, & evenerunt.* Nimirum, unus, idémque Deus, cujus nomen est יהוה δημιουργός, quæ prædixerat futura ea יהוה jehavveh *faciebat exsistere*, tempore constituto, quod de aliis Diis, ut in sequentibus habet Propheta, numquam dicere licuit.

Non absimili modo, apud Jeremiam Cap. X, 14. & seqq. commemoratâ rerum omnium creatione, cujus nullam partem ficti Dei vindicare sibi poterant: *Pudore adfectus est*, inquit Deus, *omnis conflator à re quam sculpsit, nam vanitas est res conflata, neque ei inest spiritus. Inanitas est, opus ludibrii, tempore quo inspicietur peribit. Non est ut ista qui pars est Jacobi,* כי יצר הכל הוא *nam ille omnia finxit, Israël verò tribus est hereditatis ejus,* JEHOVA *Deus exercituum nomen ejus.* Idem Cap. XVI, 21. *An homines sibi facient Deos, cùm ipsi Dei non sint? Quamobrem ecce ego hac vice faciam ut innotescant, ostendam iis manum, & potentiam meam, & scient nomen meum esse* יהוה JEHOVA, seu me esse δημιουργὸν καὶ πάντροφον, non verò fictos Deos, quos priùs coluerunt. Pariter, ut creatorem signari intelligas, Cap. XXXI, 35. *Sic*, inquit, *dixit Jehova, qui dedit Solem ut illuceret diei, ordines verò Lunæ & stellarum ut illustrarent noctem, qui perfregit mare, sonuerúntque hujus fluctus,* JEHOVA *Deus exercituum nomen ejus est.* Capite verò XXXIII, 2. *Sic dixit* JEHOVA FACIENS, JEHOVA FORMANS *hoc, ut ratum faciat,* JEHOVA *nomen ejus.* Vide XLVI, 18. XLVIII, 15. L, 34. LI, 19, 57.

Verùm cùm hæc ita sint, objecerit fortè quispiam hinc colligi posse, hoc in loco, contrà quàm diximus; Deum non tam novum vocabulum adsumsisse, quàm aliter ab hoc tempore se gesturum, seu id quod vox illa sonat, præstiturum dixisse. At ut hoc ipsum pleniùs & expressiùs significet, ideò novo hoc nomine adpellari se jubet. Sic Gen. XVII, 5. Abramo pollicitus numerosam posteritatem, brevíque ei Isaacum daturus, nomen mutat: *non Abramus*, inquit, *adpellaberis ampliùs, sed nomen tibi Abrahamo erit, nam patrem te multitu-*

hi in populum, Deus vobis ero, & me Jehovam Deum vestrum vos oneribus Ægyptiacis expedire cognoſceris. [8] Vos in terram, quam manu ſublatâ juravi me daturum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, intromittam, eámque vobis hereditatem dabo. Ego ſum Jehova.

[9] Sic alloquutus eſt Moſes Iſraëlitas, ſed præ angore animi, & dura ſervitute, eum non audiverunt. [10] Tum Deus Moſi, ito, inquit, [11] alloquere Pharahonem, Ægypti Regem, ut Iſraëlitas è terra ſua dimittat. [12] Moſes verò coram Jehova loquutus eſt, his verbis: en Iſraëlitæ me non audierunt, quomodo autem me, qui labiis incircumciſus ſum, Pharaho audiret?

VI. Ru-

tum demum rebus ipſis intellectutos ſe ab eo Numine, quod ſtat promiſſis, eſſe liberatos. [8] Poſtea ſe iis agros, quos interpoſito jurejurando Abrahami, Iſaaci & Jacobi poſteris promiſiſſet, diviſurum; atque, in hac etiam re, ſeſe Deum, qui efficit ut quod vult fit, præſtiturum.

[9] Hæc quidem popularibus à Deo accepta expoſuit Moſes, ſed perpetuâ laterum coctione uſque adeò diſtinebantur, ægróque animo erant, ut vix eum audierint. [10. 11] Tum Deus juſſit Moſem iterum ad Pharahonem ire, & Iſraelitis poteſtatem abeundi petere. [12] Moſes vero balbum ſe eſſe, qui ne ab Hebræis quidem auditus eſſet, nedum ut à Pharahone audiretur, reſpondit.

P A-

titudinis gentium faciam. Non modò rem Abrahamo confert; ſed ut beneficii ſui, quotieſcunque nomine vocaretur, memor eſſet, priſtinum vocabulum mutat. Pari ratione hîc & θαυματουργὸν re ipsâ ſe oſtendit, & nomine antea inaudito, atque in poſterum ſemper uſurpando adpellari vult, ut hoc ſit ejus זכרו לדר דר *memoria in ætatem & ætatem* (Cap. III, 15.) prolatóque eo vocabulo, memores eſſent Judæi & πάντων θαυμάτων & omnium eorum quæ in gratiam ſui ὁ θαυματουργὸς ὁ μέγας præſtitiſſet.

4. *Fœdus*] *Fœdus meum.*

Terra in qua peregrinabantur] *Terra peregrinationum eorum, in qua peregrinabantur.*

5. *Audii*] Vide not. ad Cap. III, 7.

6. *Ego ſum Jehova*] Subintelligitur כי chi, *quòd ego ſum* &c. aut legatus inducitur perſonam ejus à quo mittitur ſuſtinens. Vide not. ad Gen. Cap. XVI, 13.

Oneribus vos expediam] *Faciam vos exire de ſub oneribus.*

A ſervitute quam iis ſervitis] *Ex ſervitute eorum.*

Brachio exſerto] Idem eſt ac *prævalidâ manu*, nam cùm vi aliquid facimus brachia porrecta intendimus; alioqui leviora ſolâ manu tractamus, ſine ulla nervorum contentione.

Judiciis magnis] Hoc eſt, plagis quibus damnabo Ægyptios. Nihil frequentius verbo *judicare*, ἀντὶ τοῦ *plectere*, & nomine *judicium* ἀντὶ τοῦ *pœna*. Vide ſuperioris Cap. v. 21.

7. *Recipiam*] לקחתי *accipiam*, ſed Hebræi compoſitis carent. Antea fuerant, à fœdere cum Abrahamo inito, Iſaacus, ejúſque poſteri ex Jacobo oriundi *populus Dei*; ſed per aliquot ætates, dum in Ægypto ſervirent, eos inſtar populi ſui non habuerat Deus.

Deus vobis ero] Vide not. ad Gen. Cap. XVII, 8.

Jehovam] Qui præſto quod promiſi, & quidquid videtur facio. Vide ad verſ. 3.

8. *Manu ſublatâ juravi*] *Manum ſuſtuli*, qui jurantium, & Deum teſtem è cœlo vocantium, eſt geſtus. Non poteſt de Deo dici, niſi mirâ καταχρήσει τε καὶ ἀνθρωποπαθείᾳ, & frequens tamen eſt in hiſce libris. Vide Gen. XIV, 22.

Hereditatem dabo] Non quaſi villicis, aut colonis, ut Ægyptios agros, ſed propriam, & optimo jure poſſidendam, ut quæ hereditate à Majoribus ad poſteros pervenerunt.

9. *Eum*] *Moſem.* Perperam adſuete videntur Samaritæ, ex alio loco: *dixeruntque Moſi, deſiſte nunc à nobis, ut ſerviamus Ægyptiis; nam meliùs nobis eſt ſervire Ægyptiis, quàm mori in deſerto.* Ex Cap. XIV, 12. Non erat neceſſe hoc exprimi, ſed ſimilia ſupplementa in eo Codice alibi obſervavimus. Vide ad Gen. XX, 16.

11. *Ægypti Regem*] Abundant hæc, non minùs ac *Romanorum Princeps* hac in phraſi, *Cæſar Romanorum Princeps*, nam *Pharaho* titulus eſt Ægypti Regibus peculiaris, ut *Cæſar* Romanis Principibus. Vide not. ad Gen. XII, 5.

12. *Qui labiis incircumciſus ſum*] ואני ערל שפתים haral ſchphathajim, *& ego præputiatus labiis.* Quid ſibi velit hæc phraſis colligere eſt ex Moſis excuſatione, quæ eſt ſuprà Cap. IV, 10. Non videtur ullam ſtyli infacundiam ſignare, ſed potiùs balbutiem, ortam ex eo quòd labia aut linguam non ſatis rectè diſpoſita habebat. Sunt qui velint ערלה *præputium*, ſonare quamvis *ſuperfluitatem*, adeóque hîc intelligendam linguam nimis longam, aut æquo craſſiorem. Crediderim potiùs Moſi naſcenti, cùm Ægyptii infantes Hebræos maſculi ſexûs occidendos inveſtigarent, linguam fuiſſe inferiori parti conjunctam, nec ſatis, præ Chirurgi inopia, ſeparatam à parentibus, aut fortè etiam id vitii non fuiſſe animadverſum. Ut neceſſaria inciſio infanti recens nato poteſt vocari מולת לשון *ſectio linguæ*, ἀπὸ τοῦ מול *moul*, quod non magis *circumcidere*, quàm *incidere* ſonat: ſic is ערל *haral* metaphoricè dici poteſt, cui non eſt inciſa illa pellicula, quâ lingua ori adhæret. *Celſus de Medicina* Lib. VII. c. XII. §. 4. *Lingua quibuſdam cum ſubjecta parte à primo natali die conjuncta eſt, qui ob id ne loqui quidem poſſunt* (niſi, nempe, maturè curentur) *Horum extrema lingua, vulſellâ adprehendenda eſt, ſub eâque membrana incidenda — & plerique quidem ubi conſanuerunt, loquuntur.* Hoc fortè non fecerunt ſat citò Moſis parentes, quòd non animadvertiſſent linguam infantis eſſe cum inferiore oris parte nimis junctam; aut quòd non auſi ſint, quia niſi dextrè fiat, periculum infanti creatur: *magna cura habenda*, ait idem *Celſus*, *ne venæ quæ juxta ſunt violentur, & profuſione ſanguinis noceant.*

C O M-

VI. Rubenis , Simehonis & Levis præsertim prosapia ad Mosem usque , & Aharonem. Conjugia Hamrami, Aharonis, hujúsque liberorum. Mandata Mosi & Aharoni à Deo data.

13. MOSEM & Aharonem *sic* alloquutus est Jehova, eísque ad Israëlitas & Pharahonem, Regem Ægypti, mandata dedit, ut Israëlitas ex Ægypto edu-
cerent. 14. Hi autem fuere principes domûs patrum suorum. Filii Ru-
benis, primogeniti Israëlis, Chanoch, Phallou, Chetsron & Charmi. Hæ sunt Ru-
benis familiæ. 15. Filii Simehonis, Jemuël, Jamin, Ohad, Jachin, Tsochar, &
Saul filius mulieris Chananææ. Hæ familiæ Simehonis. 16. Hæc verò nomina filio-
rum Levis, pro suis generationibus: Gerson, Kehath, & Merari. Anni autem vi-
tæ Levis centum triginta septem *fuere*. 17. Filii Gersonis Libni, & Simhi, secundùm
familias suas. 18. Fili Kehathi Hamram, Jitshar, Chebron & Uziel. Kehathi au-
tem vitæ anni *fuerunt* centum triginta tres. 19. Filii Meraris Machali & Musi. Hæ
fuere, secundùm generationes suas, *tribûs* Levis familiæ.
20. Hamramus Jochebedam amitam uxorem duxit, eáque ei peperit Aharonem &
Mosem. Anni autem vitæ Hamrami centum triginta septem *fuere*.
21. Filii Jitsharis Korach, Nepheg, & Zichri. 22. Filii Uzielis Misaël, Eltsaphan,
& Sitri.
23. Duxit verò uxorem Aharon Elisebam Hamminadabi filiam, Nachasonis sororem,
eáque illi Nadabum, Abihuum, Elehazarem & Ithamarem peperit.
24. Filii Korachi Assir, Elkana, & Abiasaph. Hæ sunt Korachitarum familiæ.
25. Elehazar verò filius Aharonis è Phutielis filiabus uxorem duxit, eáque Phin-
chasum ei peperit.

26. Is

PARAPHRASIS.

13. EO, quem diximus, modo, Moses & Aharon à Deo ad Israelitas & Regem Ægypti mandata acceperunt, ut populares suos ex inferiore Ægypto educerent. 14. 15. Verùm antequàm eventum divinorum promissorum narremus, pauca breviter de Aharonis & Mosis genere ac natalibus dicenda sunt. Nec tamen nomina principum generis Israëlitici, qui in Ægyptum olim iverunt, commemorabimus, Levitica dumtaxat gens nobis est recensenda. 16. Itaque Levi, qui CXXXVII annos vixit, tres fuerunt filii *Gerson*, *Kehathus* & *Meraris*, ex quibus tota Levitica familia ortum ducit. 17. GERSONI nati sunt duo filii, qui genus ejus propagarunt, Libnis & Simhis; 18. KEHATHO quatuor, Hamramus, Itshar, Chebron, & Uziel; & Kehathus quidem ad CXXXIII annum vitam produxit. 19. MERARIS Machalin & Musin genuit, atque hi fuere Leviticæ gentis principes;

20. Verùm ut in Kehathi genere hæreamus, HAMRAMUS, filiorum ejus natu maximus, ex Jocheheda amita, cùm ejusmodi conjugia nondum vetita essent, duos suscepit filios Aharonem & Mosem; & Hamramus quidem CXXXVII annos natus obiit.

21. ISARIS filii fuere Korachus, Nephegus, & Zichris; 22. UZIELIS Misaël, Elsaphan, & Sitris.

23. AHARON ex Eliseba, Hamminadabi filia, Nachasonis, Judæ Tribûs principis, sorore, quatuor filios suscepit, Nadabum, Abihuum, Elehazarem & Ithamarem.

24. Filii KORACHI, ut ceterorum Itsharis filiorum sobolem omittam, fuerunt Assir, Elkana, & Abiasaphus, ex quibus oriundæ sunt Korachitarum familiæ.

25. ELEHAZAR verò Aharonis filius, cui Pontificum Maximorum familia ortum erat debitura, uxorem duxit Phutielis filiam, quæ ei peperit Phinchasum. Atque hi fuere Leviticarum, ex Kehatho oriundarum, familiarum principes.

26. Hi

COMMENTARIUS

In CAPUT VI.

13. M*Osem & Aharonem &c.*] Hæc & quæ sequuntur ad vers. 27. abruptâ orationis serie, hunc in locum inserta videntur, imò & integra hæc sectio; cùm ut Mosis & Aharonis, de quibus tot & tanta dicenda erant, servaretur prosapia, tum etiam, ut liqueret quàm difficulter Moses mandata Dei ad Pharahonem perferenda susceperit. Nam quamvis horum alibi etiam mentio fiat, attamen ut altiùs animo insiderent, à Mose repetita sunt. Prius necessarium fuit, ut unde sacerdotes Israëlis oriundi essent omnibus constaret, postquàm sacerdotium uni illi familiæ fuit collatum. Posterius, ne quisquam de Mosis ad propheticum munus vocatione dubitare posset. Si enim se vocatum dumtaxat à Deo dixisset, malevoli somniasse eum, & imperii cupiditate avidiùs quasi solum liberatorem à Deo missum se se eum gessisse dixissent; quod etiam ei postea à fratre, sorore & aliis pænè exprobratum est. Itaque hæc εὐκαίρως, ἀκαίρως inculcata fuisse nihil mirum.

14. *Principes domûs* &c.] *Capita domûs.*

Filii Rubenis] Quare hîc Levis posteri recenseantur satis ostendimus; sed non ita facile est dictu, quare Rubenis & Simehonis liberi memorentur. Si locus esset conjecturæ, non incredibile videretur librarium jussum exscribere genus

26. Is autem *fuit* Aharon, atque *is* Moses, quibus dixit Jehova: educite Israëlitas
ex Ægypto, secundùm eorum agmina. 27. Hi alloquuti sunt Pharahonem, Regem
Ægypti, ut ex Ægypto Israëlitas educerent. Is *fuit* Moses, atque *is* Aharon.
28. Quo tempore alloquutus est Jehova Mosem in Ægypto, 29. ei dixit: ego Je-
hova, quidquid tibi dico Pharahoni Regi Ægypti dicito. 30. Dixit verò Moses, co-
ram Jehova, ecce incircumcisus sum labiis, quomodo audiret me Pharaho? 1. At
CAPUT VII. Jehova Mosi, vide, inquit, Deum constitui te Pharahoni, Aharon verò frater Pro-
pheta tuus erit. 2. Quidquid te jussero *huic* dices, Aharon verò frater *id* eloquetur
Pharahoni, ut Israëlitas è terra sua dimittat. 3. Ego autem animum Pharahonis ob-
firmabo, signáque & portenta plurima in Ægypto faciam. 4. Non audiet vos Pha-
raho, manúmque meam in Ægyptum injiciam, & agmina mea, populum meum, Is-
raëlitas è terra Ægyptia magnis judiciis educam. 5. Tum scient Ægyptii me esse
Jehovam, cùm in Ægyptum manum meam exseruero, Israëlitásque è medio sui
eduxero.
6. Quemadmodum autem jusserat Deus, fecere Moses & Aharon. 7. Moses octo-
ginta annos, Aharon octoginta tres natus erat, quando Pharahonem sunt alloquuti.
8. Dixit verò Jehova Mosi & Aharoni; 9. cùm vos alloquetur Pharaho, &, edite
nobis, inquiet, portentum, tum Aharoni dices: sume virgam tuam, & projecta co-
ram Pharahone draco fiet.

VII. De-

26. Hi fuere natales AHARONIS & MOSIS; quos Deus ad educendos ex Ægypto populares miserat, 27. & qui ea de causa Regem Ægypti, sed frustra, ut diximus, convenerunt.

28. Cùm Moses jam in Ægypto esset, 29. & voce cœlesti iterum jussus esset, nomine ejus Dei, qui promissis suis stat, ad Ægypti Regem mandata divinitus accepta deferre; 30. munus denuo, eò quòd balbus esset, detrectare conatus est. 1. At eadem vox reposuit non juberi Mosem ipsum, apud Pharahonem, exponere mandata à Deo accepta; sed quasi Numen quodpiam per interpretem fratrem, qui ei instar Prophetæ futurus erat, Regem Ægypti alloqui. 2. Dicturum Mosem fratri quæ à Deo audiret, Aharonem verò oratorem fore apud Pharahonem, à quo populo Hebræo potestatem fieri abeundi petiturus esset. 3. Hac occasione à Deo plurima in Ægypto, ejus ministerio, prodigia editum iri; quibus tamen indomitus Ægyptiorum Regis animus, cùm flecti deberet, diutissimè obluctaturus esset. 4. Eum enim hominem, spretâ Aharonis & Mosis legatione, tamdiu populum non dimissurum, quamdiu plagis à Deo acceptis resistere posset; sed tandem ea sensurum divinæ potentiæ specimina, quibus Hebræos dimittere cogeretur. 5. Atque ex iis demum plagis, Israelitarumque egressu intellecturos Ægyptios Deum Israelis non id esse Numen, quod quæ minetur aut promittat re ipsâ non præstet, ut solebant falsorum Numinum oracula.

6. Deo igitur obsequuti sunt Moses & Aharon; & 7. Moses quidem octoginta annos natus erat, Aharon verò triennio major, cùm primùm Regem Ægypti convenerunt. 8. 9. Antequàm in Regiam se conferrent, moniti à Deo sunt ab Aharone ferendam esse eamdem illam virgam, quæ in serpentem mutata fuerat; ut si Pharaho prodigium, quo constaret à Deo esse missos, edi sibi posceret, idem illud, Ægyptio inspectante, fieret.

P A-

nus Mosis & Aharonis, βίβλον γενέσεως duodecim Tribuum in manus sumsisse, & ab initio descripsisse, donec ad Levin perveniret. Quod tamen judicio eruditi Lectoris relinquimus.

16. *Pro suis generationibus*] לתולדותם *lebholdotham*, hoc est, pro numero generatarum personarum. Hîc תולדות *tholedoth*, non ætatem significat, sed potiùs progeniem, seu numerum hominum, è quibus ortum ducebant Leviticæ familiæ.

20. *Amitam*] דדתו *dodatho*. Num. XXVI, 59. dicitur *filia Levis*, *nata in Ægypto*. Itaque fuit soror Kehathi, patris Hamrami; sed ante legem amitæ & ἀδελφιδῆς illicita nondum erant conjugia. Nec ulla ratio erat, quamobrem LXX. Intt & Vulg. à consueta vocis significatione recederent, verterêntque θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, & *patruelem suam*. Rectiùs Onkelos, qui habet *sororem patris sui*.

Mosem] Addit Samariticus Codex ואת מרים אחותם & *Mariam sororem eorum*, ut οἱ LXX. καὶ Μαριὰμ τὴν ἀδελφὴν αὐτῶν.

Septem] Samariticus שש *sex*, ut LXX. Intt. in Alex. Cod. ἕξ.

23. *Hamminadabi*] Hic & filius principes fuere tribulium suorum, & Judâ quidem oriundi. Vide Num. VII, 12. 2 Paral. II, 10.

25. *Levitarum Principes*] ראשי אבות rasche aboth, *capita patrum*, quod supra vers. 14. pleniùs exprimitur ראשי בית אבות *capita domûs patrum*, hoc est πατριαρχαί.

26. *Is autem fuit Aharon* &c.] Vide quæ de hoc loco diximus in *Dissert. de Pentateucho*, Num. III, 11.

Secundùm eorum agmina] על צבאתם *hal tsibotham*, quod solet verti *secundùm exercitus eorum*; maluimus *agmina*, quo nomine Tribus, Tribuúmque familiæ, quæ unà tendebant, significantur; non *exercitus* propriè dicti, hoc quidem in loco. Israëlitæ enim cum familiis egressi ordine militari, & armis instructi non procedebant, sed instar συνοδιῶν ubi noti cum notis incedunt. Ac sanè צבא *tsaba* significat classem hominum ordine aliquid facientium, ut Num. IV, 23. VIII, 25. Vide Lexicon *Joan. Cocceji* in hac voce.

29. *Et dixit*] *Et dixit Jehova Mosi.* Iterum orditur Moses narrationem, quam abrupit vers. 12.

In

VII. Decem plagæ, quibus adficitur Ægyptus. Aqua in sanguinem mutata, Ranæ, Pediculi, Muscæ caninæ, Pecoris lues, Pustulæ, Grando, Locustæ, Tenebræ, Primogenitorum cædes prædicta.

10. CONVENERUNT Pharahonem Moses & Aharon, & prout jusserat Jehova fecerunt. Projecit Aharon virgam suam coram Pharahone, ejúsque servis, eáque in draconem mutata est. 11. Vocavit *tum* etiam Pharaho sapientes & divinos, & sic quoque fecerunt, carminibus suis, occultorum interpretes. 12. Quisque virgam suam projecit, eæque in dracones quidem mutaræ sunt; at virga Aharonis eorum virgas deglutiit. 13. Itaque Pharahonis animus obstinatus fuit, neque eos, prout Jehova prædixerat, audivit.

14. Postea Jehova Mosi, pertinax, inquit, Pharahonis animus populum dimittere renuit. 15. Ito *ergo* ad Pharahonem, matutino tempore (ecce *tibi eum* egredientem ad aquam) Ito obviam ei, ad fluminis ripam, atque in manum virgam, quæ in serpentem mutata est, sumito. 16. Tum illi dices: Jehova Deus Hebræorum me ad te misit, & dimitte, inquit, populum meum, ut me colat in deserto; verùm ei nondum es obsequutus. 17. Sic *ergo* dixit Jehova: ex hoc me Jehovam esse cognosces, ecce ego aquas fluvii, virgâ quæ in manu mea est, percutiam,

PARAPHRASIS.

10. CUM Moses & Aharon, nomine Dei Israëlis, Regem Ægypti alloquuturi, in Regiam ivissent, postulavit Pharaho coram se fieri prodigium, ex quo agnoscere posset à Deo missos; & Aharonis quidem virga primùm in serpentem, deinde iterum in virgam, in ejus oculis, conversa est. 11. Tum verò Pharaho Magos, arcanarumque artium peritos homines vocari jussit; 12. qui ad eum cùm venissent, rogati num idem facere possent, virgas etiam projecerunt, quæ in dracones sunt mutatæ, non secus ac Aharonis virga, verùm hæc alias deglutiit. 13. Qua in re, quamvis superior fuisset Aharon, attamen à Pharahone negata est Israelitis celebrandi in deserto festi potestas; quod Ægyptios sapientes portentum edidisse simile ei, quod ab Aharone factum fuerat, videret.

14. Postea Mosem divina vox compellavit; & quandoquidem Pharaho pertinaciter veniam abeundi populo negaret, 15. jussit ad eum, matutino tempore sequentis diei, redire. Docuit Regem tunc exiturum ad Nilum, in via exspectandum eum Mosi & Aharoni, mirificâ illâ virgâ instructis, 16. atque his verbis ab Aharone esse conveniendum: JAHVO, quod nomen est Numinis singulari favore Hebræos prosequentis, nos jussit à te veniam ei populo impetrare, ut liceat, sacrorum causâ, in desertum ire. Mandata Dei jam ad te detulimus, nec dum tamen ullam nostri rationem habuisti. 17. Ostender itaque tibi Deus noster se efficere ut quidquid vult re ipsâ impleatur. Aqua Nili, virgâ

In CAPUT VII.

1. *Deum constitui te*] *Dedi te Deum Pharahoni.* Hoc est, in hoc munere obeundo, ipse Pharahonem non alloqueris, frater tuus verba faciet. Eris instar Dei, cujus oracula ad Pharahonem per Aharonem prophetam deferentur. Vide sup. IV, 16. Sequentia manifestò ostendunt hunc esse sensum, nec capio quî hæc non viderint Rabbini. Indecorum fortè visum est *Deum* dici Mosem. *Oukelos* utrobique pro *Deo* habet רב *rab*, magistrum, & similia alii commenti sunt.

Propheta tuus erit] נביאך *nbiecha*, hoc est, internuncius. Vide not. ad Gen. XX, 7.

2. *Ut Israëlitas*] *Et dimittat filios Israël* &c.

3. *Animum obfirmabo*] Vide dicta ad Cap. IV, 21.

Signáque & portenta plurima] *Multiplicabo mea signa, & portenta.*

4. *Agmina mea*] צבאותי *tsbothai.* Vide ad Cap. VI. 26.

5. *Scient me esse Jehovam*] Manifestum est hîc non sonum, sed sensum vocis spectari. Hoc ergo vult Deus, intelligent me eum esse, qui quod prænuncio efficiam. Sæpe oracula, quasi aliorum Deorum, proferebantur quorum nullus erat effectus; sed Dei Israëlitarum promissa, & minas exsequutioni mandari viderunt, suo magno malo, Ægyptii. Samariticus Codex habet כל מצרים chol mitsrim *omnes Ægyptii*, ut LXX. Intt. πάντες οἱ Αἰγύπτιοι.

Manum exseruero] Vide dicta ad Cap. III, 20.

6. *Fecere Moses*] *Et fecit Moses* ——— *sic fecerunt.*

9. *Portentum*] מופת *mopheth.* Est in Samaritico אות או מופת, σημεῖον ἢ τέρας, ut habent οἱ LXX.

Et projecta coram Pharahone draco fiet] *Projice, fit in draconem.* לתנין *lethannin*, suprà dicitur נחש Cap. IV, 3. unde liquet, hoc saltem in loco, eas voces esse synonymas. Vide *Sam. Bochartum* Hieroz. Part. 2. Lib. III. c. 4.

10. *Convenerunt*] Secundâ vice, nisi superior narratio Cap. V, 1. manca sit. Fortè Pharaho primùm auditis eorum verbis, eos statim expulit, secundâ verò vice miraculum postulavit.

11. *Sapientes*] חכמים *hhachamim*, quâ voce significantur viri docti, inter Sacerdotes Ægyptiorum, Magiæque periti. Vide Gen. XLI, 8. & quæ ad eum locum notavimus. Ut apud Græcos σοφὸς dictus est non tantùm *sapiens*, ad res morales, ac civiles quod adtinet, sed etiam cujusvis artis peritus, ut observavimus *Artis Criticæ* P. 1. S. 2. C. II, 28: sic etiam Hebræi חכם *hhacham* vocarunt hominem cujuslibet disciplinæ peritum, aut qui peritus habebatur; quales erant eruditi illi Ægyptii de quibus hîc sermo est.

Divinos] מכשפים *mchasschephim*, quam vocem

tiam, atque in sanguinem convertentur. 18. Piscis, qui *erit* in fluvio, morietur, fœtebit fluvius, neque ex eo aquam bibere sustinebunt Ægyptii. 19. Dixit etiam Jehova Mosi, dic *tunc temporis* Aharoni; cape virgam tuam, & manum extende in aquas Ægyptiorum, in eorum fluvios, rivos & paludes, omnésque aquarum eorum collectiones; & fient sanguis, ac per totam Ægyptum, in ligneis & lapideis vasibus, erit sanguis. 20. Quemadmodum jussit Jehova, ita fecere Moses & Aharon. Sustulit virgam, & aquam quæ in rivo erat, in conspectu Pharahonis, ejúsque servorum, percussit; atque omnes aquæ, quæ erant in rivo, in sanguinem mu-

gâ hac nostrâ percussa, in sanguinem mutabitur, 18. pisces morientur, fœtebit amnis, neque quisquam ad exstinguendam sitim ejus aquam bibere sustinebit. 19. His dictis, Aharon virgâ Nilum feriet, & circumquaque aërem verberabit, quasi brachium ad omnia loca, in quibus aqua servatur, porrigens; quo peracto, quidquid erit aquæ in Ægypto, quocumque in vase servetur, in sanguinem mutatum mirabuntur Ægyptii. 20. 21. Adiere Pharahonem Moses & Aharon, eo tempore quo jusserat Deus, idque portentum coram Ægyptio Rege, ejusque purpuratis ediderunt. 22. Verùm & hoc quoque postea carminibus suis fecerunt occultarum disciplinarum periti; quare Pharahonis ani-

cem *divinos* vertimus, propter significationem radicis veteris, ex qua orta videtur. Apud Arabas, nempe, כשף chaschapha, inter alia, *revelare*, & *aperire* significat, quod munus fuit harioli, sive divini, qui res arcanas, & ignotas aperit. Atque ita semper in Scriptura alibi sumitur, ut Deut. XVIII, 10. ubi cum aliis hariolorum nominibus jungitur, ut ad eum locum ostendemus. Vide & Mal. III, 5. Dan. II, 2. Similiter כשף *chasscheph* hariolum sonat Jerem. XLVII, 9. כשף *chescheph* prædictionem, aut vaticinandi actum etiam Esai. XLII, 22. Conjugationis Pihel 3 persona, quæ exstat 2 Par. XXXII, 6. כשף *chisscheph* est *divinationi operam dedit*. Cùm hæc sit propria vocis significatio, hinc tamen non sequitur hariolandi solam artem professos, qui hîc adhibentur. Qui divinabant solebant etiam prodigiorum edendorum artem profiteri, quo fit ut à Pharahone vocati sint etiam מכשפים, ut miracula miraculis Mosaïcis opponerent. LXX. Intt. φαρμακοὺς habent, & alibi artis horum specimina φάρμακα adpellant. Alii *præstigias* vertunt, hominésque *præstigiatores* vocant. Alii *maleficos*, actiones *maleficia*, propter horum omnium adfinitatem.

Carminibus suis] בלהטהם *blahatehem*, quæ vox est a לאט *laath* aut לוט *lout*, quod verbum *abscondere*, *velare* significat; quòd occultæ sint incantationes, neque vulgò notæ. Hinc *Aquila* verterat ἐν ἠρεμαίαις αὐτῶν *submissis* (adeóque latentibus) *suis* verbis. Alius etiam Int. Græcus laudatur, qui habuit διὰ τῶν ἀποκρύφων αὐτῶν, *per occultos suos* ritus. Nos *carmina*, quæ submissâ voce recitari solebant, occultósque complectebantur sensus, vertimus.

Occultorum Interpretes] Quare ita vocem חרטמים *hhartoumim*, reddamus diximus ad Gen. Cap. XLI, 8.

Sic etiam fecerunt] Idem observat Moses infrà vers. 22. & Cap. VIII, 7. Qua de re, quia difficilior est, semel paullò copiosiùs dicemus. Quærunt Interpretes quid fecerint Magi, veráne eorum miracula fuerint, an à Mosaïcis diversa? Alii præstigias fuisse respondent, Cacodæmonum potentiâ factas. Alii dexteritate Cacodæmonum portenta visa fieri, quæ nulla erant. Pauci vera fuisse ea miracula. Quæ sententiæ nobis sunt singillatim ad examen revocandæ.

I. Qui *præstigias* factas à Cacodæmonibus volunt, adeò ut quæ nusquam erant sint tamen, quasi essent, à spectatoribus conspecta; eos oportet unum, ex hisce tribus, statuere; aut, nempe, ita spectantis cujusque cerebrum esse adfectum, ut adfici solebat, præsentibus iis quæ cernere sibi videbatur; aut oculos saltem eodem modo, luce ex corpore ad eos reflexâ, ita fuisse perculsos, ut percellebantur præsentibus rebus ipsis; aut denique simulacra rerum, ex materia quapiam, à Cacodæmone subitò efficta. Hoc cùm ita sit, *miraculum* definiatur necesse est, quod aliud nihil esse videtur, præter effectum supra humanas vires & naturam rei, plurimis & constantissimis experimentis notam, positum, qualis est mutatio virgæ in serpentem.

Efficere autem simulacra ejusmodi rerum, quales à Mose narrantur, in aëre, miraculum certè est non minus ac eas re verâ facere. Similiter, lucem ad oculos mittere, prout à corporibus objectis mitti solet; aut cerebrum adficere, ut id oportet adfici ut quidpiam nobis cernere videamur, effectus sanè sunt supra humanam potentiam positi, iísque præter notas naturæ leges. Scimus enim certissimè non posse fieri ut, volente homine, si aliud nihil accedat, moveatur cerebrum nostrum, aut lux oculos percellat.

At, inquient fortasse, ab hominibus hæc facta non esse fatemur, Cacodæmonum has fuere actiones, quorum potentia humanâ latiùs patet. Sed hoc ipsum est, quod ii volunt, quorum sententiam tertio loco protulimus; neque enim minus est miraculum ea efficere, quàm quæ fecit Moses. Certè si quis verus Propheta à Deo missus, hoc suæ missionis argumentum ederet, ut plurimi homines sani cerebri id viderent quod nusquam esse diceretur; exempli causâ, feram quampiam; id judicium divinæ missionis non minùs firmum videretur, quàm si lapidem in leonem mutaret. Utrumque enim ex æquo est supra naturæ leges, humanámque potentiam positum. Nec minùs miracula habentur visa diurna, aut nocturna Prophetarum, rerum nusquam exsistentium; quàm alia portenta in eorum gratiam à Deo edita.

II. Qui dexteritate, & celeritate agendi Cacodæmonum acta hæc volunt, rem ita intelligant necesse est; ut Magorum, exempli gratiâ, projectas virgas tantâ celeritate sustulerint, earúmque loco serpentes supposuerint, ut adstan-

mutatæ sunt. 21. Tum etiam piscis, qui in fluvio erat, interiit, fœtuit fluvius,
aquam ex eo bibere non potuerunt Ægyptii, & per universam Ægyptum sanguis
fuit. 22. Sic quoque fecerunt occultorum interpretes Ægyptii, carminibus suis, per-
tinaciórque factus est Pharahonis animus; nec eos, prout prædixerat Jehova, au-
diit. 23. Aversus domum ivit, neque ad hoc animum adtendit. 24. Interea om-
nes Ægyptii circa fluvium fodêre, ut aquam biberent, neque enim ex aqua flu-
vii bibere poterant. 25. Abierunt *sic* septem dies, ex quo fluvium percusserat Je-
hova.

¹. Dein-

animus pertinacior, in negando quod petebant Moses & Aharon, factus est, nec eos Ægyptiis sapientibus præferendos censuit. 23. Itaque dimissis hominibus, re infectâ, in Regiam se contulit. 24. 25. Attamen antequam Ægyptii sapientes Hebræum Prophetam imitari possent, per septem dies, aqua Nili, non secus ac reliqua omnis, sanguinea fuerat, cùm in mare delatæ cruenta succederet, quasi ex sanguineo fonte fluvius manaret; quo factum est ut Ægyptii circa ejus ripas fossas excavarent, unde puram aquam haurire possent.

⁶. El-

stantes fraudem non animadverterint. Iidem Cacodæmones debuerunt etiam aliquâ arte efficere, ut aquæ Ægypti tutius auferrentur, earúmque loco succederet ruber liquor: aut eas inficere rubro colore, materiâ rubrâ in iis dilutâ; útque ranæ per totam Ægyptum insolitâ planè copiâ cernerentur, advectis alicunde ranis.

Sed primùm, si res tantâ dexteritate facta est, ut dissimilitudo miraculorum nullâ ratione internosci posset, tam iis adfici necesse erat Pharaonem, quàm veris. Ea enim quæ paria nobis videntur, similiter etiam nos commovent. Ex eo quod cernimus, non ex ipsis rebus, judicium ferimus. Contrà (quæ ratio in superiorem etiam sententiam pugnat) si tanta fuit inter miracula hæc dissimilitudo, ut non minùs differrent Ægyptiaca à Mosaicis, quàm Agyrtarum artes ab effectibus verè portentosis, mirum est Mosem ne verbulo quidem hoc indicasse; imò verò ita loquutum, ut contrarium planè sensisse videatur. Profectò multùm ad gloriam Dei Israëlis adtinebat, obiter saltem monuisse legentes, Ægyptiorum Magorum miracula mera oculorum ludibria fuisse, nec quidquam simile veris habuisse, præter speciem externam.

III. Itaque, ut ad tertiam sententiam deveniamus, memorata incommoda effecerunt ut nonnulli Magorum, aut potiùs Cacodæmonum miracula vera esse censerent, hoc est, verè mutatas virgas Magorum in serpentes &c Ac sanè, quæcumque sit hodiernorum Physicorum hisce de rebus sententia, ex alio loco Pentateuchi liquet Mosem non dubitasse quin à Pseudoprophetis, vel potiùs in gratiam Pseudoprophetarum vera miracula fieri possent. Hæc sunt ejus Deut. XIII, 1. verba: *Cùm surrexerit in medio tui Propheta, vel Somniator, ediderit tibi signum, aut portentum, eveneritque id signum, portentúmve, de quo tibi dixit; dicátque, sequamur Deos alios quos non nosti, eósque colamus; non audies verba ejus Prophetæ, aut Somniatoris; explorat enim vos Deus vester, ut sciat an ametis Jehovam* &c. Atque hæc fuit Judæorum, etiam postremis temporibus, sententia; Deo permittente, τέρατα & σημεῖα à Cacodæmonibus fieri. Sic accusabant Pharisæi Christum, quasi miracula ἐν ἄρχοντι τῶν Δαιμονίων faceret Matth. IX, 34. XII, 24. neque eos confutat Christus, negando à Cacodæmonibus miracula fieri posse. Quinimò & ipse dicit venturos Pseudochristos & Pseudoprophetas, qui *edituri sint signa magna & portenta*, Matth. XXIV, 24. Ea quidem prodigia dicuntur τέρατα ψεύδους à Paulo 2. Thess. II, 6. sed, ut observat rectè *Hug. Grotius*, non sunt miracula falsa, sed quæ falsæ doctrinæ inserviunt.

Verùm quamvis hac careremus auctoritate, quæ omni exceptione major est, quis docuit Physicos Dæmonum nullam esse potentiam, aut eam non excedere humanas vires, vel leges corporeis Naturis ab initio positas? Nihil hac de re nobis innotescere, nisi experientiâ, potest; quæ cùm ex historiis tota pendeat, earum dumtaxat historiarum, ne decipiamur, expendenda est fides, & tum demum hac de re pronunciandum. Cùm ergo Sacræ Historiæ plurima portentosa à Cacodæmonibus facta esse nos doceant, non est quòd dubitemus miracula ab iis, Deo permittente, fieri posse. Eadem de ratione Mosis phrasin כן יעשו chen jahaschon, *sic fecerunt*, proprio sensu intelligendam esse crediderim.

Huic sententiæ unum objici posse, alicujus ponderis, video; nimirum, Deum permittendo miracula à Cacodæmonibus fieri, homines exponere ineluctabili tentationis periculo; dum miracula utrimque stare vident tam pro falsis, quàm pro veris doctrinis. Verùm hæc objectio non nos solos ferit, sed ipsum etiam Mosem, qui à Pseudopropheta miraculum fieri posse apertè dixit; imo etiam ipsum Christum, qui similiter loquutus est. Ut ergo horum doctrinam ab omni cavillatione vindicemus, locúmque, qui præ manibus nobis est, exponamus; Pharahonem contendimus ineluctabili tentationi expositum non fuisse, nec quidquam, præter pravum adfectum, quominùs rectè de Mosaicis, Ægyptiacísque miraculis judicaret, obstitisse. Duo enim fuerunt, unde summi Numinis internuncium Mosem esse cognoscere certò poterat.

Prins erat, quod observat ipse Moses Cap. VIII, 18, 19. ubi nos docet Magos, postquàm unum, atque alterum, tertiúmve miraculum imitati essent, ulteriùs progredi non potuisse. Neque etiam Ægyptum à cladibus in eam divinitus immissis tueri aut liberare umquam valuere, quo factum ut Mosis opem supplex, quamquam invitus, invocaret Pharaho. Hinc primùm colligere potuit, licèt Idololatra, Numen

men

CAPUT VIII.

1. Deinde Jehova Mosi, ito, inquit, ad Pharahonem, eíque dicito: sic dixit Jehova, dimitte populum meum, ut me colat. 2. Si neges te dimissurum, en ego omnes fines tuos ranis percutiam. 3. Emittet fluvius ranas, quæ adscendent domum tuam, cubiculúmque tuum & lectum ingredientur, domos item servorum tuorum, populíque tui, furnos & mactras tuas. 4. In te, in populum tuum, omnésque servos tuos

1. Elapso septiduo, jussus est divinitus Moses ad Pharahonem redire, eadémque mandata, de dimittendo populo, exponere, nomine Dei. 2. Si autem negaret Rex se dimissurum, sciret incredibili ranarum copiâ totam Ægyptum impletum iri. 3. 4. E Nilo enim tanto numero erupturas, ut non modò agros & rura, sed etiam urbes invasuræ essent, domósque, cubicula, lectos, furnos & mactras, non sine summo totius Ægypti fastidio, penetraturas. 5. Hæc cùm Pharahoni retu-

men quod Mosi favebat potentius fuisse iis, quorum ope Ægyptii Magi portenta sua ediderant. Atque hoc eum veluti manu deducebat ad inquirendam Hebræorum de Numine sententiam, quâ ad saniorem mentem revocari potuisset. Ipsi Magi agnoverunt *digitum Dei*, in pediculorum generatione, qua de re dicemus ad Cap. VIII, 19.

Alterum suppeditat etiam Moses, in verbis Deut. XIII. antea allatis. Cùm enim miraculis, ut sequentia taceamus, Magos Ægyptios superasset; ejus quod postulabat summa æquitas, non Magum aliquem malis artibus deditum, sed summi & justissimi Dei Prophetam esse ostendebat. Sic miracula verbis fidem faciunt, & oratione etiam miracula illustrantur. Si editis hisce miraculis, Ægyptios aliquot, exempli causâ, Deo Israëlis mactandos deposcisset, ex crudelitate hac se benigni Numinis Prophetam non esse prodidisset; sed cum nihil peteret, nisi ut potestatem Israëlitis faceret Rex abeundi in desertum, ut ei Deo sacra facerent, qui tanta potentiæ suæ ediderat specimina, non poterat hoc suspicionem ullam impiæ fraudis Pharahonis animo injicere. Contrà miracula Magorum suorum à Cacodæmone profecta vel hinc scire potuit, quòd eò spectarent, ut æquissima Mosis repudiaretur petitio, Israëlitæque crudelissimo etiamnum jugo premerentur.

Quamvis ergo vera miracula fuerint, quæ à Magis edita sunt; colligere tamen ex conflictu Mosis cum illis, ejúsque oratione potuit Pharaho Prophetam eum esse summi Dei, veréque ab hoc fuisse missum. Debuit certè ejus Dei iram timere, cujus mandata adferre se aiebat Moses, postquàm Ægyptios Magos Mosi cedere animadvertit.

Nota est seu fabula, seu vera, ut nonnulli putant, narratio, quæ apud plurimos Patres habetur, de certamine *Petri* cum *Simone* Mago. Eam nunc veram, quæ certè inter ἀδύνατα censeri non potest, aliquamtisper habeamus, ut eo exemplo superior illustretur historia. Quamvis *Simo* portenta multa Romæ edidisset, qui ejus cum Petro certamini adfuerant *homines Numæ Regis artibus* (verba sunt *Arnobii* contra Gent. Lib. II. p. 63. Ed. Heraldinæ) *occupati non distulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coalescere Christianæ. Viderunt enim cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse. Viderunt, inquam, fidentem Diis falsis, & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse præfractis. Post deinde perlatum Brundam cruciatibus & pudore defessum ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio.* Similiter cùm Pharaho vidisset Magos suos à Mose victos, atque ulceribus etiam postea, non aliter ac ceteros Ægyptios, adfectos; debuit ad saniora consilia redire, Deúmque Israëlitarum cultum amplecti. Sed superbia regia, cupiditas ingentis multitudinis semper sibi obnoxiæ habendæ, præconceptæque dudum opiniones hominem ita occæcarunt; ut Mosem Magum habens, quales erant Ægyptii, aut fortè paullò peritiorem, Israëlitas numquam, nisi malis victus, dimittere voluerit. Quamvis Israëlitarum Deo divinitatem fortè non detraheret, Deos suos minimè inferiores illo putabat, aut agnoscere volebat, ne illos sibi infensos haberet. Fortasse & eorum auxilium tandem ei adfore pollicebantur Pseudo-prophetæ, hominémque pertinaciorem reddebant.

12. *Eæque in dracones mutatæ sunt*] ויהיו לתנינים jihjou lthanninim, *fuere in dracones*. Si species tantùm externa serpentium oculis objecta fuisset, oportuisset Mosem dicere ויהיו כמראי תנינים & *fuere quasi species draconum*. Si aliunde advecti serpentes, amotæque fuissent virgæ, hoc quoque oportuisset dici. Imò verò sequentibus verbis contrarium adfirmat.

Virga Aharonis eorum virgas deglutiit] *Virgæ* vocantur serpentes, quòd eadem esset utrotúmque materia, quamquam erat mutata forma; quod nomen neque inani speciei, neque serpentibus aliunde allatis ullâ ratione convenire potest. Ceterùm jam hinc Pharaho colligere potuit, saltem potentius Numen à Mosis partibus stare; quandoquidem portentosa illa virga alias subitò absorpserat.

Antequàm ulteriùs progrediamur, dignum est observatu duorum ex Magis, qui Mosi restiterunt, superesse nomina, apud Judæos, Christianos, Ethnicósque Scriptores, quamquam Moses eos nomine nusquam adpellavit. Sed videntur Ægyptii Sacerdotes ὑπομνήματα ab illo tempore conscripsisse, unde ea nomina postmodùm innotuerunt. *Manetho*, ut auctor est *Josephus* in Apion. Lib. I. Heliopolitanus Sacerdos, qui Ptolemæi Philadelphi tempore vixit, γέγραφε τῇ Ἑλλάδι φωνῇ τὴν πάτριον ἱστορίαν, ἔκ τε τῶν ἱερῶν, ὥς φησιν αὐτὸς, μεταφράσας, *scripsit Græco sermone patriam historiam, ex sacerdotum, ut ipse ait, interpretatus libris*. Ex hisce libris, Sacerdotes quotidie aliquid Regibus prælegere solebant: ὁ μὲν ἱερογραμματεὺς, ait *Diodorus* Lib. I. p. 64. παρανεγίνωσκέ τινας συμβουλίας καὶ πράξεις συμφερούσας ἐκ τῶν ἱερῶν βίβλων τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν: *sacrorum scriba prælegebat quædam consulta & res gestas utiles, ex sacris libris, virorum celeberrimorum.* Idem habet p. 66.

Ipse

tuos adſcendent ranæ. [5] *Quæ cùm Aharon Pharahoni dixiſſet*, tum Jehova Moſi, dic Aharoni: extende manum & virgam tuam in flumina, rivos & paludes, & fac ut adſcendant in Ægyptum ranæ. [6] Extendit itaque Aharon manum in Ægypti aquas, adſcendit rana, terrámque Ægyptiam texit. [7] Sic & occultorum interpretes fecerunt, carminibus ſuis, atque in Ægyptum ranas exciverunt. [8] At Pharaho Moſem

tuliſſent Moſes & Aharon, nec eorum minis adduceretur ut Iſraelitas dimitteret, tum Dei monitu Moſes juſſit Aharonem, Nilo virgâ percuſſo, brachium quaquaversùm porrigere ad paludes omnes & rivos, ut ex iis omnibus ranæ prodirent. [6] Quod ubi fecit Aharon, ex Nili alveis, rivisque ac paludibus omnibus eruperunt ranæ, prout prædixerat Moſes. ([7] *versûs paraphraſin vide poſt* 14) [8] Tum Pharaho Moſem & Aharonem ad ſe vocatus orat ranas amoverent, quo impetrato, diſceden-

Ipſe etiam *Diodorus* pollicetur ſe αὐτὰ τὰ παρὰ τοῖς ἱερεῦσι τοῖς κατ' Αἴγυπτον ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς γεγραμμένα ἐκθήσεσθαι, *illa ipſa, quæ apud Sacerdotes Ægyptios in commentariis ſcripta ſunt, expoſiturum.* Ex hiſce Scriptis, nam poſt captivitatem nulla habebant vetera Judæi, præter ea quæ exſtant, videntur Ægyptiorum Magorum nomina hauſta. Paulus in 2. ad Tim. III, 6. Ἰαννῆν καὶ Ἰαμβρῆν aut Μαμβρῆν eos adpellat & *reſtitiſſe Moſi* ait. Duo Paraphraſtæ Chaldæi *Jonathan* & *Jeroſol.* habent ad hunc locum: *Et fecerunt etiam ipſi* ינים וימברים *Janes & Jambres Magi Ægyptiorum incantationibus divinationum ſuarum ſic.* Exſtant quoque ea nomina, in Thalmude Babylonico, Tr. *Menachoth* c. IX. in Gemara. *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. XXX. c. 1. ubi de Magis: *eſt*, inquit, *& alia Magices factio à Moſe, & Jamne & Jotape Judæis pendens.* Res quidem diverſiſſimas miſcet, & varia ementitur, at hinc certè liquet eum Jamnis Magi, Moſis æqualis; nomen legiſſe, non in Judæis, ſed in Ethnicis Scriptoribus. *Jamnis* etiam meminit *Apulejus* in Apologia p. 108. Ed. Iſaaci Caſaub. *Ego ille ſim Carinondas, vel Damigeron, vel* MOSES, *vel* JANNES, *vel Apollonius, vel ipſe Dardanus, vel quicumque alius poſt Zoroaſtrem & Hoſtanem inter Magos celebratus eſt.* Numenius Pythagoricus Lib. III. περὶ τἀγαθοῦ, prout laudatur ab *Euſebio* Præp. Evang. Lib. IX. c. 8. Τὰ δ' ἑξῆς Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς Αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς, ἄνδρες οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι κριθέντες εἶναι, ἐπὶ Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου. Μουσαίῳ γοῦν τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, ἀνδρὶ γενομένῳ θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ, οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ τῶν Αἰγυπτίων, οὗτοι ἦσαν, τῶν τε συμφορῶν, ἃς ὁ Μουσαῖος ἐπῆγε τῇ Αἰγύπτῳ, τὰς νεανικωτάτας αὐτῶν ἐπιλύσασθαι ὤφθησαν δυνατοί: *deinceps verò Jannes & Jambres, ſacrorum ſcribæ Ægyptii, magicis artibus nemine inferiores crediti, quo tempore exacti ſunt ex Ægypto Judæi. Nam qui ab omni Ægyptiorum multitudine electi ſunt, ut Muſæo reſiſterent Judæorum duci, viro precibus apud Deum potentiſſimo, hi fuere, ac graviſſimas calamitates à Muſæo in Ægyptum invectas depellere poſſe conſpecti ſunt.* Manifeſtum eſt *Muſæum* pro *Moſe*, voce ad Græcam terminationem inflexâ, dixiſſe *Numenium*. *Artapanus* verò, apud eumdem *Euſebium*, ejuſdem Lib. c. XXVII. omiſſis nominibus, multiſque fabuloſis admiſtis, ne quis ex Moſe hauſiſſe quæ habet putet, ait Βασιλέα τοὺς ἱερεῖς τοὺς ὑπὲρ Μέμφιν καλέσαι, καὶ φάναι αὐτοὺς ἀναιρήσειν, καὶ τὰ ἱερὰ κατασκάψειν, ἐὰν μὴ καὶ αὐτοὶ τερατουργήσωσι· τοὺς δὲ τότε διά τινων μαγγάνων καὶ ἐπαοιδῶν δράκοντα ποιῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν μεταχρῶσαι, *à Rege Sacerdotes, regionem ſupra Memphin ſitam colentes eſſe vocatos, eúmque dixiſſe ſe eos interfecturum, & Templa demoliturum, niſi & ipſi portenta ederent; hos verò machinis quibuſdam, & incantationibus, ſerpentem feciſſe, & fluvii colorem mutaſſe.*

13. *Itaque*] ויחזק vajjehhezak, *& obſtinatus eſt.* Poſſet verti *Attamen* &c. Quamvis ſerpens Aharonis ſerpentes Magorum voraſſet, attamen ne eo quidem mollitus eſt Pharaho. *Artapanus*, poſt memorata verba, dicebat τὸν βασιλέα φρονηματισθέντα ἐπὶ τῷ γεγονότι, πάσῃ τιμωρίᾳ καὶ κολάσει καταικίζειν τοὺς Ἰουδαίους: *Regem eo quod contigerat elatum, omni pœnâ & ſupplicio Judæos vexaſſe.*

14. *Pertinax animus*] *Grave cor.*

15. *Egredientem ad aquas*] Fortè ut ſe vivo flumine ablueret, more Ægyptiorum, de quo vide not. ad C. II, 5. Cùm legamus in noſtris Codicibus הנה יצא *hinneh jotſe*, eſt in Samaritico, inter duas illas voces, הוא, *hou*, ecce *eum* egredientem. Sic οἱ LXX. ἰδοὺ αὐτὸς.

Sta obviam] Exſpecta donec tibi occurrat. Vide ſup. Cap. V, 20.

16 *Ut me colat*] *Et me colent*, hoc eſt, feſtum in mei honorem celebrabunt.

17. *Hoc me Jehovam eſſe cognoſces*] Vide not. ad Cap. VI, 3.

Ecce ego aquas] Hîc planè perſonam Dei in ſe ſuſcipit Moſes, ut ſup. Exod. VI, 6. Tum verè dici potuit Pharahoni fuiſſe לאלהים *lelohim.* Vide Cap. IV, 16. & VI, 1.

18. *Piſcis qui erit in fluvio* &c.] Qui eſt copioſiſſimus in Nilo, ut oſtendimus ad Cap. I, 7. *Diodorus* p. 32. Ed. Rhod. ὁ Νεῖλος ἔχει παντοῖα γένη ἰχθύων, καὶ κατὰ τὸ πλῆθος ἄπιστα· τοῖς γὰρ ἐγχωρίοις οὐ μόνον ἐκ τῶν προσφάτως ἁλισκομένων παρέχεται δαψιλῆ τὴν ἀπόλαυσιν, καὶ πλῆθος εἰς ταριχείαν ἀνέκλειπτον: *Nilus habet omnia genera piſcium, & incredibili multitudine, accolis enim non modò ex recens captis copioſam eſcam ſuppeditat, ſed & copiam ad ſalſamenta inexhauſtam præbet.* Hinc colligere eſt, quanta per ſeptem dies piſcium ſtrages fuerit. Codex Samariticus huic verſui hæc verba adſuit, veluti ad complendam narrationem: וילך משה ואהרן אל פרעה ויאמרו אליו, *& iverunt Moſes & Aharon ad Pharahonem, & dixerunt ei.* Deinde ſequuntur eadem quæ habentur verſ. 16, 17. & 18.

Neque ſuſtinebunt] ונלאו *venileou.* Vide verſ. 24.

19. *Omneſque collectiones*] *Et omnem collectionem*, quales ſunt privatæ ciſternæ & vaſa, quibus aqua ſervatur. Plura erant ejuſmodi in Ægypto, fontanâ aquâ deſtituta.

In conſpectu Pharahonis ejuſque ſervorum] *In oculis Pharahonis, & in oculis ſervorum ejus.*

22. *Sic*

ſem & Aharonem accerſivit, & Jehovam, inquit, orate, amoveátque ranas à me, populóque meo; & populum *veſtrum*, ut Jehovæ ſacra faciat, dimittam. 9. Tum Moſes Pharahoni, indica mihi, inquit, quando ſim pro te, ſervíſque tuis & populo deprecaturus, ut à te domibúſque tuis exterminentur ranæ, atque in flumine tantùm maneant. 10. In craſtinum diem, inquit *Pharaho*; prout dixiſti, ait ille, *fiet*, ut nullum eſſe *Numen*, inſtar Dei noſtri Jehovæ, cognoſcas. 11. A te, domibus tuis, ſervis, populo recedent ranæ, in fluvio dumtaxat manebunt. 12. Egreſſi ergo ſunt Moſes & Aharon à Pharahone, & Moſes circa ranas, quas Pharahoni

cedendi veniam populo daturum ſe confirmat. 9. Moſes vero præſtitui ſibi tempus à Pharahone jubet, quo vellet nullas ampliùs ranas, niſi quæ erant in Nilo, vivere; ſe enim precibus ſuis, apud Deum Iſraëlis, quod cuperet effectum daturum. 10. 11. Craſtinum diem dixit Rex Ægyptiorum, & pollicitus eſt Moſes, intra id tempus ranas omnes interituras; ut ſciret Pharaho Deum Iſraëlis præſtare quidquid promitteret. 12. Egreſſus Moſes una cum Aharone Deum pro Ægyptiis deprecatus eſt, 13. atque exoravit; quo factum ut omnes ranæ, quæ extra aquam erant, interne-

22. *Sic quoque fecerunt*] Poſtquàm, nimirum, aquam in priſtinum ſtatum revocaſſent Moſes & Aharon; quæ circumſtantia, facilè à Lectore intelligenda, omiſſa eſt. Neque enim aquarum colorem in ſanguinem mutare potuerunt, antequàm ſuum recuperaſſent. Vide v.25. & Cap. VIII, 7.

23. *Everſus domum ivit*] *Et converſus eſt & ivit domum ſuam.* Se, nimirum, denuò ad fluvium contulerat, ut videret quid facturi eſſent Magi ſui, eóque Moſem & Aharonem advocaverat, quorum preces iterum repudiarat.

24. *Interea omnes* &c.] ויחפרו vajjahhpherou, *& foderunt* &c. Moſes, nempe, hanc aquam in ſanguinem non converterat; ſed eam tantùm, quæ conſpicua erat in Nili alveis, aut lacubus Ægypti.

25. *Abierunt*] *Completi ſunt.* Hinc liquet Magos idem non feciſſe, niſi octavo poſt Moſem die. Pro ימלא *jimmale*, eſt in Samaritico ימלאו *jimmaleou* in plurali.

In Caput VIII.

2. *Omnes fines tuos*] *Omnem finem tuum*, hoc eſt, omnem regionem intra fines tuos.

Percutiam] Aut *percutio*, eſt enim נגף *nogeph*, percutiens ſum, quod poteſt inſtantem plagam ſignificare. Vide ad Cap. III, 13.

3. *Emittet*] שרץ *ſcharats.* Vide ad Gen. I, 20.

Ranas] צפרדעים *tſphardehim.* De hujus vocis ſignificatione conſentiunt omnes priſci Intt. & novi; exceptis nonnullis Judæis, qui *Crocodilos* putarunt eſſe, ſed ſine ulla ratione. Eos optimè confutavit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. V. c. 2. ubi hunc totum locum copiosè enarrat. Nos omiſſis manifeſtis figmentis, aliíſque quæ ad Moſem nihil pertinent, neceſſaria illinc excerpemus, noſtráque ſubinde adſpergemus. *Fluvii* autem nomine non Nilum modò, ſed omnes rivos, ſtagna & paludes Ægypti intelligi liquet ex verſ. 5.

Sunt qui hæc illuſtrari putent obſervationibus Veterum & Recentiorum, qui ex luto formari cenſent ranas, præſertim in Ægypto; quod tamen planè incompertum eſt, imò etiam falſum. Nam quamvis, recedente Nilo, ranæ ex luto exeant, non ideò ſequitur ex luto, calore ſolis, fuiſſe formatas; potuerunt enim naſci ex ranarum ovis in luto latentibus, & calore ſolis excluſis. Atque ita rem fieri accuratiſſimi hujus ævi Phyſici demonſtrarunt. Itaque aut Deus δημιουργικῇ δυνάμει ipſe effinxit ranas è luto; aut maximam copiam ovorum latentium, nec niſi ſenſim & ſeriùs excludendorum, & quorum maxima pars putredine peritura erat, ſubitò excludi curavit. Sic initio rerum juſſit Terram & Aquas *emittere animalia*, quæ inde prodiere; quia, nimirum, vel ova, vel ſemina omnium animalium aquis indiderat, aut ipſe ea effinxit, imperióque ipſe ſuo potentiâ ſuâ veluti paruit.

Adſcendent domum tuam] Præ ingenti, in omnibus aquarum collectionibus ranarum copia, in ſiccam humum exſilituræ erant, & ædes ipſas infeſtaturæ.

Cubiculum] חדר משכבך hhadar miſchchabcha, *penetrale lecti tui*, quod unâ voce *cubiculum* vocant Latini. Plurali numero hæc in Samaritico Codice leguntur: ובחדרי משכבך ועל מטתך ובבתים ut in LXX. Intt. καὶ εἰς τὰ ταμιεῖα τῶν κοιτώνων σου, καὶ ἐπὶ τῶν κλινῶν σου, καὶ ἐπὶ τοὺς οἴκους. Intelligit Moſes tantâ copiâ ranas futuras fuiſſe, ut circa ædes vagantes magno numero, ſi qua ingrediendi daretur copia, ſaltu ſe ſe intromiſſuræ eſſent. Cùm autem, in regionibus præſertim calidis, ad captandum ventum infima cubicula aperta relinquantur, januæque & feneſtræ pandantur, quid mirum, ſi illac ſe ſe intromiſerint ranæ?

In furnos] Tantâ erunt copiâ, ut in ſicciſſima loca, quæ alioqui fugiunt, penetraturæ ſint.

4. *In te*, &c.] בכה *bchah*, quod, ut in Samaritico, ſcribi ſolet בך *bcha.* Repetitio Hebraïca, quæ tamen non eſt ſine ἐμφάσεως; neſcio quem enim loquentis adfectum hoc in loco prodere videtur, quod & alibi obſervavimus. Vide ad Geneſ. c. XXXI, 27. Addit huic verſui Samariticus, ut ſæpe in his narrationibus: ויבא משה ואהרן אל פרעה וידברו אליו כה אמר יהוה: *& ivit Moſes & Aharon ad Pharahonem, & alloquuti ſunt eum, ſic dixit Jehova.* Tum ſequuntur mandata, quæ exſtant verſſ. 1, 2, 3, 4. Vide ad verſ. 23.

5. *Quæ cùm Aharon Pharahoni dixiſſet*] Hæc manifeſto ſubaudienda, ne hiaret oratio, ſupplevimus. Deeſt enim hìc mandatorum à Deo acceptorum exſequutio, itionis, nempe, Moſis & Aharonis ad Pharahonem, & expoſitionis mandatorum narratio. Hinc Samaritæ in ſuo Co-

rahoni immiserat, Jehovam imploravit. [13] Fecit verò Jehova, ut dixerat Moses, mortuæ sunt ranæ, *atque* ex domibus, villis & agris *exterminatæ.* [14] Eas acervatim congesserunt, regióque *propterea* fœtuit.

[15] At postquàm Pharaho esse *sibi* respirationem vidit, animum suum obfirmavit, nec eos, prout prædixerat Jehova, audivit. [16] Tum Jehova Mosi, dic, inquit, Aharoni: virgam tuam extende, pulverem terræ percute, ut per universam Ægyptum in pediculos mutetur. [17] Sic illi fecerunt, & Aharon quidem manum extendit cum virga, terræ pulverem percussit, & fuere in hominibus & brutis pedi-

rierint, [14] & ab Ægyptiis ejectæ domibus acervatim collectæ fuerint, ac putredine tandem solutæ sint. [7] Hoc quoque, sed ad breve tempus, imitati sunt Ægyptii Magi,

[11] Quod cùm vidisset Pharaho, & desiissent ranæ Ægyptiis fastidium creare, ad pristinam animi pertinaciam relapsus promissis stare noluit, prout Mosi prædixerat Deus. [16] Itaque jussus est à Deo Moses Aharoni imperare ut terram virgâ percuteret, quò omnis Ægypti pulvis in pediculos mutaretur. [17] Percussit pulverem Aharon, & eventu à Deo prædicto rem sequente, animalia omnia, hominibus

Codice hæc addiderent: ויבא משה ואהרן אל פרעה ויאמרו אליו כה : שלח וגו' & *ivit Moses & Aharon ad Pharahonem, & dixerunt ei sic: dimitte* &c. quæ habentur vers. 2, 3, 4. Est quidem consuetudinis Hebraïcæ ejusmodi repetitio, attamen facilè fieri potuit ut hîc negligeretur.

5. *Et virgam tuam*] במטך binattecha, *in virga tua*, hoc est, manu virgam gerens eam extende, aut manum virgâ instructam. Aharon in Nilum vicinum, & circumquaque virgam intendit, neque enim omnem Ægyptum peragravit.

6. *Adscendit rana* &c.] Quamvis morsu non noceant ranæ, molestissimum tamen erat videre omnes vias iis stratas, &, si ædes aperirentur, conclavia omnia iis impleri. Aqua etiam, in qua tantâ copiâ natabant, vomitum potiùs excitabat, quàm sitim restinguebat. Præterea diurna illa, ac nocturna undique audita coaxatio non parum quietem Ægyptiorum turbabat; ne jam mortuarum fœtorem, & metum ne omnes morientes pestem fœtore crearent memorem. His de causis, populi eadem plagâ percussi, aliquando sedes pristinas linquere coacti sunt. *Phænias* Aristotelis discipulus, apud *Eustathium* in *Hom.* Iliad. A. p. 35. Ed. Romanæ, ἐν Χεῤῥονήσῳ φησὶν ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ὗσαι τὸν Θεὸν ἰχθύας. οὕτω δέ φησι καὶ βατράχους περὶ Παιονίαν, καὶ Δαρδανίαν, οὓς καὶ τοσούτους ἐν πλήθει, ὡς καὶ τὰς ΟΙΚΙΑΣ καὶ τὰς ΟΔΟΥΣ πληρῶσαι· ὡς δὲ κλείοντες τὰς οἰκίας οὐδὲν ἤνυον, ἀλλὰ καὶ τὰ ΣΚΕΥΗ ἐπληροῦντο, καὶ μετὰ τῶν ἐδεσμάτων ἕψοντο οἱ βάτραχοι συνεψόμενοι· καὶ οὐδὲ τοῖς ΥΔΑΣΙΝ ἦν χρῆσθαι, οὐδὲ τοὺς πόδας ἐπὶ γῆν θεῖναι, οἷα συνεσωρευμένων αὐτῶν· ὠχλοῦντο δὲ καὶ ὑπὸ τῆς τῶν τετελευτηκότων ὀσμῆς· ἔφυγον φασι τὴν χώραν: *in Cherroneso ait, tribus diebus, pluisse Deum pisces. Sic autem ait &* RANAS, *circa Pæoniam & Dardaniam. Quarum etiam tanta erat copia, ut* DOMOS *&* VIAS *implerent. Itaque cùm occidentes, & claudentes domos nihil proficerent, sed &* VASA *implerentur, & cum cibis essent ranæ unà sequutæ, neque aquis liceret uti, neque pedes in* TERRAM *coacervatis ponere, vexarenturque mortuarum odore, fugerunt, ut aiunt, è regione.* Justinus Lib. XV, 2. auctor est Cassandrum *incidisse in Abderitas* (vel *Autariatas*, ut alii legunt) *qui, propter Ranarum muriumque multitudinem, relicto patrio solo, sedes quærebant.* Plura vide apud *Sam. Bochartum.* Non est putandum in nubibus genitas, sed vento vehementiore sublatæ in eas regiones delatæ sunt, ut pluere ranis videretur. Fortè idem in Ægypto contigit, quo factum ut iis implerentur ædes.

7. *Sic & occultorum Interpretes* &c.] Hîc est inversio narrationis, nam postquàm plaga à Deo Israëlis injecta desiisset, idem fecerunt, sed in breve tempus, Sacerdotes Ægyptii. Similis est suprà Cap. VII, 22. Hæc facilis observatio, cui in horum librorum enarratione passim locus est, inutiles reddit plurimas inanes conjecturas, quæ apud *Sam. Bochartum* leguntur. Voci חרטמים addit Samariticus Codex מצרים mitsrim, *Ægyptiorum*, ut LXX. ἐπαοιδοὶ τῶν Αἰγυπτίων.

9. *Indica mihi*] התפאר עלי hithsphaer halai, quod vulgò vertunt *gloriare supra me*, quo sensu occurrit Jud. VII, 2. Esai. X, 15. Attamen huic sensui vix ullus est hîc locus. Itaque LXX. Intt. τάξαι πρός με, & Vulg. *constitue mihi*, quos alii Vett. & Recentiores sequuti, ac sanè res ipsa hunc poscit sensum. Sed ab Hebræis videntur hæc *Sam. Bocharto* diffidere δὶς διὰ πασῶν, qua de causa supplet לאמר *lemor*, quod Judic. VII, 2. exprimitur, quasi hæc sit Mosis verborum sententia: etiamsi non „ est tuum mihi definire tempus liberationis tuæ, „ quæ tota pendet ex Dei solius nutu, & arbi„ trio; ego tamen, qui Propheta sum, & vo„ luntatis ejus interpres, do tibi Dei nomine „ optionem, ut & hoc tibi juris in me adroges, „ tu mihi diem præscribas, quâ vis ut à Deo „ impetrem ut hæ ranæ amoveantur. Itaque vertendum censet: *Gloriare super me, dicendo quando pro te intercedam.* Verùm hæc sunt nimiùm coacta, neque exemplo ullo fulciuntur. Faciliùs multò & rei ipsi satisfaciemus, & simul veterum Intt. auctoritatem defendemus, si meminerimus פ & ב adfines esse litteras, & ubi ב habent Hebræi, passim Chaldæos scribere פ. Quod cùm ita sit, nihil est, cur dubitemus התפאר eodem modo vertere, ac si scriptum esset התבאר hithbaer; hoc est, *declara, expone.* Chaldaïsmos in hisce libris viri docti non semel observarunt, ut Gen. XXXIII, 1. Exod. I, 10. Litteræ autem ב in פ mutatæ, in Hebræo Scriptore, exempla sunt apud Joëlem I, 17. II, 4. Hîc עלי *halai* est pro אלי *elai*, mihi, ut Gen. II, 16. Sup. III, 18. & alibi sæpe. Post בתיך addit Samariticus: מעבדיך ומעמך *à servis tuis & à populis tuis*, ex superio-

diculi; *nam* omnis terræ pulvis, per totam Ægyptum, in pediculos conversus fuerat. 18. Sic fecerunt, *adhibitis* carminibus suis, occultorum interpretes, ut educerent *è pulvere* pediculos; sed non potuerunt, fuerúntque in hominibus & brutis pediculi. 19. Dixerunt itaque Pharahoni occultorum interpretes: hic *demum* est digitus Dei. Pertinacior tamen factus est animus Pharahonis, &, quemadmodum Jehova prædixerat, eos non audivit.

20. Dixit itaque Deus Mosi; summo mane surge & te coram Pharahone siste (*ecce tibi* eum egredientem ad aquam) illique dicito: sic dixit Jehova, dimitte populum meum, ut me colat. 21. Sin verò populum meum non dimiseris, ecce in te, servos tuos, populum tuum, ac domos tuas muscas caninas immittam, domósque Ægyptiorum & terram cui insistunt opplebunt. 22. Distinguam eo die Gosenitidem, ubi est populus meus, nec erit illic musca canina, ut me Jehovam in media ea terra *esse* intelligas.

bus non exceptis, pediculis undequaque erumpentibus referta erant. 18. Vocati Magi percusserunt quidem pulverem, arcano carmine recitato, sed nec ulli prodierunt pediculi, neque ex animalibus, eorum arte, abigi potuerunt. 19. Tum demum Ægyptii Magi, coram Rege, victos se majoris Numinis potentiâ confessi sunt; nec tamen eam ob rem ad saniorem mentem rediit Pharaho.

20. Jussit postea Deus Mosem Pharahoni ad fluvium summo mane processuro occurrere, ab eo veniam abeundi Israëlitis petere, 21. & neganti minari innumerabilia examina caninarum muscarum Ægyptum invasura, nisi concederet. 22. Utque intelligeret præsentem Deum Gosenitidi, quem tractum incolebant Hebræi, adesse, immunem muscarum fore, 23. atque ea in re discrimen conspicuum inter Ægyptios & Israëlitas futurum; nec hoc portentum diutiùs, quàm in crastinum diem, dilatum iri. 24. Cùm Pharaho his minis non moveretur, postridie tanta copia caninarum mus-ca-

perioribus verbis. Sic LXX. Intt. ἀπὸ τοῦ λαοῦ σου.

10. *In crastinum diem*] Fortè sub vesperam Pharaho Mosem vocarat, nec audebat petere ex tempore abigi ranas; itaque crastinum diem constituit.

Prout dixisti] *Secundùm verbum tuum.*

Nullum esse Numen] Subaudiri debet אלהים *elohim*, quod in aliis Scripturæ locis exprimitur. Vide Ps. LXXXVI, 8. LXXXIX, 7.

12. *Circa ranas*] על דבר *bal dbar*, quod est *propter* aut *circa*. Vide 2. Sam. XVIII, 5. & *Chr. Noldium* in hanc vocem, quem si conferas cum iis quæ *Sam. Bochartus* hac de particula habet, quàm hic cum Rabbinis frustra sit intelliges. Intt. LXX. & Vulg. vim hujus particulæ non senserunt, qui habent περὶ τοῦ ὁρισμοῦ τῶν βατράχων *de finitione ranarum*, & *pro sponsione ranarum*; quod non contigisset, si *Concordantiarum* copia eis fuisset, quæ ob oculos ponerent varia loca, in quibus occurrit.

Quas Pharahoni immiserat] אשר שם לפרעה *quas posuerat Pharahoni*, nempe, Jehova. At LXX. ὡς ἐτάξατο Φαραὼ, & Vulg. *quam condixerat Pharahoni*, nempe, Moses.

14. *Acervatim*] *Acervi*, *acervi*, hoc est, in plures acervos. Vide Gen. XIV, 10. & Jerem. II, 13.

Fœtuit] Vide *Phœniæ* Hist. antea allatam.

15. *At postquàm* &c.] *Et vidit Pharaho esse respirationem*, & *obfirmavit* &c. הרוחה harevahhah, *respiratio* hîc dicitur remissio plagarum, quâ *respirare*, hoc est, aliquantùm requiescere ei licuit.

16. *Virgam tuam*] מטך. Habet Samariticus ידך במטך *manum tuam in virga tua*, hoc est, cum virga. LXX. Intt. ἔκτεινον τῇ χειρὶ τὴν ῥάβδον σου.

In pediculos] Vel *fiat pediculi* כנים *chinnim*, quos non σκνῖφας, seu *culices* esse, ut habent LXX. Intt. sed *pediculos* multis argumentis ostendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. IV. c. 18. Ex terra quidem non solent oriri pediculi, sed ex *lendibus*, sive ovis quæ in vestibus, crinibúsve animalium deponunt, & quæ postea calore excluduntur; sed præter ordinem naturæ, ea insecta excitavit Deus.

17. *Cum virga*] במטהו bmattehou, *in virga sua*. Vide ad vers. 5.

Et brutis] His enim infesti etiam sunt pediculi, quamquam variorum generum, quorum plurimorum figuras edidit elegantissimi judicii Physicus *Franc. Redus*. Vide & *Sam. Bochartum* hac de re.

18. *Sic fecerunt*] Hoc est, non ut in superioribus, idem miraculum, procreationem, nimirum, pediculorum, ediderunt; sed pulverem percusserunt, adhibuerúntque arcana verba, ut idem facerent, verùm non potuerunt. Itaque conferuntur hîc Magi Aharoni percussione pulveris, quæ si sola spectetur, *sic*, ut Aharon, *fecerunt*. Alii *sic fecerunt* interpretantur *sic facere conati sunt*. Ac sanè verba activa sæpe conatum dumtaxat designant, ut Gen. XXXVII, 21. ubi vide notata.

Sed non potuerunt] Deo, nempe, impediente, ne Cacodæmones, qui Magis potentiam suam adcommodabant, idem facerent; seu quòd hoc vires eorum Dæmonum superaret, de quibus nihil nobis est exploratum. Sed prius verisimilius videtur, quia hoc difficilius iis, quæ imitati sunt Magi, fuisse nemo dixerit.

Ceterùm hæc plaga gravissima erat Ægyptiis, summopere munditiei studiosis, & quorum Sacerdotes totum corpus radebant, ne quid sudoris alicubi hæreret, aut ne pediculi aliquâ irreperent, ut auctor est *Herodotus*, cujus verba adtulimus ad Gen. XXXV, 2.

19. *His demum est digitus Dei*] *Digitus* aut *digiti* pro tota *manu* dicuntur Ps. VIII, 4. CXLIV, 1. *manus* verò Dei potentiam ejus significat passim. Itaque hic sensus est: divinâ potentiâ fit ut facere nequeamus quod fecere Moses & Aharon. Deus aliquis, iis quos invocavimus potentior, obstat. Alii hæc verba referunt ad ipsum miraculum, quod dicatur digi-

ligas. 23. Liberationem, inter populum meum & populum tuum *discrimen*, constituam, atque in crastinum diem erit hoc signum. 24. Ita fecit Jehova, & venit plurima musca canina domum Pharahonis, domos servorum ejus, & in omnem Ægyptum, ut propter muscas caninas terra corrumperetur. 25. Tum Mosem & Aharonem accersivit Pharaho, & ite, dixit, Deo vestro hac in terra sacra facite. 26. Moses verò, inconsultum esset, inquit, ita facere, quia quod detestantur Ægyptii Jehovæ Deo nostro immolare solemus; si autem in oculis Ægyptiorum quod detestantur mactemus, nonne nos lapidibus obruent? 27. Iter trium dierum in desertum progrediemur, & Jehovæ Deo nostro, prout nobis dicet, sacra faciemus. 28. At Pharaho, ego, inquit, vos dimittam, atque in deserto Jehovæ Deo vestro sacra facietis, procul dumtaxat non ibitis, orate *interea* pro me. 29. Ecce verò, ait Moses, à te egredior, pro te

carum per totam Ægyptum, atque in omnium ædibus conspecta est, ut omnia corrumperent, neque ullus ejus molestiæ immunis esset. 25. Rex Ægypti huic malo penè succumbens Mosem & Aharonem vocari illico jubet, & celebrandi in Ægypto festi potestatem facit. 26. Moses verò negavit se sacra in Ægypto facturos, cùm fieri non possent sine summo periculo, quandoquidem animalia Ægypriis sacra solebant Hebræi Jehovæ mactare; quod si viderent Ægyptii, à lapidibus temperaturi non essent. 27. Itaque se, si ita Regi videretur, per triduum in Arabiam desertam progressuros, atque illic festum Jehovæ, prout ab ipso Numine monerentur, celebraturos. 28. Ibi Rex, passurum ergo se ait Israëlitas in deserto sacra facere, modò ne procul discederent. Interea verò Mosem & Aharonem pro se Dei sui iram deprecari jussit. 29. At Moses se quidem precibus caninas muscas, in crastinum diem, abacturum pollicitus est, sed simul Regem oravit ut promisso de

digitus Dei, hoc est, singularis divinæ potentiæ effectus. Sed non videntur ignorasse Magi cetera divinâ eadem potentiâ, quâ hoc factum erat, edita fuisse. Ceterùm phrasi hinc desumta utitur Christus Luc. XI, 20. ubi vide Interpretes.

Pertinacior tamen &c.] *Et obfirmatum fuit cor* &c. Quamvis videret Magos Ægyptios ad incitas redactos, attamen à se impetrare non potuit, ut Israëlitas dimitteret. Hîc nihil dicit Moses de hujus plagæ remissione suis precibus impetrata, sed intelligi, ut in aliis, debere videtur.

20. *Summo mane surge*] השכם בבקר *haksch-kem babboker*. Ante vocem יצא *jotse* additur in Samaritico הנה. Sic & LXX. ἰδοὺ αὐτὸς ἐξελεύσεται.

Egredientem ad aquam] Vide not. ad Cap. VII, 15.

21. *Muscas caninas*] ערב *harob*. Verterunt LXX. Intt. κυνόμυιαν, quos sequuti sumus, post *Sam. Bochartum*, qui Hieroz. Part. 2. Lib. IV. C. XV. multis eos defendit. *Aquila* verterat πάμμυιαν, & *Hieronymus*, *omne genus muscarum*. Alii etiam ferè omnes *misturam* quamdam, sive *colluviem* animalium esse putarunt, quod verbum ערב *harab*, miscere significet. *Josephus* Lib. II. c. 14. Θηρίων παντοίων καὶ πολυτρόπων, ὧν εἰς ὄψιν οὐδὲν ἀπηντήκει, τὴν χώραν αὐτῶν ἐγέμισεν: *feris omnigenis, & variis, quarum nulla in conspectum venerat, regionem eorum implevit*. Sed ex vers 31. apparet esse speciem unam animalium, ut mox dicemus. Tutius ergo est sequi LXX. Intt. & vocem ערב de uno animali exponere. Potest deduci à significatione Arabica radicis ערב *haraba*, quæ inter alia *vorare*, *consumere*, significat, quo fortè respicitur Psal. LXVIII, 45. *Misit in eos* ערב *& comedit eos*. Nimirum, eæ muscæ acerrimè mordent, sanguinisque animalium & præsertim canum sunt adpetentiores; quâ re nonnulli graviùs adflictos Ægyptios hac plagâ censent, quòd canes colerent.

Cùm autem præter Cyniphes, qui Ægyptum perpetuò vexant, accessissent *Cynomyiæ*, longè maximâ copiâ, dubium esse nequit quin gravi adrecti essent incommodo. Usque adeò infestæ erant quibusdam in locis muscæ, ut Dei honorifica cognomina ex earum expulsione adepti essent. Plinius Lib. X. c. 28. *Invocant Ægyptii Ibes suas contra serpentium adventum, & Elii Myiagrum Deum, muscarum multitudine pestilentiam adferente, quæ protinus intereunt quàm litatum est ei Deo. Clemens Alexandrinus* in Admon. ad Gen. p. 24. Ἀπομυίῳ Διὶ θύουσιν Ἠλεῖοι, Ῥωμαῖοι δὲ Ἀπομυίῳ Ἡρακλεῖ: *muscarum expulsori Jovi sacra faciunt Elei, Romani verò muscarum abactori Herculi*. Vide & *Pausaniam* in Eliacis. p. 313. Illos imitabantur Arcades, ut idem docet in Arcadicis p. 497. *Plinius* iterum Lib. XXIX. c. 6. de eodémne, an de alio Deo nescio: *Olympiæ sacro certamine, nubes earum, immolato tauro Deo quem Myiodem vocant, extra territorium id abeunt*. Fortè & Accaronitarum Deus *Baal-zebub*, hoc est, dominus muscæ dictus est, simili de causa.

22. *Distinguam*] הפליתי *hiphlethi*. LXX. Intt. παραδοξάσω. Vulg. *faciam mirabilem*, quæ est altera significatio verbi הפלא aut הפליה. Vide IX, 4. Videtur & superiorum plagarum immunis fuisse Gosenitis, quamquam tacet Moses.

Ut me Jehovam &c.] Horum verborum duplex esse potest sensus; nimirum, Deum præsentem se ostendisse in Gosenitide, quam tueretur; aut in reliqua Ægypto, quam tot cladibus contunderet. Deus enim adesse dicitur iis quibus favet, ut infrà XVII, 7. Deut. VII, 21. XXIII, 14. & alibi sæpe. Adest item, quando præsentem se cladibus in malos immissis significat, ut infrà XI, 4. Esai. XIII, 4, 5. Vide & Matth. XVI, 28. XXIV, 3. & adnot. *Henr. Hammondi*, ad hæc loca. Priorem tamen sensum prætulerim, quia frequentiora sunt exempla, & videtur series orationis ei favere.

23. *Liberationem*] Hoc est, immunitatem incommodorum sequentium. In Samaritico post finem versûs additur: ויבא משה ואהרן אל פרעה

te Jehovam orabo, & cras à Pharahone, à servis ejus, populóque abscedent caninæ muscæ. Ne dumtaxat fidem ampliùs fallat Pharaho, ut ne populum ad sacra Jehovæ facienda dimittat. 30. *His dictis*, exiit Moses à Pharahone, & Jehovam oravit, 31. qui, prout dixerat Moses, fecit, caninásque muscas à Pharahone, servísque ejus & populo amovit, ut ne una quidem superesset. 32. Attamen Pharaho animum, hac quoque vice, obfirmavit, neque populum dimisit.

CAPUT IX.

1. Exin Jehova Mosi, convenito, inquit, Pharahonem, eúmque *his verbis* alloquitor: sic dicit Jehova Deus Hebræorum, dimitte populum meum, ut me colat. 2. Quod si dimissurum te neges, & adhuc eum retineas, 3. ecce manus Jehovæ in pecus tuum, quod est ruri, erit; atque in equis, in asinis, in camelis, in bubus, in capris & ovibus gravissima pestilentia. 4. Discriminabit autem Jehova pecus Israëlis à pecore Ægyptiorum, neque quidquam Israëlitis morietur. 5. Præstituit etiam Jehova tempus, his verbis: cras Jehova hoc in hacce terra faciet; 6. atque à postero die rem perfecit. Mortuum est omne Ægyptiorum pecus; ex pecudibus verò Israëlitarum, ne una quidem interiit. 7. Misit Pharaho *qui rem cognoscerent*,

de dimittendo populo staret. 10. 11. Itaque cùm abiisset, precibus à Deo impetravit muscas ab Ægyptiis abigi, nec postridie ulla usquam conspecta est; 12. sed nec propterea Pharaho promissis sibi standum esse putavit.

1. Igitur Mosem Deus ad Pharahonem, cum iisdem mandatis, misit, 2. quibus si obsequi nollet, 3. denunciare Mosem jussit gravissimam pestem per Ægypti totius pecudes grassaturam. 4. Néve hanc cladem alii causæ tribuerent Ægyptii, nullam pecudum, ex iis quæ Israëlitarum erant, interituram; dum Ægyptiorum armenta & greges passim per agros essent moritura. 5. Nec longam fore moram, postero enim die ægras & animam agentes pecudes in agris conspecturos Ægyptios. 6. Res, uti Moses prædixerat, evenit, & maxima pars armentorum & gregum per totam Ægyptum, interiit, dum Israëlitarum pecudes incolumes fuerunt. 7. Nec tamen, quamvis compertam rem habuerit Rex Ægypti, adduci potuit ut Israëlitas in desertum abire pateretur.

8. Pertinaciam hominis aliâ plagâ oppugnaturus Deus,

פרעה ודברו אליו כה אמר יהוה, *& venit Moses & Aharon ad Pharahonem, & dixerunt ei, sic dixit Jehova.* Tum sequuntur quæ habentur verss. 20, 21. & 22.

Ut terra corrumperetur] In Samaritico præfigitur ו huic verbo: ותשחת *& corrumpebatur.* Sic LXX. καὶ ἐξωλοθρεύθη. *Sam. Bochartus* intelligit hæc de incolis, qui gravissimè vexabantur hisce muscis, & *terra* passim incolas ejus significat. Sic Ps. LXXVIII, 45. *Misit in eos Cynomyiam, & consumsit eos.* At non tam de hominum corporibus intellexerim, quamquam his etiam molestissimæ sine dubio erant, quàm de carnibus, quibus vescebantur Ægyptii, caseo, aliísque victibus, quos invadere solent muscæ, in iisque vermes, aut ova deponere ex quibus mox nascuntur; quibus rebus fit ut caro & caseus putiscant, & nisi maxima adhibeatur cura, à vermibus absumantur. Credibile est Ægyptios multa edulia, cùm ea semel à nimia muscarum copia tecta vidissent, iis absumenda reliquisse, ut eo sensu *comesi* à Cynomyis dici queant. Sic quoque terra *corrupta* esse dicetur.

26. *Inconsultum esset*] לא נכון lo nachon, *non rectum.* At LXX. οὐ δυνατὸν, & Vulg. *non potest fieri*, quasi legissent נכל nonchal.

Quod detestantur Ægyptii] תועבת thohabath, *abominationem Ægyptiorum*, hoc est, victimam quam mactare horrent Ægyptii. Notum est Ægyptios à variis animalibus, quæ colerent, abstinuisse; sed cùm non esset ubique eadem superstitionis ratio, ut diximus ad Gen. XLVI, 34. non facile est dictu quas potissimùm victimas mactare non auderent Hebræi. Fortè tamen ovilli generis hostias potissimùm spectat, nam oves apud plerosque Ægyptios inviolabiles erant, ut ad eum Geneseos locum diximus.

Nonne nos lapidibus obruent.] Hoc est, certissimè lapidibus impetent, hunc enim in sensum passim interrogationibus utuntur Hebræi. Antea quidem Israëlitæ occiderant oves, aliásque animalia, quibus vescerentur; sed domi & clam faciebant, non spectante populo, ne ejus iram moverent. Itaque verisimilem in desertum abeundi prætexit causam Moses, ne si publicè, ut festo die fieri oportebat, sacra facerent Hebræi, Ægyptiorum iram in se concitarent. Quin & inter ipsos Ægyptios acres rixæ, imò & crudelia bella fuere, quòd alii aliorum sacra animalia publicè mactarent. Insigne est exemplum, quod *Juvenalis* tempore contigit, ut ipse Sat. XV. auctor est, ex quo aliquot versus huc facientes proferemus;

Inter finitimos vetus, atque antiqua simultas,
Immortale odium & numquam sanabile vulnus
Ardet adhuc, Ombos & Tentyra. Summus utrimque
Inde furor vulgo, quòd Numina vicinorum
ODIT *uterque locus, cùm solos credat habendos*
Esse Deos, quos ipse colit. Sed TEMPORE FESTO
Alterius populi, capienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus, ac ducibus, ne
Lætum, hilarémque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent &c.
——— *Jurgia prima sonare*
Incipiunt animis ardentibus, hæc tuba rixæ,
Dein clamore pari concurritur, & vice teli;
Sævit nuda manus &c.
SAXA *inclinatis per humum quæsita lacertis*
Incipiunt torquere &c.

Plutarchus de Iside & Osiride: οἱ Ὀξυρυγχῖται καθ' ἡμᾶς τῶν Κυνοπολιτῶν τὸν ὀξύρυγχον ἰχθὺν ἐσθιόν-

rent, atque ecce ne unica quidem pecus Israëlis mortua erat; attamen obduruit Pharahonis animus, neque populum dimisit.

8. Tum dixit Jehova Mosi & Aharoni: sumite vobis plenis manibus cineres fornacis, eósque in conspectu Pharahonis Moses in cœlum spargat. 9. Erit quasi pulvis in omnem Ægyptum *sparsus*, creabitque in hominibus, & in pecore inflammationem pustulas emittentem, per universam Ægyptum; 10. Sumserunt ergo fornacis cineres, coram Pharahone se stiterunt, & Moses eos in cœlum sparsit, atque in hominibus, & pecore inflammatio fuit pustulas emittens. 11. Nec potuerunt occultorum interpretes coram Mose stare, propter inflammationem; nam fuit inflammatio in obscurorum interpretibus, ut in omnibus Ægyptiis. 12. Pharahonis verò animum obfirmavit Jehova, neque eos, ut Mosi prædixerat Jehova, audivit.

13. At Jehova Mosi, summo mane, inquit, surge, & coram Pharahone te siste, eique dicito, sic dixit Jehova, Deus Hebræorum, dimitte populum meum, ut me colat; 14. hac enim vice omnes meas plagas in animum tuum, in servos tuos,

Deus, jussit Mosem & Aharonem ad eum redire, idem petere, eóque potestatem abeundi Israëlitis negante, plenis manibus cineres è fornace sumtos per aërem quaquaversùm spargere; 9. quo facto, omnes Ægyptios, & quidquid supererat pecudum invasuræ erant pustulæ, cum maxima inflammatione, acutissimisque doloribus conjunctæ. 10. Paruerunt Dei præceptis Moses & Aharon, minásque Pharahoni frustra intentatas exsequutus est Deus; 11. neque Ægyptii Magi, eodem morbo ac reliqui laborantes, potuere Pharahoni adesse, animúmque ejus contra tot prodigia confirmare. 12. Nec tamen ille huic malo cessit, &, ut prædixerat Deus, pertinaciter se Israëlitas dimissurum negavit.

13. Itaque Mosem & Aharonem summo mane postridie hominem adire jussit Deus, idem ac antea petituros. 14. quod si negare perseveraret Pharaho, sciret gravissimis vulneribus se, omnésque Ægyptios adficiendos; quibus nullum usquam Numen

ἐσθίοντας, κύνας συλλαβόντες καὶ θύσαντες, ὡς ἱερεῖον κατέφαγον. ἐκ δὲ τούτου καταστάντες εἰς πόλεμον, ἀλλήλους τε διέθηκαν κακῶς, καὶ ὕστερον ὑπὸ Ῥωμαίων κολαζόμενοι διετέθησαν: *Oxyrynchitæ, nostro tempore, cùm Cynopolitæ Oxyrynchum piscem comedissent, canes quas collegerant, & mactarant, quasi victimam comederunt. Inde conflato bello, se invicem malè habuerant, deinde à Romanis puniti fœdus fecerunt.* Plutarchus eodem loco vult variorum animalium cultum à callido quopiam Rege institutum, ut discordiæ semina præberet. Sed undecumque tam absurdi ritus originem duxerint, Moses meritò Israëlitis timuit, si palam sacra facerent.

Immolare solemus] נזבח *immolabimus*, sed hæc est sæpe vis futuri. Vide not. ad Gen. XX, 9. & 1 Sam. XX, 2, 5.

31. *Qui, prout* &c.] *Et fecit Jehova juxta verbum Mosis* &c.

Ut ne una quidem superesset] *Non superfuit unu*, nempe אחד, quo significatur ea voce animal quodpiam singulare designari, quales Cynomyiæ.

In CAPUT IX.

3. *Manus Jehovæ*] Quando nulla morbi conspicua est causa, Deo ἀμέσως tribuitur, quamquam fortè sine *causis*, ut vocantur, *secundis* non agit. Ejus generis est pestilentia, ideóque qui ea laborant *incidisse in manum Dei* dicuntur 2. Sam. XXIV, 14.

4. *Discriminabit*] והפלה *hiphla*. Vide C. VIII, 22. παραδοξάσω hîc quoque habent LXX. Intt. & Vulg. *Faciet mirabile*. Verùm hanc significationem sequens particula בין ben, *inter*, respuit, discriménque intelligendum indicat.

5. *Cras* &c.] Addit Samariticus eadem verba quæ protulimus ad Cap. VIII, 4, 23. deinde sequuntur quæ hîc habentur verss. 1, 2, 3, 4, 5. exceptis quatuor primis verbis vers. 5.

6. *Omne Ægyptiorum pecus*] Quod, nimirum, *in agris erat*, ut est vers. 3. nam sequentia ostendunt multas superfuisse pecudes, quæ fortè in stabulis erant.

8. *Plenis manibus*] מלא חפניכם *mlo hhophnechem*, hoc est, *plenitudinem pugillorum vestrorum.*

In cœlum] Hoc est, in aërem. Hoc & reliqua similia, quæ in hac historia habentur, non sunt, ut satis liquet, miraculorum causæ; sed externa quædam eorum, quæ eventura erant, significatio. Sic lutum pulvere & salivâ fecit Christus Joan. IX, 6. ut cæcum curaret, cùm ejusmodi luto nulla virtus inesset. Alibi similia, in Sacris Codicibus, occurrunt.

9. *Erit quasi pulvis*] *Et erit* לאבק *in pulverem*, id est, habebitur quasi in omnem Ægyptum sparsus.

Creabitque inflammationem] *Et erit in inflammationem* לשחין *lischebhin. Inflammationem* vertimus non *ulcus*, ut alii, quia ea vox à Chaldaica radice שחן *schebhan* oritur, quæ *calere* significat. Ac sanè *ulcera* non tam emittunt pustulas, quàm pustulæ ulcera creant, ex inflammatione plerumque natæ. Qua de re vide *Celsum* de Medicin. Lib. V. Cap. XXVIII. §. 15.

Pustulas] אבעבעת *ababbuboth*. Radix בעה *babah*, apud Hebræos & Arabas, de tumore vulneris, aut pustulæ usurpatur. LXX. Intr. verterunt פרח אבעבעת φλυκτίδες ἀναζέουσαι *pustulæ effervescentes*, neglectâ Grammaticâ. Sic & Vulg. *vesicæ turgentes*. Sed manifestum est פרח *phoreahh* esse participium. Quoniam autem ἱερογραμματεῖς non potuerunt ad Regem venire, neque Mosi obsistere, videtur fuisse gravissima inflammationis species. *Pessima*, ait Cel-

tuos, & populum tuum immissurus sum, ut intelligas in omnibus terris nullum esse mei simile *Numen*. 15. Nunc quidem exsererem, *si vellem*, manum, téque & populum tuum peste percuterem, atque ex terra exterminareris; 16. sed profectò propterea incolumem te servabo, ut potentiam meam tibi ostendam, útque nomen meum per omnem terram memoretur. 17. Adhuc retines populum meum, ne eum dimittas. 18. Ecce autem gravissimam grandinem, qualis nondum fuit in Ægypto, ex quo condita est, cras, hoc tempore *diei*, demittam. 19. Mitte nunc qui cogant pecus tuum, & quidquid tibi est ruri. Quivis enim homo, & quodvis brutum, quæ in agris deprehendentur, neque domum coacta fuerint, descendente in ea grandine, interficientur. 20. Tum quicumque ex Pharahonis servis Jehovæ verbum reveritus est, servos & pecus domum coëgit; 21. quicumque verò verbo Jehovæ animum non adjecit, *is* servos & pecus in agris reliquit. 22. Jehova verò Mosi,

men coli, quod potentiam Dei Israëlis æquaret, tandem intellecturi essent. 15. Se quidem, si ita liberer, facilè & Regem & Ægyptios omnes, quotquot erant, è medio tollere posse, ne amplius populo suo abeundi potestatem negarent; 16. sed se Regem incolumem servaturum, ut plura potentiæ suæ specimina ederet, noménque suum per omnes terras celebraretur. 17. Igitur quandoquidem nondum Israelitas dimittere vellet, 18. postridie, grandinem tantam demissum iri è nubibus, ut non miraturi modò essent Ægyptii grandinem, præter morem, cadere, sed etiam talem, qualis nulla umquam in Ægypto conspecta esset. 19. Itaque, si saperet, pastores & pecudes in stabula cogeret; plerosque enim eorum, quos grando sub dio deprehenderet, interfectum iri. 20. Hæc Moses & Aharon Regi Ægypti denunciarunt, quibus auditis, varii ex purpuratis, qui timuerunt ne quod minabantur Hebræi vates eveniret, quidquid ruri habebant in stabula coegerunt; 21. at alii, qui fidem

Celsus, *pustula est, quæ ἐπινυκτὶς vocatur. Ea colore vel sublivida, vel subnigra, vel alba esse consuevit. Circa hanc autem vehemens inflammatio est; & , cùm aperta est, reperitur intus exulceratio mucosa, colore humori suo similis. Dolor ex ea supra magnitudinem ejus est; neque enim ea fabâ major est.*

11. *Coram Mose stare*] Hi cùm ex Sacerdotum numero essent, Regi adesse solebant (Vide not. ad Gen. XL, 1.) ejúsque animum obfirmabant, dicendo fortè tandem Mosem, consumtâ arte Magicâ, quieturum.

12. *Obfirmavit Jehova*] Vide not. ad Cap. IV, 21.

14. *In animum tuum*] *In cor tuum*, id est, in te.

Nullum esse mei simile Numen] Vide not. ad Cap. VIII, 10.

15. *Nunc exsererem manum*] כי עתה *chi hattbah*. Abundat כי, ut sæpe aliàs; nisi fortè vertatur *si*, ut sit sensus: *si nunc exseram*, aut *exsererem*. Vidimus ad vers. 3. *manui* Dei pestilentiam tribui.

Exterminareris] תכחד *thicchabhed*. Ex sequentibus liquet ita vertendum, neque enim Deus pestem in Regem aut Ægyptios immisisse postea dicitur.

16. *Incolumem te servabo*] העמדתיך *hehemadthica*, quod οἱ LXX. vertunt διετηρήθης *servatus es*. Sanè conjugatio *Hiphil* passim significat, non facere ut aliquid quod non erat sit, sed id servare. Sic Davidis posteri dicuntur 1. Reg. XV, 4. העמיד hahamid *servare Jerosolimam*. & Prov. XXIX, 4, *Rex judicio* יעמיד jahamid, *stare facit terram*, hoc est, Regnum suum incolume servat. Hic cùm videatur esse loci sensus, non dissimulabo tamen *Henr. Hammondi* ad Rom. IX, 17, eruditam interpretationem. Vult העמיד & ἐξεγείρειν esse è lecto ægrum excitare, seu valetudinem ei restituere; quod non malè huic loco convenit, ubi sermo est de morbo Pharahoni immittendo, quo tamen moriturus non erat. Sic Jac. V, 15. *oratio fidei servabit ægrotantem*, καὶ ἐγερεῖ *& excitabit eum Dominus*; id est, valetudinem ei reddet, faciétque ut surgat è lecto. Esaiæ XLIX, 8. הקים ארץ *hakim erets* est instaurare Judæam. Sed morbum hîc Pharahoni nullum Deus immisisse dicitur. Imò verò ostendit causam, ob quam non immiserit.

Ut potentiam meam tibi ostendam &c.] Hoc per se non erat tanti, cùm hic Ægypti Rex in mari rubro esset periturus, obstinato in tot miracula animo; sed quæ tum facta sunt, ejusmodi erant, ut Judaicæ Religionis & Reip. fundamenta jaci in multa sæcula viderentur. Ad hæc enim miracula Israëlitas perpetuò revocant Moses, & reliqui Prophetæ.

17. *Retines populum meum*] מסתולל בעמי *mistholel behammi*; hoc est, aggeris instar te opponis populo meo, nam סלל est *exaggerare*, *munire viam*.

18. *Ex quo condita est*] למן היום הוסדה lmin hajjom hivvasedah, *à die quo fundata est*, hoc est, quo incolis instructa est; metaphora ex urbibus sumta, quarum, ante omnia, fundamenta jaciuntur. vers. 24.

Hoc tempore diei] כעת מחר chaheth mahhar, *ut hoc tempore, cras*. Ea est vis voculæ כעת. Vide not. in Genes. Cap. XVIII, 10. Accuratè tempus prædicitur, ne casu postea factum hoc diceretur. Præterea hac re Deus ostendit nullam esse rerum naturæ partem, cui non imperaret. Τὴν χάλαζαν, inquit *Theodoretus*. Quæst. XXI. καὶ τοὺς σκηπτοὺς αὐτοῖς ἐπιπέμπει, δεικνὺς ὡς αὐτός ἐστι πάντων τῶν στοιχείων δεσπότης. ἐπειδὴ γὰρ καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Ἕλληνες ἐνόμιζον τοὺς μὲν οὐρανίους, τοὺς δὲ ἐπιγείους, τοὺς δὲ ὑποχθονίους εἶναι θεούς· καὶ τοὺς μὲν τῆς γῆς, τοὺς δὲ τῆς θαλάσσης δεσπόζειν· καὶ τοὺς μὲν τῶν ὀρῶν, τοὺς δὲ τῶν πεδίων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. διὸ καὶ οἱ Σύροι ἔλεγον, Θεὸς ὀρέων ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ, καὶ οὐ Θεὸς κοιλάδων. ἀναγκαίως ἄγαν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς οὐ μόνον αὐτοὺς διὰ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς γῆς, ἀλλὰ καὶ διὰ τοῦ ἀέρος, καὶ τῆς θαλάσσης ἐπαίδευσε· καὶ οὐρανόθεν αὐτοῖς κεραυνοὺς ἐπαφῆκε, διδάσκων ὡς αὐτός ἐστι τῶν ὅλων ποιητὴς καὶ δεσπότης: *grandinem, & fulmina*

iis

Mosi, extende manum tuam ad cœlum, & grando in homines, in bruta, & in
omnem herbam agrorum, per totam Ægyptum erit. 23. Extendit ergo Moses
virgam suam ad cœlum, Jehova autem edidit tonitrua & grandinem, ignis in ter-
ram *frequens* ivit, atque in Ægyptum Jehova grandinem depluit. 24. Fuit gran-
do, & in media grandine ignis admistus, *& grando quidem* gravissima, qualis in
tota Ægypto, ex quo incolitur, similis non fuerat. 25. Feriit grando, per to-
tam Ægyptum, quidquid erat in agris, ab hominibus ad pecudes, herbam omnem
contudit, arborémque omnem agrorum fregit. 26. In Gosenitide dumtaxat, ubi
Israëlitæ erant, nulla fuit grando. 27. Misit itaque Pharaho qui Mosem & Aha-
ronem accerserent, iisque, jam, inquit, peccavi, Jehova justus est, ego, popu-
lúsque meus iniqui. 28. Orate Jehovam, & satis esto fuisse tonitrua Dei & gran-
dinem, vos dimittam, neque morabimini ampliùs. 29. Moses verò illi, cùm ur-
be

dem non habuerunt hisce minis, servos & pecudes, ut antea, sub dio reliquerunt. 22. Tum verò Deus jussit Mosem ad cœlum manum porrigere, & promisit paullò pòst grandinem delapsuram. 23. 24. Paruit Moses, & subitâ grandine, mistis tonitrubus & fulminibus, omnia concrepuerunt; ac tanta quidem grando erat, ut nulla umquam similis in Ægypto fuisset. 25. Igitur ferè quidquid erat sub dio hominum & pecudum occisum est; omnis item herba paullo altior, arboresque omnes contusæ sunt grandine. 26. Solus Goseniticus tractus, quem incolebant Israelitæ, grandinis immunis fuit. 27. Tum verò Rex Ægypti, accersitis properè Mose & Aharone, fassus est Hebræorum Numen justum esse, se autem & Ægyptios merito pœnas impietatis luere. 28. Deinde rogavit eos Deum sibi exorarent, & grandinem pedibus sisterent; quo impetrato, se illis tandem abeundi potestatem facturum. 29. Moses effecturum se dixit ut grando & procella cessarent, statim ac urbe exisset, & Deum de-

iis immisit, ostendens se esse omnium elementorum dominum. Cùm enim Ægyptii & Græci crederent, alios cœlestes, alios terrestres, alios inferos esse Deos, alios quidem terræ, alios mari præesse; illos montium, hos camporum potestatem obtinere; unde & Syri dicebant, Deus Israëlis Deus est montium, non vallium; necessariò prorsus universitatis Deus eos non tantùm per fluvium & terram, sed & per aërem & mare castigavit, atque è cœlo fulmina iis immisit, docens se esse omnium opificem & dominum. Deinde adfert verſ. 29. hujus Capitis.

Descendente &c.] *Et descendet in eos grando, & morientur.* Addit Samariticus hîc verba allata ad verſſ. 4, & 23. superioris Capitis, repetitque quæ hîc habentur verſſ. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.

21. *Servos & pecus*] *Servi* ac δοῦλοι, apud Romanos & Græcos, non habebant alios *servos*; sed hi *servi* Pharahonis Ingenui erant. Vide not. ad Gen. XL, 1.

23. *Edidit tonitrua* &c.] Pertinaciores Ægyptii fidem Mosi derogasse videntur, quia iis ignotæ erant ejusmodi tempestates; cùm ne plueret quidem in Ægypto, præsertim superiore. Nam in inferiore interdum pluere ex Itinerariis nobis constat. Ἐπὶ Ψαμμηνίτου, ait *Herodotus* Lib. III. c. 10. βασιλεύοντος Αἰγύπτου, φάσμα Αἰγυπτίοισι μέγιστον δὴ ἐγένετο. ὕσθησαν γὰρ Θῆβαι, οὔτε ὕστερον, τομέχρι ἐμεῦ, ὡς λέγουσι αὐτοὶ Θηβαῖοι. οὐ γὰρ δὴ ὕεται τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου τοπαράπαν: *Psammenito imperante Ægypto, maximum contigit Ægyptiis ostentum, Thebæ Ægyptiæ pluviâ madefactæ, neque postea, ad meam usque ætatem, ut ipsi Thebani aiunt; nam in superiore Ægypto, penitus non pluit.* *Philo* in Vita Mosis Lib. I. p, 481. Ed. Genev. Τῶν μὲν πρὸς θαλάττῃ μόναις ψεκάσιν ἀραιαῖς λιπαινομένων, τῶν δὲ ὑπὲρ Μέμφιν τὸ βασίλειον Αἰγύπτου μηδὲ νιφομένων τὸ παράπαν, ἐξαίφνης οὕτως ἐνεωτέρισεν ὁ ἀήρ, ὥσθ' ὅσα ἐν τοῖς δυσχειμέροις ἀθρόα κατασκῆψαι: *cùm solæ raræque pluviæ irrigent ea quæ sunt ad mare, ea verò quæ sunt supra Memphin, regiam Ægypti, ne ullo quidem modo pluviam sentiant; repente aër res novas molitus est, ut omnes hibernis regionibus consuetæ tempestates frequentes ingruerent.* Οὐ μόνον ἡ ἐξαίσιος φορὰ πάντων τοὺς οἰκήτορας ὑπερβαλλούσας δυσθυμίας ἦγεν, ἀλλὰ καὶ τὸ τοῦ πράγματος ἀηθές, *non modò stupendus motus omnium incolas in summum terrorem adduxerat; sed etiam quòd res insolita esset.* *Plinius* Lib. 2. Hist. Nat. C. L. auctor est exhalationes rigentes ac gelidas *immunem Scythiam & circa rigentia à fulminum casu præstare, & è diverso nimium ardorem Ægyptum.*

Ignis in terram frequens ivit] תהלך אש ארצה *thithalach esch artsa.* Vocem primam non aliter interpretati sumus, quàm si legeretur תתהלך *thithhallech.* Hæc tertia persona bis occurrit hîc & Pſ. LXXIII, 9. & utrobique pro *thahaloch*, quæ genuina est prolatio, legimus in punctatis codicibus *thihaloch*; fortè quòd dubitarent Massorethæ legendúmne esset *thithallech* an *thahaloch*, quo factum ut formam mistam ediderint. Sanè non semel iit fulmen in terras, in gravissima tempestate, & ad frequentiam fulminum signandam aptior est conjugatio *Hithpael.*

In Ægyptum Jehova grandinem misit] Videtur hoc repeti, quòd numquam contingere, aut rarissimè soleret in Ægypto, ut grando caderet. Alioqui repetitio hæc non modò inutilis, sed tædiosa planè esset, cùm in sequentibus grandinis iterum mentio fiat.

24. *Ignis admistus*] מתלקחת *mithlakahhath*, hoc est, qui continebatur intra grandinem cadentem. Videtur describi *Prester*, qui sic à Plinio pingitur Lib. 2. C. XLIX. *Turbo*, inquit, *ardentior, accensúsque dum furit, Prester vocatur, amburens contacta pariter & proterens* &c. *Distat Ecnephias à Prestere, quo flamma ab igni. Hic latè funditur flatu, illud conglobatur impetu.* Seneca Nat. Quæst. Lib. V. c. 13. *Ventus circumactus, & eumdem ambiens locum, & se in ipsa vertigine concitans, turbo est. Qui si*

be exiero, inquit, ad Jehovam manus extendam, tonitrua cessabunt, neque ulteriùs erit grando, ut terram Jehovæ esse scias. 30. Novi tamen te, servósque tuos nondum Deum Jehovam reverituros. 31. Contusa autem sunt grandine linum & hordeum, quia hordeum spicatum *erat*, & lini caulis exstabat. 32. Triticum verò & Zea non fuere contusa, quia serotina sunt. 33. Exiit ergo Moses à Pharahone extra urbem, manúsque ad Jehovam extendit, & cessavere tonitrua & grando, nec pluvia in terram decidit. 34. Cùm vidisset Pharaho pluviam, grandinem & tonitrua cessasse, iterum peccavit, animúmque cùm ipse, tum servi ejus obfirmarunt. 35. Pertinacior *ergo* cùm esset Pharahonis animus, Israëlitas, quemadmodum per Mosem prædixerat Jehova, non dimisit.

1. Postea

deprecari cœpisset, ut intelligeret Pharaho Hebræorum Deum Ægypto, non secus ac ceteris terrarum omnium oris, præesse; 30. quamquam probè norat Ægyptios nondum eâ, quâ par erat, reverentiâ Dei imperia prosequuturos. 31. Eâ porrò grandine contusum planè est hordeum, quod eâ tempestate spicatum, item linum quod jam altius erat. 32. Tritico verò & zeæ, quorum nondum exstabant culmi, nihil nocuit grando. 33. Cùm autem urbe Moses egressus Deum oraret, cecidit procella; 34. quod cùm animadvertit Pharaho, ad pristinam pertinaciam rediit, 35. atque Israëlitas se in Arabiam dimissurum negavit.

1. Tum verò Deus Mosem jubet eadem mandata, sæpiùs spreta, ad eum ferre; ejus enim, aulicorúmque pertinacia se uti ait, quò plura & mi-

si pugnacior est & diutiùs volutatur, inflammatur & efficit quem πρηστῆρα Græci vocant. Hic est igneus turbo. Accenduntur, nempe, sulfureæ ac nitrosæ exhalationes, prout docent Physici.

27. *Misit qui accerserent*] *Misit & vocavit* &c.

28. *Satis est fuisse*] רב מהיות rab mihjoth, *multum fuisse*; aut, *plusquàm satis est fuisse.* Vide Gen. XLV, 28. Num. XVI, 3, 7.

Neque morabimini amplius] *Neque addetis stare.*

29. *Extendam manus*] Hoc est, orabo, extensis ad cœlum manibus, qui orantium gestus.

Ut terram Jehovæ esse scias] Ne putes Jehovam Deum esse alius oræ præfectum, qui nihil in Ægyptum possit. Nam hæc erat opinio Ægyptiorum, ut aliorum Idololatrarum, esse adtributos unicuique regioni suos Deos. *Psammetichus*, apud milites qui ad Æthiopias agmine facto transfugiebant, θεοὺς πατρῴους ἀπολιπεῖν οὐκ ἔα, *Deos patrios relinquere licitum esse negabat*; quòd Ægypto, nimirum, clausa esset Deorum illorum patriorum potentia. *Herodotus* Lib. II. c. 30. Vide & ad vers. 18.

31. *Spicatum erat*] אביב *abib.* Videtur hac voce propriè *culmus*, sive *calamus* significari, esséque aliqua ei adfinitas cum radice בוב boub, *cavus fuit*, unde אבוב *aboub*, apud Chaldæos & Syros, *tibiam* sonat, aut *fistulam*, quæ olim calamis, aut arundinibus constabant, unde *arundinum*, & *calamorum* nominibus apud Poëtas vocantur. Postea אביב videtur *spicam* significasse, quia tum demum spica cernitur, cùm exsistere incipit culmus. Vid. Levit. II, 14. & quæ dicemus infrà ad Cap. XIII, 4. LXX. habent παρεστηκυῖα *stans.*

Lini caulis exstabat] גבעל *gibbol.* LXX. habent σπερματίζον *semen emittens.* Compositam vocem crediderim ex גבה gabah, *altus fuit*, & עלה halah, *ascendit*; & lini culmos jam grandiores eâ significatos, apud Ægyptios, ubi maximus erat lini proventus & usus.

32. *Zea*] כסמת *chesemeth.* Ὀλύραν hîc & Ezek. IV, 9. vertunt LXX. Intt. ζέαν verò Ezek. XLIV, 20. Sed duo sunt nomina ejusdem generis tritici, ut liquet ex iis quæ diximus ad Gen. XLI, 35.

Serotina erant] אפילות *aphiloth.* LXX. Intt. habent ὄψιμα. Vulgatus eos ante nos sequutus est. Cùm אפל *ophel* caliginem, seu tempus serum diei significet, inde אפילות *aphiloth* serotinas fruges, seu quæ post reliquas maturescunt, dici conjecit *Nicol. Fullerus Miscell. Sacr.* Lib. III. c. 11. Quamvis Etymologiæ ratio paullò difficilior sit, nihil melius hactenus occurrit, & res ipsa ostendit agi de frugibus; quarum culmus humilis adhuc erat, & quibus proinde nocere non potuit grando. Hinc discere possumus, quo tempore in Ægypto Satio & Messis fierent, si meminerimus Israëlitas exiisse ex Ægypto hoc ipso mense *Abib*, quo maturum erat hordeum, sciamúsque quot mensibus fruges in ea regione à satu ad maturescendum indigeant. Quod nos docet *Theophrastus* de Hist. Plant. Lib. VIII. c. 3. κριθαὶ μὲν, inquit de Ægypto verba faciens, ἐν ἕκτῳ μηνὶ, πυροὶ δ' ἐν τῷ ἑβδόμῳ. Hoc est, interprete *Plinio* Hist. Nat. Lib. XVIII. c. 7. *In Ægypto, hordeum sexto à satu mense, frumenta septimo metuntur.* Igitur si mense Abib, qui Martio & Aprili respondet, maturum erat hordeum, Octobri aut Novembri mense satum fuisse necesse est; triticum eodem tempore, quod mense seriùs metendum erat. Itaque si Aprili metatur hordeum, Majo metetur triticum; quod convenit etiam cum iis quæ ab nonnullis, qui Ægyptum descripsere, observata sunt; qua de re legendus *Nicol. Fullerus.*

35. *Pertinacior ergo cùm esset* &c.] *Et obfirmatum est cor Pharahonis* &c. Sed cùm hoc jam dictum fuisset directâ, ut ita loquar, narratione, obliquiùs fuit exprimendum.

Per Mosem] *Per manum Mosis.*

In Caput X.

1. *Obstinavi*] Vide not. ad Cap. IV, 21.

2. *Ut narres*] Vide not. ad Cap IX.

Filio tuo] *In auribus filii tui, & filii filii tui.*

Me esse Jehovam] Effecisse quæ aliquot ætatibus antè futura dixeram. Vide not. ad Cap. VI, 3.

3. *Te*

CAPUT X.

1. Postea Jehova Mosi, Pharahonem, inquit, adito, animum enim ejus, & servorum obstinavi, ut mea signa inter eos edam, 2. útque narres filio tuo & nepoti quæ in Ægyptios fecerim, & quæ mea signa in eos ediderim, ac sciatis me esse Jehovam. 3. Convenere ergo Moses & Aharon Pharahonem, eique, sic dixit, inquiunt, Jehova Hebræorum Deus, quousque te mihi subjicere recusabis? dimitte populum meum, ut me colat. 4. Si *ampliùs* renueris dimittere populum meum, ecce ego locustas cras in fines tuos inducam. 5. Eæ superficiem terræ tegent, nec *quisquam* terram videre poterit; comedent quod incolume superest, vobisque ex grandine reliquum factum est; omnes vobis frondescentes arbores, in agris, depascent; 6. implebúntque domos tuas, domos omnium servorum tuorum,

mirabiliora in Ægypto à se ederentur prodigia. 2. Velle se horum memoriam posteris, fidis narrationibus, ab Israelitis consignari, ut cùm illa, tum futuræ etiam ætates Numen Hebræorum facere ut sint quæ velit, & quæ pollicitus est intelligerent. 3. Itaque se in Regiam contulerunt Moses & Aharon, & nomine Dei Israëlis quæsiverunt à Rege, quando tandem ejus imperiis pariturus esset, populúmque, rei divinæ faciendæ causâ; dimissurus? 4. Quod si etiamnum negaret, minabantur postridie incredibilem copiam locustarum Ægyptum ingressuram, 5. quæ terram multitudine suâ tegerent, & quidquid supererat viroris depascerentur; quæ in ædes ipsas irrumperent, neque cujusquam domui parcituræ essent; quod nemo in Ægypto, post bominum memoriam, viderat.

3. *Te mibi subjicere*] לענות מפני lehanoth mipphanai, *bumiliari à facie mea.*

5. *In agris*] *Ex agris.* Vide quæ de Locustis diximus, sub finem Diss. de *Statua Salina*, & quæ de iis collegit vir eruditissimus *Job. Ludolfus* in Comment. Hist. Aeth. ad Lib. I. n. 96. Præter *arbores*, in Samaritico Codice est כל עשב הארץ *omnem berbam terræ.*

6. *Conversus egrediebatur*] *Et vertit se, & exiit.* Ante hæc verba, exsequutio mandati divini describitur in Samaritico Codice, verbis quæ in superioribus commatibus exstant, & quibus hæc præfiguntur ויבא משה ואהרן אל פרעה וידברו אליו *& ivit Moses & Aharon ad Pharabonem & dixerunt illi.*

Servi Pharabonis] Nonnulli ex sapientioribus & æquioribus Sacerdotibus, qui Regi Ægypti à consiliis erant.

Laquei instar] למוקש lmokesch. LXX. Intt. verterunt σκῶλον, *Aquila* πρόσκομμα offensionem, Vulg. *scandalum.* Radix יקש jakasch, laqueum tendere significat, ad capiendas feras, & מוקש est propriè *tendicula.* Tralaticio sensu significat quidquid offensionis, quæcumque sit, occasio est, ut hoc loco. Moses enim Ægyptiis præbuit eas occasiones, quibus abusi se se perditum iverunt. Samaritica versio habet למנבי, hoc est, Hebraïcè למגפה lmaggepha, *in plagam.* Scholiastes Vaticanus Samariticum ait habere εἰς ἄλας, *in damna.*

An priùs Ægyptum periisse cognosces] An exspectabis omnium Ægyptiorum perniciem, antequàm à te impetres ut eos dimittas? Sensus est clarus, attamen הטרם תדע baterem thedah, vertit Aquila ἆρα οὔπω οἶδας, *ergo nondum nosti.* Scholiastes Vaticanus notat in Samaritico fuisse: πρὶν γνῶς ὅτι ἀπόλωλεν Αἴγυπτος, *antequàm noris periisse Ægyptum.* Est in nostra versione Samaritica: הארלה החכם הלא מכרה מצראי, *an antea scias quòd periit Ægyptus?*

8. *Redire jussi sunt*] הושב bouschab, quod potest etiam verti *reductus est.*

Ite, colite &c.] Jam vobis per me licet ire &c. sed qui ex vobis ituri sint, scire me, antequàm proficiscamini, necesse est.

Qui abituri sunt] *Qui, & qui euntes.* Dudum subolnerat Pharahoni totum populum fugam meditari, fortè ex nonnullorum Israëlitarum sermonibus.

9. *Quoniam nobis est celebrandum*] Ad festa, nimirum, universus populus concurrebat; non viri modò, sed mulieres & pueri, quicumque morbo domi non retinebantur. Illis diebus, Hebræis dicitur esse מקרא קדש mikra kodesch, *convocatio sancta*, Græcis verò πανήγυρις, hoc est, ut Grammatici interpretantur, ἑορτὴ, συνάθροισις, ἀπὸ τῦ ἀγυρις, εἰς ἣν πάντες ἀγείρονται, *festum ad quod omnes conveniunt.* Atque hæc Mosis ratio eò majoris erat ponderis, aut certè plausibilior, apud Pharahonem; quòd ejusmodi conventuum studiosissimi erant Ægyptii, eósque à se inventos esse jactabant. *Herodotus* Lib. II. c. 58. Πανηγύριας καὶ πομπὰς Αἰγύπτιοι εἰσὶν οἱ ποιησάμενοι — Πανηγυρίζουσι δὲ Αἰγύπτιοι οὐκ ἅπαξ τῦ ἐνιαυτῦ, πανηγύριας δὲ συχνάς — Πλέουσί τε γὰρ δὴ ἅμα ἄνδρες γυναιξὶ, καὶ πολλόν τι πλῆθος ἑκατέρων ἐν ἑκάστῃ βάρι: *Conventus & pompas & conciliabula primi fecerunt Ægyptii — Nec semel dumtaxat in anno conventus agunt Ægyptii, sed frequentes — Navigant autem viri cum mulieribus, magnáque est in singulis navibus utrorumque multitudo.* Itaque ægrè non poterat ferre Pharaho omnibus abeundi facultatem peti

10. *Ita adsit*] Ut vos dimittam, ita opto vobis pacem Jehovæ; hoc est, utinam vos malè mulctet! Pro יהי est in Samaritico Codice יהיה *erit.*

Malum vobis esse propositum] *Malum ante facies vestras.* Malo consilio licentiam festi celebrandi petitis; nempe, ut abeatis, quandoquidem & vos & vestra hinc in desertum transferre vultis.

11. *Non sic*] Non patiar omnes abire.

E conspectu suo] *E conspectu Pharabonis.* Nomen substantivum pro pronomine.

12. *Ad excitandas locustas*] בארבה bearbeh, *in locustam*, aut *ad locustam*, ut habet Vulg. LXX. ἀναβήτω ἀκρὶς, *adscendat locusta.* Præter herbam à locustis absumendam, est in Samaritico: *& omnem* פרי העץ phri hahets *fructum arboris.* LXX. etiam habent, τὸ καρπὸν τῦ ξύλου.

13. *Immisit ventum orientalem*] *Duxit* (נהג)

rum, domósque omnium Ægyptiorum; quod neque patres tui, nec patres patrum, ex quo sunt in terris, ad hunc usque diem, viderunt. *His dictis*, conversus egrediebatur Moses à Pharahone. 7. Tum verò servi Pharahonis huic, quamdiu, inquiunt, hic nobis laquei instar erit? homines dimitte, ut serviant Deo suo Jehovæ, an priùs Ægyptum periisse cognosces? 8. Redire ergo jussi sunt Moses & Aharon ad Pharahonem, qui iis dixit: ite, colite Jehovam Deum vestrum, verùm qui abituri sunt? 9. Moses verò, cum pueris nostris, inquit, & senibus, cum filiis nostris & filiabus, cum ovibus & bubus, abibimus, quoniam nobis est *celebrandum* sollemne Jehovæ festum. 10. At *Pharabo*, ita, inquit, vobis adsit Jehova, quemadmodum vos impuberésque vestros dimittam. Videte vobis esse malum propositum. 11. Non sic *erit*, ite nunc viri, & Jehovam colite, hoc enim postulatis. *Quibus dictis*, è conspectu suo eos expulit.

12. Jehova verò Mosi, extende, inquit, manum tuam in terram Ægyptiam ad *excitandas* locustas, adscendántque in Ægyptum, omnem herbam terræ, & quæcum-

rat. Hæc ubi dicta dedissent, abibant à conspectu Regis Moses & Aharon, 7. cùm Pharahonis purpuratorum nonnulli cœperunt hominem monere, tandem, post tot mala, quibus adflicta fuerat Ægyptus, tempus esse hominum dimittendorum, qui tantam noxam Ægypto portentosis artibus crearent; nisi vellet audire priùs actum esse de regno, quàm Hebræis abeundi veniam concederet. 8. Itaque Rex Mosi & Aharoni ad se revocatis, se iis potestatem abeundi concedere velle dixit, si priùs quinam, ad festum celebrandum, discessuri essent intellexisset. 9. Moses verò omnes omnino Hebræos, puberes atque impuberes, ituros respondit, & secum pecudes omnes acturos, celebrare enim festum se Deo suo debere. 10. Tum Rex negavit se passurum impuberes pedem Ægypto efferre, idque malo animo, ut in alias sedes migrarent, ab Hebræis agitari dixit. 11. Si aliud nihil cuperent, nisi sibi festi celebrandi veniam dari, puberes solos potestatem abeundi in desertum petituros, quod per ipsum nunc licebat. Quæ cùm dixisset, eorum responsum non exspectavit, sed homines illico Regiâ excedere jussit.

12. Igitur cùm egressus esset Regiâ Moses, à Deo jussus

ventum קדים *kadim*, quam vocem propriè hîc intelligimus, de vento ex orientali plaga cœli spirante; ex Arabia, nimirùm, quæ Ægypto est ad orientem. *Sam. Bochartus* sequitur τοὺς LXX. qui νότον habent, australem ventum, qui locustas ex Æthiopia, earum feracissima, adduxerit. Et verum quidem קדים aliquando pro *noto* sumi, sed nihil opus est recedere à propria significatione vocis; cùm *Plinius* auctor sit *in Syria* Arabiæ contermina *locustas necare militari imperio* Romana præsidia *coacta*. Vide Hieroz. P. 2. Lib. IV. c. 3. In memoriam revocanda quæ de locustis diximus, sub finem Dissertationis de *Statua Salina*, quibus hæc illustratur historia. Verùm huc transferemus integrum locum Anonymi, cujus exstat descriptio ejus partis Scythiæ, quam qui hodie Cosacci vocantur tenent, apud *Thevenotium* Collect. Part. I. Sic ille pag. 12. prout ejus verba Gallica Latinè sonant: „ Infestantur locustis, quæ „ interdum ad eos veniunt, præsertim siccâ, „ præter modum, tempestate. Aguntur Sub„ solano, aut Euronoto ex Tartaria, Circassia & Mingrelia, quæ earum ferè numquam im„ munes sunt. Feruntur per aërem nubium in„ star confertæ, quæ nubes quindecim aut octo„ decim passuum millia longæ sunt, & in lati„ tudinem novem aut duodecim millia patent. „ Usque adeò aërem obscurant, ut serenissi„ mum cœlum quasi nubilum videatur, ubi hæ„ rent. Intra bihorium segetes demetunt, quod „ annonæ pretium auget, & interdum iis in„ colis famem creat. Ea insecta, ubi degunt, „ ultra sex menses non producunt vitam. Au„ tumno deponunt ova, & singula quidem tre„ centa, quæ sequente vere excluduntur; quod „ si siccum esse contigerit, eâ multiplicatione „ sunt, quàm anno præcedente, infestiores. „ Copiosi imbres eas occidunt, & quominùs „ ova excludantur impediunt. Sues hisce ovis „ maximè delectantur, & ad purgandos iis agros „ adhibentur. Ova sunt racemorum instar con„ nexa, quales sunt Turcici, ut dicitur, tri„ tici aristæ, cujus grana colore & figurâ refe„ runt. Eâ solâ ratione, liberantur locustis „ Cosacci, nisi fortè, postquàm volare cœpe„ runt, Septemtrio aut Corus eas in Pontum „ Euxinum avehat. Quando recens natæ sunt, „ neque ita alis valent, ut volare queant, do„ mos ingrediuntur, lectos subeunt, in men„ sas & cibos repunt, ut vix cibus capi possit, „ quin simul nonnullæ deglutiantur. Noctu „ cùm quiescunt, viæ iis stratæ sunt, ad alti„ tudinem quatuor digitorum, imò & majo„ rem. Si rotâ prætereuntis currûs tunc eli„ dantur, tam fœtidus odor inde oritur, ut „ vix ferri queat, præsertim cùm earum ca„ davera putiscere cœperunt. Conferantur cum hisce quæ habet *Plinius* Lib. XI. c. 29. Hinc facilè intelligimus quanta hæc fuerit plaga.

Postquàm matutinum tempus] *Manè fuit*, & *ventus* &c. Hoc est, matutino tempore Ægyptii regionem omnem à locustis depasci viderunt.

14. *Quæ adscendere*] *Et adscendit locusta.* Hoc est, venit; nam ex Arabia vento devectæ descendêre potiùs, quàm adscendêre locustæ. Vide *Indicem* in voce *Adscendere.*

Neque post hasce erunt] Est proverbialis loquutio, non vaticinium; quâ significat Moses nullam fuisse memoriam tam noxiarum locustarum, & rarissimam esse tantam pestem. Similis phrasis habetur Joel. II, 2. ubi describuntur etiam locustæ. Rabbini, qui in hisce conciliandis laborant, nodum in scirpo quærunt. Vide similes loquutiones 2 Reg. XVIII, 5. & XXIII, 25.

15. *Superficiem*] *Oculum.*

Quæ

cumque reliqua fecit grando depascant. [13] Extendit Moses virgam suam in Ægyptum, & *simul* Jehova immisit ventum orientalem regioni, per totum illum diem, & totam noctem. Postquàm matutinum tempus advenit, *jam* orientalis ventus locustas sustulerat, [14] quæ in universam Ægyptum adscendere, atque omnibus Ægypti finibus graves admodum incubuere. Antea nullæ similes fuerant locustæ, neque post hasce erunt. [15] Totius terræ superficiem texerunt, quæ occultata est; omnem herbam terræ, omnem fructum arboris, quem reliquum fecerat grando, depaverunt; neque viror ullus in arboribus, aut herbis agrorum, per totam Ægyptum, superfuit. [16] Festinanter itaque Pharaho Mosem & Aharonem accersivit, & peccavi, inquit, in Deum vestrum Jehovam & vos; [17] sed hac tantùm vice delicto meo, quæso, ignosce, invocate Jehovam Deum vestrum, atque hanc dumtaxat pestem à me abigat. [18] Egressus est *Moses* à Pharahone, & Jehovam oravit. [19] Tum convertit Jehova ventum in matinum vehementissimum, qui locustas abstulit, atque in mare algosum conjecit, ut ne una quidem in omnibus Ægypti

jussus est manum circumquaque, veluti in Ægyptum, porrigere, ut locustas evocaret. [13] Per reliquum diem, & sequentem noctem ventus orientalis à Deo excitatus flavit, & locustas ex Arabia in Ægyptum secundo flamine detulit; quæ postridie mane ubique conspectæ sunt. [14] Latissimè per omnes Ægyptiorum fines sparsæ erant, tantáque copiâ, ut numquam tot locustas vidissent Ægyptii, neque posthac visuri sint. [15] Itaque terram ferè totam texerunt, & quidquid reliquum fuit viroris, in herbis atque arboribus, quas grando contuderat, absumserunt. [16]. Quod cùm vidisset Rex Ægypti; Aharone & Mose vocatis, fassus est se Hebræorum Dei iram, eorúmque meritò movisse; [17] sed pollicitus se posthac reverentiorem Dei Israelis futurum, rogavit pro se ultimùm apud eum intercederent, ut præsentem hanc locustarum pestem à se abigeret. [18. 19] Egressus illico Regiâ Moses precibus à Deo impetravit ut Ægyptii à locustis liberarentur; & hæ quidem vento à mari interno divinitus excitato conjectæ omnes sunt in sinum Erythræum, in quo submersæ perierunt, ut nulla amplius

Quæ occultata est] *Et obscurata est terra.*

Neque viror ullus in arboribus] Quamvis enim grando *herbam contudisset, arborésque omnes fregisset*, ut docet Moses Cap. IX, 25. omnes tamen ramos non fregerat, neque herbam evulserat; itaque, præsertim aliquot pòst diebus, satis supérque in Ægypto fuit viroris. Calor summus solis in iis locis ex humido solo brevi herbas educit, & folia ex arboribus.

16. *Festinanter accersivit*] *Festinavit ad vocandum.*

17. *Ignosce*] שא *scha.* Videtur ad Mosem conversus, qui erat ei quasi Deus, dicere. Phrasis hæc, quâ propriè *auferri peccatum* dicitur, videtur hinc nata quòd qui condonat peccatum ejus *pœnam tollat.* Sic hoc in loco orat Pharaho Mosem pœnas, quas dare Deo & Israelitis cœperat, tollere ne gravetur.

Pestem à me abigat] המות הזה hammaveth hazzeh, *mortem hanc.* Revera fame Ægypto allatâ poterant locustæ mortem hominibus inferre. Sic *pestis*, seu pernicies, eâdem de causa, vocantur locustæ à *Plinio*, quem imitati sumus. *Deorum iræ*, inquit, *pestis ea intelligitur.* Lib. XI. c. 29.

19. *Convertit Jehova ventum in marinum*] ויהפך יי רוח ים *vertit Jehova ventum maris*; hoc est, qui à mari mediterraneo flaret, ventum immisit. ים *jam* quidem, ubi de Palæstina sermo est, *occidentem* ferè significat, quo factum ut multi occidentalem ventum intelligant; sed cùm hîc Moses de Ægypto agat, propria vocis significatio præstare videtur. Hinc οἱ LXX. μετέβαλε κύριος ἄνεμον ἀπὸ θαλάσσης. *Hieronymus* tamen: *quia flare fecit ventum ab occidente.* Necesse non est fuisse hunc planè septemtrionalem ventum, quòd *à mari* flaret; nam omnes venti, qui inter Septemtrionem & Favonium flant, à mari in Ægyptum spirant. Itaque Thrascias aut Caurus, qui inter duos illos cardines sunt, potuere locustas in mare rubrum avehere.

Atque conjecit] *Et defixit.*

In mare algosum] בים סוף bejam souph, *in mare algæ.* Sic vocatur mare Erythræum, quòd refertum sit in fundo alga. *Theophrastus* Hist. Plantarum lib IV. c. 8. ubi de fruticibus in mari hoc nascentibus, auctor est eos qui missi fuerant ab Alexandro, ad lustranda hæc littora, narrasse τὰ ἐν τῇ θαλάττῃ φυόμενα, ὅταν ᾖ ἐν τῷ ὑγρῷ, χρῶμα ἔχειν ὅμοιον τοῖς φυκίοις: *quæ in mari nascuntur, dum sunt in aqua, colorem habere similem algæ. Diodorus Siculus* Bibl. Lib. III. p. 173. Ed. Rhod. Τῇ χρόᾳ παντελῶς ὑπάρχει χλωρά. Τοῦτο δὲ αὐτῇ φασὶ συμβαίνειν, οὐ διὰ τὸ τὴν τοῦ ὑγροῦ φύσιν εἶναι τοιαύτην, ἀλλὰ διὰ τὸ πλῆθος τοῦ φαινομένου κατὰ ὕδατος μνίου καὶ φύκους: *colore prorsus viride est. Hoc autem ei aiunt contingere, non quòd ea sit aquarum natura, sed propter copiam musci, & algæ per aquam transparentis.* Quin etiam algam mare in littus evomit, cujus cumuli sole indurati Troglodytis habitacula præbent. In iis enim cavernas excavant, in quibus degunt, ut narrat idem *Diodorus* Biblioth. Lib. III. p. 156. Mirum ergo videri nequit, si Idumæum mare, *algosum* ab veteribus Hebræis dicatur. Ceterùm dudum observatum est sæpe interire locustas, vento in mare actas. *Theophrastus* de Animal. quæ repente apparent: ἀθρόαι ἀφθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀνέμων καταφέρονται. Hoc est, interprete Plinio, *gregatim sublatæ vento in maria, aut stagna decidunt.* Lib. XI. c. 29.

21. *Erunt tenebræ*] Videtur caligo, cum densissima nebula conjuncta, intelligi; quæ eo portentosior Ægyptiis videri debuit, quo rariores habent nebulas, & quo rariùs cœlum nubibus illic obducitur. *Ammianus Marcellinus* Lib. XXII.

Ægypti finibus remanserit. [20] Sed animum Pharahonis obfirmavit Jehova, neque ille Israëlitas dimisit.

[21] Dixit postea Jehova Mosi: extende manum tuam in cœlum, eúntque tenebræ in Ægypto, & *quisque in* caligine palpabitur. [22] Extendit itaque Moses manum ad cœlum, & in tota Ægypto per triduum fuerunt obscurissimæ tenebræ. [23] Non videbant alios alii, neque ullus *Ægyptius* per triduum è loco suo surrexit; omnibus verò Israëlitis, in habitationibus suis, lux erat. [24] Tum vocavit Pharaho Mosem, &, ite, inquit, colite Jehovam, modò oves & boves vestri maneant, eant vobiscum etiam impuberes. [25] Moses verò: imò tu nobis victimas & holocausta dabis, quibus Deo nostro Jehovæ faciemus, [26] & pecus etiam nostrum nobiscum ibit, neque ungula ulla remanebit; ex eo enim victimas, quas mactemus Deo nostro Jehovæ, sumemus *in deserto*, cùm donec eò venerimus quid Jehovæ mactaturi simus nesciamus.

plùs Ægyptiis molesta fuerit. [20] Cùm videretur Pharaho totum Israelem dimissurus, vix malo præsenti liberatus erat, cùm omnibus abeundi veniam, solitâ pertinaciâ, negavit.

[21] Eo tempore, jussit Deus Mosem manum ad cœlum porrigere, quo peracto, densissima caligo, per totam Ægyptum, in qua raró nebulæ cernuntur, solis lucem interceptura erat; ut quasi in concubiâ nocte incedentes, sine luce, Ægyptii palparentur. [22] Moses manum porrexit, & subitò densissimæ tenebræ toti Ægypto incubuere, nec per triduum sol conspectus est. [23] Itaque cùm alios alii non viderent, multi Ægyptii per triduum ex lectis non surrexerunt, dum Israelitæ solitâ luce & cœli serenitate fruerentur. [24] Tum verò Pharaho, tanto prodigio territus, Mosem & Aharonem vocari jussit, omnibusque Israelitis, ne impuberibus quidem exceptis, abeundi potestatem fecit, si modò pecudes suas in Ægypto relinquerent. [25] At respondit Moses oportere & ipsum Regem victimas dare Israelitis, quas Deo suo mactarent, [26] & pecudes omnes Israelitarum abigi in desertum; cùm nondum scirent, qualibus & quot victimis vellet Deus sibi sacra fieri. [27] Cùm Ægypti deserendæ consilium, jam aliis ex rebus, tum etiam ex hoc responso, Pharahoni suboluisset, se dimissurum Israelitas iratus negavit. [28] Simul Mosem in conspectum suum amplius venire

XX. cap. 16. *Inibi auræ salubriter spirantes, aër tranquillus & clemens; atque ut periculum docuit, per varias collectum ætates, nullo pænè die incolentes hanc civitatem solem serenum non vident. Nos autem*, ut verbis utar Balbi apud Ciceronem de Nat. Deor. Lib. II. n, 96. *tenebras cogitemus tantas in Ægypto fuisse, quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret; cùm autem tertio die sol illuxisset, tum ut revixisse sibi viderentur.*

Et quisque in caligine palpabitur] וימש חשך vejamesch hhoschech, *& palpabitur tenebris.* Primùm, hîc eorum sequuti sumus sententiam, qui volunt subaudiri איש *quisque*, quemadmodum *quisquam* supplevimus suprà vers. 5. Secundò, ita vertimus quasi scriptum esset בחשך *bhhoschech*, in tenebris, quia sæpissimè solet subaudiri præpositio ב, ut omnes norunt, & docebit *Chr. Noldius*. Sic & *Jerosol. Paraph.* ממשמשין בחשוכא, *sunt palpantes* IN *caligine.* Fortè tamen, phrasi Hebræis peculiari, dictum est olim *palpari tenebras*, ἀντὶ τοῦ *palpari in tenebris*, quia qui noctu incedentes sine ulla luce manus porrigunt, ne caput solido illidant, videntur ipsas tenebras veluti tractare & palpari. Sic Job V, 14. *Interdiu incidant in tenebras*, וכלילה *& sicut nocte*, aut *noctem*, *palpentur in meridie.* Cap. XII, 24, 25. *Animum aufert ducibus populi terræ, facit eos errare in solitudine, ubi nulla est via:* ימששו חשך *palpantur caliginem, neque est lux.* Qui commenti sunt hîc tenebras adeò crassas, aut potiùs adeò crassum aërem, ut instar aquæ turbidæ, vel atramenti essent, non cogitarunt homines ne per horam quidem in ejusmodi liquore vivere, nedum ut per triduum possint. Sed frustra ἔμφασιν singularem, in consueto linguæ Hebraïcæ idiomate, quæsiere. Præiverant οἱ LXX. qui habent ψηλαφητὸν σκότος, & Vulg. *tam densæ, ut palpari queant.* Fefellit hoc quoque *Josephum*, qui Lib. II. c. 14. *Archæol.* ita habet: σκότος βαθὺ καὶ φέγγους ἄμοιρον περιχεῖται τοῖς Αἰγυπτίοις· ὑφ' οὗ τάς τε ὄψεις ἀποκλειομένοις καὶ τὰς ἀναπνοὰς ἐμφραττομένοις ὑπὸ παχύτητος οἰκτρῶς τε ἀποθνήσκειν συνέβαινε, καὶ δεδιέναι μὴ καταποθῶσιν ὑπὸ τοῦ νέφους: *tenebræ profundæ, & luce destitutæ circumfundebantur Ægyptiis, quibus cùm occlusa iis essent lumina, & impedita respiratio crassitie, miserè ut interirent contingebat, & timerent ne nube absorberentur.* At *Philo* videtur rem intellexisse, qui ita loquitur Lib. I. de vita Mosis, p. 481. λαμπρᾶς ἡμέρας οὔσης ἐξαπιναίως ἀναχεῖται σκότος, ἴσως μὲν καὶ ἡλίου γενομένης ἐκλείψεως τῆς ἐν ἔθει τελειοτέρας· ἴσως δὲ συνεχείαις νεφῶν καὶ πυκνότητι ἀδιαστάτοις τὴν πιλωθεῖσαν βιαιοτάτη τῇ τῶν ἀκτίνων φορᾶς ἀνακοπτούσης, ὡς ἀδιαφορεῖν ἡμέραν νυκτός. καὶ τί γὰρ ἀλλ' ἢ μίαν νύκτα νομίζεσθαι μακροτάτην, τριῶν ἡμερῶν ἴσην, καὶ ταῖς ἰσαρίθμοις νυξί; τότε φασὶ τοὺς μὲν ἐρριμμένους ἐν ταῖς εὐναῖς μὴ τολμᾶν ἐξανίστασθαι, τοὺς δὲ ὁπότε κατεπείγοι τι τῶν τῆς φύσεως ἀναγκαίων, ΕΠΑΦΩΜΕΝΟΥΣ τοίχων, ἤ τινος ἑτέρου, καθάπερ τυφλοὺς μόλις προέρχεσθαι, *sereno die repente offusæ sunt tenebræ, sive ob defectum solis majorem solito* (sed sic Israëlitis etiam lux solis intercepta fuisset & Neomenia præterierat) *sive continuis densisque nubibus cœlum subtexentibus & nimiâ constipatione interclusis radiis, ut dies nihil à nocte differret. Quid enim aliud putavissent fuisse, nisi unam longissimam noctem, tribus diebus & totidem noctibus parem? Tunc aiunt eos qui jacebant in lectis, non ausos fuisse surgere, alios verò si quid ex iis quæ sunt naturæ necessaria urgeret*, PALPANTES *muros* (non tenebras, quod à Græcis intelligi non potuisset)

aut

mus. [27] Animum Pharahonis *tunc* quoque obstinavit Jehova, neque eos dimittere voluit. [28] Quin & Mosi dixit Pharaho: à me abi, cave tibi ne iterum faciem meam videas, quo enim die faciem meam videris, eo morieris. [29] Moses autem, rectè, inquir, dixisti, neque *enim* ampliùs faciem tuam videbo.

[1] Deinde Jehova Mosi, adhuc unam, inquir, in Pharahonem & Ægyptum Caput XI.
plagam injiciam; postea vos ille hinc dimittet, & cùm dimittet, prorsus vos hinc expulsurus est. [2] Loquere nunc, audiente populo, & quisque vir ab amico, singulæque mulieres ab amica vasa argentea & aurea petant. [3] Gratiam autem Israëlitis apud Ægyptios conciliarat Jehova, Mosésque in Ægypto & à servis Pharahonis & à populo vir maximus habebatur. [4] Dixit etiam Moses *Pharahoni:* sic air Jehova, circa mediam noctem ego per Ægyptum egrediar, [5] & morientur omnes in Ægypto primogeniti, à primogenito Pharahonis, in ejus solio sessuro, ad

nire vetuit, nisi vellet morte sibi pœnas dare. [29] Tum Moses, quasi dictum Regis probaret, respondit profectò se pariturum, neque in conspectum Regis posthac venturum; [4] sed circa mediam noctem, Hebræorum Deum in Ægyptum descensurum, [5] &, quod jam ab initio, minatus fuerat, primogenitos omnes Ægyptiorum, à Regis filio ad filios infimæ sortis hominum, nemine excepto, occisurum, imò ne primogenitis quidem brutorum parciturum. [6] Itaque tantum fore per totam Ægyptum luctum, quantus nullus umquam fuerat, neque erat post hunc futurus. [7] Interea verò apud Israelitas strepitum nullum auditum iri, neque animal ullum inter homines aut bruta, eâ nocte moriturum; ut intelligerent Ægyptii ingens discrimen à Deo inter ipsos & Hebræos statui. [8] Eâ autem nocte, post tantam cladem, Regis amicos ad se venturos, & inflexo corpore salutatum oraturos ut cum popularibus suis omnibus quàm primùm Ægyptio agro egrederetur. His dictis, iratus à Pharahone abiit.

[1] Antea Mosem docuerat Deus hanc ultimam plagam se Ægyptiis inflicturum, quam cùm sensissent, nnn modò dimissuri erant Israelitas, sed etiam ne diutiùs in Ægypto morarentur ultrò rogaturi. [2] Jusserat etiam Mosem populum monere ut mutuo uasa aurea & argentea ab amicis & vicinis Ægyptiis peteret. [3] Cùm tot prodigia in Hebræorum gratiam essent edita, quæcumque ab

aut aliud quidpiam, quosi cæcos, vix progredi potuisse.

Idem tamen *Philo* existimavit, non modò cœlum caligine obductum, sed etiam ignem & lucernas inutiles fuisse, addit enim sequentibus verbis: καὶ γὰρ τὸ χρειῶδες πυρὸς τὸ φέγγος, τὸ μὲν ὑπὸ τῆς κατεχούσης ζάλης ἐσβέννυτο, τὸ δὲ τῷ βάθει τοῦ σκότους ἀμαυρούμενον ἠφανίζετο: *ignis enim quo utimur lux, partim quidem resistente procellâ exstinguebatur, vel profundissimis tenebris obscurata non cernebatur.* Quæ sanè à Mose non dicuntur, & satis erat cœlo nullam lucem oriri, quamquam lucernæ usui esse poterant; quis enim non timeret, si tres continuatas noctes videret per septuaginta duas horas? Lucernæ non obstitissent, si simile quidpiam nostro ævo contigisset,

Quominùs æternam timuissent sæcula noctem, ut verbis utar Virgilianis.

22. *Obscurissima tenebræ*] *Caligo obscuritatis.* Duo substantiva ejusdem significationis non rarò, apud Hebræos, junguntur αὐξήσεως ἕνεκα. Vide Ps. XVI, 5. XXXII, 5. XL, 3. Adi & *Salom. Glassium* Gram. Sacr. Tr. I. c. 32.

23. *Neque ullus Ægyptius*] Non est hoc ita intelligendum, quasi ne unus quidem Ægyptius surrexerit; nam ne dicam per tridnum omnes cibo carere non potuisse, quia fortè id triduum integrum non fuit, hoc est, septuaginta duarum horarum; certè infantes, & ægri omnes, aut plerique interiissent, nisi cibum sumsissent. Itaque necesse fuit multos è lecto surgere, saltem servos qui cibum pararent, ac nutrices quæ ubera infantibus præberent. Imò verò in tali terrore, vix credibile est, post primam noctem, quemquam in lecto solito diutiùs mansisse; videntur potiùs omnes surrexisse, ut quid rei hoc esset viderent, aut sciscitarentur; sed postea cùm lux non exoriretur, videntur plerique omnes lectum repetiisse. Talia numquam sunt ad vivum resecanda, nisi velimus ad ineptias delabi; ut fecit hic *Philo*, quem adeant quibus satis è re sua otii erit.

Per triduum] Sexaginta horæ possunt triduum vocari, ut sit primùm nox 12. horarum quâ initium fit νυχθημέρου, & dies æquè longa; secundum νυχθήμερον; denique nox tertii, quibus fiant horæ sexaginta.

E loco suo] מתחתיו mitthahhthau, *è sub se*, hoc est, è loco quem primùm corpore presserat, aut qui sub se fuit initio primæ noctis. Hinc LXX. ἐκ τῆς κοίτης αὐτοῦ & Vulg. *de loco in quo erat.* Ambigua est præpositio תחת *thahhath*, cum Pronominibus adfixis conjuncta, & quidem ubi simile quidpiam significat, nam תחתיו *thahhthau* perinde est ac *domi suæ* Exod. XVI, 29. alibi verò est eodem loco, in quo erat ut Levit. XIII, 23. Sed, ubi de iis qui cubitum ivisse intelllguntur, lectum significat, ut Jos. V. 8. Atque hæc ejus vocis significatio hîc videtur intelligenda.

24. *Mosem*] Additur in Samaritico *Aharon*, ut & in Versione LXX Virali.

25. *Victimas & holocausta dabis*] Post tot miracula, audacior factus erat Moses.

26. *Ungula ulla*] Nulla pecus.

Quas mactemus] לעבד lhabod, *ad serviendum.*

Cùm donec eò venerimus] *Et nos nesciemus quo servituri sumus* (במה מה נעבד pro במה) *Jehovæ, donec venerimus illuc*, hoc est, in desertum.

28. *Mosi dixit*] *Ei dixit.*

29. *Non ampliùs faciem tuam videbo*] Neque vidit, nam quamvis noctu ad Pharahonem vocatus, abeundi potestatem ab eo sibi fieri audierit, videtur ipsum Pharahonem non esse alloquutus.

ad primogenitum ancillæ, quæ molas trudit, & omnia brutorum primogenita. 6. Magna erit per totam Ægyptum ejulatio, qualis neque antehac fuit, neque posthac futura est. 7. At apud omnes Israëlitas, ne canis quidem linguam movebit, *nec quisquam* ab hominibus ad bruta *clamabit*, ut Jehovam statuere discrimen inter Ægyptios & Israëlem intelligatis. 8. Descendent omnes hi servi tui ad me, inflexo corpore me salutabunt, & egredere tu, inquient, populúsque qui tecum est, ac tum demum egrediar. Sic exiit à Pharahone ardens irâ. 9. Jehova verò Mosi, vos inquit, non audiet Pharaho, ut plura in Ægypto edam portenta. 10. Moses itaque & Aharon omnia hæc prodigia coram Pharahone patratunt, sed ejus cor obfirmarat Jehova, neque è terra sua Israëlitas dimisit.

VIII. Ini-

ab Ægyptiis petebant facilè impetrabant, & Moses ipse inter Ægyptios summa in existimatione erat; quippe qui longè doctior & Numini acceptior, omnibus Ægyptiis Magis, habebatur. 9. Monuerat dudum Mosem Deus, ad hanc ultimam plagam, obdurato animo abeundi potestatem negaturum Pharahonem; quâ pertinaciâ effecturus erat, ut plura à se patrarentur portenta. 10. Atque hæc omnia à Mose & Aharone facta sunt; coram Rege Ægypti, antequam homo pertinacissimus adduci posset ut Israëlitas ex Ægypto abire pateretur.

P A-

In Caput XI.

1. *Prorsus*] כלה *chalah*. Hoc est, res ita decreta erit, ut non revocanda sit. Vide quæ de ea voce ad Gen. XVIII, 21.

Expulsurus est] *Expellendo expellet*, hoc est, jubebit vos abire ita ut, si velitis, manere vobis non liceat.

2. *Audiente populo*] *In auribus populi. Quisque ab amico* &c.

Vasa argentea & aurea] *Vasa argenti & vasa auri*. Vide not. ad Cap. III, 21. Ex hoc loco addiderunt Samaritæ שמלות *vestes*, & LXX. Intt. καὶ ἱματισμόν.

3. *Conciliarat*] ויתן יי *vajjitthen Jehovah*; est in Samaritico prima persona, נתתי nathatthi *dabo*, & inducitur Deus loquens. Sequitur etiam והשאילום *vehaschiloum*, & mutuò dabant eis. Sic & LXX. Intt. ἔχρησαν αὐτοῖς. Subjungitur huic voci quod extat vers. 4. *& circa mediam noctem* &c. Postquàm verò Deus loquutus est, exsequutio mandatorum ejus sequitur iisdem verbis, ut jam aliquoties, in aliarum plagarum denunciatione, observavimus. Sed satis ex eo quod habetur, in Hebraico Codice, alterum intelligitur.

A servis Pharahonis] *In oculis servorum Pharahonis & in oculis populi.*

4. *Et dixit Moses*] Si ordo hîc narrationis servatus fuisset, hæc debebant proximè sequi ultima verba Capitis antecedentis, neque enim postquàm ea dixit, iterum Pharahonem adiit. Itaque hæc simul dicta sunt.

Per Ægyptum egrediar] *Ego egrediens per medium Ægypti*, per Angelum, scilicet, ut liquet Exod. XII, 23. *Egredi per Ægyptum* idem est ac *transire*, ut infrà Cap. XII, 12. Atque hæc loquutio alibi etiam ultionem divinam sonat, ut Hamos. V, 17.

5. *Sessuro*] יושב joscheb, *sedente*.

Quæ molas trudit] *Quæ est post* (אחר ahhar) *molas*, quia qui molam trudebant, post vectem quo circumagebatur erant, eúmque ante se agebant. Notum est Veteribus fuisse molas trusatiles, quibus servi nequam damnabantur, quasi durissimo servitutis generi. Hinc Esaias puellarum Babyloniarum, quæ, pro deliciis quibus erant adsuetæ, ærumnas molestissimæ servitutis passuræ erant, labores describens, inter alia habet Cap. XLVII, 2. *Puella Babylonia sume molas, & commolito farinam* &c.

6. *Neque posthac futura est*] *Neque addet.*

7. *Ne canis quidem linguam movebit*] Proverbium est, quo significat, nullum strepitum inusitatum apud Israëlitas fore; si quid enim noctu concrepuerit, latrant canes.

Nec quisquam &c.] Has duas voces, & *clamabit*, quod sequitur, supplere coacti sumus, ne nimium esset ἄκυρον, *ne canis quidem linguam movebit, ab hominibus ad bruta.*

Statuere discrimen] אשר יפלה ascher japhleh, *quod discriminabit.* Vide suprà Capp. VIII, 22. IX, 4.

8. *Omnes hi tui servi*] Honoratissimi Sacerdotum. Vide not. ad Gen. XL, 1.

Inflexo corpore me salutabant] ישתחוו לי לאמר *incurvabunt se mihi, dicendo.* Præter morem, neque enim servos, aut infimæ sortis homines ita salutabant Proceres. Vide not. ad Gen. XLI, 40.

Qui tecum est] לרגליך lraglecha *ad pedes tuos*. Vide not. ad Gen. XXXIII, 14. & 1. Sam. XXV, 27. Esai. XLI, 2. Posset etiam verti *post te*, hoc est, quem ducis, ὃ σὺ ἀφηγῇ, ut habent οἱ LXX.

Sic exiit] *Et exiit — in ardore iræ.*

9. *Ut plura edam portenta*] *Ut multiplicentur portenta mea.*

COM-

VIII. Initii Anni Sacri, Paschaliúmque rituum institutio.

1. DIXIT præterea Deus Mosi & Aharoni in Ægypto: 2. mensis hic vobis erit caput mensum, primus hic vobis anni mensium erit. 3. Omnem cœtum Israëlis alloquimini in hæc verba: decimo hujus mensis *die*, quisque sibi agnum *aut* hædum, pro patrum familiis, agnum *aut* hædum in familias singulas sumat. 4. Si minor fuerit familia, quàm ut agnum *aut* hædum possit absumere, illa vicinum suum domui proximum adsumat, donec sit *necessarius* hominum numerus; tot numerabitis, quot absumendo agno *aut* hædo postulantur. 5. Vobis erit animal integrum, masculum, atque anniculum; ex agnis aut capris id sumetis. 6. Tum servabitis *eam pecudem*, ad decimum quartum hujus mensis diem; quo

CAPUT XII.

PARAPHRASIS.

1. ALIQUOT diebus, antequàm ultima plaga Ægyptiis infligeretur, Deus, mense Abibo, Mosem & Aharonem alloquutus est, in hanc sententiam: 2. Cùm antehac annum ab Autumno tantùm inchoaveritis, in posterum, in exitûs vestri ex Ægypto memoriam, novum alterum anni initium constituendum vobis est; & hic quidem mensis anni sacri posthac primus habebitur. 3. Israëlitas omnes jubete à decimo hujus die paratum habere, in singulas familias, agnum aut hædum? 4. Tot homines ad unam mensam convenient, quot oportebit esse ut agnum illum aut hædum absumere queant; & vicini ut is sit numerus, si singulæ domus non sufficiant, ad commune convivium convenient. 5. Oportet agnum aut hædum masculum esse, nullo vitio contaminatum, & anniculum. 6. Servabitur ea pecus ad decimum quartum hujus mensis diem, quo, post meridiem ante

COMMENTARIUS

In CAPUT XII.

1. IN *Ægypto*] Additur לאמר lemor, *dicendo*.

2. *Mensis hic*] Nempe, quo hæc gesta sunt, qui *Abib* dicitur Cap. XIII, 4.

Caput mensium] Hæc verba sequentibus exponuntur. Ceterùm hinc liquet anteà Hebræos, aliâ anni tempestate, inchoasse annum, atque ex Cap. XXIII, 17. autumno initium ejus ductum fuisse. Hic mensis postea vocatus est *Thisri*, ut prior *Nisan*. Verùm quamvis novum anni initium constitutum sit, id ad sacra tantùm pertinuit; nam in rebus civilibus, numerandi initium ab Autumno, ut antea, semper factum est. Vide Levit XXV, 8, 9, 10. *Josephus* Lib. I. Ant. Jud. Cap. III. §. 3. Ed. Oxonii inchoatæ: Μωυσῆς τὸν Νισὰν, ὅς ἐστι Ξανθικὸς (Macedonum) μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισε, κατὰ τοῦτον ἐξ Αἰγύπτου τοὺς Ἑβραίους προαγαγών. οὗτος δὲ αὐτῷ καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς εἰς τὸ θεῖον τιμὰς ἦρχεν· ἐπὶ μέντοι γε πράσεις καὶ ὠνὰς καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν, τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξε: *Moses Nisan, qui est Xanthicus, mensem primum in festis constituit, cùm eo Hebræos ex Ægypto eduxisset. Hic ei initium fecit, ad omnes honores Numini exhibitos. Sed ad venditiones & emtiones quod attinet, & aliam administrationem, priorem ordinem servavit.*

3. *Decimo hujus mensis die*] Vox die suppletur, ut Matth. XXVI, 17. Marc. XIV, 12. Deus jubet, quatuor diebus, antequàm mactarentur paschales agni, aut hædi, eos investigari & parari, quia profecturis, quarto pòst die, erant omnia convasanda, & sat multa curanda præterea; quibus potuisset fieri ut, præ temporis angustiis, negligerent familiæ nonnullæ victimas parare sat citò, neque postea invenire possent. Erant fortè decem, pluribúsve myriadibus mensarum parandi agni, aut hædi, quantâ copiâ Israëlitis fuisse non videntur. Sequentibus ætatibus, Hebræi satis habuerunt paratam victimam decimo tertio die sibi esse. Hinc *Jonathan*: *Decima mensis hujus tempus ejus præfixum est hoc tempore, non in ætates futuras.*

Quisque sibi &c.] *Et accipient sibi quisque.*

Agnum aut hædum] Sic unam vocem Hebraicam שה *scheh* vertere coacti sumus, cùm ex æquo hædum, & agnum significet; ut liquet ex vers. 5. Nisi de lege, cujus sensus accuratè exprimendus, ageretur, potuissemus unâ voce esse contenti, sub qua metonymicè & alterum genus pecudum intelligi potuisset.

Pro patrum familiis, agnum in familias singulas] *Pro domo patrum, agnum in domum*, si modò posset agnum absumere. Vir summus minùs rectè putat בתי אבות *domos patrum*, *familias* verti; quia *familiæ* latiùs patent *domibus*, cùm familia complectatur plures domos Jos. VII, 14. Sed *familia* modò est arctioris, modò amplioris significationis; significat enim nunc totam gentem, ut *familiam Corneliorum*, nunc eos tantùm, qui sub uno *patre familias* vivunt. Sic &, apud Hebræos, בית *beth* integrum populum interdum significat, ut בית ישראל *domus Israël*, interdum Tribum ut בית לוי *domus Levi*, interdum pauculos homines ut Gen. VII, 1. ubi *domus* Noachi vocantur septem præter eum capita. Deinde cùm voculæ בית adjungitur אבות *patrum*, *familiam* potiùs significat, sensu paullò ampliore. De numero convivarum, qui, judicibus Rabbinis, neque infra decem esse debuit, neque viginti excedere, aliísque Rabbinicis observationibus nihil dicemus, cùm earum nullam mentionem faciat Moses.

4. *Quàm ut agnum possit absumere*] מהיות משה mihjoth misscheh, *ut sit ex agno*. LXX. Intt. ὥστε μὴ εἶναι ἱκανοὺς εἰς πρόβατον, Vulg. *ut sufficere possit ad vescendum agnum.*

Do-

quo omnis multitudo congregationis Israëlis eam, inter duas vesperas, mactabit.
7. Deinde sument *aliquantum* ex ejus sanguine, imponéntque, in omnibus ædibus
ubi eam comedent, geminis postibus, & superliminari. 8. Comedent autem car-
nem igne tostam, hac ipsâ nocte, eáque cum panibus azymis & herbis amaris
vescentur. 9. Ne comedatis ex ea semi-coctum quidquam, aut aquâ elixum, sed
tantùm igne tostum; & caput quidem ejus, cum cruribus & visceribus. 10. Ni-
hil ex ea ad matutinum tempus reliquum facietis, & quod superesset ad matuti-
num tempus, id igne absumetis. 11. Sic autem *eam* comedetis, *ut* succincti *sint*
lum-

ante solis occasum, ab omnibus mactabitur.
7. Sanguine ejus fores omnium ædium, in quibus
comedetur, adspergentur, & gemini quidem
postes, ac superliminare eo tingentur. 8. Hædum
aut agnum torrebitis, & cum pane azymo atque
herbis amaris comedetis, eâ ipsa nocte quâ torre-
bitur. 9. Non elixabitur, neque leviter coque-
tur, sed diligenter assabitur, unà cum capite,
cruribus & visceribus. 10. Totus eâ nocte absume-
tur, neque quidquam ad matutinum tempus reli-
quum fiet; quòd si à convivis totus comedi non
possit, reliquiæ in ignem absumendæ conjician-
tur. 11. Dum autem eum comedetis, instar iter
facientium induti eritis, accinctis vestibus, cum
calceis & scipione, quasi, festinanter sumto cibo,
abituri. Hoc pacto, memoria transitûs mei per
Ægyptum celebrabitur. 12. Ea-

Donec sit necessarius hominum numerus] *In numerum animarum.*

Tot numerabitis, quot absumendo postulabuntur] *Quemque, secundùm comestionem suam, numerabitis ad agnum.*

5. *Animal integrum*] שה תמים *scheh thamim*, agnus, aut hædus integer, hoc est, in quo nullum sit vitium, ut docet Moses Levit. XXII, 19. & seqq. ubi commodiùs hac de re agemus.

Masculum] Cùm Deus præstantissimas gregis pecudes offerri sibi velit, & masculorum caro præferatur carni fœminarum; hoc in loco, non modò agnum aut hædum integrum, sed masculum etiam sibi poscit. Erant tamen sacra, in quibus fœmellas pecudes oportebat mactari, quæ describuntur Num. XIX, 2. Deut. XXI, 3. In sacrificiis etiam *pacificis*, ut loquuntur Hebræi, seu eucharisticis; perinde erat masculúsne, an fœmella offerretur, si modò sine vitio esset. Levit. III, 1. Apud Ægyptios, nonnisi masculi mactabantur, ut docet *Herodotus* Lib. II. c. 41. Τὰς μὲν νῦν καθαρὰς ἄρσενας τῶν βοῶν, καὶ τὰς μόσχους οἱ πάντες Αἰγύπτιοι θύουσι· τὰς δὲ θηλέας οὔ σφι ἔξεστι θύειν: *boves mundos eósque mares, ac vitulos universi Ægyptii immolant, fœminas verò mactare eis non licet.* Quod, ob rationem allatam, factum videtur. Quin & apud Hebræos *masculus* opponitur vitio aliquo temerato, ut Mal. I, 14. *Maledictus esto vir dolosus, qui cùm habeat masculum in grege suo, corruptum Domino vovet & mactat.* Vir eruditissimus *Joan Spencerus* de Leg. Mos. Rit. Lib. II. c. 4. contendit hîc geminam esse sacris Ægyptiacis oppositionem, primùm quòd *agnus* aut *hædus*, ab Ægypriis culti, immolarentur; verùm jam dudum arietes, & hædos immolabant Hebræi. Vide Gen. XXII, 7, 13. & suprà Cap. VIII, 26. Deinde, quòd masculus esset mactandus, quod superstitioni Ægyptiacæ contrarium fuisse censet; at falsum hoc esse liquet ex *Herodoti* loco allato. Quamvis nonnulla hîc sint Ægyptiacis contraria, non ideò tamen sequitur κατ᾽ ἀντίθεσιν esse à Mose sancita; poterant enim, ut diximus, esse usitata Hebræis, antequàm Moses nasceretur, & fortasse ante ipsam Ægyptiacam ζωολατρείαν.

Anniculum] Hoc est, qui nondum annum superarit, quo tempore *agnus* aut *hædus* dici potuit, nam ab octavo die agni, hœdi & vituli poterant immolari. Cap. XXII, 30. Levit. XXII, 27.

6. *Tum servabitis*] *Et erit vobis in custodia.*

Omnis multitudo congregationis] Non opus est hîc ad sacerdotium primogenitorum Israëlitarum confugere, aut nondum publicos Sacerdotes constitutos fuisse observare, ut intelligamus quare licuerit Israëlitarum multitudini mactare Paschales victimas; semper enim id licuit, non in Paschali tantùm, sed etiam in aliis omnibus sacris. Vide Levit. I, 3, 4, 5. III, 2. IV, 24. Si Levitæ dicantur operam dedisse mactationi paschalium agnorum. 2. Par. XXX, 17. id propterea fecisse memorantur, quòd plebs immunda esset. Sed spargere sanguinem ad altare solius Sacerdotis erat, quod ex eadem historia liquet, & Cap. XXXV, 11. ejusdem libri; atque hac in re plebeii, qui primum Pascha celebrarunt, Sacerdotum munere verè functi sunt.

Inter duas vesperas] בין הערבים *ben haharbajim.* Quid hæc sibi velint docet ipse Moses, qui Deut. XVI, 6. *Pascha*, inquit, *immolabis* בערב כבוא השמש *vesperi circa occasum solis.* Quamvis *vespera* propriè sit, apud Hebræos, initium diei, qui ab occasu solis inchoatur; attamen *vesperam* etiam vocabant sex ultimas νυχθημέρου horas, quibus sol occasui propior erat quàm ortui. Vide vers. 18. Hinc *Josephus* de bello Jud. Lib. VII. c. 17. in Lat. 45. in Græc. θύουσι (Pascha) ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρις ἑνδεκάτης: *immolant ab hora nona usque ad undecimam.* Est tamen aliqua in phrasi, *inter duas vesperas*, ἀκυρολογία, propriè enim loquendo mactabantur paschales victimæ intra vesperam diei decimi quarti, ante noctem decimi quinti. Hinc fortè factum ut *Aben Ezra* existimarit *inter duas vesperas* esse spatium illud, quod est ab occasu solis usque ad occasum lucis illius, quam solis radii in nubibus relinquunt, quod spatium dicit esse unius horæ & trientis. Prior, nimirum, vespera illi est occasus solis, posterior verò occasus lucis apparentis in nubibus. Sed eum confutant superiora, & oppugnavit dudum, post alios, *David Clericus*, patruus meus, Quæst. Sacrarum VI. Vide & *Sam. Bochartum* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 50. ubi omnes Paschatis circumstantias subtiliter persequitur.

7. *Dein-*

lumbi vestri, calcei in pedibus, & scipio in manu; eáque cum festinatione vescamini. Hic est transitus Jehovæ. 12. Hac ipsâ nocte per Ægyptum transibo, in Ægypto omne primogenitum occidam, ab hominibus ad bruta, & judicia in omnes Ægypti Deos edam. Ego sum Jehova. 13. Erit autem sanguis vestri signum, in ædibus, in quibus eritis, conspectòque sanguine, vos prætereo, neque in vobis erit exitialis plaga, cùm Ægyptum percutiam. 14. Vobis erit hic dies ad recolendam *ejus rei* memoriam, festum agetis Jehovæ in *posteras* ætates vestras, & instituto perpetuo celebrabitis.

15. Sep-

12. Eadem illâ nocte decimi quinti diei mensis Abibi, per universam Ægyptum transiturus sum, omnia primogenita hominum & brutorum subitâ morte interemturus, atque Ægyptiorum Deorum simulacra eversurus; ut me intelligant eum esse Deum, qui nec frustra quidquam promittit, neque in cassum minatur. 13. Sanguis verò, quo adspersæ erunt fores ædium Hebræorum, erit veluti signum; quo eas ædes ab Ægyptiorum domibus secernam, & quo conspecto, ab interficiendis primogenitis abstineam. 14. Eumdem hunc diem postea, in festum quotannis celebrandum, consecrabitis, ut beneficii hujus memoriam ad posteros transmittatis.

15. Per

7. *Deinde sument ex ejus sanguine*] Hæc postea fuit sacerdotalis muneris pars; quam adtingere aliis, etiam Levitis, nefas erat. Vid. 2. Par. XXXV, 11. Observatu dignum est hoc in loco totum sanguinem non dici adfusum postibus, sed tantùm aliquam ejus partem; neque aliter factum, posteaquàm ad altare effusus est, neque enim credibile est intra tres aut quatuor horas effusum esse totum sanguinem aliquot myriadum victimarum ad altare. Atrium Sacerdotum non modò sanguine exundasset, sed & omnis vicinia fœdata fuisset. Credibilius est per canalem aliquem ad cloacam effluxisse maxima ex parte, qua de re alibi videbimus.

Geminis postibus] Ad sinistram & dextram. Videntur מזוזות mzouzoth *postes* dici, ἀπὸ τ̃ זוז zoaz, quod Thalmudicis ignotum non fuit, & significat *moveri*, ut apud Arabas זאזא *zaza*, quia mobiles valvæ inde pendebant. Contraria de causa, videntur Græcis σταθμοὶ dicti, quòd valvæ eorum ope fiant σταθεροὶ *firmæ*. Interdum subiit dubitatio annon *valvæ* ipsæ hac voce significarentur, propter Etymologiam. LXX. Intt. satis sibi non constant, qui modò φλιὰν, hoc est, *limen*, modò σταθμὸν convertunt.

Superliminari] Ita Vulg. nam LXX. habent φλιὰν, *limen*. Heb. משקף *maschkoph*, quòd à radice שקף quæ *despicere*, seu *ex alto spectare* significat. Vide Num. III, 28. Gen. XIX, 28. Fortè ex fenestra superiori limini, seu ὑπερθύροις imposita, quis pulsaret ostium despiciebant.

8. *Cum panibus azymis*] *Et panibus azymis ad amarores comedent eam.* מצות *matsoth* azymos dici putat *Sam. Bochartus*, à vetere radice מצץ quæ *puram & sincerum esse* significarit, ut Arabibus מצאצא *matsatsa*; cujus originis rationes non spernendas adfert.

Herbis amaris] מרורים *mroarim.* Multis de hisce egit vir doctissimus. Conjecit, ex Rabbinorum scriptis, *lactucas*, *intyba*, *parthenia*, & *urticas* adhibitas; quæ sanè doctæ sunt conjecturæ, sed quæ ad Mosem nihil pertinent; qui tantùm amaras herbas adhibendas dicit, nullâ specie notatâ. LXX. Intt. πικρίδας habent, Vulg. *lactucas agrestes*, quæ apud Græcos ἀπὸ τ̃ πικρότητ@ *ab amarore* nomen erant nactæ.

9. *Semicoctam*] נא *na*, quod vertimus ex Arabismo, in quo נא *naa* exponitur non modò *cruda fuit*, sed etiam *semicocta caro*; quod ostendit vir summus, jam aliquoties laudatus. LXX. ὠμὸν, Vulg. *crudum* quæ idem significant, nam *cruda* dicuntur non modò quæ ignem nullo modo senserunt, sed non satis cocta. Videntur intelligi carnes leviter in craticula tostæ, quemadmodum hodiéque costæ agnorum torrentur; nam planè crudas carnes comedere nihil intererat vetare, cùm paucissimi semper fuerint ὠμοφάγοι, seu crudis carnibus vescentes. Ratio autem, ob quam hæc semicocta caro vetatur, videtur esse præceptum sequens, quo jubentur omnem agnum aut hædum absumere, aut comburere quæ superfutura erant, si absumere non possent. Caro enim probè cocta facilè absumitur, semi-coctæ pars maxima hæret ossibus. Hæc ratio è re ipsa deducta magis placet, quàm longè accersitæ *Joan. Spenceri* rationes; qui hoc præceptum opponit ὠμοφαγίαις *crudæ carnis comestionibus*, usitatis in sacris nonnullis Ethnicorum. Si hoc enim fuisset vetandum, debuisset vetari iis in locis, ubi sermo est de carne, quæ ex victimis in usum cedebat sacerdotum, non hîc dumtaxat. Dum ἀντιθέσεις captat vir doctus, inter Hebræorum & Ethnicorum sacra, quæcumque vel levi probabilitate adridebant avidiùs arripuit.

Aquâ elixum] *Coquendo coctam in aqua.* Cùm celeriter esset coquenda, & absumenda hæc caro, utrumque faciliùs observari potuit si assaretur; nam & sic celeriùs coquitur, & avidiùs comeditur. Aliæ rationes longè petitæ videntur. Quamvis Ethnici, ut ostendit *Spencerus* Lib. II. c. IV. §. 3. nonnullarum victimarum elixare solerent partes, non sequitur hanc legem ei mori opponi: potiùs enim fuisset elixatio in aliis sacris frequentioribus vetanda, quod nusquam legimus. Imò verò contrarium liquet ex 1. Sam. II, 15. Ezek. XLVI, 20. 23, 24.

Cum cruribus & visceribus] על כרעיו ועל קרבו *hal chrahau vehal kirbo*, ad crura ejus & ad viscera; hoc est, caput & crura à trunco divulsa & separatim tosta; ut omnia, nempe, meliùs & celeriùs assarentur, quàm si trunco etiamnum conjuncta fuissent. Hoc quoque ita posset intelligi, ut Moses significet non modò truncum esse assandum, sed etiam caput, crura & viscera.

10. *Nihil ex eo ad matutinum tempus*] Ne reliquæ carni cum sarcinis vinciendæ immorarentur, aut Ægyptios, parte ejus relictâ, fugere viderentur; néve rem sacram aliis comedendam, contra legem, linquerent.

 11. Suc-

15. Septem diebus azymos comedetis, & die quidem primo fermentum ex ædibus vestris amolimini; quicumque enim fermentatum comederit, à die primo usque ad septimum, is homo ex Israële abscindetur. 16. Die primo convocatio erit sacra, & die septimo *perinde* vobis convocatio sacra, nullum opus iis fiet, nisi quòd victus omnibus parabitur; hoc solum fiet à vobis. 17. Azymos autem observabitis, quia hoc ipso die, agmina vestra ex Ægypto eduxero; atque hunc diem in *futuras* ætates vestras, instituto æterno, servabitis. 18. Primo *mense*, decimo quarto die mensis, vesperi azymis panibus vescemini, ad vesperam diei vigesimi primi *ejusdem* mensis. 19. Septem diebus nullum invenietur fermentum in vestris ædi-

15. Per septiduum, azymis tantùm panibus vescemini, & ante primum quidem horum septem dierum, omne fermentum ex ædibus vestris auferri curabitis. Si quis intra id septiduum panem fermentatum degustarit, ne ampliùs Israëlita habeatur, néve in popularium censum veniat. 16. Dies mensis Abibi decimus quintus festus erit, ut & vigesimus primus; iis feriabimini, neque quidquam fiet, nisi quòd cibus parabitur. 17. Quia vos decimi quinti nocte Ægypto festinanter eduxero, azymo eo vescemini, & ita semper in posterum, eo die, facietis; 18. sed jam à vespertino tempore antecedentis diei à pane fermentato abstinere incipietis, quod observabitis ad vesperam vigesimi primi diei ejusdem mensis. 19. Intra id septiduum, nullum servari fas erit vobis fermentum; neque is ampliùs civis Hebræus habebitur, qui panem fermentatum, eo tempore, comedisse deprehendetur;

11. *Succincti sint lumbi vestri*] Hic est, nimirum, viatorum habitus, in Ægyptiacæ profectionis memoriam servandus. Cùm vestes, Orientalium potissimùm, longiores essent, & ampliores æquo, si iter esset faciendum; eas succingi necesse erat, è regione lumborum. Vide 1. Reg. IV, 29. IX, 1. Jerem. I. 17. Luc. XII, 35. XVI, 8. Joan. XIII, 4. Ceterùm hic quoque est ἀκυρολογία, neque enim tam *succinguntur lumbi* quàm vestes, circa lumbos, sed eam usus comprobavit.

Calcei in pedibus] Multa & erudita habet *Sam. Bochartus*, hac de circumstantia. Meritò quidem rejicit eorum sententiam, qui hoc ad conviviorum morem referunt, quibus solebant calceos exuere, ne lectos inquinarent; neque enim, ut rectè observat, mensæ accumbebant Veteres Hebræi, & nos ostendimus ad Gen. XXXVII, 25. neque etiam hoc convenit cum habitu peregrinantium, qui hîc describitur. At ipse nihil habet, quod reponat quærentibus, an non solerent calceos gerere Israëlitæ; nisi non semper solitos, cùm multæ gentes olim sine calceis incederent, & multa virorum fortium sine calceis prodeuntium, apud Græcos & Romanos, extent exempla. Tum addit Ægypti calorem hoc facilè passum esse; & Judæis, intolerabili servitute oppressis, multa ad vitæ commoditatem defuisse. Denique probat, In luctu, Hebræis ἀνυποδησίαν solitam fuisse. Verùm exemplis & conjecturis missis, vulgò Ægyptios sine calceis prodiisse, atque ita educatos fuisse gravis præsertim auctor *Diodorus Siculus* memoriæ prodidit, neque quisquam Hebræos eos esse imitatos mirabitur. Sic ille Lib. I. pag. 12. de exiguis sumtibus, quos parentes in puerorum educationem faciebant, in Ægypto: ΑΝΥΠΟΔΕΤΩΝ δὲ τῶν πλείστων, καὶ γυμνῶν τρεφομένων διὰ τὴν εὐκρασίαν τῶν τόπων, τὴν πᾶσαν δαπάνην οἱ γονεῖς, ἄχρις ἂν εἰς ἡλικίαν ἔλθῃ τὸ τέκνον, οὐ πλείω ποιοῦσι δραχμῶν εἴκοσι: DISCALCEATI plerique & nudi cùm alantur, ob commodam locorum temperiem, omnem sumtum parentes, donec puer ad virilem ætatem venerit, non ultra viginti drachmas faciunt. Hinc facilè intelligimus homines ita educatos plerumque discalceatos fuisse; quamvis, itineris faciendi causâ, calceis uterentur,

Scipio in manu] Ut peregrè ituri. Vid. Gen. XXXII, 10. Samariticus plurali numero habet מכליכם *machlechem*, & LXX. αἱ βακτηρίαι ὑμῶν, ex Cod. Alexandrino.

Cum festinatione] Ad commemorandum maturatum ex Ægypto, urgentibus Ægyptiis, exitum. Neque enim hoc tantùm, cùm Ægypto egrederentur, faciendum fuit, sed & posteris sæculis, ut rei servaretur memoria. Antiquissimis temporibus cùm raræ essent litteræ, dies festi instituebantur, in quibus eventus memorabiles sollemnibus eorum imitaminibus celebrabantur, atque inde natæ plurimæ sanctissimæ Ethnicorum cærimoniæ. Exempla suppeditabit *Lactantius* Lib. I. Inst. Divin. Adonia, festum Ægyptiorum & Bybliorum, nihil erant præter imitationem eorum, quæ olim gesta ferebantur. *Ovidius* Metam. XI. ita Venerem loquentem inducit:

——— *Luctûs monumenta manebunt*
Semper, Adoni, mei, repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri.

Vide Idyll. XV. *Theocriti*. *Isidis Ægyptia sacra sunt*, ait Lactantius. Lib. I. c. 21. *quatenus filium parvulum vel perdiderit, vel invenerit. Nam primò Sacerdotes ejus deglabrato corpore sua pectora tundunt, lamentantur sicut ipsa, cùm perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quasi inventus, & in lætitiam luctus ille mutatur. Ideò Lucanus:*

——— numquámque satis quæsitus Osiris.

Semper enim perdunt & semper inveniunt. Refertur ergo in sacris imago rei, quæ verè gesta est. Cum Israëlitis, ritibus ejusmodi & festis adsuetis, eodem modo se gessit Deus.

Hic est transitus Jehovæ] פסח הוא ליהוה *phesahh hou ladonai*, quod posset etiam verti, *hoc Pascha est Jehovæ*, hoc est, festum quod Pascha dicetur & in honorem Jehovæ celebrabitur. Maluimus tamen ita intelligere, ut in Paraphrasi expressimus.

12. *Per Ægyptum transibo*] Angelus, nimirum, totam Ægyptum peragraturus erat, ut pri-

ædibus; quicumque enim fermentatum comederit, tam peregrinus, quàm indigena
regionis, is homo è cœtu Israëlis exscindetur. 20. Nihil quidquam fermentatum,
sed azymos, in omnibus vestris ædibus, comedetis.

21. Vocavit ergo Moses senes omnes Israëlis, iisque dixit; ite & vobis sumite
ex ovillo aut caprino genere pecudes, pro familiis vestris, & Pascha mactate.
22. Tum fasciculum hyssopi accipietis, & sanguine, qui in pelvi *erit*, tingetis, at-
que eo sanguine oblinetis superliminare, & geminos postes; neque ostio domûs
suæ, ad matutinum usque tempus, quisquam egredietur: 23. Cùm autem transibit
Jehova ad percutiendos Ægyptios, atque in superliminari, geminisque postibus san-
gui-

tur; seu sit peregrinus, qui circumcisione susceptâ
adoptatus in Hebræam civitatem fuerit, seu Israële
oriundus. 20. Intra fines vestros non patiemini,
tunc temporis, quemquam fermentato pane vesci,
ne tanti beneficii umquam inter nos memoria ob-
solescat.

21. Igitur Moses vocatos ad se potissimos Israëli-
tarum patres familias jubet agnos aut hædos sin-
gulis mensis parare, ut eas victimas in memo-
riam Dei suis ædibus parcituri mactarent. 22. San-
guinem earum, inquit, pelvibus excipite, tum
adspergillo ex hyssopi fasciculo in sanguinem im-
misso, superliminare, & geminos postes, circa
ostium singularum ædium, sanguine tingite. In-
terea, ad matutinum usque tempus, nemo ædium
limine pedem efferat. 23. Hic autem sanguis erit
veluti signum, quo Angeli primogenitos Ægyptios
occisuri Hebræorum domos ab Ægyptiacis secer-
nent,

primogenitos occideret. Vide Sapient. C. XVIII, 15, 16.

In omnes Ægypti Deos] Cùm vox אלהים ambigua sit, sunt qui intelligant Ægytiorum *principes*, alii Deorum simulacra signari aiunt. Mentio fit iterum Num. XXXIII, 4. *judiciorum in Deos* Ægyptios exercitorum, sed qua in re sita fuerint non docet Moses. Fortè, ut intelligerent Ægyptii præsentem adesse Deum, omnibus Diis suis potentiorem, id contigit eorum signis quod simulacro Dagonis accidisse legimus, cùm arca Jehovæ ejus Ædi fuisset illata, 1. Sam. V, 3, 4. ubi concidisse, Deo impellente, & fractum fuisse narratur. Judicia etiam in Idola Ægyptiaca prænunciantur Esai. XIX, 1. Jerem. XLIII, 13. sed videtur id spectari quod fecit Cambyses, Cyri filius.

Ego sum Jehova] Vide not. ad Cap. VI, 3.

13. *Conspectóque sanguine*] *Et videbo sanguinem.*

Vos præteribo] *Et transibo supra vos*, hoc est, non ingrediar domos vestras, ut primogenitos occidam. Itaque videtur Angelo, aut Angelis, in mandatis datum, ut ingressi singulas Ægyptiacas domos, primogenitos omnes occiderint. Quod quamvis quâ ratione factum sit ignoremus, constat certè subitâ morte omnes exstinctos.

Exitialis plaga] *Plaga exscidii.*

14. *Ad recolendam memoriam*] לזכרון *lzicebaron*, ad memoriam, aut monimentum.

15. *Septem diebus azymos comedetis*] In memoriam, nempe, præfestinæ profectionis, per quam non licuit exspectare donec massa fermentaretur, vers. 39.

Die quidem primo] אך ביום הראשון *ach bjom barischon.* Dies primus fuit 15 mensis Nisan, ultimus 21. Hic *die primo*, est perinde, ac ante diem primum, nam antequàm is dies inchoaretur, omne fermentum eliminatum ædibus esse oportuit, ut sequentibus docet Moses. Eo die fuerunt feriæ, ideóque in quærendo per ædes fermento laborare non licuit, & jam à vespera 14 diei incipiebant azymis uti, ut ostendit postea Moses. Itaque Rabbini, invento agno paschali, proximam curam volunt fuisse investigandi fermenti, de quorum scitis vide *Joan. Lightfooti* Lib. de Minister. Templi Cap. XII. Sect. I.

Amoliemini] תשביתו *thaschbithon*, facietis cessare.

Is homo] *Ea anima.*

Ex Israële exscindetur] Ex Israëlis prosapia non habebitur. Vide not. ad Gen. XVII, 14. & infrà ad vers. 19.

16. *Die primo*] Nempe, septem illorum quibus Azymi erant comedendi. Vide Levit. XXXII, 6. Num. XXVIII, 17.

Convocatio erit sacra] מקרא קדש *mikra kodesch*, convocatio sanctitatis, Græcè dicas ἱερὰ πανήγυρις, hoc est, festus populi conventus. Diebus enim feriarum, concurrebant ad Templa populi, sacrificiorum causâ, congregabantúrque per plateas ut hilaria inter se haberent colloquia. Alia etiam recreationum genera habebant Græci, in suis πανηγύρεσι, quæ huc nihil faciunt. Sæpe *Philo* hac voce utitur, ad signandos Hebræorum festos dies. LXX. Interpretes ea usi sunt ad vertendum מועד *mohed*, quod statum ac solemne festum significat, Ezek. XLVI, 12. Hos. II. 11. IX, 5. semel Hamos. V, 21. ubi est in Heb. עצרה *hatsarah*, quæ vox cœtum hominum significat. Sed voces מקרא קדש κλητὴ aut ἐπίκλητος ἁγία plerumque vertunt, durè & incommodè. Nisi constaret non satis adsequutos quâ ratione verti posset מקרא קדש, hoc in loco Exodi, aliter eos legisse credibile esset, ubi habent κληθήσεται ἁγία, quis enim non suspicaretur legisse eos נקרא קדש *nikra kadosch*, vocabitur sancta? Vulg. Int. habet, *sancta atque sollemnis*, quod condonandum ei est, quia lingua Latina nullam vocem habet quæ voci πανήγυρις, ubi festum significat, respondeat. Quot autem essent *convocationes sanctæ* docet Moses Levit. XXIII. Videntur illæ dictæ eo nomine, quòd tubâ ad ostium Tabernaculi aut Templi, diebus festis, vocaretur populus, ut docemur Num. X, 2, 10. Vide & Esai. I, 13.

Nullum opus iis fiet] Omnibus diebus, quibus erat πανήγυρις, claudebantur tabernæ, opus rusticum omittebatur, denique feriæ inter omnes erant. Vid. Levit. XXIII.

Nisi quòd victus omnibus parabitur] *Nisi quod comedetur omni animæ*, quod tamen die Sabbathi illicitum erat, ut docet Moses infrà Cap.

 XVI,

guinem videbit, id ostium præteribit Jehova, neque patietur vastatorem ingredi domos vestras, ut *vos* cædat. 24. Hoc observabitis, ut vobis filiisque vestris æternum institutum sit. 25. Cùm etiam ingressi eritis terram, quâ vos Jehova, prout prædixit, donabit, huncce ritum servabitis. 26. Cùm verò filii vestri vobis, qualis est, inquient, hic vobis ritus? 27. Hæc est victima, inquietis, transitûs Jehovæ, qui in Ægypto Israëlitarum præteriit domos, cùm Ægyptios cæderet, ædésque nostras liberavit. *His auditis*, populus incurvato corpore *Mosem* salutavit. 28. Tum abeuntes Israëlitæ, prout Mosem & Aharonem jusserat Jehova, fecerunt.

IX. Cæ-

nent, & quo animadverso ædes ingredi vetabit Deus. 24. Neque hosce ritus, hoc dumtaxat tempore, servabitis; sed lege in perpetuum sancientur, ut à posteris vestris celebrentur; 25. etiam postquàm Deus vobis agros promissos diviserit. 26. Cùm eos celebrari videbunt qui posthac nascentur, & quid sibi velint sciscitabuntur, 27. cavete ne causam hujus sacri taceatis. Ordine exponite qui jussi fueritis has mactare victimas in memoriam transitûs Angelorum per Ægyptum, qui cùm primogenitos omnes Ægyptiorum interficerent, Israëlitarum primogenitis pepercissent. Cùm hæc audissent Israelitæ, salutato Mose 28. abierunt, ut quod modò jusserat exsequi inciperent.

P A-

XVI, 23. LXX. Intt. valde impropriè ὅσα ποιηθήσεται πάσῃ ψυχῇ.

17. *Azymos observabitis*] Pro מצות *matsoth* habet Samariticus המצוה *hammitsvah*, & LXX. Intt. *τὴν ἐντολὴν ταύτην hoc præceptum*. Melius videbatur dici *observare præceptum*, quàm *azymos*; sed utriusque loqutionis idem est sensus.

Quia hoc ipso die] Nam eo die cœperant azymis vesci, adeóque azymi memoriam liberationis revocabant.

18. *Decimo quarto die mensis*] Quia, nimirum, antequàm sol occidisset, oportebat omne fermentum domibus ejici. Itaque si quid panis comederetur, postremis horis temporis pomeridiani, infermentatum esse oportebat. Vide ad vers. 15.

Vesperi] Paullò ante occasum solis. Vide not. ad vers. 6.

Ad vesperam diei] *Ad diem — in vespera.*

19. *Nullum invenietur* &c.] Ne fortè comederetur panis fermentatus, si esset fermentum ad manum, paullatimque oblitteraretur ritus in memoriam liberationis Ægyptiacæ institutus, ac tandem ipsa liberatio oblivioni mandaretur. Quamvis huic ritui, non singulis aliis, addatur pœna, videtur ad omnes debere referri, ut si quis pro agno aut hœdo vitulum sumeret, si herbæ amaræ omitterentur &c.

Tam peregrinus, quàm indigena] *In peregrino & in indigena.* Hîc duo genera convivarum, qui ad paschalem mensam admittebantur, describuntur. Hebræi, Abrahamo oriundi, dicuntur אזרחי ארץ *indigenæ regionis*; quia oriundi erant ex Isaaco & Jacobo in terra Chananæa natis, eámque sedem perpetuam à Deo acceperant. Reliqui sunt גרים *gerim*, qui sunt aut servilis conditionis, sive domi Hebræo hero nati sint ex aliis servis, sive ære ejus emti; aut liberi *inquilinæ* Israëlitidis, qui circumcisionem susceperant, & *Proselyti justitiæ* solent vocari. Nam nemo incircumcisus paschalis conviva esse poterat, ut postea docet Moses.

Is homo è cœtu Israëlis exscindetur] *Ea anima.* Chethib ההוא *bahou*, sed keri ההיא *bahi*, ut habet Samariticus & postulat Grammatica. Vide ad vers. 15. Quicumque circumcisionem susceperant, ii Israëlitæ habebantur, erantque *in cœtu Israëlis*, saltem post aliquot ætates, ut docet Legislator Cap. XXIII. Deuteronomii. Quemadmodum ergo בוא בקהל ישראל bo bikhal jischraël, *ingredi cœtum Israëlis*, est cum populo Hebræo censeri, eodémque loco ac prosapiâ Hebræos haberi: ita הכרת מעדת ישראל hicchareth mehedath jischraël, *exscindi è cœtu Israëlis*, perinde est ac non ampliùs Hebræum haberi.

20. *Nihil quidquam fermentatum* &c] *Omne fermentatum non comedetis, in omnibus habitationibus vestris, comedetis azymos.*

21. *Vocavit ergo Moses*] *Et vocavit Moses omnes senes Israëlis.* Vide not. ad Cap. III, 16.

Ite] משכו *mischcbou*, trahite, sed aliquando *proficisci* significat, ut Jud. IV, 6. Job. XXI, 33.

Ex ovillo & caprino genere pecudes] צאן *tson*, quod utrumque significat.

Pascha] Hæc est vocis Chaldaïca prolatio, פסחא enim scribunt Chaldæi, ut vox tempore Christi efferebatur. Propriè quidem *transitum* significat, Angeli, nempe, per Ægyptum, de quo suprà; sed victimæ postea, quæ in ejus rei memoriam mactabatur, id nominis hæsit; atque ita etiam festum vocabatur, quo factum ut Græcè à *Philone* διαβατήρια, à Josepho ὑπερβάσια diceretur.

22. *Fasciculum hyssopi*] אזב ezob *hyssopum* omnes Veteres cùm interpretentur; nulla ratio fuit sollicitandæ versionis, ut multis ostendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. L. II. c. 50. Hyssopum ad adspergilla conficienda solebant adhibere, ad purgandos leprosos, & ad lustranda cadaveris contactu polluta. Vid. Levit. XIV, 6, 7, 49. & seqq. Num. XIX, 6, 18. Adtenuandi vim Hyssopo inesse existimabant veteres Ægyptii, qua de causa *panem* τὸν ὑσσώπῳ κόπτοντες ἤσθιον· τὸ πολὺ γὰρ αὐτῶ τῆς δυνάμεως καθαιρεῖν ἔφασαν τὸν ὕσσωπον, *cum hyssopo concidentes comedebant, nimiam enim panis virtutem minuere aiebant hyssopum.* Verba sunt *Chæremonis*, apud *Porphyr.* de Abst. Lib. IV. §. 6. Similem ei virtutem tribuit etiam *Dioscorides* Lib. III. c. 30. qui inter cetera habet: ἄγει δὲ καὶ πάχη διὰ κοιλίας τὸ ἀφέψημα αὐτῆς, σὺν ὀξυμέλιτι ποθέν: *humores crassos per alvum extrahit ejus decoctum, cum oxymelide haustum.* σφοδρότερον δὲ καθαίρει, μιχθέντος αὐτῷ καρδαμώμου: *fortiùs purgat, misto ei cardamomo.*

Oblinetis superliminare] הגעתם אל המשקוף *tangere facietis ad superliminare.* Pro אל est

in

IX. Cædes primogenitorum Ægyptiorum, & discessus Israëlitarum, qui Succhothas perveniunt. Præceptum de Paschate à solis circumcisis comedendo.

29. MEDIA autem nocte, omne primogenitum in Ægypto occidit Jehova, à primogenito Pharahonis in ejus solio sessuro, ad primogenitum captivorum qui in carcere *erant*, & omnia brutorum primogenita. 30. Surrexit ergo Pharaho eâ nocte, omnésque ejus servi & tota Ægyptus, fuitque ingens ululatus, per uni-

PARAPHRASIS.

29. PRÆSTITUTA nocte decimi quinti diei Mensis Abibi, postquàm Israëlitæ paschalis agni aut hædi convivium celebrassent, Angeli à Deo in Ægyptum missi quaquaversum eam peragrarunt; atque horæ momento quidquid erat primogenitorum inter Ægyptios, à Rege & primoribus regni ad infimæ sortis homines, ne primogenitis quidem brutorum exceptis, occiderunt. 30. Quod cùm animadvertissent Ægyptii, Rex ipse ejusque amici & plerique omnes, quà patet Ægyptus, patres familiàs surrexerunt, cùm nulla esset domus, in qua cum liberis viverent, ubi primogenitus ani-

in Samaritico עַל, ut & in iteratione hujus particulæ וְעַל. Ob sensûs & sonitûs adfinitatem, confunduntur.

Neque ostio domûs suæ &c.] Ne fortè Ægyptii nonnulli suspicarentur suos ab Israëlitis grassatoribus fuisse occisos.

23. *Cùm autem transibit*] *Et transibit & videbit.*

Vastatorem] המשחית *hammaschhhith.* Hîc inducitur Deus, aut qui Dei personam sustinet, secum alios Angelos ducens; quos in ædes Ægyptiorum immittit, ut eorum primogenitos occidant. Hi Angeli dicuntur Ps. LXXVIII, 49. משלחת מלאכי רעים mischlahhath malache rahim, *legatio angelorum calamitatum.* Vide & 2. Sam. XXIV, 16.

25. *Ritum*] עבדה *haboda*, à עבד quod non modò *fecit*, sed, & quidem frequentiùs, *servit*, *coluit* vertitur. Hinc עבדה *ritum*, quasi cultûs divini partem, significat. Calci hujus versûs addit Samariticus בחדש הזה *bahhodesch hazzeh*, hoc mense.

26. *Cùm verò filii vestri*] Nullâ re magis adficiuntur pueri, neque quidquam tenacius memoriæ mandant, quàm spectacula quævis externa; ad quæ si accedat institutio, res numquam oblivioni mandatur. Hinc plus semel jubentur Israëlitæ rituum, sciscitantibus liberis, causas aperire. Vide Cap. XIII, 8, 14.

Plato de Legibus Lib. X. observat non posse homines non credere Deos esse, cùm hoc ab iis qui eos educant ab infantia audiant, puerósque persuaderi μετὰ θυσιῶν, ἐν εὐχαῖς αὐτοὺς ἀκούοντάς τε, καὶ ὄψεις ὁρῶντας ἑπομένας αὐτοῖς, ἃς ἥδιστα ὅ γε ΝΕΟΣ ὁρᾷ τε καὶ ἀκούει πραττομένας, θυόντων ἐν σπουδῇ τῇ μεγίστῃ τοὺς αὐτῶν γονέας, ὑπὲρ αὐτῶν τε καὶ ἐκείνων ἐσπουδακότας, ὡς ὅτι μάλιστα οὖσι θεοῖς εὐχαῖς προσδιαλεγομένους, καὶ ἱκετείαις: *post sacrificia in precibus eos audientes, & spectacula cernentes iis consentanea, quæ* PUER *videt & audit cùm fiunt libentissimè, dum parentes eorum summo studio pro se liberisque sacra faciunt, Deósque, quasi maximè sint, precibus & suppliciis alloquuntur.* Rabbini ritibus à Deo institutis multos alios addiderunt, minúsque usitatos, ut curiositatem puerorum moverent, adeóque ad sciscitandum eos excitarent. Qua de re, vide *Joan. Lightfootum* Descript. Temp. Jeros. C. XIII. §. 6.

27. *Jehovæ*] Vel Jehovæ sacra, nam ליהוה tam potest esse Dativi, quàm Genitivi.

Incurvato corpore Mosem salutavit] *Et inclinavit se populus, & curvarunt se*, ויקד העם וישתחוו. Mosis nomen addimus, quia videntur abeuntes Mosem, quem jam à Deo missum liberatorem agnoscebant, salutasse.

28. *Tum abeuntes* &c.] *Et abierunt, & fecerunt filii Israël prout — sic fecerunt*

29. *Occidit Jehova*] *Percussit.*

Captivorum] *Captivitatis, qui in domo fossæ.* Manifestum est *primogenitum captivitatis* esse primogenitum hominis captivi, quâ voce servus intelligitur, quia per captivitatem plurimi fiebant servi. Vide not. ad Gen. IX, 25. *Domus fossæ* est carcer, in quo erat fossa in quam captivi demittebantur, qua de re vide not. ad Gen. XL, 15. Hîc miserrima servitus hac phrasi significatur, quemadmodum suprà Cap. XI, 5. nomine *ancillæ quæ molas trudit.*

32. *Oves & boves*] צאן ובקר *tson oubakar*, parvum & magnum pecus.

Mihi bene precati abite] *Abite & benedicite etiam mihi.* Jam eos Prophetas agnoscebat, quorum efficaces preces habebantur. Vide not. ad Gen. XX, 7.

33. *Ex regione dimitterentur*] Ne fortè Rex facultatem abeundi iis concessam revocaret, novásque calamitates Ægypto crearet.

34. *Super humeros*] *Super humerum*, vinculis ex humeris pendentibus.

36. *Apud Ægyptios gratiam* &c.] Vide not. ad Cap. III, 21, 22.

Iisque petitis] *Et petierunt ea & spoliarunt* &c.

37. *Rahmesesa*] Urbs erat, quam condiderant, ut docet Moses Cap. I, 11.

Succhothas] סכותה *succhotha.* Locus fuit in Palæstina qui *Succhoth*, hoc est, *scenæ*, aut *tabernacula* vocabantur, de quo Gen. XXXIII, 17. quòd ibi scenas fecisset Jacobus. Fortè hic Ægypti locus סכות etiam dictus est, quòd ibi primùm tetenderint Israëlitæ ab Ægyptiis dimissi, aut simili quapiam de causa. Eum autem ita describit *Josephus* Ant. Jud. Lib. II. c. 15. Τὴν δὲ πορείαν ἐποιοῦντο κατὰ Λητοῦς πόλιν, ἔρημον οὖσαν ἐν τοῖς τότε· Βαβυλὼν γὰρ ὕστερον κτίζεται ἐκεῖ, Καμβύσου καταστρεφομένου τὴν Αἴγυπτον: *iter fecerunt per*

universam Ægyptum; cùm nulla esset domus, in qua mortuus non esset. 31. Noctu accersivit Mosem & Aharonem, & surgite, inquit, egredimini è medio populo meo, & vos & Israëlitæ, ite &, prout dixistis, Jehovam colite. 32. Sumite etiam oves & boves vestros, ut dixistis, & mihi bene precati abite. 33. Urgebant quoque Ægyptii populum, ut festinaret, atque è regione dimitteretur, ajebant enim: omnes perii-mus.

34. Sumsit itaque populus massam farinæ, antequàm fermentaretur, & mactras suas, ligatas cum vestimentis, super humeros. 35. Fecerunt etiam Israëlitæ, prout monuerat Moses, vasáque argentea & aurea ac vestes ab Ægyptiis petierunt. 36. Jehova autem populo apud Ægyptios gratiam conciliarat, iisque petitis, Ægyptios spoliavit.

37. Po-

animam eâ nocte efflasse non deprehenderetur; quâ re comploratio per totam Ægyptum excitata est. 31. 32. Tum demum fractus est Pharahonis pervicax animus, atque ante lucem Mosi & Aharoni ad se accersitis potestatem fecit, abductis universis Israelitis, abactis omnibus pecudibus, & convasatis quibusvis facultatibus, Ægypto abeundi, ut sacra Deo suo, prout videretur, facerent; sed sibi, antequàm abirent, jussit eos bene precati, cùm maximo luctu suo quàm efficaces essent eorum apud Deum preces intelligeret. 33. Ceteri etiam Ægyptii, ne superstites delerentur metuentes, Israëlitis festinandi auctores erant, & quo magis morabantur, eò sibi magis timebant.

34. In ea festinatione, massam subactæ farinæ, antequàm fermento intumescere posset, unà cum mactris & vestimentis, abstulerunt Israëlitæ. 35. Quin etiam, prout à Mose jussi fuerant, vasa aurea & argentea, pretiosámque vestem ab Ægyptiis mutuò acceperunt; 36. nec Ægyptii abeuntibus, usque adcò cupiebant eos proficisci! negarunt, quamvis numquam essent reddituri; adeóque Ægypti spoliis onustus abiit Hebræus populus.

37. Ex Rahmesesæ tractu profecti, Dei jussu, in

per Latonæ urbem, quæ tum erat deserta. Babylon postea ibi condita est, cùm Cambyses Ægyptum subegisset. Ea fuit in Austrum iter facientibus ad lævam acuminis τ̃ Delta. Circa eadem loca, in *Antonini Itinerario*, *Scenæ Mandrorum* collocantur, quod nomen cum Hebraïco סכות *succboth* meliùs convenit.

Sexcenta millia &c.] Ut essent sexcenta hominum millia ætate militari, minimùm trecentas capitum myriadas esse oportuit; nam vix sexta pars, ut hodiernâ constat experientiâ, est virorum, eorúmque adultorum. Mulieres puellæ & pueri unà cum servis, minimùm quinque partes populorum conficiunt. Hoc cùm ita sit, duo hîc solvendi proponuntur Interpretibus nodi, 1. quî potuerint tot homines ex septuaginta capitibus ducentorum quindecim annorum spatio nasci? 2. quî tanta multitudo, præter veteres Ægyptios, aliósque qui in inferiorem Ægyptum confluxerant potuerit sedes illic habere & vivere?

Ad priorem quæstionem quod adtinet, ante omnia iteratam aliquoties Dei de augenda Abrahami sobole promissionem in memoriam revocare par est; quam nunc, singulari potentiæ suæ specimine, impleverit Deus. Deinde adtendendus est Veterum consensus, in Ægyptiarum mulierum fertilitate prædicanda; quorum testimonia si huc congesserimus, condonabit, spero, Lector in re tam gravi. *Aristoteles* de Hist. Anim. Lib. VII. c. 4. Πολλάκις καὶ πολλαχοῦ δίδυμα (nempe τίκτουσι γυναῖκες) οἷον περὶ Αἴγυπτον. τίκτουσι δὲ καὶ τρία καὶ τέτταρα, περὶ ἐνίους μὲν καὶ σφόδρα τόπους, ὥσπερ εἴρηται πρότερον· πλεῖστα δὲ τίκτεται πέντε τὸν ἀριθμόν, ἤδη γὰρ ὦπται τοῦτο καὶ ἐπὶ πλειόνων συμβεβηκός: *sæpe & plerisque in locis geminos* (pariunt mulieres) *quemadmodum in Ægypto. Pariunt etiam tres aut quatuor, & quidem in nonnullis locis frequenter id fit, ut anteà dictum est. Sed quinque summùm nascuntur. Jam enim pluribus hoc evenisse visum.* Alicubi etiam septenarium numerum edidisse videtur Philosophus, nisi errarit *Strabo*, qui ita scribit Lib. XV, p. 478. ubi postquàm piscosissimum esse Nilum tradidit, sic pergit: τάς τε γυναῖκας ἔσθ᾽ ὅτε καὶ τετράδυμα τίκτειν τὰς Αἰγυπτίας. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ ἑπτάδυμά τινα ἱστορεῖ τετοκυῖαν: *interdum mulieres Ægyptiæ quatergeminos pariunt. Aristoteles etiam quamdam narrat septem gemellos peperiisse.* Si locum laudatum respexit *Strabo*, debuit scribere πεντάδυμα *quinque gemellos*, nam hæc verba sequuntur apud *Aristotelem*: μία δέ τις ἐν τέτταρσι τόκοις ἔτεκεν εἴκοσιν· ἀνὰ πέντε γὰρ ἔτεκε, καὶ τὰ πολλὰ αὐτῶν ἐξετράφη: *quædam quatuor partibus peperit viginti liberos, quinos enim simul peperit, eorúmque multi sunt educati.* Sed non videtur hunc locum præ oculis habuisse *Strabo*, cùm addat *Aristotelem* dicere Nilum esse γόνιμον *causam generationis*; qua de re, hoc certè in loco, nihil habet Philosophus. *Plinius* Lib. VII. c. 3. *Trigeminos nasci certum est, Horatiorum, Curiatiorúmque exemplo; suprà, inter ostenta ducitur, præterquàm in Ægypto, ubi fetifer potu Nilus.* Paullò pòst: *in Ægypto, septenos uno partu simul gigni auctor est Trogus.* Seneca Lib. III. c. 25. Quæst. Nat. *Quorumdam causa non potest reddi, quare aqua Nilotica fecundiores feminas faciat, adeò ut quarumdam viscera, longâ sterilitate præclusa, ad conceptum relaxaverit.* Paulus Jurisconsultus in Leg. III. Digg. *Si pars hereditatis petatur. Tradidere non leves auctores* (Plinius loco laudato) *quinquies quaternos enixam Peloponnesi, multas Ægypti uno utero septenos — sed & Lælius scribit, se vidisse in Palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta est, ut Hadriano ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa, inquit, dicebatur, quintum post diem quadragesimum.* Columella de R. R. Lib. III. c. 8. *Ægyptiis & Afris gemini partus familiares, ac penè sollemnes sunt.* Si ergo ad solitam Ægyptiorum fertilitatem accesserit Providentiæ singularis cura, non superabit fidem Israëlitarum in Ægypto nato-

37. Profecti sunt Israëlitæ Rahmesesâ Succhothas, erántque circiter sexcenta millia peditum virorum, præter impuberes; 38. sed & promiscua turba, eáque ingens, cum illis adscendit, unáque oves & boves, pecus numerosissimum. 39. Coxerunt autem ex massa farinæ, quam adtulerant ex Ægypto, subcineritios azymos; neque enim fermentata erat, cùm expellerentur ex Ægypto, neque morari potuerant, aut cibum ullum sibi paraverant. 40. Habitationis autem tempus, quo Ægyptum habitarant Israëlitæ, quadringentorum triginta annorum *fuerat*. 41. Exactis triginta & quadringentis annis eo ipso, *quem dixi*, die omnia Jehovæ agmina ex Ægypto exierunt. 42. Nox ea, quòd eduxisset eos ex Ægypto, festa *fuit* Jehovæ, *eritque* apud omnes Israëlitas per ætates suas.

43. Dixit etiam Mosi & Aharoni Jehova: hoc institutum esto de paschate, nullus alie-

in Austrum, Socchothas primo die pervenerunt. Erant autem, præter fœminas, impuberes & servos, sexcenta millia liberorum capitum. 38. Alii etiam innumeri, quamvis alienigenæ, unà profecti sunt, seu spe novarum sedium, seu festi celebrandi spectatores futuri. Simul ingentem copiam pecoris, omnis generis, abegerunt. 39. Cùm autem Succhothas pervenissent, ex massa farinæ, quam secum nondum fermento tumefactam adtulerant, azymos subcineritios celeriter coxerunt; nullum enim cibum, in tanta discessûs festinatione, parare potuerant. 40. Sic Israëlitæ ex Ægypto egredi cœperunt, ut in Chananæam se conferrent, quadringentis triginta annis, postquàm Israëliticæ gentis conditor Abrahamus Chaldæâ relictâ in Chananæam venerat; quo temporis tractu aut in Chananæa, aut in Ægypto vixerant, cùm ipse, tum ejus posteri. 41. Eo ergo tempore exacto, profecti sunt Hebræi, 42. & nox quidem, quâ Gosenitide egressi sunt, festa Israëlis Deo propterea est, eritque in posterum.

43. Præter memoratos paschalis convivii ritus; hos

natorum multitudo. Præterea, iis temporibus, πολύγαμοι sæpe erant Israëlitæ.

Alteri quæstioni fiet satis, gravissimorum Scriptorum testimoniis, quibus Ægyptum penè supra fidem populosam fuisse constat, nec ægrè tot incolas alere potuisse. Ut à posteriore ὕστερον πρότερον incipiamus, id jam ostendimus ad Cap. I, 7. & hujus Capitis vers. 11. De priore verò etiam diximus ad Cap. I, 7.

Præter impuberes] טף *taph*, de qua voce vide not. ad Gen. XXXIV, 29.

38. *Pecus numerosissimum*] *Pecus grave valde*.

39. *Subcineritios*] עגת *huggoth*. Vide not. ad Gen. XVIII, 6.

Cùm expellerentur] כי *chi*, quod *quando* non rarò significat. Vid. Gen. IV, 12. VI, 1. Sup. III, vers. 21.

40. *Habitationis tempus*] מושב *moschab*, habitatio.

Quadringentorum triginta annorum] Kehathus Levis filius, qui in Ægyptum cum patre descenderat, Genes. XLVI, 8, 11. non vixit plures quàm 133. Exod. VI, 18. Amramus verò ejus filius, idémque Mosis pater ad 137. annum vitam produxit, Exod. VI, 20. Moses denique annum dumtaxat 80. adtigerat, cùm mandata ad Pharahonem à Deo accepit, Exod. VII, 7. quandoquidem 40 pòst annis, 120 annos natus, mortuus est. Deut. XXXIV, 7. Omnes autem hi anni simul, ex quibus ii sunt detrahendi, quibus pater cum filio vixit, efficiunt tantùm 350 annos. Itaque Israëlitæ non potuerunt in Ægypto tot annis vivere. Necessariò itaque admittenda est aut lectio, aut, ut reor, glossema Samaritarum & LXX. Intt. Habent illi: ומושב בני ישראל ואבותם אשר ישבו בארץ כנען ובארץ מצרים, hi: ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν ἔτη τετρακόσια τριάκοντα, secundùm Codicem Vaticanum; at, secundùm Alexandrinum: ἣν παρῴκησαν αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν: *habitatio filiorum Israël, quâ habitarunt in terra Ægyptia, & in terra Chananæa illi & patres eorum, anni quadringenti triginta.* Horum initium si sumatur ex quo Charris profectus est Abrahamus, incidet Exodus in annum Mundi, ex calculo Hebræorum, 2453. In Ægyptum autem iverat Jacobus A. M. 2238. unde efficitur Israëlitas dumtaxat 215 annis in Ægypto fuisse. Malim tamen ἀκυρολογίαν, in Massorethico Codice, agnoscere, quàm mendum; quia cùm gravis ratio fuerit Samaritis & Græcis addendorum verborum, quæ non exstant in nostris Codicibus, nihil erat cur Judæorum Librarii ea detraherent; nisi fortè quis existimet eos, ut occurrerent difficultati, quæ nascitur ex inusitata multiplicatione Israëlitarum intra 215 annos, numerum Ægyptiacæ servitutis annorum auxisse. Quod vix crediderim, sensissent enim, si quid simile cogitassent, se vitatâ Scyllâ in Charybdim cadere; inito calculo annorum Kehathi, Amrami & Mosis, qui in hoc ipso libro traduntur. Nihil tamen pro explorato hîc adfirmarim.

41. *Exactis triginta* &c.] *Et fuit à fine* (ויהי מקץ) *triginta* &c.

Jehovæ agmina] צבאות יי tsiboth Jehovah, *exercitus Jehovæ*; populi, nimirum, Jehovæ, qui Rex ejus, singulari ratione, fuit.

42. *Nox ea* &c.] *Nox observationum illa Jehovæ, ad educendum eos ex terra Ægypti, hæc ipsa nox Jehovæ observationes*, (שמרים schimmurim) *omnibus filiis Israël, in ætates suas.*

43. *Dixit etiam*] Anténe, an post discessum non liquet. Prius malim, ut à primo Paschate exclusi jam fuerint peregrini, ceteráque quæ hîc habentur observata. Itaque hæc conjungenda Versui 20.

Alienigena] בן נכר ben nechar, *filius peregrini*, qui, nimirum, nondum circumcisione susceptâ, populo Hebræo non accensebatur, ut sequentia ostendunt. Habet hîc *Onkelos*

alienigena eo vescatur. 44. Omnis tamen cujusque servus, quem ære suo emerit & circumciderit, id comedet; 45. at advena & mercenarius non comedent. 46. Intra unam domum absumetur; neque eâ carnem efferes, neque os ejus confringes. 47. Omnis id celebrabit Israëlis cœtus, 48. sed si quis peregrinus, apud te peregrinans, transitum Jehovæ celebrare *voluerit*; circumcidetur ei masculus omnis, & tum ad eum celebrandum adhibebitur, atque instar indigenæ regionis erit, verùm nullus præputiatus eo vescetur. 49. Eadem lex indigenæ & peregrino apud vos peregrinanti erit. 50. Fecere omnes Israëlitæ, prout Mosem & Aharonem jusserat Jehova. 51. Ipso autem illo die, Jehova ex Ægypto Israëlitas, secundùm agmina sua, eduxit.

X. Ite-

hos quoque sanctè observari voluit Deus, quos Mosem & Aharonem, antequàm iniretur, edocuit. Nulli alienigenæ, inquit, incircumciso victima paschali vesci licebit. 44. Quamquam enim servis ære vestro emtis, aut apud vos natis, & à vobis circumcisis fas erit carnes paschales edere; 45. attamen peregrinos aut mercede conductos, si incircumcisi sint, eas adtingere nefas habebitur. 46. Hoc quoque observandum erit, ut quivis agnus aut hædus à convivis, ad unam mensam adstantibus, intra domús ejus in quam convenerint parietes absumatur, neque ulla ejus pars domo efferatur, aut os ullum frangatur. 47. Cives omnes Hebræi, eorúmque servi circumcisi paschale convivium, ut dixi, celebrabunt; 48. neque conviva ad hanc mensam admittetur ullus peregrinus, nisi qui se & suos circumcidi passus sit, quo peracto, instar eorum qui Israële oriundi sunt Pascha celebrabit. At nullus præputiatus victimam hancce degustabit. 50. Hæc à primo Paschate Israëlitæ sanctè observarunt, prout à Mose & Aharone acceperant; 51. atque illo ipso die paschalis convivii, Gosenitide Israëlitas eduxit Deus.

P A-

los: כל בר ישראל די אשתמד *omnis filius Israëlis qui Apostata fuerit*. Quod, quamvis fortè intempestivum, confirmat quod dicebamus de *excisione* ad vers. 19.

44 *Omnis tamen*] *Et omnis.*

Quem ære tuo emeris] *Emtio argenti.*

45. *Advena*] תושב *thoschab*, nondum adscriptus populo Hebræo.

46. *Neque ea carnem*] *Neque domo ex carne* (מן הבשר) *efferes*, hoc est, nullam carnis partem. Hoc vetare videtur Deus, ne occasionem exeundi domo haberent Israëlitæ; quod summâ ratione interdixerat, ut diximus ad vers. 22. In Samaritico pro singulari תוציא *efferes*, est plurale תוציאו *efferetis*, ἐξοίσετε, ut LXX. Intt.

Neque os ejus confringes] Hoc quoque ad festinationem videtur pertinuisse, nam qui properant eò usque non deveniunt, ut ossium medullam exsugant. Hoc præceptum connexum est cum eo, quo accuratè assari caro jubetur; quando enim probè cocta est, ossa facilè à se invicem divelluntur; alioqui si vis adhibetur, possunt tenera ossa agni aut hædi non difficulter frangi.

48. *Transitum Jehovæ*] Aut Pascha in honorem Jehovæ.

Celebrare voluerit] ועשה vehascha, *& fecerit*, sed ex sequentibus, ubi incircumcisus vetatur comedere Pascha, satis liquet non agi de Paschate ante circumcisionem celebrato; sed de eo quod circumcisus celebraturus, ex Lege, erat. Sæpe verba actionem significantia voluntatem tantùm, aut conatum sonant. Vide not. ad Genes. XXXVII, 21. & Jerem. XXXVII, 12. Ezek. XXIV, 13.

49. *Eadem lex*] Iidem ritus ab utrisque observandi erunt.

Apud vos] *In medio vestri.*

50. *Jehova*] Additur in fine versûs, *sic fecerunt*. Ex hoc autem versu liquet superiores à 43 ad 49. quamquam videntur sensu cohærere cum 20. attamen post eum inseri non posse; tum enim 50 & 51 essent delendi, qui enim hîc connectunt orationem, ibi narrationem turbarent. Hinc confutatur eorum opinio, qui volumina exigua & separata, in quibus fingunt Legem primùm scriptam, turbata fuisse conjiciunt, atque hinc ortam in narratione confusionem. Certum est tribuendam eam esse ruditati styli Hebraïci, & Rhetoricorum canonum neglectui.

COM-

X. *Iteratum de Azymis paschali hebdomade comedendis præceptum, Masculorum consecratio & redemtio.*

1. MOSEM deinde alloquutus est Jehova, his verbis: 2. Sacrum mihi habeto omne primogenitum; quod primum nascitur ex quavis vulva, apud Israëlitas, cùm inter homines, tum inter bruta, meum est. CAPUT XIII.

3. Moses verò populo, memento, inquit, hujusce diei, quo ex Ægypto, *atque* ex ergastulo egressus es, hinc enim robore manûs *suæ* te eduxit Jehova. Ne comedatur ergo *panis* fermentatus. 4. Exis hodie mense novarum frugum, 5. idcir-

PARAPHRASIS.

1. CUM Israëlitæ Gusenitide egressi essent, Deus Mosem alloqui pergebat, ut cœperat. 2. Itaque omne primogenitum hominum & pecudum, quod vivebat, aut nasciturum posthac, apud Hebræus, erat, sacrum sibi haberi oportere docuit; quandoquidem, interfectis Ægyptiorum omnibus primogenitis, Israelitis pepercerat.

3. Moses quoque, Dei jussu, populum Hebræum his verbis alloquutus est: Nihil magis, Hebræi, cavendum vobis est, quàm ne hujus diei, quo vos Deus summâ potentiâ Ægyptiacæ tyrannidi subtrahere cœpit, oblivio inter vos umquam serpat, magnámque adeò hancce liberationem parvi pendere incipiatis. Itaque in æternam memoriam præpruperi discessûs, quo vix licuisset panem fermentatum & recentem paratum habere, posthac per hoc septiduum azymis panibus vesci pergetis. 4. Exitis Ægypto eo mense, quo hordea meti solent; 5. quam ob rem, postquàm in Chananæam Majoribus vestris dudum, interposito jurejurando,

COMMENTARIUS

In CAPUT XIII.

2. S*Acrum mihi habeto*] קדש *kaddesch*, sanctifica. Sed sæpe verba in Pihel non actionem ullam, sed judicium de re quapiam, aut ejus significationem denotant. Sic in Lege, טהר *taher*, quòd propriè *mundare* sonat, perinde est ac *mundum* aut *purum habere* vel *pronunciare*. Vide Levit. XIII, 6, 17, 23, 28, 34, 37, 59. Significat hoc in loco Deus sibi Israëlitarum primogenitos fœtus masculus sacros esse factus, quòd, cæsis omnibus Ægyptiorum primogenitis, iis pepercisset.

Quod primum nascitur è quavis vulva] פטר כל רחם pheter chol rehhem, *primogenitum omnis vulvæ*; hoc est, tam brutorum, quàm hominum. Satis quidem semper notum fuit quid voce פטר *pheter* significaretur, nempe, hominum & brutorum primogenita; sed quid propriè ea vox sonaret, & quare animalia primogenita signaret ostendit primus *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 30. Vulgò *apertio vulvæ* vertitur, quod eodem recidit, sed duo obstant quominùs ea propria habeatur significatio. Primùm, non modò dicitur פטר רחם *pheter rehhem*, sed etiam פטר חמר *pheter hhamor*, hoc est, *primogenitum asini*, non apertio vulvæ asini; neque enim asinus habet vulvam, sed asina quæ אתון *athon* dicitur. Secundò, verbum פטר *phatar* nusquam *aperire* aut *aperiri* significat, ut locorum examine ostendit *Bochartus*. Rectiùs ergo vir summus פטר *pheter* à verbo Arabico פטר *phatara* deduxit, quod *incipere*, *inchoare* sonat, & unde אלפטר alphatro, *initium*, *quod in unaquaque re primum est*. Itaque פטר optimè *primogenitus* exponitur, qui *initium* est omnium fœtuum.

3. *Egressus es*] *Memento ejus diei quo egressi estis*, modò singularis numerus, modò pluralis, Hebraïco more, adhibetur. Singulari tantùm Latinè loquentes usi sumus. In Samaritico pro זכור *memento*, est זכרו *mementote*, ut LXX. μνημονεύετε.

Ex ergastulo] *Domo servorum*.

Robore manûs suæ] Aut *manu prævalidâ*. Vide not. ad Cap. III, 19.

4. *Hodie*] היום *hajjom*. Samaritæ hanc vocem cum superioribus conjungunt, sensu non incommodo.

Mense spicatarum frugum] אביב *abib*. Ostendimus ad Cap. IX, 31. hac voce *spicam* significari. Hic est primus mensis anni sacri, ut diximus ad Cap. XII, 2. cujus initium ducendum à Novilunio, quod æquinoctium vernum proximè sequebatur. Ejus autem mensis initio, in Ægypto spicatum planè est hordeum, ut docet Moses Cap. IX, 31. sub finem verò incipit frumentum spicas habere. Utrumque docet *Philo* de vita Mosis Lib. III. p. 530. Ed. Gen. Τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας πρῶτον ἀναγράφει μῆνα Μωυσῆς, ἐν ταῖς τῶν ἐνιαυτῶν περιόδοις ἀναθείς, οὐχ ὥσπερ ἔνιοι, χρόνῳ τὰ πρεσβεῖα μᾶλλον, ἢ ταῖς τῆς φύσεως χάρισιν, ἃς ἀνέτειλεν ἀνθρώποις· κατὰ γὰρ ταύτην, τὰ μὲν σπαρτὰ ἡ ἀναγκαία τροφὴ τελεσφορεῖται: *Moses primum mensem eum constituit, qui initio est æquinoctii verni, in annorum circuitibus consecrans, non ut quidam, qui tempori potiùs id honoris tribuunt, quàm naturæ beneficiis, quæ hominibus emittit. Nam æquinoctii tempore, segetes alimentum necessarium maturescunt.* Videtur opponere Mosem Ægyptiis, qui eo tempore quo sol Leonis signum ingreditur, annum inchoabant; quâ tempestate fructus arborum maturi in Ægypto sunt, quod in sequentibus innuit. Sed hoc ad rem nostram nihil facit, nisi quòd hinc possunt confutari, qui אביב idem putant esse ac אב *eb* aut אבא *ibba*, quod apud Hebræos, Chaldæos, & Arabas *fructus* significat, indéque hunc mensem dictum; cùm fructus arborum adparere tantùm incipiant, multúmque à maturitate absint. *Philonis* verba sequentia sunt: ὁ δὲ τῶν δένδρων καρπὸς ἐκφύεται ἄρτι φυόμενος, δευτέραν ἔχων τάξιν, ὅθεν καὶ ὀψίγονός ἐστι·

circo cùm Jehova te in terram Chananæi, Chitthæi, Emoræi, Chivvæi & Jebusæi, quam se tibi daturum Majoribus tuis juravit, terram lacte & melle fluentem, intromiserit, hunc ritum hoc mense celebrabis. 6. Septem diebus azymis vesceris, septimúsque erit festus Jehovæ. 7. Azymi septem diebus comedentur; neque tibi cernetur fermentatus *panis*, neque in omnibus tuis finibus conspicietur fermentum. 8. Eo die *rem* filio tuo expones, *& hoc*, inquies est propter id quod fecit mihi Jehova, cùm ex Ægypto exitem. 9. Hoc erit tibi signum in manu tua, atque inter oculos, quod *rem* in memoriam revocet, ut sit lex Jehovæ in ore tuo, nam prævalidâ manu te ex Ægypto eduxit Jehova. 10. Hanc legem, statuto ei tempore, quotannis observabis.

11. Cùm intromiserit te Jehova in terram Chananæi, prout tibi, Majoribusque tuis juravit, eáque te donaverit; 12. offeres Jehovæ quidquid primum nascitur è vul-

do, à Deo promissam veneritis, hoc ipso mense & die, paschale convivium agitabitis. 6. 7. In eo cùm reliquos ritus, quos dixi, observabitis, tum etiam azymis per septiduum vescemini, eritque septimus dies Deo festus. 8. Cùm verò posthac ii, qui non viderint quomodo liberati à Deo sitis, percunctabuntur quæ sit earum cærimoniarum causa? in memoriam ejus diei, quo vos Deus in libertatem adseruit, atque ex Ægypto eduxit, ista fieri diligenter eos docebitis. 9. Hi ritus, quasi cidari aut manui, memoriæ causâ, adnexa vitta, vos admonebunt, occasionémque hujus Legis enarrandæ vobis præbebunt; neque profectò nimis frequentes tanta de re sermones haberi possunt, cùm longè maxima potentiæ suæ specimina ediderit Deus, in vobis Ægyptiaca tyran-

dei: arborum pubescentium fructus jam generatur, secundum locum obtinens, quo fit ut serius nascatur. LXX. Intt. habent hic: ἐν μηνὶ τῶν νέων, nempe, σταχύων, *in mense novarum spicarum.* Vulg. *novarum frugum.* Idem mensis dicebatur à Chaldæis *Nisan*, Nehem. II, 1. Esth. III, 7.

5. *Jebusæi*] His quinque populis adduntur à Samaritis, inter *Amorrhæos & Chivvæos*, החוי והפרזי והגרגשי *Pherezæi*, & *Girgasæi*. Sed post Jebusæos addunt οἱ LXX. Γεργεσαίους καὶ Φερεζαίους. Non opus erat, nam modò plures, modò pauciores nomine adpellantur.

6. *Septem diebus*] Pro שבעת *septem*, habent Samaritæ ששת schescheth, *sex*, ut LXX. ἕξ. At septem erant 15, 16, 17, 18, 19, 20, & 21. Vide ad Cap. XII, 15, 16. ubi disertè *septiduum* habetur in omnibus Codicibus.

Septimus festus] *Et in septimo festum* (חג) *Jehovæ.*

7. *Azymi comedentur*] מצות יאכל matsoth jeachel *azymi comedetur.* Sic solent interdum Hebræi. Vide not. ad Gen. I, 14.

9. *Signum in manu tua*] Repetitur hoc vers. 16. & Deut. VI, 8. XI, 18. Est proverbium, quo significatur quidpiam quod numquam oblivioni mandandum est, sed sæpe animo grato recolendum. Quæ sunt in manibus nostris, aut à fronte nobis inter oculos pendent, de iis perpetuò cogitemus necesse est; itaque ad significandum, quod modò dicebamus, iis phrasibus usus est Deus. Propterea ut ostendat se numquam immemorem fore Jerosolimæ, ita loquitur, apud Esaiam. XLIX, 16. *Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram me semper.* Dixerat in antecedente versu: *num oblivíscetur mulier infantis sui, ne misereatur filii uteri sui? Illæ etiam immemores erunt, at ego non oblivíscar tui.* Quòd si aliud voluisset Legislator, rem diligenter descripsisset, ut omnia nova instituta. Attamen Hebræi, jam à temporibus Christi, existimarunt jubere hic Mosem in pergameuis scribi sectiones quasdam Legis, eásque pergameuas fronti & carpo alligari, ut eorum quæ in iis sectionibus habentur memores essent. Eæ sectiones sunt Exod. XIII, 2. ad vers. 10. XIII, 11. ad vers. 16. Deut. VI, 4. ad 9. XI, 13 ad 21. quibus triginta versus continentur. Pergamenas illas vocant Rabbini תפילין thephillin, Græcè φυλακτήρια dicebantur. Vide Matth. XXIII, 5. Mirum est *Hieronymum* numquam explicata vidisse, aut à præceptore celatum quæ Legis verba in Phylacteriis scriberentur. Sic enim ad Matthæum: *Pharisæi malè interpretantes Deut. VI, 8. scribunt in membranis Decalogum Mosis, id est, decem verba legis, complicantes ea & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur; quod usque hodie Indi & Persæ & Babylonii* (Judæi, nempe) *faciunt, & qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis judicatur.* Paullò post: *Pistariola* (*Pittaciola* legendum videtur) *illa Decalogi Phylacteria vocabant, quod quicumque habuisset ea, quasi ob custodiam & monimentum sui, haberet, non intelligentibus Pharisæis quòd hæc in corde portanda sint, non in corpore; alioquin & armaria & arcæ habent libros, & notitiam Dei non habent. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in parvulis Evangeliis & in crucis ligno, & istiusmodi rebus quæ habent quidem zelum Dei, sed non juxta scientiam, usque hodie factitant.*

Præter id quod diximus, si Mosis verba de ornamento nescio quo essent intelligenda, deberet etiam pars Phylacteriorum esse ante os, cùm dicat hic, *ut sit lex Jehovæ in ore tuo*; deberet altera ante pectus è regione cordis esse, quia Deut. VI, 6. dicit Moses: *erunt verba hæc ad cor tuum.* Quod si hæc propriè intelligenda non sint, quod fatentur Judæi, quæ iisdem locis habentur, quidni & reliqua?

Quod rem in memoriam revocet] זכרון *ziccharon.* LXX. μνημόσυνον Vulg. *monimentum.* Pluribus verbis maluimus vertere, ut clariùs Hebraicæ vocis manifestam potestatem exprimeremus.

In ore tuo] Ut ejus memineris, faciléque eam posteris tuis edisseras. Vide not. ad Deut. XXX, vers. 14.

10. *Quotannis*] מימים ימימה mijjanim jamimah,

vulva *inter homines*, & & fœtum omnem primogenitum in brutis, quæ tibi erunt;
masculi *omnes* sunt Jehovæ. 13. Primogenitum omne asini redimes agno, *vel* hœ-
do; si non redemeris, cervicem ei franges; sed omnem primogenitum hominis,
inter filios tuos, redimes. 14. Cùm verò filius tuus quæret quid hoc sit? robore
manûs *suæ*, inquies, ex Ægypto, *atque* ex ergastulo eduxit me Jehova. 15. Cùm
Pharaho pertinaciter se nos dimissurum negaret, in Ægypto occidit Jehova omne
primogenitum, à primogenito hominum ad primogenitum brutorum; idcirco Je-
hovæ omnes masculos fœtus, qui primi è vulva nascuntur *inter bruta*, macto, &
omnem primogenitum filiorum meorum redimo. 16. Sit itaque signum in manu
tua, & quasi frontale inter oculos tuos; *ut memineris* Jehovam nos, robore manûs
suæ, ex Ægypto eduxisse.

XI. Iter

tyrannide liberandis. 10. Igitur quotannis, eadem
tempestate, sollemne hoc festum instaurabitis.
11. Cùm Deus vobis Chananæorum agros, du-
dum promissos, diviserit, 12. omnes primoge-
nitos fœtus, masculi sexûs, Deo seponetis, quippe
quos sibi sacros ipse fecit, quando iis pepercit.
13. Iis quidem quos mactare licebit, sacra facie-
tis; eos verò, quos immolare nefas est, quales
sunt hominum, ac asinorum fœtus, pecuniâ, aut
legitimâ hostiâ redimetis; vel si pecudem sacris
faciendis ineptam redimere nolueritis, eam vive-
re non patiemini. 14. 15. Tum si liberi vestri rei
ignari petant quare primi masculi fœtus Deo sa-
cri habeantur, causam memoratam edetis. 16. Erit
enim hic quoque ritus vobis instar signi, ex fron-
te aut manu pendentis, quo memoria Ægyptiacæ
liberationis omnibus revocetur.

P A-

mah, *ex diebus in dies.* Vide 1. Sam. I, 3. Nimirum, ימים annum aliquando significat, ut 1. Sam. XXVI, 7. adeóque hæc phrasis valet *ex anno in annum*, i. quotannis.

12. *Offeres*] *Transire facies.* Quæ offeruntur Deo è manu offerentis, transeunt, ut ita dicam, in manum Dei. Vide Levit. XVIII, 21.

Fœtum omnem primogenitum] פטר שגר *pheter scheger.* De priore voce jam egimus, posterior *fœtum* quemvis significat. Vide Deut. VII, 13. XXVIII, 5, 18, 51. Chaldæis שגר *schgar* est *emittere*, quod metaphoricè parere significare potuit, ut apud Hebræos שלח schalahh, *misit* Job. XXII, 11.

Masculi omnes] Masculas victimas aliis prælatas diximus ad Cap. XII, vers. 5. Primogenitorum Ægyptiorum masculi sexûs liberos tantùm occiderat, quamvis hoc in superioribus non signetur, ut ex hoc loco colligere licet.

13. *Primogenitum omne asini*] Quia non licebat asinum Deo mactare, uti nec edere. Quamvis asinus solus hîc appelletur, intelligenda etiam sunt reliqua immunda animalia. Vide Num. XVIII.

Redimes] De hac redemtione, Num. XVIII, vers. 16.

14. *Cùm filius tuus*] Vide ad Cap. XII, 26.

15. *Pertinaciter se nos dimissurum negaret*] הקשה לשלחנו hikschah lschallehhenon, *indurare* (לבו animum suum) *ad nos dimittendos.*

Omnes masculos &c.] *Omne primogenitum vulvæ masculorum.*

16. *Quasi signum*] לאות *leoth*, aut instar signi. Vide quæ diximus ad vers. 9. Ritus paschales, & qui eodem pertinent, seu ex *transitu* Angelorum originem ducunt, voluit Deus esse admonitiones Ægyptiacæ liberationis, animo semper præsentes, ne umquam oblivioni mandaretur.

Frontale] Sic vertimus post alios, quia inter oculos nihil potest esse, præter frontale. LXX. Intt. verterunt *ἀσάλευτον immobile*, nescio quare. *Aquila* reddiderat *εἰς ἐπιπτά*, *in adpensa*, & Vulg. *quasi adpensum quid ob recordationem.* Fortè eæ Gentes, cùm meminisse cujuspiam rei cupiebant, nec satis memoriæ fidebant, ex cidari aliquid pendere ante oculos sibi patiebantur, aut manui vinciebant, ut eo conspecto commonefierent. Vox טוטפות *totaphoth* non malè deducitur à Chaldaïca radice טוף, aut Arabica טאף *tapha*, quæ *adspicere* significat; quia ejusmodi signa erant oculis, datâ operâ, exposita. טוטף *totaph* dici potuit, geminatis radicalibus, pro טפטף *tophtaph*, non raro enim radicalis eliditur, ut בבל *babel* pro בלבל *balbel*, & similia. Vide notata ad Genes. XI, 9. Apud Latinos, non absimili metaphorâ, *in fronte inscriptum* dicitur, quod unusquisque præ se fert ac palam profitetur. *Cicero* sub finem I. Catilinariæ: *Sit inscriptum in fronte uniuscujusque quid de Republica sentiat.*

XI. Iter Israëlitarum, per desertum, ad mare Erythræum, quod, postquàm incolumes trajecerunt, Ægyptios submergit.

17. CUM autem Pharaho populum dimisisset, non duxit eum Deus viâ terræ Philisthæorum, quamquam propior est; dicebat enim Deus, *cavendum* ne populus pœnitentiâ, cùm bellum *paratum* videret, duceretur, atque in Ægyptum rediret. 18. Itaque, viâ deserti maris algosi, eum circumduxit; ac *sic quidem* quintâ ætate Israëlitæ ex Ægypto adscenderunt. 19. Sumsit etiam secum Moses ossa Josephi, quia jurejurando Israëlitas adegerat dicens; vestri curam geret Deus, atque hinc ossa mea vobiscum ut adscendant facietis.
20. Succhothis profecti, in Ethamo, ad extremum desertum, castra posuerunt.
21. Jehova autem ante eos interdiu in columna nubis, ut dux viæ esset, noctu ve-

PARAPHRASIS.

17. POPULUS Hebræus, ut dicere cœperamus, non flexit iter, quod Deo duce ingressus erat, ad orientem, ut per Philisthæorum agros, breviore viâ, Chanahanitidem ingrederetur; cujus rei rationem sciscitanti Mosi respondit Deus, consultum non esse inermem populum, & bellicarum artium imperitum illico bello objicere; neque enim Philisthæos passuros tantam multitudinem, sine certamine, per agros suos transire; & Hebræos, potiùs quàm ferro viam sibi aperire decreturi essent, pœnitentiâ ductos in Ægyptum illico redituros. 18. Hac de causâ, Deus Hebræos ad mare Idumæum progredi jussit, ut per desertam Arabiam lentis itineribus in Chananææ meridianam plagam pervenirent. Atque hac quidem ratione, quintâ demum ætate, Hebræi Ægypto, in quam olim eorum Majores iverant, egressi sunt, ut pristinas sedes repeterent. 19. Josephi etiam cadaver, Ægyptiaco more conditum, auferri curavit Moses; quod is patriarcha olim populares sacramento adegisset, ut quando Chananæam repeterent, cadaver quoque suum eas in oras transferrent.

20. Succhothis Israëlitæ ad fines solitudinis Ethamicæ pervenerunt, 21. & Deus quidem, Angeli ministerio, præsentem se iis præbebat interdiu in columna nubis, quæ noctu ardere videbatur; ut noctes, diésque per vastas solitudines iter facere possent

COMMENTARIUS

In CAPUT XIII.

17. P*Hilisthæorum*] Vide ad Cap. XV, 14.
Quamquam] כי *chi*. Hoc particula illa significat Deut. XXIX, 18. Jos. XVII, 18.
Dicebat enim] Aut Mosi, quâ viâ incessurus esset quærenti hoc respondit, aut *cogitans*, non dicens inducitur. Prius magis arridet.
Cavendum] Vide Gen. III, 22.
Ne populus pœnitentiâ &c.] Moses ubique Deum inducit Israëlitas legibus regentem, nec prodigia edentem, nisi ubi humanâ ope fieri nihil poterat. Itaque non dicit Deum animum immissurum fuisse Israëlitis, aut ejus hostes Philisthæos, sine hominum opera, fusurum, quod potuisset.
18. *Deserti maris algosi*] Hoc est, deserti quod circa maris rubri intimum sinum porrigitur, & quod vocatur אתם *etham*, in sequentibus. Iverunt in Austrum, cùm in Orientem eundum fuisset, per Philisthæorum fines. De nomine *maris algosi* diximus ad Cap. X, 19.
Quinta ætate] Est Hebræa vox חמשים *hhamuschim*, quam πεμπτῇ γενεᾷ verterunt LXX. Intt. quos sequuti sumus. *Theodotion* idem voluisse videtur, voce fictâ, πεμπταΐζοντες. Sanè שלשים *schilleschim* tertiæ ætatis, רבעים *ribbehim* quartæ homines significat, nec quidquam obstat quominùs חמשים *hhimmeschim*, aut *hhamuschim* quintæ ætatis posteros sonet. Prima ætas fuit Jacobi, secunda Levis, tertia Kehathi, quarta Amrami, quinta Mosis; aut si Jacobum omittas, ultima erit Gersomi Mosis filii. Neque hoc pugnat cum promissione Dei quæ exstat Gen. XV, 16. quia alia potest fieri ætatum supputatio, quam ad eum locum tradidimus. Rectè *Augustinus*. Quæst. L. *Has dicit progenies Latinus Interpres, quas Græci γενεὰς vocant; quæ in Evangelio generationes adpellantur, nec numerantur nisi per successiones hominum, non per numerum annorum. Aquila* verterat ἐνοπλισάμενοι, quem sequutus *Hieronymus* habet *armati*; sed non videntur arma habuisse Israëlitæ, neque enim Ægyptii, quibus erant formidolosi, passi hoc essent. Alii *ordine instructos* reddunt, sed tanta multitudo, non militum, sed mulierum & puerorum, alium ordinem servasse non videtur, nisi quòd consanguinei & adfines unà incedebant. Alii *accinctos*, ut εὔζωνοι verterunt οἱ LXX. Jos. I, 14. nec ea interpretatio displicet eo in loco; sed hîc quomodo *expediti* esse potuerunt homines sarcinis onusti & familiam trahentes?
19. *Jurejurando Israëlitas* &c.] Vide ad Gen. L, 24, 25.
20. *Ad extremum desertum*] *In extremitate deserti*, nempe, quà Ægyptum adtingit.
21. *Columna nubis*] Hoc est, nubi, quæ instar columnæ erat, aderat Angelus, qui eam promovebat interdiu & noctu. Vid. Num. XX, 16.

In CAPUT XIV.

2. *Revertantur*] Fortasse magis ad Austrum processerant, quàm necesse erat, ad circumeundum

verò in columna ignea ibat, ut illis illuceret, interdiúque & noctu iter facerent. 22. De die columna nubis, de nocte columna ignea à conspectu populi non abscedebat.

1. Alloquutus est autem Jehova Mosem his verbis: 2. Alloquere Israëlitas, revertantur & castra ponant è regione Phihachirotharum, inter Migdolum & mare, ex adverso Bahaltsephonis; in opposita parte, ad mare castrametamini. 3. Tum dicet Pharaho de Israëlitis: implicati sunt in regione, & deserto clausi. 4. Animum verò ejus obfirmabo, eos sequetur; ac gloriam ex Pharahone omnibúsque ejus copiis nanciscar, & me Jehovam esse intelligent Ægyptii. Sic ergo fecerunt *Israëlitæ*. Caput XIV.

5. Nunciatum est interea Regi Ægypti populum fugere, ipsiúsque & servorum animi erga populum mutati sunt, ac dixerunt: quare hoc commisimus, ut ex servitute Israëlem dimitteremus? 6. Itaque junxit currum, populúmque suum secum

possent Israëlitæ, sine aberrandi metu; 22. semper enim interdiu obscuriorem nubem, noctu verò splendentem ante castra videbant.

1. Cùm ita ad Austrum progressi essent Israëlitæ, ut ad sinistram haberent mare Idumæum, jussit eos Deus, per Mosem, reverti & castra ponere inter montes, quibus cinctus est extremus sinus, ac mare ipsum; 3. eo animo ut Regem Ægypti, speculantem itinera Hebræorum, eò alliceret; quippe qui hinc collecturus esset errore viarum in ea loca Israelitas venisse, & facili negotio, inter mare & montium fauces comprehensos, obsideri & ad deditionem redigi posse. 4. Significavit etiam Deus Mosi, usque adeò contumacem esse Pharahonis animum, ut sibi ipsi relictus sequuturus esset Israëlitas, ut eos faucibus montium & mari clausos suis conditionibus in Ægyptum reduceret; se verò tunc temporis, cum ingenti nominis sui fama, ultionem de eo sumturum. Itaque, jubente Deo, Israelitæ inter mare & montes, ad Septemtriones regressi, incedere cœperunt.

5. Interea à speculatoribus Regi Ægypti nunciatum est Israelitas non redire in Ægyptum, sed viam quærere, quâ, circumacto extremo mari Idumæo, in desertam Arabiam evaderent. Tum verò, ex amicorum consilio, retrahere ex fuga homines decrevit; inconsultò enim tantam multitudinem, per tot retrò annos Ægypti Regibus parentem, Regno esse dimissam existimarunt, nec parum vires Regni imminutas. 6. 7. Itaque quàm pri-

dum sinum Arabicum; ideoque ad lævam ita erat deflectendum, ut ferè ad Septemtrionem redirent.

E regione] לפני *liphne*, ad faciem.

Phihachiroth] פי החירות verterunt οἱ LXX. τ̃ ἐπαύλεως *villæ*, vel *pagi*. Fortè intelliguntur fauces montium, quibus ab occasu cinctus est sinus Arabicus. Certè פה *phe* foramen significat Ezek. XXI, 27. & apud Arabas חור *hhauroa* dicitur depressior terra inter duos montes. Num. XXXIII, 8. hic locus vocatur החירות, omisso פי. *Josephus* locorum peritus Lib. II. c. 6. τάς τε ὁδοὺς ἀπεφράγνυσαν αἷς φεύξεσθαι τοὺς Ἑβραίους ὑπελάμβανον, μεταξὺ κρημνῶν αὐτοὺς ἀπροσβάτων καὶ τ̃ θαλάττης ἀπολαμβάνοντες· τελευτᾷ γὰρ εἰς αὐτὴν ὄρος ὑπὸ τραχύτητος ὁδῶν ἄπορον: *vias omnes intercluserant, quibus effugere posse Hebræos existimarant, inter præcipitia invia & mare eos deprehendentes. Mons enim asperitate viæ impervius in mare desinit.* Postea addit, ne inter mare & montem transirent Hebræi, Ægyptios στρατοπέδῳ κτ̀ στόμα τοῦτο ἱδρύσασθαι, *castra ad id ostium posuisse*, ubi στόμα videtur esse quod est hîc פי phi, *os*. Vide & *Pet. Belonium* Observ. Lib. II. c. VIII.

Migdolum] A Græcis vocabatur *Magdolus*. Vide not. ad Genes. Cap. X, 14.

Bahaltsephonis] Est nomen urbis, cujus etiam meminit Moses Num. XXXVIII, vers. 7. *Ezekielus* Tragœdus nuncium Ægyptium inducit dicentem, inter alia:

Βεελζεφὼν τις κλῄζεται πόλις βροτοῖς. *Quædam urbs hominibus vocatur Beelzephon.* Rabbini nescio quæ de Idolo narrant, sed eorum somnia non moramur.

3. *Implicati sunt*] נבוכים *nbouchim*, quod οἱ LXX. πλανῶνται *errant* Vulg. *arctati sunt*. Nempe, ita castra posuerant, ut undique clausi essent, nec scirent, nisi Deus adfuisset, quam in partem essent profecturi.

Deserto clausi] *Clausit super eos desertum.* Ex hisce liquet Deum primas stationes Israëlitarum iis indicasse, ut Pharaho tentatus eorum morâ consilium iniret sequendorum.

4. *Gloriam ex Pharahone*] *Glorificabor in Pharahone* &c.

Me Jehovam esse] Me præstare quod promisi, & cùm pollicitus sim me defensurum Israëlitas, me iis non deesse. Vide not. ad Cap. VI, 3.

5. *Populum fugere*] Non cogitare de reditu, sed circumire sinum Arabicum, ut Arabiam ingressus æternùm Ægypto valediceret. Speraverat Pharaho, festo celebrato, redituros Israëlitas.

Ex servitute] *A serviendo nobis.*

7. *Duxit sexcentos currus*] *Et cepit.* Quærunt unde satis equorum suppetere potuerit Pharahoni, cùm Cap. IX, 6. dicantur pecudes Ægyptiorum interiisse. Sed excipiendæ sunt eæ, quæ in stabula coactæ fuerant, in quibus maxima pars equorum esse potuit. Antiquis temporibus, & serius etiam, inter Orientales, magnus curruum usus fuit in bello; quod constat pluribus Scripturæ locis. Ægyptus autem summopere abundabat equis, ut liquet ex 1. Reg. X, 28. 2. Paral. XIII, 3. Artem equitandi nonnulli ab Ægyptiis inventam propterea scripserunt, qua de re plurima congessit ex Veteribus *Joan. Marshamus* ad Sæc XIV. & XV. rerum Ægyptiacarum. Quales autem essent hi currus, & quanta equorum copia indigerent, docet *Xenophon* de Inst. Cyri Lib. VI. p. 152. Ed. Æmil. Porti. Τριπλῆν διφρείαν ποιήσας ὕπαι, καὶ

cum sumsit. 7. Duxit sexcentos currus electos, omnes *alios* Ægypti currus, & duces omnibus præfectos. 8. Obstinarat Jehova animum Pharahonis Regis Ægypti, ísque sequutus est Israëlitas, qui elatâ manu erant egressi. 9. Sequuti ergo eos Ægyptii, castra ad mare ponentes, adepti sunt. Omnes equi, currus Pharahonis, equitésque ejus & copiæ, ad Phihachirothas, è regione Bahaltsephonis *consederunt*.

10. Cùm Pharaho admovisset *exercitum*, tum Israëlitæ oculos *illuc* conjecerunt; ecce verò Ægyptum post eos profectam, *quo factum* ut summopere timuerint, clamoréque Jehovam invocarint. 11. At Mosi, an quia, inquiunt, nulla erant in Ægypto sepulcra, nos, ut in deserto moreremur, adduxisti? quare hoc in nos admisisti, ut nos Ægypto educeres? 12. Annon hoc ipsum est, quod tibi in Ægypto dicebamus: desine nobis *molestus esse*, serviemus Ægyptiis; nobis enim præstat Ægyptiis servire, quàm interire in deserto? 13. Moses verò populo, ne timeatis, inquit, quiescite & videte salutem, quam Jehova vobis hodie adferet; nam quos hodie vidistis Ægyptios, eos non ampliùs in æternum videbitis. 14. Jehova pugnabit pro vobis, dum vos quiescetis.

15. Tum

primùm quidquid potuit reperiri curruum & equitum citato agmine duxit; & quidem præter sexcentos currus regios, plurimi alii erant & ingens equitatus, quibus se Israelitas inermes oppressurum sperabat. 8. Hoc ergo exercitu fretus contumaci animo sequutus est Israëlitas, quos sibi invito à Mose ereptos graviter ferebat; 9. & hos quidem ad mare castra ponentes est adeptus, omnibúsque copiis fauces montium obsidere cœpit, ne quà elaberentur.

10. Cùm Hebræi viderunt castra Ægyptiorum suis conferri, tum verò summo metu perculsi, Dei auxilium magnâ voce implorare; 11. dein etiam Mosem increpare, quasi populares in desertum malo animo, ut illic perirent, eduxisset; omniúmque editorum prodigiorum immemores, dictitare nullam causam fuisse, cur populo Hebræo migrandi Ægypto auctor esset; 12. hoc ipsum futurum, cùm etiamnum in Ægypto viverent, se intellexisse; & jam tum dixisse inane esse quod moliretur, ac præstare sibi in durissima servitute ætatem agere, quam fame in solitudinibus Arabiæ perire. 13. Moses verò blandis alloquiis homines placare, orare ne metuerent, dicere Deum, quem sibi faventem tot argumentis cognovissent, brevi adfore, & Ægyptios omnes quos videbant occisurum. 14. Itaque quiescerent, & Deum pro se pugnantem securi spectarent.

15. Postea ipse animi quoque anxius promissam sibi à Deo opem, fervidis precibus efflagitare cœpit. 16. Responsum verò à Deo tulit, si modò fluctus Idumæi maris mirificâ illâ suâ virgâ percuteret, aquas discessuras & siccam viam Israelitis præbituras; 17. Ægyptios verò, eâ quâ erant pervicaciâ, non animadversuros præter naturam id esse factum, & audacter maris alveum post Israelitas

καὶ τὴν Κυρηναίων ἔτι νῦν οὖσαν ἁρματηλασίαν κατέλυσε (nempe Κῦρος) τὸ γὰρ πρόσθεν χρόνον καὶ οἱ ἐν τῇ Μηδίᾳ καὶ Συρίᾳ, καὶ Ἀραβίᾳ καὶ πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τοῖς ἅρμασιν οὕτως ἐχρῶντο, ὥσπερ νῦν οἱ Κυρηναῖοι: *Trojanam rationem curruum, quæ antea in usu erat, & Cyrenaïcam agitationem sustulit Cyrus; antea enim qui erant in Media, & Syria, & Arabia, & omnes qui erant in Asia curribus utebantur, ut nunc Cyrenæi.* Deinde Cyrenaïcam illam curruum instruendorum rationem describit his verbis: ἅρματα τριακόσια τοὺς μαχομένους παρέχεται τριακοσίους, ἵπποις δ' οὗτοι χρῶνται διακοσίοις καὶ χιλίοις· ἡνίοχοι δ' αὐτοῖς εἰσὶ μὲν, ὡς εἰκὸς, οἷς μάλιστα πιστεύουσιν οἱ βέλτιστοι, ἄλλοι δὲ εἰς τριακοσίους: *trecenti currus pugnantes suppeditant trecentos, & mille ducentis equis utuntur. Sunt iis aurigæ, ut par est, si quibus maximè proceres confidunt, & quidem ad trecentos alios homines.* Si ita instructi erant sexcenti Pharahonis currus, bis mille quadringentos equos in iis habuit, ut jam ceteros currus, quorum numerus non additur, & equitatum omittam.

Electos] Regios, nempe, quos ad belli subita paratos habebat. Alii, qui postea memorantur, videntur privatorum fuisse.

Omnibus præfectos] *Super eum omnem*, nam רכב *recheb*, currus est dumtaxat singularis numeri, si unum locum excipias Cant. I, 9.

8. *Elatâ manu*] Hoc est, vi, & metu domitis Ægyptiis, Num. XXXIII, 3. Sic peccatum *elatâ manu commissum* Num. XV, 30. est audacter & licèt aliis revocantibus delictum quid. *Onkelos* habet: בריש גלי *capite aperto*, sensu paullùm diverso, videtur enim *palam* eâ phrasi significari. Hîc autem dicuntur Ægypto exiisse Israëlitæ *elatâ manu*, quia, nisi dimissi fuissent, jam, ut ita dicam, sustulerat Deus manum, Ægyptios undecimâ plagâ percussurus. Metaphora est ab iis petita, qui plagis ab alio quidpiam impetrant, & nisi concedat, denuò ferire parati sunt. Infrà vers. 16. *adtollere* virgam in mare jubetur Moses, id est, id percutere. Sic apud Græcos χεῖρας ἀνασχεῖν dicuntur percussuri, & χεῖρας ἀνταίρειν *manus contra tollere*, qui vi resistunt. Se invicem percussuri *Dares & Entellus*, apud *Virgilium*:

Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiáque ad superas interritus EXTULIT *auras.*

Paullò pòst:

Ostendit dextram insurgens Entellus, & altè EXTULIT.

Hebræi quoque de rebelli aiunt eum *tollere manum in Regem* 2 Sam. XX, 21. Hîc *elatâ manu* egressi dicuntur Israëlitæ, quod ab invito Pharahone & malè mulctato essent dimissi, qui sensus orationis seriei convenientissimus est. Ideò enim eos sequutus est Ægyptiorum Rex, quia

iam

15. Tum Mosi Jehova, quid me clamore imploras? dic Israëlitis proficiscantur. 16. Tu verò adtolle virgam tuam, manúmque extende in mare, & id findito, ut medium mare, per siccam *humum*, ingrediantur Israëlitæ. 17. Interim ego Ægyptiorum animos obfirmabo, post eos *mare* ingredientur, gloriámque ex Pharahone, omnibus ejus copiis, curribus & equitibus consequar. 18. Ægyptii Jehovam me esse intelligent, cùm gloriam ex Pharahone, curribúsque ejus & equitibus mihi peperero.

19. *His dictis*, Angelus, qui castris Israëlis præibat, profectus abiit post eos; & columna nubis, quæ ante Israëlitas fuerat, mutato loco ab eorum tergo stetit, 20. atque inter castra Ægxptiorum & castra Israëlis ivit. Fuit autem *simul* nubes & obscuritas, ac *lumen quod* noctem illustravit; neque per totam noctem ad alios alii accesserunt.

21. Extendit postea Moses manum, effecitque Jehova ut recederet mare, vento per totam eam noctem vehemente, maréque exsiccavit, & aquæ sunt fissæ. 22. Ingressi ergo sunt Israëlitæ medium mare, per siccam *humum*, aquæ verò murus iis à dextra &·à sinistra *erant*; 23. sequuti Ægyptii, & post eos medium mare ingressi sunt equi Pha-

litas ingressuros; quo in loco eas sibi daturos esse pœnas currus & equites Ægyptios, quæ famam suam per orbem terrarum longè, latéque sparsuræ essent; 18. ac tum demum contumacem gentem irritas numquam esse Dei Israëlitarum promissiones, aut minas sensuram,

19. Hæc ubi dicta dedisset Angelus, cujus organo loquebatur Deus, & qui Dei oomine Israëlitis præerat; columnam oubis, quæ in fronte castrorum, ad eam partem, in quam erat iter faciendum, suspensa hærere solebat, circumegit, 20. atque inter Ægyptiaca & Israelitica castra collocavit. Quà parte Ægyptiis obversa erat, obscura & tenebricosa fuit; cootrà verò illustris & splendida, quà Israëlitas despiciebat. Eâ autem nocte, nihil contra Israëlitas tentaruot Ægyptii, quamquam vicini, quòd eos sibi noo posse elabi existimarent.

21. At postquàm Moses Idumæi maris fluctus percussisset, ecce verò ventus vehementissimus, à Septemtrionibus spirans, undas in Austrum tantâ vi egessit, ut siccus è regione Israëlitarum pateret maris alveus, exceptis profundioribus lacunis, in intimo sinûs Erythræi recesso, ita ut fissa videretur maris aqua. 22. Quo prodigio conspecto, illico Israëlitæ novam, quæ sibi à Deo aperiebatur, jubente Mose, viam ingressi sunt, & ad ulterius littus sicco pede celeriter pervenerunt; dum hinc atque inde aqua, quominus agminis latera invadere possent Ægyptii, obstaret. 23. Hebræos fugere paullò pòst senserunt Ægyptiorum vigiles, monitúsque Rex existimavit, vento æstum adjuvante, mare ulteriùs quàm soleret recessisse, & Israëlitas occasione usos, per oudatum undis alveum elabi. Itaque sibi quoque celeriter eamdem occasionem rapiendam ratus, antequàm æstus rediret;

ὅταν ἀπονοῖ γε θυμῷ eos dimiserat. Aureornm etiam argenteorúmqne vasorum, & pretiosæ vestis desiderium Ægyptios, nt Regem sequerentur, commovit.

9. *Omnes equi*] Hoc est, tam currus trahentes, qoàm siogulares; qoæ dnæ equitatûs species sequentibus verbis memoraotur. Additamentum וחילו *vehhelo*, & copiæ ejus, inutile est ad sensum, sed ita soleot Hebræi.

10. *Admovit exercitum*] Est tantùm הקריב *hikrib*, sed subaudiri videtur חילו hhelo, *copias suas*, quod legitur in antecedente versu.

Oculos conjecerunt] *Sustulerunt oculos.*

Ut summopere timuerint] *Et timuerunt.*

11. *An quia nulla* &c.] Satis fuit sepulcrorum in Ægypto, si nos interire oportnit; nec necesse erat propterea hoc venire. Est vehemens exprobatio.

13. *Salutem quam Jehova vobis hodie adferet*] *Salutem Jehovæ quam faciet.*

14. *Quiescetis*] תחרישון thahharischonn *tacebitis*. Sed & *quiescere* significat Ps. L, 3. LXXXIII, vers. 2.

15. *Clamore imploras*] *Clamas ad me.*

16. *Id findito*] Hoc est, percute mare & videbis id findi; qnod percussionis vi nemo factum dixerit. Sed ut dicuntur Prophetæ ea facere portenta, qnæ Deus iis orantibus edit: ita percussioni triboitur fissio aqnæ, quia percutiente Mose Deus aqnam divisit. Vide vers. 21.

17. *Interim ego*] *Et ego ecce me confirmantem.*

Gloriam ex Pharahone] *Glorificabor in Pharahone* &c.

19. *Angelus qui castris Israëlis* &c.] Vide not. ad Exod. XII. 23.

Mutato loco] *Et profecta est columna nubis à facie eorum.*

Lumen quod] Hæc verba supplevimns, nt posset servari Latina constroctio. Qois enim tulisset *& fuit nubes & obscuritas & illustravit*? ויהי הענן והחשך ויאר, si pro *vehahhoschech* legeremos cum Samaritico, omisso ו, החשך, planior esset Hebraica constructio: *& fuit nubes tenebræ & illuxit nocti*, nec opus esset quidqnam supplere Latinè vertenti. Sed hæc ipsa Lectio nostra hodieroa dndum LXX. Intt. impediit, qui habent: *ἐγένετο σκότος καὶ γνόφος καὶ διῆλθεν ἡ νύξ*, *& factæ sunt tenebræ & caligo & venit nox.* Meliùs Vulgatus: *& erat nubes tenebrosa & illuminans noctem*, post *Aquilam* qoi habebat, *ἐγένετο ἡ νεφέλη σκότος, καὶ ἐφώτιζε τὴν νύκτα.* Qood ita interpretatur Onkelos: והוה ענגא וקבלא למצראי ולישראל נהר: *& fuit nubes & obscuritas Ægyptiis, Israëlitis verò lux.* Similiter *Symmachus*: *καὶ ἦν ἡ νεφέλη σκότος μὲν ἐκεῖθεν, φαίνουσα δὲ ἐντεῦθεν*: *erat nubes inde quidem tenebræ, hinc verò splendens.* Nimirum, quà Israëlitarum castra spectabat splendida erat, iisque illncebat, at è regione Ægyptiorum erat caliginosa.

21. *Fecitque Jehova ut recederet mare.*] Hæc omnia

Pharahonis, currus ejus & equites. 24. Sed vigiliâ matutinâ, respexit Jehovâ, è columna ignis & nubis, Ægyptiorum castra, eáque conturbavit. 25. Amovit rotas curruum eorum, & lentè eos ducebat; *quo animadverso*, Ægyptii, fugiamus, inquiunt, Israëlitas, nam pro illis contra Ægyptum pugnat Jehova. 26. At Jehova Mosi, extende, inquit, manum tuam in mare; atque in Ægyptios, currúsque eorum & equites aquæ redibunt. 27. Extendit Moses manum in mare, & primo diluculo ad suam vehementiam rediit. Ægyptii quidem ante id fugiebant, sed eos Jehova in medium mare excussit. 28. *Sic* aquæ reversæ texerunt currus & equites totius exercitûs Pharahonis, qui mare post Israëlitas ingressi erant, neque eorum vel unus fuit *cladi* superstes.

29. At Israëlitæ siccâ *viâ*, per mare medium, iverunt, & aquæ à dextra & sinistra murus iis *fuerunt*. 30. Eo die Israëlem, è manu Ægyptiorum liberavit Jehova, viditque Israël, ad littus maris, Ægyptiorum cadavera, 31. & magnum facinus, quod in eos edidit Jehova. Tum timuit Jehovam populus, eíque & servo ejus Mosi credidit.

XII. Can-

ret, in alveum maris, quà præiverant Israëlitæ, cum curribus & equitatu, descendit. 24. Cùm magnâ festinatione in ulterius littus evadere niterentur Ægyptii, Angelus, qui nubi aderat, eos divinâ ope sub matutinum tempus, remoratus est. 25. Vix poterant currus per loca lutulenta, aut arenosa, aut arbustis vel petris obsita progredi; & ipsâ trepidantium nimiâ festinatione, per inæqualia loca, evertebantur, & rotæ frangebantur; quo fiebat ut, impeditâ ab antesignanis viâ, sequentes procedere non possent. Simul sonitus fluctuum, à Meridie in Septemtriones redeuntium, exaudiebatur; quibus rebus intellexerunt Ægyptii Deum Hebræorum præsens auxilium cultoribus suis contra ipsos tulisse. Itaque, converso agmine, in Ægyptium littus redire quàm celerrimè exercitum jussit Rex Ægypti; 26. sed interea Mosem jusserat Deus maris fluctus percutere, rediturósque in pristinum locum dixerat; 27. simul paruerat Moses, & cadente vento, redire cœperant fluctus in alveum nudatum, tantâ vehementiâ, & celeritate, ut frustra fugere conati sint Ægyptii. 28. Mare ergo currus & equites omnes hausit, ut ne unus quidem eorum, qui mare ingressi fuerant, ad littus evaserit.

29. Israëlitæ verò sicco pede per medium mare transierant, incoluméśque omnes in Arabiam desertam pervenerant; cùm eorum latera ab Ægyptiorum impetu, hinc atque illinc, defenderet mare. 30. Sic Ægyptiorum ultioni erepti à Deo sunt Hebræi, & ortâ luce hostium cadavera in mari fluitantia viderunt, quæ ad littus delata armis vestibúsque spoliarunt. 31. Tum seriò Deum liberatorem suum revereri cœperunt Israëlitæ, ejusque & Mosis promissis fidem magis quàm antea habuerunt.

P A-

omnia singillatim exposuimus, in singulari Diatriba *de Trajectione maris Rubri*, ad calcem hujus voluminis addita.

Vehemente] קדים *kadim* quod propriè quidem *orientalem* sonat, sed fuit hîc vehemens septemtrio, ut in Diatriba laudata ostendimus.

24. *Respexit Jehova*] Hoc est, per Angelum, de quo vers. 19.

Eáque conturbavit] *Et conturbavit castra Ægyptiorum.*

25. *Ægyptii fugiamus, inquiunt*] *Dixit Ægyptus, fugiam.*

27. *Primo diluculo*] *Cùm respiceret mane.*

Ad suam vehementiam] Ad vim solitam.

Ante id] לקראתו *likratho*, in occursum ejus, hoc est, ne ei occurrerent, quasi esset מקראתו *mikkratho*.

28. *Aquæ reversæ texerunt*] *Et aquæ redierunt, & texerunt.*

Post Israëlitas] *Post eos.*

Neque eorum vel unus] *Non superstes fuit in illis ad unum.*

30. *Ægyptiorum cadavera*] מצרים מת mitsrajim meth, *Ægyptum mortuam.* Mira constructio *ἀντὶ* τ͂ מצרים מתים mitsrim methim, *Ægyptios mortuos*; aut saltem ארץ מצרים מתה erets mitsrajim metha, *terram Ægyptiorum mortuam*; aut איש מצרי מת isch mitsri meth, *quemque Ægyptium mortuum.*

31. *Et magnum*] Repetitur hîc *& vidit Israël*, quod Latinè necesse non est, imò verò molestum.

Facinus] היד hajjad, *manum.* Hîc causa pro effectu sumitur, ut Ps. CIX, 27. *Intelligent hoc esse manum tuam*, hoc est, manûs tuæ, vel potentiæ tuæ opus; sed ut verbis *Onkelosi* utar, יה גבורת ידא *potentium manûs ejus magnæ.* Alii עשה hascha *fecit*, interpretantur *exercuit* & יד *potentium.*

Eique & servo ejus Mosi credidit] *Et crediderunt Jehovæ* &c. Hoc est, promissis Dei majorem quàm antea fidem habuerunt, nec in dubium revocarunt quin Dei fidus interpres esset Moses. Quod tamen sequentia murmura ostendunt, neque de omnibus prorsus, neque de plena & constanti fide, quæ πληροφορία dicitur, intelligi oportere. Similis occurrit phrasis 1. Sam. XII, 18. 2. Par. XX, 20. Non conjunguntur propterea Deo Prophetæ, quasi pares; sed distinguitur fides Deo præbita, à fide quam Prophetæ non negant audientes. Quamvis enim Prophetæ verbis credere nequeamus, quin Deo credamus; potest fieri ut fides, quæ Deo habetur, Prophetæ negetur, ea dumtaxat de ratione quòd mandata à Deo eum accepisse obscurum sit, etiam iis qui de potentia Dei non dubitant. Propterea videtur *Onkelos* sic interpretatus: *& crediderunt verbo Jehovæ* ובנבואת *& prophetiæ Mosis*; intellexerunt pleniùs quàm antea non modò & potentem & veracem esse Deum Israëlis, sed etiam verè ab eo Mosem missum esse. Anteriora miracula nonnullis in rebus mirabiliora erant, quàm hoc; sed ultimum pluris faciebant Israëlitæ, quòd magis sibi fuisset necessarium, & se ab imminente periculo liberasset.

C O M-

XII. *Canticum Israëlitarum ad mare Erythræum; post submersos Ægyptios.*

1. TUNC temporis Moses & Israëlitæ hoc canticum Jehovæ cecinere, & dixe- CAPUT XV.
re:
JEHOVÆ, quoniam altè se se exstulit, equúmque & sessorem in mare de-
jecit, canam. 2. Vis mea & canticum *meum* est Ja, qui fuit mihi saluti. Hic Deus
meus est, idcirco laudibus eum decorabo; Deus est patris mei, ideóque eam extol-
lam. 3. Jehova *est* bellator; nomen ei *est* Jehova. 4. Currus Pharahonis, ejúsque co-
pias in mare dejecit; delectus ducum ejus in algoso mari demersus est. 5. Eos texe-
runt abyssi, & lapidis instar in fundum descenderunt. 6. Dextra tua, ô Jehova, ma-
gnam se præstitit; robore dextræ tuæ, ô Jehova, hostem fregisti. 7. Magnâ tuâ celsi-
tate insurgentes in te perdidisti, iram tuam immisisti *in eos*, quæ eos stipulæ instar ab-
sumsit. 8. Vento narium tuarum coacervatæ sunt aquæ, steterunt fluenta quasi *grano-
rum*

PARAPHRASIS.

1. IN memoriam hujusce liberationis, Hymnum
Hebræis versibus conscripsit Moses, quem po-
pulus Deo liberatori, magno cum gaudio cecinit,
& cujus hæc erat sententia. Laudes Dei Israëlis
canam, eique gratias hoc carmine agam, postquàm
quantò sit superior omnibus humanis viribus osten-
dit; cùm equos & equites Ægyptios mari Idu-
mæo submersit, & omni metu me liberavit. 2. Non
meis viribus hostem superavi, totum hoc debeo ser-
vatori Deo, quem carmine celebro. Ejus Numen
constanter mihi favit, & dignum est, cujus lau-
des gratus canam; favit & Majoribus meis, ac
propterea etiam par est ut id extollam. 3. Pugnat
pro suis cultoribus Deus Israëlis, ostenditque re
ipsâ se perficere quod pollicitus est, nec frustra
eo nomine, quo id significatur, adpellari. 4. E-
quitatum & currus Ægyptiorum Regis præcipites
in mare egit, delectósque duces submersit. 5. Fun-
dum petierunt lapidum instar, irritâ omni arte
natandi, & sinûs Erythræi fluctibus absorpti sunt.
6. Quanta sit potentia tua, ô Deus, quâ adtritæ
sunt vires formidolosissimi hostis, hoc in negotio
ostendisti. 7. Viderunt Ægyptii, qui imperia tua
detrectare ausi sunt, quantò superior iis sis; ul-
trice justitiâ, ut flamma stipulas solet, eos absum-
sisti. 8. Vento, quasi narium flatu, Oceani fluctus
in

COMMENTARIUS

In Caput XV.

1. TUnc temporis] אז *az*, quâ particulâ vult *Aben-Ezra* futurum, quale hîc sequitur (ישיר jaschir *canet*) in præteritum mutari; quod & in lingua Ismaelitica, id est, Arabica fieri contendit. Verùm etiamsi negari nequit quin futura hanc particulam sequentia interdum, ut hoc in loco, præterito sensu oporteat exponi; nescio an satis certum sit hoc vi particulæ, non Hebræorum tempora confundentium consuetudini, deberi. Certè exemplis ostendit *J. Coccejus*, in Lexico, Futura aliquando post hanc particulam ὡς ἐπὶ τῶν μελλόντων oportere intelligi. Vide Jos. I, 8. Ps. II, 5. Prov. II, 5, 9. Apud Arabas etiam אז ads futuro vim suam relinquere exemplo demonstravit *Jac. Golius*.

Moses & Israëlitæ] Hoc est, Israëlitæ, præeunte Mose. Moses hîc turbæ Israëliticæ numero eximitur, propter τὸ ἐξαίρετον Prophetæ. Ita 2. Sam. II, 30. *Servi Davidis & Hazaël*, qui Hazaël inter eos habebatur; sed cùm frater esset Joabi, ceteris insignior erat. 1. Reg. XI, 1. dicitur Salomo *amasse peregrinas mulieres multas, & filiam Pharahonis*, quæ peregrinarum erat nobilissima. Vide Marc. XVI, 6. Act. I, 4. V, 29. Similia apud optimos scriptores Ethnicos occurrunt, quæ sunt à Grammaticis observata. Passim Græci utebantur hac exclamatione: ὦ Ζεῦ καὶ Θεοὶ, quæ occurrit in primo *Aristophanei Pluti* versiculo, ad quem Scholiastes: τὸν Δία παρέλαβε κατ' ἐξοχὴν τῶν ἄλλων θεῶν, ὡς τὸ, Ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα νηυσὶ πέλασσε· κἀκεῖ τὸν Ἕκτορα ὀνομάζων, κατ' ἐξοχὴν παρείληφε. *Jovem protulit, quòd præ ceteris Diis excellat, ut illud*, Jupiter deinde Trojanos & Hectorem navibus admovit; *& illic Hectorem nominans Homerus, ob excellentiam eum adpellavit.* Similiter & Latini loquuntur. *Petronius* initio: *Pindarus & novem Lyrici*, è quorum tamen numero Pindarus. *Livius* Lib. III. c. 25. *Virginius maximè & Tribuni*, inter quos erat ipse Virginius. Ad quem locum vide *J. F. Gronovium*, ne plura exempla colligere necesse habeamus. Promiscuè autem τὰ ἄτομα, ut cum Philosophis loquar, τῷ εἴδει ἢ γένει subjiciuntur, aut præfiguntur, ut ex allatis exemplis satis liquet.

Et dixere] *Et dixere dicendo.*

Altè se se extulit] *Excellendo se se extulit* גאה גאה *gaoh gaah*; quod verbum propriè de rebus corporeis, quæ sese extollunt, ut de plantis, & aquis crescentibus, usurpatur; deinde ad animum translatum ejus *elationem*, in bonam & sequiorem partem, significat. Hîc elationem, quæ ex egregio facinore nascitur, videtur significare; unde LXX. Intt. ἐνδόξως δεδόξασται, & Vulg. *gloriosè magnificatus est.*

2. *Vis mea*] Hoc est, vis quâ hostes mei, sine opera mea, deleti sunt. LXX. Intt. βοηθός μου *auxiliator meus*, nimis dilutè.

Canticum meum] וזמרת. Seu hîc status constructus pro absoluto sit, seu propter sequens vocabulum יה jah exciderit ' & priùs scriptum

fue-

rum acervus; in medio mari, coagulatæ sunt abyssi. 9. Dixerat hostis: sequar, adi-
piscar, dividam spolia, iis explebitur animus meus, stringam gladium, ad pauperta-
tem rediget eos manus mea. 10. At vento tuo flavisti, texit eos mare, fundum pe-
tierunt, ut plumbum, in profundas aquas. 11. Quis similis tui est, inter Deos, ô Jo-
hova?

in acervum sustulisti, & stare coëgisti, quasi con-
creta fuisset frigore aqua. 9. Usque adeo facilem
de nobis victoriam sibi pollicebatur hostis, ut se-
qui non dubitaret, & jam de dividenda præda,
antequàm adipisceretur, cogitaret. Alios capite
plectere, alios omnibus facultatibus spoliatos ser-
vorum instar habere decreverat. 10. Verùm dum
talia insaniens animo agitaret, mutato vento, fluctus
in Septemtriones redire tantâ celeritate, ut Æ-
gyptios omnes texerint, & submerserint. 11. Quis
alius Deus tibi, ô Deus Israelis, ulla in re conferri
queat? Quis ad sanctitatem tuam accedit, quis tot
com-

fuerit זמרתי *zimrathi*, ut & duobus aliis in locis, in quibus hæc ipsa phrasis occurrit, Ps. CXVIII, 13. & Esai. XII, 2. satis constat verti debere *canticum meum*, hoc est, cantici mei argumentum. Onkelos propterea habet cum adfixo תושבחתי *cantio mea*, & Vulg. *laus mea.* Sic Hag. II, 8. חמדת hhemdath *desiderium omnium gentium* dicitur quem omnes gentes exoptant.

Ja] יה *jah.* Voluit nonnemo, ubicumque hæc vocula occurrit, legendum esse יהוה; prius enim scripturæ tantùm esse compendium, ad significandum posterius. Quæ conjectura cùm per se absurda non sit, non sine certis rationibus admittenda. Certè יה vix ex ulla alia radice deduci posse videtur, quàm ex היה aut הוה *fuit.* Sed cùm hæc vox occurrat juncta voci יהוה plenè scriptæ, eámque antecedenti & consequenti, vix credibile est esse hîc, ut loquuntur, *adbreviaturam.* Librarii enim semel expresso nomine pleniùs, initio orationis, id ubique postea contraxissent. Vide Ps. CXVIII. & CL. Quin & conjunguntur ea duo nomina Esai. XXVI, vers. 4. Vox etiam composita הללויה *halelujah*, quæ exstat Ps. CL. & Apoc. IX, 1, 3, 4, 6. nomen esse diversum suadet. LXX. tamen Intt. solent יה vertere κύριον, perinde ac Jehova, quòd fortè nollent, quadam superstitione præpediti, id suis literis ΙΑ aut ΙΩ proferre; fortè alia de causâ, nobis ignota. *Theodotio* aliquando Τὸ ὄν, *quod est*, verterat. Videtur reverâ, ut plerique etiam censent Hebræi, compendium esse nominis τετραγραμμάτου, quod in usu esset, non ad compendia scripturæ, sed in prolatione etiam quotidiana.

Idcirco laudibus eum decorabo] ואנוהו *veanvehou.* Οἱ LXX. δοξάσω, Vulg. *glorificabo*, quos multi Interpretes sequuti. Alii post *Onkelon*, *ædificabo ei Tabernaculum* aut *Tentorium.* Ex duplici significatione verbi נוה navah, *habitavit & decorus fuit*, eam quæ magis adrisit elegerunt. Nos posteriorem prætulimus, propter sequens verbum *extollam eum*, quod præcedenti, more Hebræo, ἰσοδυναμεῖ.

Patris mei] Patrius. Vide not. ad Genes. Cap. XXXI, 29 & 42.

3. *Bellator*] איש מלחמה *isch milhhamah*, hoc est, *vir belli*; non possent aliter Hebræi *bellatorem* dicere, ideóque phrasin, quamquam durè, etiam ubi de Numine sermo est, adhibent. Concoquere tamen hoc non potuit Criticus Samarita, qui habet hîc גבור במלחמה gibbor bmilhhamah, *potens in bello.* Simili de causâ οἱ LXX. συντρίβων πολέμους, *conterens bella*, ne fortè Ethnici, qui eam versionem legerent, existimarent Hebræos non aliter *Deum exercituum*, ut eum vocabant, sibi effinxisse animo, ac vulgò Poëtæ Martem describunt, seu instar hominis strenui & armati.

Nomen ejus est Jehova] Hoc est, id præstat, quod eo nomine significatur, nimirum, *facit ut sit* id quod pollicitus est. Vide not. ad Cap. VI, 3.

4. *Demersus est*] *Demersi sunt.* Vide ad Cap. XIV, 7.

Abyssi] Id est, aquæ. Vide not. ad Gen. I, 1.

Fundum] מצולות *mtsouloth* non tam *profunda*, quàm fundum sonat, Vide Ps. LXVIII, vers. 23. LXIX, 3. Zach. X, 11. Non magis petit lapis profunda, quàm minimè profunda, cùm ad perpendiculum cadat, sed nusquam nisi in fundo hæret. Hæc circumstantia fortè repetitur, quòd Ægyptii natandi peritissimi essent, nec tamen præ metu ullus eorum evaserit.

Magnâ tuâ celsitate] *Multitudine celsitatis tuæ.* Ut arx alta, quales quæ rupibus impositæ sunt, vires hostium adterit, si eam pertinaciùs oppugnent: ita qui eos quibus favet Deus, seu Deum ipsum, diutiùs æquo vexant ipsi sese conficiunt.

Iram tuam immisisti in eos] Quasi facem in siccam materiam. Elegantiùs hoc dicitur Hebraïcè quàm Latinè, cùm חרון *hharon* non minùs ardorem, quàm iram, significet.

8. *Vento narium tuarum*] ברוח אפך *brouahh apphecha.* Quasi Deus veluti respiratione, sive solo halitu maris undas ad ostium sinûs Erythræi fugasset; quâ loquutione & ad ventum quo pulsæ sunt eleganter adluditur, & rei facilitas describitur. Sic Eliphazus Themanita, apud Jobum Cap. IV, 9. de improbis: *animâ Dei peribunt*, *spiritu narium ejus* (ברוח אפו brouahh appho) *absumentur.* Vid. vers. 10.

In medio mari] *In corde maris.* Vide Ps. XLVI, 3. Ezek. XXVIII, 2.

Coagulatæ sunt abyssi] Οἱ LXX. ἐπάγη κύματα *concreti sunt fluctus.* Quasi concreti fuissent frigore, steterunt.

10. *Vento tuo flavisti*] Vide ad vers. 8.

Fundum petierunt] צללו *tsalalou.* Huic radici aptari potest quod diximus, de voce מצולה *mtsoulah* ad vers. 4.

Profundas] אדירים *addirim*, quæ vox magnum quidvis in suo genere signat; magnæ autem aquæ non sunt, nisi profundæ.

11. *Inter Deos*] באלים *baelim.* Sic LXX. Intt. ἐν Θεοῖς Vulg. *in fortibus.* Alii *in potentibus*, intelligúntque Reges, ac Principes populorum. Vix dixeris uter adpositior sit sensus; sed prior nescio quid ampliùs complectitur, & sequentibus verbis confirmatur.

11. *Magni-*

hova? Quis ſicut tu magnificus eſt ſanctitate, illuſtris laudibus, & mirabilia facit?
12. Exſeruiſti dextram tuam, abſorpſit eos terra. 13. Benignitate tuâ hunc populum
duxiſti, potentiâ tuâ ad ſanctitatis tuæ ſedem liberatum egiſti. 14. Audivere & con-
tremuere populi, Palæſtinæ incolas invaſit dolor. 15. Tum Idumææ conturbati ſunt
prin-

commeritas laudes tulit, quis ejuſmodi prodigia umquam edidit? 12. Statim ac potentiâ tuâ uti tibi viſum eſt, fluctibus abſorpti ſunt Ægyptii. 13. Contrà ſummâ bonitate ducem te nobis præbere, atque viam ad ea loca, in quibus ſollemni cultu te proſequemur, aperire liberatis voluiſti.

14. Brevi tantarum rerum fama ubique ſpargetur; trepidabunt vicini, nec levi dolore percellentur Philiſthæi, cùm adventare nos, tuo auxilio firmatos, audient. 15. Idumææ Phylarchi, & Moabitidis principes ſibi, quamvis fruſtra, timebunt, ob viciniam gentis, cujus Deus tot & tanta edidit prodi-

11. *Magnificus ſanctitate*] Cujus ſumma ſanctitas, ſeu vitiorum odium, æquè magnificè ſe ſe prodat; qualem tuam vidimus, cùm integrum conſceleratorum hominum exercitum ſubmerſiſti.

Illuſtris laudibus] נורא *nora* vertimus *illuſtrem*, quaſi idem ſit ac נורה *norah*, quod à ראה raah, *vidit*, deducitur; quia ſi deducatur à ירא jareh, *timuit*, verbo ſequenti non æquè convenit. Notum eſt ה & א facillimè miſceri. Hinc LXX. Intt. verterunt θαυμαστὸς ἐν δόξαις, & alibi נורא reddiderunt ἐπιφανὴς *illuſtris, conſpicuus*, ut Jud. XIII, 6. 1. Par. XVII, 21. Joël. II, 11, 31. quamvis φοβερὸν etiam vertere ſoleant.

Mirabilia facit] *Faciens mirum.*

12. *Abſorpſit eos terra*] Vaſto barathro, quo aquas marinas complectitur, excepit. Vide Jon. II, 6.

13. *Ad ſanctitatis tuæ ſedem*] Videtur ſignificare aut *montem Dei*, de quo Cap. III, 1. à quo non erant remoti, & quem Deus ſingulari ratione incolere credebatur: aut Chananæam, ubi Deus habitavit. Vide Jerem. L, 19.

Liberatum egiſti] *Liberaviſti, duxiſti.*

14. *Audivere*] Nondum quidem hæc audire potuerant vicinæ gentes, ſed brevi audituræ erant. Itaque famam brevi ſpargendam, quaſi jam ſparſam deſcribit Moſes.

Palæſtinæ] פלשת *pheleſcheth.* Ita vocatur ora maritima Chananææ, juxta agros Tribuum Danis & Ephraïmi, porrecta, à nomine populorum, qui eam inſederant. Huc autem ex Africa venerant, ut oſtendimus ad Gen. X, 14. & cùm non eſſent ex Chananæis proſapia, aliundéque huc veniſſent, à Chananæis veteribus colonis dicti ſunt פלשתים *phliſchthim*, hoc eſt, ut paſſim hanc vocem vertunt LXX. Intt. ἀλλόφυλοι. Hinc etiamnum hodie Radix פלש, apud Æthiopas, ſignificat *migrare, peregrinari*, & פלשי *phalaſchi*, advenam, peregrinum. In verſione quoque Samaritica Gen. XIV, 6. פלשה *phalaſchah*, peregrinationem ſonare videtur. Quæ origo nominis Philiſthæorum à nemine adhuc obſervata fuerat, & oſtendit LXX. Intt. ævo, uſu Linguarum tum florentium, multa fuiſſe nota quæ poſteriores ætates fugerunt.

15. *Principes*] אלופים *allouphim*, de qua voce vide not. ad Geneſ. Cap. XXXVI, 15.

Solutæ ſunt vires] *Liquefacti ſunt omnes incolæ Chanahanis.*

16. *Ob potentiæ tuæ magnitudinem*] בגדל זרועך bigdol zrohacha, *in magnitudine brachii tui*, ſed voce זרוע *vires*, aut potentiam interdum ſignari oſtendimus ad Gen. Cap. XLIX, 24.

Donec tranſierit] Per eorum fines in Chananæam ingreſſus fuerit.

Quem adquiſiviſti] Liberatione, nimirum, Ægyptiacâ; quid æquius enim erat, quàm à populo Hebræo Deum coli, à quo tam duræ ſervituti ereptus fuerat?

Inſtar lapidis quieſcent] Hoc eſt, non audebunt obviam ire armatâ manu Iſraëlitis, ſed patientur juxta ſuos fines tranſire. LXX. Intt. habent ἀπολιθωθήτωσαν, *magnitudine brachii tui lapideſcant*, hoc eſt, metu rigeant, immobileſque ſint. Qua de loquutione vide dicta à nobis in Diſſ. de Statua Salis pag. 377. Planiùs Vulgatus: *fiant immobiles quaſi lapis.* Maluimus Futuro exprimere, ob totam orationis ſeriem.

17. *In monte poſſeſſionis tuæ*] Videtur ſpectare Moſes montes Jeroſolimæ mœnibus clauſos, in quorum uno fuit Dei Templum. Vid. Pſ. LXXVIII, 52, 53, 54.

Paraſti] פעלת *phahaltha*, nam hæc radix interdum parare ſignificat, ut hoc in loco, ubi ἐν παρεμβολῇ reſpondet verbo כונן *chonen.* Vide Pſ. LVIII, 3. &, inter alios Lexicographos, *Joan. Coccejum.* *Paraſſe* autem ſibi dicitur *ſedem* Deus, quòd de ea capienda tum cogitaret.

Inſtruxerunt] כוננו *chonenou*, alii *firmarunt.* Sed prior ſignificatio frequentior. Inſtruxiſſe dicitur Deus, quod animo, ut ita dicam, olim inſtruere decreverat. Vide Prov. XIX, 29. ubi נכונו nachonnou *irriſoribus pœnæ*, hoc eſt, decretæ ſunt, & Job. XII, 5. De hoc ipſo monte Michæas IV, 1. *Poſteris temporibus erit mons domus Jehovæ* נכון nachon *inſtructus, in cacumine omnium montium.* Οἱ LXX. habent ἕτοιμον, hoc eſt, ſacrâ ſupellectili paratiſſimum, ad Dei cultum celebrandum.

19. *Equi, currus,*] סוס *equus.* Vid. not. ad verſ. 9. Cap. XIV.

Eſſent ingreſſi] *Ingreſſus eſt, & redire fecit Jehova.*

20. *Tympanum*] Vide not. ad Gen. XXXI, 27.

Prophetis] Vide Num. XII, 2. Hanc vocant οἱ LXX. Μαριὰμ, Maſſorethæ *Mirjam.* Videntur tamen vulgò Judæi, ante Maſſorethaum tempora, pronunciaſſe ut LXX. Intt. cùm in Novo Teſtamento notiſſimum ſit nomen *Maria.* Nec ulla erat ratio mutandi nominis; attamen, ob rationes alibi allatas, eos ſequuti ſumus.

Choros agitantes] ובמחלות *oubimhholoth*, hoc eſt, *& in choris*, ſeu, in choros diviſæ, quarum alter aliquot verſus præcinebat, alter verò reſpondebat, ut mox dicemus. Simul etiam ſaltabant. Vide inf. Cap. XXXII, 18. Jerem. XXXI.

principes, summates Moabitidis cepit tremor, omniúmque Chananææ incolarum solutæ sunt vires. [16] Ob potentiæ tuæ magnitudinem, terror & trepidatio iis incidêre. Donec transierit populus tuus, ô Jehova, donec transierit populus hic, quem adquisiisti, instar lapidis quiescent. [17] Hos intromittes, plantabísque in monte possessionis tuæ, *in* loco sedis tuæ *quem* parasti, ô Jehova; *in* sanctuario *quod* instruxerunt, ô Domine, manus tuæ. [18] Regnabit Jehova in æternum, [19] cùm enim Pharahonis equi, cur-

digia; sed Chananæos potissimùm, qui agris suis nos à te donatos scient, animus deficiet. [16] Potentiam tuam omnes mirum in modum timebunt, nec Idumæi, aut Moabitæ audebunt exercitus suos nobis in Chananæam ingressuris objicere; neque, donec sedes nobis promissas ceperimus, finibus suis egredientur. [17] Nos in ea loca incolumes perduces, in quibus perpetuum à nobis tibi exhiberi cultum decrevisti. [18] Te Regem nostrum in æternum habebimus, [19] qui hos ab equitatu & curribus

21. *Tum præcinebat*] ותען להם vatthahan lahem, *& respondebat iis.* Hîc להם est pro להן lahen, ut Cap. I, 20. Verbum ענה *hanah*, quod vulgò est *respondere*, non rarò etiam primum loqui significat, ut Deut. XXVI, 5. Ubi de canticis sermo est, promiscuè *præcinere* & *respondere* sonat, & sæpe adhibeutur. Sic 1. Sam. XXI, 11. *Nonne huic* יענו jahanou *canebant*, *occidit Saul millia sua*, *David verò sua decem millia.* Paullo pleniùs res narratur Cap. XVIII, 8. *Et respondebant mulieres saltantes*, *& dicebant occidit* &c. Aliæ nimirum dicebant הכה שאול באלפיו *iccha schaoul balaphau*; aliæ verò respondebant: ודוד ברבבותיו *vedavid bribbothau*, qui sunt duo versus ὁμοιοτέλευτοι. Erant, ut loquitur sponsus Cant. VI, 12. מחלות המחנים mhholoth hammahhanajim *chori duorum agminum*, quorum unus versiculum unum, alter alterum canebat, aut singuli etiam aliquot versus. Atque hinc ענה *hanah*, aliquando *canere* significat, ut Exod. XXXII, 18. Hoc quoque Canticum constat eodem genere versuum, sed quot versus à singulis Choris canerentur non liquet. De Poësi Hebræorum aliàs dicemus, interea hoc Canticum hîc addemus, distinctis versibus.

CANTICUM MOSIS

Exodi XV.

Metricè Descriptum.

אשירה ליהוה
כי גאה גאה
סוס ורכבו רמה
בים : עזי וזמרת יה
ויהי לי לישועה
זה אלי ואנוהו
אלהי אבי וארוממנהו:
יהוה איש מלחמה
יהוה שמו:
מרכבת פרעה
וחילו ירה
בים ומבחר שלישיו טבעו
בים סוף : תהמת
יכסימו
ירדו במצולת
כמו אבן : ימינך
יהוה נאדרי בכח ימינך
יהוה תרעץ
אויב : וברב גאונך תהרס
קמיך תשלח
חרנך יאכלמו
כקש : וברוח
אפיך נערמו מים נצבו כמו
נד נזלים קפאו תהמת בלב
ים : אמר אויב
ארדף אשיג
אחלק שלל תמלאמו
נפשי אריק
חרבי תורישמו
ידי : נשפת ברוחך
כסמו ים צללו כעופרת במים
אדירים:

Canam Jehovæ,
quoniam altè se se extulit;
equúmque & ejus sessorem dejecit
in mare. Vis mea, & canticum est Ja,
nam fuit mihi saluti.
Hic Deus meus, ideóque eum decorabo;
Deus patris mei, ideóque eum extollam.
Jehova *est instar* viri bellicosi,
Jehova nomen ejus.
Currus Pharahonis
& copias ejus dejecit
in mare, & delectus ducum ejus mersus est
mari algoso. Abyssi
texerunt eos;
descenderunt in fundum,
instar lapidis. Dextra tua,
ô Jehova, magnam se præstitit; robore dextræ tuæ,
ô Jehova, fregisti
hostem. Magna celsitate tuâ perdidisti
insurgentes in te. Immisisti
iram tuam *in eos*, absumsit eos
instar stipulæ. Vento
narium tuarum, coacervatæ sunt aquæ, steterunt
acervus fluenta, concretæ sunt abyssi [sicut
maris. Dixerat hostis, [in corde
persequar, adsequar,
dividam spolia; explebitur iis
animus meus, educam
gladium meum, ad paupertatem rediget eos
manus mea. Flavisti vento tuo,
texit eos mare, fundum petierunt, ut plumbum,
profundas. [in aquas

Quis

currus & equites mare essent ingressi, in eos aquas marinas redire jussit Jehova; Israëlitæ verò siccâ *viâ* per medium iverunt mare.

20. Tympanum etiam in manum cepit Mirjama prophetis, Aharonis soror, & post eam exierunt mulieres omnes, cum tympanis, & choros *agitantes*. 21. Tum præcinebat eis Mirjama: Jehovæ, quoniam altè se extulit, equúmque & sessorem in mare dejecit, canite.

XIII. Is-

bus Ægyptiorum liberasti, iisque Idumæo sinu submersis, viam nobis fecisti, per quam sicco pede ejus maris alveum peragrare licuit.

20. Dum viri Hymnum hunc canerent, Israëlitides, duce Mariâ prophetide, Mosisque & Aharonis sorore, cum tympanis etiam, instrumentisque aliis musicis, tentoriis egressæ sunt, & choros celebrantes 21. idem canticum, præeunte Maria, ut aliis aliæ succinerent, canebant.

P A-

מי כמכה
באלם יהוה
מי כמכה
נאדר בקדש נורא
תהלת עשה פלא : נטית
ימינך תבלעמו ארץ : נחית
בחסדך עם זו גאלת
נהלת בעזך
אל נוה קדשך :
שמעו
עמים ירגזו
חיל אחז ישבי
פלשת : אז נבהלו אלופי
אדום אילי מואב יאחזמו
רעד נמגו כל
ישבי כנען : תפל
עלימו
אימתה ופחד בגדל
זרועך ידמו כאבן עד יעבר
עמך יהוה עד יעבר
עם זו קנית : תבאמו
ותטעמו
בהר נחלתך
מכון לשבתך
פעלת יהוה
מקדש אדני כוננו ידיך : יהוה
ימלך לעלם
ועד ; כי בא סוס פרעה
ברכבו
ובפרשיו בים
וישב יהוה
עליהם את מי ים
ובני ישראל הלכו ביבשה
בתוך הים

Quis sicut tu,
in Diis, ô Jehova?
quis sicut tu,
magnificus sanctitate, illustris
laudibus, faciens mirabilia? Extendisti
dextram tuam, deglutiit eos terra. Duxisti,
benignitate tuâ, populum hunc, liberasti,
duxisti, potentiâ tuâ,
ad habitaculum sanctitatis tuæ.
Audivere
populi, contremuere,
dolor invasit incolas
Palæstinæ. Tum conturbati sunt principes
Idumææ, summates Moabi cepit
tremor, solutæ sunt vires omnium
incolarum Chananææ. Incidit
illis
terror & trepidatio, magnitudine
potentiæ tuæ. Conticescent, ut lapis donec transie-
populus tuus, ô Jehova, donec transierit [rit
populus quem acquisiisti. Eos intromittes
& plantabis
in monte hereditatis tuæ,
loco sedis tuæ,
quem parasti, ô Jehova,
Sanctuario, Domine, *quod* instruxerunt manus
regnabit in æternum [tuæ. Jehova
& in omne ævum; quia venit equitatus Pharaho-
cum curribus, [nis
& cum equitibus in mare;
redire autem fecit Jehova
in eos aquas maris.
Filii verò Israëlis iverunt siccâ *viâ*,
per medium mare.

N O T U L Æ

In ὁμοιοτέλευτα Superioris Cantici.

VErs. 12. טָבַע] Cum hac voce comparatum est verbum יְכַסְיֻמוּ, ubi non est מו pro מו, contra perpetuam consuetudinem, nisi quia eo modo non potuisset componi verbo טָבַע.

Vers. 43. יִרְגָּזוּן] Additum est ן paragogicum, quod facilè addi potuit, ac detrahi à Librariis. In Samaritico certè Codice non exstat.

Vers. 49. עָלֵימוֹ] Sic scripsimus pro עֲלֵיהֶם, inter quæ nullum est discrimen, nisi quòd prius magis Poëticum est, ut vel ex hoc Cantico liquet, posterius prosæ convenit.

Quàm bene autem sint inter se ὁμοιοτέλευτα comparata, hoc in loco non adgrediemur dicere; sed in *Dissertatione de Hebræorum Poësi*, Psalmis addenda, rem totam aperire conabimur.

COM-

XIII. *Israëlitarum iter à mari Erythræo per desertum Suricum ad Maram, ubi aqua amara dulcis fit. Discessus hinc ad Elimos & ex Elimis in Sinicum desertum, in quo Mannâ depluit, qua de re leges à Deo feruntur.*

22. TUM à mari algoso discedere jussit Moses Israëlem, & ingressi quidem desertum Suris, per triduum in eo deserto iter fecerunt, neque aquam invenerunt. 23. Cùm verò ad Maram pervenissent, Maræ aquas bibere non

PARAPHRASIS.

22. CELEBRATA die festo & omnis hilaritatis genere, in Idumæi maris littore, insigni liberatione, à mari recesserunt Israëlitæ, & tridui iter in Suricum desertum progressi sunt, ubi eos aqua defecit. 23. Hine profecti sunt Maram, ubi aquæ quidem erat copia, sed usque adeò amaræ, ut bibi non posset; qua de causa is locus eo nomine adpellatus est, quod apud Hebræos amarorem sonat. 24. Tum verò populus cœpit graviter queri, quòd à Mose ea in loca duceretur, ubi siti pereundum esset, & potum ab eo efflagitare. 25. Hic ergo ad Dei opem, ut solebat, confugit, qui ei lignum in iis desertis ostendit, quo in aquam conjecto, ablatus est ejus amaror, eáque potum Hebræis præbuit.

Hoc in loco Deus jussit Mosem explorare animum

COMMENTARIUS

In CAPUT XV.

22. *Discedere jussit*] Aut *discedere fecit.*

Ingressi quidem] Aut *egressi*, nam est יצאו *jetseou*; hoc est, ex mare egressi iter fecerunt per deserrum Suris. In Samaritico est ויוציאם, *& jussit eum egredi.* LXX. Intt. ἤγαγε αὐτούς. Desertum quod hîc שור *schour* dicitur, Num. XXXIII, 8. vocatur *Ethami* desertum, quæ nomina à variis oppidis, aut vicis, aut montibus, videtur esse sortitum. De Ethamo diximus in Dissert. de *trajectione maris Idumæi*, §. IV. *Schour*, aut *Sur*, more Latino, videtur fuisse locus ad orientale maris Erythræi littus, qui nescio an sit oppidulum quod & hodie dicitur *Tor*, circa ea loca, de quo scripserunt quicumque Cairo profecti Sinam montem inviserunt. Vide *Pet. Belonium* Lib. II. c. 67. Observ. & alios. Certè in linguis Orientalibus persæpe mutantur litteræ ש & ת & multa sunt vocabula apud Hebræos litterâ ש scripta, in quibus, apud Arabas, quorum linguâ utuntur eorum locorum incolæ, est litera *Te* vel *Ta*. Hinc שור *taurus* apud Chaldæos & Arabas est תור *thor.*

23. *Maræ aquas bibere non potuerunt*] Fontes etiamnum ostenduntur aliquot centenis passibus ab Erythræo mari, ad Septemtrionem, dissiti; qui quia sunt amari dicuntur iidem esse ac ii, de quibus hîc sermo est. Vide *Pet. Belonium* Lib. II. 57 & 59. cui addas licet *Pet. Vallensem* in Ep. XI. Cairo data §. 10. Eorum etiam meminit *Plinius* Lib. VI. c. 29. aitque *Ptolemæum Philadelphum* duxisse fossam à Nilo ad Erythræum mare, *usque ad fontes amaros*, ut id conjungeret cum Nilo. Sed situs obstat quominùs adsentiamur iis, qui eos fontes amaros hîc putant signari. Primùm postquàm mare transiissent Israëlitæ, haud procul ab intimo sinûs recessu, ut liquet ex Cap. XIV, 2. non opus fuit triduum absumere, ut venirent ad amaros fontes qui aliquot horis tantùm illinc aberant, quamcumque in partem littoris egressi dicantur. Secundò, si in Orientalem ripam trajecere, ut ostendimus in Dissertatione memorata; non est credibile eos retrogressos esse ad lævam, cùm ad montem Sinaïm, qui ad dextram est, tenderent. Itaque alius fons, aut alii fontes intelligendi, ad Orientem magis siti, & Sinaï monti propiores. Ac sanè *amari fontes*, qui Mosis nunc vocantur, dicuntur *duodecim* numero esse, ut docet *Belonius*, ex quo numero intelligimus in unum misceri fontes varios; nempe, amaros qui ad Maram erant, & *duodecim Elimorum fontes*, de quibus infra Cap. XVI Nimirum, ex levibus conjecturis, ab hominibus qui vix sacros codices legerant, imposita sunt in iis regionibus nomina, quibus peregrinantium excitaretur curiositas.

Si *Josepho* credimus, in Mara non duodecim fontes sed unus erat puteus: φρέαρ γὰρ ἦν — οὐδ' αὐτὸ μὲν ἱκανὸν διαρκεῖν τοσούτῳ στρατῷ: *puteus erat, neque is tanto exercitui sufficere poterat.* Lib. III. c. 1. Quare autem sit amara puteorum, qui illic excavantur, aqua, facile est intelligere, si norimus eam terram Nitro refertam esse, quo ejus etiam superficies lucet; quod duo Itinerariorum laudati Scriptores, memoratis locis, docent. Quin & multis in locis Sal Ammoniacas invenitur, de quo vide *Plinium* Lib. XXXI. c. 7.

Nomen inditum fuerat Maræ] Nam מר mar *amarum* Hebraicè sonat. קרא *karah* passivè vertimus, ut sæpe aliàs, *inditum fuerat*, quia commodius erat, quàm nominativum subauditum supplere. Vide notata ad Gen. C. XI, 9. Non constat à quo impositum huic loco nomen fuerit, quamquam Josephus Israëlitis hoc tribuit.

Quo in aquam projecto] *Et projecit in aquam, & dulcis evasit aqua.* Hîc dubium oritur, an, nimirum, virtute quæ ligno inesset aqua dulcis facta sit, an singulari voluntate divinâ. Prius videntur verba Mosis suadere, alioqui si mero miraculo factum hoc fuisset, non opus erat cer-

non potuerunt, quòd amaræ essent, qua de causa nomen ei loco inditum fuerat
Maræ. 24. Murmuravit autem populus in Mosem, & quid, inquit, bibemus?
25. Imploravit ille Jehovam, & ostendit ei Jehova lignum, quo in aquam pro-
jecto, dulcis evasit.

Ibi *Deus* ei posuit leges ac instituta, eúmque exploravit, 26. &, Jehovæ Dei
tui, inquit, si voci obsequaris, quod rectum ei videtur feceris, mandatis ejus aurem præbueris, omnésque ejus leges observaris, nullum tibi immittam morbum eorum quos Ægyptiis immisi; sum enim Jehova, qui valetudinem tuam tueor.

27. Deinde in Elimos venerunt, ubi sunt duodecim aquæ *perennis* fontes, & septua-
ginta palmæ, atque illic ad aquam castra posuerunt.

Pro-

mum populi Hebræi, ut resciret passurúsne esset leges sibi ferri; quandoquidem, Ægyptiaca tyrannide liberatus, suis legibus vivere jam poterat, & peculiarem constituere Rempublicam. 26. Simul ut eum ad leges æquiore animo accipiendas adduceret, jussit Mosem ei polliceri, si vellet ea facere quæ jussurus erat Deus, immunem fore eorum morborum, quos inter Ægyptios frequentissimos & molestissimos esse viderat. Neque alienus a legibus novis suscipiendis visus est populus Hebræus. 27. Illinc in Elimorum tractum iverunt, ubi duodecim aquæ jugis fontes, & septuaginta palmas invenerunt; circa quem locum tetenderunt, propter aquæ copiam.

Dein-

certam speciem ligni Mosi ostendi, quam in aquam injiceret; *virgâ Dei*, quâ tot prodigia ediderat, hanc in rem poterat uti. Hinc *Sirachides* Cap. XXXVIII, 4, 5. *Dominus creavit ex terra pharmaca & vir prudens ea non spernit. οὐκ ἀπὸ ξύλυ ἐγλυκάνθη ὕδωρ, εἰς τὸ γνωσθῆναι τὴν ἰσχὺν αὐτῦ ἀπὸ ἀνθρώπυ; annon ligno dulcuit aqua, ut innotesceret vis ejus hominibus? Josephus* initio Lib. III. vult quidem Mosem lignum ad pedes jacens fissum in aquam misisse, sed dulcem non esse factam, nisi maximâ parte exhaustâ, quod unde habuerit nescio. Difficile tamen est intellectu, quâ ratione aqua salsa, injecto ligno, dulcescat, præsertim tantâ copiâ, quanta tot hominum myriadibus necessaria erat.

Ibi Deus ei posuit] Omissus est nominativus, quo fit ut dubium sit, Mosésne intelligatur, an Deus. Deum tamen maluimus supplere, quòd & summus Legislator sit, & alibi populum *tentasse* dicatur ut infrà XVI, 4. Deut. VIII, 3, 16.

Posuit leges &c.] *Legem & institutum.* An leges singulares hîc intelligantur, an totum legum Mosaïcarum Systema, non satis liquet. Posterius tamen malim, ob sequentia, ut velit Moses Deum, post sublatum aquæ amarorem, quæsivisse per Mosem ab Israëlitis velléntne à se leges sibi ferri; quandoquidem jam suis legibus possent vivere, excusso Ægyptiorum jugo? Cùm verò Israëlitæ paratos se divinas leges suscipere significassent, tum primùm legem sollemniùs iis imponi cœptam esse. Postquàm quæsitum fuerat à Populo Romano *velléntne ac juberet* id quod rogabatur, responderántque omnes, aut plerique, *volumus, ac jubemus*, lex lata erat, quâ singuli tenebantur.

Exploravit] Exploravit eorum voluntatem, rogando, velléntne leges sibi scribi.

26. *Voci obsequaris*] *Vocem audiendo audieris.*

Rectum ei videtur] *Rectum in oculis ejus.*

Omnésque ejus leges observaris] Si non pertineret ad Linguæ Hebraïcæ genium ejusmodi repetitio, qualis hîc occurrit, & passim alibi, diceremus Legum esse stylum, qualis est in Legibus Romanis antiquis.

Nullum tibi immittam morbum &c.] *Omnem morbum, quem immisi Ægyptiis, non immittam tibi.* Videtur significare Deus morbos in Ægypto frequentissimos, & ei regioni peculiares, quales erant morbi cutis, ut in *Dissert. de Lepra* ostendemus.

Qui valetudinem tuam tueor] רופאך *rophecha*, hoc est, *qui te curo*, quod non modò de morbi curatione, sed de conservatione valetudinis intelligendum.

In Caput XVI.

1. *In desertum Sin*] *Sin* dici *Pelusium* observavimus in *Dissert. de Lingua Hebraica*, quo factum est ut aliquando dubitaverimus an hoc desertum ab ea urbe nomen traheret; nam sæpe ab una urbe satis amplus tractus nomen accepit, in hoc præsertim deserto, ut de *Ethami solitudine* diximus in *Dissert. de Trajectione Maris Rubri.* Attamen cùm Pelusium hinc remotissimum, ad ostium orientale Nili, fuerit, maluimus nomen *Sin* retinere; quod quare ei solitudinis parti impositum fuerit, juxta ac ignarissimi scimus. Fortè fuit etiam illic aliquod *lutum*, quæ est Syriaca vocis סין significatio. Ceterùm omittitur hîc statio, de qua Num. XXXIII, 10.

2. *Confremuit*] ילינו quod posset efferri *julinu*, sed Massorethæ legi volunt ילונו *jillonu*, ut Cap. superioris vers. 24. Singulari usi sumus, cùm promiscuè sumantur numeri, ubi de collectione sermo est. Non videtur autem omnibus cibus defuisse, cùm liqueat ex sacrificiis non defuisse pecudes; sed in tanta multitudine non pauci erant egeni, qui in ipsa Ægypto pecore caruerant, sed aliis copiis Ægypti sustentati fuerant. Hi in hisce solitudinibus, illis destituti, esuriebant. Sed & pecus, inopiâ aquæ & pascuorum, minui in dies necesse fuit. Vide inf. Cap. XVII, 3.

3. *Manu Jehovæ*] Hoc est, immaturâ morte, divinitus immissâ. Vide 2. Sam. XXIV, 14. Mortui erant manu Jehovæ primogeniti Ægyptiorum, quorum sorti invidebant Israëlitæ.

4. *Pane depluam*] Hoc est, Mannâ quæ panis loco vobis erit.

Demensum cujusque diei quotidie] *Rem diei die suo.*

Itu-

1. Profectus ex Elimis omnis Israëlitarum cœtus, in desertum Sinis pervenit, quod
CAPUT XVI. est inter Elimos & Sinain, decimo quinto die mensis secundi, ex quo Ægypto erant egressi. 2. *Ibi* etiam, eo in deserto, omnis cœtus Israëlitarum in Mosem & Aharonem confremuit; 3. atque iis, ô utinam, inquiebant Israëlitæ, manu Jehovæ in Ægypto interiissemus, cùm sederemus ad lebetes carnium, cùm panem ad satietatem comederemus; in desertum enim hoc nos eduxisti, ut omnem hunc cœtum fame interimeres.

4. Tum verò Jehova Mosi, en, inquit, è cœlo vobis pane depluam, egredietúrque populus, & demensum cujusque diei quotidie colliget; ut iturúsne sit in leges meas, necne, experiar. 5. Die verò sexto, parent *duplo majora vasa* quæ adferant, duplum enim erit ejus quod quotidie colligent.

6. Dixerunt itaque Moses & Aharon omnibus Israëlitis: vesperi intelligetis Jehovam vos

1. Deinde Sinicam solitudinem ingressi sunt, quæ est inter Elimos & Sinain, atque in ea versabantur trigesimo die, ex quo Ægypto valedixerant. 2. Hoc in loco, victus, quos ex Ægypto secum adtulerant, eos deficere cœperunt; quo factum est ut famem metuentes Mosem & Aharonem contumeliosis verbis insectari cœperint. 3. Dictitabant inter se multò satius sibi fuisse, si dum carnibus in Ægypto abundabant, & panis ad satietatem suppetebat, peste interiissent; quàm fame nunc perire in ea solitudine, in quam malo animo, ut opinabantur, à Mose adducti fuerant.

4. Cùm fremitum populi & querelas audiret Deus, Mosem vocavit, promisitque se è nubibus Israëlitis, sequente die, demissurum victum, quo in iis solitudinibus sustentarentur; eúmque satis magnâ copiâ fore ut, pro capitum numero, singulis certum demensum colligere quotidie liceret; atque hoc beneficio cogniturum se dixit utrum Israelitæ ferendis legibus parituri essent, necne. 5. Nam per quinque dies certum demensum colligi oportere, & sexto quidem duplò majus, quia septimo die nullus erat demittendus. Addidit vespertino tempore, carnem quoque Israelitis se missurum; ne famem, Deo sibi favente, in iis solitudinibus timerent.

6. Tum verò Moses & Aharon, convocato populo, quod à Deo acceperant, exposuerunt, & vesperi, inquiunt; cognoscetis vos à nobis non esse ex Ægyptos eductos, sed à Deo Majorum vestrorum; 7. & cras summo mane aliud videbitis, unde quæ sit divina potentia intelligetis; audivit

Iturúsne sit in leges meas] *An ibit in lege mea*, hoc est, an leges quas ei feram observaturus sit; proposito, nimirum, ei Sabbatho observando, unde an ceteras leges esset observaturus colligi potuit. Pro הילך in singulari legunt Samaritæ הילכו *bajelechou*, *εἰ πορεύονται*, ut habent LXX. Intt. Sequentem etiam vocem plurali numero scribunt בתורותי bthorothai, *in leges meas*. Sic & alibi numeros mutant, quod tædet observare.

5. *Quæ adferunt*] את אשר יביאו *eth ascher jabiou*. Supplevimus *duplo majora vasa*, aut *duplicia vasa*, quasi esset משנה כלים *mischneh chelim*, quod subaudiri sequentia ostendunt. Hîc breviùs & obscuriùs dicitur quod postea clarioribus & pluribus verbis, circa Sabbathi observationem, exponetur; non quòd adeò obscurè primùm à Deo dictum sit, sed quòd posteà pleniùs exponendum fuerit. Hæc pertinent ad sexti diei duplicem mensuram, alteriúsque, quæ die Sabbathi absumenda fuit, die sexto coctionem. Atque hoc primum est de observatione septimi diei præceptum, nec ullum est ejus rei in Scriptura vestigium, ante hoc tempus. Ac sanè Deus obsequii Israëlitarum experimentum sumturus non jussisset observari diem, qui jam festus habebatur. Novo quopiam præcepto opus fuit, ut tentarentur Israëlitarum animi, num leges novas facilè essent suscepturi.

6. *Intelligetis vesperi*] Ex novo miraculo novum habebitis argumentum, quo intelligatis non humano consilio vos ex Ægypto esse eductos, sed Dei jussu. Quamquam enim satis, supérque intellexisse debuerant, attamen fremebant in Mosem, quasi temerè eos Ægypto exire jussisset.

7. *Et diluculo videbitis*] Nam ut vesperi advolarunt coturnices: ita matutino tempore cecidit manna.

Gloriam ejus] *Gloriam Jehovæ*. Non videtur hîc signari nubes, quæ eâ ipsâ vesperâ adparuit, quâ hæc Moses & Aharon dixerunt, sed demissio mannæ, ex qua non levis Deo accessit gloria. Sic Num. XIV, 21, 23. *gloria* dicuntur miracula quæ in gratiam Israëlitarum edidit, & *vidisse gloriam* ejus memorantur qui iis adfuerant.

Nam audivit] בשמעו *bschombo*, quod posset etiam verti *quia*, ut 2. Par. XVI, 7. XXVIII, 6.

Qui enim sumus] Hoc est, quid enim nos fecimus ad vos Ægypto educendos? quæ interrogatio in negationem convertenda est, ut passim, hoc sensu: nihil fecimus nos, ut Ægypto vos educeremus, quidquid factum est Deus ipse fecit. Vide ad Gen. XXXIII, 15.

8. *Vesperi, inquit* &c.] *Et dixit Moses* בתת btheth, hoc est, *nam dabit*, vel *quia dabit*. Sed tot conjunctiones *αἰτιολογικὰς* non patitur Latina oratio, & fortè hîc abundat ב. Vide ad vers. 7.

Audivit enim] בשמעו יהוה *bischmoah Jehovah*, ut superiore versu.

10. *Alloquente*] *Et fuit cum alloqueretur — & conversi sunt.*

Gloria Jehovæ] Vox כבוד *chabod* quæ *gloria* verti solet, multiplici significatu occurrit. I. Significat *famam*, qui frequentissimus est significatus, per totam Scripturam. II. Interdum res, propter quas fama eorum, qui eas gesserunt, spargitur, ut Num. XIV, 21, 23. & suprà vers. 7. III. Nubem, quæ noctu splendebat, quâ Deus præsentem se adesse testabatur inter Israëlitas. IV. Aliquando etiam ipsam Dei majestatem, quam videre optabat Moses, de

vos ex Ægypto eduxisse · 7. & diluculo videbitis gloriam ejus, nam audivit vestras in
se obmurmurationes; qui enim *sumus* nos, ut in nos fremeritis? 8. Vesperi, inquit
Moses, vobis carnem edendam dabit Jehova, & mane panem ad satietatem; audivit
enim obmurmurationes quas in se effudistis, qui enim sumus nos? non contra nos, sed
contra Jehovam vestri *fuere* fremitus. 9. Moses postea Aharoni, dic, inquit, toti
cœtui Israëlitarum: accedite coram Jehova, etenim vestra murmura audivit.
10. Aharone omnem cœtum Israëlitarum alloquente, cùm ad desertum essent con-
versi; ecce verò gloria Jehovæ in nube conspecta est, 11. & Jehova Mosi, 12. Israë-
litarum, inquit, murmura audivi, *itaque* eos alloquere his verbis: carnem, inter
duas vesperas, comedetis; pane verò matutino tempore saturabimini, & me Jehovam
Deum vestrum esse intelligetis.
13. Vesperi autem adscendêre coturnices, & castra texere, mane verò fuit stratum
ro-

divit enim Deus vestras querelas; providentiæ suæ perquàm contumeliosas; nam nos quidem, qui ejus dumtaxat interpretes sumus, non tam spectant, quàm Deum. 8. Vesperi carnis, quam concupivistis, affatim habebitis; crastino verò die, ante lucem, panem quo satiemini. Hinc cognoscetis vestros istos fremitus Deo ignotos non fuisse, eumque clamores vestros ad se pertinere, non ad nos, intellexisse; nam ad nos quod adtinet, non tantùm nobis sumimus, ut itineris hujusce auctores haberi apud vos velimus; Deo jubente, quidquid adgressi sumus factum est, ac si quid est quod queramini, Deum potiùs quàm nos eæ querelæ feriunt. 9. Deinde Moses Aharoni mandavit convocaret omnes Israëlitas, & juberet convertere vultum ad eam partem, in qua nubes stabat, ut quid de se sentiret Deus, quem offenderant, cognoscerent.

10. Cùm autem Aharon populum Hebræum ad se convocaret, iisque nubem spectaret; ecce verò splendere, præter solitum, interdiu cœpit, 11. & vox ex ea Mosem compellans emissa est, 12. quâ ostendit Deus, ad se pervenisse Hebræorum querelas, jussitque Mosem iis nunciare, ante solis occasum, carnem à Deo suppeditatum iri, sequente verò aurorâ, quod panis loco esse posset; quibus rebus, Deum promissis stare, neque eos deserere, quibus auxilium suum pollicitus esset, intellecturi erant.

13. Antequàm sol occideret, incredibilis copia coturnicum advolavit, quarum ingentem numerum cepere Israëlitæ; postquàm verò ortâ luce sur-

de qua infrà Cap. XXXIII, 18. Duobus hisce posterioribus sensibus, כבוד *chabod* fortè meliùs verteretur *majestas*, prout hac voce significatur species quædam externa, quæ spectantibus reverentiam & timorem incutit. Sed ita hunc in sensum usitata jam est, in Ecclesiastico stylo, vox *gloria*, ut eam retinendam censuerimus. Descensum autem hunc gloriæ non ineptè parodiâ Ovidianâ hunc in modum expresseris:

Æthere descendit, nutúque sequentia traxit
Nubila, queis nimbos, immistáque fulgura ventis
Addidit, & tonitrus & inevitabile fulmen.

Quibus verbis *Ovidius* Metam. Lib. III. describit Jovis majestatem.

12. *Inter duas vesperas*] Hoc est, sub vesperam. Vide not. ad Cap. XII, 6.

Me Jehovam &c.] Me qui facio quæ volo, Deum esse vestrum. Vide not. ad Cap. VI, 3.

13. *Adscendère coturnices*] *Adscendit coturnix* השלו *hasschlav*, quod ὀρτυγομήτραν, quæ *coturnicum* species est, vertunt LXX. Intt. Vox Hebraïca in hac tantùm historia & Num. XI. occurrit. In Linguis quidem vicinis usitata est, Chaldæi enim סלוין *selun*, Syri סלוי *salvai* & Arabes סלוי *salwa* habent; sed omnes fortè id nominis ex Mose hauserunt, nec satis constat an ejus mentem adsequuti sint: ut, gravibus de rationibus, suspicatur vir doctissimus *Job. Ludolfus* in Hist. Æth. Lib. I. c. 13. § 96. Septuaginta Intt. sequuti sunt scriptor libri *Sapientiæ*. Cap. XVI, 2, 3. XIX, 12. & *Philo* de Vita Mosis Lib. I. *Josephus* quidem Lib. III. habet ὀρτύγων πλῆθος *coturnicum multitudinem*, sed videtur ὄρτυγας & ὀρτυγομήτρας, propter adfinitatem miscuisse. Hinc certè liquet iis temporibus vulgarem hanc fuisse Hebræorum opinionem, *coturnices* hîc significari. At vir eruditissimus, quem modò laudavimus, significationem vocis in Captivitate Babylonica intercidisse existimat, & multis argumentis *locustas* intelligendas probare nititur. Ea proferemus ad locum Numerorum, ubi pleniùs hac de re, aut simili agit Moses. Interea quamvis magni ponderis nobis sint visa, receptam opinionem, in celeberrimo hoc miraculo vertendo, sequuti sumus. Non dissimulabimus tamen, vocem שלו si derivetur, cum *Sam. Bocharto*, à שלה quod sit *abundare*, cùm שלוה *schalvah* εὐθηνίαν *abundantiam* significet Ps. CXXII, 7. nomen id non modò optimè convenire locustis, cùm ingens sit locustarum copia; sed etiam, quod virum eruditissimum fugit, שלו, ex admissa etymologia, synonymum fore voci ארבה arbeh *locusta*, quæ derivatur à רבה *multiplicatus fuit*.

Castra texere] Hoc est, tantâ copiâ cecidere, ut vix per castra humus cerni posset; vel in aëre tanto numero, & tam densæ erant, ut castra tegerent, nubis instar, quod non malè locustis convenit. Vide quæ diximus ad Cap. X, 13.

Stratum roris] שכבת הטל schichbath hattal, hoc est, ros qui superficiei terræ, subjectâ Mannâ, incumbebat. Est, ut Gallicè loquimur, *une couchée*, vel *un lit de rosée*, quod adhibetur quando alia aliis imposita sunt, ut Manna rori subjecta erat.

14. *Evectum fuisset*] In vapores, nimirum; Heb. est ותעל vatthahal *& adscendit*.

Molle] מחספס *mhhuspbas*, quam vocem non intellexere οἱ LXX. qui habent ὡσεὶ πάγος, ut vers. 31. Hieronymus habet *pilo tusum*. Onkelos מקלף *mkallaph*, decorticatum. David

L Kim-

roris circa castra. 14. Cùm roris stratum evectum fuisset, ecce verò per desertum, parvum *quiddam*, molle, minutum instar pruïnæ, in terra. 15. Viderunt *hoc* Istaëlitæ, aliisque alii, manna est, inquiunt, nesciebant enim quid esset; at Moses illis, hic est, ait, panis quem vobis edendum præbet Jehova. 16. Hæc res est, de qua Jehova hoc dedit mandatum: colligite ex eo quisque, prout edere potest, gomerum in *singula* capita; & pro numero animarum, quæ unicuique in tentorio suo sunt, sumite. 17. Sic ergo fecerunt Istaëlitæ, & collegerunt hic quidem plus, ille verò minùs; 18. sed cùm gomero demensi essent, qui plus collegerat non abundavit magis, nec qui minùs inopiâ laboravit, quisque prout comedebat collectum retulit. 19. Illis verò Moses, nullus, inquit, ex eo *quidquam* ad matutinum tempus reliquum faciat. 20. Sed non audiverunt Mosem, verùm ex eo homines ad matutinum tempus reliquum fecerunt. Tum emisit man-

surrexerant, circa castra sitas solitudines præter modum roscidas viderunt. 14. Cùm autem sol ortus esset, & rorem in vapores evexisset, deprehenderunt minuta grana pruinæ instar, ac mollia, ubique magnâ copiâ jacentia. 15. Mannam esse illico existimarunt, cùm specie Mannam referrent, necdum scirent id esse quod panis nomine pollicitus erat Moses. Hic verò quid esset aperuit, atque hoc esse quod panis loco præbebat Deus docuit. 16. Tum edixit, gomerum ejusce inusitati cibi colligere in singula capita licere omnibus, sed præter hanc mensuram quidquam asportari se non passurum. 17. Itaque cùm Hebræi vasa eo edulio implessent, aliis alii plura aut pauciora, 18. jussit certos homines, quos ei negotio præfecit, unicuique tot gomera admetiri, quot ei erant in familia capita; ut qui plus aut minùs, quam necesse esset, collegerant, ampliùs aut minùs æquo in tentoria non referrent. 19. Simul vetuit Moses ne ex eo quidquam in crastinum diem servaretur, excepto die sexto; quandoquidem promiserat Deus per sex dies, antelucanis horis, se eum illis cibum fat magnâ copiâ præbiturum, ut apothecis, in quibus in plures dies reconderetur, nequaquam indigerent; neque erat cur Deo cibum quotidianum promittenti diffiderent. 20. Quamvis hoc edictum omnibus proposuisset Moses, multi tamen in crastinum diem Mannam servare conati sunt; sed ea emisis

Kimchi *rotundum*, quem multi Recentiorum sequuntur. Sed cùm nulla hic certa sit, cui innitamur, auctoritas, neque ullâ firmâ ratione fulciantur hæ conjecturæ, maluimus significatum huic voci tribuere adfinem significatu radici חסף *bhasaph*, quæ *argillam*, *lutum* Chaldæis sonat, ut חסיף *bhasiphon* Arabibus *terram mollem*. Ac sanè Manna, cujus species inusitata fuit panis hic cœlestis, mollis est. *Pet. Belonius* Observ. Lib. II. c. 65. *Catoyeri* (nempe qui Sinam montem incolebant) *habebant*, inquit, *Mannam liquidam collectam in montibus suis, quam vocant* Terenjabin, *ut distinguatur à dura. Quæ enim à Scriptoribus Arabibus vocatur* Terenjabin, *ea adservatur in testis, mellis instar, & Cairum venalis fertur. Hoc ipsum est quod Hippocrates vocat* κέδρινον μέλι, *alii Græci* rorem Libani; *& quod differt à Manna alba & dura* &c. *Cùm sit Manna duplicis generis, Cairi in officinis utraque venalis prostat. Altera* Manna *dicitur, & dura est; altera* Terenjabin, *estque liquida.* Posteriorem signari colligimus ex vers. 21. ubi sole liquefacta dicitur. Arabicè scribitur תרנגבין quod effertur ab aliis *trunjibin*.

Minutum instar pruinæ] Ejusmodi sunt guttulæ roris, ex quibus Manna spissatur, aut concrescit, ut ostendit *Cl. Salmasius* in Comment. *de Manna*.

15. *Manna est, inquiunt*] מן הוא man hou. LXX. Intt. vertunt: τί ἐστι τοῦτο; & Vulg. *quid hoc est?* Alii multi eos sequuti sunt. Sed dicendum fuisset מה היא *mah hi*, aut מה זאת *mah zoth*. At Chaldaïcè מן *man*, ut nonnulli putant, hoc significat; sed præterquàm quòd in hoc solo loco ejusmodi Chaldaico pronomine usum esse Mosem credibile non est, מן non *quid*, sed *quis* apud Chaldæos propriè sonat. Rabbini plerique deducunt מן *man* à מנה *constituit*, quasi idem sit ac מנה manah, *pars*, *donum*. Eorum suffragia collegit *Joan. Buxtorfius* in Diss. *de Manna* Cap. I. Sed cùm sit hoc sine exemplo, præterea sequentia obstant, ubi dicuntur Israëlitæ *ignorasse quid esset*. Quis enim est sensus: *donum hoc est, nesciebant enim quid esset?* Itaque multò verisimilior est eorum sententia, qui putant Israëlitas, quando viderunt humum tectam hoc cœlesti pane, eo conspecto & tractato, cùm nescirent quid aliud esset, judicasse esse Mannam ordinariam, qualis in Ægypto notissima erat, propter similitudinem. Quod monuit *Cl. Salmasius* in laudato Commentario, post *R. Isaacum Aramam*, in libro quem inscripsit *Tseror Hammor*. An reverâ esset Manna ordinaria statim videbimus. Quod Hebræi Veteres מן *man* vocabant, Chaldaïcâ terminatione מנא *manna* dictum est. Nos hanc vocem semper eodem modo declinavimus, sive de vulgari Manna, sive de Mosaïca sermo esset; quod multò commodius Latinè loquentibus videretur, quamvis τὸ Μαννὰ soleat dici. Quod in voce barbara non illicitum esse putavimus.

Hic est, ait panis &c.] Moses non negat esse Mannam, ut ex similitudine illico conjecerant Israëlitæ. Sed eum esse cibum ait, quem nomine *panis* pollicitus erat Deus. *Salmasius* tergiversandum negat, & Mannam veram fuisse, quâ vescerentur Israëlitæ, pronunciat. „ Ros erat, inquit, minutis & rotundis gra„ nis, grandinis specie, matutino cadens, ad „ solem liquescens, sapore mellis. Omnes „ hæ notæ in vulgari Manna deprehenduntur. „ Idcirco viso primùm eo rore, qui panis no„ mine ipsis promissus fuerat, statim pronun„ ciarunt esse *mannam*, etsi nescirent quid esset. „ Neque novam & antea inusitatam speciem „ creavit Deus, quam ipsis de cœlo mitteret „ ad vescendum, sed jam creatam ita dispen„ savit. Miraculum igitur, judice *Salmasio*, „ non in rei ipsius nova & extranea substantia, „ quasi tum primùm ad hoc ipsum genita, & „ postea

manna vermes & fœtuit, *quâ re* commota est Mosis in illos ira. [21] Postea eam collegerunt singulis matutinis temporibus, quisque prout edebat, incalescentéque sole *reliquum* liquefiebat.

[22] Die verò sexto, duplum panem collegerunt, duo gomera in singulos, quod omnes cœtûs principes Mosi nunciatum ivere. [23] His autem ille, hoc est, inquit, quod dixit Jehova, cras feriæ sunt Sabbathi Jehovæ sacri. Quidquid tosturi estis torrete, & quidquid elixaturi elixate. Quidquid verò supererit, seponite vobis in penu, ad matutinum tempus. [24] Seposuerunt ergo illud ad matutinum tempus, prout præceperat Moses, neque fœtuit, aut vermis *ullus* in ea fuit. [25] Tum Moses, comedite, inquit, illud hodie, nam Sabbathum est hodie Jehovæ, hodie in agris

emissis vermibus, ut etiam ex hoc intelligerent non esse Mannam vulgarem, fœtuit. Quo cognito, Moses in eos excanduit, cùm divinæ potentiæ aut voluntati diffidisse viderentur. [21] Postea verò quotidie mane, gomerum in fingula capita colligebant; & reliqua, incalescente die, liquefiebat Manna.

[22] Die verò sexto, duo gomera in singula capita plebs collegit, quod cùm animadvertissent Hebræorum principes, divinum præceptum iterum violari rati, rem ad Mosem deferunt. [23] Moses verò rectè atque ordine fecisse plebem respondit, se enim nomine Dei hoc ipsum edixisse, eo die colligendam esse duplicem Mannam, quia postridie feriæ futuræ erant; quibus nec licebat quidquam ejusmodi facere, nec Manna erat delapsura. Itaque si quid haberent torrendum aut elixandum, aut denique alio modo parandum, id ante solis occasum esse faciendum. Quidquid verò superfuturum erat Mannæ, id ad matutinum usque tempus sequentis diei seponi posse, ut eo parato vescerentur. [24] Paruerunt illi Mosi, & postridie mane, inspecto penu, mirati sunt Mannam, neque fœtere, neque vermes emisisse; cum antecedentibus diebus in posterum diem servata computruisset. [25] Tum verò Moses paratum oportere esse cibum in eum diem dixit, quo alium parare non licebat, ob ferias Deo sacras, neque ulla Manna

„ postea abolita; sed in eo tantùm fuit, quòd „ ad præscriptum quotidie caderet; quòd affatim & quantùm sufficeret tantæ multitudini „ nutriendæ; quòd omni tempore anni. Nihil horum in Manna quam videmus. Certâ „ anni tempestate decidit, non copiosè, nec „ continenter. Sed & alia præterea sunt discrimina, quæ omissa *Cl. Salmasio* postea suis locis indicabimus.

„ Cùm tot mirandis rebus differret divina illa „ Manna, ab ea quam noverant, nihilominùs „ eodem nomine hanc Israëlitæ nuncuparunt; „ scilicet, *man*, quia similis esset formâ & substantiâ, item sapore.

„ Sic cùm iisdem Israëlitis, illo ipso tempore, carnes providere vellet Deus, quibus „ vescerentur, Coturnicum agmina ad eos, ex „ ejus mandato, advolabant. Notum hoc volucris genus, & ex earum numero quæ in „ rerum natura jam essent; non novum & tum „ primùm, ut huic usui tantùm serviret, productum.

„ Dixerit hîc aliquis, ait paullò superiùs *Salmasius*, Mannam ejusdem speciei, ac vulgaris est, minùs posse intelligi, quia medicamentum est potiùs quàm cibus. Nobis sanè medicamenti vicem est, qui raro utimur; „ idque lene admodum & viribus imbecillum. „ Quid si aliquis frequenter uteretur, certus „ sum parum, aut nihil fore à melle discriminis. „ Quis super hoc dubitet, cui non sit ignotum „ etiam venena sæpiùs sumta ab ipsa adsuetudine „ & usu vim noxiam perdere, atque alimenti „ loco esse? Scitum illud magni Philosophi: „ ἁπάντων τῶν φαρμακωδῶν αἱ δυνάμεις ἀσθενέστεραι τοῖς „ συνειθισμένοις: *omnium venenatorum vires infirmiores adsuetis.* Reperti sunt, quibus nihil nocere posset helleborum, etiam largiùs „ sumtum; imò quibus nec alvum solveret. Exemplum hominis qui Mannâ, in iisdem locis, non aliter ac Israëlitæ, vesceretur, adferemus ad Capitis hujus versum 31. Sunt etiam qui voluerint hîc nullum fuisse miraculum, sed quos res ipsa confutat. Vide & quæ Rabbini hac de re dicant, apud *Joan. Buxtorfium* Lib. de Mann. C. II.

16. *Prout edere potuisset*] לפי אכלו *lphi ochlo*, juxta id quod edit.

Gomerum] עמר quod *gomor* efferunt LXX. Intt. Continebat tritici Romanas libras 6, 252 decimas partes, qua de re vide *Ed. Bernardum* de Mens. & Pond. Lib. I. §. 26. Majus etiam pondus Mannæ complectebatur, quod mollis & pænè liquida cùm esset, interstitia minora vacua relinquebat. Hoc autem pondus, vel edacissimo homini, suffecisse quotidianum nemo dubitarit.

Animarum] Additur *vestrarum*.

17. *Hic quidem plus* &c.] *Diminuens & augens*, nempe, pro capitibus. Si quid tamen postea deesset aut superesset, metiendo detrahebatur, aut addebatur. Rabbini, gens miraculorúmne dicam? an mendaciorum avida, volunt miraculo factum esse, ut sine demensione neque plus neque minùs quisquam auferret quàm necesse erat. Sed si hoc fuisset, quid opus erat certam mensuram præscribere? Vide *Joan. Buxtorfium* Diss. de Manna C. IV.

18, *Qui plus collegerat*] המרבה hammarbeh, *augens*. Hic non habuit plura gomera quàm erant sibi capita alenda, quamvis fortè plusquàm necesse erat collegisset; quia antequàm collectam mannam in tentorium referret, alii eam metiebantur, & superfluam auferebant.

Qui minus] הממעיט hhammamhith, *minuens*. Hic ex nimia aliorum copia accipiebat, ut tot gomera in tentorium referret, quot habebat in eo capita.

Collectum retulit] לקטו laketou, *collegerunt*, sed res ipsa ostendit agi de eo quod domum referebatur, postquàm collectum & demensum fuisset.

agris mannam non invenietis. [26] Sex diebus eam colligetis, sed septimo *erit* Sabbathum, nulla erit eo *manna*.
[27] Contigit autem septimo die quosdam è populo ad colligendam egredi, nec *mannam* invenire. [28] Jehova verò Mosi, quousque, inquit, præcepta & leges meas observare renuetis? [29] Videte, quia vobis Sabbathum dedit Jehova, ideò sexto die bidui panem vobis tribuit; septimo verò, quisque apud se maneat, neque quisquam è loco suo egrediatur.
[31] Vocavit domus Israëlis *eum panem* mannam; est autem ad instar seminis coriandri, & albicans, sapórque ejus est quasi lagani ex melle.
[32] Dixit

na è nubibus cadebat. [26] Sic & in posterum per sex dies Mannæ copiam fore, quæ colligi posset, sed septimo quoque, feriis consecrato, nullam inventum iri; ut intelligerent Hebræi eo die cibo hesterno utendum, ne feriæ in eo parando violarentur.
[27] Tametsi hæc Moses aliquoties palam edixerat, tamen non defuere qui edicti ejus immemores, septimo die egrederentur, ut Mannam quærerent; qui quidem frustra fuerunt, sed Dei iram in se moverunt. [28] Itaque vocato Mose, pervicaciam populi, qui vix ac ne vix quidem legibus suis adsuescere poterat, graviter castigavit, [29] jussítque Mosem edicere iterum: ideo quod ferias septimo quoque die celebrari summâ religione vellet Deus, sexto die majorem demittere cibi copiam, & bina gomera in capita colligi velle, at septimo in Tentoriis quieti omnes manerent.
[31] Eum autem cibum divinitus è nubibus demissum Mannam vocarunt Israëlitæ, propter similitudinem quæ ei intercedebat cum vulgari Manna, quæ ex Arabia & Syria in Ægyptum vehi solebat.

19. *Ad matutinum tempus* &c.] Ut adsuefierent in Divina Providentia fiduciam ponere, quippe quos scire oporteret Deum, cujus jussu periculosissimam illam Arabicarum solitudinum viam ingressi erant, eorum inopiæ non defuturum. Quam in rem maximè peccaverant, cùm veriti ne siti aut fame interirent in Mosem fremebant. Vide Rabbinorum hanc in rem dicta, apud *Joan. Buxtorfium* in Dissert. de Manna. C. V. Hæc animi fiduciâ, quâ officio fungentibus nihil nobis umquam necessarium defuturum existimamus, omnium virtutum custos esse videtur; quia eâ fit ut numquam quidquam nos ab officio abscedere cogat. Itaque mirum non est usque adeò fuisse commendatam. Vide Interpr. ad Matth. VI, 25. & seqq.

20. *Homines*] *Illi*, hoc est, nonnulli, neque enim omnes Israëlitæ in eo peccasse videntur.

Emisit manna vermes] Hoc miraculum est, à *Cl. Salmasio* omissum, quo hæc Manna à vulgari secernebatur; seu singularis ejus natura hæc esset, ita Deo volente, seu præter ejus naturam putesceret.

21. *Singulis matutinis* &c.] *Manè, manè.*

Liquefiebat] Ordinaria Manna incrassescit potiùs sole, ut nonnulli volunt, aliis negantibus, imò verò contrarium adfirmantibus, ut ex *Cl. Salmasii* collectaneis liquet. Prius tamen certum est de Manna, qua vulgò utimur. Hoc quoque discrimen est maximi momenti, inter Israëliticam & ordinariam Mannam, quòd hæc ex foliis certarum arborum colligatur, aut excutiatur, neque usquam in terra inveniatur, nisi sub iis arboribus; Manna verò Israëlitica in terram, circa Israëlitarum tentoria, è nubibus caderet. Nimirum, Manna vulgaris, quidquid in contrarium dici queat, species est Gummi certo tempore anni, ex certis arboribus defluentis, non roris; qua de re legendus, inter alios, Medicus Calaber *Antonius ab Altomari*. Manna verò Israëlitis è nubibus demissa ros fuit inusitatus, & divino miraculo evectus; aut si Gummi, ventis voluntate divinâ eàque singulari ex arboribus sublatum, deinde in Israëlitica castra demissum; quod credibile non est, cùm ad tantam copiam Mannæ conficiendam, vix totius Asiæ fraxini & orni sufficerent, quamvis per totum annum Gummi ejusmodi sudarent.

22. *In singulas*] לאחד leehhad, *in unum.*

Nunciatum ivere] *Et venerunt & nunciarunt.* Oportet Mosis, de Manna colligenda, simúlque observatione Sabbathi, Legem meliùs Israëlitarum vulgus intellexerit, quàm primores populi, quod mirum. Si plures essent Historiæ circumstantiæ, quomodo contigisset, intelligeremus. At hinc saltem liquet Sabbathi ferias, antea ab Israëlitis non fuisse observatas; alioqui primores populi mirati non essent cibum in sequentem diem colligi.

23. *Cras feriæ sunt Sabbathi Jehovæ sacri*] *Cras quies est Sabbathi sanctitatis Jehovæ.* Hæc non ignorassent primores populi, si anteà ab Hebræis Sabbathum esse observatum.

In penu] למשמרת lmischmereth, *ad servationem*, quod & locum, & actionem servandi sonat. Vide vers. 32.

25. *Comedite illud hodie*] Hoc eâ nocte, quâ cœpit Sabbathum, dixit Moses, antequàm Israëlitæ scirent futuráne esset Manna in agris, nécne.

27. *Contigit egredi*] *Et fuit — egressi sunt è populo — neque invenerunt.*

29. *Sabbathum dedit Jehova*] Hoc est, modò jussit vos septimo quoque die ferias agere.

Quisque apud se maneat] *Quisque sub se maneat.* Phrasis videtur à more Orientalium ducta, qui sedent in solo, seu pavimento; nam *sub se manere* est propriè manere eo in loco, qui sub nobis fuit, cùm primùm consedimus. Vide ad Cap. X, 23.

Die septimo egrediatur] Nempe, è castris ad colligendam Mannam. Posteriores Judæi ad mille passus, vel duo millia cubitorum extenderunt iter die Sabbathi licitum, idque vocabant *iter Sabbathi*, ut liquet ex Act. I, 12. ubi vide Interpr. Jonathan & Jerosol. Int. habent hîc; *Manete quisque in loco suo, neque migretis ullo modo à ditione in ditionem, exceptis quatuor cubi-*

32. Dixit etiam Moses : jussit hoc Jehova , implete gomerum ad custodiendum in
futuras ætates vestras , ut panem quem in deserto , cùm educerem vos ex Ægypto,
edendum vobis præbui, videant. 33. Tum Aharoni, accipe, inquit, urnam unam,
atque in ea repone plenum gomerum mannâ, dein id, ut servetur in *futuras* æta-
tes vestras, coram Jehova colloca. 34. Quemadmodum autem Mosem jusserat Je-
hova, Aharon id coram Testimonio , ut servaretur , reposuit. 35. Israelitæ verò
mannam , donec ad terram cultam venirent , per quadraginta annos comederunt;
mannam, *inquam*, comederunt, donec ad fines terræ Chananææ pervenissent. 36. Go-
merum porrò est decima pars Ephæ.

XIV. Dis-

lebat. Est autem is cibus magnitudine eâ, quâ est semen coriandri, sed albus, & mellito sapore præditus.

32. 33. Diu post hæc tempora , cùm Lex lata esset , statutúmque Tabernaculum Conventûs , de quo pòst dicemus , Aharonem jussit Moses nomine Dei gomerum ejus cibi in urna reponere , in posterum adservandum , in Adyto Tabernaculi , ut Israëlitæ sequentibus ætatibus viderent quo cibo Majores sui à Deo , per Arabicas solitudines , sustentati essent. 34. 36. Aharon Mosi illico obsequutus est , & Mannæ gomerum , hoc est Ephæ decimam partem , futuris ætatibus ostendendam , in urna ad Arcam fœderis reposuit. 35. Hebræus autem populus , per quadraginta annos , Mannâ sustentatus fuit , dum in Arabicis solitudinibus versatus est ; quàm primùm enim Chananæorum fines adtigit , atque in culto solo fuit , vulgaribus cibis , ex hostili agro raptis, uti cœpit. [36. *paraphrasis est ante* 34.]

P A-

cubitis , & *ne exeat homo è loco suo ad ambulandum* , *ultra duo millia cubitorum* , *die septimo.*

31. *Manna*] Quòd illico visum esset Manna , eámque referret , quamvis re verâ non esset.

Instar seminis Coriandri] גד *gad*, quod κορίου σπέρμα verterunt Græci & Vulg. *semen coriandri* , quod referebat magnitudine , non colore quo simile erat Bdellio , ut docet Moses Num. XI, 7. ubi iterum hac de re , ad quem locum vide notata. Scholiastes Vaticanus hîc habet , In Samaritico legi ὡς σπέρμα ὀρύζης *ut oryzæ semen*. Ac sanè habet קליף quod *oryzam* potest significare.

Lagani ex melle] Est quoque *mellitus* sapor nostræ *Mannæ* , quo factum ut Ἀερόμελι & Δροσόμελι , ut observavit *Claud. Salmasius* , à Græcis diceretur. „ Idem ait Interpretes ve-
„ teres τὸ ἄγριον μέλι , *mel silvestre*, apud Mat-
„ thæum , quo victitasse in deserto Joannes tra-
„ ditur , de melle aërio , quod vulgus man-
„ nam vocabat , accepisse. Ac sanè *Suidas* ex
„ antiquo auctore , in voce ἀκρίδες , hæc verba
„ ponit : ἤσθιε δὲ ἀκρίδας ὁ πρόδρομος , καὶ μέλι
„ ἄγριον ὅπερ ἀπὸ τῶν δένδρων ἐπισυναγόμενον, μάννα.
„ τοῖς πολλοῖς προσαγορεύεται : *comedebat* ἀκρίδας
„ *præcursor* & *mel sylvestre* ; *quod ex arboribus*
„ *colligitur* , *manna vulgò vocatur*. Hoc idem
„ mel est , quod *Aristoteles* in *Admirandis* scri-
„ bit in Lydia ἀπὸ δένδρων γίγνεσθαι , *ex arbori-*
„ *bus esse* , quódque adeò *Dioscorides* ait fluere
„ melle crassius de trunco arboris Syriacæ. Nec
„ meliorem interpretationem adferri posse retur
„ *Salmasius*. Nam non me quidem , inquit ,
„ fugit in annosis & exesis arboribus sæpe in
„ silvis mel apum operâ congestum inveniri.
„ Sed unde illæ silvæ in deserto Judææ , locis
„ arenosis , in quibus degebat Joannes ? Verùm non in arenosis prorsus locis vivebat Joannes , quandoquidem baptizabat , & ad aquam solent esse iis in regionibus nemora. Potest tamen fieri ut *mel* illud Manna fuerit , propter alias rationes allatas.

Si veræ essent *Job. Ludolfi* & *Claud. Salmasii* conjecturæ , idem fuisset in deserto Israëlitarum cibus qui fuit Joannis , asper quidem & durus , sed dum nihil aliud suppetebat , non incommodus. Certè si pauci Israëlitæ per desertam Arabiam errasse , & *carne avium* in terram delapsarum , *panéque* è nubibus misso victitasse per aliquot annos dicerentur , à Poëta quopiam , non ægrè crederemus rem ab eo adauctam, Locustásque & Mannam vulgarem intelligi oportere. Sed ex memoratis circumstantiis aliud , saltem nomine *panis* , intellectum à Mose fuisse , satis , supérque ostendimus.

32. *Implete*] מלא mlo , *imple*.

33. *Coram Jehova colloca*] Hoc est , in Adyto , ut liquet ex vers. 34. Unde colligimus Historicum Sacrum in hac narratione non servasse ordinem temporis , cùm primùm enim cecidit Manna , Tentorium factum non erat. Sed cùm leges hac de re traderet , semel voluit hoc negotio defungi , junxitque quæcumque dicta hac de re fuerant , quamquam variis temporibus. Vide not. ad Gen XX, 1.

34. *Coram Testimonio*] Hoc est , coram Arca , in qua erant Tabulæ lapideæ , quibus erat insculptum *Testimonium* , hoc est , Decalogus. Vide infr. ad Cap. XXV, 16.

35. *Israëlitæ verò*] Hæc non esse à Mosis manu observavimus , in Dissert. *de Pentateucho* §. III. Quadraginta annis defuit mensis , ut apparet ex Jos. VIII, 11.

36. *Gomerum porrò*] Quæ de his verbis eodem loco scripsimus non necesse est repetamus. De Gomero diximus ad vers. 16.

XIV. Discessus Israëlitarum è Sinico deserto ad Rephidimos, ubi præ inopia aquæ cum Mose rixantur, aquámque è rupe divinâ potentiâ egressam accipiunt. Pugna cum Hamalekitis, victoriáque precibus Mosis à Deo concessa.

CAPUT XVII. 1. EX deserto Sinis, Deo jubente, itineribus suis, profectus est totus Israëlitarum coetus, & Rephidimis castra posuit, *ubi* nulla erat, quam populus biberet, aqua. 2. *Ea de causa* eum Mose *&* *Aharone* rixatus est, &, date nobis, inquiunt, aquam quam bibamus. At iis Moses, quare, ait, mecum rixamini? quare Jehovam tentatis? 3. Sitiens verò illic populus contra Mosem *&* *Aharonem* confremebat, &, quare, inquiebat, sic nos eduxistis ex Ægypto, ut nos, liberos nostros, pecudésque nostras siti enecaretis?

4. *Hæc*

PARAPHRASIS.

1. EX Sinica solitudine profecti, Dei jussu, Israelitæ, tertiis castris in Rephidimos pervenerunt, ubi aqua eos defecit. 2. Tum vero populus denuò in ductores suos fremere, & aquam clamoribus poscere; cùm ad divinum auxilium, quod toties expertus erat, confugere debuisset. At Moses negare secum eos expostulare oportere, & dicere Deum esse, ad quem confugissent; nisi de ejus potentia aut voluntate nefariè, post tot experimenta, dubitassent. 3. Pervicax verò populus & Dei parum timens Mosem & Aharonem spectare, conviciis aquam exposcere, & quærere itane & pecudes suas, ut siti perirent, ex Ægypto eduxissent?

4. Dum hæc irati dictitarent, Moses ad Deum confugit, & parum abesse quin lapidibus ab irato populo obrueretur præfatus, opem ejus imploravit. 5. Illico à Deo jussus est ad populum redire, & spectatissimos quosque senes ad se vocare, qui sibi comites futuri essent ad jugum Chorebi montis.

COMMENTARIUS

In CAPUT XVII.

1. DEo jubente] על פי יי *hal phi Jehovah*, hoc est, *ad os*, vel *secundùm os Jehovæ*. Vide not. ad Gen. C. XLI, 40.

Rephidimis] Ex deserto Sin iverunt *Dophkam*, Dophkâ *Alusum*, Aluso *Rephidimos*, ut docemur Num. XXXIII, 12, 13, 14. Videntur hîc omitti duo σταθμοὶ, quòd in iis memorabile nihil contigerit.

2. *Quare Jehovam tentatis*] Hoc est, quare de divina potentia aut voluntate dubitatis? nam qui *tentant* quempiam, experimentúmque ejus voluntatis capiunt, de ea voluntate dubitant. Vide vers. 7. &c. Num. XIV, 11, 12. Oportebat Israëlitas precibus aquam à Deo petere, non potentiâ ejus in dubium revocatâ, Prophetas conviciis lacessere, quòd se siticulosum in locum adduxissent. De phrasi *tentare Deum* ea observavit *Henr. Hammondus* ad Matth. III, 7. quæ legisse non pœnitebit.

3. *Sitiens verò populus*] *Et sitivit populus, ad aquam*, — *& confremuit populus.*

Nos, liberos nostros] Est in singulari *me, liberos meos* (בני *banai*, hoc est, propriè *filios*, sed & filias complectitur) *pecúsque meum.* At ferri non posset Latinè perpetua numerorum ἐναλλαγή.

4. *Parum abest*] *Adhuc aliquantum*, (עוד מעט) *& me lapidibus obruent.*

5. *Quâ fluvium percussisti*] Hoc est, Nilum, vide Cap. VII, 20. VIII, 5.

6. *In Chorebo*] Utrumque jugum videtur initio siccum fuisse, tam Chorebus, quàm Sinaïs, si enim aqua alicubi circa hos montes fuisset, Israëlitæ eam quærendo invenissent. Postea verò Chorebus irriguus fuit, dum siccus remansit Sinaïs. *Chorebus*, ait *Pet. Belonius*, Lib. II. c. 63. *cultus fuit, non verò Sinaïs. Sinaïs enim est aridus, ille verò commodissimo fonte instructus est.* Idem in superiore Capite: *Monasterium aquâ abundat* (est id ad Chorebi radices situm) *rivus enim ex monte defluens Monachorum cisternam replet aquâ limpidâ, frigida, dulci, denique optimâ, &c. In vallibus montis Sinaïs sunt amœnissima nemora; ibi colunt vites, serúntque legumina & olera, ut brassicas, lactucas, betulas, cepas, allia, porros, aliásque vulgares herbas. Arbores etiam frugiferas, variorúmque generum illic habent, & potissimùm Amygdalas.* Quæ omnia in ardentibus arenis, atque humore destitutis locis non proveniunt. Etiam eo tempore, quo Israëlitæ per ea loca vagabantur; pecoribus alendis gramen aliquod fuit, quod si defuisset prorsus, interiissent. Vide vers. 3. & suprà not. ad Cap. III, 1. Sed occulti latices, Deo volente, ex rupe prosiliere.

6. *Sic in oculis senum Israëlis*] Si hîc eadem narretur historia, ac quæ exstat Num XX. multa hîc prætereuntur, qua de re ad locum Numerorum dicemus.

7. *Massæ*] מסה *tentationem* sonat, מריבה mribah, *rixam*; quòd de Dei potentia & voluntate dubitassent Israëlitæ, & cùm Mose contendissent; quasi suo consilio, non Dei jussu, populum per desertum duceret.

8. *Hamalekitæ*] *Hamalek & pugnavit*, singulari numero. Compendiosè dicitur quod postea particulatim narratur. Vide ad Cap. XL, 16. De Hamalekitis, adi notata ad Gen. XIV, 7.

Stabo] נצב nitzab, *stans.*

9. *Virga Dei*] Hoc est, quâ, Deo jubente, commotâ tot prodigia edita sunt, & præfer-

4. *Hæc cùm audiret* Moses, Jehovam clamore imploravit, &, quid faciam, inquit, huic populo? parum abest quin me lapidibus obruant. 5. Jehova verò Mosi, transi, inquit, coram hoc populo, adsume tecum aliquot è senibus Israëlis, simul virgam tuam, quâ fluvium percussisti, in manum capito, atque ito. 6. Ego autem illic in Chorebo supra rupem coram te stabo, feriesque rupem, & egredietur ex ea aqua, quam bibet populus. Sic in oculis senum Israëlis fecit Moses, 7. eique loco Massæ & Meribæ nomen indidit, propter rixam Israëlitarum, & quòd Jehovam tentassent, dicentes: éstne Jehova inter nos, annon?

8. Venerunt interea Hamalekitæ, & apud Rephidimos Israëli bellum intulerunt. 9. Ibi Moses Jehosuæ, delectum, inquit, virorum nobis habeto, tum cras egredere & pugna cum Hamalekitis. Ego verò *interea* in cacumine collis stabo, *eritque* virga Dei in manu mea. 10. Fecit Jehosua quemadmodum ei dixerat Moses, de pugnando in Hamalekitas; Moses verò, Aharon & Chur in summum collem

tis. Tum sumtâ virgâ mirificâ, 6. ad nubem, quæ montis cacumeo insideret, contendere, atque illic virgâ rupem ferire, ex qua ingens aquæ scaturigo eruptura esset, quæ copiosum potum populo suppeditaret. Hoc, spectantibus Israëlitis, fecit Moses, 7. locúmque in memoriam rei, MASSAM, hoc est, *tentationem* & MERIBAM, hoc est, *rixam* vocavit; quòd secum illic, ob aquæ penuriam, rixati essent Israëlitæ, & Dei potentiam ac voluntatem tentassent.

8. Cùm apud Rephidimos, noo procul à monte Chorebo, stativa haberent; Hamalekitæ, Idumæorum vicini, infesto exercitu eo advenerunt, ut bellum populo Hebræo inferrent. 9. Quod cùm intellexisset Moses, jussit Josuam Nunis filium, qui ei rerum maximarum administer erat, delectum in castris habere, ut postridie, educto exercitu, manum cum Hamalekitis consereret. Tum pollicitus est Dei solitum auxilium, se enim in montis Chorebi jugo cum virga mirifica, pugnam despectaturum, & divinam opem sopplicem imploraturum. 10. Imperio Mosis paruit Josua, & dum educeret

sertim Ægyptii infesto agmine Israëlitas sequentes in mare submersi. Unde spes erat Israëlitas, io hoc prælio, superiores fore, adhibitâ eadem virgâ, Deo, oimirum volente; oeque enim ulla similis virtus ligno inerat, ut oec serpeuti æneo curandorum morsuum serpentium, si adspiceretur. Deus videtur ejusmodi veluti signis conspicuis usus, ne si nullum esset, & solis precibus Israëlitarum omnia fierent, naturæ fortè causis, aut casoi ea tribuerent.

11. *Dum Moses manum tollebat*] Instructam virgâ, & quasi Hamalekitas percussuram. Hioc autem manifestum erat Israëlitas vincere, non virtute, aut copiarum numero, sed solâ Dei voluntate; quâ inclinabatur, aut restituebatur Hamalekitarum acies, prout Moses manum adtollebat, aot demittebat.

Demitteret] ינוח jaoiahh, *quiescere faceret*, nempe, demittendo cùm lassa erat.

12. *Graves essent*] Hoc est, fessæ, neque enim brachium erectum diu habere, sine lassitodine, possumus.

Firmæ fuerunt] אמונה emounah, *firmitas*, aut *fidelitas*; substantivum pro adjectivo.

13. *Gladio*] *Ore gladii.*

Hamalekum ejusque populum] Est ἓν διὰ δυοῖν, pro *populo Hamalekitarum.*

Fregit] יחלש jahhalosch, *debilitavit*, hoc est, vires ejus ita hac victoriâ fregit, ut Israëli ampliùs molestus non fuerit.

14. *In libro in memoriam*] זכרון בספר ziccharon bassepher, *memoriale in libro*, nimirum, Legis, quem Israëlitis erat relicturus. Vide Dissert. de *Pentateucho* §. III.

Dicito audiente Jehosuâ] *Ponito in auribus Jehosuæ*, hoc est, hoc ei sigoifica, Hamalekitas internecione delendos, quotiescumque occasio se dabit. Quod tamen sero exsequutioni mandatum. Vide 1. Sam. XV.

Hamaleki memoriam deleturum] *Delendo deleturum*, hoc est, nullum relicturum qui *filius Hamaleki* dicatur, ut memoriam ejus nominis ita servet.

Jehovæ signo meo] יהוה נסי *jehovah nissi.* Sic compendiariâ loquendi formulâ vocabatur altare, pro מזבח ליהוה נסי *altare Jehovæ signi mei.* De ejusmodi nominibus, vide notata ad Gen. XXII, 14. Vocem נסי verterunt οἱ LXX. *καταφυγή μου*, *confugium meum* Vulg. *exaltationem meam.* Sed נס est sigoum, quod perticâ adtollitur, ut copiæ ad id concurrant. Vide Num. XXI, 9. Ps. LX, 6. Esa. V, 26. XI, 12, XLIX, 22. Adludere videtur Moses *ad virgam Dei*, quâ, signi militaris instar, sublatâ, victi fuerant Hamalekitæ. Vide ad Jud. VI, 24.

16. *Quia manus ejus fuit contra thronum Jæ*] כי יד על כס יה chi jad hal ches jah, *quia manus supra, aut contra Thronum Jah.* Locus obscurus, qui ne lectione quidem Samariticâ clarior fit, nam כסא chisse, thronus, pro כס יה ches jah, *throno Jah*, nullam lucem adfert. LXX. Intt. habent: *ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ κύριος*, quasi legissent: ביד כסיה נלחם יי, *manu occultâ pugnavit Jehova*, quæ videtur conjectura eorum esse, eáque sine exemplo similis loquutionis. *Vulgatus* obscurissimè: *quia manus solii Domini*, prætermissâ voce על *hal.* *Onkelos* sacrameoti ritum hîc latere suspicatus: אמר בשבועה אמירא דא מן קדם דחילא דשכנתיה על כורסיה יקרא דעתיד דיתגח וגו *Et ait cum jurejurando, dictum est hoc à facie terribilis, cujus majestas est super throno gloriæ* In eadem sententia sunt reliqui Paraphrastæ, multique Interpretes, quasi Moses dicat: *quia manus* mea (ידי) *est ad thronum Dei* (hoc est, cœlum) *erit bellum Jehovæ.* Sed oporteret legi: כי נשאתי ידי על כס יה *sustuli manum meam ad thronum Dei, quòd bellum* &c. nam tollere manum est jurautium gestus. Verborum verò, ut jacent, commodissimus videtur sensus quem diximus. Thronus Dei censebatur tum esse in-

lem adſcenderunt. [11] Contigit autem, dum Moſes manum tollebat, ſuperiorem eſſe Iſraëlem, cùm verò demitteret manum, Hamalekum eſſe ſuperiorem. [12] Itaque cùm manus ejus graves eſſent, ſumſerunt lapidem quem ei ſuppoſuerunt. Ille verò in eo ſedi, manúſque ejus Aharon & Chur, unus hinc, alter illinc, ſuſtentabant, & firmæ fuerunt donec ſol occidiſſet. [13] Jehoſua verò gladio Hamalekum, ejúſque populum fregit.

[14] Tum Jehova Moſi, ſcribe, inquit, hoc in libro, in memoriam, & dicito audiente Jehoſuâ, me ſub cœlo Hamaleki memoriam deleturum. [15] *Ibi* exſtruxit Moſes altare, eique nomen impoſuit Jehovæ ſigno meo; [16] & quia, inquit, manus *ejus fuit* contra thronum Jæ, bellum Jehovæ in Hamalekum ab ætate in ætatem erit.

XV. Jethro

ret caſtris copias, Moſes, Aharon & Chur in ſummum montis jugum adſcendêre. [11] Cùm prælium iniretur, Moſes manus & virgam tollebat, dumque ſublatas manus in Hamalekitarum exercitum habebat, inferiores erant; ſed ſi demitteret, inclinata eorum acies reſtituebatur, incipiebántque Iſraëlitas pellere. [12] Quod cùm vidiſſent Aharon & Chur, & præ laſſitudine labare Moſi & manus & genua animadvertiſſent, lapidem ei cui inſideret ſuppoſuerunt, atque hinc & inde manus ejus fulciverunt; quâ ratione ad ſolis uſque occaſum ſublatæ manſerunt, neque umquam demiſſæ ſunt. [13] Itaque Joſua Hamalekitas prælio vicit, eorúmque vires fregit.

[14] Hac relatâ de Hamalekitis victoriâ, juſſit Deus Moſem rem ſcriptis conſignare, & ſimul Joſuaro monere decretum hoc a Deo eſſe, ut quamprimùm occaſio daretur, populus Hebræus Hamalekitas omnes ad internecionem deleret. [15] Hoc in loco, Moſes altare Deo exſtruxit, quod in memoriam inſignis victoriæ, Dei auxilio reportatæ, JAHVO NISSI, hoc eſt, *Deus Iſraelis ſignum meum*, vocavit; [16] & quia Hamalekitæ bellum nullâ injuriâ laceſſiti populo Hebræo, apud quem Deus ſolium ſuum fixerat, intulerant, juſſit Hebræos internecinum bellum cum Hamalekitis gerere.

P A-

inter Iſraëlitas, quorum Rex erat, quemadmodum Regum thronus inter ſubditos eſſe ſolet; qua de cauſâ Jer. III, 17. Jeroſolima *thronus Jehovæ* dicitur.

Sed cùm nomina imponentes cuipiam rei, ſi quid addant verborum, ad nomina ſoleant reſpicere; ſi hæc verba hoc ferrent, videretur potiùs ejuſmodi alluſio hîc quærenda. Vide infra C. XVIII, 3, 4. & Gen. XVI, 13. Capp. XXIX & XXX. XXXI, 47. & ſeq. XXXII, 30. &c. Hoc cùm animo adtentiùs verſarem, ſubiit conjectura, quam ab Eruditis expendendam proferam; nempe, pro כס *ches* legendum leviſſimâ mutatione נס *nes*, hoc eſt, ſignum, ut diximus. Altari nomen impoſuit כי ״ *& dixit: quia contra ſignum Jehovæ fuit manus*; nempe, Hamaleki, *erit bellum Jehovæ in Hamalekum* &c. Senſus eſt apertus, nec inelegans alluſio. Vocaverat altare *Jehova ſignum meum*, addit *quia manus* ejus *fuit contrà ſignum Jehovæ*, *ideò* bellum internecinum ei inferet Jehova. Loca jam adtuli, ubi נס ſignum militare ſignificat, & plura ſuppeditabunt Lexicographi.

Moſes autem cùm ad militaria *ſigna* exercitûs, quæ erant *ſigna Jehovæ*, ut copiæ *exercitus Jehovæ*, tum ad ſuam erectam virgam *ſigni inſtar*, reſpicere videtur.

Joſ. Scaliger de Emend. Temp. Lib. III. c. de anno Abrahameo. p. 223. Ed. Roverianæ, aliter hæc interpretatur, legitque; nam pro כֵּס יָהּ legit כִּסְיָה *chesijah*, quod idem putat ac כֶּסֶ quâ voce ſignificatur, ex ejus ſententia, τριακὰς, trigeſimus dies menſis, Pſalm. LXXXI, 8. Prov. VII, 20. vertitque pro eo quod habemus: *manus contra thronum Jehovæ*, τέλος τῆς ἱερομηνίας, ſive τριακάδος mavis, ſive ἰσχύς, quòd, ut putat, ultimo die menſis ſecundi Hamaleki copiæ ſint deletæ. Vult Moſem ſtatuiſſe cippum, in memoriam ejus rei, cui inſcriptum erat: ÆTERNUM BELLUM INTER POPULUM DEI ET AMALEC. Sed omittit vocem כי, quæ eſt cauſalis, nec ejus emendatione opus eſſe videtur.

Ab ætate in ætatem] Hoc eſt, per omnes ætates, dum aliæ ab aliis bellum gerendum excipiunt.

COM-

XV. Jethro Mosis socer generum in deserto invisit, ad eum uxorem cum duobus filiis adducit, & de constituendis inferioribus Judicibus consilium dat, quod Moses exsequitur.

CAPUT XVIII.

1. AUDIVIT interea Jethro Madianitarum sacerdos; *idemque* Mosis socer, quidquid Deus Mosi, & Israëli populo suo fecerat, & *potissimùm* Israëlem ex Ægypto à Jehova esse eductum. 2. Adsumsit ergo Jethro socer Mosis Tsipphoram ejus uxorem, postquàm eam dimiserat, 3. duósque Mosis filios, quorum uni Gersomo nomen *erat*, quia dicebat, peregrinus fui in alieno solo;

PARAPHRASIS.

1. CUM in eodem loco tenderet Israëliticus populus, Jethro Mosis socer, & Madianitarum Sacerdos, audivit quàm mirabili modo Deus per generum Hebræos ex Ægypto eduxisset. 2. Itaque ejus uxorem, quæ unà cum duobus filiis ex Ægypto in Madianitidem redierat, antequàm Israëlitæ illinc exirent, ad virum, 3. filiósque ad patrem reducere statuit. Horum major natu, ut antè diximus, GERSOMUS vocabatur, id est, *peregrino datus*, quod nomen ei imposuerat pater, in pere-

COMMENTARIUS

In CAPUT XVIII.

2. P*Ostquam eam dimiserat*] אחר שלוחיה ahhar schillouhheah, *post ejus dimissiones.* Ex hoc loco adparet Tsipphoram à Mose ad patrem unà cum duobus filiis ex Ægypto remissam, sed qua de causa non liquet. Nonnulli conjiciunt causam fuisse, quòd gravatim alterum filiorum circumcidisset, ut narrat Moses C. IV, 26. Sed multæ aliæ causæ fingi possent, si conjecturis indulgendum esset. Hoc fortè certius est, dimissionem hanc non fuisse repudium, quandoquidem filios mulier abduxit, & ad virum rediit.

4. *Alteri verò*] *Et nomen unius* &c.

Mihi auxilio fuit] בעזרי behezri, *in auxilio meo*, metaphorâ fortè à re militari ducta, quasi diceret, fuit *inter auxilia*, sive auxiliares copias. De loqutione *Deus patris mei*, vide ad Cap. XV, vers. 2.

A Pharaonis gladio] Pœnas propter homicidium repetituro.

6. *Dixit autem Mosi: ego sum*] Nempe, per præmissum nuncium, qui inducitur loquens instar ipsius Jethronis, more Hebræorum à nobis observato ad Capp. VI, 6. VII, 17. Sic & interdum, brevitatis causâ, loquuntur Latini. *Plinius* junior Ep. Lib. I. Ep. 5. *Evigilaveram. Nuncius à Spurina, Venio ad te. Imò ego ad te*; hoc est, qui nunciaret Spurinam ad me venire, cui nuncio reposui me ad illum ire.

7. *Satisne rectè haberet*] לשלום lschalom, *de pace*. Vide not. ad Gen. XXXVII, 4, 14.

8. *Qui sibi occurrerat*] *Qui invenerat eos*, nempe, Israëlitas, ut sitis, fames &c.

9. *In primis quod eum*] Sic vers. 1. supplendum fuit *potissimùm*.

10. *Et benedictus, inquit*] *Et dixit Jethro.*

E manu Ægyptiorum & Pharaonis] Eodem modo dictum ac suprà C. XV, 1. *Moses & Israëlitæ*, ubi vide notata.

Populúmque Ægyptiorum potestati subduxit] Eadem verba sunt ac superiora, nisi quòd pro מיד mijjad est מתחת יד mitthahath jad, *de sub manu*: הציל את העם מתחת יד, *liberavit populum è sub manu.* Hoc Caput non unum habet repetitionis exemplum, ut legentes animadvertent.

11. *Id quo superbiebant contra eos*] בדבר אשר זדו עליהם baddabar ascher zadou halehem, *in re qua superbiebant contra eos.* LXX. ἐπέθεντο αὐτοῖς *impetum fecerunt in eos.* Vulg. *Quòd superbè egerint contra illos.* Onkelos: *in eadem re in qua cogitaverunt judicare Israël, in ea ipsi judicati sunt.* Quarum interpretationum nulli satis cum verbis convenit, & duæ priores sensu carent. Videtur esse phraseos, ut ita dicam, compendium, quæ integra sic efferatur: הדבר אשר זדו בו היה עליהם *res in qua superbiebant*, nimirum, Ægyptii, *fuit contra eos*; equitatus, nempe, & currus, quibus se contrituros Israëlitas sperabant, & quibus factum est ut in alveo maris Erythræi submersi sint, ut ostendimus in Dissert. *de trajectione maris Idumæi.* Sic verbum זוד zoud exponitur infra C. XXI, 14. & Nehem. IX, 10. Quòd si בדבר legeretur *baddeber*, hoc est, *in peste*, sensus esset: *quia perierunt qui contra eos* (Israëlitas) *superbierant*, cui sensui favet Nehemiæ locus: *edidisti signa & portenta contra Pharaonem, omnes ejus servos, omnémque ejus terræ populum, quia cognoveras* כי הזידו עליהם *quòd superbierant in eos.* De voce בדבר Vide sup. Cap. IX, 15.

12. *Ut panem*] Hoc est, ut ex reliquis salutarium victimarum partibus unà convivarentur.

Coràm Deo] Aut ad montem Dei, aut ad Tabernaculum, si hæc post absolutum Tabernaculum contigerunt, ut multi putant. Vide ad vers. 16.

13. *Populúsque adstabat*] Nempe, quicumque litigabant, aut de sensu legum divinarum ambigebant.

15. *Ad sciscitandum Deum*] Ad leges anquirendas, de quibus Deum subinde consuli oportebat.

16. *Inter eos disceptator sum*] *Judicavi inter virum, & socium ejus.*

Legésque & instituta Dei] Hinc non ineptè col-

lo; 4. alteri verò Elihezero, quia, *inquiebat*, Deus patris mei mihi auxilio *fuit*, méque à Pharahonis gladio liberavit.

5. Venit autem Jethro, socer Mosis, filiique ejus & uxor in desertum ad Mosem, cùm illic ad montem Dei castra posuisset. 6. Dixit autem Mosi: ego *sum* socer tuus Jethro, qui ad te venio, cum uxore tua ac duobus filiis. 7. *His auditis*, obviam processit Moses socero suo, inclinato corpore eum salutavit, & osculatus est, & cùm alter ab altero satisne rectè haberet quæsivisset, in tentorium venerunt. 8. Tum socero Moses narravit quæcumque, propter Israëlem, Pharahoni & Ægyptiis fecerat Jehova, omnémque *item* laborem, qui in itinere sibi occurrerat, & à quo se liberaverat Jehova. 9. Lætatus verò est Jethro, propter omnia beneficia, quibus Israëlem Jehova adfecerat, & *inprimis* quòd eum è manu Ægyptiorum eripuisset; 10. &, benedictus, inquit, sit Jehova, qui vos è manu Ægyptiorum & Pharahonis liberavit, populúmque Ægyptiorum potestati subduxit. 11. Nunc Diis omnibus majorem Jehovam esse intelligo, quia id, quo superbiebant, contra eos *fuit*. 12. Cepit deinde Jethro, socer Mosis, holocaustum & victimas Deo *offerendas*, venitque Aharon & omnes Israëlis senes, ut panem coram Deo, cum socero Mosis, comederent.

13. Postridie ad jus populo dicendum sedit Moses, populúsque Mosi, à matutino tempore ad vespertinum, adstabat. 14. Cùm verò vidisset socer Mosis quæcumque populo faceret, quid hoc est, inquit, quod huic populo facis? Quare solus sedes, totúsque hic populus tibi, à matutino tempore ad vespertinum, adstat? 15. Moses autem

peregrinationis suæ memoriam. 4. Minori nomen indiderat ELIHEZERO, quæ vox *Dei auxilium* sonat; quod Deus se ultimo supplicio, à Rege Ægypti infligendo, eripuisset.

5. Igitur cùm castra Israëlitica ad Chorebum montem essent, ad Mosem venit Socer Jethro, cum filia Mosis uxore, duobúsque ex ea nepotibus, 6. & præmisit quidem nuncium, qui mox adfuturos nunciaret. 7. Quo audito, obviam processit Moses, & honorem socero habuit, cumque alter ab altero satisne rectè omnia quæsivisset, unà in tentorium Mosis venerunt. 8. Ibi Moses quæcumque sibi acciderant, ex quo ex Madianitide profectus erat, narrat, quibus cladibus Deus Ægyptios adflixisset, quas molestias Israëlitæ in Arabia exantlassent, & quà denique ratione ex omnibus à Deo essent liberati. 9. Summo cum gaudio, hæc omnia Jethro ex Mosis ore accepit, & præsertim quòd diræ servituti, quâ premebantur ab Ægyptiis, Israëlitas Deus eripuisset, 10. atque in hæc verba erupit: omni laude dignus est Deus vester, qui vos intolerandæ tyrannidis jugo subduxit. 11. Jam video nullum Numen esse ei æquiparandum, qui id quo maximè superbiebant Ægyptii, currus & equitatum, in eorum perniciem convertit. 12. Tum Sacerdos Madianita potentissimo ejus Dei Numini sacra se velle facere dixit, holocautomatáque & salutaria sacra ei obtulit; ad quorum reliquias vocati sunt Aharon & reliqui Hebræorum principes, ut sacris ritè factis unà convivarentur.

13. Postridie Moses ad solitum Judicis populi Hebræi munus rediit, eique, præsente Jethrone, à matutino tempore ad vespertinum, positâ sellâ, jus

colligere videntur Interpretes nonnulli Legem jam tum latam fuisse, quî enim Moses respondere de jure potuisset, quod nondum erat constitutum? Nec sanè ordo temporis in hisce libris adcuratè servari solet. Vide ad Cap. XVI, 33.

18. *Contabescetis*] *Marcescendo marcesces.* *Nimium est rei pondus, quàm tu id feras*] כבד ממך הדבר cabed mimmecha haddabar, *res est gravior te.* Administratio Reipublicæ confertur oneri, quod & in aliis Linguis sollemne est.

19. *Interpres apud Deum*] מול האלהים *moul haelohim.* LXX. Intt. τὰ πρὸς τὸν θεὸν Vulg. *quæ ad Deum pertinent.* Sed מול constanter *apud*, aut *è regione* significat, & sequentia verba ostendunt sensum esse quem expressimus. Prophetæ erant interpretes Dei ad populum, & populi apud Deum, ut ostendimus ad Gen. XX, 7.

20. *Viam quâ incedant*] Supplevimus *quâ*, quod manifestò subauditur, ut sæpe alibi. Samaritæ habent ideò דרך אשר *deresch ascher.*

21. *Viros fortes*] אנשי חיל ansche hhajil, *viros fortitudinis.* Quod solet quidem militarem virtutem significare, sed hîc videtur signare constantiam animi; quæ neque gratiâ, neque timore, à recto justitiæ tramite deflectitur, qualis judices decet. Sunt judicibus aliquando spernendæ non infimiorum dumtaxat, sed potentissimorum hominum inimicitiæ, nisi à justitia deflectant; nec possunt pericula, quæ subeunt eo pacto, nihili facere, sine summa animi fortitudine. Adjungi tamen animi constantiæ potest laboris & adtentionis patientia, cùm sine molestia tot lites audiri & disceptari nequeant, etiamsi metus & gratia absunt. Utroque sensu *onus est grave & incommodum judicare*, ut loquitur Cicero Verrina I. & cui ferendo, in tanto populo, vir unus esse non poterat.

21. *Veri amantes*] *Homines veritatis.* אמת *emeth*, apud Hebræos, haud secus ambiguum est, ac *verum* apud Latinos; utrumque enim & *veritatem* seu ἀλήθειαν, & *justitiam*, δικαιοσύνην, significat. Ac sanè sunt hæc natura conjunctissima, & tribunal, à quo fugata est veritas, careat etiam justitia necesse est; quod his verbis eleganter describit Esaias Cap. LIX, 14. *Jus retrò abiit, justitia procul stetit, quia impegit in platea veritas* (אמת) *neque rectum ingredi potuit.*

Chi-

autem focero, quia, inquit, populus hic, ad fcifcitandum Deum, ad me venit. 16. Si quid negotii iis fit, veniunt ad me, inter eos difceptator fum, legéfque & inftituta Dei eis patefacio. 17. Tum verò Mofis focer huic, non bonum eft, inquit, quod facis. 18. Contabefcetis, & tu, & hic tecum populus; nimium enim rei pondus eft, quàm tu id feras, eâ folus defungi non potes. 19. Audi ergo vocem meam, tibi confilium dabo, Deúfque tibi aderit. Efto tu huic populo *interpres* apud Deum, *eorúmque* negotia ad Deum referto. 20. Tum expones iis inftituta & leges, viámque quâ incedant, & quæ faciant fignificabis. 21. Difpicito verò tu ex omni populo viros fortes, Dei timentes, homines veri *amantes*, & avaritiam exofos; atque *hos* illis præficito chiliarchos, centuriones, pentecontarchos, & decuriones. 22. Hi omni tempore populo jus dicant, omnem quæ gravior inciderit caufam ad te referant, omnémque minorem ipfi difceptent. *Sic te* onere levato, illique tecum ferant. 23. Si hoc feceris, & tibi Deus mandata dabit, & ftare poteris, atque univerfus quoque hic populus ad locum fuum incolumis eft perventurus.

24. Obfequutus eft Mofes voci foceri, & quidquid dixerat fecit. 25. Viros fortes ex omni Ifraële elegit, populóque capita impofuit, chiliarchos, centuriones, pentecontarchos, & decuriones. 26. Hi omni tempore populo jus dicebant, caufas difficiles ad Mofem referebant, minores verò omnes ipfi difceptabant. 27. Poftea Mofes focerum dimifit, ifque in patriam fuam profectus eft.

XVI. Ex

jus dixit. 14. Quod cùm vidiffet Jethro, nec fatis, Linguæ Hebraicæ ignarus, intellexiffet quid fedente Mofe, & populo ad eum ftante, per totum diem actum effet, à genero quid hoc fibi vellet quæfivit. 15. Mofesrem, ut erat, expofuit, refpondere, nempe, fe populo de jure divinitus Hebræis inftituto; 16. difceptatorémque fe litium omnium effe, quas ex legibus à Deo latis dirimeret. 17. At vero Jethro neque Mofi, neque populo hoc expedire judicavit; ut omnes lites, parvæ, magnæ, ad unum Judicem deferrentur. 18. Neque enim tantæ multitudini fatis temporis poffe ab uno homine concedi, ut caufæ omnes, eâ quâ par erat verborum copiâ, agerentur; neque unum virum quotidie à matutino tempore ad vefpertinum jus dicere poffe, fine gravi valetudinis periculo; itaque, fi ita pergeret, fore ut multi quibus lites effent, dum exfpectant commodum judici tempus, numquam jus fuum perfequi poffent, ac morâ enecarentur, & ut ipfe Judex tam tædiofâ occupatione contabefceret. 19. Adjecit fe fidele confilium Mofi daturum, quod fi fequeretur non dubitabat quin, Deo cœptis ejus favente, omnia ex voto in Republica populi Hebræi fuccederent. Hoc autem erat confilium, ut Mofes ipfe ea dumtaxat in fe fufciperet, in quibus Deo confulto, ob negotiorum difficultatem, opus erat; 20. & fummam tantùm juris & legum Hebræis exponeret, ad quam fe fe componerent. 21. Ad fingulas verò lites quod adtinet, & minoris momenti negotia expedienda, eligeret viros integros, religiofos, æquitatis ftudiofos, atque abftinentes, quos millenis, centenis, quinquagenis, & denis familiis præficeret.

P A-

Chiliarchos] *Principes*, aut *præfectos millenorum*. Unâ voce Græcâ, aut Latinâ, prout potuimus, expreffimus, quod duabus Hebraïcis dictum erat. Quamvis autem Jethro plurali numero dicat *Chiliarchos*, *Centuriones* &c. non videtur intellexiffe fingulis hifce diftributionibus præfuiffe plures collegas, eadem dignitate ornatos; ita loquutus eft propter Chiliadum, Centuriarum &c. multitudinem. Alioqui nimius fuiffet præfectorum numerus, qui permagnus eft, fi fingulos tantùm unicuique familiarum diftributioni attribueris, ut liquet ex fequenti calculo. Exierant Ægypto fexcenta millia virorum, ut docet Mofes Exod. XII, 37. Num. XI, 21. jam verò

In numero	600000
Chiliades funt ———	600
Hecatoutades ———	6000
Pentecatontades ———	12000
Decades — — — —	60000

Itaque Præfectorum numerus fuit 78600 (fi tot familias ponas, quot erant puberes, feu adolefcentes, feu viri provectioris ætatis) quorum videntur ita fuiffe diftincta munera, ut quod non poterat judicio Decurionis abfolvi, id deferretur ad Pentecontarchum, & fic porrò; ita ut quæ lites à Chiliarcho dirimi, ob difficultatem aut contendendi ftudium, non poterant, de iis ad Mofem Chiliarchus, Mofes ad Deum referret. An Chiliarchi convenirent, fenatúmque conftituerent non liquet; fed videntur unicuique Tribui electi fuiffe Magiftratus ex Tribulibus, iique de his folis judicaffe, faltem fi foli federent, quod colligimus ex Deut. I, 9. & feqq. ubi hæc hiftoria item narratur. Quæ à Rabbinis Hiftoriæ addita ftudiosè collegit *Joan. Seldenus* de Syned. Hebr. Lib. I. c. 15. qui adiri ab harum rerum curiofis poterit. Certè cùm à Mofe Leges *editæ non fint perfectæ*, *quod erat infinitum*, *fed ipfæ fummæ rerum ac fententiæ*, ut Ciceronis verbis, in re fimili, utar; & innumera funt arbitrio Judicum relicta, & infinitam fupplendi licentiam fibi adrogarunt Magiftri.

23. *Ad locum fuum*, *incolumis*] *In pace*; poterant alioquin innumera oriri diffidia, quæ poftea belli civilis fomites fuiffent, & Remp. populi Hebræi funditus evertiffent. Fieri enim non poterat ut vir unus jus accuratè diceret trecentis myriadibus, & omnibus fatisfaceret; quod mirum eft Mofem aufum effe adgredi, & expertum Soceri admonitione eguiffe.

 24. *Obfe-*

XVI. Ex Rephidimis in Sinaïs montis solitudinem progrediuntur Israëlitæ. Mose internuncio, rogantur Jehovæne leges subire velint. Adnuentes jubentur in tertium diem se lustrare, Dei vocem audituri. Descendit tertio die Jehova, horrifico apparatu, in montis cacumen, à quo procul esse jubetur populus, accedentibus tantùm Mose, Aharone, aliisque qui Sacerdotum munere fungebantur.

CAPUT XIX. 1. TERTIO mense, ex quo Israëlitæ Ægypto erant egressi, ipso die, in Sinaïs desertum venerunt. 2. Profecti ergo ex Rephidimis cùm essent, venisséntque in desertum Sinaïs, in eo deserto, è regione montis castra posuit Israël. 3. Moses verò ad Deum adscendit, & clamavit quidem ei Jehova è mon-

PARAPHRASIS.

1. 2. TERTII mensis, ex quo erant Ægyto profecti Hebræi, decimo quinto die, ex Rephidimis Chorebo monti subjectis ad occasum castra moverunt, & circa Sinaïs radices consederunt. 3. Ex iis castris ad nubem monti insidentem adscendit Moses, quò cùm pervenisset audivit vocem Dei ipsum jubentis Hebræos hanc in sententiam alloqui: 4. Quibus cladibus Ægyptios, propter vos, mulctaverit Deus scitis, & quâ ratione per ea loca, quæ avibus dumtaxat pervia esse existimarunt Ægyptii, viam nobis aperuerit, vósque ad suum hunc montem adduxerit, ut mihi pollici-

24. *Obsequutus est Moses Soceri voci*] Hæc videtur institutio fuisse ad tempus dumtaxat peregrinationis, quâ populus in certos numeros, non in urbes, ac pagos, ut postea, erat divisus. Vide ad Deut. XVI, 18.

25. *Viros fortes*] Exsequutionem consilii Jethronis pluribus multò verbis habent Samaritæ, & quidem petitis ex Deut. I, 9. & seqq.

26. *Causas difficiles*] הדבר הקשה *haddabar hakkascha*, rem difficilem, quæ suprà vers. 2. dicitur גדול gadol, *magna*. Sunt qui velint graviores causas ne admissas quidem ad minorum Potestatum tribunalia fuisse, sed sine provocatione ad Mosem rejectas; alii aliter censent, pro conjiciendi libidine. Nonnulli etiam majores illas causas Mosi soli reservatas ausi sunt definire, aiúntque fuisse 1. res Sacras, seu ad Religionem pertinentes: 2. interpretationem legum, si quid de rigore remitti æquitas suaderet: 3. judicia capitalia: 4. res ad eum per provocationem delatas. Quibus de rebus *Joan. Seldenus* de Syned. Heb Lib. I. c. 16. Hæc particulatim expendere non est instituti nostri, qui Mosem illustrare, non Recentiorum conjecturas, de quibus nihil habent Sacræ Tabulæ, colligere & confutare adgressi sumus. Priscis illis temporibus, & pauciores erant lites, & faciliùs dirimebantur; quàm post natam illam ingentem Legum farraginem, quibus Judicis arbitrio quàm minimùm permittere conati sunt Legislatores; quod etiamnum hodie fieri videmus inter rudiores, easdémque feliciores, hac saltem in re, Orientis Gentes. Itaque operam ludunt, qui supplementa antiquissimi juris, ex consuetudine sequentium sæculorum, scribunt.

Profectus est] *Ivit sibi in terram suam*, in Madianitidem, relicta filiâ & nepotibus in tentorio Mosis.

COMMENTARIUS

In CAPUT XIX.

1. *IPso die*] Hoc est, die 15 tertii mensis, nam primi 15 Lunâ exierant Ægypto, ut docemur Cap. XII.

In Sinaïs desertum] Erant antea non procul à monte Chorebo, ad cujus radices commissum est cum Hamalekitis prælium, ut liquet ex Cap. XVII, 6. hoc est, ad orientem deserti Sinaïs, sed circumacto monte ad occidentem iverunt, nam Sinaïs ad occasum est Chorebi, ut ostendimus ad Cap. III, 1.

In eo deserto] Additur ויחנו vajjahhanon *castra posuerunt*, quod repetitur in sequentibus verbis

3. *E monte*] Additur לאמר *dicendo.*

4. *Aquilinis alis sustulerim*] *Super alas aquilarum.* Eadem similitudine utitur Moses Cap. XXXII, 11. Deuteronomii. Hoc in loco, non videtur celeritatem spectare, cùm nulla in itinere Israëlitarum fuerit, qui lento gradu processerant; sed quòd eò venerint quò, judicibus Ægyptiis, aves tantùm ire possent. Cùm enim in littore maris Idumæi castra haberent, neque ulla iis esset navium copia, evadere posse in adversum littus non videbantur, nisi alæ iis aptarentur. *Aquilæ* nomen videtur pro quavis alia ave esse. Sic cùm ii, qui Sogdianam petram armati insederant, peterent *an Alexander volare posset*, jactavit, nec falsò, *se effecturum ut crederent Macedonas etiam volare*; & cùm eò enixi essent, quò solæ aves pervenire posse credebantur, dixit *Cophas*, qui eos *Arimazi* rupem tenenti ostendit, *pennas habere milites Alexandri.* Vide *Curtium* Lib. VII. c. 11.

Ad me] Ad montem meum. Vid. C. III, 1.

4. *Cùm universa tellus mea sit*] *Et eritis* (והייתם) *mihi peculium ex omnibus populis, quia* (כי) *mihi omnis terra.* An sensus à nobis expressus sit, si quis dubitet, propter conjunctiones ו & כי, quarum alteram *cum*, aut *quamvis*, alteram *tamen* vertimus, adeat *Noldianas Concordantias*, & videat Deut. X, 14, 15.

6. *Regnum Sacerdotale*] Iterum repetitur *&* *eritis mihi.* Regnum *sacerdotum* significat homines non minus Deo sacros, ac proinde caros, ac si omnes essent Sacerdotes. Ut Sacerdotes, qui piè ac castè rem divinam faciebant, Deo cari habebantur: sic Deus sibi caros fore is-

monte: Sic dices domui Jacobi, hæc Israëlitis nunciabis: 4. Vidistis quid Ægyp-
tiis fecerim, & *quemadmodum* vos aquilinis alis sustulerim, atque *huc* ad me adduxe-
rim; 5. nunc autem si voci meæ obsequamini, fœdúsque meum servetis, cùm
universa tellus mea sit, peculium vos tamen mihi ex omnibus populis, 6. regnum
sacerdotale, & gens sacra eritis. Hæc sunt verba, quæ Israëlitis dices.

7. Abiit Moses, senésque populi convocavit, & coram iis omnia exposuit, quæ
in mandatis ei dederat Jehova. 8. Universus verò populus pariter respondit, &
quidquid, inquit, dixit Jehova faciemus. Moses autem Jehovæ verba populi re-
tulit.

9. Tum Jehova Mosi; en ego, inquit, ad te in densa nube descensurus sum, ut
exaudiat populus cùm tecum loquar, & tibi in perpetuum credat. Moses verò *rursus*
Je-

licitus erat. 5. Nunc autem si tanta beneficia gra-
to animo recolentes, leges quas vobis feret susci-
pere velitis; scitote vos illi, præ omnibus om-
nium terrarum populis, quorum est dominus, cu-
ræ futuros. 6. Singulos vestrûm æquè caros ha-
bebit, ac si omnes consecratâ ei ætate suâ, quo-
tidie sacra castè & piè facerent. Hæc jussit Deus
Mosem Israëlitis referre, ut cognosceret num le-
ges suas vellent subire.

7. Cùm ergo descendisset Moses, Dei, Hebræo-
rúmque internuncius, è monte, majores natu Is-
raëlitarum ad se convenire jussit, & Dei ad eos
mandata exposuit. 8. Tum verò universi Leges
accipere se paratos esse ostenderunt, eorúmque
verba Deo retulit Moses.

9. Itaque Deus dixit se legum potissimas, ex
obscura nube voce emissâ laturum, audiente uni-
verso populo, ne an leges divinitus essent sibi da-
tæ

Israëlitas, si legum suarum observantes sint, significat. Qua in re sita sunt vera sacrificia, & sine quibus nullis aliis delectatur Deus. Vide Matth. IX, 13. & ad eum locum Intt. Inversâ phrasi, dixit Petrus 1. Ep. II, 9. *βασίλειον ἱεράτευμα regium sacerdotium*. Huc facit quod כהן *chohen* intimæ admissionis amicum regium sonare diximus ad Gen. XLI, 45.

Gens sacra] Quippe quæ universa Sacerdotibus constabit. Idem dici potuit, de vero Numine & Hebræis, quod de Cerere & Ennensibus dixit *Cicero* Lib. IV. in Verrem n. 111. *Habitare apud se se Cererem Ennenses arbitrantur, ut mihi, non cives illius civitatis, sed omnes Sacerdotes, omnes accolæ atque antistites Cereris esse videantur.*

7. *Senes populi*] Magistratus signari quidam volunt, sed nulli hoc tempore fuisse videntur. Intelliguntur senes honoratiores. Vide not. ad Cap. III, 16.

8. *Jehovæ verba populi retulit*] Quippe *μεσίτης*, seu internuncius. Vide C. XVIII, 19.

9. *In densa nube*] *In densitate* (בעב behab) *nubis*. Antea videtur Deus submissiore voce Mosem alloquutus, ut vox ad populum non perveniret, ut & postea; cùm populus, præ metu, se Deum audire posse negasset.

Et tibi in perpetuum credat] Voce, nimirum cœlesti auditâ, non poterit suspicari ea quæ nomine meo edes mendata à te ficta fuisse. Hinc *Maimonides* de Fundam. Legis. Cap. VIII. §. 2. & 3. ait veteres Israëlitas Mosi penitus credidisse, propter ea sola quæ ad montem Sinain gesta sunt, cùm antea vacillaret eorum fides: הקול, inquit; מדבר אליו ואנו שומעים משה משה לך אמור להן כך וכך וגו *vox alloquebatur cum & nos audiebamus, Moses, Moses, abi, dicito illis sic & sic.* &c. Hac sola in re negat suspicionem sequiorem locum habere posse: מכלל שקודם דבר זה לא האמינו בו באמנות שהיא עומדת לעולם אלא האמנות שיש אחריה הרהור ומחשבה: *Itaque ante hoc verbum non crediderunt in eum fide in æternum permanente, sed fide quam sequitur calumnia & suspicio.* Antiquiores etiam Maimonide Judæi dicebant se esse Mosis discipulos, *quòd scirent Deum eum esse alloquutum.* Joan. IX. 29. Hac de causa, voces è cœlo editæ plus semel, quibus Jesu-Christo fides conciliaretur, Matth. III, 17. XVII, 5. Joan. XII, 28, 29, 30.

10. *Lustrato*] קדשתם kiddaschtham, *sanctifica eos*, ablutionibus, nimirum, corporis & vestium, quæ *lustrationes* à Latinis dicuntur. Voces *sanctificare*, aut *consecrare* locum hîc habere non poterant, & LXX. rectè verterunt ἅγνισον, & potuissent etiam transferre κάθαρον, *purga*, *munda* &c. Vide not. ad Cap. III, 5.

Sua vestimenta abluat] Hoc & abstinentia à conjugibus fuere ἁγνίσματα, quibus lustrati Israëlitæ. De ablutione vestium vide notata ad Genes. Cap. XXXV, 2. & infra ad vers. 15.

11. *Paratus sit*] *Parati sint.*

12. *Dicesque*] *Dicendo.*

Cavete vobis] Ut sui majorem reverentiam injiceret Israëlitis, & eximio, singularique prorsus honore Mosem ornaret, spectantibus Israëlitis, dum hunc solum accedere pateretur. Sic & pleræque omnes Gentes ἄδυτα habuerunt, exceptis solis Sacerdotibus, quale etiam fuit sanctissimus Tabernaculi locus.

13. *Ne manus eum adtingito*] Hoc est, ne quisquam eum sequatur intra consecratos terminos, ut inde ejiciatur; sed aut lapidibus obruatur è longinquo, aut sagittis confodiatur. Per biduum videtur hæc Lex locum habuisse, tertio enim die si quis consecratos fines ingressus esset, Dei ipsius ultione periturus erat. Vide vss. 21, 22, 24.

Lapidibus obruetur] *Lapidando lapidabitur, vel telis impetendo impetetur.*

Sive brutum] Ne quis homo, dum pecus sequitur, eo prætextu vetitos fines ingrediatur.

Cùm tractim tuba clanget] במשך *bimschoch*, cùm trahet tuba, hoc est, longiore sonitu canet. Vide ad Cap. X. Numer.

Ad montem] Extra terminos, quatenus accedere licebit.

15. *Neque ad uxorem accedite*] Hoc se pollui existimabant Orientales pænè omnes. *Herodotus* Lib. I. c. 198. de Babyloniis & Arabibus

bus

Jehovæ populi verba renunciavit. [10] Jehova iterum Mosi, ito, inquit, ad populum, eúmque hodie & cras lustrato, & sua vestimenta abluat. [11] Paratus sit in diem tertium, Jehova enim tertio die, in oculis totius populi, in montem Sinaïm descendet. [12] Terminos autem eireumquaque populo describes, dicésque: cavete vobis ne in montem adscendatis, finésque ejus adtingatis; morte enim adficietur quicumque eum adtigerit. [13] Ne manus *ulla* eum *hominem* adtingito, nam lapidibus obruetur, aut telis confodietur; sive brutum, sive homo sit, non vivet. Cùm tractim tuba elanget, ad montem illi adseendant. [14] *His auditis*, descendit Moses è monte ad populum, eúmque lustravit, & abluerunt vestimenta sua. [15] Dixit quoque populo: estote parati in tertium diem, neque *interea* ad uxores aeeedite.

[16] Die autem tertio, matutino tempore, fuere tonitrua & fulgura, & densa nubes supra montem, simulque vehementissimus tubæ sonitus; quibus universus populus, qui erat in eastris, territus est. [17] Tunc Moses populum è eastris, in oecursum Dei, eduxit, & infra montem substiterunt. [18] Totus mons Sinaïs fumabat, quòd Jehova illic

tæ in posterum dubitare posset; nam antea divina vox à solo Mose audita fuerat. Quibus acceptis, Moses quid facturum se polliceretur Deus populo dixit, [10] atque ad nubem redux mandatum accepit, lustrandi populi eo die & sequente, quibus Hebræi jubebantur vestes abluere, atque à re uxoria abstinere, [11] ut tertio die mundi ad Deum accedere possent, atque eum nube obvolutum palam descendentem in jugum Sinaïs montis propiùs viderent. [12] Jussit tamen Deus describi circa eum montem fines, intra quos accedere eeteris Hebræis non liceret, nisi capite pœnas luere vellent. [13] Quod si quis eos fines ingrederetur, rapi illinc hominem, ut occideretur, vetabat, ne mons calcaretur à plebe, lapidibus aut telis procul occidi jubebat; eáque lex non minus ad bruta, quàm ad homines, pertinebat. Fas tamen erat Israëlitis, cùm tubam tractim canentem audituri erant, ad radices montis accedere. [14] [15] Hæc mandata, ut cetera, ad populum detulit Moses, eúmque ablutione vestium & castimoniâ lustrari universum jussit, ut in tertium diem esset paratus.

[16] Perendie ortâ luce, fulgura frequentia cerni, tonitrua & ingens tubæ sonitus audiri, & montis cacumen densâ nube obnubilari: quibus rebus summopere per castra territi sunt Israëlitæ. [17] Moses vero populum castris egressum ad montis radices

bus hoc prodidit. Ὁσάκις δ' ἂν μιχθῇ γυναικὶ τῇ ἑωυτοῦ ἀνὴρ Βαβυλώνιος, περὶ θυμίημα καταγιζόμενον ἵζει, ἑτέρωθι δὲ ἡ γυνὴ τὠυτὸ τοῦτο ποιέει· ὄρθρου δὲ γενομένου, λοῦνται ἀμφότεροι· ἄγγεος γὰρ οὐδενὸς ἅψονται, πρὶν ἂν λούσωνται· ταὐτὰ δὲ ταῦτα καὶ Ἀράβιοι ποιεῦσι: *quoties autem cum uxore miscetur vir Babylonius, thymiama lustrale igni admovet, atque ex altera parte uxor idem facit. Cùm verò illuxit aurora, ambo lavantur, nullum enim vas adtingere solent, antequàm abluti fuerint. Hæc eadem faciunt etiam Arabes.* Idem de Ægyptiis Lib. II. c. 64. Τὸ μὴ μίσγεσθαι γυναιξὶ ἐν ἱροῖσι, μηδὲ ἀλούτους ἀπὸ γυναικῶν ἐς ἱρὰ ἐσιέναι, οὗτοί εἰσι οἱ πρῶτοι θρησκεύσαντες: *non misceri cum fœminis in templis, neque ablutos à mulieribus templa ingredi, hi primi religiosè instituerunt.* Græcos, in sequentibus verbis, Ægyptiis adjungit. Eadem de causa, instantibus saeris sollemnioribus, Ægyptii Sacerdotes multis quidem rebus abstinebant, ἀπὸ δὲ πάντων ἀφροδισίων, καὶ ὁμιλίας γυναικείας, *ante omnia à rebus Venereis, & congressu muliebri.* Verba sunt *Chæremonis*, apud *Porphyrium* de Abst. Lib. IV. c. 7. Idem mos invaluerat apud Græcos, ut docet inter alios *Joan. Meursius*, in Eleusiniis, Cap. VII. & apud Romanos, ut vel ex his *Tibulli* Lib. II. Eleg. I. liquet, ubi de Ambarvalibus loquitur.

Vos quoque abesse procul jubeo (discedite ab aris)
Queis tulit hesternâ gaudia nocte Venus.
Casta placent superis, pura cum veste venite
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Ad quem locum multa congessere Interpretes. Hæc omnia à Judæis ad alios manasse multi credunt, quos aliorum potiùs imitatores censuerim; præsertim cùm ejusmodi lustrationes ante legem in usu essent, neque in Lege eâ diligentiâ describantur, ut solent nova sacra describi. Deus hîc *lustrari* jubet populum, vestésque ablui, nihil præterea addit, quia Moses quid sibi vellet vox קדש *kiddesch*, ex usu recepto, satis noverat.

Ad rationem autem hujus legis quod adtinet, præterquàm quòd ita ferebat usus, & mundos oportebat esse qui sacris operaturi erant, aut mysteriis initiandi, de causis sat gravibus, quas indicavimus ad Gen. XXXVI, 2. legitima Venus hîc interdicta videtur, potissimùm ut ab illicitis homines abstinerent voluptatibus, discerentque abstinentiam eam Deo gratissimam esse. Sæpe licita interdicta, ne ab iis ad illicita gradus fieret, útque ab illicitis arctior esset abstinentia. Vide Levit. X, 8. & ad eum locum notata.

Alioqui, si res in se spectetur, in *Theanûs* Pythagoricæ sententiam nemo non iverit: ἐρωτηθεῖσα γὰρ ποσταία γυνὴ ἀπὸ ἀνδρὸς εἰς τὸ Θεσμοφόρειον κάτεισιν; Ἀπὸ μὲν τοῦ ἰδίου, καὶ παραχρῆμα ἔφη· ἀπὸ δὲ τοῦ ἀλλοτρίου οὐδεπώποτε: *interrogata quot diebus mulierem abstinere à viro oporteret, ut in Thesmophorium iret? A proprio, inquit, statim, ab alieno numquam.* Refert *Clemens Alexandrinus* Stromat. IV. & alii plurimi.

16. *Tonitrua & fulgura*] Præterea *Sinaïs fumabat & contremebat* vers. 18. quòd Deus in igne descendisset. Diximus ad Capitis sequentis vers. 1. Angelum, personam Dei sustinentem, descendisse; qui fuisse videtur ex primariis Angelis, quales Novi Testamenti litteræ *Archangelos* vocant. Quod cum ita sit, non erit fortè ἀπεοικότως, si quod de Archangelorum ἐπιφανείας habet *Jamblichus* huc transferamus.

illic in igne descendisset, fumúsque adscendebat instar fumi fornacis, & universus mons contremebat. 19. Cùm autem sonitus tubæ summopere augeretur, Moses loquutus est, Deúsque voce ei respondit.

20. Cùm itaque descendisset Jehova in montem Sinaïn, & quidem in cacumen montis, evocavit Mosem in id jugum, Moséque adscendit. 21. Tum Jehova Mosi: descende, inquit, commonefacito hunc populum, ne irrumpat ad Jehovam, *rem propiùs* visurus, plurimique ex eo cadant. 22. Ipsi Sacerdotes, qui ad Jehovam accedunt, lustrati sint, ne irruat in eos Jehova. 23. Moses verò Jehovæ, non sustinebit, ait, hic populus in montem Sinain adscendere, nos enim commonefecisti dicendo: terminos describito monti, eúmque consecrato. 24. Sed Jehova illi, ito, inquit, descendito tu, Aharónque tecum, Sacerdotes verò & populus ne irrumpant ad adscendendum, ad Jehovam, ne irruat in illos.

25. Descendit ergo Moses ad populum, eique hæc dixit.

XVII. Deus

dices sequi se jussit, & cùm ipse fines descriptos ingressus esset, ceteri Hebræi extra eos manserunt. 18. Cùm autem nubi, quæ in montem descenderat admistus esset ignis, incensa est montis materia; fumúsque ingens, quasi ex fornace lateraria, adscendebat, ad quem magnus totius montis accedebat tremor. 19. Progrediente Mose, tubæ sonitus augeri cœpit, verbáque Dei & Prophetæ ultro, citróque loquentium, tacente tubâ, audita sunt.

20. Tum ex cacumine montis, quod nube tectum erat, Mosem ad se vocavit Deus; qui cùm propiùs accessisset, 21. jussus est iterum populum monere, ne intra interdictos fines irrumperet, neque enim hoc impunè ulli futurum. 22. Adjecit etiam Deus eos, quos sacris faciendis antehac adhibuerat, & qui victimas sibi offerre solebant, non aliter oportere esse lustratos quam reliquam plebem, ne divinitus immissâ plagâ interirent. 23. Moses verò negavit opus esse denuò moneri populum, se enim palam edixisse descriptum iri monti terminos, intra quos sacer haberetur, atque à plebeiis hominibus calcari eum nefas esset. 24. Attamen jussit Deus Mosem & Aharonem descendere ex monte, iterúmque & Sacerdotibus & populo monte, intra descriptos fines, interdicere, ne divinitus immissâ morte conciderent. 25. Igitur Deo paruit Moses, populúmque denuò commonefecit.

P A-

mus. Sic ille de Myst. Ægypt. Lib. Sect. II, Cap. 4. Ἀρχαγγέλων ἐκφαινομένων μοῖραι μέν τινες ΣΥΓΚΙΝΟΥΝΤΑΙ τοῦ κόσμου, καὶ πρόδρομον ΦΩΣ προηγεῖται διῃρημένον· αὐτοὶ δὲ κατὰ μέγεθος τῆς ἡγεμονίας σύμμετρον ἐπιδεικνύουσι καὶ τὸ τῆς αὐτῆς μέγεθος: *Archangelis adparentibus, partes quædam mundi simul* COMMOVENTUR *& prævia quædam* LUX *eos præcurrit, sed divisa; ipsi verò, pro magnitudine administrationis suæ, consentaneam ostendunt ejus magnitudinem.* Idem Cap. VII. Τάξεως ἧς οἱ ὁρώμενοι ἔχουσι γίνεται ἔνδειξις ἐν ταῖς αὐτοψίαις: *ordinis quem obtinent qui cernuntur demonstratio fit, in eorum adparitionibus;* τῶν Ἀρχαγγέλων προπομποὺς ἀγγέλους, ἢ σὺν ἑαυτοῖς συντεταγμένους, ἢ κατόπιν ἑπομένους, ἢ ἄλλην τινὰ δορυφορίαν πολλὴν ἀγγέλων περὶ ἑαυτοὺς περιβαλλομένων: *Archangelis præcursores Angelos, aut in eadem ordine secum consistentes, aut aliud quoddam satellitium Angelorum circa se adsciscentibus.* Cum hisce consentit quod exstat inter Oracula Chaldaica, vers. 319.

Ἡνίκα μὲν βλέψῃς μορφῆς ἄτερ ἱερὸν πῦρ
Λαμπόμενον σκιρτηδὸν ὅλου διὰ βένθεα κόσμου,
Κλῦθι πυρὸς φωνήν.

Quando videris sine forma sacrum ignem, splendentem saltuatim per profunda totius mundi, audi vocem ignis; hoc est, ex igne emissam, qualis à Mose narratur. Probè novimus hosce Philosophos abire à Mose, longè plurimis in rebus; sed hoc ipso docemur, si quid consentaneum Mosi habeant, id ab eo non esse mutuatos, sed à Chaldæorum aut Ægyptiorum abstrusioribus disciplinis.

Quibus territus est] *Et territus est.*

17. *In occursum Dei*] Tonitrua & fulgura Deum mox descensurum significabant, itaque cùm Deus in montem descenderet, dum populus it ad montem, ei obviam procedere dici potest.

18. *In igne*] Hoc est, cum igne, aut specie ignis indutus. Simili loquutione 1. Reg. XVIII, 11. negatur Deus fuisse ברעש *brabasch*, in commotione, & vers. 12. באש *baesch* in igne. Veteres Chaldæi dicere solebant Deum τὸ μὲν σῶμα φωτὶ, τὴν δὲ ψυχὴν ἀληθείᾳ ἐοικέναι, *corpore luci, animâ veritati similem esse*, ut auctor est *Porphyrius* in vita *Pythagoræ*. Ideóque eum *Oromazen* vocabant, hoc est, אור מזה *oromaze*, lumen splendens. Moses quoque, propter hanc igneam adparitionem, Deum vocat *ignem absumentem*. Deut. IV, vers. 24. IX, 3. Vide *Thom. Stanleji* Philos. Orient. Lib. I. Sect. 2. Cap. I.

Instar fornacis] Est eadem comparatio Gen. XIX, 28. ubi de incendio urbium planitiei sermo est.

19. *Sonitus tubæ*] Hic alterâ vice est שופר *schophar*, pro יבל *jobel*, quod occurrit vers. 13. unde idem his vocibus significari liquet, quidquid primigeniâ notione sonet יבל.

Summopere augeretur] *Iens & augescens valde.* Vide Gen. VIII, 3.

Voce] Antea numquam audiverant Israëlitæ Deum alloquentem Mosem, clarâ voce, ut vidimus ad vers. 9. Deus patefaciebat Mosi quæ vellet aut submissiore voce, aut tacito instinctu, aut denique aliâ viâ nobis ignotâ.

20. *Evocavit Mosem*] Additur *Jehova*.

21. *Commonefacito*] העד *haëd*, hoc est propriè *contestare*, quod tralaticio sensu passim est palam monere, mandatum apertè dare, unde passim

XVII. *Deus Decalogum fert, Mosésque ejus interpres constituitur.*

CAPUT XX.

1. TUM hæc omnia verba eloquutus est Deus: 2. EGO sum Jehova Deus tuus, qui te ex Ægypto, *atque* ex ergastulo eduxi. 3. NON erunt tibi, coram me, alii Dii. 4. NON facies tibi sculptile simulacrum, *neque* imaginem

PARAPHRASIS.

1. POSTQUAM ad montem rediisset Moses, ex nube hæc clarâ voce, ut exaudirent qui ad radices montis erant, pronunciata sunt, quibus potissimas leges suas complexus est Deus, paucula hæc præfatus: 2. QUI vobis, Hebræi, Leges nunc fero is sum Deus, qui veterum meorum pro-

passim עדות hedoth *testimonia* dicuntur Dei præcepta. Vide & vers. 23.

Visurus] *Ad videndum.*

22. *Ipsi Sacerdotes*] Cùm nondum esset institutum Aharonicum sacerdotium, quærunt Interpretes quinam essent hi Sacerdotes. Existimant plerique significari primogenitos Israëlitarum, qui Deo veluti consecrati fuerant Exod. XIII, 2. & quorum vice postea Leviticam Tribum consecrari sibi voluit, Num. VIII, 14. *& seqq.* Sed cùm infrà Moses Cap. XXIV, 5. dicatur misisse ad sacra facienda נערי בני ישראל *adolescentes filiorum Israëlis*, non בכורי bchore *primogenitos*; credibile est signari nonnullos ex juventute, quos Moses huic rei præfecerat, interea dum Deo aliter videretur.

Qui ad Jehovam accedunt] Hoc est, dum sacra ei faciunt, adesse enim altari & sacris existimabatur Deus. Hinc *accedere ad Deum* est cultum ei exhibere, seu victimis, seu precibus, & laudibus, Heb. VII, 25. XI, 6.

23. *Non sustinebit*] לא יוכל *lo joucbal*, non poterit; hoc est, non audebit. *Posse* interdum negamur, quæ, propter certas rationes, non audemus.

24. *Ito, descendito* &c.] Videtur usque adeò iterari hæc interdictio, ut populo peccandi omnis occasio præcideretur, ne dies festus ullius morte funestaretur; & ejusmodi erat indole hic populus, ut sæpiùs idem repetere necesse sit, quod in tota Lege animadvertere licet.

COMMENTARIUS

In CAPUT XX.

1. HÆc omnia verba] Quæ sequuntur ad vers. 17. & quæ à Græcis Δεκάλογος dicta sunt, ut à Mose Deut. IV, 13. עשרת הדברים *decem verba*, quòd decem complectantur præcepta. Antequàm ad eorum interpretationem nos accingamus, paucula præmittemus; quibus intellectis, faciliùs singulorum cognoscetur sensus. Observandum ergo ante omnia animum Dei non fuisse, audiente populo, aut universam Legem, aut ejus Epitomen aliquam adcuratam proferre, sed tantùm ex omnibus præceptis ea quæ maximi erant facienda; quibus postea alia minoris momenti addidit, solo Mose audiente. Cùm maximi & minoris momenti præcepta dicimus, non intelligimus quæ nunc omissa sunt, ea potuisse impunè sperni, aut negligi; sed tantùm ex horum quæ à Deo prolata sunt neglectu; maxima oriri mala, quæ ante omnia à Legislatore antevertenda erant. Quod intelligent omnes, qui ea ad animum revocabunt. Hisce etiam observatis, reliquorum difficilis non erat futura observatio. Itaque mirum non videbitur, si multa omissa sunt, quæ alibi Deus ab Israëlitis postulavit, cùm ad Deum, tum ad homines pertinentia. Mosis enim, si ita loqui liceat, Philosophia, non minùs ac reliquorum sapientum doctrina, *primùm ad Dei cultum, deinde ad jus hominum quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinémque animi erudivit.* Sed non omnia eodem loco congessit. Hinc factum ut Deus vetet tantùm alios coli Deos, & tacitè se colendum esse adsumat, rationémque cultûs, non dicam ritualis, & externi, sed moralis & interni omittat. Nihil habet hîc de animo voluntati divinæ ita devoto, ut quæcumque sibi eveniunt non iniquè ferat; nihil de laudibus, gratiarum actionibus, peccati confessione, precibus, spe, fide, aliisque ejusmodi virtutibus, aut piè factis. Nihil monet de animi cura, de sobrietate, modestia, & ceteris quæ ad nos ipsos pertinent, neque profectò possunt, nisi remotissimis consequentiis, hinc deduci. Cavet quidem ne noxium quid fiat proximo, sed quanta debeat erga eum esse benevolentia, quæ beneficentia, quæ injuriarum patientia, non docet, aliáque id genus omittit. Hæc autem omnia cùm apud Mosem, tum in ceteris Vet. Testamenti libris, satis luculentè habentur. Quæ observari oportere visum est, ne per fidiculas hinc omnem Religionem deducentes nimiùm audiantur.

Secundò, quamvis maxima horum præceptorum pars sit æterni juris, hominésque omnes, æquè ac Hebræi, iis teneantur; attamen hæc, in gratiam solorum Hebræorum, sunt tunc temporis edita, & peculiari quodam modo iis imposita. Quod liquet 1. ex eo quòd, solis Hebræis, eorúmque familiis audientibus, sint prolata: 2. quòd multæ sint circumstantiæ, quæ ad eos solos pertinent, & hîc & in Deuteronomio, ubi hæc verba repetuntur. Præfatio Decalogi, quæ exstat vers. 1. ad Israëlitas tantùm spectat. Ratio adjecta quarto præcepto Deut. V, 15. pondus ei addere non potuit, nisi apud Israëlitas. Promissum quoque quinto adnexum, eosdem dumtaxat movere potuit, neque enim aliis gentibus Deus *terram*, ut illis, *incolendam dedit.* Nemo ergo singula Decalogi verba ita urgere potest, quasi Deus clarâ voce eam legem, apud concionem totius humani generis, tulisset; quod parum abest, quin nonnulli Theologi fecerint.

Eloquutus est Deus] Existimat *Philo* Deum jussisse ἠχὼ ἀόρατον ἐν ἀέρι δημιουργηθῆναι, *sonitum invisibilem fieri in aëre*, initio libri de Decalo-

ginem ullam eorum quæ sunt suprà in cœlis, aut infrà in terris, aut in aquis, quæ terræ subjectæ sunt; 5. neque ea flexo corpore veneraberis, aut coles; quia ego Jehova, Deus tuus, Deus sum zelotypus, qui ad eos quidem qui me oderunt quod adtinet, delictum patrum in filiis, in nepotibus, atque pronepotibus persequor: 6. ad eos verò qui mei amantes, præceptorúmque meorum observantes sunt, quod spectat,

promissorum memor, vos ex Ægypto, ubi servilem in modum habebamini, eduxi, ut jam legibus vestris vivere possitis. 3. Hæc ergo præcipuarum legum capita sunto. NULLUS tibi Deus, præter me, esto. 4. NULLIUS rei cœlestis, terrestris, aut aquaticæ simulacrum, ut id colas, facito; sum enim societatis impatiens, minas & promissa exsequor, eorumque qui mihi obtemperare detrectabunt sobolem severiùs habebo quam ceterorum: contrà verò ultimos piorum nepotes ma-

calogo. Deinde judicat fecisse hoc ψυχὴν λογικὴν ἣ τῷ ἀέρι χρησάμενα καὶ ἐπιτείνασα — καθάπερ πνεῦμα διὰ σάλπιγγος, φωνὴν τοσαύτην ἔναρθρον ἐξήχησεν: *animam rationalem quæ aëre formato, & intento, quasi spiritum per tubam, tantam vocem distinctam emisit.* Alius Judæus sic loquentem Herodem inducit, Ant. Lib. XV. c. 8. Τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων, καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐμάθομεν: *præstantissima dogmatum, & sanctissima eorum quæ in legibus sunt, per Angelos à Deo didicimus.* Idem tamen Lib. II. c. 5. convocatos ait Israëlitas, ὡς ἀκούσαιεν τοῦ Θεοῦ διαλεγομένου, *ut audirent Deum loquentem.* Reverà hæc secum non pugnant, Deus enim facere dicitur, quod per Ministros facit, more Hebræorum, de quo sat multa diximus ad Gen. XVI, 13. Sic David *alloquutus* dicitur Abigailam 1 Sam. XXV, 39. ubi est: וישלח דוד וידבר באביגיל *& misit David & alloquutus est Abigailam*, nempe, per legatos quorum verba postea referuntur. Vide quæ in hoc ipso libro Capp. VI, 6. VII, 19. XVIII, 6. observavimus. & 1. Reg. XXI, 20, & seqq. ad 24. Hæc eadem fuit mens Apostolorum, qui Legem Mosaïcam Angelorum ministerio latam & recitatam docent. Paulo Galat. III, 15. dicitur νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου, *ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Ad quem locum *Hieronymus: Mosen*, inquit, *Dei & Hebræorum Mediatorem significat legem per Angelum Domini accepisse, sicut in libro Actuum Apostolorum Stephanus dicit:* hic est Moses, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in Monte Sina. *Item legimus Angelos, per Legem, sæpe populo adfuisse.* Locus est Act. VII, 38. ubi Stephanus Judæos, ex recepta sine dubio omnium opinione, alloquitur. Scriptor Epist. ad Hebræos non modò Cap. I, 1. disertè docet variè quidem antea Deum loquutum esse, *sed postremis diebus per filium*; sed & Cap. II, 2, 3. sic Legem Mosaïcam Evangelio opponit: *Si qui per Angelos dictus est* (ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς) *sermo factus est firmus — quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum* &c. Profectò ad probandam Apostolicorum temporum sententiam, aut hoc satis est testimoniorum, ut aiebat ille, aut nescio quid sit satis. Nobis tamen non probatur eorum sententia, si qui sint, qui nomen *Jehovæ*, propriè loquendo, aliis quàm Deo tribui volunt. Is enim vocari *Jehova* dici posset, qui ex persona sua agens, non legati Dei munus sustinens, sese ita vocitaret, quod nusquam fit.

2. *Ego sum Jehova*] Hæc præfatio planè necessaria est, 1. ut intelligant Israëlitæ cujus nomine Lex feratur, 2. ut commemoratione beneficiorum suorum Israëlitas Deus ad obsequium sibi præbendum adducat, quasi diceret: Ego sum ille Deus, qui *facio ut* quod volo *sit*, quemadmodum ex liberatione Ægyptiaca cognoscere potuistis; itaque tanti beneficii memores, simúlque potentiam meam reveriti, & plura exspectantes à me, aurem præbete dictis meis, eáque in animos vestros descendere patimini. *Plato* de Legibus Lib. X. initio: ὡς θεοί τ' εἰσὶ καὶ ἀγαθοί, δίκην τιμῶντες διαφερόντως ἀνθρώπων, σχεδὸν τοῦτο ἡμῖν ὑπὲρ ἁπάντων τῶν νόμων κάλλιστόν τε, καὶ ἄριστον προοίμιον ἂν εἴη: *Deos esse, eósque bonos & justitiæ multò plusquàm homines colentes, ferè hæc nobis pro omnibus legibus, pulcherrima & optima sit præfatio.* Similis est apud *Ciceronem* Lib. II. de Legibus num. 16. quam à *Platone* sine dubio habebat, quamvis neget, fortè quòd legisse se non recordaretur. *Sit hoc à principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos — piorumque, & impiorum habere rationem.*

Deus tuus] Vide not. ad Genes. XVII, 8.

Atque ex ergastulo] מבית עבדים mibbeth habadim, *è domo servorum.* Reverà quamvis Israëlitæ in ædibus suis habitarent, non ergastulo clausi tenerentur, si propriè loquamur; haud multò meliore sorte erant quàm mancipia, ut ex initio hujus libri satis liquet. Itaque meritò Ægyptus dici potuit *ergastulum.*

3. *Non erunt*] Sic per Futurum leges suas concipiunt Hebræi, cui rei ita sumus adsueti, ut Latino more in Translatione Leges exprimere non sustinuerim, quamquam non incommodè verti potuerit: *nulli alii Dii tibi, coram me, sunto.* Maxima est re ipsâ, & Hebræorum sermone, Futuri cum Imperativo adfinitas. Vide quæ notavimus ad Gen. XXXIV, 10.

Coram me] על פני hal phanai, *ad faciem meam.* Dii alii *coram Deo* haberi dicuntur, quia eo veluti inspectante, quippe qui adesse se & adfuturum Hebræis significarat, consecrandi erant. LXX. Intt. πλὴν ἐμοῦ, *præter me.* Onkelos similiter בר מני *bar minni*, quod idem sonat. Sensus quidem est hujus interdicti, sed vis vocum non satis exprimitur, neque alius locus proferri potest, in quo על פני significet *præter.*

Alii Dii] אלהים אחרים Vertere potuissemus numero singulari: *non erit tibi alius Deus*, nam singulare verbum antecessit לא יהיה lo jihjeh, *non erit.* Sed eodem res recidit, & numero plurali usi fuerant οἱ LXX & Vulgatus.

Quamvis autem hoc præceptum, ut alia pleraque,

spectat, ad millesimæ ætatis posteros misericordiam exerceo. 7. Non proferes nomen Jehovæ Dei tui, ad vana *confirmanda*, neque enim Jehova, qui nomen suum ad vana *confirmanda* potulerit, eum innocentem habebit. 8. Memor esto diei Sabbathi,

majore, quàm ceteros homines, indulgentiâ prosequar. 7. Nomen meum ad firmandam mendacii fidem, ne adhibeto; neque enim qui per nomen meum pejeraverit impunè abibit. 8. Feriarum diem, intra septiduum, unum habeto; 9. per sex dies, quidquid tibi agendum est patrato.

raque, sit potiùs interdictum, quo falsorum Numinum cultus vetatur, attamen duas *enunciationes adfirmativas*, ut loquuntur Logici, complectitur: 1. Me Deum, & quidem solum habebis: 2. Me solum coles. Hinc *Josephus*, omisso negativo sensu, Ant. Jud. Lib. II. c. 5. Διδάσκει ὁ πρῶτος λόγος, ὅτι θεὸς ἐστιν εἷς, καὶ δεῖ τοῦτον σέβεσθαι μόνον: *primum verbum nos docet Deum esse unicum, & hunc solum oportere coli.*

Debuit tamen negativâ enunciatione res exprimi, quia Deus non tam hîc unitatem suam docet, aut cultum sibi postulat; quàm obviam it Idololatriæ, quæ jam Israëlitarum animos occuparat, & à qua debebant priùs revocari, quàm Dei cultum pluribus docerentur. Erat etiam magni momenti ostendere Deo variarum Religionum misturam non probari, útque propitium eum experirentur Israëlitæ, non modò colendum, sed nullum præter eum divino cultu adficiendum. Sic videmus Genes. XXXV, vers. 2, 3. Jacobum sacra Deo patrio facere jussum, nihil antiquius habere, quàm ut omnia Idololatriæ instrumenta à familia amoveat.

Ceterùm phrasis לא יהיה לך אלהים *non erit tibi Deus*, duo significat: 1. Nullam aliam Naturam esse existimabis, cui æquè excellenti sensu nomen אלהים conveniat, seu quam mihi æquiparare possis; nam אלהים *Dii*, sed dilutiore sensu, dicuntur cùm Angeli, tum populi principes: 2. Nullam aliam Naturam religiosè coles, seu iisdem ritibus ac me prosequeris; hoc est, nulli præterquàm mihi, sacra facies, preces & gratiarum actiones, quasi humanarum rerum moderatori, offeres. In hisce enim rebus situs est cultus, quo Deum adficiebant Hebræi.

4. *Non facies tibi sculptile simulacrum*] פסל *phesel*, à verbo פסל phasal, *sculpsit*. Sequuti sumus Vulg. Interpretem, nam LXX. εἴδωλον *imaginem* habent hic, sed Deut. V. γλυπτὸν, ut ceteri Intt. Græci olim verterant.

Neque imaginem] *Et omnem imaginem*. Sed *non facies omnem imaginem* est Hebraïsmus frequentissimus, qui id quod diximus sonat. Hoc videtur addere Deus, ut, non sculptilia tantùm simulacra, sed omnes omnino imagines vetari intelligerent Hebræi. Deest quidem, in codicibus Massorethicis, conjunctio ו ante כל Deut. V, 8. ubi hoc repetitur præceptum, sed suppleri hinc debet, & est in Samaritico Codice expressa; qua de re ad eum locum dicemus. Judæi olim censuerunt hoc loco non modò imaginum cultum vetari, sed imaginum etiam quemvis usum, ut ostendit ad hunc locum *H. Grotius*. Verum non videntur hæc divelli oportere à sequentibus, quamquam vitandæ omnis occasionis idololatriæ Magistris visum fuit omnes vetare imagines. Certè Deus in Templo Cheruborum imagines essa voluit; Salomon boum; quod ei tamen vitio non vertitur, neque passi essent ejus ævi Prophetæ, si illicitæ fuissent habitæ quævis imagines. Itaque Josephus, cujus ætate vetitæ habebantur, haud aliter sensum hujus præcepti extulit: ὁ δεύτερος κελεύει μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιήσαντας προσκυνεῖν: *secundum jubet nullius animalis factam imaginem adorare.*

Eorum quæ sunt in cœlis] Antiquissimis temporibus, ut vetus erat apud ipsos Idololatras fama, nulla erant nec templa, nec signa Numinis. Deinde templa, postea simulacra constituta sunt. *Herodoti* tempore, Ægyptii sacerdotes ajebant βωμούς τε καὶ ἀγάλματα, καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους, καὶ ζῷα ἐν λίθοισι ἐγγλύψαι. τούτων μέν νυν τὰ πλέω ἔργῳ ἐδήλουν οὕτω γενόμενα: *aras & statuas & templa Diis adtribuisse se primos, & animalia in lapidibus insculpsisse. Quæ ita se habuisse re ipsâ comprobabant, magna ex parte.* Scriptor elegantissimi libelli de Dea Syria, inter opera Luciani: Πρῶτοι μὲν ὦν ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν, καὶ ἱρὰ εἵσασθαι, καὶ τεμένεα, καὶ πανηγύριας ἀποδέξαι: *primi ergo hominum, quos nos novimus, Ægyptii dicuntur Deorum cognitionem cepisse, & templa statuisse, & fana, & conventus fecisse.* Μετὰ δὲ οὐ πολλῷ χρόνῳ, παρ' Αἰγυπτίων λόγον Ἀσσύριοι ἐς θεοὺς ἤκουσαν, καὶ ἱρὰ, καὶ νηοὺς ἤγειραν· ἐν τοῖσι καὶ ἀγάλματα ἔθεντο, καὶ ξόανα ἐστήσαντο. Τὸ δὲ παλαιὸν καὶ παρ' Αἰγυπτίοισιν ἀξόανοι νηοὶ ἔσαν: *non multò post tempore, ab Ægyptiis sermonem de Diis audiverunt Assyrii, templa & delubra erexerunt, in quibus simulacra posuerunt, & signa statuerunt. Antiquitùs verò apud Ægyptios templa statuis caruerunt.* Verè profectò adfirmat *Balbus*, apud *Ciceronem* de N. D. Lib. II. n. 45. nihil esse difficilius, quàm à consuetudine oculorum aciem mentis abducere. *Ea difficultas induxit*, inquit, *& vulgò imperitos & similes Philosophos imperitorum, ut nisi figuris hominum constitutis, nihil possent de Diis immortalibus cogitare*, quod exemplo Israëlitarum satis manifestum est, (Vid. Cap. XXXII.) qui tamen similia in Ægypto viderant.

Igitur cùm aliorum omnium Idololatrarum, tum singularem in modum Ægyptiorum, quibuscum vixerant Israëlitæ, mores hîc damnat & vetat Deus. Apud Ægyptios autem sidera, & aves, *quæ sunt suprà in cœlis*; simulacra hominum & brutorum, *quæ infrà in terris*; pisces denique, *qui sunt in aqua terris subjecta*, colebantur. Quod etsi notissimum, tamen aliquot testimoniis Veterum confirmabo, cùm non aliter possit hic locus exponi.

Ut à cœlestibus incipiam, aiebant τοὺς κατ' Αἴγυπτον ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους, ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας καὶ θαυμάσαντας, ὑπολαβεῖν εἶναι δύο θεοὺς ἀιδίους καὶ πρώτους τόν τε ἥλιον καὶ τὴν σελήνην: *homines qui*

thi, ut eum sacrum habeas. 9. Sex *quidem* diebus labori incumbes, & omne tuum
opus facies; 10. die verò septimo, quies erit Jehovæ Deo tuo *sacra*; *eo* nullum opus
facietis aut tu, aut filius, aut filia, aut servus, aut serva, aut jumentum, aut peregri-

to; 11. septimo verò die, quo feriæ Deo tuo sacræ redeunt, nullum opus facito; liberis, servis, jumentis, cùm apud Israële oriundos, tum apud alienigenas in agro tuo degentes, otium esto.

qui erant in Ægypto olim, sursum in cœlum adspicientes, & universi naturam stupentes atque admiratos, existimasse esse duos Deos æternos & primos, Solem & Lunam, Verba sunt *Diodori Biblioth.* Lib. I. p. 10. Colebatur etiam apud Ægyptios *Sothis*, sive Caniculæ sidus, hunc enim putabant esse animum Isidis. *Plutarchus de Iside & Osiride*: τὰς δὲ ψυχὰς λέγουσιν ἐν οὐρανῷ λάμπειν ἄστρα, καὶ καλεῖσθαι Κύνα μὲν τὴν Ἴσιδος ὑφ' Ἑλλήνων, ὑπ' Αἰγυπτίων δὲ Σῶθιν: *animus dicunt in cœlo quasi astra fulgere, & vocari Canem quidem Isidis animam à Græcis, ab Ægyptiis verò Sothin.* p. 359.

Cùm cœlum interdum dicatur *aër*, ut ostendimus ad Gen. Cap. I, 1, 20. in hoc quoque cœlo Numina habuerunt Ægyptii. Sacer erat illis, exempli causâ, Accipiter, & sub ejus imagine Osirin aiebant se effingere: γράφουσι, ait idem *Plutarchus* p. 371. καὶ ἱέρακι τὸν Θεὸν τοῦτον πολλάκις, *pingunt accipitre Deum hunc sæpe.* Vide & quæ adjiciat de singulari accipitris natura, ex qua nescio quid θεῖον ei inesse colligebant Ægyptii. Adde & quæ habet *Porphyrius* apud Eusebium Præp. Evang. Lib. III. c. 4. Ibes etiam colebant Ægyptii, ut plurimi observarunt, & inter alios Cicero de Nat. Deor. Lib. I. p. 101. *Ipsi, qui irridentur, Ægyptii nullam beluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt. Velut Ibes, maximam vim serpentium conficiunt, cùm sint aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo, proceróque rostro; avertunt pestem ab Ægypto, cùm volucres angues, ex vastitate Libyæ vento Africo invectas, interficiunt atque consumunt.* Vide *Herodotum* Lib. II. c. 5.

Infrà in terris] *Diodorus* Bibl. Lib. I. p. 12. postquàm quæ de Diis cœlestibus & æternis dicerent Ægyptii memoravit, subdit: Ἄλλους ἐκ τούτων ἐπιγείους γενέσθαι φασίν, ὑπάρξαντας μὲν θνητούς, διὰ δὲ σύνεσιν καὶ κοινὴν ἀνθρώπων εὐεργεσίαν τετυχηκότας τῆς ἀθανασίας· ὧν ἐνίους καὶ βασιλεῖς γεγονέναι κατὰ τὴν Αἴγυπτον: *præter hos alios terrestres esse perhibent, qui cùm fuissent mortales, propter prudentiam & communem in homines beneficentiam, immortalitatem consequuti sint, quorum nonnullos Reges in Ægypto fuisse.* Horum autem Deorum imagines habebant & colebant. Πανταχοῦ, ait *Plutarchus* de Osiride & Iside, p. 371. ἀνθρωπόμορφον Ὀσίριδος ἄγαλμα δεικνύουσι, ἐξορθιάζον τῷ αἰδοίῳ: *ubique Osiridis simulacrum humanâ specie, erectis pudendis ostendunt.*

De brutorum simulacris nihil dicemus, exempla enim eorum cultûs, imaginúmque apud Ægyptios sat multa tradidimus ad Gen. XLVI, 34. Qui plura volent *Herodotum* Lib. II. *Diodorum* Lib. I. & *Plutarchum* in Libro de Iside & Osiride adire poterunt.

In aquis, quæ terræ subjectæ sunt] Pisces etiam colebant Ægyptii. *Herodotus* Lib. II. c. 69. Τοῖσι μὲν δὴ, inquit, τῶν Αἰγυπτίων ἱροί εἰσι οἱ Κροκόδειλοι, τοῖσι δ' οὔ — οἱ δὲ περί τε Θήβας, καὶ τὴν Μοίριος λίμνην οἰκέοντες, καὶ κάρτα ἥγηνται αὐτοὺς εἶναι ἱρούς, καὶ τὰ ἑξῆς: *quibusdam Ægyptiorum sacri sunt Crocodili, aliis non — sacros admodum esse eos existimant qui circa Thebas & Mœrios stagnum incolunt* &c. Cap. LXXXI. Οἱ δὲ ἵπποι οἱ ποτάμιοι νόμῳ μὲν τῷ Παμπρημίτῃ ἱροί εἰσι: *equi fluviatiles nomo Pampremitæ sacri sunt.* Cap. LXXII. Γίνονται δὲ καὶ ἐνύδριες ἐν τῷ ποταμῷ τὰς ἱρὰς ἥγηνται εἶναι. Νομίζουσι δὲ καὶ τῶν ἰχθύων τὸν καλεόμενον λεπιδωτὸν ἱρὸν εἶναι, καὶ τὴν ἔγχελυν: *sunt lutræ in fluvio, quas sacras esse existimant. Arbitrantur etiam ex piscibus, qui squamosus vocatur, sacrum esse, nec non anguillam.* Oxyrynchitæ etiam colebant Oxyrynchum. *Strabo* Lib. XVII. p. 812. Ed. Par. de illis: τιμῶσι δὲ ὀξύρυγχον, καί ἐστιν αὐτοῖς ἱερὸν ὀξυρύγχου: *colunt autem Oxyrynchum, est & illis templum Oxyrynchi.* Quod de ceteris Ægyptiis adfirmat. Apud Palæstinos etiam colebatur *Dagon*, sub imagine pisce & homine mista, de qua vide quæ collegit *Joan. Seldenus* de Diis Syris Synt. II. c. 3.

Triplicem, ut ita dicam, Ægyptiorum Idololatriam paucis verbis complexus est *Philo* in libro de Decalogo, ubi postquàm dixit non modò tauros, hircos, arietes ab Ægyptiis, utilitatis fortè causâ, coli, sed etiam Crocodilos, leones, aspides, γεγεραίρεσθαι ἱεροῖς καὶ τεμένεσι, θυσίαις τε καὶ πανηγύρεσι, καὶ πομπαῖς, καὶ τοῖς παραπλησίοις, *honorari templis, & fanis, sacrificiis & festis & pompis & aliis similibus*: ἀφ' ἑκατέρου γὰρ, inquit, τῶν εἰς χρῆσιν δοθέντων ἀνθρώποις ὑπὸ θεοῦ ΓΗΣ καὶ ΥΔΑΤΟΣ διερευνησάμενοι τὰ ἀγριώτατα, οὔτε χερσαῖον λέοντος θηριωδέστερον ἀνεῦρον, οὔτε κροκοδείλου τῶν ἐνύδρων ἀγριώτερον, ἃ σέβουσι καὶ τιμῶσι· πολλὰ μέν τοι καὶ ἄλλα ζῶα, κύνας, αἰλούρους, λύκους· ΠΤΗΝΑ ἴβιδας καὶ ἱέρακας: *ex duobus, quæ à Deo in usum data sunt hominibus,* TERRA ET MARI, *investigarunt ferocissima, neque terrestrem belluam ferociorem Leone invenerunt, neque sæviorem Crocodilo in aquatilibus, quos colunt & honorant. Præter ea multa alia animantia, canes, feles, lupos;* VOLUCRIA, *ibides & accipitres.* Sed & ante illum *Strabo* Lib. XVII. In descriptione Ægypti, multa exempla adfert triplicis illius Idololatriæ. Hæc ejus verba sunt hanc in rem insignia: Τινὰ τῶν ζώων ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, καθάπερ πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον· τῶν δὲ πτηνῶν δύο, ἱέρακα καὶ ἶβιν· τῶν δ' ἐνύδρων δύο, λεπιδωτὸν ἰχθὺν καὶ ὀξύρυγχον: *quædam animalia omnes in commune colunt Ægyptii, ut ex terrestribus bovem, canem, felem; ex avibus duo, accipitrem & ibin; ex aquaticis duo, lepidotum piscem & oxyrynchum.* Deinde enumerat animalia, quæ seorsim à nonnullis Ægyptiis colebantur; quod apud ipsum legi poterit.

Ex his intelligimus non frustrà Deum *cœli, terræ & maris* meminisse, cùm ex tribus illis

grinus, qui intra tua mœnia erit. 11. Sex enim diebus cœlos & terram, & mare, & quæcumque in iis sunt perfecit Jehova, diéque septimo quievit; qua de causâ diei Sabbathi benedixit Jehova, & sanctum esse voluit. 12. HONORA patrem & matrem, ut in terra, quâ Jehova Deus tuus te donarit, tuos producant dies. 13. NON occides.

esto. 11. Cùm enim sex diebus rerum universitatem absolverim, creationis memoriam, ne intercidat, septimi cujusque diei otio consecrari placet. 12. PARENTIBUS omnia officia exhibeto, ut precibus suis tibi à me longævam vitam impetrent. 13. NULLUM hominem, nisi per legem

varia Numina consecrassent Ægyptii. Videtur autem omnis illa Idololatria orta esse ex fallace Sacerdotum gente, quæ ut augustiora sacra faceret, nihil aperte diceret, sed sub symbolis absconderet, quod satis testantur memorati Scriptores. Cùm autem symbolica illa significatio ex arbitrio fingentium penderet, paullatim factum ut rationes symbolorum oblivioni mandarentur, plebisque animus iis solis quæ sensus percellebant adficeretur; ac tandem crederet sub iis figuris, aut vivis, aut mortuis, habitare Numen. Sic cùm *Osirin* Agriculturæ deditum Regem, symbolicâ juvenci imagine designassent, tandem ejus animum in bove Api esse crediderunt. Docebant Sacerdotes Ægyptii, ut auctor est *Plutarchus* c. I. p. 362. ὡς εὔμορφον εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν, *pulcram imaginem Osiridis animi censendum esse Apin.* Inde cùm coleretur, τοῦ δὲ βοὸς τούτου τιμῆς αἰτίαν ἔνιοι φέρουσιν, λέγοντες ὅτι τελευτήσαντος Ὀσίριδος εἰς τοῦτον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετέστη, καὶ διὰ ταῦτα διατελεῖ μέχρι τοῦ νῦν, κατὰ τὰς ἀναδείξεις αὐτοῦ, μεθισταμένη εἰς τοὺς μεταγενεστέρους: *hujus bovis honoris causam adtulerunt, dicentes, mortuo Osiride in hunc animum ejus migrasse, & proptérea manere huc usque perpetuo, quando adparet, migrantem in posteriores boves.* Statuis etiam consecratis crediderunt adesse Numina, ut ostendimus ad Gen. XXVIII, 19. Vide hac de re *Suidam*, in voce Ἡρᾴσκος, & Scriptorem *de Dea Syria*. Quæ cùm ita sint, summâ ratione vetuit sui aliorúmque omnium simulacra fieri Deus Opt. Max. ut iis cultus religiosus exhiberetur; nec minùs prudenter fecerunt, qui superstitione plebis Christianæ animadversâ, imagines in Religionem temerè illatas eliminandas censuerunt, cum iisdem incommodis laborent.

Quæ terræ subjectæ sunt] *Sub terra*, quia, nimirum, aquæ littoribus sunt inferiores.

5. *Neque ea flexo corpore veneraberis*] לא תשתחוה להם *non incurvaberis iis.* Hoc est, iis rebus, quæ imaginibus effingebantur; aut imaginibus ipsis, quibus adesse censebantur. LXX. Intt. verterunt οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς, Vulg. *non adorabis ea.* Cùm, nimirum, altiore loco sita essent simulacra, quàm ut osculari ea possent, inflexo corpore manum osculabantur, qua de re legendi Interpretes *Suetonii*, ad Vitelli Cap. 2. Vir summus existimavit, ut superioribus verbis interdictas quasvis imagines; ita hic cultum earum, in terris quæ extra Israëlis ditionem erant, vetari, quando quominùs exstarent alibi impedituri non erant. Verùm hæc cum superioribus omnino conjungenda videntur, ut Deus vetet fieri imagines quæ adorentur, nulla locorum ratione habitâ.

Aut coles] *Et servies*, hoc est, ullo cultu adficies, ne legi fraus fieret. Sic supra: *non facies sculptile simulacrum, neque imaginem ullam.* Ut nullam omnino imaginem quæ coleretur statui voluit Deus; ita non modò inflexionem corporis, sed omnem eorum cultum vetuit.

Deus sum zelotypus] Hæc propria est significatio vocis קנא *kanna*, quâ maluimus uti, quàm *indignabundum*, aut *zelotam* vertere. Ac sanè ut zelotypus vir dicitur, qui rivalem pati nequit: sic Deus socium, in cultu quem ab hominibus postulat, ferre non potest. Atque hoc ipsum hîc significare vult Israëlitis, neque enim se coli dumtaxat jubet; sed se solum; negat se passurum sibi alienos Deos conjungi, aut partem cultûs sibi soli exhibendi in ulla simulacra transferri. Nam hoc pertinet æquè ad primum præceptum, ac ad secundum, ut liquet ex Cap. XXIV, 14. *Non adorabis Deum alium, nam Jehova est zelotypus* (קנא) *nomen ejus est Deus zelotypus.* Idem circa simulacra ait Deus Esai. XLII, 8. *Ego sum Jehova, hoc nomen meum est, gloriam meam alii non concedam, nec laudem meam sculptilibus simulacris.* Ac sanè non modò ii, qui simulacra aliorum Deorum colebant, gloriam Dei veri aliò transferebant, sed etiam qui Deum ipsum Israëlis colere voluerunt sub imagine; pars enim cultûs in ipsam imaginem fertur, cujus materiam sanctiorem aliis habent Idololatræ, quod vel ipsi Ethnici animadverterunt. *Lucianus* Libello de Sacrificiis, postquàm dixit à Sculptoribus, quales Praxiteles, Polycletus aut Phidias, effingi Deos ex Poëtarum descriptionibus: οἱ παριόντες εἰς τὸν νεὼν, inquit, οὔτε τὸν ἐξ Ἰνδῶν ἐλέφαντα ἔτι οἴονται ὁρᾶν, οὔτε τὸ ἐκ Θρᾴκης μεταλλευθὲν χρυσίον, ἀλλὰ τὸν Κρόνου καὶ Ῥέας εἰς τὴν γῆν ὑπὸ Φειδίου μετῳκισμένον: *qui ingrediuntur in Templum, neque ebur ex India advectum adhuc putant se videre, neque aurum ex Thracia effossum, sed Saturni & Reæ filium à Phidia in terram translatum.*

Ad eos qui me oderunt quod adtinet] לשנאי *lschoneai.* Alibi observavimus hanc esse vim τοῦ ל, quod est hîc manifestum. *Osores Dei* hîc dicuntur qui ejus præceptis non parent, ut contrà *amantes Dei* sunt qui iis obsequuntur. Ac sanè hoc semper habitum est maximum amoris argumentum, quod summopere expetitur ob eo quem amamus, id, si possumus & æquum est, exsequi. Vide Joan. I. Ep. V, 3. & Evang. XV, vers. 23, 24.

Delictum persequor] פקד עון *phoked havon*, hoc est, ut alii vertunt, *iniquitatem visitans.* Quia Judex, aut Magistratus, qui criminibus plectendis est præfectus, ea plectit quæ cognoscit; ideò *visitare*, *inspicere*, ubi de peccatis sermo est, ea pœnis afficere sonat. Contrà *non videre* perinde est ac sine ultione dimittere. Vid. Psal. XCIV, 7. Diximus *persequi delictum*, quia

des. 14. NON mœchaberis. 15. NON furaberis. 16. NON dices in proximum tuum testimonium falsum. 17. NON concupisces domum proximi tui, aut ejus uxorem, aut servum, aut servam, aut bovem, aut asinum, aut quidquam *aliud* eorum quæ proximo tuo sunt.

18. Vi-

gem liceat, occidito. 14. ALIENAM uxorem ne corrumpito. 15. NE rem alienam, invito domino, præter jura, auferto. 16. NE falsum testimonium in quemquam dicito. 17. NE, præ cupiditate, uxorem, aut rem alienam ullam, malis artibus, tuam facere nititor.

18. His

quia nihil commodius occurrebat.

In Filiis, in nepotibus, atque pronepotibus] *Super filios, super tertios, & super quartos.* Vide Gen. L, 23. Aliquot generationes proverbiali hac loquutione signantur, ut rectè *H. Grotius* observavit. Adde exemplum huc iis quæ adduxit, ex Æschyli Persis, p. 165. Ed. Steph.

Θῖνες δὲ νεκρῶν, καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ,
Ἄφωνα σημανοῦσιν ὄμμασι βροτῶν,
Ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν:

Acervi mortuorum, tertiæ etiam generationi, sine voce significabunt oculis mortalium, non oportere mortalem nimis alta sentire de se. Hîc, quoniam primo intuitu hæc lustranti, videntur ii qui non peccarunt alieni delicti pœnas luere, quod justitiæ divinæ adversatur, gravis oritur quæstio; quî, nimirum, fieri possit ut Deus pœnas posteris, propter Majorum peccata, intentet? Certè nihil magis constat, quàm Deum improbare pœnas ex innocuis liberis, propter parentum peccata, sumtas. Vide Gen. XIX, 25. Ipse etiam Deus Deut. XXIV, 16. *Non morientur*, inquit, *patres propter filios, nec filii morientur propter patres.* Nec judices modò vetat ejusmodi pœnas sumere, sed ipse etiam se exigere negat Jerem. XXXI, 29. *Eo tempore non dicent ampliùs: patres uvam acerbam comederunt, filiorum dentes obstupuerunt; nam quisque propter delictum suum morietur.* Quòd pleniùs etiam exstat Ezekielis C. XVIII, & XXXIII. Ut Divinam Providentiam defenderent Hebræorum Prophetæ, non dicebant, ut postea Stoïci, *eam vim esse Dei, ut, etiamsi quis morte pœnas effugerit, expetantur eæ pœnæ à liberis, à nepotibus, à posteris.* Nec responderi potuit: *ô miram æquitatem Dei! ferrétne ulla civitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut avus deliquisset?* quæ habet *Costa* apud *Ciceronem*, contra Stoïcos, de Nat. Deor. Lib. III. n. 90.

Attamen Israëlitæ, in captivitatem abducti, similia objiciebant Prophetis, ut ex Jeremia & Ezekiele constat; fortè ob rationem quâ hoc secundum præceptum conceptum est, & quia credebant se Majorum suorum Idololatriæ pœnas luere. Sed duplex esse potest horum verborum, *delictum persequi in filiis*, sensus; aut enim significant pœnas peccati paterni à filiis repetere, ita ut quibus nulla jure noxa inferri poterat, nisi pater peccasset, ii propter hoc solùm pœnas luant: aut, ut intelligant parentes Deum sibi iratum esse, & pœnas Idololatriæ exposcere, calamitatem liberis immittere, propter propria liberorum peccata, quæ alioqui prætermitteret Deus. Prior sensus contrarius manifestò est Legi & voluntati divinæ, ut testantur Moses, Jeremias, & Ezekiel. At posterior nihil habet, quod cum justitia, aut æquitate divina pugnet. Liberi, nempe, non ferunt pœnas peccati parentum, sed proprii cujuspiam delicti; quæ pœnæ simul parentibus supplicio sunt, cùm liberorum dolorem sine summa ægritudine animi videre, aut timere nequeant. *Hoc præclarè legibus comparatum est*, ait Cicero ad Brut. Ep. XII. *ut caritas liberorum amiciores parentes Reip. redderet.* Itaque hæc est Dei verborum sententia: eorum ex Israëlitis, qui simulacra, falsósve Deos coluerint, posteros severiùs habebo, quàm piorum sobolem: nec ipsorum peccata impunè illis esse patiar. Sequentia hanc interpretationem comprobant, ac sanè ut in memoriam, aut in gratiam viri de Republica bene meriti, indulgentiùs habetur ejus soboles, & veniam delictorum sæpe impetrat: sic si mali civis liberi quid deliquerint, nullæ iis remittuntur pœnæ, nec est quòd querantur. Licet enim pœnas remittere, aut exigere, pro arbitrio summæ potestatis, quamquam non licet innocentem plectere.

Hîc sumimus, quasi indubitatum, neminem esse hominem, qui pœnas Deo non debeat, adeóque qui queri possit se innoxium malè haberi. Alioqui si contingeret liberos hominis impii peccati omnis esse immunes, eorum malè habendorum nullam occasionem nancisci posset Deus. Fortè vitam quam iis dedisset eripere posset, ut melioris sortis participes faceret; sed hæc jactura, peccati proprii, nedum alieni, supplicium haberi non posset.

6. *Mei amantes*] Idem significatur sequentibus verbis, *observantes præceptorum meorum*, ut modò dicebamus, sed potissimùm ea præcepta intelligenda, quæ ad unius veri Dei cultum pertinent.

Ad millesimæ ætatis posteros] לאלפים lealaphim *millesimis*. Ad paucos ira porrigitur, ad multesimos misericordia. Nam *tertii & quarti* παροιμιωδῶς dicuntur paucæ ætates, *millesimi* multæ.

Misericordiam exerceo] Hoc est, qui propter pios & mei amantes Majores, ultimæ posteritati plurima sæpe condono. Nam neque superiores minæ, neque hæc promissa ita sunt intelligenda quasi perpetuum hoc esset, ut res ipsa ostendit. Multa autem sunt exempla, in Vetere Testamento, in quibus impletum videmus quod hîc ait Deus. Sic propter Abrahamum, Isaacum, & Jacobum Israelitis, quamvis pietatis Majorum nequaquam æmulis, multa condonavit. Vide Sup. Cap. II, 24. Levit. XXVI, 42. Deut. IV, 37. Psal. CV, 42. Esai. XIV. 4. Sic & Psal. LXXXIX. 30. Deus de Davide: *in perpetuum*, inquit, *sobolem ejus stabiliam, & thronum ejus instar dierum cœli. Si filii ejus deseruerint legem meam, si ex judiciis meis non incesserint — virgâ eorum delictum castigabo, &*

18. Vidit *&* *audivit* universus populus tonitrua, & lampadas, & sonitum tubæ, & fumantem montem, quæ cùm videret contremuit, ac procul stetit. 19. Tum Mosi,

18. His pronunciatis, vox quæ ex nube prodibat conticuit, fulguráque ac tonitrua, & tubæ clangor cerni atque audiri iterum cœperunt, neque ab incenso monte fumus adscendere destitit; quæ usque adeò terruerunt Hebræos, ut in radicibus montis, procul à nube, manserint. 19. Cùm verò Moses

peccatum plagis, misericordiam meam iis non auferam, neque in veritate mea fallax ero &c. Ac reverâ sæpiùs, propter Davidem, ejus posteris pepercisse dicitur. 1 Reg. XI, 12, 34. XV, 4. 2 Paral. XXI, 7. & alibi.

7. *Non proferes*] לא תשא *lo thisscha*, hoc est, *proferes*, quæ frequens est significatio verbi נשא. Vid. inf. C. XXIII, 1. Num. XXIII, 7, 18. aut si vis *Joan. Coccejum*, in sign. V. hujus vocis, quàm accuratè exposuit.

Ad vana confirmanda] לשוא *lasschau*, hoc est, *ad falsum*, nempe, comprobandum; nam שוא confunditur cum שקר *scheker*, quod significat *mendacium*, ut liquet ex collatione Exod. XX, vers. 16. cum Deut. V, 20. Quibus vacabit ii expendant loca, in quibus שוא occurrit, videbúntque *mendacii* aut *fallaciæ* significationem ubique optimè convenire, non *temeritatis*. Vide infra Cap. XXIII, 1. Itaque videtur hîc agi de jurejurando, in quo proferebatur nomen Dei. Solebant multæ Gentes facilè jurare, & Deorum nomina adhibere, etiam in rebus falsis. Mentientes Græci νὴ Δία tam facilè dicebant, ac vera proferentes, ut ex Comœdiis liquet. Fortè & Ægyptii, aliíque Hebræorum vicini eadem malâ consuetudine laborabant, quo factum ut Deus hoc disertè vetaret, inter ea, à quibus maximè caveri vellet. LXX. Intt. verterunt ἐπὶ ματαίῳ *de re inani*. Verùm cùm hîc gravissima quæque scelera vetet Deus, credibilius est perjurium intelligi, quàm jusjurandum de re levi, quamvis vera. Nam hoc cùm sit peccatum in Divinam Majestatem, quæ ad futilia deprimi, ut ita dicam, non potest, sine culpa; attamen gravius est multò perjurium. Huc respexisse videtur Christus Matth. V, 33. ubi dicit dictum esse veteribus Hebræis οὐκ ἐπιορκήσεις *non pejerabis*, in antecedentibus enim Decalogi verba adtulit. Utrumque sensum conjunxit *Philo*, in expositione Decalogi, ubi quæ habet in leviter jurantes, & perjuros dignissima sunt lectu. Pauca verba huc transferam: πολύτροποι καὶ πολυειδεῖς, αἱ περὶ τοῦτο τὸ μέρος τῶν ἀνθρώπων ἁμαρτίαι. κάλλιστον δὲ καὶ βιωφελέστατον καὶ ἁρμόττον λογικῇ φύσει τὸ ἀνώμοτον, οὕτως ἀληθεύειν ἐφ' ἑκάστου δεδιδαγμένῃ, ὡς τοὺς λόγους ὅρκους εἶναι νομίζεσθαι: *variè & multifariè sunt circa hanc Legis partem hominum peccata. Pulcherrimum certè, & utilissimum, & conveniens rationali naturæ, numquam jurare, sic in singulis veritatem sequi edoctæ, ut sermones sacramenta esse existimes.* Δεύτερος δέ φασι πλοῦς τὸ εὐορκεῖν· ἤδη γὰρ ὅ γε ὀμνὺς εἰς ἀπιστίαν ὑπονοεῖται. μελλητὴς οὖν ἔστω καὶ βραδὺς εἴπως ἐνδέχοιτο ταῖς ὑπερθέσεσιν ἀπάσασθαι τὸν ὅρκον· εἰ δέ τις ἀνάγκη βιάζοιτο περισκεπτέον οὐ παρέργως ἕκαστα τῶν ἐμφερομένων. ἔστι γὰρ πρᾶγμα οὐ μικρὸν, εἰ καὶ τῷ ἔθει καταφρονεῖται, μαρτυρία γὰρ Θεοῦ περὶ πραγμάτων ἀμφισβητουμένων ὅρκος· μάρτυρα δὲ καλεῖν ἐπὶ ψευδεῖ Θεὸν ἀνοσιώτατον: *secundaria verò, ut aiunt, navigatio est rectè jurare, jam enim qui jurat suspectus est de perfidia. Sit igitur cunctator & lentus, si fortè dilationibus possit jusjurandum vitare. Quod si qua cogat necessitas, dispicienda sunt curiosè singula quæ in controversiam adducuntur. Est enim jusjurandum non exiguum negotium, tametsi contemnitur, propter consuetudinem, quippe quod est testimonium Dei de rebus dubiis. Deum autem citare testem mendacii, scelus est nefarium.* &c. *Josephus* Lib. II. Ant. Jud. Cap. 5. ὁ δὲ τρίτος (λόγος), nempe, διδάσκει ἐπὶ μηδενὶ φαύλῳ τὸν Θεὸν ὀμνύναι: *tertium nulla de re levi* (vel *mala*) *Deum jurare.* Fortè ambiguâ voce utramque sententiam complecti voluit. *Plato* hac in re, ut in aliis multis, Mosaïcæ Legi succinit, perjuriúmque, & temerariam usurpationem nominis Deorum vetat de Legibus Lib. XI. p. 676. Ed. Ficin. Genev. ψεῦδος μηδεὶς μηδὲν, μηδ' ἀπάτην, μηδέ τι κίβδηλον, γένος ἐπικαλούμενος Θεῶν, μήτε λόγῳ μήτε ἔργῳ πράξειεν, ὁ μὴ θεομισέστατος ἔσεσθαι μέλλων: *nemo Diis invocatis, mendacium dicat, aut decipiat, aut adulterare verbo, vel re quidquam audeat, nisi velit Deo odio esse.* Et paullò pòst: πάντως καλὸν ἐπιτήδευμα θεῶν ὀνόματα μὴ χραίνειν ῥᾳδίως: *pulcrum omnino est institutum, Deorum nomina non facilè polluere.*

Innocentem habebit] Rectè à viris doctis λιτότητα hîc esse observatum est, Deus enim non modò innocuos non habet perjuros, sed graviter etiam plectit. ינקה *jenakkeh* autem vertimus *innocentem habebit*, quòd hæc sit vis Conjugationis *Pihel*, ut & *Hiphil.* Vide inf. Cap. XXXIV, 7. & Jerem. XXX, 11. Videtur autem hîc adhibita λιτότης, quia homines perjuri, cum interdum nullas peculiares luerent pœnas, in hac vita, existimabantur fortè à nonnullis & dicebantur נקים *nkijim*, innocui, ac immunes pœnæ לפני יהוה *liphne Jehovah*, coram Jehova; quasi Deus hoc non curaret, & omnis ab hominibus pœna esset metuenda; cui opinioni opponuntur hæc verba: *Jehova perjuros innocentes non habebit*, quamvis fortè illico non plectat. *Philo* loco laudato: ὁ δὲ λεχθέντων ὀλιγώρως ἔχων, ἴστω τὸ μὲν πρῶτον μιαρὸς καὶ ἀνάγνος ὢν, εἶθ' ὡς ἀεὶ μέγισται τῶν τιμωριῶν ἐφεδρεύουσιν αὐτῷ, τῆς ἐφόρου τῶν ἀνθρωπείων δίκης ἀτρέπτως καὶ ἀπαρηγορήτως ἐπὶ τοῖς οὕτω μεγάλοις ἀδικήμασιν ἐχούσης, ἥτις ὅταν μὴ παραχρῆμα κολάζειν ἀξιοῖ, πολλῷ δανείζειν ἕνεκα τὰς τιμωρίας ὡς, ὅταν ᾖ καιρὸς, ἀναπράττειν μετὰ τοῦ κοινῇ συμφέροντος: *quod si quæ diximus* (de perjurio) *contemnenda videntur, is primum sciat scelestum se esse & impurum; deinde semper maximas pœnas ei imminere, cùm Justitia quæ res humana inspicit constans sit & immutabilis in ejusmodi magnis sceleribus, quæ quando non judicat illico esse puniendu, tandem cum multo fœnore videtur pœnas, cum utilitate communi, suo tempore infligere.*

8. *Memor esto diei Sabbathi*] Aut *quietis*, nam שבת *schabbath* est quies, sed nomen Hebraïcum jam usu tritum est. Pro זכר zechor me-

Mosi, loquere, inquiunt, nobiscum, & audiemus; Deus verò nobiscum ne loquatur, ne moriamur. 20. Moses verò populo, ne timeatis, ait, nam ut vos exploraret, ut-

ses descendisset; eum ut posthac solus Deum loquentem audiret, interpresque ejus apud se esset rogarunt; ne si divinam vocem ipsi audirent, divinorum præceptorum non satis observantes, Dei plagâ interirent. 20. At Moses homines bono animo esse jussit, atque Deum illis audientibus loquu-

memento, est Deut. V, 12. שמור schamor *observa*, ut hic quoque in Samaritico Codice; nam ut qui *obliti* dicuntur præcepti, id non observant: ita ejus *memores*, id observare censentur, quòd hæc sint, aut debeant esse conjuncta. Vide Deut. IV, 9, 23, 31. & sup. Cap. XIII, 3. De institutione prima Sabbathi diximus ad Cap. XVI, 23.

Ut eum sacrum habeat] לקדשו lkaddescho; hoc est, *ad eum sanctificandum*, seu festum habendum, quemadmodum solebant dies festi celebrari. Verùm ut hoc clariùs intelligatur, ante omnia in memoriam revocandum est, quæ sit propria significatio vocis קדוש *kadosch*, quæ solet *sanctus* verti, & verbi קדש kadasch, *sanctus fuit*. Propriè קדש dicitur de rebus corporeis, *purásque & mundas* ab omnibus sordibus significat; hinc verbum הקדיש *hikdisch*, propriè est *purgare*, *sordes* è re quapiam *eluere*, ut ostendemus ad Deut. XXIII, 17.

Deinde quia nonnisi vasa pura ad cultum divinum adhibebantur, atque ad eum non illoti accedebant homines, *sanctificare* significavit idem ac *Deo consecrare*. Vide infrà C. XXIX, 21. & alibi passim in hisce libris. Hinc *sanctitatis moralis* profluxit significatio, de qua non agemus, quia diei nulla inest ejusmodi sanctitas. *Sanctificare* ergo *diem* est eum Deo sacrum, sive festum habere.

Quærunt docti quâ ratione Israëlitæ sacrum hunc diem Deo à se haberi significarint? Nos, omissis conjecturis, & iis quæ facta judicantur, quia ita par fuisse videtur, ex sola Scriptura, aliisque veteribus monumentis, rem, ut poterimus, expediemus. *Primùm* ergo otiabantur Israëlitæ, seu ab omnibus servilibus operibus abstinebant, ut sequentia Dei verba docent. Quod quidem otium per se Deo gratum non est, sed absque eo fuisset, nulla requies servis erat futura, quibus Deum consulere dignum ejus bonitate fuit. Hinc *sanctificare Sabbathum*, & *nullum opus eo facere*, quasi ἰσοδύναμα conjunguntur Jerem. XVII, 22, 24. & alibi. *Secundò*, cùm quies non tantùm in cessatione ab operibus sita sit, sed etiam in aliqua recreatione animi, septimo die Hebræi solebant ludis, conviviisque indulgere: quemadmodum & omnes aliæ Gentes, ac præsertim Ægyptii, diebus festis solebant. Vide quæ de Ægyptiorum festis diximus ad Cap. V, 8. X, 8. Sic quoque Hebræos jubet Moses Levit. XXII, 39, & 40. *coram Deo lætari*. Quod aliquoties vocatur מקרא קדש mikra kodesch, *convocatio sancta*, in eo Capite & alibi, id ipsum est quod Græci vocant *πανήγυριν*, hoc est, *festum conventum*, hominibus animi oblectandi causâ convenientibus, missis curis, jucundissimum. *Tertiò*, eo in loco, ubi Tabernaculum fuit antiquissimis temporibus, & postea Templum, præter quotidianum sacrificium, mactandi erant *duo agni anniculi integri*, & offerendi *duo Hasarones similæ oleo mistæ, cum libamine*, ut docemur Num. XXVIII, 9, 10. Atque hinc confirmatur quod modò dicebamus de epulis diei Sabbathi; nam quod ad Sacerdotes redibat, ex mactatis agnis, convivio absumebatur. Hinc *Josephus* Ant. Jud. Lib. III. c. 10. Ἔστι δ' οὐδεμία τῶν ἑορτῶν, καθ' ἣν οὐχ ὁλοκαυτοῦσιν, οὐδὲ τῶν πόνων τῶν ἐπὶ ταῖς ἐργασίαις ἄνεσιν οὐ διδόασιν. ἀλλ' ἐν πάσαις νόμιμον τό τε τῆς θυσίας εἶδος, καὶ τὸ τῆς ἀργίας ἀταλαίπωρον, καὶ αὐτῆς εὐωχίας εἰσὶ τετραμμένοι: *nullum autem est festum quo holocautomata non offerant, & laborum cessationem non concedant; sed in omnibus lege præscribitur sacrificii species, & otii jucunditas, & cùm sacra fecerunt ad convivia convertuntur*. *Philo* etiam de die Sabbathi, Lib. III. *de Vita Mosis* p. 529. Ὁ πάντα μέγας Μωϋσῆς ἐδικαίωσε τοὺς ἐγγραφέντας αὐτοῦ τῇ ἱερᾷ πολιτείᾳ πανηγυρίζειν ἐν ἱλαραῖς διάγοντας εὐθυμίαις: *maximus per omnia Moses judicavit adscriptos suæ civitati conventus celebrare oportere, in festis hilaritatibus diem agentes*.

Hæc tria dumtaxat ex Lege, facta ad celebrationem Sabbathi, colligere est; nihil præterea præcipit usquam Deus. Nec sanè hoc exigui fuisse momenti dixerit, quicumque meminerit miserrimæ mancipiorum sortis, sub heris durioribus, quales sine dubio plerique erant. Nisi Deus ipse servis, qui non exiguo erant numero, consuluisset, nulla requies laborum miseris erat speranda; quâ re sæpe factum est ut gravissimæ orirentur servorum in liberos conspirationes, in aliis Rebuspublicis, cùm nullæ in Hebræorum Historia legantur. Hæc autem Dei cautio, cùm ad omnes servos, tum etiam Hebræos, singulari ratione, pertinuisse videtur. Cùm enim hi non possent, nisi ad septimum annum, inviti servire; avari heri, instante eo anno, quo eos manumitti oportere sciebant, laboribus perpetuis eos confecissent. Itaque Judæos insulsè ridebant Ethnici, quòd septimam vitæ partem perderent; cùm id otium non potuerit meliùs collocari, quâ de re iterum aliquid dicemus.

Quamvis nihil præter otium, in servorum gratiam præcipiat Lex, sequentibus tamen ætatibus Hebræi videntur septimum diem, ut alios festos, in audiendis religiosis sermonibus, absumsisse. Saltem ad Prophetas conveniebant, quos credibile est ejusmodi sermones cum invisentibus habuisse. Hinc Sunamitidi, cùm festinanter sa ad Eliséum conferret, vir 2 Reg. IV, 23. *quare is*, inquit, *ad eum hodie? nec Neomenia est, nec Sabbathum*. Post Captivitatem, conveniebant etiam in Synagogas Judæi, Legémque & Prophetas publicè legebant, ut ex Novi Testamenti libris discimus. Vide Marc. I, 21. Luc. IV, 16. Act. XIII, 14. XV, 21. XVI, 13. XVII, 2. XVIII, 4. Quod *Philo* & *Josephus* pluribus locis confirmant; sed nusquam præcepit Moses, ut viri docti animadverterunt. Vide inter alios *Joan. Spencerum* de Legibus Ritual. Lib. I. c. 4. ubi hoc totum

útque sui timor coram vobis esset, néve peccaretis venit Deus. 21. Stetit ergo procul populus, Mosésque *interea* ad *caliginem*, *in qua* erat Deus, accessit.

quutum docuit, ut an vellent sibi obsequi experiretur, simúlque ut dicto sibi audientes essent. 21. Sed postea in castra rediere Hebræi, & solus Moses ad caliginosam nubem, ut Dei submissiùs loquentis vocem audiret, accessit.

tum negotium doctè & copiosè expedit.

Nemo certè negarit eos *sanctificasse*, sensu excellentiore, Sabbathum qui ita id transegerint, quàm qui nihil nisi otium quærebant; sed nullam aliam *sanctificationem* præter hanc, hoc quidem in loco, intellexisse videtur Deus, cùm nullius rei præter otium, in gratiam servorum, meminerit.

9. *Labori incumbes*] תעבד thahabod, *operaberis*, unde עבד *hebed*, servus. Intelliguntur opera servilia, vel quæ solent, aut possunt per servos fieri. Vocantur in sequentibus מלאכה *malacha*, quod à prisca radice לאך *laach*, misit, quæ apud Æthiopas est etiamnum in usu. *Opera* significantur, ad quæ mittebantur servi.

10. *Sacru*] Hanc vocem supplevimus, quæ necessariò subauditur, quia omitti à Latinè loquentibus non potest.

Nullum opus facietis] *Non facies omne opus*, Hebraïsmo noto, ut vers. 4.

Aut tu, aut filius &c.] *Tu & filius tuus, & filia tua* &c.

Aut servus, aut serva] Hic est præcipuus Sabbathi finis, ut liquet ex additione, quæ à Mose adsuitur huic præcepto Deut. V, 15. *Et recordaberis te fuisse servum in Ægypto, sed eduxisse te illinc Jehovam Deum tuum, manu prævalidâ exsertóque brachio. Propterea jussit te Jehova Deus tuus Sabbathi diem celebrare*, vel, Romanâ voce, *ferias diei unius agere*. Vide & Exod. XXIII, 12. Alii etiam Legislatores feriis voluerunt miseris servitiis cavere, ne continuo labore absumerentur, & Numini eam Legem tribuerunt. *Plato* de Legibus Lib. II. p. 576. Ed. Ficini Genev. Θεοὶ οἰκτείραντες τὸ τῶν ἀνθρώπων (& potissimum quidem δούλων, qui maximam partem laborum ferebant) ἐπίπονον πεφυκὸς γένος, ἀναπαύλας τε αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο, τὰς τῶν ἑορτῶν ἀμοιβὰς τοῖς θεοῖς: *Dii genus hominum laboribus naturâ pressum miserati remissiones laborum illis statuerunt, solemnia videlicet festa, quæ Diis celebrantur.* *Cicero* de Legibus Lib. II. feriis servos immunes esse oportere laboris sancit, n. 19. *Feriis jurgia amovento, easque in famulis, operibus patratis, habento.* Habebant etiam servi sibi peculiares ferias, apud Græcos & Romanos; nimirum, *Saturnalia*, quibus per septem dies, omnis operis immunes, otio & ludo operam dabant. Vide apud Lucianum τὰ πρὸς Κρόνον, & *Senecæ* Epist. XLVII.

Sed multum abest, ut hoc in negotio, æquè liberaliter haberentur, apud Græcos & Romanos, ac apud Hebræos. Nam præter Saturnalia, non ita multæ erant feriæ, quibus servis otiari, & genio indulgere liceret; cùm apud Hebræos, præter alia festa, essent singulis hebdomadibus statæ. Præterea, feriis Romanis, multa servi facere cogebantur, quæ ab Hebræis servis exigi non poterant. Patrem familias, auctore *M. Catone* de R. R. Cap. 2. oportebat villico dicere: *Per ferias potuisse fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, pratum purgari, virgas vinciri, spinas runcuri, expinsi far, mundisias fieri.* Vide hac de re *Virgilium* Georg. I. vers. 267. & quæ illic habet Servius; neque enim jus pontificium Romanorum tradere hîc adgressi sumus.

Quot & quanta essent servorum opera docebit *Seneca* Epistolâ laudata, & *L. Pignorius*, initio Comment. de *Servis*. Neque putandum mitiores futuros fuisse Hebræos, nisi lege coërciti essent. Itaque jure merito, inter primarias Dei curas, hæc fuit, ut ne labore perpetuo nimiùm premerentur servi; atque hinc etiam, nisi stipites essent, intelligere oportuit Hebræos Deo servos curæ esse, adeóque clementer habendos, quam in rem etiam sapientes Ethnicorum multa dixerunt.

Attamen non est putandum, quamquam nullam exceptionem addit Deus, veteres Hebræos ab omni planè opere servili, quavis incumbente necessitate, abstinuisse. Quemadmodum Romani, *quæ omissa nocerent*, feriis faciebant, vix dubitem quin Hebræi veteres idem factitarent; quamvis posterioribus temporibus superstitiosiores, non religiosiores, facti necessaria interdum omiserint. Ut Romani sine piaculo fieri censebant quæ *ad honorem Deorum pertinerent*: ita Hebræis Sacerdotibus religio non erat ea administrare, quæ sacris publicis postulabantur. Quo instituto satis ostendit Deus se otium, propter se, non postulare, jussisset enim victimas sibi esse ab antecedente die paratas, aut iis caruisset, potiusquàm sacrum otium violare juberet. Si autem propter rem necessariam laborare licuit Sacerdotibus, quidni & aliis? Profectò non erat Sabbathum in detrimentum Hebræorum institutum, sed in utilitatem. *Sabbathum propter hominem, non homo propter Sabbathum erat*, ut docet Christus Marci II, 27. ad quem locum & ad initium Cap. XII. Matthæi vide *H. Grotium*. Digna sunt quæ huc transferantur *Macrobii* verba ex Saturn. Lib. I. c. XVI. *Regem Sacrorum, flaminésque non licebat videre opus fieri, & ideò per præconem denunciabatur ne quid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur; præter mulctam verò adfirmabatur eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere, scientem expiare non posse. Scævola Pontifex adfirmabat, sed Umbro negat eum pollui, qui opus vel ad Deos pertinens, sacrorúmque causâ fecisset, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem respiciens actitasset. Scævola denique consultus, respondit quod prætermissum noceret, si bos in specum decidisset, eúmque paterfamilias, adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse; nec ille, qui trabem tecti fractam, fulciendo, ab imminenti vindicavit ruina.*

Aut jumentum] Quia, nimirum, jumenta opus facere non possunt, nisi regantur à servis. Atque hinc iterum adparet feriarum Hebræarum & Romanarum discrimen. *Boves*, ait Cato de R. R. C. CXXXVIII. *conjungere licet.*

licet. Hoc licet facere, advebant ligna, fabalia, frumentum quod non daturus erit. Mulis, equis, asinis feriæ nullæ. Columella tamen Lib. II. cap. 22. *feriis deniciales* excipit, quibus *mulos jungere* non licet. Quidquid id est, satis liquet feriis Romanis non multùm quievisse servos, sed alio tantùm laboris genere occupatos.

Peregrinus, qui intra tua mœnia] גרך אשר בשעריך gercha acher bschaharecha, *peregrinus tuus, qui in portis tuis* LXX. Intt. ὁ προσήλυτος ὁ παροικῶν ἐν σοὶ, *proselytus incola in te.* Notum quidem est quid Rabbini de Proselytis sentiant, quidve olim ab Hebræis veteribus ex iis postulatum fuisse existiment; sed cùm multa aut prorsus fingant, aut ex sui ævi moribus judicent, tutum non est iis omnia credere. Cùm duo genera *Proselytorum* fuisse dicant, *Proselytos justitiæ*, & *Proselytos portæ*; prioresque essent circumcisi, & omnem legem suscepissent observandam; posteriores verò incircumcisi, *Noachidis* dumtaxat data præcepta, præter Sabbathum, observare cogerentur; de prioribus hîc non agi putant, cùm unà cum Hebræis civibus censerentur. Posteriores ergo, *Proselyti*, nimirum, *portæ* hîc respici existimantur; quibus imponatur etiam, præter ea quæ diximus, Sabbathi observatio. Vide de hisce peregrinis dicta ad Cap. XII, 49. Vetantur autem peregrini, qui inter Israëlitas, fortè in urbibus ad fines sitis, vitam acturi erant, variis in rebus Legem violare, ne suo exemplo Israëlitas pellicerent.

In portis dicunt Hebræi ἀντὶ τοῦ *in urbibus*, nam *portæ* urbes dicuntur passim. Vide Deut. XII, 15, 17, 21. More Latino, vertimus *intra mœnia*, quod eodem recidit. Juris autem dictio Hebræis fuit in omnes, qui in eorum agris & urbibus habitabant, dum rerum potiti sunt; nam à vicinis subacti, iisque vectigalia pendentes, leges suas victoribus imponere non poterant.

11. *Sex enim diebus*] Hæc est altera ratio, ob quam Sabbathum observari jussit Deus; quæ non minoris est momenti, quàm superior. Volebat septimæ diei feriis, memoriam creationis mundi conservari, & Israëlem eâ re testatum omnibus gentibus facere à se coli id Numen, quod omnia creavisset. Qua de re dicemus ad Cap. XXXI, 13. ne omnia sint huc congerenda.

Benedixit diei Sabbathi] Vide not. ad Gen. II, vers. 3.

12. *Honora patrem tuum*] Varia sunt honoris genera, quæ parentibus debentur, pro ætate liberorum & parentum, rerúmque statu. A liberis quidem semper magni fieri parentes oportet, & eorum honori, quantùm potest, factis & dictis consuli, modò ne interea aliæ divinæ violentur leges. Verùm dum liberi ab iis educantur & aluntur, non tantùm reverentiam, sed & obsequium iis majus debent, quàm postquàm parentum familiâ egressi, ipsi patres familias evaserunt. Postquàm verò parentes, præ senectute, aut alio quopiam casu, non possunt ampliùs curam gerere liberorum, tum liberos ea parentibus præbere quibus indigent, pro rerum præsenti copiâ, necesse est; & ita eos colere, ut quidquid eorum causâ, divinis aliis legibus non violaris, fieri potest, faciant. Hisce in rebus situs est *honor*, quem liberi parentibus debent; non ut parentes tyrannico quodam imperio liberis præsint, & pro ratione iis voluntatem sequendam proponant, cui liberi parere semper necesse habeant.

Hac in re positum est humanæ veluti societatis fundamentum; nam cùm ex familiis humana constet societas, si familiæ singulæ convenienter naturæ se gerant, facilè in æquas leges universæ societati ferendas consentient, & semel sancitas non invitæ observabunt. Contrà verò si inter parentes & liberos exigua conjunctio sit, & parum nota officiorum ratio, amplioris societatis vincula facilè solventur, & difficillimè jura servabuntur. *Societas & communicatio utilitatum, & ipsa caritas generis humani*, ut rectè *Cicero* Acad. Quæst. Lib. V. *quæ nata à primo satu, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio & stirpe conjungitur, serpit sensim foras cognationibus primùm, tum affinitatibus, deinde amicitiis, tum civibus & iis qui publicè socii atque amici sunt, deinde totius complexu gentis humanæ.* Itaque inter potissima, quæ Deus observari ab Israëlitis voluit, hoc præceptum non ultimum locum obtinet. In eo quidem de parentum erga liberos officiis nihil occurrit, quia rariùs parentes erga liberos peccant, quàm liberi erga parentes; si Gentes excipias quæ liberos pecudum instar habuerunt, & in perpetuam servitutem vendiderunt. Accensendæ tamen iis etiam sunt eæ, apud quas liberos exponere licitum fuit; quamvis sine dubio pauci hoc factitarent, præ aliis qui studiosè liberos educabant. Horum peccatorum immunes fuisse videntur Hebræi, nam hæc quoque prohibuisset Deus. De liberorum erga parentes officiis dignum est lectu Caput LXXVII. Collectaneorum *Joan. Stobæi*, ubi non unus Ethnicorum occurrit locus, quo *honorare* parentes liberi jubentur, & quidem proximo loco post Numen. Nec pœnitebit eos qui perlegerint Cap. 7. Lib. II. Noctium Atticarum, ubi *de officio erga patres liberorum.*

Non prætermittendum est non temerè à Deo *patrem & matrem* conjungi, & utrumque ex æquo utriusque sexûs liberis commendari; utriusque enim parentis æqualis honor apud Ægyptios non fuit, neque filiis æquè commendatus. Prius hinc colligimus, quòd Ægyptii olim, ut auctor est *Diodorus* Lib. I. ὑπειλήφασι τὸν πατέρα μόνον αἴτιον εἶναι τῆς γενέσεως, τὴν δὲ μητέρα τροφὴν καὶ χώραν παρέχεσθαι τῷ βρέφει: *crederent patrem solum caussam esse generationis, matrem verò infanti alimentum & locum præbere.* Posterius disertè docet *Herodotus* Lib. II. c. 35. Τρέφειν τοὺς τοκέας τοῖσι μὲν παισὶ οὐδεμία ἀνάγκη μὴ βουλομένοισι, τῇσι δὲ θυγατράσι πᾶσα ἀνάγκη: *alendi parentes filiis, nulla nolentibus; filiabus, etiamsi nolunt, summa necessitas est.*

Tuos producant dies] יאריכון ימיך jaarichoun jamecha; nempe, precibus suis ad Deum, quibus ut te diu incolumem servent orabunt. Hæc cùm sit propria conjugationis *Hiphil* significatio, alii verterunt quasi passivo sensu esset intelligenda. LXX. ἵνα μακροχρόνιος γένῃ. Vulg. *ut sis longævus.* Sed ubicumque האריך cum ימים *jamim* conjungitur, nomen semper est accusativi casûs, ut examine locorum depre-

hendimus. Itaque maluimus rationem Grammaticam sequi, cùm sit sensus egregius. Parentes enim, qui à liberis bene habentur, precantur illis à Deo vitam longævam; eorúmque preces efficaces semper habitæ sunt, nisi certis de rationibus Deo aliter videretur. Vide quæ diximus de extremorum votorum efficacia ad Gen. XXVII, 33. Eximia sunt hanc in rem *Platonis* verba, de Legibus Lib. XI. p. 682. Ed. Ficini Gen. ubi postquàm summopere honorem parentibuus exhibendum commendavit, & quod dicturus erat auditu dignum esse adfirmavit: Οἰδίπους, inquit, ἀτιμασθεὶς ἐπεύξατο τοῖς αὐτοῦ τέκνοις ἃ δὴ καὶ πᾶς ὑμνεῖ τέλεα καὶ ἐπήκοα γενέσθαι παρὰ τῶν Θεῶν· Ἀμύντορά τε Φοίνικι τῷ ἑαυτοῦ ἐπαράσασθαι παιδὶ θυμωθέντα, καὶ Ἱππολύτῳ Θησέα καὶ ἑτέρους ἄλλοις μυρίους μυρίοις, ὧν γέγονε σαφὲς ἐπηκόους εἶναι γονεῦσι πρὸς τέκνα θεούς. βλαβερὸς γὰρ γονεὺς ἐκγόνοις, ὡς οὐδεὶς ἕτερος ἄλλοις, δικαιότατα· μὴ δή τις ἀτιμαζομένῳ μὲν διαφερόντως πατρὶ πρὸς παίδων καὶ μητρὶ θεὸν ἐπήκοον ἐν εὐχαῖς ἡγείσθω γίγνεσθαι κατὰ φύσιν· ΤΙΜΩΜΕΝΩι δ᾽ ἄρα καὶ περιχαρεῖ σφόδρα γενομένῳ, καὶ διὰ τὸ τοιοῦτον λιπαρῶς εἰς τἀγαθὰ τοῖς παισὶ παρακαλοῦντος θεούς, οὐκ ἄρα τὰ τοιαῦτα ἀκούειν ἐξ ἴσου καὶ νέμειν ἡμῖν αὐτοὺς ἡγούμεθα; *Oedipus contemtus à liberis ea illis imprecatus est, quæ perfecta, exauditáque à Diis omnes canunt. Amyntorem quoque Phœnici filio iratum, illi maledixisse, & Hippolyto Thesem, plurimósque alios aliis; quibus apertum factum est Deos parentes contra liberos exaudire. Nocet enim eo modo pater liberis, ut nemo alius alius, & quidem meritò. Nemo verò cùm pater aut mater à liberis contemnitur, tunc potissimùm Deum exaudire preces existimet, secundùm naturam; HONORATUM & valde exhilaratum, & propterea Deos pro liberis invocantem, nunnn similiter hos exaudire, & nobis ea largiri, putabimus?* Quinimò antiquissimis temporibus, apud Græcos, honoris à liberis parentibus exhibiti longam vitam præmium esse recepta fuit opinio, quod nos docet *Homerus* Iliados Δ. vers. 477. de Simoïsio:

——— Οὐδὲ τοκεῦσι
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν
Ἔπλετο ———

Neque parentibus nutricationis præmia reddidit, brevis verò ei vita fuit. Similia de alio habet Iliad. P. vers. 302.

13. *Non occides*] Nisi lex disertè permiserit, quod certis casibus factum, ut si quis noctu parietem fodiens deprehenderetur, infrà Cap. XXII, 2. aut alium adgressus occideretur, Deut. XXII, 26. aut alienorum Deorum cultum suaderet, Deut. XXV, 6, 7, 8. aut ultione sanguinis propinqui Deut. XIX, 1. De hisce, aliisque similibus casibus, multis egit *Joan. Seldenus*, de J. Nat. & Gent. Lib. IV. Hic servi cædes à liberi cæde non secernitur, erat enim hac in re idem jus Hebræis ac Ægyptiis, quorum legem hac de re vide ad Cap. XXI, 20. Nec modò is homicida ab iis censebatur, qui ipse occidisset; sed etiam qui vim alii inferri passus esset, ut diximus ad Cap. II, 12.

14. *Non mœchaberis*] לא תנאף *lo thinaph*, οἱ LXX. οὐ μοιχεύσεις, Vulg. *non mœchaberis*, quæ est propria vocis significatio. Libidinum maxima & periculosissima, inter illicitæ Veneris delicta, hîc vetatur: ut, inter injurias corpori proximi illatas, cædes, in superiore præcepto. Deus, nimirum, omnia edicere noluit, voce ex igne emissâ, sed gravissima tantùm, ut diximus, legum capita protulit. Severissimæ etiam erant apud Ægyptios adulterorum pœnæ, si *Diodoro* credimus, cujus hæc sunt verba *Biblioth.* Lib. I. p. 71. Τῷ διαφθείραντι γυναῖκα ἐλευθέραν προσέταξαν ἀποκόπτεσθαι τὰ αἰδοῖα, νομίσαντες τὸν τοιοῦτον μιᾷ πράξει παρανόμῳ τρία τὰ μέγιστα τῶν κακῶν ἐνηργηκέναι, τὴν ὕβριν, καὶ τὴν φθορὰν, καὶ τὴν τῶν τέκνων σύγχυσιν· εἰ δέ τις πείσας μοιχεύσαι, τὸν μὲν ἄνδρα ῥάβδοις χιλίας πληγὰς λαμβάνειν ἐκέλευον, τῆς δὲ γυναικὸς τὴν ῥῖνα κολοβοῦσθαι: *qui vim ingenuæ adtulisset, huic genitalia præcidi jubebant; unius enim facinoris enormitate tria maxima flagitia, contumeliam, corruptelam, liberorum confusionem perpetrari judicabant. Si persuasu adulterium esset commissum, viro mille plagæ fustium, mulieri narium detruncatio irrogabatur.* Observandum adulterium propriè vocari cùm viri, qui alienam uxorem corrumpebat, seu ille cœlebs esset, seu conjugem haberet, tum uxoris; non verò viri cum virgine, aut meretrice concubitus, quia has poterat ducere, cùm non esset interdicta Polygamia. At uxorem alienam, nisi libellum repudii accepisset, nemini domum ducere licebat.

In codicibus Græcis, præceptum de adulterio prius ordine legitur, quàm præceptum de cæde. At Samaritæ consentiunt cum Massorethis. Vide tamen quæ habet hac de re, *in Decalogum*, *H. Grotius.*

15. *Non furaberis*] Postquàm quispiam à parentibus hereditate aliquid accepit, aut industriâ suâ adquisivit, seu quovis alio modo legibus consentaneo comparavit; nihil est æquius quàm ut suo fruatur solus, si velit, neque quisquam eo invito aut dominus, aut particeps ejus fiat. Si enim per leges liceret alienas facultates invadere, omnis brevi exstingueretur industria, vitáque in apertum latrocinium mutaretur. Singularis tamen hac de re fuit apud Ægyptios lex, è furace gentis ingenio, quale est hodiernorum Arabum, nata; quod cùm coërceri omnino non posset, ne nimis noxium foret societati cautum lege est. *Diodorus* Lib. I. p. 72. ἐκέλευε (nimirum, νόμος) τοὺς βουλομένους ἔχειν ταύτην τὴν ἐργασίαν ἀπογράφεσθαι πρὸς τὸν ἀρχιφῶρα, καὶ τὸ κλαπὲν ὁμολόγως ἀναφέρειν παραχρῆμα πρὸς ἐκεῖνον· τοὺς δὲ ἀπολέσαντας παραπλησίως ἀπογράφειν αὐτῷ καθ᾽ ἕκαστον τῶν ἀπολωλότων, προστιθέντας τόν τε τόπον καὶ ἡμέραν καὶ τὴν ὥραν καθ᾽ ἣν ἀπέβαλε· τούτῳ δὲ τῷ τρόπῳ πάντων ἑτοίμως εὑρισκομένων, ἔδει τὸν ἀπολέσαντα τέταρτον μέρος τῆς ἀξίας δόντα, κτήσασθαι τὰ ἑαυτοῦ μόνα: *jussit lex eos, qui volunt hanc artem habere, nomen profiteri apud Præfectum furum, & è vestigio furtum ad eum ex pacto referre. Eos verò qui amiserunt similiter scribere quæcumque amissa sunt, additis loco, die & hora, quâ perierunt. Hoc modo cunctis facilè repertis, necesse erat eum qui amiserat, solutâ quartâ parte pretii, sua solum habere.* Rationem reddit hujus Legis *Diodorus*, in sequentibus, qualem conjiciebamus: ἀδυνάτου γὰρ ὄντος τοῦ πάντας ἀποστῆσαι τῆς κλοπῆς, εὗρε πόρον ὁ νομοθέτης δι᾽ οὗ πᾶν τὸ ἀπολόμενον σω-

θήσε-

ἔσονται μικροῦ διδομένων λύτρων: cùm fieri non posset ut omnes à furto abstinerent, viam Legislator invenerit, quâ quidquid amissum fuerat servaretur, exiguâ datâ redemtione. Optandum esset *Diodorum* addidisse, quibus pœnis fures, qui ad Præfectum non referebant quod erant furati, plecterentur. Jurisprudentiæ Thalmudicæ placita de furto habet *Joan. Seldenus* de Jur. Nat. & Gent. Lib. VI.

16. *Non dices* &c.] *Non respondebis* (תענה thahaneh) *in proximum tuum testimonium falsitatis.* Sed ענה *hanah*, tam primum *loqui*, quàm *respondere* sciscitanti sonat. Tertio præcepto, perjurium vetatur; hoc quævis calumnia, nullo interposito jurejurando. Itaque cùm esset testimonium, coram judice, Religione per Dei nomen injectâ, exhibitum, de quo vide Levit. V, 1. Jos. VII, 19. & 1 Reg. XXII, 16. de hoc agi non videtur, quia eò pertinent quæ de jurejurando præcepto tertio dicta sunt. Spectatur hîc potiùs calumnia, ut diximus, ex qua summa societati oriuntur mala, quamquam clam fit, & sine jurejurando, de qua infra XXIII, 1. Levit. XIX, 16. Apud Ægyptios *οἱ ψευδῶς τινῶν κατηγορήσαντες ὤφειλον τοῦτο παθεῖν, ὃ τοῖς συκοφαντηθεῖσιν ἐπέτακτο πρόστιμον, εἴπερ ἔτυχον καταδικασθέντες: qui falsò aliquem accusabant, eos oportebat id pati supplicii quod falsò accusatis irrogatum fuisset, si fuissent damnati.* *Diodorus* Lib. I. p. 69. Idem apud alias etiam gentes obtinuit.

17. *Non concupisces* &c.] Duo complectitur concupiscentia, id quod Stoïci aptè vocabant *προπάθειαν* & *πάθος*. Prius est subitus ille animi motus, qui nascitur in nobis, cùm quidpiam quod nobis voluptatem creare posset, & quo caremus, contemplamur. Subit enim illico cogitatio ejusmodi: mihi meliùs esset, si hoc, aut simile quidpiam haberem. Posterius verò est primùm vehementior cupiditas ejus rei habendæ, quâ caremus, conjuncta cum mœstitia quadam, propterea quòd ea destituti simus. Deinde si ea animi perturbatio diuturnior sit, nec tempore minuatur; paullatim eò progredimur, ut viam nobis aperiri optemus, quâ tutò id invadere possimus quod concupiscimus, atque ita simus adfecti ut primâ quaque occasione usuri essemus. Inter homines eò usque cupiditati mancipatos, & eos qui re cupita eadémque illicita securè fruuntur, magnum discrimen non est. *Furem, adulterum, aleatorem aliquâ significatione, ex animi propositione cujusque sola, quis dicere posset; ut etiam is qui numquam alienam rem invito domino subtraxerit, numquam alienam matremfamilias corruperit, si modò ejus mentis sit, ut occasione datâ id commissurus sit.* Quin etiam animus æger, legúmque præ nimiâ perturbatione immemor, in varias partes sese versat, ut viam quâ satisfaciat adfectui adinveniat.

Adfectum, seu *πάθος*, malum esse nemo, hac lectâ descriptione, dubitarit; sed *προπάθεια* nihil in se mali habet, si sola spectetur, sepositâ omni molitione, aut actione, neque à nobis vitari potest. Itaque hæc à Deo decimo præcepto non vetatur, quærendum dumtaxat an adfectûs cupiditatis fugam præcipiat; nam quamvis quin malus sit nemo inficias iverit, dubitare tamen quis fortè possit, an hac lege vetetur. Ratio dubitandi est quòd ea potissimùm legibus Mosaïcis vetentur, quæ pœnis in foro coërceri poterant; nullæ autem cupiditati, dum sese actione nullâ illicitâ prodit, irrogentur pœnæ. Huc accedit quod Marc. X, 19. Christus Decalogi præcepta recitans, hoc videtur exprimere verbis, *μὴ ἀποστερήσῃς, ne fraude spolies; non mœchaberis*, inquit, *non occides, non falsum testimonium dices, μὴ ἀποστερήσῃς, honora patrem & matrem.* Prætereà Christus Matth. V, 28. concupiscentiam alienæ uxoris ita vetat, quasi veteribus Hebræis externæ tantùm actiones interdictæ fuissent: *Audistis*, inquit, *dictum veteribus non mœchaberis; ego verò dico vobis omnem adspicientem mulierem ut eam concupiscat, jam cum ea in animo suo mœchatum esse.*.

Non raró certè in Vet. Testamento antecedens, pro consequente, occurrit; ut quarto præcepto, ubi *memento diei Sabbathi*, perinde est ac, id facito quod memores divini præcepti facere decet. Ita hîc *ne concupiscas*, est ne id facias quod homines cupiditatis adfectu præpediti facere solent. Ac sanè ita תחמד *thhamad* aliis in locis intelligitur, non de sola cupiditate intra animum latente, sed de ipsa rei cupitæ invasione, ut infra Cap. XXXIV, 24. Sic & interdum loquuntur Latini, ut liquet ex hisce verbis *L. Crassi* apud *Ciceronem* de Oratore Lib. I. c. 43. ubi de duodecim Tabulis, in quibus sola animi cupiditas nusquam vetabatur, hæc habet: *Docemur ——— auctoritate nutúque Legum, domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere.* Quia, nimirum, XII. Tabulæ ea vetabant quæ animi cupiditatem consequi solent; ut sit in *Ciceronis* verbis consequens pro antecedente, ut est in Decalogo antecedens pro consequente. Atque hæc certè propter nexum, quo arctè conjunguntur, sæpe misceri in omnibus Linguis solent.

Neque objici potest, octavo præcepto, quo vetatur furtum, hujusmodi concupiscentiam vetari; *furtum* enim propriè dictum est ablatio rei alienæ inscio, aut invito domino, sine ullo juris prætextu. Hoc vetat Deus, præcepto octavo; hîc verò rationes obliquiores intervertendæ rei alienæ, quibus species juris obtenditur. Sexto præcepto, adulterium Deus vetat propriè dictum, hîc malas artes, quibus poterat fieri ut uxorem quispiam dimitteret, ut alius ea potiretur. Ad hoc ergo præceptum rectiùs retulisset *Philo*, quod ad sextum habet Lib. de Decalogo p. 589. Ac sanè, qui maximè in hoc decimum præceptum peccant, sunt *οἱ ὀλιγαρχικοὶ τὰς φύσεις, οἱ τυραννίδος καὶ δυναστειῶν ἐπιθυμοῦντες, οἱ τὰς μεγάλας ἐργαζόμενοι κλοπάς, σεμνοῖς ὀνόματι τῆς ἀρχῆς καὶ ἡγεμονίας ἐπικρύπτοντες λῃστείαν τἀληθέστερον: qui naturæ ejus sunt, ut paucorum dominatui faveant, qui tyrannidem & potestatem concupiscunt, qui magna furta faciunt, honestis nominibus principatûs & imperii latrocinium, ut veriùs dicam, velantes.* Sed & privati multis malis artibus cupiditatis suæ litant, omniáque faciunt ut potiantur eo quod optant, modò jure cum iis agi propterea non possit.

Verùm, ut quod videtur dicam, non tam crimen, quod est in rei cupitæ illicita fruitione, hîc signari crediderim voce תחמד, quàm externam significationem cupiditatis, quæ sita est

est in adhibendis malis artibus, ad consequendum quod concupiscimus, quem sensum in Paraphrasi expressimus. Postquàm Deus adulterium, furtum & falsum testimonium vetuit, tandem ita claudit hanc suam ad populum adloquutionem; ut omnem artem, quâ damnum proximo, præ cupiditate eorum quæ habet, creari potest, & quæ nequit ad superiora propriè referri, damnet. Non modò illicitum est vi, aut falsis testimoniis alium domo suâ ejicere; cum uxore ejus concumbere; mancipia denique & pecudes ejus furari aut abigere; sed ne ea quidem facere, quæ eò tendunt, quamvis effectum non sortiantur. Non licet per Legem iniquam litem cuiquam scribere, uxorem ejus sollicitare, servos ut fugiant subornare, eas artes adhibere quibus pecus alienum nostrum faciamus; cum domini detrimento, nec sunt minora hæc scelera, si optato cupidis hominibus eventu careant, ac si perfici queant. Hæc autem hoc in loco *concupiscentiæ* nomine veniunt, cùm quia sunt concupiscentiæ fructus, tum quia, nullo sequente eventu, qui iis usi sunt *concupivisse* quidem illicita dici possunt, sed non res cupitas sibi comparasse.

18. *Vidit & audivit populus*] Addimus *& audivit*, quia non ferunt aures Latinæ, *vidit tonitrua & sonitum tubæ*. Sunt qui velint hîc verbum *vidit*, idem esse ac *animadvertit*, ut Gen. XLII, 1. sed frigidum est dicere *animadvertere tonitrua*, nisi è longinquo exaudiantur, cùm è proximo audita sint. Vide *Thom. Gatakerum* de stylo N. T. c. XXXVIII. Alii volunt *visum* pro omni sensu hîc sumi, ut Apoc. I, 12. *verti me ut viderem vocem*; verùm hoc in loco Apocalypseos, *vox* pro *loquente* est, ut observavit vir summus. Itaque satius est hîc agnoscere ἄκυρον, quo fit ut verbum non conveniat cum omnibus quæ sequuntur, sed tantùm cum eorum parte; ita ut, si ad analogiam loquutio revocanda sit, supplendum sit alterum verbum. Atque hoc fit ubi aliqua est inter ea verba adfinitas, ut hîc, ubi sermo est de duobus sensibus. Sic Jer. XIX, 1. *Ito, comparato* (קָנִית kanitha) *lagenam figuli testaceam atque ex senibus populi & senibus sacerdotum; tum exibis in vallem filiorum Hinnomi* — 10. *& franges lagenam in oculis virorum, qui tecum venerint.* Omissum est, ut rectè observat *D. Kimchi* והוליך עמך *duces tecum*, aut quid simile, ut ולקח עמך *& sumes tecum*, hoc sensu: *comparabis lagenam testaceam* & duces tecum *aliquot ex senibus populi* &c. Sunt adfinia lagenam sumere, atque auferre, persoluto pretio; & homines secum ducere, in eumdem locum, in quem fertur lagena. Exempla in optimis Scriptoribus observare non rarò me memini, quamquam nunc quidem non occurrunt.

Hoc cùm non animadverterent veteres Judæi, mira mysteria aut portenta confinxerunt, quæ numquam commenti essent, si in disciplinis grammaticis exercitatiores fuissent. Brevitatis causâ, ea hic à nobis omittentur; sed in *Indice* erunt in voce *Videre*, ut constet quàm necessarium sit grammaticarum rerum studium Scripturam studiosè legentibus.

18. *Lampadas*] לפידים *lappbidim*, quæ vox cùm faces propriè significet, ut vox Græca λαμπὰς, translata videtur ad significanda meteora ignita quæ lampadum speciem referunt, ut & vox Græca, quâ propterea & LXX. Intt. & Vulg. usi sunt. *Plinius* Hist. Nat. Lib. II. c. 26. ita Lampadas describit: *Emicant faces, non nisi cum decidunt visæ — Duo genera earum: Lampades vocant planè faces, alterum Bolidas — Distant quod faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte; Bolis verò perpetua ardens longiorem trahit limitem.* Hoc meteori genus

Λαμπόμενον σπινθῆρσιν ὅλα κτ' βένθεα κόσμου

significabat *audiendam ignis vocem*, ut ad superius Caput observabamus.

Quæ cùm videret &c.] *Et vidit populus, & contremuerunt.*

19. *Ne moriamur*] Existimabant non licere mortalibus Deum, sine vitæ periculo, cernere. Vide not. ad Genes. C. XVI, 13.

20. *Explorares*] Non ut in vos flammam quam videtis emitteret, sed ut cognosceret velitisne vobis à se Leges ferri. Vide ad Cap. V, 23.

XVIII. Va-

XVIII. Variæ leges de ſimulacris, de altari, de ſervis Hebræis, de homicidio, de verberibus ac contumeliis parentibus illatis, de plagio, de verberikus quibus liber aut ſervus adfectus fuerit, de bove cornupeta, & pecude in foſſam decidente.

21. TUM Moſi Jehova, ſic dices, inquit, Iſraëlitis: me loquutum eſſe vobiſcum è cœlo vidiſtis.
23. Ne ergo Deos argenteos, aureóſve mecum vobis feceritis.
24. Altare mihi facies ex terra, in quo holocauſta, & ſalutaria tua, ex ovillo, buceróque tuo *pecore*, mactabis, quocumque in loco celebrari juſſero nominis mei me-

PARAPHRASIS.

21. EO in loco, varias leges accepit Moſes, quas apud populum promulgare juſſus eſt, & Deum in hanc ſententiam loquentem audivit. Quandoquidem me è nube, nullâ conſpectâ mei ſpecie corporeâ, loquentem audiſti; 23. ne ullum mei, aliorúmve Deorum ſimulacrum ex metallo conflato.

24. Ceſpitium mihi ſtatuito altare, atque in eo ovillo, caprino, aut bucero pecore ſacra mihi facito, quocumque in loco ſollemniorem cultum mi-

COMMENTARIUS

In CAPUT XX.

22. *ME loquutum eſſe vidiſtis*] Hoc eſt, flammam, nubem, fulguráque vidiſtis, è quibus prodiit vox mea. Non ampliùs, alicuâ fide ſtabitis; nam oculis, auribúſque veſtris Deum Legiſlatorem eſſe veſtrum cognoviſtis. Vide Deut. IV, 12. V, 4.

23. *Mecum*] אתי *itthi*, idem eſt, ac על פני *coram me* v. 3.

24. *Ex terra*] E ceſpitibus, ut ſolebant properantes, etiam apud Ethnicos, ut obſervavit *H. Grotius* ad hunc locum & poſt eum *Joan. Spencerus* de Leg. Rit. Heb. Lib. II. c. 5. Nam Interdicta erant lateritia altaria, non minùs ac lapide cæſo conſtantia. Vid. Eſ. LXV, 3. Videntur reſpici altaria, quæ ubivis exſtruere ſat diu licuit, & quale fuit id in quo ſacra feciſſe narratur Moſes infrà Cap. XXIV, 4. nam Capite XXVII. Deus altare æneum fieri jubet, in quo offerri oportebat victimas, quæ ad Tabernaculum mactari debuerunt. Neque certè unum altare tanti populi ſacrificiis omnibus ſufficere potuit.

Quærit vir doctiſſimus quare Deus *è terra* altare ſibi fieri voluerit, multaſque, ut ſolet, rationes adfert, quarum cùm nulla nobis adrideat, quid hac de re videatur dicendum paucis eſt. Nemo dubitet quin Deus tum meditaretur, ſi ita loqui fas eſt, omnem illum cultum, quem ſequentibus diebus inſtituit; cúmque unicum Tentorium, & unicam Arcam, in uſum omnium Iſraëlitarum fieri vellet, ut ad Sacerdotes ex Aharonis ſtirpe convenirent, eum in locum in quo Arca foret, & coram ſe mares omnes ter quotannis ſe ſiſterent; noluiſſe eâ de causâ videtur, ulla, alio in loco, altaria ſibi ex perenniore materia ſtatui, aut quæ elegantiâ ſuâ ſacra facturos, ut eſt plebis ingenium, allicerent. Si enim ubique altaria ex perenni & arte expolita materia, ſtrui ſibi paſſus eſſet, credere potuiſſent Iſraëlitæ perinde planè eſſe quemcunque in locum convenirent, neque ad Tentorium & Arcam neceſſe eſſe ire, quoniam alia altaria non non minùs exornari juſſiſſet Deus. Sed cùm viderent altaria illa ex tumultuario ceſpite, & præſentem in uſum fieri, deinde negligi; non poterant ea æneo altari, ad Tabernaculum poſito, conferre. Si à Moſe, Joſua, aut priſcis aliis populi Hebræi ductoribus exſtructa ex cæſo lapide altaria fuiſſent, cùm per multa ſæcula durare potuiſſent; occaſionem ad ea conveniendi, neglecto Tabernaculo, præbuiſſent Iſraëlitis, præſertim poſt diviſam Rempublicam. Callidi homines, qui facilè videre poterant quantam monumentis priſcis ſola antiquitas apud vulgus venerationem conciliaret, iis abuti facilè potuiſſent. Sic videmus Samaritas de ſuo monte ſolitos ita adversùs Judæos argumentari: *Patres noſtri in hoc monte adorarunt, & vos dicitis Hieroſolymis eſſe locum ubi adorare oportet.* Joan. IV, 20.

Erant quidem antiquiſſimæ, apud Ethnicos, multis in locis aræ, ut oſtendit *Spencerus*, rudibus lapidibus conſtantes, nulláque arte expolitæ; ſed alia prorſus de cauſa, nimirum, quòd eo tempore, quo erectæ fuerant, rudes ipſi populi nulla ædificiorum noſſent ornamenta.

Holocauſta & ſalutaria tua] Hæc videntur omnis generis ſacrificia complecti. עלות *holoth* holocauſta quidem propriè ſignificat, quòd tota in altare *adſcenderet* victima, & in fumum etiam igne abſumta *ſurſum iret*; ſed non rarò pro quibuſvis ſacrificiis occurrit, etiam pro iis quæ חטאות *hhatoth* & אשמות *aſchamoth* dicuntur propriè, ſeu quæ ſolebant pro peccatis offerri. Sic Pſ. L, 8. David poſt occiſum Uriam Deo dicit: *ſi delectareris ſacrificio, darem, ſed holocauſtum* עלה *non vis.* שלמים *ſchlamim* verò vocari ſolent omnis generis ſacra, quæ non erant holocauſta aut victimæ pro peccato, & quæ tribus verbis à Judæis exprimuntur: נדר נדבה ותודה, *votum, voluntarium, & euchariſticum.* Vocem hanc ſolent LXX. Intr. vertere *σωτήρια, ſacra pro ſalute*, hoc eſt, quòd omnia incolumia ſint, Deo oblata. Nam ut

memoriam. Ad te *tum* veniam, tibique benedicam. 25. Si verò altare lapideum mihi feceris, id ex cæso lapide non exstrues; si enim scalprum in eum extuleris, pollueris. 26. Non adscendes per gradus ad altare meum, ne tua ad hoc retegatur nuditas.

CAPUT XXI.

1. Hæc autem *sunt* jura, quæ iis propones: 2. cùm emeris servum Hebræum, sex annis serviet, septimo verò liber gratis egredietur. 3. Si cum suo *solo* corpore venerit,

mihi exhiberi, per Prophetas meos, jussero. Tum sacris tuis vocatus adero, & benignitatem meam senties. 25. Sin mavelis altare lapideum struere, ne id ex cæso lapide ædificato; quicumque enim lapis humanâ operâ cæsus fuerit, eum altari indignum habeto. 26. Ne altare usque adeò altum, ut gradibus ad sacra in eo facienda opus habeas, ne fortè sacerdotum celandas corporis partes in inferiore loco stantes videant, ædificato.

1. Has quoque leges Hebræis promulgabis. 2. Vir Hebræus, quacumque de causa servus factus sit, ultra sextum annum servire ne adigitor, & sine ullo

שלום *schalom* Hebræis incolumitatem sonat, sic & *σωτηρία* Græcis & *salus* Latinis. Qua de causa, maluimus *salutaria* vertere, quàm *eucharistica*; cùm enim à Græcè loquentibus Judæis, dum stabat Templum, *σωτήρια* dicta sint hæc sacra, nihil obstabat quominùs hanc vocem quasi propriam retineremus.

Ex ovillo buceroque pecore] את צאנך ואת בקרך *ovilli & caprini generis pecudem*, & *taurum* aut *vitulum*, aut *vaccam*.

Celebrari jussero nominis mei memoriam] אזכיר את שמי *azchir eth schmi*; hoc est, ubi cultum mihi præberi jubebo, nam cultus non potest Deo exhiberi, sine multa nominis ejus commemoratione. Hinc eâ voce cultus divinus interdum significatur, ut 1. Paral. XVI, 4. ubi David dicitur constituisse Levitas להזכיר lehazchir, *ad celebrandum* nempe, Deum. *Constituit coram arca Jehovæ, ex Levitis ministerio fungentes, & ad celebrandum* (ולהזכיר) *laudandum, extollendumque Jehovam, Deum Israëlis.* Interdum *precari* sonat, ut Ps. XXXVIII, 1. & LXX, 1. qui Psalmi dicuntur להזכיר *lehazchir*, hoc est, ad iram Dei deprecandam, ejusque auxilium implorandum.

Hoc autem in loco, non est intelligendus singularis ille locus, in quo Arca deposita fuit, & in quo aliud altare erat, seu ante, seu post conditum Templum; sed quemcumque locum, in quo Prophetæ sacra facere voluerunt, adeóque הזכירו שם יי *nominis Jehovæ memoriam celebrarunt*. Quod enim Prophetarum auctoritate factum, id à Deo ipso factum censeri debet.

Ad te tum veniam] Hoc est, precibus invocantium adero, seu eas exaudiam. Videtur loquutio ducta ex eorum opinione, qui sacrificiis Deos elici putabant, atque ad Sacra, quasi ad convivia, concurrere. *Homerus* Iliad. A. v. 423.

Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα. θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.
Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖτις ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε.

Æthiopum, trans Oceanum, conviva futurus
Jupiter ivit heri, turbâ comitante Deorum,
Quem bissexta dies fulgenti reddet Olympo.

Quod nonnulli rectè, apud *Eustathium*, historicè interpretantur, λέγοντες ὅτι ἐν Διοσπόλει μέγιστόν ἐστι Διὸς ἱερόν. ἀφ' οὗ λαβόντες Αἰθίοπες Διὸς ξόανον, καὶ ἄλλων δαιμόνων σὺν αὐτῷ, κατά τινα καιρὸν τεταγμένον περινοστοῦσι τὰ κατὰ τὴν Λιβύην, καὶ πανηγυρίζουσι πολυτελῶς ἐπὶ δώδεκα ἡμέρας: *dicentes Diospoli maximum esse Jovis templum, ex quo Æthiopes sumtis Jovis, aliorúmque Deorum cum eo simulacris, stato tempore circumeunt regiones ad Libyam pertinentes, & festum splendidè per duodecim dies celebrant.* Vide libellum *Luciani*, de sacrificiis. Sed quamvis Deus ipse ubique adsit ex æquo, per Angelos tamen voluntatis suæ interpretes, & administros, magis quibusdam locis, quàm aliis, adest, potéstque dici *descendere*, *ire*, *venire*, *abire* &c.

Benedicam] Vide not. ad Gen. I, 22. XII, vers. 2.

25. *Si altare lapideum*] *s. a. lapidum f. m. non strues eos, abscissione.* Hanc legem his verbis interpretatur *Josephus* Lib. IV. cap. 8. Ant. Jud. βωμὸς ἐκ λίθων μὴ κατειργασμένων, ἀλλὰ λογάδην συγκειμένων, οἳ κονιάματι χρισθέντες εὐπρεπεῖς τε εἶεν καὶ καθάριοι πρὸς τὴν θέαν: *sit altare ex lapidibus non politis, sed qui priùs sparsim jacerent, qui tectorio inducti decori sint, & mundi adspectu.* Ejusmodi altare struxit Josua Cap. VII, 31. & ultimis ætatibus Reip. Hebraïcæ, simile erat sub dio, ante sacrarium, ut ostendit, inter alios, *Joan. Spencerus* Lib. II. c. 6. Nos ad antiqua tempora illustranda animum adpulimus, recentioribus omissis.

Scalprum] חרב *hhereb*, quod *gladium* quidem significat, sed & quodvis instrumentum ferreum quo quidpiam expolitur, aut scinditur.

Pollueris] Manifestum est quidem Deum lapides cæsos ad structuram altaris respuere, ejúsque rei rationem esse quòd cædendo *pollucrentur*, ut probè vidit vir eruditus modò laudatus; sed præterea quæritur, quamobrem lapides cæsi *polluti* à Deo habeantur? Respondet ille lapides impolitos puritate quadam nativâ gaudere, lapides verò multo opere cæsos & elaboratos tractando sordescere, & humanum quiddam sapere. Verùm si hæc ratio valeat, sanctum sanctorum debuit constare potiùs truncis arborum vetustate exesarum, quàm politis tabulis & asseribus, iisque auro tectis, quod non fuit nisi ferreo malleo ductum. Sæpe viri docti rationes, quamvis ingeniosæ & primâ specie adridentes, nodo uno soluto, alterum nectunt, & dum præceptum unum illustrare videntur, aliud quodpiam violant.

Pollutum dicitur, si rem probe introspiciamus, primùm in rebus merè naturalibus, quod for-

rit, cum suo *solo* corpore abibit; si cum uxore, ipse & uxor ejus egredientur. 4. Sin verò herus ei collocarit uxorem, pepereritque ei filios, aut filias, uxor ejus & soboles heri erunt, ipse verò cum corpore abibit. 5. Si tamen dixerit servus: amo herum, uxorémque meam & liberos, neque liber egrediar; 6. tum herus eum sistet magistratui, jubebit accedere ad ostium, aut ad postem, aurémque ejus subulâ perforabit, ac ei *mancipium* in æternum serviet.

7. Cùm

ullo redemtionis pretio, ex heri potestate septimo egreditor. 3. Si solus in servitutem venerit, solus abito, si cum uxore, quam antea duxisset, uxor unà cum eo libera esto. 4. At si herus servam ei servienti contubernalem collocarit, ea unà cum sobole, si quam pepererit, licèt vir liber abeat, apud herum servito. 5. Si verò heri amore, contubernalisque & prolis desiderio captus servire malit, quàm liber abire; 6. cum hero ad magistratum ito, apud quem re expositâ, sibi ab hero ad ostium aut postem aurem subulâ pertundi patitor, eique in perpetuum servito.

7. Puel-

sordes quasdam contraxit; deinde quod sordidum licèt non sit, consuetudine atque opinione hominum, ineptum ad res sacras habetur. Exempli causâ, asinus, camelus, equus, aliáque animalia *immunda* habebantur; *polluissent* altare, si in eo immolata fuissent; non quòd naturâ sordidiora essent hædo, agno, vitulo &c. sed quia inepta victui censebantur, aut alia simili de causa. Similiter hîc lapides cæsos ferro *pollutos* esse dicit Deus, hoc est, ineptos ad structuram altaris, non quòd non cæsi suâ naturâ sint puriores, cæsi immundiores; sed cùm semel dixisset Deus se nolle è cæso lapide sibi altaria strui, eo ipso, ferro *polluta* censebantur omnia saxa cæsa, hoc est, ei usui inepta.

Si quæsiveris quâ de causâ Deus lapides cæsos hoc in negotio quasi *pollutos* haberet, cùm cæsi Templo ædificando adhibiti sint? Quamquam nemo necesse habet ejusmodi rerum rationem reddere, eamdem esse crediderim quæ superiùs allata est. Altaria rudibus saxis, aut silicibus calce coagmentatis facta, neque elegantiâ, neque soliditate æneo altari poterant conferri. Non poterant multæ victimæ in iis adoleri, quin dissolutâ calce eorum laxaretur compages; ut vel hoc solo varia illa altaria, priscis temporibus erecta, corruere necesse esset. Quamvis etiam *Josephus*, ut vidimus, velit ejusmodi lapides *κονιάματι χαλάσαντας συνηρμοσμένους τε ὄψιν καὶ καθαροὺς τὴν θέαν*, nullo modo erat ejusmodi opus altari lapide quadrato constanti æquiparandum.

26. *Non adscendes per gradus*] Altare æneum, quod infrà Cap. XXVI, 1. describitur, fuit trium cubitorum, hoc est, pedum 5 & ½ quæ est ferè humani corporis altitudo. Sed tamen necesse non fuit scalam, ut ei imponerentur victimæ, adhibere; nam quamvis staturæ fuisset minoris Sacerdos, ad summum altare adtingere potuisse videtur, quia ut altare statueretur oportuit prius solum purgari, & ad libellam dirigi, ne inclinaretur. Hoc autem vix potuit fieri, quin aliquatenus effoderetur locus in quo stabat, adeóque aliquantùm deprimeretur. Sunt qui velint altari Mosis fuisse basin, quæ altitudinem ejus augeret, quia hæc apud Esdram Cap. III, 2, 3. legimus de altaris restitutione: *struxerunt altare Dei Israëlis, ut super eo adolerent victimas, ut scriptum est in lege Mosis viri Dei, & posuerunt altare* על מכונותיו *bal mchonothau*, quod vertunt *super bases suas*, cum Vulg. Sed unde possunt scire id quod מכונה *mchonah* hîc dicitur architectonicum esse *συλλόβατον*, quod multùm augeret altare? Basin quamvis ea vox significat, quâ superimposita moles firmatur, seu ea basis in terra lateat, instar fundamentorum, seu exstet. Hinc LXX. Intt. verba יכינו על מכונתו verterunt *ἡτοίμασαν ἐπὶ τὴν ἑτοιμασίαν αὐτοῦ*. Ut firmiùs staret altare, potuere ei fundamenta substrui, in terra latentia. Sed postremis temporibus, altare Mosaïco multò altius fuisse constat; quod quâ ratione cum Mose conciliari queat, nunc non quæremus, suis locis hæc aliáque viderimus. Nunc satis est Mosem exposuisse.

Ne tua ad hoc retegatur nuditas] Videntur Sacerdotes interdum sine subligaculis, sive femoralibus, sacra fecisse, laxioribus tantùm tunicis induti; quo fieri poterat ut, vento tunicam agitante, atque inflante, retegeretur sacra facientium nuditas; cùm altaria nullis muris, quibus aliquo modo excluderetur ventus, ut postea, essent cincta. His muris factum est ut non vererentur altare multò altius efficere, & adscensum ad id moliri; cùm ventus ex alto dumtaxat atrium Sacerdotum ingressus non posset vestes multùm agitare, ut suo loco ostendemus.

Ceterùm eadem ratio, ab honestate ducta, eamdem pepererat apud Romanos legem. *A. Gellius* ex *Fabio Pictore*, Noct. Att. Lib. X. c. 15. de Flamine Diali: *Scalas, nisi quæ Græcæ adpellantur, eas adscendere ei plus tribus gradibus religiosum est.* Servius ad Æneid. IV. v. 646. *Apud Veteres, Flaminicam plus tribus gradibus, nisi Græcas scalas, scandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, crurumve subter conspiceretur; eoque nec pluribus gradibus, sed tribus ut adscensu duplicis nisûs non pateretur extolli vestem, aut nudari crura; nam ideò & scalæ Græcæ dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausæ sint, ne adspectum ad corporis aliquam partem admittant.*

Si in loco altiore stetissent Sacerdotes, quò per arduas scalas adscensus fuisset, etiam sine vento potuissent incurvatione corporis, ad lignum ex altari delapsum, aut partem victimæ fortè ad gradus hærentem tollendam, verenda nudare. Sic Sacerdos Tuscus, quem falsè ridet *Martialis*, etiam ad aram cespite structam,

Ipse super virides aras, lactantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu,
Ingens iratis adparuit hernia sacris.

Lib.

7. Cùm quispiam vendiderit filiam, ut sit serva, non egredietur ea *servitute*, ut exibunt servi. 8. Si displicuerit hero suo, qui eam sibi desponderat, eam redimi curabit, populo alieno eam vendendi, fidem ei *datam* fallens, potestatem non habebit. 9. Si verò filio suo eam desponderit, pro jure puellarum ei faciet. 10. Si aliam duxerit,

7. Puellæ in servitutem à parentibus venditæ eadem conditio ac viri ne esto. 8. Si enim contigerit eam herum sibi despondere, ac postea displicere ei serva cœperit, à propinquis quovis pretio redimi illico herus eam permittito; potestatem ejus vendendæ alienæ familiæ sibi non esse scito. 9. Si verò eam cœlibi filio desponderit, ab eo non aliter ac reliquæ puellæ desponsæ habetor.

Lib. III. Ep. 24. Hanc autem rationem non adponendorum altari graduum, aliâ etiam firmat vir eruditus; Deum, scilicet, putat obiter indicare voluisse quantùm abhorrere oporteret Judæos à spurcis Ægyptiorum sacris, qui Osidiris phallum iis præferre solebant. Alius altas aras vetitas esse censet, ut omne discrimen ararum altiorum aut depressiorum, pro varietate Numinum, damnaret Deus. Sed quid opus erat conjicere, cùm clara sit ratio, eáque vel sola, satis firma à Mose allata? Eas conjecturas legent qui volent apud *J. Spencerum* Lib. II. c. 7.

In Caput XXI.

1. *Iis propones*] *Pones ad facies eorum.*

2. *Servum Hebræum*] Fur, qui non poterat restituere quod Lege jubetur, vendebatur à Judice. Vid. Cap. XXII, 3. Aere alieno oppressus addicebatur quoque creditori, ut liquet ex 2 Reg. IV, 1. & Matth. XVIII, 25. Paupertate etiam adactus se ipse vendebat Levit. XXV, 39. Deut. XV, 21. Vide *J. Seldenum* de Jure N. & G. Lib. IV. c. 7. Fortè & redemtus ex servitute peregrinorum, quales multi esse poterant, cùm res Hebræorum non florerent, ei qui redimebat aliquamdiu servire cogebatur, sed non poterat ultra sextum annum retineri.

Sex annis serviet] Modò annus Jubilæi, aut Schemittæ, non interveniat, de quo vide Lev. XXV, 40. & Jerem. XXXIV, 14. Hæc autem intelligenda de maribus, nam fœminis aliâ Lege vers. 7. & seq. aliter cautum erat. Horum quoque servorum non una fuit conditio, nam qui paupertate solâ adacti semet ipsi vendebant poterant in certum annorum numerum se vendere, neque annum septimum exspectare; erant enim Θῆτες seu *mercenarii*, non servi propriè dicti. Qui debitorum causâ creditori addicti fuerant, hi poterant anno remissionis egredi, ut lex docet Deut. XV, 2. Alia etiam discrimina ex *Thalmudico* jure proferuntur, sed ea nihil moramur; cùm conjecturis plerumque nitantur, nisi res ipsa, aut legis verba suadeant admittenda. Pro יעבד est in Samaritico יעבדך *serviet tibi*, δουλεύσει σοι, ut habent LXX. Int.

Septimo verò] Potest hic septimus annus dupliciter intelligi, vel ab eo tempore quo quis servire inceperat; vel ut annus ille indicetur, qui שמטה schmittah, *remissionis* dicitur à Legislatore Deut. XV, 1. Jurisperiti Hebræorum recentiorum intellexerunt de septimo post initium servitutis, neque *schmittam* volunt hîc locum habuisse, & per sex annos fuisse serviendum, nisi incideret annus Jubilæi. Vide *Maimonidem* in Mischn. Tract. *de servis* Cap. II.

Sed si remittendum erat debitum anno *schmittæ*, ut disertè, sine exceptione ulla, Lex jubet, quo jure debitorum causâ serviens potuit retineri? Nam si quis nollet beneficio Legis uti, id quidem, ut opinor, licuit; sed volentem eo frui nemo impedire potuit. Itaque hîc Moses docet non tam quamdiu servituri essent Hebræi, quàm ultra quot annos eos invitos in servitute habere non liceret.

3. *Si cum suo solo corpore*] בגפו *bgappho*, nam hæc vox idem omnino videtur sonare ac גוף *gouph*, hoc est, corpus. Samariticus habet בגפיו, numero plurali. LXX. Int. optimè ad sensum vertere μόνος *solus*, ut sequentia ostendunt. Vulgatus qui vertit, *cum quali veste intraverit cum tali exeat*, גף intellexit esse *alam*, & quidem *alam vestis*; quæ pro veste sumatur, sed sine exemplo, & contra sensum loci.

Cum solo suo corpore] Non indonatus quidem, ut adparet ex Deut. XV, 13. sed sine prole, si quam ex serva genuisset.

Si cum uxore] *Si vir uxoris* בעל אשה, bahal ischah.

4. *Sin verò herus*] אדניו *domini ejus.* Vide not. ad Genes. XXXIX, 2.

Uxor] Modò non sit Hebræa & Ipsa, nam eodem jure ac vir gaudebat.

5. *Liberos*] בני banai, propriè *filios*, sed *filias* etiam complectitur, ideoque *liberos* vertimus, quamvis Latini non patiantur ita vocari progeniem servilem. Sed hic & alibi sæpe vetus dictum animo recolui, ἀμαθεστέρως καὶ σαφεστέρως.

6. *Magistratui*] אל האלהים *el haelohim.* Sic & Cap. XXII, 8. & 28. *Onkelos* & *Jonathan* לקדם דיניא *coram judicibus.* At LXX. Int. πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ, ad tribunal Dei, hoc est, à Deo institutum. Vide not. ad Gen. C. I, 1.

Subulâ perforabis] Videtur hic ritus Inde esse ortus, quòd solerent servi apud Syros auribus esse pertusis. *Petronius Arbiter* Cap. LXIII. aut, ut in aliis, CII. *Ita tamquam* SERVI *Æthiopes, & præstò tibi erimus in tormentorum injuria hilares, & permutato colore imponemus inimicis. Quin tu, inquit Giton, & circumcide nos, ut Judæi videamur, &* PERTUNDE AURES, *ut imitemur* ARABES. Juvenalis Sat. I, 102. & seqq.

Sed LIBERTINUS *prior est, prior, inquit, ego adsum.*
Cur timeam, dubitémve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphratem, mollet quod IN AURE FENESTRÆ
Arguerint? licèt ipse negem.

Ad

rit, alimentum ejus, vestem, & congressum non minuet. 11. Sin verò hæc tria illi non fecerit, gratis, nulláque *persolutâ* pecuniâ, egrediatur.

12. Qui aliquem percusserit, ut *percussus* moriatur, morte pœnas luito. 13. Si tamen *ei* insidiatus non est, sed Deus manui ejus *eum* objecit, constituam tibi locum in quem

tor. 10. Si eam servarit, aliámque duxerit, alimenta, vestem & congressum ei ne negato. 11. Si hæc omiserit, mulieri, nullo soluto pretio, liberæ abire liceto.

12. Quicumque alium ita ferierit, ut occiderit, capital esto. 13. Si tamen dolo malo non ferierit, sed telum manu fugerit, in agro populi Hebræi, locus in quem confugiat, & intra cujus fines,

Ad quem locum vetus Scholiastes: *Arguit homines, qui cùm propter libidinem libertatem meruissent, & in libertinorum corpus & Tribus relati essent; pertusis auribus, signu libertinorum negare non poterant.*

In æternum serviet] לעלם leholam, hoc est, per totam vitam, ut 2 Sam. I, 22. dicitur Samuel mansurus coram Deo עד עולם *hud holam.* At Rabbini breviores terminos huic tempori præfigunt, Jubilæum, nempe, aut mortem heri; volunt enim servum Hebræum Jubilæi beneficio potuisse uti, neque umquam ad filium herilem hereditate pervenisse. Sic *Maimonides* de servis Cap. III. Usúsne quod aiunt comprobaverit nescio, sed ex lege ipsa excudi posse non puto.

8. *Si displicuerit*] *Si fuerit mala in oculis dominorum ejus.*

Qui eam desponderat] Hic duplex est lectio, nam pro לא *non*, quod est in textu, ad Marginem habent. Massorethæ לו *sibi*. Priorem confirmant codex Samariticus, *Aquila* qui verterat: ἡ μὴ καθωμολογημένη *non desponsa*, & *Theodotio*, qui reddiderat: ἣν οὐ καθωμολογήσατο αὐτὴν: posteriorem LXX. Intt. qui habent ἣ αὐτῷ καθωμολογήσατο, & Vulg. qui vertit, *cui tradita fuerat*, & *Onkelos*, cujus hæc sunt verba: דקימה ליה *qui eam desponderat sibi.*

Qui negativam particulam præferunt aiunt non solitam vendi Hebræam puellam, nisi eâ lege aut tacitâ, aut expressâ, ut hero vel herili filio nuberet. Quod tamen nusquam apud Mosem legitur, & quamvis adfirment Hebræorum Jurisconsulti, vix illis crediderim; cùm sollemne iis sit fingere consuetudines, ad exponenda loca, quæ non intelligunt. Certè si illicitum fuisset viro Hebræo emere Hebræam servam, nisi eam uxorem duceret, dignum hoc erat quod à Mose exprimeretur; non est enim hoc ejusmodi, ut ex legibus necessariò fluat. Annon potuit emtor habere aliam, aut alias uxores, quibus noluit novam addere? Annon potuit carere filio? Aut an ejusmodi viro non licuit ullam ex Hebræa gente servam emere, ne quidem si pauperi patri gratificari vellet, filiámque ejus pudicè apud se educari, donec eam collocaret? Aut eáne fuit libido Gentis Hebrææ, ut serva integrâ famâ apud nullam matronam servire posset? Hæc profectò parum sunt credibilia; quæ tamen adsumuntur quasi explorata, ab iis qui *non* legi hîc volunt; præterquàm quòd alia huic interpretationi adversantur, ut ex sequentibus liquebit.

Maluimus ergo τὸ קרי *Keri* præferre τῷ כתיב *Chethib*, eo sensu quem in Paraphrasi expressimus. Persæpe poterat contingere ut Hebræam servam duceret Herus, seu alias uxores, seu nullam haberet; postquàm sedulitatem ejus in re familiari viderat, aut formâ captus erat. Ideóque, quamvis nullo jure teneretur eam uxorem ducere, ait Moses אשר יעדה *ascher jehadah*. Si verò non duxisset, neque despondisset sibi aut filio servam, satis erat eam anno septimo dimitti, ut docet disertè Legislator Deut. Cap. XV, 12. ex quo etiam loco liquet hîc לו *sibi* esse legendum.

Eam redimi curabit] Non cogebatur lege, ut docet Moses loco modò allato, eam dimittere ante septimum annum, si nulla desponsio, nullæve nuptiæ intervenissent. Sed si eam despondisset, aut jam cum ea concubuisset, non debebat exspectari septimus *Schemittæ* annus; illico dimittenda erat. Sed cùm habeat hîc Moses vocem הפדה *hephdah*, eam redimi curabit, quæritur quid fieri deberet ab emtore; si parentes aut consanguinei puellæ redemtionis justo pretio solvendo non essent? Quod plerumque contingere necesse fuit, cùm non credibile sit parentes passuros filiam servire, aut consanguineos consanguineam, si ei redimendæ pecunia suppetisset. Tum verò videtur emtor quovis, vel minimo pretio, eam redimi pati debuisse; aut etiam vox הפדה verti potetit, *eam liberet*, aut *manumittat*, ut in conjugatione *Kal* פדה *phadah* liberare, etiam nullo pretio soluto, significat. Hinc LXX. ἀπολυτρώσει αὐτὴν, & Vulg. *dimittet eam.* Onkelos: יפרקנה *manumittet eam.*

Populo alieno eam vendendi fidem ei datam fallens potestatem non habebit] *Populo alieno non dominabitur ad eam vendendam* בבגדו בה bebigdo bah, *eam decipiendo.* Fidem fallere, seu בגוד *bgod* hoc in negotio dicitur, qui fidem conjugalem violat, atque hac notione sæpe adhibetur hoc verbum. Vide Jerem. III, 20. Mal. II, 11, 14, 16. Quo confirmatur superior interpretatio; cùm vir qui *non despondit sibi* puellam, eâ omissâ, nullâ teneatur perfidiâ. *Populus alienus* עם נכרי *ham nocbri* non vocatur populus ab Israëlitica Republica alienus, sed alia Tribus; nam *Tribus* interdum ita dicuntur, ut ostendimus ad Genes. XLIX, 8. *Onkelos* habet לגבר אחרן *viro alieno.* Nam ne Israëlitas quidem mares licuit Idololatris vendere. Qui plura de hoc loco avehit adeat virum diligentem atque eruditum *Camp. Vitringam* Observ. Sacrar. Lib. III. c. XIV. cujus sententiam sequuti sumus.

9. *Si verò filio suo*] Nempe, etiamnum cœlibi, & in familia paterna viventi; nam cùm cœperat seorsim vivere, & novam familiam constituere, non indigebat opera paterna, ut uxorem desponderet.

Pro jure puellarum] כמשפט *chmischphath*, quod, ut Græca vox νόμος, *jus & consuetudinem* significat, quia multa jura ex consuetudine

quem confugiat. [14] Si verò quis superbiâ in proximum elatus, eum ex insidiis occiderit, *vel* ab altari meo cum rapies, ut moriatur.

[15] Qui percusserit patrem aut matrem suam, morte pœnas luito.

[16] Qui furatus aliquem fuerit & vendiderit, aut in cujus manu *adhuc furto sublatus* deprehensus fuerit, morte pœnas luito.

[17] Qui

nes securus vivat ei constituitor. [14] At si quis alium de industria, atque ex insidiis occiderit, nullum ei uspiam perfugium esto; vel ab ipso altari meo, si ad hoc confugerit, ad necem rapitor.

[15] Si quis alterutrum parentum percusserit, & pater aut mater eum in jus trahat, capital esto.

[16] Si quis plagium in hominem Hebræum commiserit, seu eum vendiderit, seu etiamnum sublatum in vinculis habeat, capital esto.

[17] Si

ne nata. De eo jure, videbimus ad Cap. XXII, 16, 17. Superioribus verbis major conceditur facultas dimittendæ puellæ viro, qui uxorem & liberos jam habebat; quàm cœlibi adolescenti, qui conjugum aliarum aut liberorum voluntatem prætendere non poterat, ut desponsam repudiaret. Alibi quoque *uxoris juventutis* major cura præcipitur. Malach. II, 14.

10. *Si aliam duxerit*] Nempe, filius, præter servam; nam de patre dictum est, *si displicuerit hero* &c.

Alimentum ejus] שארה *scherah*, hoc est, *carnem ejus*. LXX. τὰ δέοντα, *necessaria* Vulg. *nuptias*. Rectiùs *Onkelos*: זונה *victum*, quo, nempe, alitur caro.

Congressum] ועונתה *vehonathah*. Habent LXX. Intt. ὁμιλίαν, quâ maritalis congressus significatur; Hebræis & Christianis Intt. plerisque consentientibus de loci hujus sensu. Sed alii deducunt vocem ἀπὸ τῆ עון houn *habitare*, ut עונה idem sit ac Græcè συνοικία; alii *tempus*, nempe, ὁμιλίας, significari volunt, & ab eadem derivant radice ac עת heth *tempus*, quod dicitur ἀπὸ τῆ ענה *heneth*. Sed prior Etymologia verisimilior. Idem apud Paulum significatur vocibus ὀφειλομένη εὔνοια 1 Cor. VII, vers. 9. Recentiores Judæorum Jurisconsulti generalibus Mosis vocibus non contenti, definierunt quot vicibus, intra certum tempus, præstanda hæc esset εὔνοια, qua de re legendus *Joan. Seldenus* in Uxor. Hebr. Lib. III. c. 6. Similis aliquatenus lex fuit apud Athenienses, quam proferemus, quia hac expositâ ratio etiam Mosaïcæ constabit. Lege Solonis, ut auctor est *Plutarchus*. p. 89. cautum erat τρὶς ἑκάστου μηνὸς ἐντυγχάνειν πάντως τῇ ἐπικλήρῳ τὸν λαβόντα: *ter omnino intra mensem eum qui orbam duxisset cum ea esse*, etiam si is vir ad Venerem inhabilis esset: καὶ γὰρ εἰ μὴ γένοιντο παῖδες, subdit idem Scriptor, ἀλλὰ τιμή τις ἀνδρὸς αὕτη πρὸς σώφρονα γυναῖκα καὶ φιλοφροσύνη, πολλὰ τῶν συλλεγομένων ἑκάστοτε δυσχερῶν ἀφαιροῦσα, καὶ ταῖς διαφοραῖς οὐκ ἐῶσα παντάπασιν ἀποστραφῆναι: *quamvis enim non nascerentur liberi, attamen hic est honor quidam viri erga castam uxorem, & benevolentia multas undique collectas auferens acerbitates, nec permittens eam dissidiis prorsus alienari.* Hæc quoque Mosaïca lex eo pertinuit, ut ne uxor pauperior, & viri ære emta, nimiùm sperneretur, & servæ instar haberetur, propter ditiorem postea ductam.

11. *Sin verò hæc tria*] Septem alia viri conjugalia officia enumerant Rabbini, de quibus vide *Joan. Seldenum* loco laudato. Si ad victum & vestitum quod adtinet, æquè liberaliter ac antea non haberetur, si numquam vir cum ea concumberet, re ad Judicem delatâ, exire potuit. Quæ sola est repudii species mulieri permissa, in gratiam paupercularum mulierum, ære virorum emtarum, atque in æterna servitute, sub conjugii specie, mansurarum, nisi earum libertati cavisset Deus. Certè absque hoc fuisset, intemperantior juvenis, emtâ Israëlitide, quasi uxore usurariâ, abusus, eamdem gravissima servitute pressisset, cùm displicere cœpisset; neque *Schemittæ* annus, aut *Jubilæus* quidquam profuisset, neque enim potuit matrimonia dissolvere. Rabbini tamen, nescio qua de causâ, *tria* quibus non præstitis exire mulieri licuit, aiunt esse; si eam herus non despondeat sibi, si filius saltem herilis hoc non faciat, si denique herus non curet eam redimi. Durè profectò & contortè. Vide R. R. *Salomonem* & *Aben-Ezram*, & Seldenum de J. N. & G. Lib. VI. c. 7.

12. *Qui aliquem percusserit*] Lex Decalogi *non occides* videtur homicidium spectare ita perpetratum, ut homicida negare non posset se occisum animo occidendi feriisse. Hoc enim est homicidium atrocissimum, & propriè dictum. Hîc verò Deus iræ modum impositurus, etiam eum qui posset negare se occisum feriisse, occidendi animo, sed qui fateretur eum se voluisse ferire, capite pœnas luere vult.

Morte pœnas luito] מות יומת *moth joumath*, hoc est, *morte fiat mori*, ut loquuntur Galli, *qu'on le fasse mourir*. Quod munus demandatur Judicibus.

13. *Si tamen ei*] ואשר veascher, *& qui non insidiatus*.

Insidiatus non est] צדה *tsadah*, hoc est, propriè *venatus non est*, sed venatores insidias tendunt feris. Verterat Aquila ὃς οὐ μεθώδευσεν *qui non arte eum agressus est*. LXX. Intt. ὁ δὲ οὐχ ἑκών, *qui non sponte*, nempe, feriit.

Deus manus ejus eum objecit] אנה *innah*, quod LXX. παρέδωκεν, Onkelos, מסר *tradidit*. Aptius alii *occurrere fecit*, aut *objecit*, nam *tradere aliquem in manum alicujus* nusquam alibi hoc significat. Deo videntur hoc tribuisse veteres Hebræi, non quòd fortè putarint singulari providentiâ Dei factum esse, sed quemadmodum Græci *fortunæ*, aut *fato* eos eventus adscribebant, qui non erant humanæ industriæ fructus, neque singulari Numinis voluntate procurari credebantur: eosdem Hebræi, qui fortunam & fatum ignorabant, Deo videntur tribuisse, quo non tam Deum eorum auctorem esse significabant, quàm humanum nullum ea in re fuisse consilium. Rabbini quidem volunt ejusmodi hominem dici à Deo objectum telo, quòd scelus aliud impunè tulisset, ideóque divinam

pro-

17. Qui patri aut matri maledixerit, morte pœnas luito.

18. Cùm rixati homines fuerint, & alterum alter lapide, aut pugno ceciderit, neque is mortuus sit, sed decubuerit, 19. posteáque surrexerit, & ambularit in platea, scipione suo nixus, impune hoc erit percussori; si modò cessationem ejus det, & medicinam adhibeat.

20. Cùm

17. Si quis alterutri parentum conviciatus, aut mala imprecatus fuerit, & pater aut mater eum in jus vocent, capital esto.

18. Si in rixa alter alterum pugno aut lapide ita percusserit, ut aliquamdiu decubuerit; 19. posteáque in publico conspectus sit, & scipione nixus ambularit, persoluto cessationis & medicinæ pretio, impunè abito.

20. Si

providentiam sic eum punire. Sed ii, quos oppressit Turris Siloamitica, non erant reliquis Jerosolimitanis pejores, Luc. XIII, 4. Non equidem negarim Divinâ Providentiâ omnia hæc evenire, Deus enim novit, nec tamen impedit; sed nec tegulæ è tecto lapsuræ hominem, immisso ei illac transeundi consilio, subjicit. Scita Rabbinorum vide apud *J. Seldenum* de Jure N. & Gent. Lib. IV. c. 2. Est de hac ipsa re rescriptum Alexandri Severi in Mos. & Rom. Legum Collatione, à P. Pithœo edita: *Imp. Alexander Aurelio Favio & aliis militibus. Si modò pro quo libellum dedistis non dolo præstitis, mortem minimè perhorrescat. Crimen quippe ita contrahitur, si & voluntas interficiendi intercedat. Ceterùm ea quæ ex improviso, casu potiùs quàm fraude accidunt, FATO plerumque, non noxæ imputantur.* Sunt & alia hanc in rem, in eodem Tit. I.

Constituam tibi locum] Urbes, scilicet, Asyli, de quibus Num. XXXV, 6. Interea videtur Altare Asyli loco fuisse, ut ex sequentibus verbis colligere est.

14. *Si verò quis*] וכי vechi, *& quando*, aut *& si*.

Superbiâ in proximum elatus] יזד איש על רעהו *superbierit contra proximum.* Superbiâ enim effertur, qui alterius vitam nihili facit, quam debuit æquè ac suam tueri. Hoc verbum habuimus Cap. XVIII, 11. *Philo* de Leg. Spec. p. 610. voluntatem etiam plecti vult, quod tamen non habet Moses.

Ex insidiis] בערמה *behormah.* Ut adjectivum ערום harom *insidiosum* sonat, sic & substantivum, quod hîc exstat, insidias; nam hoc opponitur neci ex insidiis non illatæ. Vide not. ad Genes. III, 1.

Vel ab altari meo] Nempe, apud Hebræos Altare fuit Asyli locus, ut apud plerasque Gentes, quod docemur exemplo Joabi 1. Reg, II, 28. Rabbini tamen Altare jus Asyli Sacerdotibus solis, & quidem sacra facientibus præstitisse volunt, ut multis docet *Joan. Seldenus* Lib. IV. c. 2. de Jure N. & G. Sed videntur hanc in sententiam isse, quòd, ex jure Thalmudico, non licuerit ulli ad altare accedere, nisi Sacerdoti. Sed ut jus illud novum erat, consequentiæ hinc ductæ parum certæ sunt, ubi de antiquis temporibus sermo est.

Videtur Altare jus Asyli præstitisse, inter Hebræos, ut inter alias Gentes, quia nefas erat id humano sanguine polluere; quod factum esset, si illic homo fuisset occisus. Nefas quoque erat ad auxilium Numinis confugientem, propter involuntarium delictum, occidi etiam alio in loco. Cùm autem in Altari sacra essent Hebræis quotidie facienda, non potuit quidem in eo sedere quisquam, ut apud alias Gentes, nisi fortè esset Altare ex iis, quæ à Prophetis alibi quàm ad Tabernaculum erant exstructa. Itaque si ad Tabernaculum confugisset reus, aut ad Altare sedebat; à Sacerdotibus oportebat ab occisi consanguineis veniam ei impetrari, si eum amotum vellent, aut cùm fuere urbes Asyli, dari ei custodes qui eum eò deducerent, quod volunt Rabbini. Si verò confugerat ad Altare aliud, quid ei factum sit non constat, tacente Mose, nec Rabbinis quidem conjicientibus. Multa, eáque lectu non indigna, de hac lege habet *Philo* de Leg. Special. p. 610. quibus pulcrè ostendit ἀσυλίαν ἀνιεροῖς τὸ ἱερὸν μὴ παρέχεσθαι, *asylum nefariis templum non præbere.* πᾶς γὰρ ὁ ἀνίατα δρῶν ἐχθρὸς Θεοῦ, *quippe omnis qui incurabilia facit hostis est Dei.* De consuetudine confugiendi ad altaria, vide quæ collegit *Thom. Dempsterus* ad Cap. XIII. Lib. I. Ant. Rom. *Joan. Rosini.*

15. *Qui percusserit*] Mirum esset cum hoc v. non esse 17. conjunctum, cùm utrobique de parentibus sermo sit, ni sciremus nullam hîc ordinis rationem haberi. Σποράδην, ait *Josephus* Lib. IV. c. 8. ὑπ' ἐκείνου καταλειφθῆναι γραφέντα, καὶ ὡς ἕκαστόν τι παρὰ τοῦ Θεοῦ πύθοιτο: *sparsim ab illo* (Mose) *relicta sunt scripta, & ut singula à Deo acceperat.* Itaque ut ea ipse *Josephus* exponeret, coactus est κατὰ γένος ἕκαστα τάξαι *generatim quæque disponere.* Igitur LXX. Intt. perperam hosce versus conjunxisse videntur; mutato Hebraïci exemplaris ordine. Ut pleniùs quæ hîc habentur intelligantur, conjungenda est interpretatio ipsa Mosis, quæ exstat Deut. XXI, 18. & seqq. Si nempe, liberi aut contumeliis parentes proscinderent, aut iis impias manus adferrent; non primo quidem peccato admisso, ad supplicium illico rapi debuere, sed postquàm sæpiùs à parentibus admoniti, ad ejusmodi flagitia, sine emendationis spe, rediissent, accusantibus parentibus, pœnas dare eos oportuit. Hinc *Josephus*, ex solo Deuteronomii loco, legem hausit. Vide Ant. Lib. IV. c. VIII. §. 24.

Moses parricidii mentionem nullam fecit, aut quia non videbatur futurum, aut quia ei satis obviam iverat, contumelias iteratas, aut verbera illata capitali supplicio plectens. Dignum est observatu quod de simili prætermissione, in Romuli legibus, habet *Plutarchus*, in ejus vita p. 52. Ἴδιον τὸ μηδεμίαν δίκην κατὰ πατροκτόνων ὁρίσαντα πᾶσαν ἀνδροφονίαν πατροκτονίαν προσειπεῖν· ὡς τοῦτο μὲν ὂν ἐναγές, ἐκεῖνο δὲ ἀδύνατον: *singulare est quòd qui pœnam, in eos qui parentes necaverunt, nullam sanxerit, quodvis homicidium parricidii designaverit nomine, tamquam hoc nefarium facinus esset, illud contingere non posset.*

20. Cùm quiſpiam ſervum ſuum, aut ſervam baculo ferierit, & ſub manu ejus interierint, ultio ſumatur. 21. Si tamen per diem *unum* aut biduum ſuperſtes fuerit, nulla ſit ultio, nam *ſervus* ille argentum ejus erat.

22. Si rixantes viri percuſſerint mulierem prægnantem, ut fœtus ejus exierit, nec tamen mors fuerit *ſequuta*, mulctentur pro mulcta quam eis imponet vir mulieris, *eámque* dent apud judices. 23. Si verò mors *ſequuta* fuerit, animam pro anima dabis.

24. *Erit*

20. Si quis ſervum aut ſervam ad necem verberarit, adeò ut eo verberante animam efflarint, homicidii reus habetor; 21. ſi vero vel per diem unum ſuperſtites fuerint, deinde moriantur, nullâ pœnâ, præter mancipii jacturam, adficitor.

22. Si quis in rixa mulierem prægnantem pulſarit, ut abortum illi crearit, nec tamen mortua ſit, mulctam viro mulieris, ex judicis æſtimatione, ſolvito.

Simile quid in legibus Solonis animadvertit Cicero: *Is cùm interrogaretur*, ait in oratione pro S. Roſcio Amerino, C. 25. *cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum qui parentem necaſſet, reſpondit ſe id neminem facturum putaſſe. Sapienter feciſſe dicitur, cùm de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat, ne non tam prohibere, quàm admonere videretur.* Quantò Moſes ſapientiùs, qui noluit quidem admonere, ſed cùm intelligeret nihil eſſe tam ſanctum, quòd non violet audacia, extremo ſupplicio ſcelera, quibus gradus fieret ad nefarium facinus, punienda cenſuerit? Apud Ægyptios ἔδει τοὺς καταδικασθέντας καλάμοις ὀξέσι δακτυλιαῖα μέρη τοῦ σώματος κατατμηθέντας ἐπ᾽ ἀκάνθαις κατακαίεσθαι ζῶντας: *oportebat damnatos acutis calamis, membra corporis ad digiti magnitudinem diſſectos, in ſpinis vivos comburi*, ut auctor eſt *Diodorus* Lib. I. Bibl.

16. *Qui furatus aliquem*] Deut. XXIV, 7. ubi hæc repetitur Lex, his verbis expreſſa eſt: *Si quis comperiatur furatus eſſe quempiam è fratribus ſuis, è filiis Iſraëlis, eúmque in ſervitute detinuerit & vendiderit, moriatur fur ille.* Hinc collegere Judæi intelligendum etiam hîc eſſe *Iſraëlitam*, unde LXX. habent: ὃς ἐὰν κλέψῃ τις τινὰ ἐκ τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ *ſi quis quempiam è filiis Iſraël furatus fuerit.* Quem ſenſum etiam addidit Onkelos: נפשא מבני ישראל *animam è filiis Iſraël.* Lex fuit Athenis, ἐάν τις φανερὸς γένηται ἀνδραποδιζόμενος, τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν: *ſi quis fuerit manifeſtus plagiarius, huic pœnam eſſe mortem.* Hanc habet *Xenophon* Lib. I. Ἀπομνημονευμάτων. Similiter in Jure Romano, *ſi liberum hominem emtor ſciens emerit, capitale crimen adverſus eum ex Lege Fabia de Plagio naſcitur; quo venditor quoque ſit obnoxius, ſi ſciens liberum eſſe vendiderit.* Digeſt. Lib. XLVIII. T. XV. Leg. I.

Aut deprehenſus fuerit] ונמצא venimtſa, manifeſtum eſt ו eſſe loco disjunctivæ.

Morte pœnas luito] Si eſſet, nempe, Iſraëlitam furatus; nam ſi Ethnicum rapuiſſet reſtituere dumtaxat, ſi Rabbinis credimus, neceſſe habebat. Sed multa poſſunt quæri hac de re, nullúmne diſcrimen inter plagium ſervi Ethnici, & plagium ingenui eſſet? An eodem loco haberetur ſervus, aut ingenuus Ethnicus furto è ſolo Iſraëlitico ſublatus, ac qui ex agris vicinarum & pacatarum Gentium ab Iſraëlitis rapi poterant &c.

17. *Qui maledixerit*] מקלל mkallel, quod conviciatorem ſignificat, & malè imprecantem. Oi LXX. habent κακολογῶν.

18. *Lapide, aut pugno*] Non haſtâ, aut gladio, quod non rixam improviſam; qualis hîc deſcribitur, ſed quæſitum certamen argueret; qua de re nulla exſtat lex, præter generalem de homicidio. Hæc verba in Samaritico non comparent, ut nec verſ. 20. vox בשבט *baculo*, neſcio quare.

19. *Impune hoc erit*] נקה המכה *nikkah hammacche*, immunis erit percuſſor, à pœna, nempe, homicidii; nam tres alioqui, ut volunt Interpretes, lege præſcribuntur pœnæ, quarum duæ tantùm hîc exprimuntur. Prima eſt, eadémque hîc omiſſa, quæ *talionis* dicitur, & quam poſtea vſſ. 24 & 25. habet Legiſlator. Si noxa illata eſſet, aut quæ curatione non indigeret, ut dens excuſſus; aut quæ curari non poſſet, ut oculus effoſſus, talione utebantur. *Joſephus* Lib. IV. C. 8. §. 33. Ἐν μάχῃ τις ὅπου μὴ σίδηρος πληγεὶς παραχρῆμα μὲν ἐκδικείσθω, τ᾽ αὐτὸν παθόντος τοῦ πεπληγότος: *in rixa, ubi non fuit ferrum, quicumque percuſſus fuerit ſtatim jus ei dicatur, idem patiente qui percuſſit.* Sed hac de re ſuo loco.

Ceſſationem ejus det] שבתו יתן *ſchibtho jitthen*, hoc eſt, jacturam ſarciat, quam fecit decumbendo, quòd agrorum curam gerere non potuerit, aut artem ſuam exercere &c. pro æſtimatione Judicis. Poſſunt etiam hiſce extraordinarii ſumtus, morbi causâ, facti adjungi. Atque hæc eſt altera pœna, quam ita expreſſit *Joſephus* l. l. σωθεὶς δὲ καὶ πολλὰ δαπανήσας εἰς τὴν νοσηλείαν, ἀποτινέτω πᾶν ὅσα παρὰ τὸν χρόνον τῆς κατακλίσεως ἀνάλωσε: *cùm ſanatus fuerit, multáque inſumſerit in morbum, ſolvat percuſſor quæcumque eo tempore quo decubuit expendit.* Sic & *Ulpianus* in Dig. Lib. IX. Tit. II. Leg. 7. lege Aquiliâ *patrem conſequuturum ait, quod minùs ex operis filii ſui, propter vitiatum oculum ſit habiturus, & impendia quæ pro ejus curatione fecerit.*

Medicinam adhibeat] ורפא ierapphe, *curet*, aut curationis ſumtus ferat. Solvat, ait *Joſephus*, ὅσα τοῖς ἰατροῖς ἔδωκε, *quæcumque æger medicis dedit*, præter memoratos ſumtus. Quæ tertia eſt pœna. *Philo*, omiſſâ talione, p. 612. de Leg. Specialibus, niſi qui percuſſus fuerat, ſubitò interiret: διττὰς ὁ παίσας ἐκτινέτω ζημίας, τὴν δ᾽ ἀντὶ τῶν ἰατρειῶν: *duplicem pendat mulctam, hanc quidem, ut reparetur vacatio, illam verò pro medicamentis.*

20. *Baculo*] Hoc eſt, inſtrumento, quo plecti moderatè aliquam ob culpam poſſet, non gladio quo occideretur; quem ſoli Magiſtratui ſtringere licuit, aut ſanguinis ultori, cui Lex nominatim hoc conceſſit. Hæc vox deeſt in Samaritico.

Ultio

24. *Erit* oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede, 25. adustio pro adustione, vulnus pro vulnere, livor pro livore.

26. Cùm quispiam servi sui, aut servæ oculum ferierit, atque corruperit, eum liberum dimittat pro oculo suo. 27. Similiter si dentem servi sui, aut servæ excusserit, liberum dimittat eum pro dente suo.

28. Cùm

vito. 23. At si mulier in abortione mortua sit, capital esto.

24. 25. Minores aliæ injuriæ, ut effossio oculi, excussio dentis, luxatio manûs aut pedis, adustio, vulnus, pro rei gravitate, mulctâ plectuntor.

26. 27. Si servo oculus ab hero effodiatur, dénsve excutiatur, aut servus aliter mutiletur, pro ea mutilatione, liber abito.

28. Cùm

Ultio sumatur] נקם ינקם *nakom jinnakem*, vindicando vindicabitur, hoc est, homicidium habeatur, eodémque modo plectatur, ut & recentes & vetustiores Hebræi interpretantur. Glossema est quod, allatorum verborum loco, legimus in Samaritico מות יומת *morte adficietur*. *Philo* de Leg. Special. p. 616. ubi multa de humanitate erga servos egregia habet: κἂν ἄρα φάσκῃ πληγὰς ἕνεκα νυθεσίας ἐντεῖναι, μὴ διαφθεῖραι — ἐς δικαστήριον ἀχθεὶς παρ' ἀκριβέσι λογισταῖς τῆς ἀληθείας ἐξετασθήσεται, πότερον ἑκὼν ἀπέκτεινεν ἢ ἄκων· κἂν ἐπιβεβουλευκὼς ἀνελεγχθήσεται γνώμῃ ἀνοσίῳ θνησκέτω, μηδὲν παρ' ὅσον δεσπότης ἐστὶ κερδαίνων εἰς τὸ σωθῆναι: *si dixerit plagas se inflixisse, emendationis causâ, non putasse se occisurum — ad curiam ductus, apud accuratos inquisitores veri examinabitur, utrum volens, an nolens occiderit. Si deprehendatur insidiatus esse impio animo, moriatur, neque quidquam ei ad salutem prosit, quòd est herus.* Similis lex fuit apud veteres Ægyptios. *Diodorus* Lib. I. Bibl. p. 70. Εἰ δέ τις ἑκουσίως ἀποκτείναι τὸν ἐλεύθερον, ἢ τὸν δοῦλον, ἀποθνήσκειν τοῦτον οἱ νόμοι προσέταττον: *si quis volens interfecisset liberum, aut servum, hunc mori leges jubebant.* Cujus rei gravissimam rationem addit: ἅμα μὲν βουλόμενοι μὴ ταῖς διαφοραῖς τῆς τύχης, ἀλλὰ ταῖς τῶν πράξεων ἐπιβολαῖς εἴργεσθαι πάντας ἀπὸ τῶν φαύλων, ἅμα δὲ διὰ τῆς τῶν δούλων φροντίδος πολὺ μᾶλλον εἰς τοὺς ἐλευθέρους μὴ δ' ὅλως ἐξαμαρτάνειν: *simul volebant non discrimine fortunæ, sed actionum consiliis omnes à malis cohiberi; & simul hac erga servos curâ adsuefacere homines, potiori ratione, ut ne in liberos ullo modo peccarent.* Pulcrè etiam ostendit *Philo* tyrannicam illam in servos sævitiam ulteriùs progressuram, nisi principiis obstarent Legistatores.

Ut autem harum legum necessitas magis eluceat, aliarum Gentium mores & sapientiorum Principum hac de re scita aliquot proferemus. *Cajus* Leg. I. D. de his, qui sui, vel alieni sunt juris. *Apud omnes peræquè gentes animadvertere possumus dominis in servos vitæ, necisque potestatem fuisse.* Huc facit *Cryptia* lex Lacedæmoniorum, quam recitavimus ad Cap. I, 22. Apud Romanos heri summo jure de servorum delictis judicabant, eósque, prout videbatur, in crucem agebant. Laudatur à *Plutarcho* Catonis Censorii moderatio, qui τοὺς ἄξιον εἰργᾶσθαί τι θανάτου δόξαντας ἐδικαίου κριθέντας ἐν τοῖς οἰκέταις πᾶσιν ἀποθνήσκειν, εἰ καταγνωσθεῖεν: *eos qui morte quid dignum fecisse videbantur, capitali supplicio adficiebat, si judicati ab omnibus servis damnarentur.* Tacitus de Germanis c. 25. *Verberare servum, ac vinculis & opere coërcere rarum. Occidere solent, & non disciplinâ & severitate* (ut apud Romanos fieri solebat) *sed impetu & irâ, ut inimicum, nisi quod impunè.* Marcellianus Lib. XXII. c. 6. de Persis: *Crudeles, vitæ necisque potestatem in servos & plebeios vindicantes obscuros.* *Plato* etiam in sua Rep. quæ non debuit tamen ad ejus ævi mores esse composita, sed ad perfectæ justitiæ exemplar, de servorum cæde ea statuit, propter quæ meritò ab *Eusebio* Præp. Evang. Lib. XII. c. 21. castigatur. Δοῦλον κτείνας ἑαυτοῦ μὲν, καθηράσθω. ἐὰν δὲ ἀλλότριον θυμῷ, διπλῇ τὸ βλάβος ἐκτινέτω τῷ κεκτημένῳ: *qui servum suum occiderit, absolvitor; qui alienum, & iratus, duplum ejus pretium possessori persolvito.*

Non difficile est conjectu heros innumeros, potestate tanta abusos, apud omnes Gentes quibus legitima fuit, & persæpe servos præ ira in crucem actos, omnibúsque suppliciis excarnificatos. Exemplum habet atrox *Cicero* in Orat. pro A. Cluentio, ubi nefaria mulier Sassia, quæstione bis de servis duobus habita acerbissimè, ut filium accusarent innocentem, eorum alterum Stratonem *in crucem agit, exsectâ linguâ, quia metuebat ne condemnaretur extremâ servuli voce morientis.* Herorum sævitiam in servos graphicè descripserunt *Plutarchus*, in Lib. de Ira cohibenda, & Seneca Epist. XLVII.

Hæc cùm nimis diu passæ essent Leges, tandem exortus est Adrianus, qui *servos à dominis occidi vetuit, eosque damnari jussit per judices, si digni essent*, ut auctor est *Ælius Spartianus*. Imitatus Adrianum Antoninus Pius, cujus ex constitutione qui sine causa servum suum, non minùs puniri jubetur, quàm qui alienum servum occiderit; sed & major asperitas dominorum, ejusdem Principis constitutione coërcetur. Nam consultus à quibusdam Præsidibus provinciarum de his servis, qui ad Ædem Sacram, vel ad statuam Principum confugiunt, præcepit ut si intolerabilis videatur sævitia dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, ut pretium dominis daretur. Exstat id rescriptum *Antonini* in Inst. Lib. I. Tit. VIII. Vetuit etiam Constantinus servos in cruciatibus occidi, multi tamen immanitatem suam non exuerunt, ut ostendit *L. Pignorius*, initio Operis de Servis. Attamen apud antiquissimos Græcos, ab Heroïcis usque temporibus, ea lex fuerat. *Hecuba* apud *Euripidem* ita *Ulyssem* alloquitur v. 291. mortem Polyxenæ filiæ deprecans:

Νόμος δ' ἐν ὑμῖν τοῖς τ' ἐλευθέροις ἴσος,
Καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι.

28. Cùm bos virum aut fœminam cornu ferierit, *percussúsque* interierit ; bos lapidibus obruatur, nec ejus caro comedatur, sed bovis dominus impune ferat. 29. Si tamen bos ille antea cornu ferierit, & commonefactus sit ejus dominus, neque eum custodierit, occideritque *bos* virum aut mulierem, bos ille lapidibus obruatur, & dominus etiam morte plectatur. 30. Si verò mulcta, quâ se redimat, ei imponatur ; dabit pre-

28. Cùm bos quempiam cornu petierit, occideritque, bos lapidibus obruitor, caro ejus ne comeditor, nec ullâ pœnâ, præter eam jacturam, dominus ejus adficitor, si modò nescierit bovem suum cornu petere solere. 29. Sin verò monitus bovem cornu petere, eum tamen custodire neglexerit, atque is bos quempiam occiderit, domino bovis capital esto. 30. Si tamen mortui consanguinei sibi mulctâ

Lex enim apud vos liberis & servis par posita est, circa cædem. Volebant etiam Athenis leges τοῖς δούλοις ἐξεῖναι πρᾶσιν αἰτεῖσθαι, καὶ δεσπότην μεταβάλλειν ἐπιεικέστερον, *servis licere sui venditionem petere, ut hero mutato æquiorem nanciscerentur.* Quam ob rem ad altare confugiebant, neque poterant expelli, donec alteri venditi essent, ut ostendit ad jus Atticum *Sam. Petitus* Lib. II. Tit. 6.

21. *Nulla sit ultio*] לא יקם *lo jukkam.* Samariticus יומת *joumath.* Vide ad v. 20.

Argentum ejus erat.] Hinc Rabbini colligunt agi hîc de *servo Chananæo*, aut de *servu Chananæu*, ut habet Jonathan, quòd hi soli possint כסף *argentum* herorum dici, quippe in perpetuum emti. Cùm servus sub ictibus animam non efflarat, hinc colligebatur herus noluisse eum interficere; itaque satis pœnæ luere videbatur, jacturâ pecuniæ, quam emendo servo expenderat, aut utilis ejus operæ. Observat *Philo*, in hanc legem, μηδένα οὕτως ἠλίθιον εἶναι, ὡς λυπεῖν ἕτερον ἐπιχειρεῖν, ἐν οἷς αὐτὸς ἀδικηθήσεται, *neminem tam esse stultum ut adgrediatur alterum dolore adficere, eâ re quâ ipse læditur.* Quod tamen fiebat aliquando, ut vidimus, sed rarò.

22. *Si rixantes viri* &c.] *Si rixentur & percutiant.*

Ut fœtus ejus exierit] *Et exeant liberi ejus* ילדיה *jeladeha.* In singulari habet Samariticus: ויצא ילדה *& exeat fœtus ejus*, καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς, ut habent οἱ LXX.

Nec tamen mors] Ad duos potest hoc referri, ad fœtum & ad mulierem. Ad matrem solam retulit *Josephus*, qui habet l. l. ὁ γυναῖκα λακτίσας ἔγκυον, ἂν μὲν ἐξαμβλώσῃ ἡ γυνὴ, ζημιούσθω χρήμασιν ὑπὸ τῶν δικαστῶν : *qui mulierem calce petierit, si abortum patiatur mulier, mulctetur pecuniâ à judicibus* — θνησκούσης δ' ἐκ τῆς πληγῆς, καὶ αὐτὸς ἀποθνησκέτω : *moriente illâ ex plaga, ipse etiam moriatur.* *Philo* verò mortem etiam fœtûs, in Lib. de Leg. Specialibus, respici vult, nec tamen sine discrimine: ἐὰν μὲν ἄπλαστον, inquit, καὶ ἀδιατύπωτον τὸ ἀμβλωθὲν τύχῃ, ζημιούσθω καὶ διὰ τὴν ὕβριν, καὶ ὅτι ἐμποδὼν ἐγένετο τῇ φύσει ζωογονούσῃ τὸ κάλλιστον τεχνιτευούσῃ καὶ δημιουργούσῃ ζῷον ἄνθρωπον· εἰ δ' ἤδη μεμορφωμένον, ἁπάντων μερῶν τὰς οἰκείας τάξεις, καὶ ποιότητας ἀπειληφότων, θνησκέτω : *si abortivum rude & informe fuerit, mulctetur, cum propter contumeliam, tum quòd impedimento fuerit naturæ, formanti & effingenti hominem animal pulcherrimum, quod vivum emitteret. Si verò jam formatum erat, omnibus membris suum ordinem, suásque qualitates nactis, moriatur.* Sequutus est LXX. Intt. qui verterunt ולא אסון καὶ οὐκ ἐξεικονισμένον, *non formatum.*

Ceterùm hîc אסון *ason* vertimus *mortem*, ut habet Onkelos מותא *motha*, quòd constet hac voce vitæ periculum & ipsam mortem significari Gen. XLII, 4. Non videtur opus esse ad Arabas confugere, apud quos vir eruditus observavit אסון *plagam lethalem* & אסן *abortum* significare. Quòd si hoc significaretur, severior multò lex esset, nam qui causa fuisset abortûs capite pœnas luisset; & qui mulierem prægnantem, etiam abortu non sequuto, pulsasset, pecuniariam mulctam solvisset.

24. *Erit oculus pro oculo*] Hæc verba occasione superiorum hîc poni videntur, *animam pro anima dabis.* Sed cùm ea verba propriè intelligantur, & homicidium nonnisi capite luatur, ut liquet ex Gen. IX, 6. & Num. XXV, 31. minores hæ injuriæ potuerunt pecuniâ redimi, ut vidimus crimina excussi utero fœtûs, & hominis vulnerati pecuniariis mulctis expiata fuisse. Itaque hæc verba *oculus pro oculo* &c. videntur esse παροιμιώδη & significare, pro gravitate criminis, exigendas esse pœnas. Viderunt hoc Jonathan & Jerosol. qui habent : דמי עינא חולף עינא וגו, *pretium oculi pro oculo*, *pretium dentis pro dente*, *pretium manûs pro manu* &c. Attamen *Josephus* propriè hæc intelligenda, atque exsequutioni mandanda censebat, si vellet læsus. Ὁ πηρώσας πασχέτω τὰ ὅμοια στερόμενος οὗπερ ἄλλον ἐστέρησε, πλὴν εἰ μή τι χρήματα λαβεῖν ἐθελήσειεν ὁ πεπηρωμένος· αὐτὸν τὸν πεπονθότα κύριον τοῦ νόμου ποιοῦντος τιμήσασθαι τὸ συμβεβηκὸς αὐτῷ πάθος καὶ συγχωροῦντος εἰ μὴ βούλοιτο γενέσθαι πικρότερος : *qui mutilarit, similia patiatur privatus eo quo alium privavit, nisi si qui mutilatus est pecuniam accipere voluerit; lege permittente læso æstimationem ejus mali quod sibi contigit, & concedente si severior esse voluerit.* Vix crediderim, cùm manifestum sit, exemplis allatis, mulctam tantùm pecuniariam reo à Legislatore impositam; nisi fortè aut eam numerare non posset, aut nollet, ut erat in Legibus XII. Tabularum: SI MEMBRUM RUPIT, NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO. De quibus verbis lege *A. Gellii* Noct. Atticar. Lib. XX. c. 1. ubi ostendit *Cæcilius* rem ad æstimationem judicis redigi necessariò solitam, nam si reus qui depacisci noluerat, judici talionem imperanti non parebat, æstimatâ lite, judex hominem pecuniæ damnabat. Atque ita si reo & pactio gravis, quam, nempe, ferebat læsus, & acerba talio visa fuerat, severitas legis ad pecuniæ mulctam redibat; si modò reus eam posset numerare. Alioqui qui non habebat in ære, solvebat in corpore. Fuit tamen lex Athenis ἐὰν μὲν ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχοντος ἐκκόψῃ τις, ἀντεκκόπτεσθαι τοὺς δύο, *si quis oculum unum habenti eum effoderit, utrúmque vice versâ effodi.* Quam legem refert *Diogenes Laërtius*, in Solone, Lib. I. §. 57.

26. *Cùm*

pretium redemtionis animæ suæ quidquid ei impositum fuerit. 31. Si puerum *ingenuum*, aut puellam *ingenuam* bos ferierit, juxta hanc legem ei fiat.

32. Si servum aut servam bos cornu ferierit, triginta argenteos siclos det *bovis dominus* eorum hero, & bos lapidibus obruatur.

33. Cùm aperuerit quispiam cisternam, aut eam foderit, neque texerit, & eò ceci-de-

mulctâ satisfieri malint, mulctam, eorum arbitratu, solvito. 31. De ingenuis à bove cornupeta occisis, hæc intelliguntor.

32. Si verò bos servum occiderit, hero triginta siclos argenteos bovis dominus adpendito, bos autem lapidibus obruitor.

33. Si quis cisternæ operculum sustulerit, apertámque reliquerit; aut eam foderit, neque opercu-

26. *Cùm quispiam servi sui aut servæ oculum*] *Oculum servi sui, aut oculum servæ suæ.* Hæc altera lex est in gratiam servorum, ne heri omnia sibi in eos permissa censerent, modò ne eos interficerent. *Jonathan* & *Jerosol.* hæc intelligunt de *servo Chananæo*, & *serva Chananæa*; fortè quia servo Hebræo talia fieri non debere existimabant, ob Legem Levit. XXXV, 43. & seqq. Non me fugit quid *Maimonides* hac de re dixerit, sed commenta Magistrorum si aut referenda, aut confutanda essent, ubicumque ex cerebro Legi adjiciunt, limitibus instituti operis nobis excedendum esset.

Pro oculo] Libertas pretium erat, quod amissi oculi loco accipiebat servus. Ceterùm *oculi*, ac *dentes* videntur esse exempla mutilationum, ex quibus de ceteris ferenda erat sententia. *Digitus* certè excussus, aliáque membra ablata majoris fuere momenti, quàm *dens*. Vide *Joan. Seldenum* de Jure N. & G. Lib. VI. c. 8.

28. *Cum bos virum aut fœminam cornu ferierit*] יגח שור *jiggahh schor*. Samariticus habet: יכה שור או כל בהמה *jaccheh schor o chol behemah*, *percusserit bos*, *aut quodvis jumentum*. Sic & in sequentibus pro שור est בהמה *behemah*, quod glossema esse videtur.

Bos lapidibus obruatur] *Lapidando lapidetur.* Videtur hoc factum non tam in mulctam domino, nescienti an pecus sua cornibus peteret, tacitè impositam; quàm in majorem homicidii detestationem. Cùm enim causam homicidii, ratione destitutam, damnet Legislator; quantò magis hominem? Eadem de causa & alii Legislatores bruta, à quibus læsi erant homines, dedi jusserunt, ut quasi pœnas, luerent. Imò etiam damnarunt inanima cædis instrumenta. *Pausanias* in Atticis p. 43. & 53. describit accusationem institutam in securim, eo qui illâ contra leges usus erat, bove interfecto, in exsilium profecto. Eadem historia, quamvis paullò aliter narrata, exstat apud *Porphyrium* de Abstin. Lib. II. §. 10 & 29, 30. Postquàm rem exposuit *Pausanias*, ejusque imitamen quotannis fieri dixit: Λέγεται μὲν δὴ, inquit, καὶ ἄλλα τῶν ἀψύχων αὐτόματα ἐπιθεῖναι σὺν τῷ δικαίῳ τιμωρίαν ἀνθρώποις: *dicuntur alia quoque inanima, quæ sponte læserunt, pœnas jure hominibus luere.* De brutis ita Plutarchus, in Solone p. 91. Ἔγραψε δὲ καὶ βλάβης τετραπόδων νόμον, ἐν ᾧ καὶ κύνα δακόντα παραδοῦναι κελεύει κλοιῷ τετραπήχει δεδεμένον: *scripsit etiam legem de noxa quadrupedum, in qua & canem qui momordit jubet tradi, quatuor cubitorum catenâ vinctum.* De mulcta pecudis, quæ pauperiem fecerat, domino imposita postea videbimus.

Nec ejus caro comedatur] Hoc quoque ad augendum homicidii horrorem pertinebat. Qua de causa, dicit *Philo*: ἀπόθετον ἀνθρώπου τροφὴν ἀθέμιτον γίνεσθαι τὰ τοῦ ἀνελόντος ἄνθρωπον (n. κρέα) ἐχ ὅσιον: *cibum hominibus esse ejus bruti, quod hominem interfecit, carnes nefas.*

29. *Si tamen bos ille antea*] *Et si bos* (נגח nagahh) *cornupeta ille, ab hesterno die & nudius tertius.*

Commonefactus sit ejus dominus] והועד בבעליו *houhad bibhalau, monitus sit domini ejus*, pro more Hebræorum, qui אדנים & בעלים perpetuò pro uno ponunt. Vide ad Gen. XXXIX, 2.

Dominus ejus etiam morte plectatur] Æquissimâ lege, quia neglexit cavere alterius vitæ, quæ unicuique post suam curæ esse debet, ὡς αἴτιος τοῦ ταῦτα τὸν βοῦν ἀπεργάσασθαι γενόμενος, *ut causa homicidii à bove commissi*, ait *Josephus*. Attamen *Philo* & recentiores Magistri redemtionem, hoc in casu, licitam fuisse aiunt: ὁ δὲ κύριος, inquit ille p. 617. προσαναιρείσθω, ἢ λύτρα καὶ τίμημα καταβαλέσθω. Τὸ δὲ δικαστήριον, ὅ, τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι διαγνώσεται: *dominus verò è vivis tollatur, aut redemtionis vel liberationis pretium deponat: Magistratus autem quid eum pati, aut solvere oporteat cognoscat.* Simile quid fuit in Legibus XII. Tabularum, ut docet *Justinianus* Inst. Lib. IV. Tit. IX. *Animalium*, inquit, *nomine, quæ ratione carent, si qua lascivia, aut pavore, aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio, lege duodecim Tabularum, prodita est. Quæ animalia si noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem; quia ita Lex duodecim Tabularum scripta est:* SI EQUUS CALCITROSUS CALCEO PERCUSSERIT, AUT BOS, CORNU PETERE SOLITUS, CORNU PETIERIT. Reliqua Legis verba exstant Dig. Lib. IX. Tit. I. Leg. 1. *Lex voluit* AUT DARI ID QUOD NOCUIT, *id est, id animal quod noxiam commisit*, AUT ÆSTIMATIONEM NOXIÆ OFFERRE. Aliæ eodem in loco aliorum sunt damnorum, à brutis illatorum, species. Rabbini quoque volunt, hoc Mosis loco, bovem quasi exemplum proponi, nec minùs ceterarum ferarum damna spectari. Vide initium *Babæ Kamæ* & comment. *Constantini l'Empereur.*

30. *Si verò mulcta, quâ se redimat, ei imponatur*] אם כפר יושת עליו *im chopher jouschath balau*: כפר est pretium, quo soluto quispiam pœnæ aut molestiæ immunis fit. Apud Arabas, כפר *chapharu* dicitur hodie pretium, quo persoluto, ὁδοιπόροι, sine latronum metu, per Arabum ditiones transire possunt, eáque vox passim in Itinerariis exstat. Ad mulctæ impositionem, de qua hîc sermo est, quod adtinet; non videtur Moses eam ex arbitratu rei voluisse pendi; sed contrà ex actoris voluntate, non di-

derit bos, aut asinus; 34. dominus cisternæ argentum rependat, & domino *pecudis* restituat, cadavérque ejus sit.

35. Cùm bos cujuspiam percusserit bovem proximi, atque hic *bos* mortuus fuerit, tum bovem vivum vendant, & pretium inter se ex æquo dividant, mortuum etiam partiantur. 36. Vel si significatum fuerit *domino* bovem illum antea cornu feriisse, nec tamen eum dominus custodierit, bovem pro bove reddat, & mortuus ejus sit.

XIX. Le-

culum addiderit; atque in eam pecus inciderit, 34. domino pecudis pretium ejus solvito, cadavérque ejus habeto.

35. Si bos bovem alienum occiderit, eorum ambo domini vivum bovem vendunto, pretiúmque ejus dividunto, ac similiter mortui carnem inter se partiuntor. 36. Si tamen cornupetæ bovis dominus monitus antea fuerit bovem suum cornu petere, & custodire eum neglexerit, bovem vivum pro mortuo reddito, cadavérque mortui auferto.

P A-

dicit enim, *imponetur ei mulcta*, sed, *si imponatur*. Itaque actor potuit eligere vitáne, an mulctâ satisfieri sibi vellet.

Quidquid ei impositum fuerit] A judicibus, nempe, סנהדרין ישראל *Synedris Israëlis*, ut habet *Jonathan*.

31. *Si puerum ingenuum*] Alteram vocem addidimus ob sequentia; quæ ita intelligendum hunc locum ostendunt. Alioqui בן *ben* ac בת *bath*, tam de *servis* & *ancillis* dicuntur, quàm de ingenuis. Sic & Paraphrastæ Chaldæi *filium* & *filiam Israëlis* habent. Videntur hæc verba idem significare ac איש & אשה quæ vers. 29. habentur. Alii tamen volunt ætatem hîc, non conditionem nascendi, respici, sed sine exemplo. Fortè איש & אשה virum & uxorem, בן & בת cœlibes significarit. Sic quoque Romanæ Leges, nominato patre familias, sæpe filium familias addunt. *Gajus* in Dig. Lib. IX. Tit. I. leg. 3. *Ex hac lege* (nempe Aquilia, de damno injuriâ) *jam non dubitatur etiam nomine liberarum personarum agi posse, fortè si* PATREMFAMILIAS *aut* FILIUMFAMILIAS, *vulneraverit* QUADRUPES, *scilicet, ut non deformitatis ratio habeatur, cùm liberum corpus æstimationem non recipiat, sed impensarum in curationem factarum, & operarum amissarum, quásque amissurus qui esset inutilis factus.*

Juxta hanc legem] Vel *hoc jus*, כמשפט הזה *che mischphat hazzeh.*

32. *Si servum aut servam*] Pro ingenuo potuerunt eligere utrum mallent, vitámne rei, an mulctam; sed pro servo occiso, herus non ampliùs poscere potuit, quàm lege definitam pecuniam. Non quemlibet tamen servum intelligi hîc volunt Magistri, sed *Chananæos* dumtaxat, ut disertè habet *Jonathan*. Sed Lege prorsus tacente, nescio an id admitti discrimen possit, quasi servi Hebræi occisi alia fuerit pœna, quàm Chananæi.

Triginta argenteos Siclos] Hoc est, quindecim uncias Romanas, quod exiguum profectò fuit pretium. Sed in ea regione ingens fuit Syrorum servorum copia, ut diximus ad Cap. Genes. XXXII, 5. Pretium hoc accepit Judas Christum, quasi mancipium, traditurus Matth. XXVI, 15. quod avaritiam Judæ arguit

33. *Cùm aperuerit*] Ut hoc intelligatur, sciendum quales essent ea in regione cisternæ, quod ostendimus ex *Diodoro* ad Genes. C. XXI, 19. Erant putei, aut cisternæ tectæ tabulis aut trabibus superinjectâ terrâ, quæ aperiebantur postea, & in quas, si apertæ manerent, facilè cadere poterant jumenta. Nunc circa puteos muri coronis struitur, quod & tempore *Josephi* factum interdum discimus, addit enim huic Legi: περιφρασσέσθω δὲ καὶ τοῖς φρέασιν ἄπερ ὡς ἀντὶ τείχους ὄντα οὐκ ἐάσει τινὰς ἀποκυλισθέντας ἀποβάλλεσθαι: *circumdetur tectis, quæ loco muri non sinent ullos devolutos dejici.* Similiter *Philo* de Leg. Special. p. 617. ὀρύγματα γῆς εἰώθασί τινες ἢ μάλα βαθύνειν, ἢ φλέβας πηγαζούσας ἀνατέμνοντες, ἢ πρὸς ἀποδοχὴν ὀμβρίου ὕδατος, εἶθ' ὑπονόμους εὐρύναντες ἀφανεῖς, δέον τὰ στόμια ἢ περιοικοδομῆσαι, ἢ περιπωμάσαι, ἐπ' ὀλέθρῳ τινῶν ἐῶσιν ἀχανῆ: *quidam solent fossas in terram profundissimas agere, aut venas fontanas retecturi, aut ad excipiendam aquam pluviam, deinde specus dilatantes, quæ non cernantur, cùm oporteret ostia aut cingi muro, aut operculo tegi, ea in exitium aliorum relinquunt hiantia.*

Et eò ceciderit bos] Mirum est nihil dici de homine in puteum lapso. Ideóque jam olim Judæi supplerunt, & *Philo* quidem, antequàm de jumento in puteum lapso loquatur: ἐὰν δέ τις, τῶν ὁδῷ παριόντων μὴ προϊδόμενος κατὰ κενοῦ ἐπιβὰς ἐνεχθῇ καὶ τελευτήσῃ, ἐπιγραφέσθωσαν οἱ βουλόμενοι τῶν τετελευτηκότος πρὸς τοὺς τὸ ὄρυγμα ποιησαμένους, καὶ τιμάτω τὸ δικαστήριον ὅτι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι: *si quis viá transeuntium, non animadvertens per vacuum ingressus incidat, & moriatur, propinqui mortui litem scribant iis qui fossam fecerant, & judices æstiment quid hos oporteat aut pati, aut solvere.* Addit huic legi Jonathan, בשוקא *in platea*, quasi, nempe, locus in quo puteus effoditur spectaretur. Sic & Juris periti Romani, in simili causa: *Qui foveas ursorum cervorúmque capiendorum causà faciunt, si in itineribus fecerunt, eóque aliquid decidit, factúmque deterius est, lege Aquiliâ obligati sunt. At si in aliis locis, ubi fieri solent, fecerunt, nihil tenentur.* Dig. Lib. IX. Tit. II. Leg. 28. At Moses hîc nihil de loco habet, & intelligi possunt ea loca, per quæ pecudes pastûs causâ solerent errare, qualia sunt communia pascua, ad quæ ex pago pecudes mittuntur. Alioqui non licebat in prædium privatum alienas pecudes agere, ejusque prata depascere; ac proinde si quid pecudibus in loco illicito pascentibus contigisset, nulla actio in prædii dominum esse potuit. Post vocem חמור hhamor *asinus*, sequitur in Samaritico או כל בהמה *aut quodvis jumentum.*

Percusserit bovem proximi ejus] Hoc quoque

XIX. Leges de pecudum abactoribus, de cæde furis deprehensi, de agrorum devastatoribus, de deposito & custodiæ commisso, de rebus mutuo acceptis aut conductis, de eo qui cum bruto rem habet, de alienorum Deorum cultu, de peregrino, de vidua & orphano, de usura & arrabone, de judicibus exhibenda reverentia, de primogeniti consecratione, de morticina.

¹ CUM quispiam bovem, aut minutam pecudem furatus fuerit, eámque mactaverit, aut vendiderit, pro bove rependat quinque boves, & pro minuta pecude, quatuor oves aut capras. CAPUT XXII.

² Si

PARAPHRASIS.

¹ SI quis pecudem furatus mactaverit aut vendiderit, pro bove uno quinque boves, pro minuta pecude una, minutas pecudes quatuor restituito.

² Si

que Jurisconsulti Romani adtigere. Dig. Lib. IX. Tit. I. Leg. 1. §. 11 *Cùm arietes vel boves commisissent, & alter alterum occidit, Q. Mucius distinxit, ut si quidem is perisset qui adgressus erat cessaret actio : Si is qui non provocaverat, competeret actio, quamobrem eum sibi aut noxam sarcire, aut in noxam dedere oportere.*

36. *Si significatum fuerit domino* &c.] Tum censetur ipse bovem occidisse, quia non curavit ei rei obviam iri. *At nihil interest*, ait *Ulpianus* Dig. Lib. XLVIII. Tit. VIII. Leg. 15. *occidat quis, an causam mortis præbeat.* Lege autem Aquiliâ, *capite primo cautum erat, qui servum, servámque, alienum, alienámve, quadrupedem, vel pecudem injuriâ occiderit, quanti id eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas esto.* Dig. Lib. IX. Tit. II. Leg. 2.

Antea feriisse] שור נגח הוא *schor nogeahh hou.* Samaritæ legunt : בהמה מכה היא *behemah macche hi*, jumentum feriens illud erat. Vide & vers. 32. Sic & pro שור *bos*, est bis בהמה *jumentum*, quæ audacia sunt glossemata.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXII.

1. M*Inutam pecudem*] שה *scheh*, ex ovillo aut caprino genere.

Pro bove rependat quinque boves] Cùm furtum aliarum rerum duplione tantùm damnaretur (ὁ χρυσίον ἢ ἄργυρον ὑφελόμενος τὸ διπλοῦν ἀποτινέτω *qui aurum aut argentum abstulerit duplum solvat.* Joseph. Ant. Lib. IV. c. 8.) major est pœna abactoris pecudum, duabus potissimùm de causis. Prima est facilitas ejusmodi furti, noctu enim, dormiente pastore, aut interdiu etiam, aliâ quapiam re alibi occupato, facillimum fuit abigere pecudem. Unus etiam pastor, aut pauculi per loca sola pecus agentes, vix potuere, contra vim paullò majorem ab armatis aut pluribus illatam, gregem tueri. Abactores ignoti esse potuerunt, aut propter noctem latere, aut larvis tecti ne agnoscerentur. Nisi ergo gravior fuisset pœna, sceleris facilitas multos ad id audendum adduxisset, qui gravitate mulctæ deterrebantur. Altera ratio fuit damnum illatum, præsertim raptis bubus aratoribus, quam expressit *Jonathan* his verbis: בגלל דבטליה מן רדיה *quia impedivit ejus arationem.* Bubus ad plurima indigent agricolæ, eósque si amiserint, non modò pretio eorum spoliantur, sed etiam operâ sibi necessariâ carent ; unde detrimentum oritur non leve, præsertim si sit tempus arandi.

Romani Jurisconsulti duplex scelus hac in re posse committi censent, *Abigeatum* & *Furtum.* Judice *Ulpiano*, Dig. Lib. XLVII. Tit. XIV. *Abigei* propriè habentur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, & quodammodo deprædantur & abigendi studium quasi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes. Ceterùm si quis bovem aberrantem, vel equos in solitudine relictos abduxerit, non est *Abigens*, sed *Fur* potiùs. Pro ea distinctione, *Fur* erit, qui non solet quidem abigere pecudes, sed occasione datâ abigit : *Abigeus* verò qui solet. Certè qui peccandi consuetudinem, repetitis furtis, contraxit pejor est eo qui semel tantùm furtum admisit; sed Moses hæc, aliáque innumera judicum arbitrio permisit. *D. Adrianus Consilio Bæticæ rescripsit : Abigei, cùm durissimè puniuntur, ad gladium damnari solent. Puniuntur autem durissimè non ubique, sed ubi frequentius est id genus maleficii. Alioquin & in opus, & nonnumquam temporarium dantur.*

Quatuor oves, aut capras] ארבע צאן *arbah tson.* Præter pecudum jacturam, non fuit aliud detrimentum, ut in bove abacto ; sed propter facilitatem facinoris, graviùs puniri debuit. Sic apud Scythas *nullum scelus furto gravius, quippe sine tecto, munimentóque pecora & armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret?* *Justinus* Lib. II. c. 2. Vide *Hug. Grotium* de Jure B. & P. Lib. II. c. XX. §. 35.

2. *In perfossione*] במחתרת *bummahhthereth*, quod vertunt LXX. Intt. διορύγματι, *in perfossione.* Sic & Vulg. *perfodiens.* Jonathan intellexit ipsum foramen parietis, nam habet, בחרכא *in fenestra parietis.* Alii intelligunt instrumentum *perfossorium*, & sic sumi volunt Jerem. II, 34. Sed Veteres Intt. sequi maluimus, cùm præsertim non possit perfodi paries sine instrumento. Cùm autem hoc instrumentum teli loco esse possit, non malè Eruditi le-

[2]. Si in perfossione deprehensus fuerit fur, percussúsque & mortuus, cædis reus non *erit percussor.* [3]. Si tamen sol illi ortus fuerit, cædis reus *hic erit*; repensurus enim erat *fur*, aut si nihil esset illi, pro furto vendendus *fuerat.*

[4]. Si deprehensum sit in ejus manu furtum, à bove ad asinum, & minutum pecus, duas *pecudes* vivas rependat.

[5]. Cùm

[2]. Si in fodiendo pariete noctu deprehensus fur vulneretur atque occidatur, jure cæsus esto. [3]. Si verò post solis ortum fur occidatur, cùm satis esset eum, ex lege, pro furto rependere, aut hominem vendi, capital esto.

[4]. Si quis pecudem furatus, eam adhuc habere vivam deprehendatur, hanc & alteram similem restituito.

[5]. Si

ges Solonis & XII. Tabularum cum hac contulerunt. Εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιῶν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι καὶ τρῶσαι διώκοντα: *si quis noctu quidpiam furetur, licere hunc & occidere & vulnerare persequendo.* Hanc legem habet *Demosthenes* in Orat. cont. Timocr. Num. 180. ad quam *Ulpianus* Scholiastes: ἐν νυκτὶ μείζονα τὴν τιμωρίαν ἔδωκεν ἐπειδὴ μεῖζόν ἐστι τὸ ἔγκλημα τὸ νυκτός· ἐν γὰρ ἡμέρᾳ δύναταί τις καὶ βοηθοὺς καλέσαι ἑαυτῷ, ἐν δὲ νυκτὶ, οὐκέτι: *nocte majus supplicium constituit, quia majus est crimen noctu; interdiu enim potest quivis auxilium sibi implorare, noctu verò non potest.* Similiter Lex XII. *Tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat, ut tamen æquè cum clamore testificetur.* Dig. Lib. IX. Tit. II. Leg. 4. Vide quæ de hac lege habet *Hug. Grotius* Lib. II. C. I. §. XII. de Jure P. & B. Athenis perfossori ædium mors erat pœna proposita: Ἐάν τις φανερὸς γένηται τοιχωρυχῶν τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν: *si quis manifestus sit vecticularius, morte pœnas luito.* De qua vide *Sam. Petitum* ad Tit. V. Lib. VII. Nec pœnitebit legisse quæ hac de re habet Vir Amplissimus *Corn. van Bynkershoek*, eruditissimarum observationum Juris Romani Lib. III. c. 16.

Hoc quoque in loco, parietum in Oriente perfodiendorum facilitas spectari debet; videntur enim olim, ut hodie, plurimæ ædes constitisse dumtaxat argillâ inter trabes transversas positâ, & calce dealbatâ, non ruri modò sed etiam in urbibus. Eò respicere videtur Job. IV, 9. ubi homines ita describuntur: *habitantes domos luteas.*

Cædis reus non erit] אין לו דמים *non ei sanguis.* דמים cædes dicitur illicita, & subauditur יחשב *imputabitur*, aut quid simile. Vide & Num. XXXV, 17. Sic apud Græcos αἵματος δίκη est *lis ob cædem intenta.*

3. *Si tamen sol illi*] Hinc liquet antecedentia nocturnum furtum spectare.

Cædis reus hic erit] דמים לו *damim lo*, ut suprà.

Repensurus erat] שלם ישלם *schallem jeschallem*, rependendo repensurus erat; nempe, actione in eum institutâ, sententiâque judicum damnatus.

Pro furto vendendus] Si non esset duplo, aut quadruplo solvendo; ita tamen ut persolutâ mulctâ, reliqua ex ipsius venditione confecta pecunia ejus esset. Lex nolebat furtum causam esse cædis, si aliter plecti posset, quod fiebat agnito fure. Nocte verò non agnito, ut ad judicem posset deferri, pœnas capitis dare poterat.

4. *Minutum pecus*] Ut suprà vers. 1. Additur in Samaritico: עד כל בהמה & *usque ad omne brutum.*

Duas pecudes] Lex fuit Athenis, à Solone lata, cujus Legis in eadem Orat. meminit *Demosthenes*: ὅ,τι ἐάν τις ἀπολέσῃ, ἐὰν μὲν αὐτὸ λάβῃ, τὴν διπλασίαν καταδικάζειν· ἐὰν δὲ μὴ, τὴν δεκαπλασίαν πρὸς τοῖς ἐπαιτίοις: *Quod amiserit, si hoc receperit, duplo furem damnari; & nisi receperit, eos qui conscii fuere furti, decuplo. A. Gellius* Lib. XI. c. 18. *Draconis leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto jussúque, sed tacito Atheniensium consensu sublatæ sunt. Postea legibus aliis mitioribus, à Solone compositis, usi sunt — Is suâ Lege in fures, non (ut Draco antea) mortis, sed dupli pœnâ vindicandum existimavit.* Certis etiam casibus *dupli & quadrupli actionem* concedebant leges Romanæ. Vide Dig. Lib. XLVII. Tit. II. Leg. 46. §. 1 & 2 & *Corn. Bynkershoekium*, loco antea indicato.

5. *Ex opimo*] מיטב *metab.* Samaritæ hunc locum aliter legunt, habent enim post vocem אחר *alieno*: שלם ישלם משדהו כתבואתה ואם כל השדה יבער מיטב שדהו ומיטב כרמו ישלם: *reddendo reddet ex agro suo pro ejus proventu, si omnem agrum depaverit, opimum agri sui, & opimum vineæ suæ reddet.* Sic quoque LXX. Intt. ἀποτίσει ἐκ τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ, κατὰ τὸ γένημα αὐτοῦ· ἐὰν δὲ πάντα τὸν ἀγρὸν καταβοσκήσῃ, τὰ βέλτιστα τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ, καὶ τὰ βέλτιστα τοῦ ἀμπελῶνος αὐτοῦ ἀποτίσει. Severiores erant leges Romanæ, inter quas hæc fuit in XII. Tabulis: *Qui frugem aratro quæsitam pavit secuitve, pubes Cereri sacrator, impubes prætoris arbitratu verberator, noxámve duplionem præstato.* Ad quam Legem vide Interpretes.

6. *Cùm egressus fuerit*] Culpâ, aut malitiâ cujuspiam.

In spinas] *Spinæ*, exempli causâ, nominantur pro materia quæ facilè flammam concipit, & quæ proinde brevi absumitur. Sic Ps. CXVIII, 12. *exstinctæ sunt instar ignis spinarum*, hoc est, brevi tempore fuerunt. Vide & Eccles. VII, 7. Potest etiam *Spinæ* mentio fieri, quòd ignis in eam immittatur, ut ager spinis obsitus coli possit & seri; & igne latiùs serpente vicini agri incendi, nisi caveatur. Cautiones hac de re Jurisconsultorum Hebræorum vide in *Baba Kama.* Cap. VIII. §. 4. longum enim esset casus varios, qui incidere possunt, proponere; imò etiam inutile, cùm Mosaïcorum temporum usum ignoremus. Hac de re ita etiam Jurisconsulti Romani ad *Legem Aquiliam*, Dig. Lib. IX. Tit. 2. Leg. 30. §. 3. *Si quis in stipulam suam, vel* SPINAM, *combu-*

ren-

5. Cùm quiſpiam depaſci curaverit agrum, vel vineam, immiſeritque pecus ſuum, & paſtum fuerit in alieno agro; opimum agri ſui, aut opimum vineæ ſuæ rependat.

6. Cùm egreſſus fuerit ignis, incideritque in ſpinas, & acervus *frugum*, aut ſeges, aut ager abſumtus fuerit, combuſtum rependat incendiarius.

7. Cùm

5. Si in alieno agro aut vinea pecus paverit, læſo actio eſto, iſque cujus pecus eſt, ex opimo agri aut vineæ, jacturam ei reſarcito.

6. Si cujus negligentiâ aut malitiâ ignis in ſpinas injectus, acervum frugum, ſegetem, aut alias quaſvis frugiferas plantas abſumſerit, jacturam incendiarius reſarcito.

7. Cùm

rendæ ejus causâ, ignem immiſerit, & ulteriùs evagatus & progreſſus ignis alienam SEGETEM *vel vineam læſerit, requiramus num imperitiâ ejus, aut negligentiâ id accidit. Nam ſi die ventoſo id fecit, culpæ reus eſt, nam & qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur. In eodem crimine eſt & qui non obſervavit, ne ignis longiùs procederet. At ſi omnia quæ oportuit obſervavit, vel ſubita vis venti longiùs ignem produxit, caret culpa.*

Acervus frugum] גדיש *gadiſch*, in area, nempe, jacentium, antequam triturentur. Hinc LXX. ἅλωνας *areas* verterunt.

Seges] קמה *kama*, hoc eſt, ſeges in ipſo agro ſtans, nondum demeſſa. Sic Vulg. *ſtantes ſegetes*, à radicis קום *koum* ſignificatione.

Aut ager] Hoc eſt, quivis ager cultus, & conſitus plantis frugiferis, ſeu ſint olera, ſeu arbores, aut aliud quidvis.

Combuſtum] הבערה habbeherah, *combuſtionem*, pro re combuſta.

Rependat] *Rependendo rependet.* Æquitas ipſa legis idem Romanis Juriſconſultis ſuaſit. Dig. Lib. IX. T. 2. ad l. Aquiliam Leg. 27. §. 5. *Ceterarum rerum, præter hominem & pecudem occiſos, ſi quis alteri damnum faxit, quod* USSERIT, *fregerit, ruperit injuriâ, quanti ea res erit, in diebus triginta proximis, tantùm æs domino dare damnas eſto.*

7. *Duplum reddat*] Quicumque ſit, ſeu ipſe depoſitarius, ſeu alius. Vide ad ſequentia, & *Joſephum* Aut. Lib. IV. c. VIII. §. 38.

8. *Ad Magiſtratus*] אל האלהים el haelohim. LXX. Intt. ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Vulg. *ad Deos.* Plerique alii maluerunt aliis vocibus uti, quia quamvis vox Hebraïca quæ *Deus* vel *Dii* verti ſolet, & Numen & Magiſtratus complectatur, aliis Linguis utentes eam ambiguitatem iis exprimere nequeunt. Itaque Onkelos habet לקדם דיניא *coram judicibus*, quem innumeri alii ſequuti. *Joſephus* ex uſu ſui ævi, ἐπὶ τοὺς ἑπτὰ κριτὰς, *ad ſeptem judices.* Vide ad Caput XXI, 6. & verſ. 9. Samaritæ legunt hîc אל יהוה *ad Jehovam.*

Jurabitque] Hoc neceſſariò ſubauditur, & ſequitur formula אם לא שלח וגו *im lo ſchalahh* &c. *ſi non miſit* &c. Sic LXX. Int. καὶ ὀμεῖται, Vulg. *& jurabit.* Vide not. ad Geneſ. XLII, 15.

9. *Quod adtinet*] על *hal*, *ad omne verbum.* Vid. Gen. XVIII, 19. Num. VIII, 22.

Doli mali] פשע *pheſchah*, quod cùm propriè *defectionem* ſonet, quodvis *delictum*, potiſſimùm malo animo admiſſum, tralatitio ſenſu ſignificat. Videtur autem hîc non quævis fraus intelligi, ſed quæ depoſiti negationi adſinis ſit; hoc eſt, cùm quis periiſſe ait quod ſibi ſervandum commiſſum eſt, nec tamen id periit, ſed dolo interverſum eſt & occultatum. Facilè fieri potuit, ut paſtores à pecudibus ſuis, certa de ratione, diſcedentes, aliis alii greges commendarent; quos ſine dolo ſervari æquum erat, ut integri ac incolumes dominis redderentur.

Quem damnarint Magiſtratus] Et depoſitarius, & depoſitor intelligi poſſunt, ut obſervavit *Hug. Grotius*; ille, ſi dolus adfuerit; hic, ſi iniquam actionem intenderit. Depoſitarius tamen potiſſimùm reſpici videtur. Edicti Prætoris, apud Romanos, hæc verba erant, quæ exſtant Dig. Lib. XVI. T. 3. Leg. I. *Quod neque tumultûs, neque incendii, neque naufragii causâ, depoſitum ſit, in ſimplum. Ex earum autem rerum, quæ ſuprà comprehenſæ ſunt, in ipſum, in* DUPLUM — *judicium dabo.* Ad quæ verba *Ulpianus* §. 4. *Hæc ſeparatio cauſarum juſtam rationem habet, quippe cùm quis fidem elegit, nec depoſitum redditur, contentus eſſe debet ſimplo. Cùm verò exſtante neceſſitate deponat, creſcit perfidiæ crimen.* Ante שנים legitur in Samaritio אחד hoc eſt, *unum duplionem* rependat.

10. *Confractum*] Cui fractum fuerit interea membrum, ut crus.

11. *Jusjurandum Jehovæ*] Jehovâ teſte veri, & ultore falſi vocato.

Facultates] במלאכת *bimlecheth*, ut ſup. verſ. 8. de qua voce vide not. ad Geneſ. Cap. XXXIII, 14.

12. *Hoc conſcio*] Aut *vidente*, quod debere ſubaudiri ſuperiora oſtendunt. Si enim quod non vidit rependere non neceſſe habet, eâ de causâ; ob contrariam, ſi viderit, ſeu eo conſcio factum id fuerit, rependere eum neceſſe eſt. Hoc multò tutui convenientius, quàm ſi fingamus cum Rabbinis, alteram harum legum reſpicere eum qui ſine mercede rem alienam ſervat, alteram verò mercenarium cuſtodem, cujus diſcriminis nullum eſt, apud Moſem, veſtigium. At vocibus אין ראה *nemine vidente*, opponuntur aptiſſimè והוא ידע *& eo conſcio.*

13. *Si diſcerpta ſit*] *Si diſcerpendo diſcerpta ſit.*

Reſtituet] Reſtituere adigetur vivam, aut pecuniâ æſtimatam ſolvere. *Dolus*, nimirum, *ſolus* erat *præſtandus*, ut loquuntur Romani Juriſconſulti. *Si ſine dolo malo*, ait Paulus, *rem depoſitam tibi amiſeris, nec depoſiti teneris, nec cavère debes.* Dig. Lib. XVI. Tit. 3. L. 20.

14. *Abſente domino*] בעליו אין עמו *dominis ejus non*

7. Cùm quispiam pecuniam, aut vasa servanda alii dederit, eáque hujus domo ablata fuerint; si fur inveniatur, duplum reddat. 8. Sin verò fur inventus non fuerit, accedet dominus ædium ad magistratus, *jurabítque* se manum in proximi facultates non injecisse. 9. Quod adtinet ad omnem causam doli mali circa bovem, circa asinum, circa minutum pecus, circa vestem, circa rem amissam, quam ejusmodi esse quis dixerit, amborum causa ad magistratus deveniet, & quem damnarint magistratus is duplum alteri restituat. 10. Cùm quis alii asinum, aut bovem, aut

7. Cùm quispiam pecuniam aut vasa servanda apud alium deposuerit, eáque furto ablata fuerint, si fur deprehendatur, duplionem luito. 8. Si verò fur lateat, is apud quem deposita ea fuerint, in jus cum eo qui deposuit ito, & se rem ejus non intervertisse jurato. 9. Similiter ubicumque erit doli mali, circa rem amissam, suspicio, uterque in jus ito, atque à magistratu damnatus duplionem luito. 10. Cùm quis pecudem alii servandam commiserit, eáque interea mortua, aut abacta

non cum eo. Perpetuò בעליים *behalim*, est pro בעל *bahal.* Sic passim אדנים *adonim*, domini in plurali, ubi de uno sermo est. Vide ad Gen. XXXIX, 2. Absens dominus non potuit jumentum suum, aut rem suam curare, aut dolum cavere; ideóque ab alio damnum præstari oportuit, qui eorum curam gerere debuit.

15. *Si dominus ejus adfuerit*] Qui res suas curare potuit & debuit, & præsens nullum dolum malum adhibitum esse vidit. Multa hanc in rem habentur Dig. Lib. XIII. Tit. 6. *Commodati, vel contrà.* Hæc inter alia digna sunt quæ cum Mosaïcis conferantur, unde liquet dolum dumtaxat aut culpam præstari debuisse, quod eodem recidit, ex Leg. 5. §. 4. *Quod verò senectute contigit, vel morbo, vel vi latronum ereptum est, aut quid simile accidit; dicendum est nihil eorum esse imputandum ei qui commodatum accepit, nisi aliqua culpa interveniat* &c. Vide & Leg. XVIII.

Si mercede conductum fuerit] Nempe, jumentum, & moriatur dum eo quis utitur, id rependere non cogitur; modò, nempe, culpa & dolus absint, quæ, quamvis reticeantur, videntur tamen subaudienda. Conducti jumenti mortem præstare non necesse habebat, qui conduxerat, eóque, uti par est, utebatur, etiam absente domino, propter mercedem, quam satis erat solvi. Sed ubi nulla solvebatur merces, aberátque dominus, debuit res commodata incolumis reddi, ob commodantis liberalitatem. Alii verò hîc שכיר *schachir* interpretantur de *mercenario* ipso, ut sensus sit, si is qui custodit rem, pro custodia mercedem stipulatus sit, in damnum venturum propter illam mercedem, sive dominus adfuerit, sive non adfuerit. Maluimus de rebus commodatis intelligere.

Pro mercede venerit] בא בשכרו *ba bischcharo*, res, nempe, commodata. Jumentum, servus &c. Persolutâ mercede, nihil erit quod dominus queratur; mercedem enim solam præstare debet qui conduxit, si modò, ut diximus, culpa & dolus absint. Vide Dig. Lib. XIX. T. 2. *locati, conducti.* Ibidem Leg. IX. §. 4. hæc habentur: *Imperator Antoninus cum patre, cùm grex esset abactus, quem quis conduxerat, ita rescripsit:* Si capras latrones citra tuam fraudem abegisse probari potest, judicio locati casum præstare non cogeris.

16. *Si quis pellexerit*] Duæ sunt Leges de Virginis nulli desponsæ vitiatione, quarum altera vim Virgini illatam plectit, de qua ad Deut. XXII, 28. altera verò ad Virginem blanditiis corruptam pertinet, de qua hoc in loco Moses.

Eam sibi uxorem ducere properet] מהר ימהרנה לו לאשה mahor jimahrennah lo laischah, *festinando festinabit eam sibi in uxorem*, ne, nimirum, pariat antequàm domum deducta sit; nisi aliter patri puellæ visum fuerit. Alii vertunt *dotem ei constituat*, sed sequentis commatis oppositio de dote hîc non agi satis ostendit. Neque usquam *dotare sibi puellam in uxorem* legas. Facem nobis prætulit *Josephus*, qui habet Lib. IV. c. 8. §. 23. *ὁ φθείρας παρθένον μήπω κατηγγυημένην, αὐτὴν γαμείτω, qui vitiavit virginem nondum desponsam, ipse ducat.* Nec moramur Rabbinos aliter sentientes.

17. *Pro solita virginum dote*] Nempe, illis temporibus quibus lex ferebatur. Quinquaginta Siclos fuisse ipse docet Moses Deut. XXII, 29. De consuetudine dotandarum Virginum, vide not. ad Genes. XXIX, 19. XXXIV, 12.

Adpendat] Vide not. ad Genes. XXIII, 16.

18. *Sagam*] מכשפה *mechasschephah.* Exposuimus vocem מכשף *mechasscheph* ad Cap. VII, 11. & *divinum*, vel *hariolum* intelligi ostendimus, unde sequitur fœmininâ inflexione significari *Sagam.* Sagire enim, auctore *Cicerone* de Divin. Lib. I. n. 65. sentire est acutè, ex quo *sagæ* anus, quia multa scire volunt, & *sagaces* dicti canes. Rectè observarunt Interpretes fœminino nomine intelligi etiam viros, sed nomen fœmininum usurpari, quòd muliebris sexus magis huic crimini obnoxius. Amandat nos *H. Grotius* ad Pharmaceutriam *Theocriti* & *Virgilii*, & ea quæ de Medea & Circe dixerunt Poëtæ. His adde historiam quæ habetur 1 Samuel. XXVIII, 7. & seqq. quæ de Carmenta, & Sibyllis habent Veteres, quæ *Apulejus* aliique de Thessalis veneficis.

Non patieris vivere] לא תחיה lo thehhajjeh, *non vivificabis.* Plura de hac Lege ad Deut. XVII. ubi pluribus verbis exponitur. *Venena miscentes* hîc non intelliguntur, homicidarum enim nomine potiùs veniunt. Malè ergo *φαρμακοὺς* habent *οἱ* LXX. & Vulg. *maleficos.* Hac re deceptus *Josephus* legem contra Venena ex Mose depromsit.

20. *Qui sacra facit Diis*] זבח *zobeahh*, mactans. Specie hac cultûs illiciti reliquæ omnes contineri videntur; quia victimarum mactatio potissima pars erat divini cultûs. Post אלהים addunt Samaritæ אחרים ahherim *aliis.* Et sic LXX.

aut minutum pecus, aut quodvis aliud animal servandum dederit; idque mortuum,
aut confractum, aut abactum, nemine vidente, fuerit; 11 jusjurandum Jehovæ
inter ambos erit, *quo constabit eum* manum suam non injecisse in alterius facultates,
quod admittet earum dominus, neque *alter* restituet. 12 Sed si furto subiatæ fint
hoc conscio, domino *eas* rependet.
13 Si discerpta fit *pecus à feris*, adducet testem, neque discerptam restituet.
14 Si quis commodatum acceperit à proximo, idque *postea* confringatur, aut moria-

abacta fuerit; aut membrum luxarit, nemine animadvertente, 11 qui servandam susceperat jusjurandum, per nomen Jehovæ, domino pecudis dato, quo se inscio rem factam confirmet, neque pecudem restituere lege tenetor. 12 Sin vero eo conscio ablata sit, pretium ejus domino rependito.

13 Si pecus à feris discerpta fit, testem ejus rei adducito, pecudem restituere ne cogitor.

14 Si quis jumentum, aut aliud commodatum ac-

LXX. ἑτέροις, si Cod. Alexandrinum sequamur. In aliorum Legislatorum scitis hoc quoque fuit, ut tantùm Diis patriis sacra fierent; ne alienarum superstitionem prætextu sacra nefaria admitterentur. Sed hæc eò usque extendi non debuerunt, ut si postea constaret in Republica verum Numen ignorari, sacra ejus rejicerentur; quale periculum tamen nullum in Rep. populi Hebræi fuit, in qua solus rerum omnium Creator colebatur, cujus cultui nemo quidquam objicere potuit. Quis enim negaret eum colendum esse Deum, qui omnia creasset? Quodnam etiam Numen huic æquiparari ullâ ratione potuit, aut timeri; si eo neglecto, potentissimo Numini soli sacra fierent? Igitur quàm meritò apud Hebræos Creatoris solius cultus lege sanciebatur, exclusis aliis omnibus Diis; tam immeritò alii vetabant novas Religiones adferri. Vide *Dionysium Halicarnass*. Lib. II. ubi de Romuli legibus.

Neci devoveatur] יחרם johhoram, quod ejusmodi devotionem sonat, quæ nullâ ratione expiari poterat. Vide Esai. XXXIV, 2. & Deut. XIII, 15, 16, 17. XVII, 2, 5. ubi hæc lex repetitur. Samaritæ habent: אחרים יחרם ubi א est pro ה *devovendo devoveatur*. LXX. Intt. θανάτῳ ἐξολοθρευθήσεται.

21. *Peregrinum*] גר *ger*, quâ voce tria hominum genera intelligi possunt, 1. peregrini iter facientes per Hebræorum agros, aliò euntes, aut negotiorum causâ, quod sæpe à vicinis sine dubio fiebat; 2. inquilini, qui domicilium fixerant in Hebræorum solo, quamvis circumcisionem non suscepissent, qui à Magistris vocantur גרי שער aut תושב *peregrini portæ* aut *domicilii*; 3. peregrini quidem origine, sed religione Hebræi, & circumcisi, qui גרי צדק *peregrini justitiæ* dici solent. Omnes videntur intelligi, quandoquidem nullum Lex excipit.

Similis Lex erat Athenis. *Socrates* apud Xenoph. Memor. Lib. II. p. 736. Ed. Wech. Τοὺς γὰρ ξένους, ἐξ οὗ ἔτι Σίννις καὶ Σκείρων, καὶ ὁ Προκρούστης ἀπέθανον οὐδεὶς ἔτι ἀδικεῖ: *peregrinos, ex quo Sinnis, Sciron & Procrustes mortui sunt, nemo injuriâ adficit*. Paullò pòst: αἱ πόλεις ξένῳ κηρύττουσι ἀσφάλειαν καὶ προσιόντι καὶ ἀπιόντι: *civitates peregrino securitatem advenienti & abeunti præconio publico pollicentur*. Talia, apud multas Gentes, erant constituta. *Nicolaus Damascenus* in Cathol. Hist. de Celtis: Μείζω ἐστὶν ἐπιτίμια κατὰ τοῦ ξένον ἀπολέσαντος, ἢ πολίτην· ὑπὲρ τοῦ ἡ πολίτου φυγή: *graviores sunt pœnæ ejus qui peregrinum, quàm qui civem interemerit; illius enim occisi mors pœna est, civis verò exsilium.* *Stobæus* inter Charondæ leges hanc habet, Serm. XLII. Ξένον πάντα — εὐφήμως καὶ οἰκείως ἀποδέχεσθαι καὶ ἀποπέμπειν μεμνημένους Διὸς ξενίου, ὡς παρὰ πᾶσιν ἱδρυμένου κοινοῦ θεοῦ, καὶ ὄντος ἐπισκόπου φιλοξενίας τε καὶ κακοξενίας: *peregrinum omnem — blandè & familiariter excipere oportet, ac dimittere, Jovis hospitalis memores, ut qui Deus apud omnes communis sit constitutus, & hospitalitatem ac inhospitalitatem speculetur.*

Hæ autem leges triplici ratione nituntur, quarum prima est ipsa humanitas, quâ hominibus homines prodesse, quantùm possunt, debent; altera verò singularum Civitatum utilitas, quæ longè major erit si peregrinis nulla fiat injuria; commercia enim rerum vitæ necessariarum sic aluntur, contrà verò injuriis dirimuntur; tertia eodem pertinet, nam adfluentibus peregrinis urbes crescunt, si in civitatem adsciscantur, ut fit apud cultissimos quosque populos. Miserrimi semper fuere ἄξενοι populi; cùm omnium rerum copiâ abundarint ii ad quos tutò commeare licuit. Præterea, cùm peregrini non habeant consanguineos, qui ipsos in alieno solo versantes tueantur, æquum fuit Legem iis consulere. Ἔρημος ὢν ὁ ξένος, ait *Plato* Lib. V. de Leg. ἑταίρων τε καὶ ξυγγενῶν, ἐλεεινότερος ἀνθρώποις καὶ θεοῖς: *cùm peregrinus destitutus sit amicis & cognatis, apud homines & deos misericordia dignior est.*

Malè non habebis] לא תונה *lo thoneh*, quibus verbis quodvis injuriæ genus vetatur. Est in Samaritico תונו in plurali, κακώσετε, ut habent LXX. Intt.

Peregrini enim] Efficacissima est hæc ratio, ne aliis feceritis, quod vobis fieri ægerrimè tulistis; aut etiam ferretis, si iterum peregrini essetis. Vetus est senarius, in excerptis Grotianis p. 938.

Ξένους ξένιζε, καὶ σὺ γὰρ ξένος γ' ἔσῃ.
Hospiti benefac, tu quoque hospes fortè eris.

22. *Nullam viduam* &c.] *Omnem viduam, & pupillum non adfligetis.* Hæc, aliæque similes Leges, quibus nullæ adduntur pœnæ judicum ministerio inferendæ, monita potiùs videntur moralia, quàm Leges civiles propriè dictæ; nisi pœnæ judicio Magistratuum permitterentur. Deus autem hæc talia ipse urget, ut quoniam injuriâ adficientes viduas aut pupillos non poterant parentes eorum aut viros timere, aut in jus ab iis vocari, intelligerent

riatur, absente domino, rependet. 15. Si dominus ejus adfuerit, non rependet. Si mercede conductum fuerit, pro mercede venerit.

16. Si quis pellexerit virginem, non desponsam, & cum ea concubuerit, eam sibi uxorem ducere properet. 17. Sin verò pater ejus *puellæ* eam illi collocare renuat, pecuniam pro *solita* virginum dote adpendat.

18. Sagam non patieris vivere.

19. Quicumque cum bestia cubuerit morte pœnas luito.

20. Qui sacra facit Diis, præterquàm Jehovæ soli, neci devoveatur.

21. Peregrinum malè non habebis, neque opprimes, peregrini enim in Ægypto fuistis.

22. Nullam viduam, neque ullum pupillum adfligetis. 23. Si enim eum adflixeris, ut me clamore imploret, clamorem ejus exaudiam. 24. Movebitur ita mea, gladio vos interficiam, erúntque uxores vestræ viduæ, & liberi pupilli.

25. Si

acceperit; idque dum eo utitur moriatur, aut corrumpatur, absente domino, pretium ejus solvito. 15. Si verò dominus tum adfuerit, ne rependito. Si mercede conductum fuerat, merces loco jacturæ esto.

16. Si quis virginum alii non desponsam vitiarit, eam sibi uxorem, consentiente parente, quamprimùm ducito 17. Si verò puellæ pater eam ei collocare nolit, quinquaginta siclos dotis nomine ei adpendito.

18. Sagis alienorum Numinum adflatu divinantibus, apud te vivere ne liceto.

19. Si quis cum bruto rem habuerit, capital esto.

20. Si Hebræus alieno Numini sacra fecerit, neci, nullo admisso piaculo, devovetor.

21. In gratiam civium Hebræorum, peregrinos opprimi ne sinito; peregrinum te in Ægypto fuisse memento.

22. Nec pupillum aut viduam malè habeto, 23. si enim injuriâ adfecti clamoribus opem meam implorent, inultos eos esse non passurum me scito. 24. Bellum vobis immittam, quo viris absumptis, viduæ & pupilli innumeri inter vos fient.

25. Pe-

Deum horum fore ultorem. *Philo* in libro de offerentibus victimas: οἶκτον λαμβάνει τῶν ἐνδείαις ἀπορωτάτων· οὐκ ἀπαξιοῖ γίνεσθαι κριτὴς προσηλύτοις καὶ ὀρφανοῖς ἢ χήραις: *miseretur eorum, qui inopiâ maximè laborant; nec dedignatur peregrinorum, orphanorum & viduarum judex esse*; rationes addit: τῶν ἐπηλύτων διὰ τόδε· καταλιπόντες οὗτοι τὰ πάτρια οἷς ἐνετράφησαν, ψευδῶν πλασμάτων γέμοντα καὶ τύφου, γνώριμοι ἀληθείας ἐρασταὶ γνήσιοι μετεχώρησαν πρὸς εὐσέβειαν: *peregrinorum, quia relictis patriis, quibus innutriti fuerant, institutis, figmentis mendaciis & vanitate plenis, genuini veritatis amatores facti ad pietatem transierunt.* Sed & ipsi Ethnici, sive Idololatræ, intelligendi videntur. Ὀρφανῶν δὲ καὶ χηρῶν, ἐπειδὴ κηδεμόνας ἀφῄρηνται, οἱ μὲν γονεῖς, αἱ δὲ ἄνδρας: *orphanorum & viduarum, quia destituuntur iis qui eorum curam gerunt, illi parentibus, hæ viris.*

23. *Si eum adflixeris*] *Si adfligendo adflixeris eum, ut* (כי אם) *clamando clamet ad me, audiendo audiam* &c.

25. *Populo meo*] Populari tuo, Israëlitæ.

Ei usuram non impones] Cùm Scholas hîc Theologicas non tradamus, in quæstiones de usura non exspatiabimur. Observabimus dumtaxat, ut hujus legis ratio constet, duo hominum genera pecuniam utendam mutuam accipere potuisse. Alii erant pauperes, qui nihil præter agellum habebant, qui familiæ alendæ vix satis erat; vel quem cùm præ morbo colere non potuissent, aut contra hostes defendere, aut qui denique calamitate quapiam oppressi æs alienum, comparandi victûs necessarii causâ, contrahebant. Hi si parcè viventes, sepositâ quotannis pecuniolâ, sortem conficere poterant, multùm sibi præstitisse videbantur; nec usuras solvere umquam potuissent, sine gravissimo labore, & intolerandaparcimonia. Ejusmodi autem erat Israëlitarum maxima pars, nam longè plures ubique paupertati quàm divitiis propiores sunt; præsertim in iis oris, ubi nulla est mercatura, omnésque agrorum fructibus solis sustentantur, ut veteres Hebræi. Itaque ab his usuram exigere vetat Deus, ne prorsus fœnore demergerentur. Quantas turbas Romæ nimium æs alienum aliquando crearit satis notum est, quod eadem de causa eveniebat; neque enim priscis, temporibus, plebs Romana negotiari multùm solebat. Militiam plerique sequebantur, & domum reduces agrorum cultu vitam sustentabant; ideóque si æs alienum contraherent, vendendi tandem erant agri, ut id dissolverent; quibus venditis, nihil ampliùs erat unde victitarent, si stipendia non facerent. Imò verò si fors, cum usuris, superaret pretium prædiorum, à Prætore creditoribus addicebantur, & vincti rapiebantur. Vide *Livium* Lib. VI, 14, 34. Tantis ergo malis, non sine causâ, hac lege obviam ivit Moses.

Verùm in Republica, in qua floret mercatura, possunt etiam divites, aut industrii Mercatores pecuniam mutuam habere, eâ lege ut fœnus solvant. Hi cùm industria & labore possint ita pecuniam exercere, ut centesimum fœnus capere possint, quidni semisses usuras, exempli causâ, solvant? Ea pecunia emolumento cùm sit debitori, nihil profectò obstat quominus emolumenti partem percipiat creditor. Igitur huic hominum generi fœnus imponere permisit Deus Deut. XXIII, 20. ut ad eum locum ostendemus. Sed de toto hoc negotio, consule etiam doctissimum Jurisconsultum *Ger. Noodt*, eruditissimi Operis de Fœnore & Usuris Lib. I. c. 10. ubi copiosè hac de egit.

26. *Si proximi sui* &c.] Pauperis, videlicet, ut res ipsa ostendit. Videtur huc respexisse *Phocylides* vers. 79. Μηδέποτε χρήστης πικρὸς γένῃ ἀν-

25 Si pecuniam mutuam dederis populo meo, pauperi qui tecum est, non eris ei fœneratoris instar, ei usuram non impones.

26 Si proximi tui vestem in pignus acceperis, occidente sole eam ei restitues; 27 nam hoc solum est ejus integumentum, hæc vestis cutis ejus, in qua cubet; nam me clamore invocabit, eúmque exaudiam, sum enim misericors.

28 Magistratibus non maledices, neque principem in populo tuo diris devovebis.

29 Maturas & opimas fruges tuas non cunctaberis *dare*.

Primogenitum filiorum tuorum mihi dabis. 30 Sic quoque facies circa buccerum & ovillum, caprinúmque genus. Septem diebus erit *catulus* cum matre, octavo eum mihi dabis.

31 Homines sacri mihi eritis, carnem discerptam in agris non comedetis, sed eam canibus projicietis.

XX. Le-

25 Petenti atque indigenti populari pecuniam mutuam ne negato, nec tamen usuram ullum exigito.

26 Si in rei commodatæ pignus vestem sumseris, ante noctem reddito, sol occasus suprema, quâ eam serves, tempestas esto; 27 si hoc solum sit integumentum, quo se adversùs nocturnum frigus tueri possit. Neque enim patiar miserum hominem, opem meam invocantem, frustra esse, & misericors immisericordes ferre non potero.

28 Magistratibus tuis ne conviciator, neque populi principes maledictis insequitor.

29 Primitias & decimas frugum tuarum, ex opimo proventu, suo tempore, solvito.

Primogenitos filiorum tuorum mihi sacros esse; adeóque redimendos memento. 30 Buceri verò, caprini, ovillíque generis primogenita mihi mactato, sed ante octavum diem ad altare meum ne adferto, post octavum quamprimùm poteris mactato.

P A-

ἀνδρὶ πένητι, *numquam sis fœnerator amarus viro pauperi.* Sic etiam hunc locum intellexit *Josephus* Ant. Jud. Lib. IV. c. 8. §. 26. Κἂν μὲν εὔπορος ᾖ ὁ ἐνεχυρασθείς, κατεχέτω τοῦτο μέχρι τῆς δύσεως ὁ δανεισάς· ἂν δὲ πένης, ἀποδιδότω πρὶν ἡλίου δυσμῶν, καὶ μάλιστα ἂν ἱμάτιον ᾖ τὸ ἐνέχυρον, ὅπως εἰς ὕπνον ἔχῃ τοῦτο: *Si dives sit is cui pignus ablatum est, qui mutuò dedit id retineat usque ad occasum, si verò pauper, reddat ante solis occasum, potissimùm si pignus sit vestis, ut eam in somnum habeat.* Verùm si pignus quis accepisset pretiosæ vestis, quâ posset carere qui pignus id dederat, non videtur tam citò reddere debuisse. Certè Moses hîc de solo paupere loquitur, ut & Deut. XXIV, 12, 13.

Occidente sole] עד בא השמש *had bo hasschemesch*; hoc est, non servabis eam vestem, nisi *donec sol occidat*, quo tempore *eam restitues.* Vide Deut. XXIV, 12, 13. Hinc LXX. Intt. πρὸ δυσμῶν ἡλίου *ante occasum solis*, ut etiam Vulgatus. Vide Gen. XIX, 22.

27. *Vestis cutis*] Quâ *cutem*, hoc est, corpus tegat. Interdiu nudi, ob benignam cœli temperiem, esse poterant, sed frigus nocturnum veste propulsandum erat. *Cutis* pro corpore legitur Job II, 4.

28. *Magistratibus*] אלהים ut suprà, vers. 8, 9. Θεοὺς verterunt LXX. Intt. quo factum ut *Josephus* hanc legem in alienum sensum torserit, in gratiam Idololatrarum: βλασφημείτω δὲ μηδεὶς θεοὺς οὓς πόλεις ἄλλαι νομίζουσι: *nemo blasphemet quos aliæ civitates censent Deos*, quod prorsus est falsum, cùm ipsi Scriptores Sacri Deos illos meritis conviciis proscindant. Sed Judæis inter Idololatras versantibus salubre hoc fuit monitum, & à *Josepho* fortè additum, ut ipsi Idololatræ intelligerent Judæos non usque adeò petulantes esse in Deos alienos, ut vulgò habebantur. Ant. Jud. Lib. IV. c. 8. §. 10.

29. *Maturas & opimas*] מלאתך ודמעך *mleathcha vedimhacha*, quæ ad verbum vertunt *plenitudinem & lacrimam tuam.* Certum quidem est מלאה *plenitudinem* sonare, sed fructus hîc significari, ex quibus decimæ solvebantur, manifestum est. Vide Num. XVIII, 27. Deut. XXII, 9. Intelligitur ergo, ut rectè R. Schelomo, quod debebatur כשתתמלא תבואה להתבשל והם ביכורים *cum plenè maturuerat proventus*, *hoc est, primitiæ* Hinc LXX. Intt. ἀπαρχὰς Vulg. *decimas* verterunt. Addunt LXX. Intt. ἅλωνος *primitias areæ*, sed Deuteronomii loco laudato, proventum vineæ manifestò significat.

Opimas fruges vertimus דמע *demah*, quæ vox passim, apud Rabbinos, *primitias* sonat. Vulgò existimant *olei* & *vini* primitias propriè innui, unde LXX. Intt. vertunt ἀπαρχὰς ληνοῦ *primitias torcularis.* Quòd, nimirum, guttatim, & lacrimarum ritu è torculari cadant hi liquores; nam notum est דמעה *dimhah*, lacrimam sonare. Sed vir doctissimus *Gul. Guisius* in Zeraim Tit. III. C. I. §. 3. feliciùs conjecit voce דמע *optimam & præstantissimam partem cujusvis rei* significari, qualis est *medulla*, ex interprete Samaritico ad Gen. XLV, 18. ubi de primitiis sermo est. Præterea apud Arabas דמאע *medulla* interdum dicitur. Ac sanè in primitias & decimas opima pars frugum & fructuum omnium seligi debebat, ut docet Moses Numerorum loco modò allato.

Non cunctaberis] לא תאחר *lo theahher.* LXX. Intt. οὐ καθυστερήσεις, Vulg. *non tardabis.* Hoc est, quamprimùm poteris solves, ne differendo ea interveniant, quæ solutionem eorum impediant. Vide Deut XXVI, 1, 2. Intelliguntur autem *primitiæ* quævis & *decimæ.*

Mihi dabis] Nempe, eorum lytro persoluto. Vide sup. Exod. XIII, vers. 13. & Num. XVIII, 15, 16.

30. *Ovillum, caprinúmque*] צאנך *tsoncha*, hoc est, ovem & capram tuam.

Octavo] Hoc est, non ante octavum, nam ante

XX. Leges de calumnia, de justitiæ observatione, de pecude inimici errante, aut onere adflicta, de judiciis, de peregrinis, de satione terræ per sexennium, de sabbatho, de diis peregrinis, de tribus sollemnibus festis, de pane azymo in sacris, & sacrorum adipe, de primitiis, de hædo, de Angelo Israëlitis duce mittendo, de idololatria vitanda præmiisque religionis, de Chananæis paullatim pellendis, eorúmque finibus, déque iis omni fœdere excludendis.

CAPUT XXIII. 1. NON proferes rumorem falsum, neque societatem inibis cum eo cujus pejor est causa, ut sis testis injurius. 2. Non sequeris multitudinem, ad malè faciendum, neque de lite respondebis, ut declines post multitudinem, ad peccandum; 3. nec tamen pauperem in lite sua revereberis.

4. Cùm

PARAPHRASIS.

1. FALSOS rumores, in alienam famam ne spargito; neque iniquam litem intendenti testimonium tuum addicito. 2. Ne à multitudine, ut innocenti adverseris, transversum agi te finito; ne, ut populari auræ velificeris, ad Judicis tribunal de re quam uoris interrogatus mentitor; nec tamen in gratiam ejus, qui amicis destitutus est, jura & leges violato.

4. Si

ante eum diem comedi hædi, aut agni vix possunt. Alioquin ex universa Judæa primogenita omnia, nonnisi incommodissimè, octavo die, ad unum locum ferri poterant.

31. *Homines sacri*] אנשי קדש *ansche kodesch*, viri sanctitatis, hoc est, omnes Sacerdotes. Vide not. ad Caput XIX, 6. Fortè inter vicinas Gentes Sacerdotes publici soli à morticinis abstinebant perpetuò, alii eo dumtaxat tempore quo Sacris faciendis se se accingebant; aliàs θηριαλώτους pecudes, modò ne fœterent, edere non dubitabant. Constat Ægyptios Sacerdotes multis abstinuisse cibis, qui aliis illiciti non habebantur, quod docet *Herodotus* Lib. II. c. 37. & Pythagoram, qui eos in plerisque sequutus est, morticinis, ut auctor est Diogenes Laërtius Lib. VIII. §. 33. Docebat honores exhibendos θεοῖς ἀεὶ μετ᾽ εὐφημίας λευχειμονοῦντας, καὶ ἁγνεύοντας, *diis semper, cum laudibus, amictu candido, & mundo corpore* — τὴν δὲ ἁγνείαν εἶναι διὰ τοῦ αὐτὸν καθαρεύειν ἀπὸ τοῦ κήδους, καὶ λέχους, καὶ μιάσματος παντὸς, καὶ ἀπέχεσθαι βρωτῶν, θνησειδίων τε κρεῶν: *eam verò munditiem comparari expiationibus, ablutionibus, & adspersionibus, & dum mundus quis remanet à funere, à lecto, & omni pollutione, & abstinere à carnibus demorsis* (à feris) *& morticinis.*

Carnem discerptam in agris] Nempe, *à feris.* LXX. Intt. unâ voce θηριάλωτον *à feris raptam.* Contingebat à feris occidi pecudes, quas auferre non poterant, saltem integras, & quas aliarum gentium vulgus comedere non dubitabat. Imò verò suaviores vulgò existimabantur, ut liquet ex Problem. 9. Lib. 2. Symposiac. *Plutarchi*, διὰ τί τὰ λυκόβρωτα τῶν προβάτων τὸ κρέας γλυκύτερον ἔχει; *quare oves à lupo demorsæ carnem suaviorem habeant.*

Eam canibus projicietis] Ratio hujus legis videtur eo niti, quòd ferarum morsus venenati fortè haberentur, aut saltem nescio quid parum salubre demorsæ carni adfundere. Si credimus *Plutarcho*, loco laudato, constabat τὰ ὑπὸ θηρίων δηχθέντα καὶ τοὺς ὄνυχας μελαίνεσθαι καὶ τριχοῤῥοεῖν, καὶ τοῖς δέρμασι φλιδᾶν, καὶ ῥαίνεσθαι, *à feris morsorum ungues nigros fieri, villos defluere, cutem laxari, & facilè lacerari.* Quod si ea ratio non placet, at hæc saltem non displicebit; nempe, cùm pecudis carnes à fera occisæ, numquam satis sanguine purgari possent, illicitus fuit ejus usus, eadem de causa, ob quam sanguis vetitus fuit. Hunc locum sic expressit *Phocylides*, aut Semi-Judæus cujus versiculi illius nomen præferunt, vers. 136.

Μηδέ τι θηρόβορον δαίσῃ κρέας, ἀργίποσιν δὲ
Λείψανα λεῖπε κυσίν· θηρῶν ἄπο θῆρες ἔδονται.

Nullam carnem à feris præmorsam comederis, celeribus verò canibus reliquias sinito, ut feræ ex feris edant.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXIII.

1. R*Umorem falsum*] שמע שוא *schmah schav*, rumorem mendacii. Vide not. ad Caput XX, 7. Si nullis civilibus pœnis adficiebantur calumniæ rei, hoc habendum erit inter ethica monita. Sed fortè quamvis non exprimantur pœnæ, pro arbitrio judicis calumniatores plectebantur. Apud Ægyptios certæ pœnæ fuerunt, eædem, nempe, quæ criminum ipsorum reis infligebantur. *Diodorus* Lib. I. p. 69. οἱ ψευδῶς τινῶν κατηγορήσαντες ὤφειλον τοῦτο παθεῖν ὃ τοῖς συκοφαντηθεῖσιν ἐνέτακτο πρόστιμον, εἴπερ ἔτυχον καταδικασθέντες: *qui falsò quospiam accusaverant, idem pati debebant, quod calumniâ læsis impositum erat, si damnati fuissent.* Apud Athenienses similiter lex fuit, τὸν λέγοντα κακῶς ἐὰν μὴ ἀποφαίνῃ ὡς ἔστιν ἀληθῆ τὰ εἰρημένα, ζημιοῦσθαι: *qui malè dixisset cuipiam, nisi ostenderet esse vera quæ dicta à se fuerant, mulctari.* Ad quam Legem vide *Sam. Petitum* Lib. VII. Tit. 6. Leg. Att. Athenis tamen fuit lege concessum, ut quod vellet Comœdia nominatim, vel de quo vellet diceret, ut ex *Cicerone* observavit *Augustinus* de C. D. Lib. II. c. 9. Atque ita in antiqua Comœdia fieri consuesse ex *Aristophane* intelligimus. *Contrà duodecim tabulæ,*

ut

4. Cùm inimici tui bos aut asinus errans tibi occurrerit, eum ad illum reducas.
5. Cùm videbis asinum ejus, qui te odit, succumbentem sub onere, annon vacabis ei? cum eo, *sublevando jumento* vacabis.
6. Non pervertes jus egeni, in lite ejus. 7. A mendacio procul absis, innocentem & justum ne occideris, neque enim reum pro justo habebo. 8. Munus non accipies, munus enim excæcat oculatos, & perplexa reddit verba justorum.
9. Peregrinum non opprimes, nostis enim quis sit peregrini animus, nam in Ægypto peregrini fuistis.
10. Sex annis feres terram tuam, ejúsque proventum colliges; 11. septimo verò eam relinques, & *cuivis* permittes; ut pauperes populi tui comedant, & reliquias eorum agrestes feræ depascantur. Idem facies, circa vitem, & olivam tuam.

12. Sex

4. Si vel inimici tui pecus, procul ab ejus gregibus errans tibi occurrerit, eam ad dominum reducito. 5. Si videris ejus jumentum sub onere succumbens, eum ut jumentum sublevet sarcinasque ei iterum imponat, & quò tendebat pergere possit, aliis rebus omissis, adjuvato. 6. Jus egeno Judices, æquè ac diviti, dicunto; 7. verum inquirunto, neque mendacio legibus fraudem fieri patiuntor. Innocentem rei loco ne habento, neque enim reum impunè abire sinam. 8. Munus, quo injuriæ dissimulatio, aut iniqua sententia ematur, ne accipiunto.
9. Peregrinis nullam injuriam inferto, in animum quæ passus sis in Ægypto, iniquitate Ægyptiorum, revocato.
10. Per sex continuos annos, agros serere, proventúmque eorum colligere liceto. 11. At septimo quoque, ne terram colito, & quæ sponte proferet; ea pauperibus & feris colligenda & depascenda relinquito. Idem circa oleam & vitem, reliquasque arbores frugiferas observato.

12. Per

ut ait *Cicero* apud eumdem, *cùm perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset, sive carmen condidisset quod infamiam faceret, flagitiúmque alteri; præclurè.* Rationem legis præclaram addit, quâ etiam Hebraïca lex nititur. *Judiciis ac magistratuum disceptationibus legitimis propositum vitam, non poëtarum ingeniis habere debemus; nec probrum audire, nisi eâ lege, ut respondere liceat, & judicio defendere.* Quamvis postea non videatur capitalis fuisse noxa, attamen *qui adversùs bonos mores convicium cui fecisse, cujúsve operâ factum esse dicebatur quò adversùs bonos mores convicium fieret, in eum judicium dabat* Prætor. Dig. Lib. XLVII. Tit. X. Leg. 15. *Ne quid infamandi causâ fieret, si quid adversùs ea fecisset, prout quæque res erat, animadvertebat.* Ib. §. 25.

Neque societatem inibis] *Non pones manum tuam cum* &c. hoc est, ut habent οἱ LXX. *οὐ συγκαταθήσῃ, non consenties.* Vid. 1 Sam. XXII, 17. 2 Sam. III, 11.

Cum eo cujus pejor est causa] רשע *rascbab* passim ita sumitur. Vide not. ad Cap. II, 13.

Testis injurius] *Testis injuriæ*, hoc est, cujus admisso testimonio innocens damnetur, absoluto reo.

2. *Neque sequeris multitudinem*] *Non eris post multos.* Si quis innocens tibi videatur, quamquam à plerisque damnabitur, seu judex sedeas, seu privatus; ejus innocentiæ intrepido animo aderis, eúmque contra quamlibet multos, prout licebit, defendes. Quæ magni & fortis viri virtus, ut numquam satis commendata, ita rarissima semper fuit; propter manifestum non inimicitiarum modò contrahendarum, sed famæ etiam, facultatum, vitæque ipsius jacturæ periculum, ubi gravior causa agitur. Contrà verò multitudinem sequenti proposita ut plurimum sunt omnia, quæ ab hominibus in homines conferri possunt, præmia, honores, opes, incolumitas. Atque hinc fit ut æqua, & justa, apud singulas Gentes, videantur quæ plerisque placuisse censentur. Quàm sæpe, si res ad exemplar æternum immutabilis justitiæ exigamus, quasi ex tripode prolata videbuntur hæc *Senecæ*, ex Lib. de Vita Beata. C. I. *Tritissima quæque via & celeberrima maximè decipit. Nihil ergo* (paullò enim plura ad illustrandum Mosem ex eo verba proferemus) *magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur; optima rati ea, quæ magno adsensu recepta sunt, quorúmque exempla nobis multa sunt; nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus: — Dum unusquisque mavult credere quàm judicare, numquam de vita judicatur, semper creditur; versátque nos & præcipitat traditus per manus error, alienísque perimus exemplis. Sanabimur, si modò separemur à cœtu* &c. quæ legisse non pœnitebit. Multa habet hanc in rem *Athanasius* in libello, πρὸς τοὺς πλήθει μόνῳ κρίνοντας τὴν ἀλήθειαν. T. II.

Præclara constantiæ, contra improbam multitudinem, exempla fuere *Thrasea Pætus*, & *Helvidius Priscus*, qui liberiores, quàm tempora ferebant, in Senatu sententias persæpe dixere, quarum memoria ne intercideret *Tacitus* effecit. De posteriore etiam *Epictetus* Diss. Lib. I. c. 2. Προσπέμψαντος αὐτῷ Οὐεσπασιανοῦ, ἵνα μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν σύγκλητον, ἀπεκρίνατο, ἐπὶ σοί ἐστι μὴ ἐᾶσαί με εἶναι συγκλητικόν· μέχρι δ᾽ ἂν ὦ, δεῖ με εἰσέρχεσθαι: *cùm præmisisset ad eum Vespasianus ne ingrederetur Senatum, respondit: penes te est ne me Senatorem esse patiaris, quamdiu verò sum, oportet me eo ingredi:* ἄγε, ἀλλ᾽ εἰσελθὼν, φησὶ, σιώπησον: *esto, sed cùm ingressus fueris*, ait Domitianus, *taceas.* E. μή μ᾽ ἐξέταζε, καὶ σιωπήσω: *ne me roga & tacebo.* Δ. ἀλλὰ δεῖ με ἐξετάσαι: *sed me oportet rogare.* E. κἀμὲ εἰπεῖν τὸ φαινόμενον δίκαιον: *& me dicere quod videtur justum.* E. ἀλλ᾽ ἐὰν εἴπῃς, ἀποκτενῶ σε: *sed si dixeris, te occidam.* E. πότε οὖν σοι εἶπον ὅτι ἀθά-

12. Sex diebus operibus tuis incumbes, septimo verò die cessabis, cùm ut bos, asinusque tuus requiescant, tum etiam ut verna tuus, & peregrinus respirent.

13. Ab omnibus quæ vobis *vitanda* dixi cavebitis, & alienorum etiam Deorum nomina ne commemorabitis quidem; ex ore vestro ne audiantur.

14. Tri-

12. Per sex dies, laboribus adsuetis incumbere omnibus liceto; septimo quoque feriæ sunto, iisque pecudes, servi & mercenarii quiescunto.

13. Quæcumque tibi vetui ne feceris caveto, & præsertim ab iis quæ pertinent ad Deorum alienorum cognitionem & cultum abborreto.

14. Ter singulis annis festos conventus habeto.

15. Azymorum festum, ut antehac dixi, celebrato, neque

ἀθάνατός εἰμι; quando ergo tibi dixi me esse immortalem?

De lite respondebis] Nempe, interroganti judici. Vide Levit. V, 1. Apud Athenienses Lex erat *εἰ μὲν τἀληθῆ μηνύσειέ τις εἶναι τὴν ἄδειαν, εἰ δὲ τὰ ψευδῆ τεθνάναι: si vera quis indicasset, securitatem ei esse; si falsa, mori.* Vide *Sam. Petitum* ad Lib. VII. Tit. 10.

3. *Nec tamen pauperem*] Hoc est alterum extremum, ut enim multitudo solet divitibus favere: sunt qui, ut sibi gratiam vulgi compararent, pro plebeiis contra nobiles sententiam dicunt. Quod Romani, in Tribuniciis contentionibus, plus semel experti sunt. Qui regnum adfectabant, eadem etiam viâ grassabantur; infimos enim quosque & egentissimos sollicitabant. Idem in Hebræa Republ. factiosi homines factitare potuerunt, & pauperes meritis pœnis eripere, ut plebis gratiam sibi conciliarent, quâ postea ad Rempublicam opprimendam abuterentur. Itaque meritò vetuit Moses ne legibus pauperes solverentur, non minùs ac divites. Vide quæ habet hîc *Hug. Grotius*, & 1. Sam. XXII, 2. *Terentius* de Judicibus, Phormionis Act. II. S. I. vers. 46.

Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi.

4. *Cùm inimici tui* &c.] Pluribus verbis exponitur hæc lex Deut. XXII, 1. & seqq. ad quem locum commodiùs de ea agemus.

5. *Annon vacabis ei*] וחדלת מעזב לו vehhadaltha mehazob lo, *& cessabis relinquere illi*, hoc est, *an cessabis, relictis rebus in ejus gratiam*, jumento ejus opem ferre? *Vau* interrogativum nonnumquam esse nemo dubitet, qui legerit 1. Sam. XXV, 11. & alia quæ congessit *Ch. Noldius* ad hanc particulam, num. 5. Verbum etiam עזב *hazab*, usitatissimâ significatione, vertimus. לו *lo* transtulimus *ei*, hoc est, *in ejus gratiam*; quia cùm verbum עזב soleat regere accusativum rei, non poterat ea vocula aliter verti hoc in loco, & ל non rarò *propter* vertitur. Vide Levit. XIX, 28. Num. VI, 7.

LXX. Intt. habent hîc, *οὐ παρελεύσῃ αὐτὸ ἀλλὰ συνεγερεῖς* (ita Vat. Codex, at Alexandr. *ἐγερεῖς*) *αὐτὸ μετ' αὐτοῦ, non præteribis illud, sed sublevabis id cum eo.* Sic quoque *Vulgatus*, quibus verbis non potestatem singulis vocibus subjectam, sed sensum loci, ut in difficilioribus solent, expresserunt. Cave ergo hinc collegeris עזב *hazab* significare *adtollere*, quia hi, aut alii Intt. eos sequuti ita transtulerunt. Scio adferri loca ex Nehemiæ Cap. III, 8, 34. sed vide quæ illic dicemus.

Cum eo sublevando jumento vacabis.] *Vacando vacabis cum eo.*

6. *Non perverte*s] Uti præter jus & fas favendum ei non fuit: ita nec, propter paupertatem, injuriâ adficiendus. Quam in rem, omnium Gentium sapientes innumera dixerunt.

7. *A mendacio procul absis*] *A verbo falsitatis remotus esto.* Quandoquidem hîc sermo est de officio judicis, hæc videntur significare judici cavendum esse ne falsâ rei expositione deceptus innocentem damnet, aut reum absolvat. Neque hoc dumtaxat imperitiâ ac temeritate judicum evenit, sed potissimùm adfectibus, quibus animus occæcatur. Imò verò improbus judex sciens & volens, propter accepta munera, jus omne pervertit, quæ omnia hîc vetantur.

Pro justo habebo] אצדיק *atsdik*. Habet Samariticus Codex הצדיק, quod sensu hîc caret, nisi addatur nominativus אלהים *Deus non habet reum pro justo*; nam conjugatio *Hiphil* passivè verti nequit, ut Samaritici Cod. Interpres Latius fecit. LXX. Intt. habent *οὐ δικαιώσεις τὸν ἀσεβῆ ἕνεκα δώρων*, quasi scriptum fuisset לא הצדיק רשע למען שחדים. Sed videntur sensum, ex conjectura, expressisse, ut sæpe aliàs. Vera est nostri Codicis lectio, Deúsque judicibus se quasi exemplum quod sequantur proponit; & cùm reum pro justo non habeat, ita nec eum à judicibus absolvi vult. Latent præterea in his verbis minæ erga malos judices, si enim Deum reum justi loco non habet, coram eo *innoxius non habebitur* judex iniquus, ac proinde *pœnas luet.* Hæ etiam phrases, propter rerum conjunctionem, interdum idem significant Vide Cap. XX, 7.

8. *Excæcat oculatos*] Qui non modò vident quid justum, quídve iniquum sit, sed etiam intelligunt quanti sit judici jus tueri, & quàm sceleratum reum absolvere, innocentem damnare; attamen si munera à reis acceperint, usque adeò occæcantur, ut jura cum injuriis, munus judicis cum latrocinio misceant, quasi in hoc negotio prorsùs cæcutirent. Hæc enim cæcitas magis ad sententiam judicis pertinet, quàm ad animum. Sed potest etiam fieri ut dum munerum capiendorum obrepit consuetudo, ipsa cognitio juris paullatim oblitteretur, & justi ac injusti discrimen tandem nullum in animo supersit. Vide Eccles. VII, 8.

Perplexa reddit] יסלף *jesalleph*, hoc est, impedit quominùs justitiam propugnent, & cùm non audeant apertè eam oppugnare, perplexâ oratione utuntur; quâ aut jus obscurant, aut injustitiæ patrocinantur. Qui donis corrupti sunt, & ingenio pollent, omnes ejus nervos intendunt, ut injuriæ speciem juris addant; quod non potest fieri planâ & simplici oratione quâ rectâ ad scopum tendimus, sed dumtaxat per ambages & perplexis ratiocinationibus. Hebræi ejusmodi ambages vocant סלף *seleph*. Prov. XI, 3.

14 Tribus vicibus, intra annum, mihi festa celebrabitis. 15 Azymorum festum serves, septem diebus, quemadmodum tibi præcepi, azymis vescaris, stato tempore mensis Abibi, eo enim ex Ægypto egressus es. (Facies autem mea non conspicietur à vacuis.)

16. *Ce-*

neque ad altare meum fine munere venito. 16 Post messem peractam, primitias, decimásque adferto, proptereàque iterum convenito. Anno denique vertente, postquam fructus omnes collegeris, festum conventum habeto. 17 Tribus hisce festis quotannis ad locum, quem constitueris, masculi omnes se sistunto.

18. An-

XI, 3. Latini *tortiloquium*, quod *Glossæ* veteres interpretantur συνεστραμμένην ὁμιλίαν. *Plautus* Cistell. Act. IV. S. 2. vers. 64. *intortam orationem.*

9. *Peregrinum non opprimes*] Vide ad vers. 21. Capitis superioris.

Quis sit peregrini animus] *Animam peregrini*, hoc est, quantâ sit animi anxietate, cùm injustitiam eorum, apud quos peregrinatur, experitur. Scire potestis, experti eam ærumnam, quàm difficile sit æquo animo talia pati. Qui malum sensit, faciliùs miseretur eorum qui idem patiuntur. Vid. Ep. ad Hebr. II, 18. IV, 15.

10. *Sex annis*] Hic alter est Sabbathismus, qui pluribus exponitur Levit. XXV, 2. ubi hac de re dicemus.

12. *Sex diebus*] Ex occasione superioris Sabbathismi, hujus etiam meminit Moses, quamvis sæpiùs & sollemniùs antea sancitus fuerit. Nihil minùs verentur Hebræi, quàm repetitiones, & quæ maxima apud alios haberetur ἀμεθοδεία, eorum aures non lædit.

Respirent] Hoc est, quiescant, ut alibi Moses.

13. *Alienorum Deorum nomina*] Psaltes negat Ps. XVI, 4 *nomina* ejusmodi Deorum *se prolaturum.* Videtur esse phrasis παροιμιώδης, quâ significatur Israëlitis planè esse negligenda vicinorum populorum Theologia, ut ne sciant quidem quibus nominibus Deos suos vocitent Idololatræ. Quæ summopere contemnimus, de iis ne loqui quidem solemus, ideóque hîc summus alienarum opinionum contemtus indicatur. Alioqui sola nominum prolatione non interdicitur, cùm plus semel eorum meminerint Scriptores Sacri. Hæc videtur simplicissima loci interpretatio. Alii tamen alia hîc innui volunt. I. Sunt qui jusjurandum, nomine horum Deorum prolato, intelligunt; sed jurisjurandi hîc nulla mentio, nec Psaltes eò respicit Ps. XVI, 14. *Auxerunt*, inquit, *numerum idolorum suorum, ea festinanter prosequuti sunt; eorum libamina ex sanguine non libabo, neque labiis meis nomina eorum proferam*; hoc est, tantùm abest ut ea velim colere, ut ne nomina quidem umquam memorem; cùm sollemne sit Numinis cujuspiam cultoribus, passim ejus meminisse. Hoc vult *Aratus*, initio τῶν Φαινομένων:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον· μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα
Καὶ λιμένες· πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.

A Jove incipiamus, quem numquam homines sinamus indictum. Plenæ Jove sunt omnes plateæ (nomen enim ejus perpetuò usurpabant Græci) *omnes hominum conventus* (in quibus testis vocabatur, ut cùm passim νὴ Δία dicebant) *plenum mare* (Jovis nomine quem invocabant,) *& portus* (cùm gratias ei agerent adpellentes, aut vota profecturi nuncuparent) *omnibus in rebus omnes Jove utimur.* II. Alii volunt à Mose dumtaxat vetari nomina, quibus divinitas iis tribuitur; sed hoc manifestò falsum, nam passim mentio fit τῶν בעלים bahalim, *dominorum*, τοῦ מלך moloch, *regis*, vocantúrque אלהים *dii.* Qui copiosiorem harum sententiarum, à nobis rejectarum, expositionem legere avebit adeat *Joan. Seldenum* de Jure G. & N. Lib. II. cap. 13.

14. *Mihi festa celebrabitis*] Hoc est, tres πανηγύρεις, seu conventus festos totius gentis, quales apud Ægyptios frequentes erant, ut diximus ad Cap. X, 8. Festorum omnium institutionis rationes aperuit *Josephus* Ant. Lib. IV. c. VIII. §. 7. cujus verba, alibi non repetenda, hîc describemus: Συνερχέσθωσαν δὲ εἰς ἣν ἀποφήνωσι πόλιν τὸν νεὼν τρὶς τοῦ ἔτους οἱ ἐκ περάτων τῆς γῆς, ἧς ἂν Ἑβραῖοι κρατῶσιν, ὅπως τῷ θεῷ τῶν μὲν ὑπηργμένων εὐχαριστῶσι, καὶ περὶ τῶν εἰς τὸ μέλλον παρακαλῶσι: *conveniant in urbem, quam constituerint, ad templum, ter in anno, ex finibus terræ quam Hebræi tenuerint, ut Deo pro iis quæ possident gratias agant, & in futurum preces fundant.* Sed quæritur quare ab omnibus in eodem loco fieri hoc oporteret; nam non minùs Deo gratias agere, & supplicare alibi poterant, quàm ad Tabernaculum. Nec ratio ulla est convenientior, quàm quæ ex Reipublicæ Judaïcæ unitate petitur. Qui enim Sacra communia habent, eodémque in loco celebrant, ii vix divelli possunt in plures Resp. aut fœdus saltem intemeratum inter se servant. Quam in rem multùm conferre possunt Sacerdotes, communium Sacrorum interpretes & ministri. Quod probè intellexit Jeroboamus, qui Remp. divulsurus alia loca signavit, in quæ Decem Tribus Sacrorum causâ irent, 1 Reg. XII, 27. Atque hanc rationem adtingit etiam, in proximè sequentibus verbis, *Josephus*: καὶ συνιόντες ἀλλήλοις καὶ συνευωχούμενοι προσφιλεῖς ὦσι, καλὸν γὰρ εἶναι μὴ ἀγνοεῖν ἀλλήλους, ὁμοφύλους τε ὄντας καὶ τῶν αὐτῶν κοινωνοῦντας ἐπιτηδευμάτων. τοῦτο δὲ ἐκ μὲν τῆς αὐτῆς ἐπιμιξίας αὐτοῖς ὑπάρξειν, τῇ τε ὄψει καὶ τῇ ὁμιλίᾳ μνήμην αὐτῶν ἐνθέντας· ἀνεπιμίκτους γὰρ ἀλλήλοις μένοντας, ἀλλοτριωτάτους αὐτοὺς νομισθήσεσθαι, *& convenientes, unáque convivantes, amici sint, pulcrum enim esse sibi invicem notos esse tribules, & eorumdem institutorum participes. Hoc autem ex hac eadem mistione oriri, quâ fit ut conspectu & sermone memoriæ alios mandent. Si verò sine ullo commercio manerent, alienissimos eos judicatum iri.* Itaque festa illa societatis erant vincula; hominúmque proinde, potiùs quàm Dei,

cau-

16. *Celebrato* etiam festum messis, primitiis operum tuorum, *ex iis* quæ in agro severis; & festum collectionis, exeunte anno, cùm opera tua ex agro collegeris.
17. Tribus vicibus in anno, masculus omnis tuus, coram Domino Jehova, compareat.
18. Non effundes, ad fermentatum *panem*, sanguinem victimæ meæ; neque pernoctabit adeps sollemnis meæ victimæ, ad matutinum usque tempus.

19. Pri-

15. Antequàm paschalem agnum mactes, omnem panem fermentatum amoveto, neque ad sequentum lucem quidquam, ne adipem quidem, ex ea victima servato.

19. In locum quem elegero, primitias frugum tuarum ad me adferto.

Hædum, in lacte matris, ne elixes caveto.

20. Mittam Angelum, qui castra tua per desertum tuea-

causâ, erant instituta. Simili de ratione, Iones *Panionium*, Dorienses *Triopicum* templum condiderant, de quibus *Herodotus* Lib. I. Capp. 142 & 143.

15. *Azymorum festum* &c.] Vide notat. ad Exod. XII, & XIII.

Facies autem mea] *Facies Dei*, neque Tabernaculum, neque Arca propriè dicuntur; sed quemadmodum Regem quis conveniens & salutans, *faciem ejus videre* dicitur: ita ad Tabernaculum accedens, cui Deus singulari modo aderat, *faciem Dei videre* dici solebat κατ' ἀνθρωποπάθειαν.

A vacuis] ריקם rekam, *vacuè*, hoc est, sine oblatione quapiam. I. Eâ lege cogebantur in animum revocare Deum esse Regem suum, cui tributa veluti penderent. Similis lex fuit apud Persas, ut auctor est *Ælianus* Var. Hist. Lib. I. c. 31. Νόμος οὗτος Περσικὸς ἐν τοῖς μάλιστα ὑπ' αὐτῶν φυλαττόμενος, ὅταν εἰς Πέρσας ἐλαύνῃ Βασιλεὺς, πάντες αὐτῷ Πέρσαι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἕκαστος προσκομίζει: *lex hæc Persica, maximè ab iis servata, cùm Rex ad Persas se se contulerit, omnes ei Persæ, singuli pro facultatibus, quid adferunt.* Sed cùm Persarum Reges, ut reliqui omnes, tributis indigerent; nihil simile de Deo cogitari potest. Itaque non sui causâ talia exigebat, sed ut homines Dei memores, ejus timentes essent, legúmque observantiores, quas ad ipsos beandos tulerat. II. Deinde suppeditabatur eâ ratione Sacerdotibus onde viverent, ut possent Sacris operam perpetuam dare, cultúmque veri Dei, atque adeò veram Religionem tueri. III. Ex parte victimarum quas adducebant, aut emebant, in eo loco, in quo statutum erat Tabernaculum, unà convivabantur. Vide Deut. XVI, 15. Ea autem convivia, ut vidimus ex *Josepho*, ad adstringendum communis societatis vinculum non parum conducebant.

16. *Festum messis*] Dicitur hoc festum infrà Cap. XXXIV, 22. *festum hebdomadum* שבעת *schabuhoth*, quòd septem hebdomadibus post Pascha celebraretur. Levit. XXIII, 15, 16. unde *Pentecoste* Græcè dictum fuit, quòd in quinquagesimum à Paschate diem incideret. *Messis festum* hîc dicitur, non quòd inchoaretur eo tempore messis, sed quòd tum demum absoluta esset, ut doctè animadvertit *Nicol. Fullerus Miscell.* Lib. III. c. 11.

Primitiis] Primitiæ solvebantur ex septem fructuum generibus, tritico, hordeo, uvis, ficubus, malis Punicis, oleis & dactylis, qui erant potissimi Chananææ fructus, Deut. VIII, 8. XXVI, 2. & seqq. Verùm hoc in loco, sermo est de primitiis, quæ tempore Pentecostes solvebantur, nempe, ex segetibus. Itaque *hordeum & triticum* intelliguntur, de quibus ad Levit. XXIII. ubi hæc lex pleniùs habetur. Hæ autem secundæ erant primitiæ, ut liquet ex eo Levitici loco.

Festum collectionis] Hoc est, postquàm fructus omnes collecti sunt, & in Apothecas reconditi, de quo pleniùs Levit. Cap. XXIII, 24.

Exeunte anno] בצאת השנה *bitseth hasschanah.* Annus intelligitur civilis, non sacer, cujus hic fuit mensis septimus Levit. XXIII, 34.Ceterùm hîc *exeunte anno* dicitur fieri festum, cujus tempus vocatur infrà Cap. XXIV, 22. *conversio anni.* Fuit, nimirum, anni civilis primus mensis; ideoque æquè rectè potuit dici *ineunte anno*, ac exeunte, imò verò accuratior fuisset loquutio. Sed in designatione temporis statuti, modò antecedentis, modò sequentis ratio habetur. Vide not. ad Cap. XII, 15.

17. *Masculus omnis tuus*] Non excluduntur quidem fœminæ, sed tamen cùm masculis solis hoc præcipiatur, moneri mulieres videntur, ne eò contendant. Ac sanè oportuit saltem aliquem domi manere, qui ejus, impuberúmque & servorum curam gereret. Apud Ægyptios, ad conventus sacros mulieres, non minus quàm viri, ibant: πλέουσί τε δὴ ἅμα ἄνδρες γυναιξὶ, καὶ πολλόν τι πλῆθος ἑκατέρων ἐν ἑκάστῃ βάρι: *navigant viri simul & mulieres, & magna est utrorumque multitudo in unaquaque navi. Herodoti* sunt verba Lib. II. c. 60. In illis itineribus, mulieribus viris admistis, multa indecora & inhonesta sine dubio fiebant. Ægyptii etiam duplo plures celebrabant πανηγύρεις, ut idem testatur Historicus. Prima erat Bubasti, secunda Busiri, tertia Saï, quarta Heliopoli, quinta Buti, sexta Papremi. Sed satis supérque erat Judæis terram difficiliorem cultu tenentibus, nec navigabilem, ut Ægyptus erat, exundante potissimùm Nilo, ter in anno, vere, æstate, & autumno agros deseruisse, ut in unum locum convenirent. Imò verò ex Judæa sola potuit hoc fieri, neque enim ex remotioribus Asiæ, Africæ atque Europæ partibus, mares omnes ter singulis annis in Judæam ire potuissent; quod nec etiam sparsi per orbem terrarum Judæi postea tentarunt. Lex hæc soli Chananææ scripta, in plurimis capitibus, fuit. Nec leve incommodum fuit viris omnibus in ipsa Chananæa ter domo quotannis abesse. Sed sine dubio non ita urgebatur legis hujus observatio, ut nulla excusatio acciperetur. Videtur contrà res arbitrio hominum relicta, ut possent domi manere, si ita iis videretur.

Coram domino Jehova] " האדון *haadon Jehovah.*

19. Primitias terræ tuæ domum Jehovæ Dei tui adferes.
Non elixabis hædum, in lacte matris.
20. En ego ante te missurus sum Angelum, ad te in itinere tuendum, & te in
locum quem paravi intromittendum. 21. Eum observato, vocem ejus audito, néve illi rebellis esto, neque enim defectionem vestram feret, & nomen meum in eo
est. 22. Quod si voci ejus obsequutus fueris, & quidquid dixero feceris, hostibus

tueatur, téque incolumem in Chananæam perducat. 21. Huic dicto audiens esto, neque enim defectionem à legibus meis impunem esse finet, atque ea erit potestate instructus, ut gravissimas pœnas de te sumere possit. 22. Si ejus dictis parueris, mihi eosdem hostes atque inimicos futuros ac tibi, 23. eum-

vah. Describitur Deus hîc & alibi, quasi Rex, quem subditi ter quotannis salutatum irent.

18. *Ad fermentatum panem*] Hoc est, dum erit panis fermentatus domi. Adluditur, nempe, ad paschale sacrificium, nam alioqui panis fermentatus non erat illicitus in sacris, ut liquet ex Levit. XXII, 17. Vide infrà Cap. XXXIV, 25. Mirum est breviter, obscurè, aliénoque loco repeti, quod perspicuè & copiosiùs alibi expositum est; sed hoc frequens est, in hisce libris.

19. *Primitias*] De his ad Levit. XXIII. & Deut. XII.

Non elixabis hædum] Hac de lege copiosissimè egerunt viri doctissimi *Sam. Bochartus* Hieroz. Lib. 2. C. LII. & *Joan. Spencerus* de Leg. Mos. Lib. II. c. 8. qui varias opiniones retulerunt, ac confutarunt; nec tamen ipsi, præter conjecturas, quidquam adferre potuerunt. Adibunt eos qui volent quæcumque hac de re dicta sunt cognoscere. Nos quæ verisimillima visa sunt in medium proferemus. Samariticus Codex hîc nostro aliquot verba addit: כי עשה זאת כזבח שכח ועברה היא לאלהי יעקב *quia hoc faciens est instar mactantis inventum* (nempe, cadaver) *& hoc est indignationi Deo Jacobi.*

Vocem שכח, quam temerè corruptam pronunciat *Sam. Bochartus*, ita interpretamur ex Chaldaïsmo, in quo שכח *schechah* est *invenit.* Eadem radix exstat apud Samaritas Gen. IV, 14. sed scripta aliter, nempe שקח; verùm, ut alii Orientales, has litteras inter se mutare solent Samaritæ. Sic Gen. XXV, 32. est הולך pro הלכי. Nihil, ex lege Mosaïca, potest immundius fingi cadavere fortè invento; nec ullo piaculo expiari potuisset ejus facinus, qui id Deo adolevisset. Ideóque Samaritæ, ad significandum summum odium ejusmodi cibi, qualis esset hædus in lacte matris coctus, eâ comparatione usi sunt.

Sed hinc quidem intelligimus hædum in lacte matris coctum abominationi Samaritis æquè ac Judæis fuisse; at cùm id odium hac lege nitatur, non propterea scimus quare à Deo lata sit. Nihil est verisimilius, quàm Ethnicos ex vicinia, in iis Sacris, quæ solebant post collectos fructus celebrare, hoc ritu usos esse; quod adfirmavit anonymus *Karaita*, cujus verba Hebræa sic translata à *Spencero* proferuntur, librum enim ipsum, cùm MS. sit, numquam vidimus: *mos erat inter veteres Ethnicos cùm fructus omnes collegissent, coquere hædum in lacte matris suæ & deinde* דרך כשפה *ratione magicâ lacte ille adspergere arbores, agros, hortos & pomaria, fore credentes, ut hoc modo feraciora in annum sequentem redderentur.* Simile quid conjecit etiam *Abarbanel*; aliique, quorum testimonia vir doctus congessit.

Si haberemus veterum Sabæorum, aut Ægyptiorum sacros commentarios, quibus ritus singulorum Deorum cultui adhibendi præscribebantur; esset fortasse unde quæ diximus confirmaremus. Sed quoniam injuria temporum, hominúmque negligentia, aut præposterus zelus nobis eos inviderunt, videndum an à Græcis opem aliquam exspectare possimus. Fatentur *Bacchum* Ægyptium aut Arabicum fuisse Deum, eádemque fuisse *Osiridis & Bacchi* sacra. *Diodorus* Lib. I. p. 86. auctor est Ægyptios dixisse τὴν Ὀσίριδος τελετὴν τῇ Διονύσου τὴν αὐτὴν εἶναι: *Osiridis & Bacchi eadem esse initia*: Orpheumque & Melampodem μετενεγκεῖν ἐξ Αἰγύπτου τὰ Διονύσου νομιζόμενα τελεῖσθαι παρὰ τοῖς Ἕλλησι *transtulisse ex Ægypto quæ solent apud Græcos sacra Baccho fieri.* Quin & in Ægyptio, vel Arabico oppido, educatum narrabant Græci. Jussit eum Jupiter, ut idem ait *Diodorus* Lib. IV. p. 211. deferri εἰς τὸ ἄντρον ἐν τῇ Νύσῃ, κείμενον μεταξὺ Φοινίκης καὶ Νείλου, *in antrum Nysæum situm, inter Phœniciam & Nilum.* Facile esset plures Græcos Scriptores consentientes congerere. Vide & quæ habet *Sam. Bochartus* in suo Phalego Lib. I. c. 2. unde Bacchum Orientalem Deum esse liquebit.

Hoc si verum est, ut doctissimis quibusque videtur, in Oriente hædus aut caper Baccho solebat mactari, nam hæc erat propria ei apud Græcos victima. *Virgilius* Georg. Lib. II. vers. 380.

——— Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi.

Et vers. 359.

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

His sacris existimabant feraciores fieri vites, ut idem Poëta docet vers. 390.

Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu,
Complentur vallesque cavæ, saltúsque profundi.

Causam ob quam caper Baccho mactaretur Virgilius eodem loco ait hanc esse, quòd nihil tam noceat vitibus quàm morsus earum pecudum,

——— durique venenum
Dentis & admorso signata in stirpe cicatrix.

Notum etiam est Epigramma:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ.

Rode caper vitem, tamen hinc cùm stabis ad aras,
In tua quod fundi cornua possit erit.

 Fa-

bus tuis hoftis, inimicus inimicis ero; 23. etenim ante te ibit Angelus meus, intromittet te ad Emoræum, Chitthæum, Pherizæum, Chananæum, Chivvæum, & Jebusæum, eósque exscindam.

24. Eorum Deos non adorabis, neque coles; non facies prout illi fecerunt, sed eos de-

23. eúmque Angelum meum, qui vobis præibit; Chananæos, quorum agros vobis promisi, deleturum scito.

24. Horum Numinibus cultum nullum exhibeto, simulacra omnia frangito, aras evertito

25. Soli Deo Israelis sacra facito; quod si piè & ca-

Facilè ergo fieri potuit ut hædos Baccho immolarent nonnulli ex Hebræorum vicinis, útque viderentur simul capræ pœnas ei luere, earum fœtus in matrum lacte coquerent, & Bacchum existimarent iis Sacris, atque epulis placari, & vineas fœcundiores fieri.

20. *Missurus sum angelum meum*] Difficilis est hic locus duabus de causis, primò quòd non satis constet Interpretibus quis hîc loquatur, alii enim volunt esse Deum ipsum, alii Angelum; deinde quòd eadem occurrat difficultas, circa Angelum mittendum. Hoc quoque mirum in hac historia est, quòd cùm Moses hoc in loco iniquè non ferat alium mitti, qui Israëli præiret, infrà Cap. XXXIII, 4, 12. & seqq. ægerrimè idem dici audiat.

I. Ostendimus ad Cap. XX, 1. verisimiliorem esse eorum sententiam, qui Angelum Dei personam sustinentem legem tulisse volunt. Hinc sequitur Angelum nomine Dei ἀμέσως loquentem, hîc alium Angelum, qui non personam Dei planè induerit, sed ejus legatum dumtaxat agat, promittere. Ac sanè cùm sint varii Angelorum ordines, variáque munera, potest iis data esse minor aut major à Deo potestas. Archangelus, exempli causâ, potuit Deo veluti organum fuisse, quo Israëlitas alloqueretur, deinde mitti Angelus qui eos per Desertum, acceptâ ab Archangelo potestate, curaret, atque in Chananæam intromitteret. Sic cùm Hebræorum res, apud Persarum Reges, tueretur Angelus *Gabriel*, missus præterea est ad eum *Michaël unus primorum principum* (השרים הראשנים) *qui ei auxilio esset*, & qui dicitur שר schar, *præfectus Hebræorum*. Dan. X, 13, 21. Qui volunt τὴν δευτέραν τριάδος ὑπόστασιν è jugo Sinais montis loquutam, Angelum saltem creatum promitti hîc fateantur oportet, neque enim una, eadémque Hypostasis sui ipsius nuncia esse potest; quod miror à viris doctis non animadversum.

II. Angelus certè mittendus manifestò à mittente distinguitur, & ita distinguitur, ut ex descriptione minor esse intelligatur; quod ex singulorum verborum interpretatione liquebit, nec tamen cum memorata modò sententia stare potest.

III. Quamvis ordo narrationis aliud postulare videatur, existimarim hîc eamdem historiam obiter adtingi quæ Capp. XXXIII, & XXXIV. copiosiùs narratur, adeò ut hîc sit tantùm ejus initium, abrumpatúrque, ut ad alia transitus fiat. Si quis in hunc locum incidat, numquam diligenter Mose perlecto, minùs verisimilis hæc nostra ei videbitur conjectura; sed quicumque non oscitanter legerit Pentateuchum, non diffitebitur unam, eamdémque legem sæpiùs repeti, & quidem ita ut dimidiata uno in loco legatur, in alio integra. In hoc ipso Capite, exempla aliquot habuimus ejus ἀμεθοδίας, & plura passim exstant. Itaque mirum non erit historiam etiam eodem modo abrumpi, ut postea pleniùs narretur. Si tempora turbari objeceris, nihil etiam frequentius, quàm ejusmodi ὑστερόπρωτα, occurrere hisce in libris respondebimus, quod ostendimus in Diss. *de Lingua Hebraica*, Pentateucho præmissa. Igitur hîc minari videtur Deus quod non exsequutus est, ut constat ex Cap. XXXIV.

Repeti sæpiùs eadem, sine ordine rerum & temporum, vel ex hoc solo Capite manifestum est. Sed quæri potest an etiam Deus confusè, & permistè leges suas ediderit Mosi, eodem planè ordine & modo, quo scriptis mandatæ sunt? Verùm huic quæstioni solus respondere possit Moses, aut ipse Deus; attamen si in re obscurissima, & cujus potuerunt esse rationes, quæ nos fugiunt, liceat conjecturam nostram proferre, Deo hæc nequaquam tribuerimus, sed Prophetæ ipsi, qui *habuit hunc thesaurum in figulino vase, ut excellentia potentiæ Dei esse, non ab illo*, intelligeretur, quod in re simili, de Apostolis, Paulus adfirmat. 2 Cor. IV, 7. Rem eruditi, si ita videatur, diligentiùs meditentur, nos sequentia vocant.

In locum quem paravi] Chananæam. Vide Cap. XV, 17.

21. *Idem observato*] השמר מפניו *cave tibi à facie ejus*, vel *propter eum*. Quid hæc sibi velint sequentia ostendunt.

Neque enim defectionem vestram feret] כי לא ישא לפשעכם *chi lo jisscha lphischbachem*, non condonabit defectioni vestræ, aut eam non feret, nempe, impunem esse.

Et nomen meum in eo est] כי שמי בקרבו *chi schmi bkirbo*, quia nomen meum in medio ejus; hoc est, aget apud vos nomine meo, seu, potestate & mandatis à me acceptis. Deus dicitur ponere *nomen* suum in re, vel persona, quando ei rei, vel personæ ita adest, ut propterea res dicatur *Jehovæ habitaculum*, aut persona *Jehovæ servus*, vel *legatus*. Sic locus in quo fuit *Tabernaculum Jehovæ*, dicitur locus esse, quem Deus elegit, & *in quo nomen suum posuit* Deut. XI, 5, 11, 21. 1 Reg. VIII, 16. Similiter Dei nomen fuisse *in Angelo* meritò dici potest, si ita ei adfuit Deus, ut singulari ratione *Angelus Jehovæ* diei possit. Hinc etiam frequentissima phrasis *loqui nomine Jehovæ*, in Vet. & Novo Testamento, pro eo quod est dicere se à Jehova esse missum, *nuncii Jehovæ* titulum adsumere, & mandata quasi ab eo accepta hominibus exponere. Vide sup. C. V, 23. & passim. Itaque hoc vult Deus, Angelum potestate à se acceptâ, præiturum Israëlitis manda-

delebis, & simulacra eorum confringes. [25] Jehovam Deum tuum coles, panique tuo, & aquæ tuæ benedicet, ac omnem morbum à te averruncabit. [26] Nulla erit in regione tua abortiens, aut sterilis mulier. Numerum dierum tuorum explebo. [27] Terrorem meum mittam ante te, útque trepidet omnis populus ad quem venies efficiam, &

castè feceris, efficiam ut salubribus alimentis usus raros morbos experiaris. [26] Nulla in agris tuis mulier sterilis erit, nulla abortum patietur, nemo ante diem exstinguetur. [27] Antequàm eò veneris, quo tendis, tantum terrorem tui Chananæis injiciam, ut nemo eorum tibi fortiter resistere ausurus

datáque sua exsequuturum, non ut propria, sed ut Jehovæ decreta.

22. *Dixero*] Nempe, per Angelum illum; perinde enim est, ut alibi diximus, Deúsne loquatur ipse, an fidus ejus interpres.

Hostibus tuis hostis] Vide Gen. XII, 3.

24. *Eos delebis*] *Delendo delebis.* Quamvis posset referri ad homines, videtur potiùs simulacra Deorum spectare, ob verbum sequens.

Confringes] *Frangendo franges.* Hæc autem manifestò intelliguntur de populis Chananææ, quos deleturi erant Israëlitæ.

25. *Deum tuum*] *Deum vestrum.* Sed ne numeri misceeruntur, ita vertimus; nec aliud patiebantur aures Latinæ.

Panique tuo & aquæ tuæ] Hoc est, omnibus tuis alimentis, *panis* enim cibum quemvis, *aqua* quemlibet potum significat. Vid. 1. Sam. XXV, 11. Sanè ex alimentis maxima ex parte pendet valetudo, quæ bona est salubri victu utentibus; mala verò, si insalubres sint cibi. Parum salubribus Ægyptiorum multi utebantur, nec aqua Nili, cùm turbida, aut nimis diu servata erat, admodum salubris fuit, ut Veteres & Recentiores observarunt. LXX. Intt. addunt aquæ *οἶνον vinum*, quod non magis necessarium est, quàm si pani *carnem* addendam quis existimaret.

Omnem morbum] Vide ad Exod. XV, 26.

26. *Abortiens*] משכלה *mschachelah.* LXX. Intt. *ἄγονος*, Vulg. *infœcunda*, sed hæc est sequentis vocis significatio.

Numerum dierum tuorum] Hoc est, efficiam ut ad senectutem usque vivas. *Numerus dierum*, quibus homines vivere solent ab ævo Mosis, est septuaginta aut octoginta annorum, ut ipse docet Ps. XC, 10. ad quos qui accedunt numerum dierum suorum explevisse dicuntur; & à quibus qui morientes multùm adhuc absunt, ante diem mori dici solent. Eodem spectat Jobus Cap. XIV, 5. Edidit volumen Epistolarum virorum eruditorum, à se consultorum, *de termino vitæ*, *Joan. Beverovicius.* Inter omnia eminent responsa *Sim. Episcopii*, cui, nostro quidem judicio, ea in re contigit

Οἴῳ πέπνυσθαι· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.

Eum consulent, quibus quæstionis examen cordi erit.

27. *Terrorem meum*] Vide not. ad Gen. XXXV, vers. 5.

Cervicem] ערף *horeph*, pro בערף *bhoreph.* *Cervice hostes tradere*, est eos fugientes præbere, nam fugientes cervicem ostendunt. Vide Ps. XVIII, vers. 41.

28. *Crabronem*] הצרעה *hattsirhah*: Hac voce *vespam* vel *crabronem* significari multis ostendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. II. Lib. IV. c. 13. sed Etymologiæ ejus metathesi litterarum nixæ vix placent. Malim deducere ex radice צרע *tsarah*, quæ olim *congregare* significarit apud Hebræos, ut apud Samaritas, quorum vide translationem Deut. XXXI, 12. Ita vocantur vespæ, quia singula examina coëunt in unum locum, & hisce quidem verbis significantur multa vesparum examina. Iterum occurrunt hæ minæ in Chananæos Deut. VII, 20. & exsecutioni mandatæ obiter leguntur Jos. XXIV, 12. quamvis nusquam alioquin in narratione cladium Chananææ memorentur. Hinc factum ut viri docti existimarint vocem צרעה metaphoricè intelligendam de terrore Chananæis immisso, cùm sit etiam parum credibile vespis gentes integras sedibus suis expulsas. Verùm eos confutat vir doctissimus, modò laudatus, ostendítque 1. à Sacris Scriptoribus obiter multa referri, locísque & temporis circumstantiis planè suppressis, quæ tamen verè gesta sunt, ut quæ habentur Gen. XLVII, 22. Deut. II, 9, 10, 11. & similia: 2. testimonisque & exemplis plurimis culices & vespas ingentes sæpe clades intulisse. Ac sanè in Ægypto molestissimos esse culices, aliásque muscas omnes qui eam descripserunt docent; quod cùm vix intelligant qui sub Septemtrionibus vitam egerunt, ubi rariores sunt muscæ, facilè adsequentur quicumque calidiores terras viserunt. Adde laudatis à *Bocharto* locis hunc *Ammiani Marcellini*, ex Lib. XXIV, c. 8. ubi inter rationes, ob quas Julianus è Parthorum regno eadem viâ regredi non poterat, hæc adfertur, *quòd per eas terras* (per Assyriam) *vapore sideris calescentes, muscarum & culicum multitudine referta sunt omnia, earúmque volatu dies, & astrorum noctu micantium facies obumbratur.*

29. *Agrestésque feræ*] Quæ ex Arabia deserta, prædam quærentes, in Chananæam irrumpebant, & quæ nonnisi perpetuâ venatione abigi poterant. Vide not. ad Gen. X, 9. Hîc porrò legentium animis se se ingerit hæc difficultas, quî, nimirum, timere possent Israëlitæ ne vasta esset Chananæa, si veteres incolæ omnes simul expellerentur; cùm trecentas hominum myriadas castra Israëlis complecterentur, ut ex armatorum numero colligere est, quæ multitudo Chananæam facilè implere potuisse videtur. Verùm existimarim Deum non spectare modò Palæstinam propriè dictam, inter Jordanem & mare mediterraneum sitam, sed & amplissimum terrarum tractum

& omnes hostes tuos cervicem *præbentes* tibi tradam. 28. Mittam ante te crabronem & Chivvæum, Chananæum, Chittæumque, è conspectu tuo, expellet. 29. Non tamen eos ante te anno uno ejiciam; ne vasta fiat regio, agrestesque feræ in te augeantur. 30. Paullatim eos è conspectu tuo exterminabo, donec ereveris, & *totam* terram *Chananæam* possidendam ceperis. 31. Fines tuos pono à mari algoso, ad mare Philisthæorum, atque à deserto ad fluvium; nam in manum tuam incolas ejus terræ tradam, eósque è conspectu tuo expelles. 32. Cum his, horúmque Diis fœdus nullum ferias. 33. Ne habitent terram tuam, ne te in peccatum adversùs me inducant; alioquin eorum coleres Deos, & tibi laqueo essent.

XXI. Mo-

rus sit, sed omnes fugam capessituri. 28. Crabrones mittam, quibus agros eorum devastantibus, sponte solum vertere & vacuam tibi linquere regionem cogantur. 29. Nec tamen intra annum unum hoc faciam, ne incultos accipias agros, & feris nimiùm infesteris. 30. Sensim hoc fiet & prout incolendos agros capere poteris, terrámque adeò Chananæam occupare. 31. Licebit tibi invadere maximam partem tractuum inter mare Idumæum, Internum, Euphratem, & Arabiam desertam porrectorum. 32. Cùm populis quos expelles nullum fœdus facito, neque eorum Numina apud te coli, 33. ne tecum viventes in Idololatriam suam te pelliciant, finito.

P A-

ctum qui Libano, mari mediterraneo, Nilo, desertâ & Petræâ Arabiâ, ac Euphrate cingitur, si Idumæam, Hammonitidem, & Moabitidem excipias. Licuit enim Israëlitis omnes eas terras invadere, quibus tamen colendis initio non suffecissent. Vide vers. 31. & not. ad Gen. XV, vers. 18.

30. *Paullatim*] מעט מעט mehat mehat, *parum, parum*. Gallicè, *peu à peu*.

31. *A mari algoso*] Erythræo, vel Idumæo, de quo vide not. ad Cap. X, 19.

Mare Philisthæorum] Mare mediterraneum, cujus littora tenebant Philisthæi. Vide not. ad Cap. XV, 14.

A deserto] Arabico, in quo versabantur.

Ad fluvium] Euphratem, qui ita, in illis regionibus, *καθ' ἐξοχὴν* vocabatur. Vid. Gen. XV, 18. Ideò LXX. *ἕως τοῦ μεγάλου ποταμοῦ Εὐφράτου.*

Eos è conspectu tuo expelles] Hoc est, plerosque expelles; nam numquam omnes expulerunt Israëlitæ, præsertim ad Chananææ Septemtriones, & in ora maritima. Syriam quidem vectigalem habuit Salomo, sed ejus agros numquam Israëlitis divisit. Vide 1 Reg. IV, 21.

32. *Cum his, horúmque Diis*] Hoc est, cum iis quorum agros insederis, ut sequentia docent. Sed nec licuit *cum Diis* vicinorum fœdus facere, hoc est, Religionem eorum admittere in agros Israëlis; quamvis non dubitarint Israëlitarum Reges, cum vicinis Regibus fœdera habere, ut ipsius Davidis exemplo constat, numquam propterea reprehensi. Vid. 1 Reg. V.

33. *Ne habitent terram tuam*] Nisi Hebræa Sacra omnia admittant, aut certè eatenus ut Idololatriæ omnis sunt immunes, ut erant bina Proselytorum genera, quos bene habere jubentur Hebræi suprà Cap. XXII, 21.

Ne te in peccatum inducant] Hoc est, ad leges violandas, exemplo suo, tibi præeant.

Tibi laqueo essent] Laqueos veluti tenderent, quibus Idololatriâ irretireris. Vid. suprà Cap. X, 7. Deut. VII, 16, 25. XII, 30. Quàm necessaria esset hæc cautio ostendit historia sacra Num. XXV, 1, 2. Jud. II, 2. *& seqq.*

COM-

XXI. Moses à Deo dimissus, & solus redire jussus, Dei leges populo significat, quas populus unanimi consensu jubet. Has scriptis mandat Moses, fœderisque inter Deum & populum sollemnes ritus celebrat. Tum traditâ populi Aharoni & Churi curâ, in montem solus redit.

1. POSTEA *Deus* Mosi, *cùm adscendes*, inquit, adscende ad Jehovam tu, unáque Aharon, Nadabus, Abihuus & septuaginta ex Israëlis senibus. Procul adorabitis *omnes*, 2. solus verò Moses accedet ad Jehovam; at illi non accedent, neque populus cum eo adscendet. CAPUT XXIV.

3. Abiit

PARAPHRASIS.

1. MOSEM ex eodem Sinaïs jugo postea monuit Deus, quotiescumque adscenderet ad nubem monti insidentem, ducere quidem eum posse secum Aharonem, Nadabum, Abihuum, Josuam, & septuaginta ex ornatissimis Israelis senibus, qui propiùs accederent quàm ceteri Israëlitæ; attamen omnes oportere procul à nube inflexo corpore Numen venerari, atque illic exspectare; 2. solum verò Mosem ad nubem accessurum, & illis & reliquo populo procul remotis.

3. Cùm

COMMENTARIUS

In CAPUT XXIV.

1. *Cum adscendes, inquit*] Hæc supplenda esse ordo manifestò ostendit, neque enim tum Deus jubebat Mosem adscendere; sed monebat, paullò antequàm ad populum rediret, quid iterum adscendenti faciendum esset.

Nadabus, Abihuus] Filii Aharonis natu majores, & Sacerdotes designati.

Septuaginta ex Senibus] Itaque numerato Mose, Aharone & filiis ac Josua (de quo ad vers. 13.) erant LXXV. Sunt tamen qui, quinque illis propter eximiam quamdam dignitatem omissis, LXX. Viros velint è senibus Israëlitis evocatos, ut respiceretur ad numerum Hebræorum, qui in Ægyptum descenderant, Gen. Cap. XLVI.

Procul adorabitis] Hoc est, procul à summo montis jugo, ad quod solus Moses accessurus erat. Videntur tamen ceteri LXXIII propius accessisse, quàm reliquus populus; alioqui non magis cum Mose adscendisse dici possent, quàm alii Israëlitæ.

2. *Solus verò Moses*] Latini dicerent *tu solus*, neque enim solent tertiâ personâ uti, cùm de eo agunt, quem alloquuntur. Sed frequens hoc est Hebræis.

4. *Duodecim erectos lapides*] מצבה *matsebah*, de qua voce diximus ad Gen. XXVIII, 18. Ritus hic fuit fœderum, ut liquet ex ejusdem libri Cap. XXXI, 46.

4. *Adolescentes Israëlitas*] נערי בני ישראל naare bne jischraël, *pueros Israëlis filiorum*. Vox Hebraïca נער *nahar*, æquè latè patet ac Latina *adolescens*, quæ non modò tenellam ætatem sonat, sed grandiori tantùm oppositam. Vide Cap. XXXIII, 11. 2. Sam. XVIII, 15. Hoc in loco Chaldæus Int. habet ית בוכרי *primogenitos*, quòd, nempe, crederet ante Leviticos sacerdotes institutos, primogenitorum fuisse sacerdotium. Sed vide ad Gen. XXV, 31.

Holocausta &c.] Vide not. ad XX, 24.

6. *Et in crateribus posuit*] Quo populum & librum legis adspergeret.

Dimidiâque alterâ parte] *Et dimidium sanguinis adspersit altari.* Hoc sacerdotale fuit munus, cùm cuivis victimam ipsam mactare liceret. Vide Levit. I, 3, 45. III, 2. IV, 24.

7. *Librum fœderis*] Hoc est, librum legum, in quas Deus cum Israëlitis fœdus facturus erat.

Legitque audiente populo] Ut leges, nimirum, veluti rogarentur, vellétne ac juberet populus eas sanciri? Hæc fuit Dei συγκατάβασις, ut non ut herus servis, prout potuit, imperia ederet; sed ut cum libero populo & ad se nihil pertinente, fœderis ritu, ageret. Vide Cap, XIX, 5. & seqq.

8. *Ibi Moses, sumto sanguine*] *Et sumsit Moses sanguinem & adspersit populo.*

Ecce sanguinem fœderis] Hoc est, sanguinem, quo effuso sancitur fœdus. Effusionis autem hæc videtur fuisse significatio, ut prout sanguis victimæ effusus fuerat, & quaquaversum adspersus: ita quicumque fœdus frangeret, intelligeret sanguinem suum effudendum esse. Non absimiliter inter Romanos, Paterpatratus, recitatis fœderis legibus, hæc inter alia verba dicebat: *Audi Jupiter, audi Paterpatrate populi Albani* (aut alius) *audi tu, populus Albanus, ut illa palam, prima postrema, ex illis tabulis, cerâve recitata sunt, sine dolo malo, atique ea hodie rectissimè intellecta sunt, illis legibus Pop. Romanus prior non deficiet. Si prior defexit, publico consilio, dolo malo, in illo die, Jupiter Populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam; tantóque magis ferito, quanto magis potes, pollésque.* Id ubi dixerat, porcum saxo silice feriebat, ut docet *Livius*, Lib. I. c. 24. Vide & *Polybium.* Lib. III. pag. 251. Ed. Amstel.

In omnes hasce leges] *Secundùm hæc verba*, priùs recitata.

9. *Unáque Aharon* &c.] Mirum est omitti Josuam, qui, ut liquet ex vers. 13. adscendit cum Mose. Fortè hæc causa fuit, quòd neque nomine populi, neque suo interesset, sed tam-

S quam

3. Abiit ergo Moses, & omnia Jehovæ verba, omniaque jura populo exposuit; tum universus populus unâ voce respondit, &, quæcumque, inquit, dixit Jehova faciemus. 4. Moses verò omnia Jehovæ verba perscripsit.

Postridie mane surrexit, & sub ipso monte altare exstruxit, duodecimque erectos lapides, pro duodecim tribubus Israëlis, *statuit*. 5. Deinde adolescentes Israëlitas misit, hique holocausta obtulerunt, salutaresque hostias vitulos Jehovæ mactarunt. 6. Moses verò dimidiam sanguinis partem cepit, & in crateribus posuit; dimidiâque *alterâ* parte altare adspersit. 7. Sumsit deinde librum fœderis, legitque, audiente populo; atque *hic* omnia, inquit, quæ dixit Jehova faciemus, *dictóque* audientes erimus. 8. Ibi Moses sumto sanguine populum adspersit, &, ecce, inquit, sanguinem fœderis, quod, in omnes hasce leges, vobiscum ferit Jehova.

9. *Hoc peracto*, adscendit Moses, unàque Aharon, Nadabus & Abihuus, & septuaginta è senibus Israëlis. 10. Mox viderunt Deum Israëlis & sub pedibus ejus opus, instar laterculi sapphirini, & tamquam ipsum cœlum nitens. 11. Neque tamen manum injecit *Deus* in delectos ex Israële, eòque conspecto, comederunt & biberunt.

12. Tum Jehova Mosi, adscende ad me, inquit, in montem, estóque hic & lapideas tabulas, legémque & præcepta quæ ad eorum institutionem scripsi tibi dabo. 13. Surrexit itaque Moses, unàque minister ejus Jehosua, atque in montem Dei adscendit. 14. Dixerat autem senibus, exspectate nos hîc, donec ad vos redeamus; en Aharonem & Churem, *qui* vobiscum *erunt*; si quis litem habeat, eos adeat.

15. Moses ergo, *ut dixi*, adscendit in montem, montémque nubes operuit. 16. Insedit gloria Dei montem Sinaïn, texitque eum nubes sex diebus, & Mosem è media nube septimo vocavit *Deus*. 17. Species autem gloriæ Jehovæ, *erat* instar ignis *materiam* absumentis in vertice montis, in oculis Israëlitarum. 18. Mediam autem nubem ingressus est Moses, & *altiùs* in montem adscendit, in quo quadraginta diebus & quadraginta noctibus fuit.

XXII. Mo-

3. Cùm ergo Muses memoratas leges à Deo accepisset, ad populum rediit, mandatáque ad eum Dei palam exposuit; quibus obsequentes se fore, summo consensu, polliciti sunt Hebræi. 4. Moses verò omnia diligenter in tabulas retulit, ut & legum, & promissorum suorum memoriam earum lectione recolere possent Israëlitæ.

Postridie verò summo mane, sub ipsis montis radicibus altare exstruxit, & duodecim grandiora saxa circumquaque, quæ duodecim Hebræas Tribus referrent, disposuit. 5. Tum jussit adolescentes, qui sacerdotio, antequàm in Aharonis solius familiam conferretur, fungebantur, in eo altari Sacra pro Hebræo populo facere. Hi verò holocautomata, & salutaria Sacra, vitulis mactatis, obtulerunt. 6. At Moses sanguinis ex jugulo vitulorum excepti dimidiam partem in crateres effudit, alterâ altare ritè adspersit. 7. Tum ex libro leges à Deo acceptas, clarâ voce, audiente populo, recitavit; iterumque populus iis legibus pariturum se pollicitus est. 8. Quo audito, Moses sanguinis dimidiâ parte sepositâ adspersit populum, & hoc sanguine, inquit, sancitur fœdus, quod Deus Opt. Max. vobiscum hodie in leges recitatas facit.

9. Peractis hisce ritibus, Moses, cum quatuor memoratis viris, & septuaginta senibus in montem adscendit. 10. Paullò pòst in eo conspecta est lucida nubes, ad cujus inferiorem partem duæ tabulæ, instar Sapphiri lævigati nitentes, positæ erant. 11. Hæc in clara luce videre licuit viris ex populo delectis, qui unà cum Mose propiùs quàm ceteri accesserant; iisdémque sine noxa abire, ut cum suis convivarentur.

12. At Deus solum Mosem jussit propiùs accedere, ut cùm ceteras leges, tum etiam tabulas lapideas, quibus inscriptus erat Decalogus, acciperet. 13. Itaque unà cum Josua Ministro adscendit ad nubem; 14. priùs jussis Israëlitarum senibus, se in castris exspectare; & si quid interea suboriretur litium, ad Aharonem & Churem disceptatures ire.

15. 16. Interea totum montem Sinaïn nubes operuit, & septimo demum die Mosem è media nube vocavit Deus. 17. Ad summum autem verticem montis, flammæ species materiam accensam absumentis, in media nube, cernebatur. 18. Hanc ingressus cùm esset Moses, altiusque adscendisset, per quadraginta dies & noctes, unà cum Deo illic egit.

P A-

quam Mosis minister, paratus exsequi, si quid juberet.

10. *Viderunt Deum Israëlis*] Hoc est, *gloriam ejus*, ut habet *Onkelos*, è propinquo, quam antea nonnisi procul viderant. Nam nullam ullius rei imaginem viderunt, ut docet ipse Moses Deut. IV, 15. Itaque hæc valde impropria est loquutio, qualibus abundat Hebræorum stylus. Quo factum ut LXX. Intt. ne Ethnicis parum æquis ludibrio esset Moses, verterint, *εἶδον τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ*, *viderunt locum in quo stabat Deus Israël.*

Sub pedibus ejus] Hîc iterum *ἄκυρον*, pro eo quod est, *sub gloria*, vel *sub flamma ex qua vox prodibat.*

Laterculi Sapphirini] לבנת הספיר *libnath hassapphir.* לבנה propriè est later ex luto cocto, sed propter figuræ similitudinem, ad alia etiam transfertur. Intelligitur ergo tabula Sapphirina.

Nitens] לטהר ltoar, *splendore*, aut *nitore.* Confertur cœlo, propter colorem cœruleum, quem in Sapphiro cernere est. Attamen crediderim marmoris speciem fuisse sapphirino colore,

lore ,

XXII. Moses à Deo jubetur, ad tabernaculi structuram, & apparatum spontanea Israëlitarum dona accipere, & formam simul accipit, arcæ, mensæ, & candelabri, quibus instructum esse oportebat tentorium.

CAPUT XXV.

1. ILLIC Mosem alloquutus est Jehova, his verbis: 2. adloquere Israëlitas, & capiant elatum donum *offerendum*; donarium *id* meum à quovis, cujus ita sponte feret animus, accipiant. 3. Atque hæc elata dona sunt quæ ab iis accipietis, aurum, argentum, æs, 4. hyacinthina, purpurea, coccineáque *fila*, byssus, caprini pili, 5. pelles arietum rubræ, pelles hysginæ, sittinum lignum, 6. oleum candelabro, aromata oleo unctionis, & suffimento aromatico, 7. lapides Sohamicos, & lapides qui inseri queant pallio & pectorali. 8. Tum mihi facient Sanctuarium, atque inter eos habitabo. 9. Prout omnia tibi ostendero, cùm in imagine tabernaculi, tum in exemplari omnium ejus vasorum, sic *ea* facietis.

10. Ex lignis sittinis arcam facient, duorum cubitorum & dimidii longitudo ejus, sesquicubiti latitudo, & sesquicubiti *itidem* altitudo *erit*. 11. Eam teges auro puro, intus atque extra; coronidem etiam auream, supra illam, circumquaque facies. 12. Quatuor annulos aureos ei liquefacies, & quatuor angulis addes, geminos ad unum latus, geminos verò ad alterum. 13. Tum vectes è sittinis lignis facies, eósque auro conteges. 14. Eos vectes immittes in annulos, ad latera arcæ, ad arcam illorum

PARAPHRASIS.

1. PER quadraginta eos dies, Mosem docuit Deus, quibus ritibus coli vellet, 2. jussítque ante omnia donaria ab Israelitis accipere, quibus sacra supellex fieri posset. 3. Hæc autem ab Israelitis eum in usum conferri oportere dixit, auri, argenti, & æris metalla; 4. lanam hyacinthinam, purpuream & coccineam; byssum; caprinos villos; 5. pelles arietum rubro & hysgino colore tinctas; Sittinum lignum; 6. oleum; aromata; 7. lapillos variorum generum, qui palis aureis insererentur. 8. Hac materiâ sacram supellectilem, vestes sacerdotales, & Sanctuarium confici jussit, ut in Sanctuario, ut mox dicturus erat, instructo atque ornato, veluti præsens sacra ritè facientibus Sacerdotibus adesset. 9. Ne autem aberraret Moses, se illi exemplar Sanctuarii, tum ejus omnium supellectilium in nube ostensurum, quod postea exprimendum curaret.

10. Hæc autem sic describere orsus est Deus. Arca fiet ligno Sittino, duos cubitos & dimidium longa, sesquicubitum alta & lata. 11. Ea deinde lignea arca auro intus & extra obducetur, ut nulla ligni pars cernatur; & limbus quidem superior coronide aureâ cingetur. 12. Ad singulos angulos, ad utrumque latus juxta longitudinem, erunt annuli aurei, 13. 14. ut excipiant duos vectes sittinos

lore, nisi Deus inusitatæ magnitudinis Sapphiros fecerit, eam in rem.

11. *Neque tamen* &c.] Vide not. ad Gen. Cap. XVI, 13.

Comederunt & biberunt] Tantùm abest ut mortui sint, ut contrà convivium hilares celebrarint.

12. *Præcepta quæ ad eorum institutionem.*] *Præceptum quod scripsi ad eos instituendos.*

13. *Jehosua*] Hinc antea omissum intelligimus. Vide not. ad Gen. Cap. XX, 16.

14. *Hic*] Hoc est, circa montem, ubi castra posuerant. Pro eo quod vertimus *exspectate nos*, est שבו לנו schbou lanou, *sedete nobis*.

Abaronem & Churem] De hoc vide Cap. XVII, 10. Ad hos causæ majores referri poterant, ut antea ad Mosem.

Si quis litem babeat] מי בעל דברים mi bahal dbarim, *quis dominus verborum*? Sæpe דבר dabar *causam*, aut *litem* sonat, ut vidimus Cap. XVIII, 26. *Dominus* autem *litis*, pro *litigante*, est notus Hebraïsmus.

15. *Adscendit in montem*] Hoc est, in summum jugum, ad quod aliis accedere non licebat.

17. *Ignis materiam absumentis*] אש אוכלת esch ocheleth, hoc est, flammæ instar, ut Cap. III, 2.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXV.

1. HIs verbis] *Dicendo.*

2. *Elatum donum*] תרומה throumah, hoc est, ut nonnulli putant, donum quod adtollendo offertur, à radice רום roum altus fuit, in Hiphil הרים herim, sustulit, abstulit. Alii aliter exponunt, ut suo loco dicemus. Ea vox adhibetur, ubi sermo est de iis que bajulantur, non de victimis, quæ aguntur, aut ducuntur ad altare. Cùm discrimen aliter exprimere non possemus, *elatum domum* aut *donarium* vertimus. Vide ad Cap. XXIX, 24, 27.

Cujus ita sponte feret animus] אשר ידבנו לבו *quem sponte eum movebit cor ejus.*

3. *Elata dona*] תרומה throuma in singulari, quod hîc non ferebat Lingua Latina.

4. *Hyacinthina*]. Nempe, ut sequitur, *fila*, seu lanam hyacinthino colore tinctam, quâ postea texebantur vestes. Vide Cap. XXXV, 25. Heb. est תכלת thcbleth. Ubique LXX. Intt. verterunt ὑάκινθον, aut ὑακίνθινον (excepto uno loco Num. IV, 7.) qua in re sequuti eos sunt omnes Veteres, *Aquila*, *Theodotion*, *Symmachus*,

rum ope bajulandam. 15. Erunt autem *ſemper* in annulis arcæ, nec ab ea *umquam* amovebuntur. 16. In hac verò arca teſtimonium, quod tibi dabo, pones.

17. Facies deinde operculum ex auro puro, cujus longitudo duorum cubitorum & dimidii, latitudo ſeſquicubiti erit. 18. Duos etiam Cherubos, eóſque ex auro ductili fa-

nos auro etiam tectos, quibus Sacerdotum humeris impoſitis bajuletur arca. 15. Neque hi vectes, ſemel annulis immiſſi, umquam poſtea ab iis amovebuntur. 16. Hæc autem arca eum in uſum comparata erit, ut in eam Tabulæ Legis abdantur.

17. Ne verò aperta maneat, auro ſolido conflabitur operculum, eâdem longitudine & latitudine.

chus, *Hieronymus* &c. At Numerorum loco ἀλλοτριόφυλον habent, ſed frequentiſſimi uſûs, & aliorum auctoritatis, majorem rationem nobis habendam cenſuimus. Hyacinthinus autem color eſt idem ac cœruleus, ut copioſiſſimè probavit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. V. c. 10. Contrà ſentientes confutavit etiam *Joan. Braunius* de Veſt. Sacerdotum Hebr. Lib. I. c. 13. contenditque non quemvis colorem cœruleum תכלת *thecheleth* dici, ſed obſcuriorem, & ad nigrorem vergentem. Ceterùm תכלת non materiam, ut cenſent viri docti, ſed colorem ſignificat, nam lana hyacinthino colore tingebatur, ut aiunt, ſanguine *Conchylii*, quod Hebræis vocatur חלזון *hhilzon*, de quo *Bochartus* Cap. IX. ejuſdem libri. Facilè tamen inducor ut credam arborum aut herbarum ſuccis, hunc colorem fuiſſe lanæ additum, non ſanguine piſcis ullius; Tyrióſque infectores, ut vulgus fallerent, ex rariſſimis piſcibus ſe colorem eum elicere dictitaſſe. Alioqui notiora ſunt hodie maria, quàm ut piſces illi nos fugerent; neque ſatis magnâ copiâ umquam inventi fuiſſent, ut tot panni iis tingi poſſent. Quod de purpura etiam dictum velim. Præterea animalis nullius ſanguis poteſt ita panum tingere, ut color ille ablui poſtea nequeat; & notum eſt pannorum tincturam conſtare plerumque arborum, herbarúmve ſuccis.

Purpurea] ארגמן *argaman* purpuram eſſe propriè dictam, hoc eſt, rubrum colorem demonſtravit idem *Bochartus*, quem ſequitur *Braunius*, Capitibus quæ à nobis laudata ſequuntur. Sic ante eos, omnes Veteres. Exiſtimant colorem eum natum ex ſanie conchæ, quæ propriè *purpura* dicitur, qua de re copioſè vir ſummus, ut ſolet. Vide & *Claud. Salmaſium* in Solinum, p. 192. & ſeqq. Ed. Ultrajectinæ.

Coccinea] תולעת שני *tholahath ſchani*, hoc eſt, *vermis cocci*. Interdum inverſo ordine legimus שני תולעת ut Levit. XIV, 4. interdum & ſeorſim occurrunt eadem cocci ſignificatione. תולע *vermem* propriè ſonat, atque ita dicitur hic color, ut putant, quòd in Cocco qui frutex eſt, cujus ſemine tingebantur lanæ, innumeri naſcantur vermiculi. Adhibent quidem tinctores hodie muſcam purpuream, ad tingendos pannos, quæ *Cocenilla* vocatur; ſed non ſanguine ejus, verùm toto corpore, quod rubrum eſt, color conſtat. Advehitur ea muſca ex America. שני deducitur à שנה *ſchanah*, *iteravit*, quòd eo colore lana bis tingeretur, unde διπλοῦν à LXX. Intt. vertitur, *bis tinctum* à Vulgato. Deinde hinc factum ut, compendii causâ, alterutra vox dumtaxat adhiberetur. Hæc aliáque plurima *Sam. Bochartus* in Hieroz. Part. 2. Lib. IV. c. 27. Hic color eſt qui *cramoiſi* Gallis dicitur, voce ex Arabica deducta, ut idem oſtendit. Vult vir doctus שני deduci à שנן *ſchanan*, acutus fuit, & *acutum colorem* ſignificari; quòd purpura quidem *bis tincta* dicatur, numquam verò coccineus color δίβαφος. Sed ejuſmodi colore vivido & ſaturo, lana vix tingi potuit, quin iterum colore mergeretur, & tam coccineus color quàm purpureus bis tinctus fuiſſe videtur, quamvis non occurrant fortè loca Veterum, quibus id confirmetur.

Byſſus] שש *ſcheſch*, *byſſum* conſtanter vertunt LXX. Intt. niſi Cant. V, 16. & Eſth. I, 6. ubi lapidem ſignificat. Itaque eos ſequuti ſumus, cùm conſtet etiam Sacerdotum Ægyptiorum veſtes byſſinas fuiſſe. Vide locum *Herodoti* allatum ad Gen. Cap. XXXV, 2. & alium ad ejuſdem libri Cap. XLI, 42. Ceterùm cùm ſuperiora colorem notent quo lana erat infecta, ut vidimus; שש materiam potiſſimùm ſignat, linum, nempe, ſed colore nativo tinctum, aut ablutionibus dealbatum, prout olim fieri ſolebat, & etiamnum hodie factitant. Quemadmodum autem linea fila intelligimus hic, non linum rude, ſic quoque lanam non modò carminatam, ſed & in fila à netricibus ductam intelligendam cenſemus, ut LXX. Intt. qui habent βύσσον κεκλωσμένην.

5. *Pelles etiam rubræ*] עורת אילם מאדמים *boroth elim meoddamim*. Adjectivum quod ad primum ſubſtantivum debuit, ad ſecundum, ſi Grammaticis credimus, mirâ ἀκυρολογίᾳ refertur; niſi עורת terminatione fœmininâ maſculinum ſit, quod videtur propter phraſin ſequentem.

Hyſginæ] תחשים *thahhaſchim*. Sequuti ſumus LXX. Intt. qui habent ὑακίνθινα δέρματα, qui idem color. *Aquila* & *Symmachus*, quos pariter ſequutus Vulg. ἰάνθινα, qui aut idem, aut adfinis eſt. Vide hac de re *Sam. Bochartum* Hieroz. Part. I. Lib. III. c. 30.

Sittinum lignum] Sic vertimus שטים *ſchittim*, quia non ſatis conſtat quæ ſit arbos, imitati Vulgatum Interpretem, alióſque, qui habent *Setim*. Ipſi LXX. Intt. qui ἄσηπτα ligna hîc reddunt, ipſam quoque vocem alibi ſervant. Thalmudici præſtantiſſimam *Cedri* ſpeciem fuiſſe volunt, quod neſcio an verum ſit; certè oportet fuiſſe arborem & proceram, & craſſam, ex qua ſeſquicubitales tabulæ fieri poſſent, ut ſequente Capite docet Moſes. Hæc obſervatio planè jugulat conjecturam *Edm. Caſtelli*, qui poſt Arabem Maurum interpretatur *Acaciam* ſive *ſpinam Arabicam*, ex qua ejuſmodi tabulæ fieri nequeunt, cùm ſit frutex nequaquam procerus, neque ὀρθοφυὴς, ut docet *Dioſcorides* Lib. I. c. 133.

6. *Can-*

facies, ex utraque operculi extremitate. 19. Cherubum unum hinc, Cherubum alterum illinc, ex operculo *exstantes*, ad geminas extremitates facies. 20. Extendent autem Cherubi desuper alas suas, alter ad alterum, iisque & operculum & facies suas tegent. Ad operculum erunt *conversæ* eorum facies. 21. Impones porrò desuper arcæ

dine; 18. 19. cui imponentur duo Cherubi aurei, ab utraque extremitate. 20. Hi alas ad se invicem porrigent, ita ut capite inter eas demisso & ad arcam converso, iis & faciem, & operculum arcæ tegant. 21. Cùm Tabulas Legis in arcam abdidens, ei operculum hoc impones, neque umquam

6. *Candelabro*] מאור *maor* dicitur, quod faces aut candelas sustinet, vel etiam ellychnia. Ideò Vulgatum maluimus sequi, quàm eos qui *Lychnuchum* voce Græcâ vertunt.

Aromatico] הסמים hassammim *aromatum*.

7. *Lapides*] שהם *schoham*, Sohamicos. Vide not. ad Genes. Cap. II, 12.

Qui inseri queant] מלאים *milluim*, insertionum, à radice מלא male *plenus fuit*; quia implebant eæ gemmæ palas, quibus insertæ erant. Vide infrà Cap. XXVIII, 17, 20. LXX Intt. habent εἰς γλυφὴν Vulg. *ad ornandum*, ex conjectura, quòd vim vocis satis non adsequerentur.

Pallio] אפד *ephod*, est à radice אפד *aphad*, quæ exstat Cap. XXIX, 5. & Levit. VIII, 5. ubi *suspendere* vertimus. Ac sanè *Ephod* fuit vestimentum ab humeris suspensum, ut ex ejus descriptione postea liquebit. Adfinis est huic radici vox Arabica פד *phandou*, quæ *onus utrimque pendens* significat, ut Ephod; cujus altera pars à pectore, altera à tergo pendebat. Pallium vertimus, quia 1. pallii ritu omnibus vestibus superinjiciebatur: 2 pallii, saltem Punici & orientalis instar, quadrangulum fuit; idque optimè describas verbis *Tertulliani* quibus pingit pallium, quo olim utebantur Carthaginienses, *& in proximo soror civitas* (Utica) *& sicubi alibi in Africa Tyros*, Initio Libri de Pallio: *pallium*, inquit, *extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab utroque laterum regestus, & cervicibus circumstrictus, in fibulæ morsu humeris adquiescebat.* Hoc ipsum vestis genus intelligitur Deut. XV, 12. ubi jubentur Israëlitæ *funiculos sibi facere ad quatuor angulos vestimenti*, ubi vide notata: 3. ex humeris erat fibulis suspensum Ephod, unde fortè factum, ut ἐπωμὶς diceretur à LXX. Intt. Meliùs ἐφεστρίδα dixissent, cùm omnibus aliis vestibus imponeretur; quâ voce utitur *Theodoretus*, Quæst. LX. in Exodum. Alii *pallium* vertunt מעיל *mehil*, quæ superior est tunica, non pallium, ut postea liquebit.

Pectorali] חשן *hhoschen*. Plerumque λόγιον vertunt LXX. Intt. nescio quare hic ποδήρη. Commodissimè περιστήθιον, ut res ipsa ostendit, Exod. XXVIII, 4. Arabibus, teste *Giggejo*, חשן hhauschanon, *pectus*, *loricam*, & *anteriorem* quidem hujus *partem* significat. Apud eosdem חשן *hhaschana* sonat *asper*, *asperis vestimentis adsuetus fuit*, quod non malè pectorali gemmis aspero convenit.

8. *Sanctuarium*] מקדש *mikdasch*. Ita vocantur templa Numini consecrata, quæ primùm ab Ægyptiis condita sunt, si *Herodoto* & Scriptori libelli *de Dea Syria* credimus. Hic intelligitur Tabernaculum, quod Deo, ad Salomonem usque, templi instar fuit. Hac de re copiosè egit *Joan. Spencerus* de Leg. Mos. Rit. Lib. III. Diss. 6.

Inter eos habitabo] Hoc est, singulari ratione Tabernaculo adesse me significabo; ut id *domus mea* dici possit, si quis locus eo vocabulo ornari potest. Hac in re, Deus se se Israëlitarum ingenio adcommodasse videtur, qui Ægyptiis ritibus adsueti sine Deo se vivere existimassent; nisi locum habuissent, cui præsentiorem esse Deum credidissent. Alioqui Deus immensus, & *quem cœli cœlorum non capiunt*, ubique præsens, ubique coli potest æquè sanctè. *Theodoretus* Quæst. XX. in Exodum: ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῷ Σινᾷ ὄρει τὸν νόμον ἐδεδώκει, εἰκὸς δ' ἦν τινας ὑποτοπῆσαι περιγεγράφθαι τὸ θεῖον, ἐκέλευσε γενέσθαι σκηνήν: *quandoquidem in Sina monte legem dederat, erátque verisimile quosdam suspicari Numen circumscribi, jussit fieri Tabernaculum.* Meritò *Zeno Citiensis*, in libro de Republica, quem laudat *Origenes* Lib. I. in Celsum: Ἱερά τε οἰκοδομεῖν οὐδὲν δεήσει, ἱερὸν γὰρ οὐδὲν χρὴ νομίζειν, οὐδὲ πολλοῦ ἄξιον, καὶ ἅγιον, οἰκοδόμων τε ἔργον καὶ βαναύσων: *templa ædificare nihil opus erit, nihil enim sacrum existimandum, aut pretio dignum, aut sanctum, quod fabrorum & opificum opus est.* *Cicero* quidem de Legg. Lib. II. c. 11. negat se *sequi Magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Græciæ dicitur, quòd parietibus includerent Deos; quibus deberent esse omnia patentia, ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset & domus*, quæ Numinis notio sine dubio ejus naturæ convenientior fuit. Sed si quæras quare hoc non placuerit singularis ingenii viro, responsum accipies, quod & causam Sanctuarii inter Hebræos habendi Deo, se hominibus adtemperanti, videtur præbuisse. *Græci, atque nostri*, inquit, *ut augerent pietatem in Deos, easdem illos, quas nos*, INCOLERE *urbes voluerunt. Adfert enim hæc opinio Religionem utilem civitatibus, si quidem & illud bene dictum est à Pythagora, doctissimo viro*, tum maximè & pietatem & religionem versari in animis, cùm rebus divinis operam daremus; *& quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit*, homines existimare oportere, omnia quæ cernerentur Deorum esse plena; *fore enim omnes castiores, veluti qui in fanis essent maximè religiosis, est enim quadam opinione species Deorum in oculis, non solùm in mentibus.*

10. *Arcam facient*] Cujus usus postea declaratur, cùm dicuntur in ea repositæ fuisse Tabulæ Fœderis, digito Angelico insculptæ, quod sanctissimum fuit Religionis Hebræorum monumentum. Ægyptii etiam solebant res sanctissimas, in Sacris suis, cistis abscondere; eosque imitati sunt alii Idololatræ, ut prolixè ostendit *Joan. Spencerus* de Mos. Leg. Lib. III. Diss. V. Erat apud Ægyptios arca Osiridi sacra, de qua *Plutarchus*: de Iside & Osiride p 366. Τὴν ἱερὰν κίστην οἱ στολισταὶ καὶ οἱ ἱερεῖς ἐκφέρουσιν ἔχουσαν κιβώ-

cæ operculum, simúlque in arcam immittes testimonium quod tibi dabo. 22. Ex condicto tibi illic præsto ero, tecúmque ex *spatio quod erit* supra operculum, inter duos Cherubos arcæ testimonii impositos, loquar, omniáque mandata quæ tibi ad Israëlitas dabo *proferam*.

23. Fa-

quam amovebis. 22. Quandocumque autem me consulto opus erit, ex spatio inter Cheruborum alas relicto vox mea audietur, quà & quæsitis respondebo, & mandata tibi ad populum Hebræum dabo.

23. Fiet præterea mensa ex Sittino ligno, duos cubi-

κιβώτιον, εἰς ὃ ποτίμου λαβόντες ὕδατος ἐγχέουσι: *Sacram cistam*, inquit, *Stolistæ & Sacerdotes proferant continentem arculam, in quam sumtam aquam potabilem infundunt.* Similiter *Apulejus*, in descriptione Pompæ Isidis, Lib. Met. XI. *Ferebatur*, inquit, *ab alio cista, secretorum capax, penitus celans operta magnifica.* Si *Plutarcho* credimus, cista hæc erat veluti sepulcrum Osiridis, de quo multa in eodem libro. Sed quacumque de causa instituta fuisset, inter res sanctissimas habebatur. Nunc quæritur utrum Hebræorum simiæ fuerint Ægyptii, hoc in negotio; an verò Deus se se Israëlitis, ei rei jam in Ægypto adsuetis, adcommodarit? Posterius credidit *Chrysostomus*, quem ex homilia VI. in Matth. laudavit vir eruditus de *Leg. Mos. Rit.* Lib. III. Cap. I. Sect. 2. Similiter *Maimonides* Doct. Dub. Lib. III. c. 45. *Constat homines illos* (Idololatras) *templa exstruxisse stellis, atque in iis collocasse imaginem ad quam colendam unanimiter consenserant; imaginem, nempe, stellæ vel alicui Deo consecratam. Hinc jussi sumus & nos templum ædificare Deo benedicto, atque in eo collocare arcam.* Prius multi maluere, nulla alia de causa, quàm quia amplum & magnificum videbatur populo Hebræo neminem imitari, exemplo esse aliis. Sed profectò, ut hoc solum adtingam, nisi Deus, συγκαταβάσει singulari, Legem aptasset indoli Hebræorum, hoc est, opinionibus & consuetudinibus inter eos dudum receptis, non aliam tulisset quàm quæ postea à Christo lata est; omisisque *infirmis* illis *elementis*, ad perfectiora omnia Hebræorum animos erexisset. Deus, qui *idem est hodie atque heri*, eodem modo coli illo tempore se voluisset, ac postea jussit. Verùm cùm in plurimis descenderit ad abjectos & humiles Israëlitarum animos, propter eorum σκληροκαρδίαν; in hac quoque re, receptis ritibus eos uti passus est, ut in ceteris omnibus, in quibus nulla naturalis honestas, nihil spirituali Numine dignum, nihil mortalibus per se utile deprehenditur. De hujusmodi legibus dicere possumus, quod *Plutarchus* de Axonibus Solonis pronunciavit: ἃ μὲν ἄριστον ἦν οὐκ ἐπήγαγε θεραπείαν, οὐδὲ καινοτομίαν, φοβηθεὶς μὴ συγχέας παντάπασι καὶ ταράξας τὴν πόλιν ἀσθενέστερος γένηται τοῦ καταστῆσαι πάλιν καὶ συναρμόσασθαι πρὸς τὸ ἄριστον. ἃ δὲ καὶ λέγων ἤλπιζε πειθομένοις, καὶ προσάγων ἀνάγκην ὑπομένουσι χρήσασθαι, ταῦτ᾽ ἔπραττεν (ὥς φησιν αὐτὸς) βίαν τε καὶ δίκην συναρμόσας: *quæ res bene habebat, neque medicinam, neque innovationem ullam adtulit, veritus ne, si Rempublicam undequaque miscuisset, infirmior esset quàm ut posset iterum constituere, & prout optimum erat ordinare. At quæ dicendo sperabat se à persuasis, & vim admovendo à serentibus impetraturum, hæc fecit, ut ipse dicit, vim & justitiam simul temperans.* Ὅθεν ὕστερον ἐρωτηθεὶς εἰ τοὺς ἀρίστους Ἀθηναίοις νόμους ἔγραψεν; Ὧν ἂν (ἔφη) προσεδέξαντο τοὺς ἀρίστους: *Quare rogatus post, an optimas leges Atheniensibus scripsisset? Optimas, inquit, earum quas accepturi erant.* Nam potuisset quidem Deus omnia mutare, & Israëlitarum animos aliter instituere, sed noluit, ut res ipsa & Scriptura clamant; ideóque *nec leges eis bonas* dedit, ut docet Ezekiel Cap. XX, 25. & πρὸς σκληροκαρδίαν αὐτῶν ea concessit, quæ alioqui negasset, ut docet Christus Matth. XIX, 8.

Cubitorum] De magnitudine cubiti Hebraïci, vide dicta ad Gen. C. VI, 15. unde liquebit hæc omnia ampliora fuisse, quàm vulgò creduntur.

11. *Intus atque extra*] מבית *è domo & extrinsecus*, additur iterum, more Hebraïco, *teges eam.*

12. *Ad alteram*] *Ad latus ejus secundum.*

16. *Testimonium*] עדות *hedoath.* Legerunt *hedoth* numero plurali LXX. Intt. qui habent τὰ μαρτύρια, *testimonia.* Tabulas lapideas, quibus Decalogus inscriptus erat, significari sequentia manifestò ostendunt. Atque hinc factum ut Arca postea vocaretur ארון עדות aron hedouth, *arca testimonii* Cap. XXXI, 18. & ipsum Tabernaculum *Tabernaculum testimonii*, Capite XXXVIII, 21. Num. I, 50. Apud Hebræos *testari* העיר sæpe nihil aliud est quàm commonefacere, indicare, ut Ps. L, 7. *Audi, popule mi, & eloquar, aures præbe, ô Israël, & contestator te* &c. Hinc *testimonium* עדות *hedoath*, est institutio, monitum, præceptum, ut Ps. CXIX, 2. & sæpiùs in eodem Psalmo. Igitur *testimonium* dicitur καθ᾽ ἐξοχὴν Decalogus, qui potissima Dei complectitur præcepta.

17. *Operculum*] כפרת *chappboreth.* Verterunt LXX. Intt. ἱλαστήριον ἐπίθεμα *propitiatorium operculum*, sed secundam vocem plerumque omittunt. Volunt nonnulli ita dictum, quòd in eo Deus propitius adpareret; verùm hoc nusquam in Scriptura docemur; nec tota arca minùs dici deberet *propitiatorium*, quàm operculum, si ea esset nominis causa. Cùm verò radix כפר sit πολύσημος, si quæ alia, & inter significata quæ apud Arabas obtinet, *tegere*, *operire* sonet; simpliciter *operculum* maluimus vertere. Quin etiam *bitumen* non alia de causa כפר *chopher* videtur, apud Hebræos, dictum, quàm quia ligna eo tegerentur.

18. *Cherubos*] כרובים *chroubim.* De *Cherubis*, aut *Cherubinis* copiosissimè egit *Joan. Spencerus* de Leg. Mos. Rit. Lib. III. Diss. 5. Cap. III. & seqq. ubi omnes hac de re sententias exposuit, & confutavit quæ absimiles vero visa sunt. Nos quidem quæcumque habet vir doctissimus nequaquam probamus, ut postea liquebit. Lectorem tamen, minuendi nostri laboris causâ, ad eum amandabimus, ut quid alii senserint

23. Facies præterea ex lignis sittinis mensam, cujus longitudo duorum cubitorum, latitudo cubiti unius, altitudo cubiti & semissis erit. 24. Tum eam auro puro teges, coronidémque auream ei circumquaque facies. 25. Addes ei limbum palmarem, quo circa claudatur, eique limbo coronidem auream circumpones. 26. Facies præterea ei an-

cubitos longa, unum lata, & sesquicubitum alta. 24. Ligno aurum obducetur, atque ex ipso auro coronis circumquaque, ad superiorem mensæ oram, addetur. 25. Infrà verò erit palmaris limbus aureus, coronide itidem aurea ornatus. 26. Singulis mensæ pedibus insigentur utrimque, juxta longitudinem, an-

rint cognoscat. In tam difficili argumento quid opinemur, omissâ aliorum confutatione, exponemus. Primùm, de propria significatione vocis; secundò, de forma ejus rei quæ dicitur כרוב *chroub*; tertiò, de ejus origine; quartò, de institutionis hujus ratione agemus.

I. VIDETUR ea vox propriè *valentem* & *robustum* significare. Certè apud Syros כרובא *chroubo* id significat, & כרובותא *chroubotho*, potentiam, vires. Sic & Ezek. XXVIII, vers. 14. כרוב *chroub*, potentem manifestò sonat, ubi Deus ita, Regem Tyri alloquitur: *Tu* כרוב chroub, *ex quo unctus es — perfectus es in viis tuis, ex die quo creatus es.* Quibus verbis significat Tyriorum reges, ex quo Tyrus condita fuit, præpotentes fuisse. Deinde, per translationem, eadem vox *validum juvencum* aut *taurum* signavit: ut adparet ex collatione duorum Ezekielis locorum, quorum alter sic habet Cap. I, 10. *Species eorum facierum, facies hominis & facies leonis, ad dextram quatuor illis; ad sinistram verò facies bovis* (פני שור) *& facies aquilæ, quatuor illis.* Alter verò ita sonat Cap. X, 14. *Quatuor facies singulis, facies unius lateris facies Cherubi* (פני כרוב) *facies secundi facies hominis, tertii facies leonis, quarti facies aquilæ.* Manifestum est שור & כרוב unum idémque esse, in duabus hisce eorumdem animalium descriptionibus. In priore, incipit Propheta à parte dextra, & in sinistram desinit; in posteriore, faciem unam sinistræ adtingit, deinde ad dextræ geminas transit, atque ad alteram sinistræ redit. Utrobique prima facies sinistræ eadem est, nempe, *juvencus*, aut *taurus.* Similiter אביר *abbir*, quod *validum* etiam sonat; postea, eadem de causa, *taurum* significavit. Vid. Ps. XXII, 13. L, 13. LXVIII, 31. Esai. XXXIV, 7. Hinc & apud Poëtas *fortes & validi*, perpetuis ferè epithetis, dicuntur tauri & juvenci. Fortè etiam & כרוב & אביר significant tauros, quales describuntur ab *Hesiodo* in Oper. & *diebus* vers. 436.

——— βῶς δ' ἐνναετήρω
Ἄρσενε κεκτῆσθαι (τῶν γὰρ σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν)
Ἥβης μέτρον ἔχοντε. τὼ ἐργάζεσθαι ἀρίστω.

Boves duos novennes masculos emere oportet, horum enim robur non imbecillum est, cùm juventutis justam ætatem habent. Hi ad laborandum optimi. Ex eadem significatione, aliâ translatione, Angeli dicuntur כרובים & אבירים, propter similem rationem. Angeli Gen. III, vers. 24. vocantur כרובים *chroubim*, & apud Ezekielem non semel; אבירים *abbirim* verò Ps. LXVIII, 25.

II. FORMA eorum quæ hîc à Mose *Chroubim* dicuntur investiganda est, quæ opificibus, quibus usus est, notissima erat; quippe quam nusquam, ut nova instituta, describit.

Cùm voce כרוב *juvencus* significetur, existimarunt nonnulli vitulinam dumtaxat iis fuisse formam. Verùm ex solo nomine nihil colligi posse ostendit Ezekiel Propheta, qui ita vocat animalia πολύμορφα, quæ ei in visione oblata sunt. Vide Ezek. X, 1, 15, 20. & confer cum Cap. I, 5, 6. & seqq. Ita idem etiam vocat viri speciem, aut Angelum formâ humanâ apparentem Cap. X, 7. & alibi. Potest ejusmodi animal, quale diximus, vocari כרוב aut propter vitulinam formam, quæ potissima ejus pars fuerit; aut quòd ita vocarentur Angeli, quorum hæc symbolica esset figura, quod magis placet.

Sed quid opus est verbis? suos Cherubos describit Ezekiel sat perspicuè, nec ulla causa est cur Mosaicos diversos fuisse quisquam statuat, ut prolixè ostendit *Joan. Spencerus.* Itaque Ezekielem, quasi Mosis interpretem, hoc in negotio, audire possumus. Cùm esset inter captivos Judæos, ad fluvium Chebarem, vidit *speciem quatuor animalium*, quæ sic describit Cap. I, 6. & seqq. *Quatuor anteriores partes* (פנים *phanim*, i. propriè *facies*) *& quatuor alæ singulis erant. Pedes eorum erant instar pedis recti* (hoc est, tibia erat instar tibiæ humanæ, quæ recta est) *sed planta pedum erat instar plantæ pedis vituli, scintillabant autem haud aliter ac æris politi superficies. Manus humanæ sub alis eorum, ad quatuor latera, prodibant. Alæ eorum erant invicem junctæ; nec circumagebantur animalia cùm incederent, unumquodque è regione faciei suæ progrediebatur. Species anteriorum partium hæ erant, anterior pars hominis & leonis à dextra erat quaternis, & à sinistra anterior pars bovis & aquilæ. Anteriores eorum partes & alæ superiùs erant cuique sejunctæ; duæ verò erant conjunctæ*, (inferius) *& duæ eorum corpora tegebant.* Capite verò X. similia animalia vocat *Chroubim*, & vers. 15. subdit: *hoc erat animal, quod ad fluvium Chebarem videram*, & vers. 20. *Hoc erat animal quod videram sub Deo Israëlis, ad fluvium Chebarem, & rescivi Cherubum esse*; nimirum, narratâ visione Sacerdoti cuipiam, cui Cheruborum nota forma erat, aut etiam re ad animum adtentiùs revocatâ. Observandum quoque dici Cherubos fuisse *sub Deo Israëlis*, qui similiter describitur à Scriptoribus Sacris, Arcæ operculum Cherubis ornatum respicientibus, *Deus insidens Cherubis* 1. Sam. IV, 4. 2 Reg. XIX, 15. Unde etiam colligere est Cherubos Mosis & Ezekielis similes fuisse.

III. AD originem Cherubrorum quod adtinet, postquàm diximus Arcam videri Ægyptiacis ritibus originem debere, non dubitabimus indidem ortum Cheruborum, qui pars Arcæ fuerunt, cum viro doctissimo, repetere. Ac sanè moris Ægyptiaci πολύμορφα animalia, in sacris, pingere. *Tacitus* Hist. Lib. V. c. 5. *Ægyptii pleraque animalia* EFFIGIESQUE COM-

annulos aureos quatuor, eósque ad quatuor angulos quatuor ejus pedum adpones.
27. E regione limbi erunt annuli, quibus excipiantur vectes ad mensam bajulandam.
28. Eos vectes ex sittinis lignis facies, atque auro obduces, ut eorum ope bajuletur
mensa. 29. Facies etiam ejus scutellas, lances, pateras, & cyathos quibus libabitur;
hæc ex auro puro conflabis. 30. Tum mensæ impones panem faciei *meæ adpositum*, sem-
per ante faciem meam futurum.

31. Item

annuli aurei, 27. è regione limbi quem dixi, quibus immittantur vectes duo, quos imponent humeris Sacerdotes, quando mensam bajulare necesse erit. 28. Hi vectes ex Sittinis lignis fient, auróque ut arcæ vectes obducentur. 29. Conflabuntur etiam ex auro mensæ supellectilia, lances, pateræ & cyathi

COMPOSITAS *venerantur: Judæi mente solâ, unúmque Numen intelligunt.* Sic describitur à *Macrobio* Serapidi conjuncta statua: *Simulacro signum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio eodemque maximo capite* LEONIS *effigiem. Dexterâ parte caput canis exoritur, mansuetâ specie blandientis; pars verò læva cervicis rapacis lupæ capite finitur, easque formas animalium draco connectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dexteram, quâ conspicitur monstrum. Porphyrius* de Absti. Lib. IV. §. 9. Εἰς θεοποιΐαν παρέλαβον πᾶν ζῶον, καὶ ὁμοίως ποτὲ ἀνέμιξαν θηρίων καὶ ἀνθρώπων, καὶ πάλιν ὀρνέων σώματα καὶ ἀνθρώπων. εἰπλάσθη δὲ παρ' αὐτοῖς τις (θεὸς) μέχρι τραχήλου ἀνθρωποειδὴς, τὸ δὲ πρόσωπον ὄρνιθος, ἢ λέοντος, ἢ ἄλλου τινὸς ζώου κεκτημένος: *ad Deum conficiendum quodvis animal sumserunt, pariterque interdum miscuerunt ferarum & hominis, & aliàs avium & hominis corpora. Aliquis apud eos fingitur Deus ad collum usque specie humanâ, faciem vero habens avis, aut leonis, aut alius alicujus animalis.* Alia testimonia habet *Joan. Spencerus.* Lib. III. Dissert. V. Cap. IV. Sect. 4.

IV. SI quæratur institutionis ratio, nihil simplicius responderi posse videtur, quàm hoc fuisse merum ornamentum operculi Arcæ, qualia fuerunt plura quæ hîc memorantur, aut in Templo Salomonis conspecta sunt. Quis mysterium quæsierit in bobus, quibus æneum labrum impositum erat, aut in figura columnarum ænearum, nisi qui ingeniosè nugari voluerit? Quis in campanis & malis Punicis, quibus Pontificis Maximi tunica ornata erat, aut in candelabri figura mysticas significationes investigarit, qui acumine suo abuti nolit? Similiter, in ornamento operculi Arcæ, nullum quærendum censuerim arcanum. Ita Arcæ pretiosiores & Sacræ in Ægypto ornari solebant: ita & ornari suam, sine alia ratione, jussit Deus.

Scio nihil esse sollemnius iis, qui Ægyptiacas antiquitates illustrarunt, quàm ut Ægyptiis, ab antiquissimis temporibus, symbolicam nescio quam Philosophiam tribuant; ex cujus præceptis, omnia figuris animalium adumbrarent. Nec dubito quin, postremis temporibus, ita solerent; sed, ut verum profitear, fraudes has fuisse vanorum hominum vehementissimè suspicor, nec puto ab initio ita obtinuisse, quo omnia simpliciora esse solent. Ac sanè si quis librum *Plutarchi* de Iside & Osiride, qui hujusmodi mysteriis scatet, aut libellum *Horapollinis*, quem *Hieroglyphica* inscripsit, legerit, animadvertet plerumque acutissimos viros in figuris illis veteribus ea vidisse latere, quæ ancillis, & servulis notissima erant; adeò ut res notissimas obscurissimis symbolis docuerint Ægyptiorum prisci sapientes, quod non puto.

Verùm, missis quæ hujus loci non sunt, profectò Mosi non erat regendus traditus tam ingeniosus populus, ut posset, sine præmonitore intelligere arcanas Cheruborum significationes, nec tamen usquam, in tota Lege, secretum hoc exponitur. Nemo autem, opinor, dixerit mysteria quidem voluisse Deum exprimere, hieroglyphico more, sed ita ut à nemine intelligerentur; quæ enim omnibus ignota sunt, nemini prosunt, & perinde habentur ac si non essent. Itaque nuda hæc, & sine sensu ornamenta fuisse, pace eruditissimorum virorum, crediderim.

Sunt qui velint Numen ipsum ænigmaticè Cherubis effictum; sed parum memores sunt sanctissimi omnium Mosaïcarum legum capitis, Deum nulli rei corporeæ similem, nullo corporeo simulacro effingi oportere. Sibi certè non satis constaret Deus, si dum severissimè sui imagines fieri vetat, exemplo suo lege à se latæ obrogaret; & Israëlitarum, ad statuarum cultum pronorum, superstitioni ingentem fenestram aperuisset.

Alii Angelorum fuisse symbolicas figuras volunt *Cherubos*, propter nominis communionem, quod multò verisimilius est; quia inter Angelos Deus habitare censetur, ut interdum Cherubis insidebat. Angeli, inquiunt, hominibus benevolunt, quod humani corporis anteriore parte significatur; celerrimi sunt in exsequendis Dei imperiis, quod partes & alæ aquilinæ innuunt; ejus vindictam in homines, leonum instar, exercent; constantes, patientes laboris & assidui sunt, in sibi demandatis ministeriis, haud aliter ac boves in agricultura. Crederem hæc Mosem spectasse, sicubi vel verbulo aliquo significasset; sed, eo tacente, nulla quæram arcana, de quibus ne somniando quidem minùs acuti Hebræi videntur cogitasse. Qui ingenium in ejusmodi inquisitionibus torquent, sibi placeant per me licet; sed meras hariolationes, quæ quàm variæ esse possint nemo non videt, pro Mosaïcæ sapientiæ decretis mihi obtrudi numquam patiar. Solum nomen *Cheruborum*, quod Angelis tribuitur hîc urgeri possit, ad quod accedit quod Deus satellitio Angelorum cinctus describatur; sed conjecturis, ad cetera quod adtinet, indulgere perinde est ac aërem verberare.

Ex auro ductili] זהב מקשה *zahab mikscha.* LXX Intt. χρυσοτόρευτα & Vulg. *productiles.* Sic & Onkelos נגיד *ductili*, hoc est, malleo ducto. Alii volunt opus solidum & continuum, ex unica aurea massa significari. Utrumque conjun-

31. Item facies candelabrum, ex auro puro; ductile fiet id candelabrum. Scapus ejus, calami, calices, globuli, & flores ex eo *ipso auro* erunt. 32. Sex calami ex ejus lateribus prodibunt, & tres quidem candelabri calami ex uno latere, tres verò ex altero. 33. Tres *erunt* calices in amygdalæ figuram facti, in uno calamo, globulúsque & flos; tres item calices in amygdalæ formam facti, in calamo altero, globulúsque & flos; *ac* similiter in sex calamis ex candelabro prodeuntibus.

thi quibus libationes fiant. 30. Huic mensæ imponentur panes, quos perpetuò mihi veluti adponi oportere postea docebo.

31. Candelabrum etiam integrum conflabitur auro solido, & malleo elaborato. 32. Tres aurei rami utrimque, ex candelabri scapo, prodibunt 33. In singulis ramis terni erunt calices in amygdalæ figuram conflati, quibus singulis calicibus globuli & flores

jungi potest, nam massâ justæ magnitudinis liquefactâ, scalpro & malleo opus erat, ut expoliretur & in figuram aptiorem fingeretur; nec videntur hæc aliter facta fuisse.

16. *Cherubum* &c.] *Fac Cherubum — facietis Cherubos ad geminas extremitates ejus.* Verbum & nomen repetendum non duximus.

20. *Alas suas*] Vel hinc liquet כרוב non significare hic simpliciter vitulum, sed animal naturæ mistæ. Vide dicta ad vers. 18.

Alter ad alterum] *Tegentes alis suis super operculo, & facies eorum cujusque ad fratrem suum, ad propitiatorium erunt facies Cheruborum.*

21. *Testimonium*] Vide not. ad vers. 16.

23. *Mensam*] Hujus mensæ usus describitur infrà vers. 30. nempe, ut in ea panes sacri Deo veluti adponerentur. Hoc quoque fuit moris Gentilium, in quorum templis mensæ erant sacræ, quibus imponebantur cibi, quos Numinibus consecratos auferebant Sacerdotes. Testis est Esaïas Cap. LXV, 11. ubi Deus ita Judæos adloquitur: *vos reliquitis Jehovam, montis sanctitatis meæ obliti, instruitis mensam Gadæ, & impletis Meni libamen.* Ad quem locum *Hieronymus*: *Est*, inquit, *in cunctis urbibus & maximè in Ægypto, & in Alexandria, Idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni & mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis, & poculum mulso mistum; vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes* Vide & in additionibus ad Danielem Cap. XIV. historiam mensæ Belo sacræ. Mensæ etiam erant, in Græcorum & Romanorum Fanis; sed, exemplis ex Oriente suppetentibus, ad Occidentem nihil opus est transeamus. Alioqui proferremus hîc exemplum Sacerdotis Æsculapii, quem describit *Aristophanes* Pluti Act. III. S. 2.

Τὰς φθοῖς ἀφαρπάζοντα, καὶ τὰς ἰσχάδας,
Ἀπὸ τῆς τραπέζης τῆς ἱερᾶς:

Rapientem liba, & ficus, ex mensa sacra. Ad quem locum *Scholiastes*: εἰσὶ γὰρ τράπεζαι ἐν τοῖς ἱεροῖς, ἐν αἷς τιθέασι τὰ ἐπιφερόμενα: *sunt enim mensæ in templis, in quibus ponunt illata.* Ipse etiam *Josephus* Antiq. Lib. III. c. 6. ait hanc Mensam fuisse ταῖς Δελφικαῖς παραπλησίαν *Delphicis mensis similem.* Potuit multis in locis fieri, fallaciâ Sacerdotum, ut crederentur Dii oblata comedere, quæ à Sacerdotibus absumebantur; Deus verò omni remotâ fraude, jussit panes sibi offerri, ut eo quoque ritu agnoscerent Hebræi se fruges, quibus vescebantur, Deo debere.

24. *Limbum*] מסגרת *misgereth*, quasi *clausuram*, quæ mensam complecteretur. LXX. Intt. habent στρεπτὸν κυμάτιον *tortile cymatium*, potiùs ex vi vocis. Hieronymus *coronam interrasilem.* Sed hæc talia ii demum descripserint, qui viderint, ceteri in tenebris palpantur.

Palmarem] טפח *tophahh*, quatuor digitorum, ut habet *Hieronymus.* Vide *Ed. Bernardum* de Mens. & Pond. Ant. Lib. III. initio.

27. *Quibus excipiantur*] לבתים *lbathim*, in domus vectibus.

29. *Scutellas*] קערותיו *kebarothau.* LXX. habent θυΐσκας *thuribula*, & ita sumitur Num. XVII, 14. Sed cùm in mensæ usum non essent thuribula, & כף *chaph* quodvis vas concavum significare queat, maluimus *lances* vertere. Vulg. *phialas.*

Pateras] קשותיו *kschothau.* LXX. vertêre σπονδεῖα, hoc est, vasa quibus libabatur, quod constat ex Num. IV, 7. Vulg. *Thuribula.* Volunt Rabbini bacilla fuisse aurea, qualia tria inter gemina liba ponebant, & quæ quidem rotunda non erant, sed instar divisæ cannæ, & concava. Vide *J. Lightfoot.* Descript. Templi C. XIV. Sect. 5.

Cyathos] מנקיותיו *mnakkijothau.* Sic verterunt LXX & Vulg. Intt. ac sanè cyathis, aut pateris libabatur. Deduxerunt ἀπὸ τοῦ היניק henik, *sugendum dare.* Alii à נקה *purgare*, & instrumenta, quibus purgabantur panes, fuisse volunt.

Quibus libabitur] אשר יסך בהן *ascher jussach bahen*, quod vertunt nonnulli, *quibus tegetur*, ut יסך sit pro יסך *jousach*, à סכך *sachach* tegere; quia מנקות non putant fuisse σπονδεῖα, aut cyathos. Nos Veteres, in re ignota, sequimur. De libamentis vide Num. XV, 3, 4, 5.

30. *Panem faciei*] לחם פנים *lehhem phanim*, hoc est, Deo veluti adpositum, qui post Adyti velum adesse credebatur.

31. *Candelabrum*] Videtur hujus quoque ritûs origo apud Ægyptios quærenda, si verum est quod habet *Clemens Alexandrinus* Strom. Lib. I. p. 306. Αἰγύπτιοι λύχνους τε αὖ κατέδειξαν, *Ægyptii lychnos accendere primi ostenderunt*, nimirum, in templis. *Herodotus* Lib. II. c. 62. describit Festum in urbe Saï celebratum, quod voce Ægyptiâ, quam vertit λυχνοκαΐην, vocabatur, quia lucernæ totâ nocte accendebantur. Si rem in se spectemus, potiùs accendere lucernas prohibendi fuere homines, *quoniam*, ut rectè Seneca, *nec lumine Deus eget, & ne homines quidem delectantur fuligine*, Ep. XCV. Sed ea est indoles vulgi, præsertim apud Gentes

tibus. 34. In ipso etiam candelabro, *sint* quatuor calices amygdalæ formam referentes, ejúsque globuli & flores. 35. *Erit* globulus sub duobus calamis ex ipso *candelabro prominens*, paritérque sub geminis aliis, ut sex calamis ex candelabro exeuntibus *additi sint globuli.* 36. Globuli eorum & calami ex illo ipso uno, puro, ductilique auro omnes *erunt conflati.* 37. Facies ei septem lucernas, suasque lucernas accensas habebit, & lucebit utrimque. 38. Emunctoria quoque, & vascula ejus ex puro auro erunt.

39. Talentum autem auri puri illud, cum omnibus ejus vasibus, conficiet. 40. Vide *modò* ut *hæc* facias, ad eorum exemplar, quod tibi in monte ostensum est.

XXIII. Ta-

tes subjicientur. 34. In ipso etiam candelabri scapo quatuor erunt ejusmodi calices, cum globulis & floribus. 35. Sub binis ramis, ex scapo prodeuntibus, erit globulus. 36. Atque hæc omnia ex una purissimi auri massa conflabuntur. 37. Septem autem in candelabro erunt lucernæ, in summo, nimirum, scapo medio, & in summis ramis, utrimque prodeuntibus, ut lux ad utramque partem diffundatur. 38. Emunctoria etiam, aliáque candelabri vasa ex auro puro similiter conflabuntur.

39. Talentum auri, seu tria siclorum aureorum millia in hæc omnia sufficient. 40. Simul Deus imagines harum rerum ostendit, jussitque Mosem eas diligenter inspicere, ut similia illis exemplaribus fieri curaret.

P A-

tes Idololatriæ deditas, ut à se Numen coli satis studiosè non putet, nisi operoso cultu id prosequatur; cui indoli Moses se se adtemperavit. At si eum doctioribus hominibus, quales Christo in terras delapso, plurimi erant, res ei fuisset, nihil aliud docuisset, quàm quod Servator, & Apostoli discipulis suis inculcavere, & quod nihil vetat hîc verbis Senecæ exprimere, *Diis* dumtaxat in *Deum* mutatis. *Primus est Dei cultus Deum credere; deinde reddere illi majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est; scire illum esse qui præsidet mundo, qui universa vi suâ temperat, qui humani generis curam gerit, interdum curiosus singulorum. Hic nec dat malum, nec habet; ceterùm castigat quosdam & coërcet, & irrogat pœnas, & aliquando specie boni punit. Vis Deum propitiare? bonus esto*, SATIS ILLUM COLUIT QUISQUIS IMITATUS EST. Confer cum hisce Heb. XI, 6. Joan. IV, 23. &c.

Scapus ejus] ירכה *jerecha*, hoc est, femur ejus.

Calami] קנה *kanah*, calamus ejus, sed vertimus plurali numero, post LXX. Intt. qui habent καλαμίσκοι, & Vulg. qui *calamos* vertit, quia fuere plures rami candelabri, quod & vers. seq. dicitur.

Calices] גביעיה *gbibeha*, quibus ornatum erat candelabrum.

Globuli & flores] *Mala punica & f.* Ornamenta erant calamorum.

Ex eo ipso auro] ממנה *ex illa*, nempe, lucerna. Vult nimirum, Deus ex eadem auri massa omnia conflari.

32. *Tres verò ex altero*] *Tres calami candelabri, ex latere secundo.*

33. *In Amygdalæ figuram facti*] משקדים *mschukkadim*. LXX. Intt. ἐκτετυπωμένοι καρυΐσκους, & Vulg. *quasi in nucis modum.* At *schaked* שקד *Amygdalam* significare certum est.

34. *In ipso candelabro*] Ex hastili rectà prodeunte.

37. *Utrimque*] על עבר פניה *hal heber phaneha.* LXX. Intt. ἐξ ἑνὸς προσώπου. Vulg. *ex adverso.* Vertimus *utrimque*, quia ad dextram & sinistram erant lucernæ, adeóque *trans faciem* candelabri lucebant; nam facies est pars anterior, quâ septem lucernæ inspicienti, parallelo situ, obversæ erant, cum è latere conspectum unam tantùm lucernam ostentaret, post quam aliæ latebant. Samaritæ legunt hîc: והאירו אל חבר & *lucebunt ad socium*, sed mendum esse videtur pro עבר, nam sæpe in eorum Codice miscentur gutturales.

39. *Talentum auri*] ככר *chicchar* complectebatur tria millia siclorum, hoc est, mille quingentas uncias Romanas; ex calculo *Ed. Bernardi*, 5400 libras sterlingicas, quarum singulæ undecim florenis Hollandicis æquantur. Vide eum de Mens. & Pond. Ant. Lib. II.

C O M-

XXIII. *Tabernaculum à Mose Deo statuendum, omnésque ejus partes describuntur.*

1. TABERNACULUM facies decem aulæorum, è bysso retorta, hyacinthinis, purpureis & coccineis *filis*; Cherubísque, opere polymitario, ea ornabis. Caput XXVI.
2. Longitudo aulæi unius viginti octo cubitorum, latitudo quatuor cubitorum erit, & mensura eadem aulæorum omnium. 3. Quinque *hinc* aulæa *erunt* conjuncta alterum alteri, *illinc* quinque aulæa itidem alterum alteri conjuncta. 4. Oræ primi

PARAPHRASIS.

1. TABERNACULUM deinde Deus, sibi statuendum, ita descripsit. Fient decem aulæa è bysso retorta, hyacinthinaque, purpurea & coccinea lana, quibus Cherubi polymitario opere erunt intertexti. 2. Singula aulæa vicenos octonos cubitos longa, quaternos lata erunt. 3. Hinc atque illinc quina aulæa conjungentur 4. 5. ansulis hyacinthinâ lanâ confectis, & uncinis aureis in ansulas impactis; ac singulis quidem aulæis, ubi inter se committentur, quinquaginta erunt ansulæ aut uncini, qui ansulis immittantur, ut unicum conjuncta videantur aulæum.

6. Fa-

COMMENTARIUS

In Caput XXVI.

1. T*Abernaculum*] Antea obiter iudicavimus Templa ortum, apud Idololatras, habuisse; Tabernaculum autem portatile fuit Templum, qualia etiam inter Idololatras erant hisce temporibus, cujus rei testis est omni exceptione major Hamos Propheta Cap. V, 26. *An sacrificia & oblationem mibi admovistis in deserto, per quadraginta annos, ô domus Israëlis? Inò verò portastis tabernaculum vestri Melech, & Chijoun imagines vestras, stellam Deorum vestrorum quos fecistis vobis.* Quomodocumque enim hæc verba intelligantur, satis ostendunt non inusitata fuisse ejusmodi tabernacula, ut probavit *Joan. Spencerus* de Leg. Mos. Lib III. Cap. 3. Diss. 1. Huc pertinere videntur Pastophoria, & Pastophori Ægyptiorum. Παστὸς enim erat velum variegatum plumario opere, quod thalami, vel oeci foribus prætendebatur. Τὸ περὶ τῇ εὐνῇ παραπέτασμα παστός: *velum quod ad lectum* παστὸς, quæ sunt verba *Pollucis*. Hinc qui ferebant id velum dicti παστοφόροι, de quibus *Apuleius* in decima & undecima Milesia. Ab hisce παστοφόριον vocatum collegium Sacerdotibus ita dictis constans, locus in quo circa Templum habitabant, & ipsum aliquando Templum. *Hesychius:* παστοφόριον, τὸ τῶν παστὸν φερόντων, ἢ οἰκονομία, ἡ συναγωγὴ, ἢ ναὸς εὐκτής. *Pastophorium atrium templi* in veterihus Glossis exponitur. Apud LXX. Intt. sæpe לשכות *lischchoth*, seu conclavia varia Templi παστοφόρια dicuntur. Vide 1 Par. IX, 26, 33. XXIII, 28. XXVIII, 12. &c.

Aulæorum] יריעות *jerihoth*, quibus Tabernaculum tegeretur, ut postea liquebit.

E bysso retorta] שש משזר *schesch moschzar*. LXX. Intt. habent κεκλωσμένης aut νενησμένης. *Retortam* Vulgatus. שזר, apud Chaldæos & Arabas, *torquere* significat. Intelliguntur fila byssina pluribus aliis filis unà contortis constantia, qualibus contexta erat lorica Amasis, de qua *Herodotus* Lib. III. c. 47. cujus verba alibi adtulimus.

Hyacinthinis &c.] Vide not. ad Cap. XXV, vers 4.

Cherubísque] Vide dicta ad Cap. XXV.

Polymitario] חשב *hhoschcb*. Tria opificum genera, à quibus sacræ vestes confectæ sunt, memorat Moses, ארג *oreg*, חשב *hhoschcb* & רקם *rokem*, quorum discrimina, quoniam sæpe eorum mentio fit, breviter indicabimus hoc in loco, ne sint alibi repetenda. I. Igitur ארג *oreg* textorem sonat lini, aut lanæ, & unius quidem coloris, ut colligere est ex C. XXXIX, 22. Ὑφάντου vertunt LXX. Intt. Vulg. *textorem*, & ita reliqui. II. חשב *hhoschcb* verò est polymitarius, qui varietate liciorum intercurrente, in tela ipsa, texturáque quascumque figuras exprimit aut fingit; quæ definitio polymitarii est *Claud. Salmasii*, qui hac de arte multis agit in Notis ad *Vopiscum* p. 511. & seqq. Ed. Paris. De ejusmodi polymitario hîc agi res ipsa ostendit. Ὑφάντου etiam vertunt οἱ LXX. quod generis est nomen, sed Cap. XXVIII, 15. ποικιλτοῦ accuratiùs, sermo enim est de variis vestibus. Opus *plumarium* Hieronymus, quamvis propriè plumarii acu uterentur, hi pectine. III. רקם *rokem* denique est qui figuras acu pingit, hoc est, phrygio; de cujus arte lege quæ habet summus Criticus, memorato loco. Ita dicebatur non qui vestem, ut textor & polymitarius, faciebat; sed qui factam accipiebat, ut variis operibus eam ornaret, & picturis variegaret. LXX. Intt. ποικιλτοῦ & Vulg. *plumarium* vertunt, quia hæ voces & polymitarium & phrygionem significant. LXX. tamen Intt. Capite XXVII, 16. ῥαφιδευτοῦ habent, pro eo quem רקם vocant Hebræi, quod accuratius est Hujusmodi opificii vestem vocant Arabes מרקומן *markaumon*, & in lingua Hispanica, in qua multæ sunt Arabicæ voces, *recamare* est acu pingere ut phrygiones, unde Hispanica Ferrariensium Judæorum versio habet, pro רקם, *recamador*.

Ut ad secundam opificii speciem redeam, vix crediderim חשב dici polymitarium quasi *ingeniosum excogitatorem*, ut multi vocem exponunt, quia חשב hhaschab, *excogitavit* significat; hæc enim ratio ad pleraque artificia elegantiora pertinet; sed à significatione Arabica radicis חשב *hhaschaba*, quâ sonat *miscere*; quia sic λινὰ τῶν ארגים

primi aulæorum addes ansulas hyacinthinas, in extremitate, ipsaque commissura; & sic facies ad oram ulterioris aulæi, in commissura secunda. [5] Quinquaginta ansulas addes oræ aulæi primi, *itidemque* quinquaginta, in extrema cortina, quæ est in commissura secunda, facies, ut ansularum alteri altera opposita è regione sit. [6] Tum facies quinquaginta uncinulos aureos, & aulæa aliis alia, uncinulis *in ansulas immissis*, conjunges, ut sit unicum tabernaculum.

[7] Facies quoque aulæa ex *pilis* caprinis tentorio, *ut* supra tabernaculum *ponantur*, atque undecim aulæa *eam in rem* facies. [8] Longitudo unius aulæi triginta cubitorum, latitudo quatuor cubitorum; mensuráque eadem *erit* undecim aulæorum. [9] Conjunges quinque aulæa seorsim, sextúmque aulæum ex anteriore parte tentorii conduplicabis. [10] Tum addes quinquaginta ansulas oræ ulteriori aulæi primi, in commissura, itémque quinquaginta ansulas oræ aulæi commissuræ secundæ. [11] Facies deinde uncinulos æneos quinquaginta, uncinulósque in ansulas immittes, ac tentorium conjunges, eritque unum. [12] Pars autem reliqua, quæ abundabit in aulæis tentorii, dimidium aulæum abundans, ad posteriora supererit. [13] Cubitus hinc

[7] Facienda præterea erunt alia aulæa cilicina undecim, quæ superioribus superinjiciantur. [8] Singula erunt tricenos cubitos longa, lata quaterna. [9] Quinque ex hisce cilicinis aulæis conjunges seorsim, & sex alia seorsim, ut sextum aulæum ex anteriore parte Tabernaculi revolutum pendeat. [10, 11] Ut autem conjungi possint, eorum oras hinc ansulis quinquaginta, illinc uncinulis æneis totidem instrues. [12] Quod supererit autem in aulæorum latitudine, dimidium, nempe, aulæum, id ad posteriora Tabernaculi pendebit. [13] Longitudini verò aulæorum cubitus supererit ad latera Tabernaculi, ad id integendum, quem ad humum pendere patiemini.

[14] Sed & duo alia integumenta erunt, quorum unum pellibus arietinis rubro colore tinctis, alterum pellibus etiam arietinis, sed hysgino colore imbutis, constabit.

[15] His

ארגים *oregim*, distinguuntur, quòd varia *miscerent* operibus suis fila. Dignum est observatu hac arte Ægyptios inclaruisse, & inventores ejus habitos. *Plinius* Lib. VIII. c. 48. Hist. Nat. *Colores diversos picturæ intexere Babylon maximè celebravit, & nomen imposuit, plurimis verò liciis texere, quæ polymita adpellant, Alexandria instituit.* Rectiùs Ægyptum dixisset, cùm, Alexandriâ nondum conditâ, omnes artes in Ægypto florerent. Similiter *Plautus* in *Pseudolo* Act. I. S. 2. vers. 14.

Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Martialis Lib. XIV. Ep. 150.

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera; victa est
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Titulus est *Cubicularia polymita.* Antequàm nasceretur Alexander, talia elaborabantur in Ægypto, ut liquet ex descriptione Thoracis quem ad Lacedæmonios miserat *Amasis* Rex Ægypti, quem Thoracem dicit *Herodotus* Lib. III. c. 47. ἐόντα μὲν λίνεον καὶ ζῴων ἐνυφασμένων συχνῶν, κεκοσμημένον δὲ χρυσῷ, καὶ εἰρίοισι ἀπὸ ξύλου; *lineum ex xylo, & frequentibus animalibus intertextis, ornatum verò auro, & lanis.*

Ea ornabis] *Facies ea.* Est similis phrasis Gen. VI. 14.

2. *Viginti octo cubitorum*] *Viginti octo in cubito.* Hebraïsmus frequens, hoc est, mensurata cubito, viginti octo habebit.

Quatuor cubitorum erit] Additur, aulæi unius, hoc est, singulorum aulæorum.

3. *Alterum alteri*] אשה אל אחתה *ischah el achothah.* Samaritæ: אחת אל אחת ehhath el ehhath, *unum ad unum.* Sic etiam in sequentibus.

4. *Ulterioris*] קיצונה *kitsonah*, quod propriè extremam significat, sed, ob sequentia verba, secundam hîc designat. ללאת *lulaoth* vertimus cum Vulg. *ansulas* & LXX. Intt. qui habent ἀγκύλας. Nec aliud esse potuit, cùm ansulæ uncinus committeretur, ut postea liquet.

5. *Opposita sit*] מקבילת makbiloth, *excipientes*, hoc est, ut sibi invicem respondeant, parique altitudine sint sitæ. LXX. habent ἀντιπρόσωποι ἀντιπίπτουσαι ἀλλήλαις; sed secundum videtur esse glossema prioris, satis enim erat dixisse ἀντιπρόσωποι.

7. *Tentorio*] לאהל *leohel.* Videtur quidem propriè hæc vox *tentorium* significare, sine tabulis ullis, & aulæis tantùm constans; משכן *mischchan* verò *tabernaculum*, tabulis confectum, sed confunduntur alibi passim. Hîc tamen distingui videntur. Vide & Cap. XL, 19.

12. *Pars reliqua*] הסרח *hasserahh*, superfluitas.

Quæ abundavit] עדף *hodeph.* Hunc facit significatio Arabica hujus radicis quâ sonat *laxare, demittere* velum in faciem. Sermo enim est de superfluitate pendula aulæorum.

14. *Integumentum tentorio*] מכסה לאהל *michseh leohel.* אהל *ohel* hic dicuntur aulæa polymita, & cilicina, quibus pelles geminæ injiciebantur, ne aut sol, aut pluvia, aut pulvis intima illa polymita corrumperet.

Hysgini coloris] תחשים *thahhaschim.* Vide not. ad Cap. XXV, 5.

17. *Cardines*] ידות jadoth, *manus.* LXX. Intt. vertunt ἀγκωνίσκους; *Hieronymus, incastraturas.* Intelliguntur duo veluti dentes divisi in extrema parte ligni, qui duabus basis thecis immitterentur. *Cardines* vocant Latini, quos Gallicè *tenones* dicimus, ut cavum, in quod immittuntur, *mortesiam.* Vide *Vitruvium* Lib. X. c. 20. & *Philandri* adnot. *Ancon* vox est ambigua, nec fortè aptior quàm *incastratura.*

Oppositum] משלבת *mschullaboth*, quasi gradatim dispositæ, si tabula transversim spectetur.

Thal-

hinc atque inde, in eo quod abundabit in longitudine aulæorum tentorii, ad latera tentorii, hinc atque illinc, ad illud tegendum, supererit.

14. Præterea facies integumentum tentorio è pellibus arietinis rubro colore tinctis, & desuper integumentum è pellibus hysgini coloris.

15. Item facies tabernaculo tabulas, è ligno sittino, quæ erectæ stent. 16. Longitudo tabulæ unius decem cubitorum, latitudo verò sesquicubiti erit. 17. Duos cardines uni tabulæ facies, alterum alteri oppositum; & sic omnibus tabulis tabernaculi facies. 18. Tabulas tabernaculo *tot* facies, *ut sint* viginti tabulæ lateris meridiani, ad dextram. 19. Quadraginta quoque bases argenteas facies, sub viginti tabulis *ponendas*, ut sint duæ bases sub singulis tabulis, geminis harum cardinibus *excipiendis comparatæ*. 20. Secundo etiam lateri tabernaculi, ad aquilonem; erunt viginti tabulæ, 21. & quadraginta bases earum argenteæ, *ut* sub singulis tabulis duæ *sint* bases. 22. Extremitati verò tabernaculi occidentali sex facies tabulas. 23. Duas quoque addes angulis tabernaculi, ad ejus extremitatem. 24. Infra erunt gemellæ, supráque pariter gemellæ, ad summam ejus partem, ad annulum unum *commissæ*. Sic utraque, ad utrumque angu-

* 15. His confectis aulæis, tabulæ erunt ex ligno sittino secandæ & expoliendæ, quibus erectis & compaginatis, fiat Tabernaculum. 16. Singulæ erunt denos cubitos longæ, cubitum & semissem latæ. 17. Singulis duo cardines pares subjicientur, qui basibus immittantur. 18. 19. 20. 21. Vicenæ tabulæ fient geminis lateribus, meridiano & septemtrionali; quadragenæ verò ambobus bases argenteæ, quæ tabularum cardinibus subjiciantur. 22. Posticæ verò parti Tabernaculi, ad occidentem, sex erunt tabulæ. 23. Angulis præterea, ut latera cum postica parte committantur, duæ fient & quidem divisæ, ut lateribus & posticæ parti committi queant, sed in ipso angulo annulo conjunctæ, ne dissiliat angulus. 25. Itaque ad posticam partem erunt omnino octo tabulæ, sex integræ, duæ verò ad angulos divisæ. His quoque bases conflabuntur argenteæ sexdecim, quæ singulis cardinibus tabularum singulæ subjicientur.

26. 27. Ad

Thalmudici שליבות *schliboth* scalas vocant. LXX. Intt. habent ἀντιπίπτοντας quod vertimus, cùm cùm nulla commodior vox occurreret.

18. *Ad dextram*] תימנה *themanah*, quod à ימין jamin, *dextram*, & Austrum significat; sed hîc, ubi antecessit נגבה *negbah*, propria significatio retinenda fuit. Vide ad v. 33.

19. *Ut sint duæ bases*] Hæc iterum repetuntur, more Hebraïco, quando de pluribus, in quibus idem observandum, sermo est. Sic & v. 21, 25.

Viginti tabulis] עשרים קרש *viginti tabula*, more Hebraïco. Sine ratione Samaritæ קרשים in plurali.

22. *Extremitati*] לירכתי *lejarchethe*, quod *latera* quidem sonat propriè, ubi de animali sermo est, sed de re inanima usurpatum *fines* sonat, ut Gen. XLIX, 13. Quia ergo *latera* jam verteramus, *extremitatem* hîc transtulimus, cùm præsertim in longa figura, breviora latera extrema ejus dici soleant.

24. *Infra erunt gemellæ*] Hoc est, ut sint loco tigni, cum quo utriusque lateris & extremitatis tabulæ committantur. Itaque eas vult annulo conjungi, ut angulus cohæreat, néve tabulæ dissiliant.

27. *Asseres transversarios*] בריחים *bribbim*, quod venit à ברח *barahh*, quod non est tantùm *fugere*, sed etiam *transversim currere*. Vide v. 28. *Transtra* & *transtilla* interdum ejusmodi asseres à Latinis vocantur. *Asseres* autem vocamus minora tigna quadrata, ne quis fallatur. Nonnulli enim interpretes hos confundunt cum *tabulis*, quia eosdem putant ac Gallicum *aix*, qua in re vehementer falluntur.

29. *Qui excipiant*] בתים bathim, *domos*. Sic Latini dicunt *tignorum & asserum cubilia*, ut liquet ex *Vitruvio* Lib. IV. c. 2.

30. *Exemplar*] משפטו *mischphato*, quod hoc in loco idem est ac תבנית *thabnith*, exemplar, Gallicè *modele*.

31. *Velum hyacinthinum*] Voces hujus commatis exposuimus ad Cap. XXV, 4. & ad hujus Cap. vers. 1.

33. *Sub illis uncinulis*] Adeò ut ex uncis pendeat.

Velum pones] More Ægyptiaco, quem describit *Clemens Alexandrinus* Pædag. Lib. III. c. 2. Locum integrum describemus, ut & atrii, & reliquarum partium primum exemplar fuisse intelligantur Ægyptiaca Templa. Οἷς (Ægyptiis) ναοὶ καὶ προπύλαια παρ' αὐτοῖς καὶ προτεμενίσματα ἐξήσκηται, ἄλση τε καὶ ὀργάδες· κίοσι τε παμπόλλοις ἐστεφάνωνται αἱ αὐλαί· τοῖχοι δὲ ἀποστίλβουσι ξενικοῖς λίθοις καὶ γραφῆς ἐντέχνου, οἷς οὐδὲ ἓν ἐνδεῖ· χρυσῷ δὲ καὶ ἀργύρῳ καὶ ἠλέκτρῳ καταστίλβουσιν οἱ ναοί: *apud quos templa, & propylæa, & vestibula exornata sunt, & luci & nemora sacra; columnis verò plurimis cincta sunt atria; parietes autem lapillis externis, & artificiosa pictura splendent, ita ut nihil in iis desideres. Auro etiam, argento & electro fulgent templa.* Τὰ δὲ ἄδυτα χρυσοπάστοις ἐπισκιάζεται πέπλοις· ἀλλ' ἢν παρεισδύῃς τὸ βάθος τοῦ περιβόλου καὶ σπεύδων ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ κρείττονος, ζητήσῃς δὲ τὸ ἄγαλμα τὸ ἔνοικον τοῦ νεὼ, παστοφόρος δὲ, ἤτις ἄλλος τῶν ἱεροποιούντων περὶ τὸ τέμενος, σεμνὸν δεδορκὼς, παιᾶνα τῇ Αἰγυπτίων ᾄδων γλώσσῃ, ὀλίγον ὑποστείλας τοῦ καταπετάσματος, ὡς δείξων τὸν Θεὸν, πλατὺν ἡμῖν ἐνδίδωσι γέλωτα τοῦ σεβάσματος: *Adyta intextis auro obumbrantur peplis. Sed si penetralia ambitûs subieris, & festinans ad præstantioris spectaculum, simulacrum quod templum insidet quæsieris; Pastophorus, aut alius quispiam eorum qui sacra in templo curant, gravi adspectu intuens, pæana canens Ægyptiâ Linguâ cùm aliquantulum siparii sustulerit, quasi ostensurus Deum, magnam suppeditat occasionem ridendi Numinis.* Igitur in hac etiam re indulsit Deus Israëlitarum ingenio, qui Nu-

gulum, erit. 25. Erunt *in universum* octo tabulæ, basésque earum argenteæ sexdecim, ut singulis tabulis geminæ subjectæ sint bases.

26. Tum facies asseres transversarios, è lignis sittinis, & quinque quidem tabulis primi lateris tabernaculi; 27. quinque item asseres transversarios tabulis lateris secundi tabernaculi, & quinque etiam *tertio* lateri tabernaculi, ad extremitatem occidentem versùs. 28. Asser autem medius, in mediis tabulis, ab extremo in extremum *tabernaculum* transcurret. 29. Tabulas verò hasce auro teges, annulósque earum facies aureos, qui excipiant transversarios asseres, & ipsos etiam transversarios asseres auro obduces. 30. Denique tabernaculum ad exemplar, quod tibi in monte ostensum fuerit, statues.

31. Facies quoque velum hyacinthinum, purpureum, coccineum, éque retorta bysso,

26. 27. Ad hasce tabulas continendss, transversarii adseres fient è ligno sittino, quini singulis lateribus, 28. & medius quidem asser latera longitudine æquabit. 29. Tabulæ autem aureis laminis tectæ erunt, additis annulis aureis, in quos transversarii, quos dixi, asseres, & ipsi auro obducti, immittentur. 30. Hæc dicente Deo, Tabernaculi imago Mosis oculis obversabatur, ad quam exigere id quod facturus erat jubebatur.

31. Præterea ut Sanctuarii Adytum à reliquis partibus sejungeretur, velum quo id fieret ita descripsit Deus. Velum texetur hyacinthinâ, purpureâ, coccineâque lanâ & bysso retortâ, cui polymitario opere Cheruborum intertexentur species. 32. Tum fient columnæ quatuor sittinæ, eæque auro obductæ, & argenteis stylobatis nixæ, in quarum summa

Numen fortè sprevissent, nisi Templum ornatissimum, & Ægyptio more instructum habuisset.

33. *Intra velum arcam*] Eadem ratione disposita fuisse Ægyptiaca Templa, adeò ut sanctissima Adyta respiciens, os occidenti obversum haberet, multis ostendere nititur *Joan. Spencerus* de Leg. Mos. Rit. Lib. III. Diss. VI. c. 2. Ac sanè multa Templa ita fuisse sita dubium non est. Sed ejus rei duplex potuit esse causa. Prior petita est ex eo quod de mundi partibus existimabant Ægyptii, aliique post eos populi. Αἰγύπτιοι, ait Plutarchus, οἴονται τὰ μὲν ἑῷα τοῦ κόσμου πρόσωπα εἶναι, τὰ δὲ πρὸς βοῤῥᾶν δεξιὰ, τὰ δὲ πρὸς νότον ἀριστερά: *Ægyptii putant orientales partes mundi faciem esse, ad boream dextram, ad austrum sinistram.* De Iside & Osir. p. 363. Quam opinionem inter Hebræos partim etiam fuisse liquet, ex eo quòd Orientem קדם *kedem*, id est, *partem anteriorem*, Occidentem אחור *abhor*, *a tergo*, Meridiem ימין *jamin*, *dexteram*, Septemtrionem שמאל schmol, *sinistram* vocent, qua de re consulendus, inter alios, *Val. Schindlerus*, in Lexico. Altera ratio petita est ex situ urbium ad ripam Nili, quæcumque enim ad ripam occidentalem conditæ erant Templa habebant orienti obversa, quippe fluvium anteriore parte respicientia. Verùm quæ ad orientalem erant ripam, ut *Thebarum* & aliarum urbium, occidentem respiciebant. Itaque vehementer errat vir eruditus, qui omnia orientem spectasse censuit, quod probamus verbis *Vitruvii* ex Lib. IV. C. 5. quæ sunt digna quæ huc transferantur. *Ædes*, inquit, *Sacræ Deorum immortalium ad regiones, quas spectare debent, sic erunt constituendæ, uti si nulla ratio impedierit, liberáque fuerit potestas Ædis, signum quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cœli regionem, uti qui adierint ad aram immolantes, aut Sacrificia facientes spectent ad partem cœli orientis, & simulacrum quod erit in æde; & ita vota suscipientes contueantur ædem, & orientem cœli, ipsáque simulacra videantur exorientia contueri supplicantes, & sacrificantes; quòd aras omnes Deorum necesse esse videtur ad orientem spectare.* Occidentem ergo spectare debuerunt Ædes Sacræ, non minus ac vero Numini supplicantes, si potestas libera esset constituendarum. *Sin autem loci natura*, subjicit Architectus, *interpellaverit, tunc convertendæ sunt earum Ædium constitutiones, uti quàmplurima pars mœnium è Templis Deorum conspiciatur. Item si secundùm flumina Ædes Sacræ fient, ita uti* ÆGYPTO CIRCA NILUM, *ad fluminis ripas videntur spectare debere. Similiter si circum vias publicas erunt ædificia Deorum, ita constituantur uti prætereuntes possint respicere, & in conspectu salutationes facere.*

Hoc quoque observandum in Ægyptiacis Templis tres fuisse partes, nempe, προπύλαια seu *vestibula*; πρόναον, *ingressum* ipsius templi; & ναὸν sive σηκὸν, penetrale sanctissimum, aut ἄδυτον, velo, ut ex *Clemente Alexandrino* modò vidimus, à Pronao separatum. Hoc docet *Strabo* Lib. XVII. p. 554. Ed. Genev. Casaub. ubi descriptis προπυλαίοις, quæ varia & multiplicia esse ait, variis in Templis: μετὰ δὲ ΠΡΟΠΥΛΑΙΑ, inquit, ὁ νεὼς ΠΡΟΝΑΟΝ ἔχων μέγαν, καὶ ἀξιόλογον, τὸν δὲ ΣΗΚΟΝ σύμμετρον, ξόανον δ' οὐδὲν ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινός: *post Vestibula autem est Templum habens magnum Pronaum* (aut Atrium) *& consideratu dignum; Penetrale verò convenient magnitudine, nullum autem simulacrum, aut saltem nequaquam humanâ formâ, sed cujuspiam animalis ratione destituti.* At hoc discrimen fuit memorabile, inter Dei Israëlis, falsorúmque Numinum Templa; non modò quòd nullum Dei in Templo Hebræorum fuerit simulacrum, sed etiam quòd adorantes Numen Hebræi non in orientem, aut in meridiem, vel septemtriones, sed in occasum necessariò vultum converterent, ubi erat Arca. Cujus rei gravissima fuit ratio, quam *Theodoreti* verbis efferemus. Sic ergo ille Quæst. LX. in Exodum: ἐκ μὲν τοῦ ἑῴου μέρους τὴν θύραν γενέσθαι προσέταξεν, ἵνα καὶ αὐτὸς ἀνίσχων ὁ ἥλιος οἷόν τινα προσκύνησιν προσφέροι τοῖς προπυλαίοις εὐθὺς ἐκεῖσε τὰς ἀκτῖνας ἐκπέμπων: *ex parte orientali januam esse jussit, ut ipse oriens sol veluti adorationem quamdam exhiberet, in atria radios immittens.* Sed potissi-

fo, idque Cherubis opere polymitario ornabis. 32. Hoc impones quatuor fittinis columnis, auro obductis, uncinuli earum aurei erunt, *ſtabúntque columnæ* ſupra quatuor argenteas baſes. 33. Deinde ſub illis uncinulis velum pones, ut illuc, intra velum, arcam teſtimonii intromittas, dividátque vobis ſanctuarium à ſanctiſſimo *adyto*. 34. Impones autem operculum arcæ teſtimonii, in ſanctiſſimo *adyto*.

35. Menſam verò extra velum, & candelabrum è regione menſæ ſtatues, hoc ad latus meridianum tabernaculi, illam ad ſeptemtrionale latus pones.

36. Facies ſiparium ad oſtium tabernaculi hyacinthinum, purpureum, coccineum, éque byſſo retorta, opere phrygionico. 37. Sipario autem huic *ſuſpendendo* quinque columnas ſittinas facies, eáſque auro obduces. Uncini *quoque* harum aurei *erunt*, at æneas baſes quinque iis conflabis.

XXIV. De-

ma parte unciuuli erunt aurei; 33. ex quibus pendebit velum intra quod ad occidentem collocabitur Arca, in ſanctiſſima Tabernaculi parte, quæ eo velo à ceteris ſejungetur.

35. At menſam, quam deſcripſi, extra velum ad ortum, pones; candelabrum verò, de quo etiam dixi, è regione menſæ, ut hæc juxta ſeptemtrionale latus, illud juxta meridianum collocetur.

36. Alterum etiam velum texetur, quod oſtio Tabernaculi obtendatur, ex hyacinthina, purpurea, coccineáque lana & byſſo retorta, opere phrygionico ornatum. 37. Huic ſuſpendendo quinque columnæ ſittinæ fient, auro ut reliquæ obductæ, uncinisque aureis ornatæ, ſed æneis ſtylobatis impoſitæ.

P A-

tiſſimùm ſeqnentia auditu digna ſunt: *καὶ οἱ τῷ Θεῷ μόνῳ λατρεύειν προστεταγμένοι ὄπισθεν τὸν ἥλιον ἔχοντες αὐτὸς τὴν σκηνὴν τετραμμένοι, καὶ μὴ τοῦτον ἀλλὰ τὸν τούτου ποιητὴν προσκυνοῦσι*: *& qui Deum ſolum colere juſſi erant haberent ſolem à tergo, ad tabernaculum converſi, neque hunc, ſed hujus opificem adorarent.*

Sanctuarium] קדש *kodeſch*, ſanctitatem, pro loco ſancto.

Sanctiſſimo adyto] קדש הקדשים *ſanctitate ſanctitatum*, quod ἅγιον τῶν ἁγίων dicitur. Alibi diximus קדוש *kadoſch* ſignificare propriè *mundum* ſeu *purum*, ἁγνὸν; à qua ſignificatione קדש dicitur locus, in quem immundum, aut impurum nihil inferre licebat. Eò ſpectat quod Cap. III, 5. vetatur Moſes ingredi *cum calceis* locum, in quo ſe revelabat Deus. Itaque ſolis Sacerdotibus licebat *ſanctuarium* ingredi, ne multitudine ingredientium conſpurcaretur. Solus Pontifex Max. & quidem ſemel quotannis, Adytum ingrediebatur, ut puriſſimus ille locus eſſet. Sed quid ad Deum, inquies, hujuſcemodi mundities? Nullâ profectò re corporea fœdari poteſt ſpiritualis ejus majeſtas; ſed 1. eâ munditie majorem reverentiam ſacris conciliabat, qua de cauſa etiam ſacerdotes Ægyptii ſummopere ei ſtudebant, ut docet *Herodotus* loco adlato ad Geneſ. C. XXXV, 2. 2. Externâ illâ munditie ſignificabatur animus ſceleris omnis purus, ſine quo Deo placere fruſtra ſperent homines.

Ceterùm *ſanctitas ſanctitatum*, notiſſimo Hebraïſmo, eſt eximia ſanctitas, ut *Canticum canticorum*, aliáque ſimilia. Cùm Latinæ aures hoc non ferrent, vertimus *ſanctiſſimum adytum.*

35. *Pones*] Poſt hunc verſum, ſequitur in Samaritico Codice deſcriptio Altaris Thymiamatis, ex Cap. XXX, à v. 1. ad 11. ſine dubio quia hîc eam meliùs collocari putarunt Samaritæ.

36. *Hyacinthinum* &c.] Vide not. ad Cap. XXV, 3.

Opere Phrygionico] Interius velum fuit dumtaxat opere polymitario, hoc verò, quod gravius eſſe oportebat, propter ventum, ſolem, pulverem & pluviam, quibus expoſitum erat, phrygionico opere ornatum fuit.

COM-

XXIV. Describitur Altare Holocautomatum, aliorúmque sacrificiorum, item Atrium tentorii, item accensio Lucernarum coram Deo.

CAPUT XXVII.

1. EX fittinis lignis facies etiam altare, longitudine quinque cubitorum, latitudine etiam quinque cubitorum, ut sit quadratum. Altitudo verò ejus *erit* trium cubitorum. 2. Ad quatuor ejus angulos cornua addes, quæ quidem cornua ex ipso erunt *ligno*. Id autem ære obduces. 3. Facies etiam ollas ejus ad excipiendos cineres, palas, pateras, fuscinas, & *ignis* receptacula, quæ omnia vasa ænea conflabis. 4. Illi item craticulam, in modum retis, æneam facies, & supra rete quatuor æneos annulos, ad quatuor ejus extrema. 5. Id sub ambitu altaris infernè pones, eritque rete ad medium usque altare.

6. Facies ei altari vectes è fittinis lignis, eósque ære teges. 7. Immittentur illi in annulos, erúntque ad duo latera altaris, cùm bajulabitur.

8. Id autem cavum è tabulis conficies. Denique quemadmodum tibi in hoc monte ostensum fuerit, id facient *opifices*.

9. Po-

PARAPHRASIS.

1. TUM ad Altaris holocautomatum descriptionem transiit Deus, atque ex fittino ligno, inquit, fiet forma altaris quinos cubitos longa & lata, tres verò alta. 2. Quatuor angulis cornua erunt ex ipso ligno eminentia, quæ, ut reliquum altare, ære obducentur. 3. Ex ære etiam conflabuntur ollæ, ad excipiendos cineres, palæ, pateræ, fuscinæ, & ignis receptacula. 4. Fiet quoque ænea craticula quadrata; in cujus angulis quatuor sint annuli ænei. 5. Hæc intra altaris cavitatem, ad medium altare adsurgens ponetur.

6. 7. Altari extrinsecus erunt ad angulos quatuor annuli, in quos immittentur vectes fittini, qui propterea fient, & ære obducentur, ad altare bajulandum.

8. Cavum autem erit altare, ut dixi, constabitque

COMMENTARIUS

In CAPUT XXVII.

1. S*ittinis lignis*] Ligna hoc in altari videntur adhibita, ut faciliùs formaretur, laminis æneis adpositis, néve ex ære solido nimis grave esset. Ceterùm lignum æri subjectum, post aliquot sacrificia, in carbones redigi primùm, deinde in cineres oportuit, propter ignis vehementiam. Nisi fortè lignum fittinum fuit larix Vitruviana, quæ non uritur, licèt candescat, de qua egimus *Bibliothecæ Selectæ* Vol. XII.

2. *Cornua addes*] Aras Græcorum & Romanorum cornutas fuisse observarunt Viri Docti, ex quibus vide quæ corrasit *Joan. Spencerus* de Leg. Mos. Lib. III. Differt. I. c. 4. ubi multa etiam quæ nihil ad rem faciunt. Adsentimur quidem viro docto statuenti cornua solita vulgò altaribus addi, ideóque à Deo etiam postulari in altari suo; sed missis longè petitis causis, duas potissimas fuisse credimus: 1. cornibus ex angulis exstantibus continebatur strues lignorum altari imposita, ne caderet: 2. præterea interdum victimam ad altaris cornua vinciebant, ut liquet ex Psalmo CXVIII, 27. *vincite funibus victimam cornibus altaris*, qui locus nonnisi detortus in alium sensum flecti potest. At nusquam, inquiunt, jubentur Sacerdotes vincire victimas cornibus altaris. Sed nec vetantur, & eo ipso licebat, quòd cornua eum in usum adderentur altari. Scio Rabbinos alium locum, in Atrio secundi Templi, mactandis victimis destinare; sed ne dicam narrare eos quod non viderant, neque à testibus oculatis acceperant; in deserto aliter se res habere potuit, imò etiam in Templo Salomonis. Nec ignoro objici ab erudito viro, cornu altaris vix impetum reluctantis bovis ferre potuisse, cùm ex ære tenui conflatum esset. Sed quis eum docuit quanta esset cornuum crassities? Certè tanta esse potuit, ut à juvenco flecti non possent.

3. *Ollas ejus ad excipiendos cineres*] סירותיו לדשנו *sirothau ldasschenu.* Horum cùm manifestus sit sensus, usúsque ollarum necessarius, ad purgandum altare, mirum est LXX. Intr. vertisse, καὶ ποιήσεις στεφάνην τῷ θυσιαστηρίῳ *facies coronidem altari.* Vide & 1. Reg. VII, 40, 45.

Palas] יעיו *jahau*, à יעה jahah *verrere*, quod palis everrererentur cineres, ut plerique Intt. volunt. At οἱ LXX. habent καλυπτῆρα *operculum*, quod quid sit ignoro. Vulg. *forcipes.*

Pateras] מזרקותיו *mizrekothau*, à radice זרק *adspersit*, pateræ quibus excipiebatur victimarum sanguis, & ad altaris basin spargebatur. Vide 1. Reg. VII, 40. Zach. XIV, 20. LXX. Intt. rectè φιάλας, Vulg. malè *forcipes.*

Fuscinas] מזלגותיו *mizlegothau.* οἱ LXX. κρεάγρας & Vulg. *fuscinulas.* Vide 1. Sam. II, 14. Indigebant Sacerdotes ejusmodi instrumentis, ut carnes quæ adolebantur, si fortè ex flamma deciderent, iterum in flammam, aut prunas conjicerent. Apud Arabas, זלג *zalaga* est *prolapsus fuit* per locum lubricum, unde potest deduci מזלג *mazleg* instrumentum quo prolapsa caro tollitur.

Ignium receptacula] מחתותיו *mahhthothau*, quod ita vertimus cum Vulgato, qui sequutus est LXX. Intt. qui habent πυρεῖα. Foculus fuit,

9. Postea huic tabernaculo atrium facies, *& incipies* à latere meridiano, ad dextram; atrii vela erunt è bysso retorta, & longitudo quidem primi lateris centum cubitorum. 10. *Erunt* ei viginti columnæ, earúmque bases viginti æneæ, unci verò & virgæ *inter eas porrectæ* argenteæ. 11. Similiter ad aquilonare latus, longitudo velorum erit centum *cubitorum*, columnæ viginti, basésque harum viginti æneæ, unci verò & virgæ argenteæ. 12. Latitudo autem atrii, ad occidentale latus, vela *habebit* quinquaginta cubitorum, eorúmque columnas decem, basésque decem. 13. Latitudo quoque atrii, ad latus anterius, ortum versùs, erit quinquaginta cubitorum. 14. Sed vela ex altera parte erunt quindecim cubitorum, & tres eorum columnæ, basésque tres; 15 ex altera *similiter* erunt quindecim *cubitorum* vela, trésque eorum columnæ & bases tres. 16. Loco autem portæ atrii, siparium erit viginti cubitorum, hyacinthinum, purpureum, coccineum atque è bysso retorta, operis phrygionici. Quatuor erunt ei columnæ, quatuorque hisce bases.

17. Omnes columnæ atrii circumquaque virgis argenteis junctæ, uncinis erunt argenteis, basibusque æneis instructæ. 18. Longitudo atrii *ergo* centum, latitudo quinquaginta, altitudo denique quinque cubitorum erit. *Vela constabunt* bysso retortâ, *columnis*...

que fittinis tabulis ære tectis, eo modo quem vides. Simul Mosi forma altaris ostendebatur.

9. 10. 11. Texentur præterea vela è bysso retorta, quibus hoc Tabernaculum cingatur, ut relinquatur amplum circumquaque atrium; & ad latera quidem meridianum & septemtrionale vela centenos cubitos longa erunt; fientque viginti columnæ, cum stylobatis æneis, uncis verò, & virgis quibus inter se connectantur, argenteis, ex quibus etiam suspendantur vela. 12. Occidentale verò latus velum habebit quinquaginta cubitorum, columnásque ex quibus pendeat decem. 13. Par quidem erit latitudo orientalis lateris, 14. 15. sed hinc atque inde erunt dumtaxat vela byssina quinûm & denum cubitorum, quæ ex ternis utrimque columnis pendebunt. 16. Viginti vero mediis cubitis obtendetur siparium, è bysso retorta, idque hyacinthinâ purpureâ & coccineâ lana, opere phrygionico, intertextum. Hoc ex quatuor columnis, stylobatis æneis nixis, suspendetur.

17. Omnes atrii columnæ ejusmodi basibus æneis instructæ erunt, & præterea uncinis in summa parte argenteis, virgísque quibus conjungantur, & unde inter eas pendeant vela, ex eodem metallo. 19. Itaque

fuit, quo prunæ ex altari demebantur, deductúmque nomen à radice חתה *hhathab*, quæ significat *prunas demere*, Esai. XXX, 14.

Quæ omnia vasa] *Omnibus vasibus facies ære.*

4. *In modum retis.*] *Opere retis.*

Et supra rete] Additur *& facies.*

5. *Sub ambitu*] כרכב *charchob.* LXX. Intt. ἐσχάραν, Vulg. *arulam.* Hoc est, eum locum quem ambit altare, & in quo accendebatur ignis. Apud Syros כרכביא *chrachbjo*, est *ambitus.* Videtur tamen propriè intelligi superior ora altaris, quam cratis æquare non debuit, ut sequentia verba docent.

8. *E tabulis*] לחות *luhhoth*, σανιδωτὸν habent οἱ LXX. vel *tabulis instructum*, aut *formatum.* De hac constructione vide not. ad Gen. VI, 14.

9. *Atrium*] חצר *hhatser*, est locus sub dio, αὐλὴ, ut habent LXX. Intt. qualia erant Ægyptiorum προπύλαια, de quibus vide not. ad Cap. XXVI. Erant sub dio, quia in iis victimæ adolebantur, quod in loco clauso fieri non potuisset.

Atrii vela] קלעים *kelabim.* Quia קלע *kelab* fundam significat, sunt qui putent reticularia fuisse hæc vela. Vix crediderim, cùm multò commodiora essent vela densiora, propter pulverem iis in locis molestissimum, & qui per foramina subiens Sacerdotes in sacris faciendis impediisset. Ad eum arcendum, videntur atria in Ægypto ad Templorum vestibula muris cincta, ut in deserta Arabia velis hisce, de quibus Moses. LXX. Intt. habent ἱστία *vela* & radix Chaldaïca קלע *klab*, quæ *implicare*, *intricare* significat, non est ab hac interpretatione aliena. Apud Arabas etiam קלאעה *kalabaton* velum sonar.

10. *Columnæ*] Quibus adpenderentur vela; sed & in Atriis muro cinctis erant περιβόλαια, ut postea in templo Salomonis, & in secundo. Vide not. ad Cap. XXVI.

Virgæ inter eas porrectæ] חשקיהם *hhaschukehem.* Sequuti sumus, in hujus vocis translatione, *Joan. Coccejum*, cujus Lexicon consuli poterit. Iis virgis per quinque cubitos columnis interjacentibus sustinebantur vela; ut in nostris lectis hodiernis aulæa. LXX. Intt. habent ψαλίδας, quâ voce non capita columnarum intellexerim, quod nusquam significat ψαλὶς, sed arcus quosdam columnis interpositos, eásque conjungentes. Ac sanè radix חשק in conjugatione *Pihel* est *cingere*, *colligare.* Vide infrà XXXVIII, 28.

11. *Centum cubitorum*] Est מאה ארך *centum longitudine*, sed cùm præcesserit בארך קלעים *in longitudine velorum*, non opus erat repeti vocem *longitudo*; at necesse fuit addere subauditam vocem אמות ammoth *cubita*, quam suppleruni etiam LXX. & Vulg. Intt. In Samaritico Codice, nihil subauditur, nam pro ultimo ארך orech est באמה *baammab*, quod emendationem esse suspicor. Non desunt eruditi viri, qui Ezek. XLII, 16, 17, 18. velint subaudiri אמות *ammoth*, ubi Interpretes non parum ea ellipsis impediit. Verùm hic res est clara.

13. *Anterius*] קדמה *kdemab*, sic vertimus ad vitandam ejusdem vocis repetitionem. Versionis rationem vide ad Cap. XXVI, 18, 33.

lumnisque bases *subjicientur* æneæ. 19. Ad omnia vasa tabernaculi, in omnibus quæ ei inservient, clavosque ejus, & omnes atrii clavos quod adtinet, ære *conflabuntur*.

20. Jubebis autem tu Israëlitas ad te *deferendum* sumere oleum oleæ, purum & tusione expressum candelabro, ut perpetuæ lucernæ accendantur. 21. In tabernaculo conventus, extra siparium, quod ad *arcam* testimonii *erit*, id aptabunt Aharon ejúsque filii, à vespertino ad matutinum tempus, coram Jehova. Institutum hoc erit, ab Israëlitis, in eorum ætates, perpetuum.

XXV. Sa-

que longum erit atrium centum cubitos, quinquaginta latum; & vela quidem, quibus cingetur, quinque cubitos alta erunt. 19. Vasa autem reliqua Tabernaculi, & clavi, humo adfigendi, quibus funes adligentur, qui columnas & vela hinc atque inde firment; hæc, inquam, similiáque erunt ænea.

20. Inter donaria, quæ ad te ab Israëlitis adferentur, erit olivum, ut dixi, purum & tusione expressum, ut candelabri lucernis, singulis noctibus accendendis, adfundatur. 21. In Tabernaculo enim Aharonis filii, extra siparium, intra quod arca latebit, eas lucernas, quavis vesperâ, ut ad matutinum usque tempus luceant, accendent. Atque hoc in perpetuum, inter Israelitas, observator.

P A-

14. *Ex altera parte*] לכתף lacchetheph *ad humerum.*

15. *Ex altera*] *Ex humero secundo.*

16. *Loco portæ*] לשער *leschahar*, hoc est, siparium quod sit instar portæ, aut valvarum. Ea vis præpositionis ל. Vid. C. IV, 16.

Virgis argenteis] מחשקים *mhhusschakim.* Vide ad vers. 10.

18. *Centum*] LXX. Int. habent *ἑκατὸν ἐφ' ἑκατόν*; nempe pro מאה באמה *centum in cubito*, legerunt מאה במאה *centum in centum*, hoc est, ex utroque latere, meridiano & septemtrionali, centum cubitos longum sit. Attamen cum nostro Codice consentit Samariticus, & sequens phrasis hujus fingendæ occasionem præbuisse videtur.

Quinquaginta] Addunt Hebræi Codices בחמשים bahhamischim *in quinquaginta*, quâ phrasi videtur significari atrium æquè latum fuisse ad ortum & ad occasum. Sed Samariticus habet, loco posterioris vocis, באמה *baammah.*

Altitudo] Nempe, aulæorum, seu velorum, quorum itaque altitudo dimidia parte minor fuit altitudine Tabernaculi, quod decem cubitos altum erat. Cap. XXVI, 16.

Velum constabit bysso retortâ &c.] שש משזר ואדניהם נחשת *byssus retorta & bases earum æneæ.* Hæc verba quæ sunt in Codd. Samaritarum, & lecta sunt à LXX. & Vulgato Int. æquè ac nobis, ejusmodi sunt ut si abessent ab hoc loco, nihil sententiæ deesset; sed nefas est, adversantibus omnibus Codicibus, quidquam hinc demere. Attamen ut intelligerentur, aliquot alia addenda fuerunt. Certè summopere ellipticus interdum est Hebræorum stylus, & interdum repetitionibus scatet; quod ruditatem Gentis, nequaquam studiis excultæ, satis ostendit. Idem etiam liquet ex repetitionibus, alieno loco positis, qualis hæc est.

19. *Ad omnia vasa* &c.] Nempe, si quid sit præter memorata, nam quæ aurea oportebat esse, ea ex ære non poterant conflari. Itaque additur exemplum clavorum.

In omnibus quæ ei inservient] בכל עבדתו bchol habodatho, *in omni ejus ministerio.*

Clavósque ejus] יתדתיו *jethedothau*, intelliguntur clavi terræ infixi, ad quos funes revincti ad summas columnas aut tabulas pertinebant, & hinc inde eas erectas ex æquo trahebant, ne à vento dejicerentur. Hæc à Mose non describuntur accuratiùs, quia quomodocumque fieret perinde erat, & Tentoriorum statuendorum periti erant Israëlitæ.

24. *Ad te sumant*] Sumant, ut ad te adferant.

Tusione expressum] כתית chathith, *contusum.* LXX. habent *κεκομμένον*, Vulg. *piloque contusum.* Sed tunduntur oleæ, non oleum, idcóque tusione expressum vertimus. Fortè ut præstantissimum oleum facerent, non torculari, sed tusione utebantur; & quod primum & sponte fluebat, id olei partem præstantissimam habebant. Vide *Plinium* Lib. XV. c. 1. & *Columellam* Lib. XII. c. 50.

Perpetuæ lucernæ] *Perpetua lucerna*, sed plures erant in uno candelabro, quæ perpetuæ dicuntur quòd *singulis noctibus perpetuò arderent.* Vide not. ad Cap. XXVI.

21. *Ab Israëlitis*] מאת quod *à* solet verti, & potest intelligi de oleo, quod in perpetuum suppeditaturi essent Israëlitæ. Vide similem phrasin Gen. XLVII, 22.

COM-

XXV. *Sacerdotes à Deo eliguntur Aharon & ejus filii, vestésque sacerdotales describuntur.*

1\. AD te jube accedere è mediis Israëlitis Aharonem fratrem, unáque ejus filios, ut sacerdotum meorum munere fungantur, Aharonem, *inquam*, Nadabum, Abihuum, Elehazarem, & Ithamarem Aharonis filios. 2. Ornatûs autem & decoris causâ fratri tuo vestes sacras conficies. 3. Alloqueris enim omnes peritos, quos peritiæ spiritu implevi, faciéntque vestes Aharonis, quibus sacerdotio meo con- CAPUT XXVIII
se-

PARAPHRASIS.

1. HIsce omnibus confectis, Aharonem fratrem, ejusque filios quatuor, Sacerdotes mihi futuros designabis. 2. 3. Tum horum opificiorum peritos ad te vocabis, quos fratri vestes, qui-

COMMENTARIUS

In CAPUT XXVIII.

1\. *AD te jube accedere*] Non de loco, sed de dignitate sermo esse videtur, satis enim frequenter Aharon & filii ad Mosem ventitare solebant. Itaque significat Deus Mosi dignitate proximos fore Aharonem, ejusque filios, Sacerdotii jure. Hoc confirmatur, quòd dicuntur jubendi accedere מתוך בני ישראל *è medio filiorum Israëlis*, hoc est, è media turba eligendi.

2\. *Ornatûs & decoris causâ*] לכבוד ולתפארת *lchabod oultiphareth.* Prior vox *gloriam* frequentiùs quidem significat, sed hîc ad vestes translata *ornatum*, qui reverentiam Sacris creet, sonat.

Vestes sacras] *Vestes sanctitatis*, hoc est, vestes puras & mundas, quibus induti Sacra faciant.

Peritos] חכמי לב hhachme leb, *sapientes corde*, egregios opifices, quales non poterant non esse in tanto populo, & qui per tot annos inter Ægyptios, artium omnium callentissimos, vixerant. חכם apud Hebræos, ut σοφὸς apud Græcos, peritum cujusvis rei significat.

Quos peritiæ spiritu] *Sapientiæ spiritu*, hoc est, peritiâ. *Spiritus* enim apud Hebræos sæpe animi adfectionem significat, ut *spiritus zelotypiæ*, ut Num. V, 14. Non videtur intelligi adflatus ullus, qualis Prophetarum fuit, sed ingenium, vel indoles à Deo nascentibus data, quâ factum erat ut artes hoc in negotio necessarias facilè & penitùs discerent. Non sine Deo præstantissimos artifices fuisse intellexerunt, qui artium inventores consecrarunt, inter quos Ægyptii. Vide quæ de *Osiride* & *Hermo* habet *Diodorus* Lib. I. *Biblioth.*

4\. *Pectorale*] Hinc liquet nomen vestis hoc fuisse vulgare, de quo diximus ad Cap. XXV, 5. Ab usu λόγιον & λογεῖον dictum est à LXX. Intt. aliisque Judæis Græcè loquentibus.

Pallium] אפוד *ephod.* Vide ad Cap. XXV, vers. 7.

Tunica superior] מעיל *mehil.* Tunicam superiorem vertimus, cùm ex re ipsa, constat enim ejusmodi vestem fuisse; tum ex origine vocis, quam deducimus à מעל mahal *sursum*, *suprà*. Liquet autem, ex Scriptura, superiorem fuisse vestem. Sic Sam. XV, 26. abeuntem Samuëlem Saül retrahit *orâ* מעילו *mehilo*, id est, superioris tunicæ, nam interior adprehendi non potuit, cùm superiore tegeretur. Accedit auctoritas LXX. Intt. qui verterunt ἐπενδύτην, quamquam non satis constantes sunt, & *Josephi* à quo ita describitur Antiq. Lib. III. c. 7. Ἐπενδυσάμενος ἐξ ὑακίνθου πεποιημένον χιτῶνα. ποδήρης δέ ἐστι καὶ οὗτος. μεείρ (pro μεεὶλ) κατὰ τὴν ἡμετέραν γλῶτταν, *superindutus tunicâ hyacinthinâ; hæc est etiam talaris, & meil vocatur nostrâ linguâ.* Lib. VI. c. 15. de Bell. Jud. dicitur ab eodem scriptore ποδήρης καθύπερθεν ὑακίνθινον ἔνδυμα, *talare vestimentum hyacintinum, quod super aliis.* Latini vocant *superariam*. Glossæ: *superaria*, ἐπενδύτης.

Tunica adstrictior] תשבץ *thaschbets* LXX. Intt. vertunt κοσυμβωτὸν, cujus vocis perspicua significatio non est. Sunt tamen rationes, quæ arctiorem tunicam significari suadeant. *Hieronymus* habet *strictam* Josephum sequutus, qui sic eam describit loco laudato: ἔστι τοῦτο τὸ ἔνδυμα ποδήρης χιτὼν περιεσφιγμένος τῷ σώματι καὶ τὰς χειρίδας περὶ τοῖς βραχίοσι κατεσφιγμένος: *est hæc vestis talaris tunica, circumscripta corpori, & manicas circa brachia adstricta.* Latinè *interula* & *subucula* dicitur. Glossæ: *subucula*, ὑποδύτης. De utraque *Theodoretus* Quæst. LX. ὑποδύτην δὲ καλεῖ τὸν ἐνδότερον χιτωνίσκον, ἐπενδύτην δὲ τὸν χιτῶνα τὸν ἔξωθεν: *vocat* Hypodyten *interiorem tuniculam*, Ependyten, *verò tunicam externam.* In sequentibus ostendemus radicem שבץ *schabats* significare *coarctare*, *constringere*. Alii *ocellatam tunicam*, quia משבצות sunt *palæ lapillorum*; verùm ita dicuntur palæ, quòd *constringant* gemmas. Vide vers. 11. Psalmo XLV, 14. משבצות זהב לבושה *mischbetsjoth zahab lbouschah*, possunt esse ornamenta aurea quibus adstrictior fiebat vestis. Qui verò in linea veste Sacerdotum nescio quam *occellaturam*, ut loquuntur, quærunt, ii videntur quod nusquam fuit investigare.

Cidaris] Vox est Persica, sed Græcis & Latinis notior quàm מצנפת *mitsnepheth*, quod capitis indumentum ita describitur à *Josepho*, ut intelligamus simile fuisse iis, quæ *Dolbanda* à Turcis vocantur. Ὑπὲρ δὲ τῆς κεφαλῆς φορεῖ πῖλον ἄκωνον, οὐ διικνούμενον εἰς πᾶσαν αὐτὴν, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ὀλίγον ὑπερβεβηκότα μέσης. καλεῖται μὲν μασναεφθὴς, τῇ δὲ κατασκευῇ τοιοῦτός ἐστιν ὡς στεφάνη δοκεῖν ἐξ ὑφάσματος λινέου ταινία πεποιημένη παχεῖα καὶ ἐπι-

στρα-

fecretur. 4. Hæ autem funt veftes, quas facient; pectorale, pallium, tunica fuperior, tunica adftrictior, cidaris & cingulum. *Has* veftes facras facient Aharoni fratri tuo, ejúfque filiis, ut facerdotum meorum munere fungantur. 5. Sument eam in rem aurum, hyacinthina, purpurea, coccinea & byffina *fila*.

6. Pallium facient ex auro, hyacinthina, purpurea, coccineaque *lana* & byffo retortâ, opere polymitario. 7. Duo fuperhumeralia illi erunt, quibus jungatur duobus extremis, & *fic quidem* conjunctum erit. 8. Textura etiam partis oppofitæ, quæ adjicie-

quibus follemnia facra facturus induatur, parare jubebis. 4. Hæ autem veftes conftabunt pectorali, pallio, tunica fuperiore & laxiore, tunica interiore & adftrictiore, cidari & cingulo. Filiis quoque Aharonis erunt facerdotales veftes, quas poftea defcribam. 5. Hanc in rem ex Hebræi populi collatitiis donis fument aurum, hyacinthinam, purpuream, coccineámque lanam & byffum.

6. Pallium erit opere polymitario contextum aureis filis, hyacinthinâ, purpureâ, coccineaque lana,

συνερραμμένον ῥάπτεται πολλάκις. ἔπειτα σινδὼν ἄνωθεν αὐτὸν ἐπιπεριέχεται διήκουσα μέχρι μετώπου τὴν δὲ ῥαφὴν τῆς ταινίας καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς ἀπρεπὲς καλύπτουσα, καὶ ὅλῳ δὲ τῷ κρανίῳ γεγονυῖα ἐπίπεδον: *capite fert pileum nequaquam in conum* (ut Tiaræ Perficæ) *definentem, neque totum caput complectentem, fed aliquanto plus quàm medium, hic vocatur* Mafnaemphthes (מצנפת) *Eft autem tali paratu, ut videatur corona, ex textura linea tæniâ denfatâ, etenim circumvoluta fæpe fuitur. Deinde alia tela eam defuper cingit, ufque ad frontem defcendens, & futuram tæniæ, & quod in ea deforme eft tegens atque toti cranio firmiter adhærens. Heliogabalus Emefenus* Sacerdos Solis coronâ utebatur etiam privatus: τὴν κεφαλὴν ἐκόσμει στέφανος λίθων πολυτελῶν χροιᾷ διηνθισμένος, *caput ornabat corona lapillorum pretioforum coloribus florens*, ut docet *Herodianus* Lib. V. qui eam coronam poftea fic defcribit: εἰς εἶδος τιάρας στεφάνῃ ἐπικείμενος χρυσῷ καὶ λίθοις ποικίλοις τιμίοις: *ad tiaræ modum coronam gerens, auro & lapidibus pretiofis variam.*

Cingulum] אבנט *abnetb*. LXX. Intt. ζώνην, Vulg. *balteum* vertit. Sic hanc defcribit *Jofephus*: ὀλίγον τῆς μασχάλης ὑποκάτω τὴν ζώνην περιάγουσι, πλατεῖαν μὲν ὡς εἰς τέσσαρας δακτύλους, διακένως δὲ ὑφασμένην ὥς τε λοβίδα δοκεῖν ὄφεως· ἄνθη δὲ εἰς αὐτὴν ἐνύφανται, φοινικῷ καὶ πορφύρᾳ μεθ' ὑακίνθου καὶ βύσσου πεποικιλμένα· στήμων δ' ἐστὶ μόνη βύσσος: *aliquanto infra axillam cingulum circumponunt, quod latum eft quatuor digitos, & ita textum ut intus vacuum fit, & videatur inftar exuviarum ferpentis. Sunt intexti illi flores puniceo, purpureo, hyacinthino & byffo diftincti. Stamen verò è fola byffo conftat.* Hîc artis polymitariæ fpecimen cernere licet. Radix צנף *tfanaph* fignificat *circumvolvere*, cui fignificationi cum defcriptione *Jofephi* convenit.

Aharoni, ejufque filiis.] Ei, nempe, fucceffuris, nam Pontificis Maximi veftes defcribuntur, non aliorum Sacerdotum.

Aurum, hyacinthina &c.] Erat ergo hoc cingulum lino & lanâ miftum, quod tamen vulgo interdictum erat, ut liquet ex Levit. XIX, 19. & Deut. XXII, 11. Obfervavit hoc *Jofephus* Lib. IV. c. 8. ubi inter Leges Mofaïcas hanc refert: Μηδεὶς δ' ἐξ ὑμῶν κλωστὴν ἐξ ἐρίου καὶ λίνου στολὴν φορείτω· τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδεδεῖχθαι. *Nemo veftrûm textam ex lana & lino ftolam ferat, hæc enim folis facerdotibus eft conceffa.* Vide quæ ad Leviticum dicemus.

7. *Duo humeralia*] כתפות *chthephoth*, hoc eft, ἐπωμίδες, qua de caufa videtur totum Ephod ἐπωμὶς à Græcis dictum. Hinc liquet pallium hoc duabus plagulis divifis conftitiffe, quæ fibulis aut vinculis in humeris Sacerdotis conjungebantur. Ita hoc pallium defcribit *Jofephus* Lib. III. c. 7. ἐπὶ δὲ τούτοις (aliis, nempe, veftibus) τρίτον ἐνδύεται τὸν λεγόμενον ἐφώδην, Ἑλληνικῇ δ' ἐπωμίδι προσεοικότα. γίνεται δὲ τοῦτον τὸν τρόπον· ὑφαντὸς ἐπὶ βάθος πηχυαῖον ἔκ τε χρωμάτων παντοίων καὶ χρυσοῦ συμπεποικιλμένος, ἀπερίπτυκτον δὲ τῶν στέρνων τὸ μέσον καταλιμπάνει: *hifce tertium* Ephodem *dictum fuperinduit, fimilem Græcanicæ Epomidi. Fit autem hoc modo. Textum altitudine cubitali ex omnis generis coloribus, & auro variegatum, retectum linquit medium pectus*; ut pectorale, nempe, adponeretur ei loco. Addit *Jofephus*, prout nunc legimus, χειρῖσι δὲ ἐσκεπασμένος, καὶ τῷ παντὶ σχήματι χιτὼν εἶναι πεποιημένος: *manicis ornatus, & omni ratione fimilis tunicæ videatur.* Verùm ex Mofe manifeftò liquet manicas nullas fuiffe, quæ fi fuiffent, fibulis humeralibus nullo modo opus erat. Itaque aut mutatum aliquid in re fuit, tempore *Jofephi*, aut aliter fcripfit, fed prius malim.

8. *Partis oppofitæ, quæ adjicietur*] אפדתו אשר עליו aphudatho afcher halau, *Aphudæ ejus quæ præter illud.* על *hal* hîc eadem fignificatione ac *præter* effe putamus, cujus notionis frequentia funt exempla. Vide Gen. XXXI, 50. Levit. XVIII, 8. Num. VI, 20. Deut. XIX, 9. *Ephod* anterior pars dicitur quæ pectus, *Aphudah* pofterior quæ dorfum tegebat. Ipfa lectio Mofis hoc prorfus fuadet, nam Interpretes hîc omnia turbant; ut neque intellexerint Mofem, neque fatis perfpicuè dixerint quid velint. Exemplo erunt LXX. Intt. Vulg. & Onkelos. Græci ergo fic habent: καὶ τὸ ὕφασμα τῆς ἐπωμίδος (אפדתו ejus Aphudæ) ὅ ἐστιν ἐπ' αὐτῷ κατὰ τὴν ποίησιν ἐξ αὐτοῦ ἔσται, ἐκ χρυσίου &c. *textura fuperhumeralium quæ eft in eo ad opificium ex eo erit, ex auro* &c. At Vulgatus: *Ipfa quoque textura & ipfa operis varietas erit ex auro.* Senfum, quem non invenit, finxit. Onkelos: והמין תקוניה די עלוהי כעובדיה מניה יהי & *baltheus ornatûs ejus* (at nihil apud Mofem, hoc quidem in loco, de baltheo) *qui eft fuper illud, ficut opus ejus ex ipfo erit.* Si hæc conferantur cum ipfo Mofe, quàm aliena fint, primo intuitu liquebit. Profectò חשב nufquam *baltheum* fignificat. Vide ad verf. 28. Recentiores ad partes vocare nihil attinet.

9. *Lapides Sohamicos*] שהם Schoham. *Onyches* aut

cietur, ex ipso erit, ejúsdemque operis ex auro, hyacintho, purpura, cocco, & bysso retorta.

9. Tum sumes lapides Sohamicos geminos, iísque nomina Israëlis filiorum inscalpes, 10. & sex quidem eorum nominum uni lapidi, sex verò reliqua alteri, pro ordine nascendi. 11. Opere artificis gemmas tractantis, cælaturáque sigilli, duobus lapidibus nomina filiorum Israëlis inscalpes, eósque aureis palis circumdabis. 12. Deinde duos illos lapides superhumeralibus pallii addes, lapides in memoriam filiorum Israëlis, quorum

na, & bysso retortâ. 7. Superhumeralia ei erunt, quibus ad humeros duæ ejus connectantur partes. 8. Utraque pars anterior & posterior simili materiâ, atque eodem modo contexta erit.

9. Tum duos onychas sument scalptores, in quibus nomina duodecim filiorum Jacobi, generis vestri auctoris, scalpent, 10. in singulis lapillis sena, servato nascendi ordine. 11. Scalpentur ut solent sigillorum figuræ gemmis scalpi, & illi onyches aureis palis inserentur. 12. Postea addentur

aut *Sardonyches*, ut habet *Josephus*. Vide not. ad Genes. II, 12.

Nomina Israëlis filiorum] Quo ordine collocata essent hæc nomina, quæ humero sinistro, quæ dextro imposita, quærendum à Rabbinis; qui omnia norunt, quantumvis antiqua, & literarum monumentis destituta. Vide Virum Doctum ad *Josephi* libros priores Oxonii editos p. 176.

10. *Pro ordine nascendi*] כתולדותם *chtholdotham*, pro generationibus eorum. תולדת *tholedeth* hîc tempus vel ordinem nascendi manifestò sonat. Quod nescio an Lexicographi observarint. LXX. κατὰ τὰς γενέσεις αὐτῶν. Vulg. *ad ordinem nativitatis eorum.*

11. *Artificis gemmas tractantis*] Uno verbo, *scalptorem* dicere possumus, quem Hebræi dicunt duobus חרש אבן *hharasch eben* opificem lapidis.

Sigilli] Hoc est, non eminente scalpturâ, sed excavatâ gemmâ, ut in sigillis fieri solet. Ab antiquissimis temporibus, usum increbuisse gemmarum scalptarum, quæ sigilli loco essent, hinc colligere est. De gemmarum scalptoribus varia habet *Plinius* Hist. *Nat.* Lib. XXVII. c. 1. nihil tamen quod ad hanc antiquitatem adsurgat.

Aureis palis circumdabis] *Circumdatos* משבצות mischbetsoth *auri facies eos.* Hæc omiserunt LXX. Intt. Vulgatus verò non ausus ad verbum vertere: *inclusos auros atque circumdatos.* At vers. 13. & 14 *uncinos* transtulit, & LXX. ἀσπιδίσκας. Palæ significantur, quibus arctè continentur gemmæ.

12. *Superhumeralibus pallii* &c.] כתפות האפד *chtephoth haephod.* Hinc adpatet Ephod *superhumerale* minùs commodè verti, non est enim superhumerali superhumerale.

In memoriam] זכרן *ziccharon.* Quasi Deo hac ratione in memoriam revocarentur duodecim Patriarchæ, non omnes quidem illi probi & religiosi, sed filii, nepotes, & pronepotes optimorum & religiosissimorum virorum; propter quos, fœdúsque cum iis contractum, Israëlitis se bene facere profitebatur Deus.

14. *Opere tortili*] עבות *haboth.* LXX. Intt. ἔργον πλοκῆς vertetunt, quod eodem redit; & cum עבות *funem*, tortum cannabi constantem, sonet, nihil videtur aptius. Sic etiam solent argenteæ, aureæque catenæ fieri.

Palis adnectes] *Pones supra palas*, fibulæ, nimirum, adnexas.

15. *Pectorale judicii*] Vide not. ad vers. 30.

16. *Duplicatum*] כפול *chaphoul*, διπλοῦν ut Vulg. Vir doctissimus, qui credidit Urim & Thummim imagunculas fuisse, quæ in Pectorale abderentur, existimavit etiam inter duplicem pannum eas latuisse, eáque de causâ duplicatum fuisse pectorale. Sed cum incertissima sit, ne falsam dicam, ejus conjectura, incertius est quod de hac re habet. Multò verisimilius duplicem fuisse Pectoralis pannum, ut duodecim gemmarum pondus sustinere posset.

Insitivis gemmis] *Impletione lapidis.*

Quarum quatuor erunt ordines] *Quatuor ordinibus lapidis, ordo* &c.

Odem] De hisce lapidibus multi olim, & nuper egerunt, sed omnium diligentissimè sententias varias contulere *Lud. de Dieu* in hoc Cap. & qui cœperat *Josephum* Oxonii edere, p. 180, & seqq. Verùm omnibus expensis, nihil præter conjecturas, & dubitationes, hîc nobis occurrit. Ostentatione ergo omni eruditionis omissâ, aliquot veterum Intt. sententias proferemus, iis qui plurium avidi erunt ad alios amandatis. LXX. Intt. ubique Σάρδιον vertunt. Sic & Vulg. Onkelos סמקן *samkan*, quod a סמק *smak*, rubuit. סמוק *smoch* etiam habet Int. Samariticus. Sanè אדם *odem* est ab אדם *adam* rubuit, & inter species Sardii est ruber, ut docet *Plinius* Lib. XXXVII, c. 7.

Phitda] LXX. Intt. τοπάζιον, quos sequitur Vulg. *Josephus* τόπαζος, Onkelos ירקן *jarkan*, quod *virorem* Topazii significat. Samarita סמך *samach.* Ex voce פטדה *phitdah* Topazium factum volunt. Fuit in sinu Erythræo *Topazus* insula, in qua inveniebantur eæ gemmæ, quo factum ut Jobi XXVIII, 19. vocetur פטדת כוש, quia ea insula non procul fuit à Madianitide, quæ *Chus* dicitur ab Hebræis.

Baraketh] LXX. *Josephus* & Vulg. *smaragdum* esse censent. Onkelos. ברקן *barkan*, quæ ab eadem radice ברק *barak*, fulgetrum, derivatur. Samarita סמכמך *samachmach.* Voluisse videtur hic Interpres primum ordinem fuisse lapidum rubrorum, ac primum quidem lapidem fuisse coloris diluti, sequentem rubicundioris, tertium rubicundissimi. Sed multarum gemmarum fulgor, cùm agitantur, splendor fulgetro conferri potest. *Symmachus* verterat κεραύνιον, quæ gemmæ species est, ob adfinitatem fulgetri & fulminis.

18. *Nophec*] נפך, quod vertunt LXX. & *Josephus* ἄνθραξ, Vulg. *carbunculum*, *Onkelos* אזמרגדין *izmargedin*, hoc est, *smaragdum.*

rum nomina feret Aharon coram Jehova, in geminis ſuperhumeralibus, in *eorum* memoriam. 13. Facies iis palas aureas, 14. duáſque catenas ex auro puro, eáſque deſinentes opere tortili, & eas catenas tortiles palis adnectes.

15. Facies quoque pectorale judicii, opere polymitario, & *eodem quidem* opere ac pallium, ex auro, hyacintho, purpura, cocco, & retorta byſſo. 16. Quadratum erit, & duplicatum, palmari longitudine, palmarique latitudine. 17. Tum illud implebis in-

tur ſuperhumeralibus pallii; ut quotieſcumque Sanctuarium ingredietur Pontifex Maximus, duodecim Principum Tribuum Hebræarum memoriam Deo veluti revocet. 14. Palis aureis coërcebuntur duo illi onyches, quæ palæ adnexæ erunt duabus catenulis aureis tortilibus; quibus pallio vinciantur.

15. Fiet quoque pectorale, quod induet ſacerdos, Deum de gravioribus cauſis conſulturus, opere polymitario, quemadmodum pallium. 16. Qua-

Samarita ad hunc verſum voces tres adfines habet, ut ad priorem חכום חכם חכמכם *hhachom hhacham hhachamcham*. Hoc eſt, *nigrum*, *nigrius*, *nigerrimum*. Nam אכם Chaldaicè eſt *niger fuit*, & Samariticâ Dialecto חכם, miſcet enim ח cum א.

Sapphir] Adfinitas nominis ſuaſit LXX. & Vulg. Intt. eſſe *ſapphirum*, nec videntur audiendi qui contrà ſentiunt. *Joſephus* tamen ἴασπιν, niſi ordinem turbarit ipſe, aut Librarii. Deducit hanc vocem vir doctus à radice Arabica ספר *ſaphar*, quæ *lucem* & *auroram* ſonat.

Jahalom] LXX. Intt. ἴασπιν vertunt, & Vulgatum Int. habent ſequacem. *Joſephus* σάπφειρον. *Onkelos ſabbalom* סבהלום, quod æquè ignotum. Cùm הלום *holem* ictum, & contuſionem ſonet, ſunt qui velint *Adamantem* eſſe, quòd omnes lapides duritie frangat, ſed ſcalpturam admittere Adamantem vix crediderim.

19. *Tertium*] *Ordo tertius.*

Leſem] לשם *Leſchem*. LXX. Intt. λιγύριον, ut & Vulg. *Joſephus* ſimiliter λίγυρον. Onkelos קנכירי *kanchire*, quod videtur eſſe *Cenchrites*. Samarita habet, in hoc lapillorum verſu ירוק ירק ירקרק *jarok jarak*, *jarakrak*. Hoc eſt, *lutei coloris minùs ſaturi*, *ſaturioris*, *ſaturiſſimi*.

Sebo] שבו *Schebo*. LXX. Intt. & Vulgatus *Achatem* vertunt. *Joſephus* ἀμέθυστον. *Onkelos* habet טרקיא *tarkejo*, hoc eſt, *Thracium* aut *Turcicum* lapidem, quem *Turquoiſe* vocant Galli.

Achlama] אחלמה. LXX. Intt. ἀμέθυστον verterunt, & ita Vulgatus. *Joſephus* Ἀχάτην. Onkelos עין עגלא *hen hegla*, oculum vituli.

20. *Tharſis*] LXX. Intt. *Joſephus* & *Aquila* χρυσόλιθον verterunt. Quomodo & Vulgatus. *Symmachus* ὑάκινθον, *Onkelos* verò כרום ימא *chroum jamma*, Chroum marinum, ubi כרום videtur eſſe Græcum χρῶμα *color*, ut rectè conjecit vir doctus. Nempe Judæi credunt voce תרשיש *mare* ſignificari, quo factum ut *Onkelos* ejuſmodi gemmam coloris marini eſſe crediderit. Samarita tribus ultimi ordinis lapidibus, more ſuo, hæc imponit nomina. שבר ואבר עברבר *hobar*, & *abar*, *habarbar*. *Candidum*, *candidius*, *candidiſſimum*.

Soham] שהם. Vide quæ diximus de hac voce ad Geneſ. II, 12. *Joſephus* ὄνυχα, *Onkelos* בורלא *bourla* vertit, hoc eſt, Beryllum.

Jaſpheh] Sonus vocis omnino ſuadet aut *Jaſpidem* eſſe, aut *Jaſpidi* adfinem lapillum LXX. Intt. ὀνύχιον verterunt, & intellexerunt fortè *Jaſponychem*. *Joſephus* & *Hieronymus Beryllum*. *Onkelos* פנטירי *phanteri*, quem fortè *Pederotem* vocant Græci.

Conſtrictæ erunt auro] משבצים *meſchubbatſim*. LXX. Intt. συνδεδεμένα Vulg. *incluſi*. Maluimus *conſtrictæ*, quia omnibus locis hæc interpretatio convenit.

21. *Iſraëlis*] Additur *ſecundùm nomina eorum*, redundantiâ Hebraïcâ.

25. *Ex anteriore parte*] אל מול פניו *el moul phanau*, è regione faciei ejus.

26. *Ultra pallium*] אל עבר *el heber*. Hoc eſt ultra pallii, eo in loco pertuſi, oram. Intelliguntur annuli ad Pectoralis inferiores angulos poſiti, ut ex iis pendens funiculus hyacinthinus à tergo Sacerdotis reductus, & humeralium annulis inſertus, contineret etiam illinc Pectorale, ut colligimus ex verſ. 28.

28. *Stringens*] ירכסו *jirchefon* LXX. Intt σφίγξεις *ſtringes*.

Funiculi] פתיל *phthil*. Vide not. ad Geneſ. XXXVIII, 18. Obſervat ad hunc locum *Lud. de Dieu* פתל in Æthiopica Lingua eſſe *nere*. *Hyacinthinus* autem *funiculus* eſt è lana hyacinthini coloris contextus.

Ut impoſitum ſit] להיות lihjoth, *ut ſit ſuper texturam*, vel ut adhæreat texturæ.

Texturæ polymitæ] חשב *hheſcheb*. Vide not. ad Cap. XXVI. Textura ſimplex, ſeu uno filorum genere conſtans ארג *ereg* dicitur; atque ut hæc vox opificium & אורג oreg *textoris* ſonat: ita חשב *haeſcheb* erat à manu & חושב hhoſcheb, *polymitarii*.

A Pallio amovebitur] יזח *jizzahh*. LXX. ἵνα μὴ χαλᾶται. Vulg. *ut nequeant ſeparari*. Mirum eſt Editores Bibliorum Polyglottorum Londinenſium quatuor integra commata verſionis LXX. Viralis hîc omiſiſſe, nempe, 25, 26, 27, & 28. cùm exſtent in Vaticano Codice &, ut opinor, in Alexandrino.

29. *Feret ergo nomina*] Non modò in humeris, ut antea dictum eſt, ſed etiam in pectore. Vide ad v. 12.

In pectorali judicii] Vide ad ultima verba v. 31.

Ad cor ſuum] על לבו *hal libbo*, hoc eſt, è regione cordis, ἐπὶ τοῦ στήθους *in pectore*, ut habent LXX. Intt. Si conjecturis indulgere hîc liberet, tria diceremus ſignificari cùm junctione nominum, tum modo quo à Pontifice Maximo gerebantur. Conjunctio iterata tribuum potuit earum in unam Rempublicam populi Hebræi coïtionem ſignificare, eámque numquam à bonis civibus diſſolvendam. Arcta autem adliga-

insitivis gemmis, quarum quatuor erunt ordines. Odem, Phitda, & Baraketh unum ordinem *conficient*; [18] secundum Nophech, Sapphir, & Jahalom; [19] tertium Lesem, Sebo, & Achlama; [20] quartum Tharsis, Soham & Jasphe. Constrictæ erunt auro in suis insitionibus. [21] Hæ gemmæ erunt duodecim; secundùm nomina filiorum Israëlis, cœlaturâ sigilli inscalptâ, unaquæque nomine suo, pro duodecim tribubus Israëlis. [22] Facies pectorali catenas ex auro puro, atque opere tortili desinentes. [23] Huic

Quadratum erit, palmúmque longum & latum, & duplici panno, quo meliùs sustententur gemmæ, constans. [17] Quatuor enim gemmarum ordinibus id ornabis, quorum in primo erunt Odemum, Phitda, & Baraketha. [18] In secundo Nophechum, Sapphirus, & Jahalomum. [19] In tertio Lesemum, Sebo, & Achlama. [20] In quartó Tharsisa, Sobamum, & Jaspis. [21] In his duodecim gemmis, nomina duodecim filiorum Jacobi, ut singulis sit suum, scalpentur. [22] Pectorali fa-

ligatio nominum uni vesti unius Sacerdotis, unitatem sacerdotii publici totius Israëliticæ Reipublicæ innuere videri potest. Denique quòd ea nomina humeris Sacerdotis imposita essent, & è regione cordis penderent; quid aliud sibi voluit, nisi quòd Pontifex Maximus commonefactus eâ re fuit sacrorum, quibus Deus propitius fiebat toti Reipublicæ, curam sibi incumbere, se veluti id pondus *humeris ferre*, numquam abjiciendum, sed *cordi habendum*, ut nihil sibi antiquius esset Religione. Hæc quamvis verisimiliora iis quæ habet *Josephus*, ejusmodi tamen sunt ut iis fidere non possimus.

Sanctuarium] Non licebat Pont. Maximo sacra facere, nisi omnibus vestibus induto, si Thalmudicis credimus. Vide *Cod. Joma* C. VII. §. 5. & *Rob. Sheringamii* notas.

30. *Impones pectorali*] אל חשן *el hhoschen* οἱ LXX. ἐπὶ τὸ λογεῖον, Syrus על *hal*. Nec dubium est quin אל *el* ἀντὶ τοῦ על *hal* sæpe occurrat. Vide Levit. XIV, 50. Sed cùm sit harum particularum sensus summopere ambiguus, non potest nisi ex re ipsa, inter varias earum potestates, loco præsenti convenientissima eligi. At rem aliunde notam esse oporteret, quæ sanè est obscurissima, neque ullis veteribus monumentis satis illustrari potest. Hinc factum ut alii verterint *in*, quia *Urim* & *Thummim* exponunt Imagunculas inter duplicem pectoralis pannum insertas; aut quia volunt iis vocibus gemmas ipsas significari, quæ pectorali adhærebant. Sic Onkelos habet בחושן bhhoschen, *in pectorali*. Cùm tamen nihil præter conjecturas alii adferant, ut mox videbimus; nobis nostram æquè tutò sequi posse visi sumus.

Digna hìc est observatu Samaritici Cod. lectio ubi hæc verba versum inchoant ועשית את הארים ואת התמים *& facies Arim & Thamim* (sic enim legi possunt ea vocabula, æquè ac *Urim* & *Thummim*) *& impones pectorali*. Unde colligere est Samaritas credidisse Urim & Thummim novi quidpiam esse, cujus confectio anteà præcepta non fuerat. Propterea, ab eorum Criticis, hæc videntur addita verba, quorum in Vett. Intt. vestigium nullum comparet, non magis quàm in Judaïco Codice.

Urim & Thummim] Voces ipsas servabimus, donec quid certò sequi possimus liqueat. Tria quæruntur de his vocibus, primùm quid sibi velint; deinde cui usui adhiberentur ea, quæ iis significantur; denique quâ ratione iis, quæ *Urim & Thummim* vocantur, veteres uterentur Hebræi. I. LXX. Intt. verterunt τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν, & Vulg. *doctrinam & veritatem*, qua in re spectare potuerunt cùm vocum Etymologiam, tum etiam Judæorum & Ægyptiorum, inter quos versabantur, usum. Ut de priore voce primùm agamus, אורים *ourim*, ut scribitur à Massorethis, (nam, ut vidimus, Samaritæ aliter legunt) derivarunt ἀπὸ τοῦ אור *our*, quod *est lucere*, cum qua notione adfinis est potestas vocis Græcæ δηλῶν *manifestare*, *aperire*, *exponere*. Propterea eamdem verterunt δήλοις Deut. XXXIII, 8. Num. XXVII, 21. Sam. XXVIII, 6. φωτίζουσι Esd. II, 63. φωτισμοὶ Nehem. VIII, 65. quæ eodem recidunt quidem, sed ostendunt satis commodam vocem non esse ab iis inventam, quâ Hebraïcam verterent, ea enim constanter essent usi. Φωτισμὸς etiam verterat *Aquila*. Ac sanè, ut postea videbimus, Urim inserviebant ad res arcanas in lucem proferendas.

Hanc vocis significationem confirmant viri docti, qui eam adfinem esse potestati vocis שרפים *scheraphim*, aut תרפים *theraphim* (nam ת & ש miscentur sæpe) existimant, inter quos *Lud. de Dieu* in Gen. XXXI, 19. & qui pluribus rem prosequutus est *Joan. Spencerus*, in singulari de hoc negotio libro. Ut adfines sunt *lux* & *ignis*, ita inter id quod *lucere*, & quod *cremare* dicitur, quæ est significatio radicis שרף *scharaph*, maxima est nominis propinquitas.

Hinc LXX. Intt. τὸ *Theraphim* verterunt δήλων, ut solent *Urim* reddere, Hos. III, 4. Hinc *Theraphim* cum *Ephodo* conjunguntur, ut solet vox אורים *Urim*. Judic. XVII, 7. & Hoseæ loco laudato.

Hæc cùm satis constare viderentur, existimarunt nonnulli Rabbini, aliique, quorum testimonia collegit *Joan. Spencerus* Cap. III. Sect. 6. אורים non minùs ac תרפים dictas fuisse statuas quasdam humanas, quæ pectorali insererentur, & unde oracula prodirent. Attamen alii, rationibus modò adlatis nequaquam confutatis, invidiam *Spencero* faciunt quòd imagines vetitas Lege Mosaïcâ in sanctissimas ejus cærimonias revocarit, & Ægyptios imitantem Mosem induxerit. Sed eadem ratione efficitur *Cherubinos* non fuisse imagines, quod tamen certissimum est; neque ejusmodi effigies fuisse, apud Ægyptios, quod non minùs compertum, ut suo loco ostendimus.

Numquam nobis placuit ea ratio disceptandi, nimiùm profectò frequens; quâ, dissimulatis rationibus, paratragœdiantur multi Theologi, non veritatem, sed vulgi plausum captantes. Attamen, ut quod sentimus, aut potiùs suspica-

23. Huic pectorali addes etiam duos annulos aureos, duósque illos annulos duabus extremitatibus pectoralis adnectes. 24. Deinde tortiles catenas duobus annulis, ad extremitates pectoralis, inseres. 25. Tum duas geminarum *catenarum* tortilium extremitates connectes duabus palis, imponésque superhumerali pallii ex anteriore parte. 26. Fa-

facient opifices duas catenulas aureas tortiles; 23. 24. & duos annulos aureos, ad duos superiores angulos, quibus conjunctæ erunt duæ catenæ. 25. Deinde has duas catenas superioribus pectoralis an-

camur, proferamus; crediderim אורים *Urim* dici gemmas quasdam *fulgentes*, quibus monilia fieri solerent, & Mosem jussum à Deo, præter alia ornamenta, Pontifici Maximo torquem imponere, gemmis constantem quæ ad pectus ejus descenderent; ut sensus hujus loci sit, quem Paraphrasi expressimus. Syri certè אורלא *aurle*, vocant *Beryllos*, si Lexicographis credimus, qui eam vocem referunt ad radicem אור *our*. Non una gemma à colore flammeo, vel igneo nomen apud Græcos duxit. *Anthracitis*, ἀπὸ τῆ ἄνθρακος, *pruna*, dictæ *color igneus* est, auctore *Plinio* Lib. XXXVII. c. 7. ut & *carbunculorum* omnium, eadem de causa sic à Latinis dictorum. *A similitudine ignium*, inquit ille, *adpellati*, variáque eorum recenset genera. *Phlogimos*, ἀπὸ τῆς φλογὸς, *flammu*, nominatus *invenitur*, ut idem docet, in *Ægypto*. Quàm facilè fieri potest, ut ἀπὸ τῆ אור *our*, hoc est, *lucere*, *splendere*, gemmæ ex carbunculorum genere sint אורים dictæ? Itaque à Deo monile hic significari si dixerimus, origine vocis argui hæc nostra interpretatio non poterit.

Hac in sententia fuisse videntur LXX. Intt. qui vocem תמים *thummim* transtulerunt ἀλήθειαν, quæ vox nomen est imagunculæ pendentis è torque Maximi Ægyptiorum Pontificis. *Diodorus Siculus* de ἀρχιδικαστῇ, seu præside Judicum Ægyptiorum Lib. I. Bibl. p. 68. Ed. Rhod. ἐφόρει οὗτος περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ΑΛΗΘΕΙΑΝ. τῶν δὲ ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὴν τῆς Ἀληθείας εἰκόνα ὁ Ἀρχιδικαστὴς προσθεῖτο: *ferebat hic circu collum ex aurea catena pendens signum pretiosorum lapidum, quod vocabant* VERITATEM. *Incohabant autem disceptationes, cùm Veritatis imaginem adposuerat sibi Judicum Præses.* Ælianus Variar. Hist. Lib. XIV. c. 34. postquàm dixit Judices Ægyptios Sacerdotes fuisse: ἦν δὲ τούτων ἄρχων, inquit, ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας. ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων, καὶ ἀφειδέστατον. εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα, ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο ἄγαλμα Ἀλήθεια: *horum princeps erat maximus natu, & omnes in jus vocabat. Oportebat eum esse justissimum & sincerissimum virorum. Habebat autem circa collum imaginem ex sapphiro gemma, & vocabatur ea imago Veritas.* Quin eò respexerint LXX. Intt. vix dubitabunt, qui in memoriam revocabunt voce Hebraicâ תמים *veritatem* non significari, sed potiùs *perfectionem* aut *probitatem*. Rei, nimirum, majorem rationem habuerunt, quàm propriæ significationis.

Jam si quæras unde vox תמים *thummim* originem ducat, existimarim non à verbo תמם *thamam* deducendam, sed potiùs à voce תאם aut תום *thom*, quæ *gemellum* propriè significat; deinde ad *margaritas*, quæ veluti gemellæ sunt, quia pares eliguntur ad conficienda monilia, ab Arabibus translata est, apud quos דר תואם sunt *conjunctæ margaritæ*. Apud eosdem תומה *thumaton* est *margarita*, sive *illi* simile quid ex argento, מתום *mthauwamon*, est *monili in collo cinctus*. Quæ si vera est vocis *Thummim* significatio, quod nihil vetat, jubebitur hoc in loco Moses Pontificem Maximum torque ornare, partim aliis gemmis quæ *Urim* dicuntur, partim Margaritis constante, & ad pectus usque demisso.

Joan. Spencerus, qui voce *Urim* Angelos, qui cum *igne* solent conferri, significari vult, *Thummim* existimat *perfectionem* signare, esséque hanc vocem ferè synonymam Ægyptiacæ, quam ἀλήθειαν converterunt Græci. Sed præterquàm quòd inter hæc discrimen est, nulla ratio suadet תמים Angelos vocatos, aut unius Angeli imaginem dictam fuisse. Multò faciliùs intelligas ita vocari *uniones*, qui cùm plures essent, numero plurali ita dicuntur, quemadmodum אורים plures *carbunculi*.

Qui *Josephum* edere Oxonii cœperat, in longa adnotatione multa hanc in rem molitur, ac tandem eò devenit ut conjiciat *Urim & Thummim* ipsas esse Pectoralis gemmas. Quoniam, inquit, Exodi c. XXXIX. Pectoralis ratio adcuratè describitur, lapidúmque ordines, nomina & occellatura explicantur, absque Urim & Thummim; & vicissim Levit. c. VIII. in Aharonis inauguratione, memorantur Urim ac Thummim, quasi pectorali imposita, nullâ gemmarum quibus instructum erat mentione factâ; hinc efficitur ea unum idémque fuisse. Si hoc Exodi capite, utrorumque seorsim meminerit Moses v. 29. & 30. id existimat vir doctus fieri quadam Epanalepsi, ut quod v. 29. dictum fuerat, id sequente aliis verbis repetatur. Itaque, si ei credimus, *impones pectorali Judicii Urim & Thummim*, hoc modo exponendum: *gemmarum ordines puros, claros, summâque arte expolitos dabis.* Verùm licèt repetitiones non infrequentes hisce in Libris esse nemo negaverit; non est consuetudinis Mosaicæ, quod clarè dixit, id obscurissimè sequentibus verbis repetere. Sicubi mentio fit τῶν Urim & Thummim, omissis gemmis Pectoralis, & vice versâ; hoc ideò potest contigisse, quòd hæc essent individua, & Pectoralis nomine edito unà intelligantur gemmæ ei veluti inoculatæ; nec solet Moses, in circumstantiis omnibus referendis, ubivis adcuratus esse. Sed quid opus est verbis? Certum est gemmas Pectoralis ita ei adfixas fuisse, ut inde revelli non possent; neque Pectorale primùm Aharoni imponebatur, deinde gemmæ ei inserebantur.

At *Urim & Thummim*, post adpositum Pectorale, Aharoni addita dicuntur Levit. VIII, 8. ubi, quo ordine Aharonem sacerdotalibus ornamentis induerit Moses, narratur. *Tum imposuit ei Pectorale, & Pectorali addidit*

ויתן

[26] Facies præterea duos annulos aureos, eósque addes duabus pectoralis extremitatibus, ad oram quæ ultra est, intrinsecus. [27] Duos *alios* annulos aureos facies, quos superhumeralibus pallii infernè addes, ex anteriore parte, è regione ejus partis, quâ supernè pallii polymitæ texturæ conjunguntur. [28] Stringent autem pectorale annulis suis

annulis conjunctas, palis gemmarum superhumeralibus impositarum adnectes ex anteriore parte. [26] Ad inferiores quoque angulos pectoralis intus, quà pertusum erit pallium, duo alii erunt annuli; [27] ut & in superhumeralium inferiore parte, qua erunt pectori proximi. [28] Hyacinthini vero funi-

(ויתן אל החשן *vajitthen el habboſſchen*) *Urim & Thummim.* An jam induto Pectorali additæ sunt gemmæ? nemo profectò dixerit. Itaque *Urim* & *Thummim* diversa erant à Pectoralis gemmis, ornamentúmque ei superadditum.

Quòd hîc non describuntur *Urim* & *Thummim*, hoc ideò fit, quòd essent gemmarum, & margaritarum nomina notissima, & ita vulgò solerent monilia iis constantia significari. Ita nec definiuntur voces כתנת, אבנט, אפוד, חשן, מעיל, &c. quia receptæ hæ voces fuerunt, & perspecta omnibus earum potestas. Si quid in iis singulare oporteret esse, hoc demum describitur. Solebant Ægyptii uti torquibus, ut liquet ex Gen. XLI, 42. & locis *Diodori* & *Æliani* à nobis adlatis; hodiéque picta ejusmodi monilia interdum, in conditis cadaveribus priscorum Ægyptiorum, conspiciuntur, ut docet *Petrus Vallensis* Ep. XI. Cairo scripta. Vidit ille cadaver, circa cujus collum pictum erat *collare aureum, ex collo pendens, ut solet velleris aurei ordo. In medio ad pectus*, inquit, *adnexa erat veluti ingens lamina aurea, cui inerat avis figura.* Itaque prolato nomine אורים ותמים, quo vocabantur vulgò monilia, carbunculis & margaritis (vicibus fortè dispositis) constantia, intellexit Moses quid sibi vellet Deus. Dixerit fortè quispiam Levit. VIII, 8. si verum sit quod conjicimus, Mosem scribere debuisse non ויתן אל החשן *addidit Pectorali*, sed, cùm de monili è collo pendente sermo esset, וישם על צואריו *& imposuit collo ejus*, ut loco Geneseωs laudato. Verùm ita loqui oportuit Mosem, quia amplum monile non pendebat à tergo, aut circumquaque ex æquo demissum erat, sed ante pectus descendebat; ne jam dicam innumeras, in Hebræo sermone, esse ἀκυρολογίας.

Non memorabo *Jonathanis*, aliorúmque Rabbinorum sententiam, qui crediderunt nomen Tetragrammaton, nescio cui tabulæ inscriptum, significari vocibus *Urim* & *Thummim*, eámque tabulam inter duplicem pannum Pectorali insertam. Conjectura mera est, quæ neminis animum subiret, nisi eam Rabbini protulissent; usque adeò omni verisimilitudine, rationéque destituta est! Minùs digni auditu ii sunt, qui allegorias, ubi de ornamento sermo est, captant; atque hanc, aliásque opiniones copiosè confutavit *Spencerus.*

Ex hujus sententia, hoc unum alicujus momenti nobis objici potest, nempe, *Theraphim*, interdum occurrere conjunctim cum Ephodo; ubi alibi solet esse *Urim* & *Thummim*, quod supra obiter monuimus. Sed nihil obstat quominùs sub Ephodo contineantur *Urim* & *Thummim*, quæ ei semper erant conjuncta, & voce *Theraphim* novi quidpiam significetur. Hoseæ III, 4. illicitas statuas sonat, significat enim Propheta fore ut omni Idololatrico cultu diu abstineant Israëlitæ: *Multis*, inquit, *diebus manebunt Israëlitæ, nullus erit Rex, nullus Princeps* (è gente Hebræa, qui eos ad Idololatriam adliciat) *nullum sacrificium, nulla statua, nullum Ephodum, nulla Theraphim.* Idem sonat etiam Jud. XVII, 5.

II & III. Quærendum esset quis esset usus, & qualis τῶ *Urim* & *Thummim*, sed hac de re videbimus ad Num. XXVII, 21. Hoc in loco observabimus dumtaxat, mirum esse Mosem de usu τῶ *Urim* & *Thummim* nihil dixisse, nisi: *& erunt ad cor Aharonis cùm in conspectum Jehovæ veniet, feretque Aharon perpetuo, ad cor suum, in conspectu Jehovæ, judicium Israëlitarum.* Quare de consulendo Deo, rationéque ejus consulendi tacuit? Certè occasio ejus rei describendæ aptior esse non potuit. Numerorum quidem laudato loco, consulendi, ope τῶ *Urim*, Numinis meminit, sed rationem planè omittit. Itaque aut eò confugiendum, quod alibi observavimus, ut dicamus hîc non esse plenissimam populi Hebræi Historiam; aut dicendum jam tenuisse Hebræos, quomodo per eum, qui gerebat *Urim* & *Thummim*, consuli soleret Deus. Fortè ut ejusmodi torquis res fuit Ægyptiaca: ita etiam reliqui ritus Ægyptiacæ consuetudinis, quod ex *Diodoro* aliquatenus discimus: ἀμφοτέρων δὲ τῶν ἀντιδίκων, inquit, τὰ γεγραμμένα δὶς τοῖς δικασταῖς δόντων, τὸ τηνικαῦτα ἔδει τοὺς μὲν τριάκοντα τὰς γνώμας ἐν ἀλλήλοις ἀποφαίνεσθαι, τὸν δ' Ἀρχιδικαστὴν δὲ τὸ ζώδιον τῆς Ἀληθείας προστίθεσθαι τῷ ἑτέρῳ τῶν ἀμφισβητήσεων: *postquàm bis libellos judicibus litigantes dederant, oportebat triginta judices inter se sententias dicere, summum verò Judicem signum Veritatis alteri parti adponere.* Quid sibi velint προστίθεσθαι ζώδιον τῆς Ἀληθείας non satis intelligo, sed non absimilis est loquutio Hebraica גשת האפוד geſcheth haephod, *Ephodum admovere*, quæ exstat 1. Sam. XXIII, 9. ubi de interrogando per Urim & Thummim Deo sermo est.

Ad cor Aharonis] Ante pectus, è regione cordis, ut verſ. 29.

In conspectum Jehovæ] *In faciem* לפני *liphne*, hoc est, in sanctum sanctorum ut verſ. 29.

Judicium Israëlitarum] Quia in gravibus caussis, non erat responsurus de jure, aut jus litigantibus dicturus, nisi induto sacerdotali pallio, adeóque Ephodo, & pretioso monili, de quo diximus. Sic ζώδιον Ἀληθείας, apud Ægyptios, ex Sacerdotis collo pendere debuit, antequàm cognosceret, aut jus diceret, ut ex *Diodoro* vidimus.

31. *Pallii tunicam*] מעיל האפוד *mehil haephod*, quia Ephodo, seu pallio ἀμίσως subjecta erat.

Totam hyacinthinam] Hoc est; hyacinthinâ lanâ contextam. Contrà interior tunica linea fuit, ut docet Legislator infrà, verſ. 39. Qua in

suis ad annulos pallii, ope hyacinthini funiculi, ut impositum sit texturæ polymitæ pallii, néve pectorale à pallio amoveatur. 29. Feret ergo Aharon nomina filiorum Israëlis *etiam* in pectorali judicii, ad cor suum, cùm sanctuarium ingreditur, in sempiternam coram Jehova memoriam.

30. Impones pectorali judicii Urim & Thummim, eruntque ad cor Aharonis, cùm in conspectum Jehovæ veniet, ferétque Aharon semper judicium Israëlitarum, ad cor suum, coram Jehova.

31. Facies item pallii tunicam totam hyacinthinam. 32. Erit in media foramen capitis, cui foramini circumquaque erit limbus opere textorio, quemadmodum foramini loricæ, ne laceretur. 33. Ad imam ejus partem circumquaque mala punica hyacinthi-

niculi hosce quatuor annulos adstringent, ne pectorale à pallio umquam separetur. 29. Itaque Aharon ita ornatus duodecim filiorum Jacobi nomina, in gemmis pectoralis scalpta, Sanctuario inferet, eos veluti in memoriam Deo revocaturus.

30. Præterea fiet collare, carbunculis & unionibus constans, quod ad pectus usque Aharoni semper pendebit, cùm Sanctuarium ingredietur sacra facturus.

31. Fiet deinde tunica tota hyacinthinâ lanâ constans, quæ sub pallio induetur à Pontifice Maximo. 32. Foramen erit in summa tunica, per quod caput inferatur, quod foramen textili limbo cingetur, ne dum induitur tunica, illac laceretur. 33. Ex ima hac tunica pendebunt mala punica, lanâ

in re Moses ab Ægyptiis Sacerdotibus diversus abit, & Babyloniorum vestitum æmulatur. Adtulimus ad Gen. XXXV, 2. locum *Herodoti*, in quo negat Sacerdotes Ægyptios vestibus, aliis quàm lineis, indutos processisse. A laneis eos abhorruisse disertè etiam docet *Plutarchus*, de Iside & Osiride pag. 352. οἱ δὲ τῶν μὲν ἐρίων ὥσπερ τῶν κρεῶν σεβόμενοι τὸ πρόβατον ἀπέχεσθαι λέγουσι — φορεῖν δὲ τὰ λινᾶ διὰ τὴν χρόαν ἣν τὸ λίνον ἀνθοῦν ἀνίησι τῇ περιεχούσῃ τὸν κόσμον αἰθερίῳ χαροπότητι προσεοικυῖαν: *alii lanis eos ut & carnibus* (ovium) *quòd ovem colant, abstinere dicunt — linum verò gerere, ob colorem quem linum florens emittit nitori ætheris mundum ambientis similem*: Ἡ δὲ ἀληθὴς αἰτία μία πάντων ἐστί· καθαρῷ γὰρ (ὥς φησιν ὁ Πλάτων) οὐ θεμιτὸν ἅπτεσθαι μὴ καθαροῦ. περίσσωμα δὲ τροφῆς καὶ σκύβαλον οὐδὲν ἁγνὸν οὐδὲ καθαρόν ἐστι· ἐκ δὲ περιττωμάτων ἔρια, καὶ λάχναι, καὶ τὰ ἑξῆς: *Unica omnium vera causa est, purum enim, ut dicit Plato, non licet impurum adtingere. Superfluitas autem alimenti, aut pars rejectanea neque casta, neque pura est; ex superfluitate verò sunt lanæ, villi* &c. Causa esse videtur, quòd lana multò difficiliùs ablueretur maculata, quàm linum; & videntur nodum in scirpo quærere, qui aliud quid μυστικώτερον investigant. *Apulejus* tamen in Apolog. p. 69. Edit. Casaub. linum ait esse *purissimum rebus divinis velamentum. Quippe*, inquit, *lana segnissimi corporis excrementum pecori detracta, jam inde Orphei & Pythagoræ scitis, profanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges, inter optimas fruges terrâ exorta, non modò indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris usurpatur.* Igitur quamvis lineas vestes gerere gregarios Sacerdotes vellet Deus, more Ægyptiaco; attamen ut superstitioni obviam iret, Pontificem Max. laneam tunicam iis addere jussit.

Sic autem induti erant vulgò Babylonii, & etiam Ægyptiorum plebeii. *Herodotus* Lib. I. C. 195. Ἐσθῆτι τοιῇδε χρέωνται· κιθῶνι ποδηνεκέϊ λινέῳ, καὶ ἐπὶ τοῦτον ἄλλον εἰρίνεον κιθῶνα ἐπενδύνει, καὶ χλανίδιον λευκὸν περιβαλλόμενοι: *amictu tali utuntur, tunicâ talari lineâ, & supra hanc alteram laneam superinduunt, & tandem penulam candidam superinjiciunt.* χλανίδιον est *Ephod.* Idem scriptor Lib. II. c. 81. de vestibus Ægyptiorum plebeiorum: ἐνδεδύκασι κιθῶνας λινέους, περὶ τὰ σκέλεα θυσανωτούς, οὓς καλέουσι καλασίρις· ἐπὶ τούτοισι δὲ εἰρίνεα εἵματα λευκὰ ἐπαναβληδὸν φορέουσι. οὐ μέντοι ἔς γε τὰ ἱρὰ ἐσφέρεται εἰρίνεα, οὐδὲ συγκαταθάπτεταί σφι· οὐ γὰρ ὅσιον: *induunt tunicas lineas, circa crura fimbriatas, quas vocant Calasiris. Hisce superinjiciunt vestimenta lanea alba, nec tamen lanea templis inferunt* (ob munditiei studium) *neque cum illis sepeliuntur, nam nefas est.* Manifestum est hac in re Mosem Ægyptiis adversatum fuisse; & quamvis necessitate adductus consuetudini plurima dederit, attamen subinde nova instituisse, ne Israëlitæ sacra sua cum Ægyptiacis confunderent. *Phœnicum* Sacerdotes non absimilibus utebantur vestibus, quas ita describit *Herodianus* Lib. V. c. 3. ubi de Heliogabalo Emeseno Solis Sacerdote: προήει τε σχήματι βαρβάρῳ χιτῶνας χρυσοϋφεῖς καὶ ἁλουργεῖς χειριδωτοὺς καὶ ποδήρεις ἀνεζωσμένος: *prodibat barbarico cultu, tunicis auro intertextis & purpureis, manuleatisque ac talaribus indutus.* Haud multò post, c. 5. de ejusdem vestibus: ἦν αὐτῷ τὸ σχῆμα μεταξὺ Φοινίσσης ἱερᾶς στολῆς καὶ χλιδῆς Μηδικῆς: *erat ei habitus inter Phœniciam sacram stolam, & mollem Medicam.* Idem ab usu Romanæ aut Græcæ vestis abhorrebat, ἐρίων φαύλων εἰργάσθαι πράγματος εὐτελοῦς. τοῖς δὲ Σηρῶν ὑφάσμασι μόνοις ἠρέσκετο, *dicens è lana, hoc est, re vilissima confectam, solisque Syrorum texturis delectabatur.*

32. *Foramen capitis*] *Os capitis ejus*, hoc est, foramen per quod caput immitteretur. LXX. περιστόμιον.

Quemadmodum foramini loricæ] כפי תחרא *chphi thabbara.* Posteriorem vocem interpretatur Onkelos *Loricam* שריון *schirjan*, & sic Recentiores; nam LXX. & Vulg. Intt. ne vertere quidem ausi sunt, quòd non intelligerent quid esset. Cave autem æneam, aut ferream loricam intelligas, in qua nullum fuit opus textorium ne frangeretur. Intelligenda *linea*, quales in Ægypto fieri solebant, indigebantque limbo, ne dum induerentur lacerarentur. Vide quæ hac de re collegerunt *Is. Casaubonus* & *Læv. Torrentius* ad *Galbam Suetonii* Cap. XIX. Ejusmodi fuit Ægyptii Regis Amasis thorax, qui

thina, purpurea & coccinea facies, tintinnabuláque aurea inter ea, in orbem; 34. *ut
fit* tintinnabulum aureum, deinde malum punicum circumquaque. 35. Hac veſtietur
Aharon, ut miniſterio *ſuo* fungatur, audietúrque ſonitus ejus, cùm ingredietur ſan-
ctuarium, in conſpectum Jehovæ *veniens*, cúmque egredietur, ne moriatur.
36. Laminam etiam facies ex auro puro, inſculpéſque in ea, cælaturâ ſigilli, San-
ctitas Jehovæ. 37. Tum adnectes eam funiculo hyacinthino, & adponetur cidari,
ex anteriore cidaris parte. 38. Imminebit *ſic* fronti Aharonis, ferétque is delictum
omnium oblationum ſacrarum quas conſecrabunt Iſraëlitæ, pro quibuſcumque dona-
riis eorum ſacris; & imminebit fronti ejus perpetuò, ad favorem eis coram Jeho-
va *conciliandum*.

39. Strictio-

lanâ hyacinthinâ, purpureâ & coccineâ confecta,
tum etiam tintinnabula aurea; 34. ita ut inter duo
mala punica ſit tintionabulum, circa inferiorem
tunicæ limbum. 35. Horum tintinnabulorum ſo-
nitus ſignificabit Pontificem Maximum ingredi
Sanctuarium, eóque egredi.
36. Conflabitur quoque lamina aurea, cui hæ
duæ voces *Sanctitas Jehova* inſculpentur. 37. Hæc
autem lamina hyacinthino vinculo cidaris anterio-
ri parti adnectetur. 38. Itaque Pontificis Maximi
fronti ſemper imminebit, iſque hac ſanctimoniâ
omnia populi Hebræi donaria & ſacra mihi con-
ſecrabit, & grata faciet.

39. De-

qui in Rhodiorum inſula oſtendebatur, in templo Minervæ, & cujus CCCLXV filis ſingula fila conſtabant, ut auctor eſt *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. XIX. C. 2. Similem huic, polymitario opere confectum, ita deſcribit *Herodotus* Lib. III. c. 47. τοῦ ἕνεκα θωυμάσαι ἄξιον ἁρπεδόνη ἑκάστη τοῦ θώρηκος ποιέει· ἐοῦσα γὰρ λεπτὴ ἔχει ἁρπεδόνας ἐν ἑωυτῇ τριηκοσίας καὶ ἑξήκοντα πάσας φανεράς: *propterea admiratione dignum faciunt ſingula thoracis fila, quæ cùm exilia ſint, habent tamen ſingula in ſe tricena ſexagena fila omnia conſpicua.* Proximè antecedentia verba adtulimus ad Cap. XXV, 1.

33. *Ad imam ejus partem*] שוליו *ſchoulau*, de qua voce vide not. ad Gen. XLIX, 10.

Mala punica] Hoc eſt, interprete Joſepho, θύσανοι ῥοῶν τρόπον ἐκ βαφῆς μεμιμημένοι: *globi penduli tincturâ mala punica imitati.*

35. *Hac veſtietur*] *Erit ſuper Aharone.*

Ne moriatur] Hæc non ſunt ita intelligenda, quaſi ſonitu opus fuerit Deo aut Angelo, ut ingredientem Sacerdotem ab aliis dignoſceret; ſed videntur ἀνθρωποπαθῶς dicta.

36. *Laminam*] ציץ *tſits*, πέταλον vertunt οἱ LXX. hoc eſt, *filum*, vel, ut habet Vulg. *lamina*.

Sanctitas Jehovæ] קדש ליהוה *kodeſch libovah.* Ad verbum vertimus, quòd ipſa verba in re ejuſmodi referenda cenſeremus. Idem eſt ac ſi ſcriptum fuiſſet SACER DEO ISRAELIS, quibus verbis ſignificabatur Pontifex Maximus, præ ceteris omnibus Sacerdotibus, Deo eſſe conſecratus, ut ejus cultûs publici curam potiſſimam gereret. Nihil frequentius, in hiſce libris, ſubſtantivo קדש *kodeſch*, pro adjectivo קדש *kadoſch*, ſanctus. Hinc Pontifici Max. præ ceteris omnibus, præceptum ab omni pollutione cavere. Vide Cap. XXI.

37. *Adnectes eam funiculo*] Ad formam *diadematis*, quo fit ut hæc lamina *corona* vocetur infrà Cap. XXXIX, 30. & Levit. VIII, 9. Qui in nummis, aut ſtatuis viderunt diademata quid velim intelligent. Cùm hoc ſit diſertiſſimum Moſis præceptum, attamen tempore *Joſephi* alia fuit ratio adligandæ laminæ, quam Lib. III. c. VII. ita deſcribit, poſtquàm dixit, præter Cidarin quæ omnibus Sacerdotibus fuit, aliam fuiſſe Pontifici Max. hyacinthinam priori circumpoſitam: περιέχεται δὲ στέφανος χρύσεος, ἐπὶ τριστιχίαν κεχαλκευμένος, θάλλει δὲ ἐπ' αὐτῷ κάλυξ χρύσεος τῇ σακχάρῳ βοτάνῃ παρ' ἡμῖν λεγομένῃ ἀπομεμιμημένος: *circumdat aurea corona triplici ordine fabrefacta, floret in ea calyx aureus, ſimilis plantæ quæ Saccharum apud nos dicitur.* Deinde *Saccharum*, quam eſſe *Hyoſcyamum* Græcorum ait, deſcribit, & ſubdit: ἐκ τούτου μὲν στέφανος ἐκκεχάλκευται, ὅσον ἀπὸ τοῦ ἰνίου πρὸς ἑκάτερον τῶν κροτάφων· τὸ δὲ μέτωπον ἡ μὲν ἐφιελὶς οὐκ ἔπεισι· λεγέσθω γὰρ οὕτως ὁ κάλυξ. τελαμὼν δ' ἐστὶ χρύσεος, ὃς ἱεροῖς γράμμασι τοῦ Θεοῦ τὴν προσηγορίαν ἐπιτετμημένος ἐστί: *ex hoc corona fabricata eſt, quà eſt ab occipitio ad utrumque tempus. Frontem verò redimiculum, ut calycem ita vocem, non pervadit, ſed lamina eſt aurea, cui, ſacris litteris, Dei adpellatio inſculpta eſt.* Sacræ litteræ ſunt veteres Phœniciæ, aut Iſraëliticæ, non Aſſyriæ hodiernæ; verùm hoc non agitur, obſervabimus dumtaxat hinc ex conſuetudine, tempore *Joſephi* recepta, non eſſe de temporibus Moſaicis ſemper judicandum. Quod cùm ſit manifeſtum, quid fiet recentioribus Rabbinis, qui diu poſt everſum Templum, nobis omnia deſcribunt, quaſi ea præſentes vidiſſent, & ſæpiſſimè *Joſepho*, qui ſtante Templo ipſe Sacerdotio functus eſt, contradicunt?

38. *Imminebit fronti*] והיה על מצח *erit ſupra frontem*, ſed cùm eſſet tiaræ impoſitum, ut antecedentia verba docent, imminebat potiùs fronti, quàm eam tangebat. Particulæ על hîc eſt mira ambiguitas, in paucis verbis: *pones eam ſupra* על *cidarim, ex anteriore parte cidaris, & erit ſupra* על *frontem.* Sed ſic ſolent Hebræi. Vide not. ad Gen XXXII, 21. Levit. III, 4. & quæ ad ſequentia verba habemus.

Feret is delictum] Hoc eſt, quidquid deerit Iſraëlitarum ſacris, id omne *expiabit.* Vide Levit. X, 17. & Ezek. IV, 4. At in hoc ipſo libro videtur Cap. X, 17. eadem hæc loquutio perinde eſſe ac *remittere peccatum*; & infrà verſ. 43. ſignificat *peccati pœnam luere.*

Omnium oblationum ſacrarum] *Omnium Sanctitatum.*

Quibuſcumque donariis] *Secundùm omnia dona ſanctitatum eorum*, aut *omnibus* &c. לכל *lebol.*

Ad favorem eis] לרצון להם *lratſon labem.* Vide

39. Strictiorem etiam tunicam è bysso facies, cidarimque *itidem* è bysso, & cingulum opere prhygionico *ornatum*.

40. Filiis verò Aharonis facies tunicas, cingula, & tiaras, ornatûs, decorísque causâ.

41. His *vestibus* indues Aharonem fratrem, ejúsque filios, eos inunges, potestate instrues, & consecrabis, ut sacerdotum meorum munere fungantur.

42. Fac quoque illis femoralia linea, ut verendorum carnem tegant, eaque à lumbis ad femora sint.

43. *His vestibus* induti erunt Aharon, ejúsque filii, cùm tabernaculum conventûs ingredientur, aut accedent ad altare, ut ad sanctuarium ministerio fungantur, ne ferant peccatum, & moriantur. Institutum hoc erit ei, ejúsque posteris perpetuum.

XXVI. De-

39. Denique Pontifici Maximò arctiorem Tunicam lineam, quæ laneæ subjiciatur, fieri curabis. Cidaris quoque linea erit, & cingulum, quo vestes adstringentur, opere phrygionico ornatum.

40. 41. Aharonis verò filiis fient ex lino tunicæ, cingula, tiaræ, & femoralia, quibus verenda tegant.

42. His vestibus induentur, cùm in Sacérdotes meos consecrabuntur, 43. hisque semper induti erunt, cùm sacrorum faciendorum causâ ad Tabernaculum convenient. Atque has leges, circa vestes sacras, Aharonis posteri cùm Pontifices Maximi, tum etiam gregarii Sacerdotes observanto.

P A-

de Esai LVI, 7. LX, 7. Loco primogenitorum Israëlis consecrata erat Deo tota tribus Levis, atque hujus princeps cùm esset Pontifex Max. pro tribulibus suis etiam Sacra facere censebatur. Itaque dum se Pontifex *Deo Sacrum* offerret, totus Israëlis populus *Sacerdotale regnum*, cujus ad Deum legatus erat Pont. Maximus, sic se Numini veluti sistebat, & assiduitate in sacris faciendis gratiam sibi ejus promerebatur.

39. *Strictiorem tunicam faciet*] שבצת הכתנת schibbatstha hacchethoneth, *constringet tunicam lineam*. Hanc ita describit *Hieronymus* ad Fabiolam: *Hæc adhæret corpori, & tam arcta est & strictis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga, & usque ad crura descendat. Volo pro legentis facilitate abuti sermone vulgato. Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris, & adstrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, ensem librare quocumque necessitas traxerit. Ergo & sacerdotes, parati in ministerium Dei, utantur hac tunica, ut habentes pulcritudinem vestimentorum, nudorum celeritate discurrant. Josephus* Ant. Jud. Lib. III. c 7. de hac ipsa veste: ἐπὶ τούτῳ (nempe, femorali) λίνεον ἔνδυμα διπλῆς φορεῖ σινδόνος βυσσίνης· χεθομένη μὲν καλεῖται. (λίνεον τοῦτο σημαίνει (כתן chetthan Chaldaicè, كتان Arabicè *linum* sonat) χεθὸν γὰρ τὸ λίνον ἡμεῖς καλοῦμεν. ἔστι δὲ τοῦτο τὸ ἔνδυμα ποδήρης χιτὼν περιεσφιγμένος τῷ σώματι καὶ τὰς χειρίδας περὶ τοῖς βραχίοσι κατεσφιγμένος: *supra hoc lineum vestimentum gestat, duplici sindone byssinâ; vocatur Chetone. Lineum hoc significat, Chethon enim vocamus linum. Est tunica talaris, corpus complexa, & manicis circa brachia adstricta.*

Cingulum opere Phrygionico] Vide ad vers. 4.

40. *Facies tunicas*] Gregarii Sacerdotes quatuor vestibus ornati erant, ut hinc Rabbini ostenderunt, tunicâ lineâ, cingulo, tiarâ, & femoralibus. Pontifex verò Maximus octo vestibus, ut iidem loquuntur, indutus sacra obibat; nam præter memoratas quatuor, habebat superiorem tunicam, pallium, pectorale, & laminam auream seu diadema. Vide Librum Thalmudicum *Joma* Cap. VII. & notat. *Rob. Sheringhamii*.

Tiaras] מגבעות *migbaboth*. An hæ tiaræ à Pontificis Max. Cidari formâ differrent, ut nomine, non liquet. *Josephus* non distinguit, ad formam quod adtinet, sed tantùm hyacinthino involucro. Postquàm enim descripsit vulgarem tiaram sacerdotalem, ut antea vidimus, ad Pontificis Max. vestes progreditur, & inter alia: πῖλος δ' ἦν, inquit, ὁ μὲν πρότερος αὐτῷ, παραπλησίως εἰργασμένος τοῖς πᾶσιν ἱερεῦσιν: *pileus erat illi & qui antea descriptus, factus similimodo ac reliquis Sacerdotibus*: ὑπὲρ αὐτὸν δὲ συνερραμμένος ἕτερος ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος: *supra hunc consutus alius ex hyacintho variegatus.* Dignum hîc est observatu quòd tiaris ornantur Sacerdotes, id contrarium esse moribus Ægyptiacis, consentaneum Babylonicis. Babylonii, auctore *Herodoto* Lib. I. c. 195. κομῶντες τὰς κεφαλὰς μίτρῃσι ἀναδέονται: *capita habentes comata, mitris rediminntur.* Ægyptii verò, ut idem Lib. III. c. 12. docet: αὐτίκα ἀπὸ παιδίων ἀρξάμενοι ξυρεῦνται τὰς κεφαλάς, καὶ πρὸς τὸν ἥλιον παχύνεται τὸ ὀστέον: *statim ab infantia incipientes capita tondent, & ad solem os induratur*, quòd, nempe, integumento capitis carerent, in sequentibus enim verbis iis opponit Persas, qui σκιητροφέουσι ἐξ ἀρχῆς, πίλους τιάρας τε φορέοντες: *ab initio in umbra aluntur, pileos & tiaras ferentes.*

41. *Potestate instrues*] *Implebis manum eorum*, quæ est sollemnis phrasis Mosis, ad significandam delationem muneris. Fortè petita est phrasis ab aliquo ritu Orientis, quo insignia muneris in manum eorum, quibus conferebatur, tradebantur; unde postea factum sit ut *implere manum* sit muneris excercendi potestatem facere. Vide Jud. XVI, vers. 5. Hic quoque Moses instrumenta omnia sacra Aharoni & Levitis *in manum* tradidit.

Ut Sacerdotum &c.] *Et sacerdotio fungentur mihi.*

42. *Femoralia linea*] מכנסי בד *michnese bad*, à radice כנס *colligere*, quòd circa corpus collige-

XXVI. Describit Deus ritus in consecratione Sacerdotum adhibendos; quæ pars salutarium victimarum ad eos pertineat, & quomodo sit comedenda docet; tum perpetuum sacrificium instituit, séque Israëlitis adfuturum pollicetur.

1. AD eos autem consecrandos, ut mihi sacerdotes sint, hoc iis facies. Accipe juvencum unum, geminósque arietes, sine vitio, 2. panem azymum, placentas azymas oleo mistas, & lagana oleo inuncta; similaginea *ex* tritico hæc facies. 3. Tum ea pones in canistro uno, eáque admovebis *altari* in illo canistro, unà cum juvenco, & geminis arietibus. 4. Aharonem quoque ejúsque filios ad ostium tabernaculi conventûs accedere jubebis, eósque aquâ ablues. CAPUT XXIX.

5. Deinde sumtis vestibus, indues Aharonem tunicâ *interiore*, tunicâ pallii, pallio,

PARAPHRASIS.

1. PARATIS sacerdotalibus indumentis, Aharonem ejusque filios hoc ritu mihi consecrabis, ut Sacerdotum publicorum Populi Hebræi munere in posterum fungantur. Juvencum unum, & arietes duos comparabis. 2. Tum coques ex similagine panem azymum, placentásque azymas oleo mistas & inunctas. 3. Hæc in canistro ad altare ferentur, eóque simul juvencus & arietes ducentur. 4. Quo peracto, Aharonem, & filios ad ostium Tabernaculi vocabis, & aquâ se se abluere jubebis.

5. Cùm abluti fuerint, Aharonem indues tunicâ lineâ interiore, cui superimpones laneam exteriorem, tum pallium, deinde pectorale, quod catenulis aureis & hyacinthinis funiculis ex pallio suspendetur; tandem monile carbunculorum & unionum

ligerentur femoralia, non laxè, ut tunica, diffluerent. Verterunt οἱ LXX. περισκελῆ. Vulg. *feminalia*. Si *Josepho* credimus, non multùm à braccis nostris differebant, sic enim loco laudato describit: πρῶτον μὲν περιτίθεται τὸν μαχανασῆν (מכנס) λεγόμενον· βούλεται δὲ συνακτῆρα μὲν δηλοῦν. διάζωμα δ' ἐστὶ περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν ἐκ βύσσου κλωστῆς εἰργασμένον, ἐμβαινόντων εἰς αὐτὸ τῶν ποδῶν ὥσπερ εἰς ἀναξυρίδας· ἀποτέμνεται δὲ ὑπὲρ ἥμισυ καὶ τελευτῆσαν ἄχρι τῆς λαγόνος περὶ αὐτὴν ἀποσφίγγεται: *primùm induitur* Machanasi *dicto, quod sibi vult constrictorium. Est autem cinctorium circa pudenda consutum atque ex torta bysso confectum, ingredientibus in id pedibus, ut in Anaxyridas. Scinditur autem supra dimidiam partem, & desinens usque ad lumbos, circà eos stringitur.* Eum descripsit *Hieronymus* in Ep. ad *Fabiolam*, additque: *refert Josephus, nam ætate ejus adhuc Templum stabat, & necdum Vespasianus & Titus Hierosolymam subverterant, & erat ipse de genere Sacerdotali, multóque plus intelligitur quod oculis videtur, quàm quod aure percipitur.* Quæ sunt verissima, nec fidem detrahimus *Josepho* vestem, quâ utebatur, describenti; sed vehementer dubitamus an Mosaïcis temporibus ejusmodi braccæ Sacerdotibus fuerint, Ratio dubitandi hæc est, quòd in talibus braccis nullum sit periculum, ne verenda nudentur, quantævis altitudinis sint gradus ad quos adscendimus, aliis suspicientibus. At verò Moses Cap, XX, 26. disertè vetat ne fiant altaribus gradus, *ne* Sacerdotum *retegatur nuditas*. Itaque מכנסים crediderim esse fasciam quæ corpori circumponeretur, ut velaret quidem pudenda ex eodem plano intuentibus, sed non ex ex inferiore solo suspicientibus. Ac sanè cùm ad femora tantùm extenderentur, & infrà essent aperta, facilè nudari potuissent Sacerdotes in alto soggestu sacra facientes. Multi, in hoc eodem negotio, braccas Græcis & Romanis tribuentes errarunt, cùm antiquis temporibus fascias tantùm, quales descripsimus, gererent, & ut plurimùm etiam sine ullo subligaculo procederent, ut doctè ostendit *Is. Casaubonus* ad Augusti Cap. LXXXII. in Comment. in *Suetonium*. Nescio an vulgò Hebræi מכנסים gererent, sed hoc quidem constat, Davidem concitatiùs saltantem verenda aperuisse 2. Sam. VI, 20. unde liquet nullas eum habuisse vestes longiores, aut quæ ad femora adstrictæ essent.

53. *His vestibus* &c.] *Et erunt super Aharone & filiis ejus.*

Ad Sanctuarium] Aut *in sanctuario* בקדש *bkodesch.* Vide vers. 29.

Ne ferant peccatum] Hoc est, pœnas legis violatæ ferant. Vide Levit. XVII, versu ultimo. XXIV, 15. 1. Sam. XV, 21.

Ejúsque posteris] *Semini ejus post eos.*

COMMENTARIUS

In CAPUT XXIX.

1. J*Uvencum unum*] Additur בן בקר ben bakar, *filium bovis*, abundantiâ quadam Hebraicâ, ut asello nominato additur בן אתון *filius asinæ*.

Sine vitio] תמימים thmimim *perfectos*, τελείους, ut loquuntur hac in re Græci. Vide ad Levit. XXII, 19.

2. *Oleo mistas*] Volunt *oleo mistas* placentas eas esse, in quibus conficiendis miscetur farinæ oleum, *unctas* eas esse quæ coctæ demum oleo tinguntur. Sed & antequàm coquerentur oleo ungi poterant. *Cato* de R. R. Cap. 76. ubi docet quomodo facienda sit placenta, hæc inter alia habet: *Ubi depsueris, panno oleo uncto tangito & circum tergeto, unguitóque ubi tracta erunt.* Sed quodnam sit discrimen inter חלות & רקיקים, quæ sunt nomina harum placentarum, ne conjiciendo quidem quisquam dixerit. Variæ etiam spe-

lio, & pectorali, atque illi *hoc* suspendes, ex textura polymita pallii. 6. Postea impones capiti ejus cidarim, cidarique diadema sanctitatis addes. 7. Sumto etiam inunctionis oleo, id adfundes ejus capiti, atque hoc inunges.

8. *Hoc peracto*, accedere etiam jubebis ejus filios, eósque tunicis indues; 9. tum cinges zonâ Aharonem ejúsque filios, & adligabis his tiaras. Erit illis sacerdotium in institutum sempiternum, potestatéque Aharonem & ejus filios instrues.

10. Admoto deinde juvenco ad anteriorem partem tabernaculi conventûs, Aharon, ejúsque filii manus suas nitendo capiti juvenci imponent. 11. Tum mactabis juvencum coram Jehova, ad ostium tabernaculi conventûs, 12. aliquantúmque ex sanguine ejus sumes, quem cornibus altaris digito tuo oblines, *reliquum* verò omnem sanguinem ad basin altaris effundes. 13. Auferes deinde omnem adipem tegentem intestina, maximum jecinoris lobum, duos renes, & adipem qui supra eos est, eáque in altari adolebis. 14. Carnem verò juvenci, pellémque & fimum ejus extra castra igne combures, atque hæc erit victima pro peccato.

19. Po-

num ejus collo injicies, ut ad pectus usque pendeat. 6. 7. Postquàm indutus hisce vestibus atque ornamentis fuerit, capiti ejus oleum inunctionis adfundes, adfusóque cidarim capiti, & cidari laminam auream hyacinthinâ vittâ revinctam ad frontem impones.

8. Aharone induto, filios ejus femoralibus, & tunicâ vesties, 9. patrémque & filios zonis cinges. Atque hoc vestitu hi eorúmque posteri, ut mihi sint Sacerdotes, in perpetuum consecrabuntur.

10. Tum ad juvencum, ad anteriorem Tabernaculi partem ductum, accedet Aharon cum filiis, manusque omnes juvenci capiti imponent, eóque nitentur; quo ritu, victimam hanc pro se mactari significabunt. 11. Deinde mactabitur à te juvencus, in Atrio, ad ostium Tabernaculi; 12. cujus juvenci sanguine postquàm altaris cornua obleveris, quod supererit ad ejusdem basin effundes. 13. Separabis deinde à reliqua carne omentum, maximum jecinoris lobum, duos renes, & adipem qui circa eos est,

species placentarum adhibebantur in Sacris, apud Ethnicos, & multi de earum generibus scripserant, quos memorat *Athenæus* Deipnos. Lib. XIV. & *Porphyrius* alicubi in libris de Abstinentia. Apud *Aristophanem* in *Pluto* Act. III. Scen. 2. Æsculapii Sacerdos.

Περιῆλθε τοὺς βωμοὺς ἅπαντας ἐν κύκλῳ
Εἴπου πόπανον εἴη τι καταλελειμμένον.

Circuivit omnes circumquaque aras, sicubi relictum esset popanum. Ægyptii, ut docet *Herodotus* Lib. II. cap. 40. tauri adolendi corpus πιμπλᾶσι ἄρτων καθαρῶν, *panibus puris implent.* Vide ad v. 32.

Oleo uncta] Desunt hæc verba משוחים בשמן in Samaritico, & MS. Alexandrino versionis τῶν LXX.

Similaginea] Vide not. ad Genes. XVII, 6.

4. *Eósque aqua ablues*] Ad omnia Sacra necessaria fuit ablutio. Qua de causa diximus ad Gen. XXXV, 2.

5. *Atque hoc illi suspendes*] אפדת *aphadeha.* LXX. Intt. καὶ συνάψεις αὐτῷ, *& adligabis illi.* Vulg. *constringes.* Onkelos: ותתקין *& aptabis.* Samariticus Interpres: חעין *constringes.* Sed cùm אפד sit propriè vestimentum *suspensum*, & Pectorale ex fibulis Ephodi *suspenderetur*, maluimus vertere *suspendes.* Nam Hebræi ad significandum *adligare*, aliis verbis utuntur.

Ex textura polymita] בחשב *bhhescheb.* Vide not. ad Cap. XXVIII, 28. Non potest significari cingulum Ephodi, ut vult Onkelos, qui habet המין *hemjan*; quia Pectorale non erat aptatum ulli cingulo, sed anteriori parti sacerdotalis pallii, ad quam ex humeralibus fibulis, catenis aureis & hyacinthinis funiculis pendebat. Nusquam mentio ulla fit ullius cinguli, præter id quod vocatur אבנט *abnet*, & quo cingebantur geminæ tunicæ. In Samaritico codice post כתנת legimus: וחגרתה אתו אבנים והלבשת אתו את המעיל ונתתה עליו את האפוד: *& cinges illi balteum & indues eum pallio, & impones ei ephodum.*

6. *Diadema Sanctitatis*] נזר הקדש *nezer hakkodesch.* Laminam auream, de qua ad C. XXXIX, 30. Vide ad Gen. XLIX, 20.

7. *Sumto etiam* &c.] Si hîc accuratus ordo servaretur, oporteret ipsi tiaræ adfundi oleum, quod vix crediderim. *Capiti* certè non tiaræ adfundi dicit Moses, & Psaltes Ps. CXXXII, vers. 2.

9. *Adligabis tiaras*] Quia, nimirum, caput iis vinciebatur, tiaræ longâ fasciâ. Vide not. ad C. XXVIII, 4. Pro אבנט est in Samaritico אבנימים ζώναις, ut habent LXX. Intt.

10. *Ad partem anteriorem tabernaculi*] לפני אהל *liphne ohel.* Samariticus habet לפני יי פתח *coram Jehova ad ostium tabernaculi.*

11. *Manus suas capiti imponent*] Hunc ritum postea sanxit Deus observandum, antequàm mactarentur victimæ, ab iis pro quibus mactabantur. Vide Levit. I, 4. III, 2, 8, 13. IV, 4, 15, 24, 29. Quid sibi vellet is ritus quærunt Eruditi, cùm inter Judæos, tum inter Christianos; qua de quæstione copiosè egit *Gul. Outramus* de Sacrif. Lib. I. c. 15. Existimant plerique eo ritu designatam esse rem vel personam, aut morti devotam, aut Deo commendatam precibus, aut denique muneri graviori, usuive sacro destinatam; adeóque *preces*, seu in bonam partem, seu in sequiorem ea vox sumatur, semper conjunctas; quam in rem multa collegit vir eruditus, quæ non exscribimus. Ritus ille cùm adhiberetur vulgo inter homines, ad designandum sibi in munere successorem (Vide Num. XI, 17. XXVII, 18. Deut. XXXIV, 9.) in quem, nimirum, qui imponebat manus conferebat ac veluti deponebat eo ritu onus quod sibi hactenus incubuerat; existimarim eadem im-

15. Postea alterum arietem arripies, Aharónque & ejus filii ejus arietis capiti manus nitendo imponent. 16. Eum mactabis, exceptúmque ejus sanguinem circa altare adsperges. 17. Tum arietem in frusta prosecabis, intestina ejus, & crura ablues, eáque ejus prosiciis & capiti impones. 18. Sic adolebis totum arietem in altari ; holocaustum hoc *erit* Jehovæ , *in* odotem placamenti, hæc igne absumenda Jehovæ oblatio.

19. Tum capies alterum arietem, Aharónque & filii manus hujus arietis capiti nitendo imponent. 20. Mactabis hunc arietem, atque ex hujus sanguine aliquantum sumes, eóque oblines lobum auris *dextræ* Aharonis , & lobum *similiter* auris dextræ filiorum ejus, itémque pollicem manûs eorum dextræ , & pollicem pedis dextri , ac *reliquum* sanguinem circa altare adsperges. 21. Tum sumes aliquantum è sanguine, qui ad altare *erit* , éque oleo inunctionis, atque eo adsperges Aharonem & vestes ejus ; unáque filios, & eorum vestes; ac consecrabitur ipse & vestes, unáque filii cum vestibus

est, atque hæc omnia in altari adolebis. 14. Carnem verò reliquam , unà cum pelle, & intestinis nondum purgatis, extra castra combures. Atque hæe erit victima pro peccato Sacerdotum mactata.

15. Arietem deinde altari admovebis , cujus capiti cùm manus imposuerint Aharon & filii , 16. eum mactabis, & ejus sanguioe altare circumquaque adsperges. 17. Tum victimam prosecabis, intestináque & crura ablues , eáque abluta capiti , ceterísque prosiciis impones , atque ita porricies in altare , 18. totámque victimam adolebis. Holocaustum hoc erit , quod propitiandi Numinis causâ totum absumetur.

19. Hoc peracto , alteri arieti similiter manus impooent Sacerdotes consecrandi ; 20. mactabitur , & sanguine ejus vase excepto , iis lobus auris dextræ, & pollex dextræ manûs, dextrique pedis oblinentur. Tum eo , qui supererit , altare circumquaque adspergetur. 21. Ejusdem sanguinis adspersi guttæ aliquot admiscebuntur oleo inunctionis causâ parato,

impositione manuum erga victimas usos, ut eas velnti suo loco esse, & sibi succedere significarent. Quam in rem observaudum eum solum, pro qoo victima offerebatur, debuisse manns ei impooere, ut ex locis Levitici indicatis liquet; testantem, nempe, se hanc animam pro meliore Deo dare. Atqoe hæe fuit *Theedoreti* sententia Quæst. LXI. io Exod. ἦν τοῦτο σύμβολον , inqnit, τοῦτο ἱερεῖον τὸν τόπον πληροῦν τοῦ προσφέροντος, τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ δεχομένην σφαγήν : *signum hoc erat victimam locum subire offerentis*, & *pro illo accipi mactationem*. Igitur hoc volebant etiam Sacerdotes, se mortem commeritos , si Deus pœnas repetere vellet; sed ejus benignitate, sibi succedere victimas mox juguландas. An conjuncta fuerit aliqua peccati confessio non liqoet , quamvis Rabbini eam semper cum impositione mannum conjunctam fuisse veliot. Hoc saltem conflare videtur, hunc ipsum ritum confessionem peccati , tacente licèt Sacerdote , fuisse.

12. *Cornibus altaris*] Vide not. ad Levit. IV, 25,30. Hîc Aharon eodem modo ac privati expiatur , cùm Sacerdos soleret sanguinem victimæ pro se oblatæ inferre Sanctuario, nt docet Moses, Levit. IV,4. & seqq. Verùm nondum hoc tempore erat consecratus.

13. *Auferes deinde* &c.] De his ritibus agemus ad Levit. IV. ubi leges pleniùs habentur.

Maximum jecinoris lobum] על הכבד *supra jecur*. Omittit על Samariticus , nt & LXX. qui habent τὸν λοβὸν τοῦ ἥπατος. Vide ad Levitici Cap. laudatum.

14. *Hujusmodi enim erit victima pro peccato*] חטאת הוא *bhattath hou* , peccatum hoc , & ita passim pro *victima piaculari*. Vide Levit. IV.

18. *In odorem placamenti*] Vide not. ad Gen. VIII, 21.

Igne absumenda oblatio] אשה isscheh , qnod parum aptè θυμίαμα verterunt , si vera hæc lectio LXX. Int. & Vulg. *incensum*. Sed alii Codd. & ipsi LXX. alibi habent θυσίασμα , quod non exprimit quidem integram vocis אשה potestatem , sed tamen aptius est. Quod unâ voce non potoit , ploribus vertimus. Ita vocabantur quæcumque Deo oblata igne absumebantur ; erant enim aliæ oblationes quæ non urebantur, qualia quæ in usum & fabricationem Tabernaculi donata sunt. Græci similiter victimas ἔμπυρα vocabant.

20. *Mactabis hunc arietem*] Tres hîc sunt victimæ , prima juvencus pro peccato , altera aries in holocautoma , tertia iidem aries salutaris victima , ex qua comedere offerentes potuere , ut epularentur designati Sacerdotes. Sed quamvis hie sit potissimus trium victimarum , ut ita dicam , χαρακτὴρ , singulæ tamen piaculares verè suere ; ut liquet ex eo quòd duabus prioribos manns imposuerint Sacerdotes , postremæ verò etiam sanguine lustrali sint illiti , atque adspersi. Sic passim victimarum significationes & usus in Lege miscentur , ut vix satis commodè secerni possint.

Cùm autem has tres victimas in uno, eodémque altari adoleverit Moses , magnam partem diei in hisce ritibus absumserit necesse est. Primùm enim fuerunt comburendæ prosiciæ juvenci pro peccato , tum arietis holocausti , denique arietis consecrationis ; non videntur enim diversa sacrificia in altari mista.

Oblines lobum auris &c.] Hujus ritus symbolici sigoificationem optimè interpretari videtur *Philo* , (qui alioqui plerumqoe fidiculis, ad negotium suum , quidqnid videtur trahit ,) nisi quod auribus sermonis significatiooem sine causa tribuere videtur. Hæc sunt ejus verba Lib. III. de *vita Mosis* p. 525. Τρία μέρη τοῦ σώματος χειλὸς τοῦ τελειωθέντος ἱερέως , ὡς ἄκρον , ἄκραν χεῖρα , ποδὸς ἄκρον , δεξιὰ τὰ σύμπαντα , αἰνιττόμενος ὅτι δεῖ τὸν τέλειον καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ βίῳ παντὶ κα-θα-

bus suis. [22] Deinde auferes ab hoc ariete adipem & caudam , adipem intestina tegentem, maximum jecinoris lobum, renes & adipem qui supra eos est, atque armum dextrum, est enim aries consecrationis.

[23] Ex canistro verò azymorum , quod coram Jehova erit ; *sumes* popanum panis unum, placentam panis unam *ex* oleo, & laganum unum; [24] atque hæc omnia manibus Aharonis & filiorum impones; eáque in oblationem, coram Jehova, agitando offeres. [25] Deinde hæc ex eorum manibus recipies, atque adolebis in altari, supra holocaustum, in odorem placamenti coram Jehova ; hujusmodi enim est oblatio igne Jehovæ absumenda.

[26] Auferes autem pectus ex ariete consecrationis Aharonis , idque agitando in oblationem offeres coram Jehova, & tibi in partem cedet. [27] Sacra habebis pectus agitatæ oblationis , & elatæ armum , quæ agitata & elata fuerint ex ariete consecrationis, qui Aharonis, & filiorum ejus causâ *mactatus fuerit* ; [28] eruntque Aharoni ejúsque filiis in institutum sempiternum ab Israëlitis; hujusmodi enim est elata

to, eáque misturâ Sacerdotes cum vestibus adspergentur. [22] Tum prosecabitur aries, separabunturque ejus cauda cum adjuncto adipe , omentum , maximus jecinoris lobus , renes cum adipe iis adhærente atque armus dexter. Hoc ritu mactabitur aries, quo Sacerdotes Deo consecrabuntur.

[23] Dum adolebitur holocaustum, ex Canistro in quo erunt placentæ azymæ & oleo mistæ , non procul ab altari , tres placentas capies, quas Aharoni ejusque filiis trades Deo obmovendas. [25] Postea ex eorum manibus receptas holocausto , quod adolebitur , impones , ut hæc oblatio tota igne absumatur.

[26] Ex ariete verò consecrationis separabis pectus, quod postquam agitaveris coram Deo, altari non impones, sed tibi servabis. [27] In posterum etiam pectus victimæ consecrationis, quod agitatum fuerit , & armus, quem coram Deo sustulerit Sacerdos , sacra habebuntur. [28] Pontifici Maximo & ejus filiis cedent , eadémque ratio erit omnium salutarium victimarum , ex quibus quidquid elatum Deo offeretur , ab Hebræis in perpetuum Sacerdotibus adtribuetur. [29] Vestes

Θαρρύνει : *tres partes corporis inungit initiatorum sacerdotum , extremam aurem , extremam manum , extremum pedem , obscurè significans perfectum sacerdotem purum esse oportere sermone, opere & vitâ omni :* λόγῳ μὲν γὰρ ἀκοὴ δικάζει : *sermonem enim significat auris* , legendum enim videtur λόγον δικάζει. Imò verò *auditum* , aurisque lustratione significat Moses Pontificem Max. nullos sermones Legi , aut virtuti contrarios audire oportere , & dicto Deo audientem esse. Ipse *Philo* laudat aures σοφίᾳ κεκαθαρμένας , *sapientiâ purgatas* , & incircumcisas , hoc est , *impuras* aures memorat Jeremias VI, 10. Atque hæc interpretatio symbolici ritûs eam quam habet *Philo* complectitur ; si enim Sacerdoti ne audire quidem licet sermones religioni aut virtuti adversantes , multò minùs proferre licebit. Ita pergit : χεὶρ δ' ἔργων σύμβολον , διεξόδου δὲ τῆς κατὰ τὸν βίον πούς : *manus Symbolum est operis , rationis vivendi pes.* Quærit postea quare extremæ & dextræ partes inunctæ fuerint , sed profectò ἀκροβατεῖ ; &, si Moses sinistras & medias inungi jussisset , similes non deessent rationes.

21. *Quod ad altare*] על המזבח *hal hammizbeabh*, ad basin , nempe , altaris ut superiora ostendunt. Sanguis autem ille , quem Hebræis degustare nefas , atque ad altare effusus fuit , res sanctissima , hoc est , Deo peculiari modo consecrata habebatur. Ungnentum etiam sacrum eodem loco censebatur ; adeóque iis adspersus Aharon cùm filiis , unà cum iis eximia quadam ratione Deo consecrari censendus erat. Porrò hic versus , in Samaritico Codice , est ad calcem 28. nescio quare.

22. *Caudam*] האליה *haaljah.* De qua voce vide not. ad Levit. III, 9.

Consecrationis] מלאים milluim , *impletionum* , hoc est , quo *impletur manus* Sacerdotum. De qua phrasi vide not. ad Cap. XXVIII, 41.

23. *Ex canistro verò*] Si ordinem temporis spectes , debent hæc conjungi cum vers. 18. quandoquidem hæ placentæ holocausti proficiis , ut docet Moses vers. 25. fuerunt imponendæ. Sed Moses voluit trium victimarum mactationem describere, antequàm de aliis ritibus loqueretur.

24. *Eaque in oblationem agitando offeres*] הנפת אותם תנופה *henaphtha otham thenuphah*, agitabis ea agitatione. Rabbini volunt תנופה *thenuphah* , significare ejusmodi agitationem , quâ qui offert ad dextram & ad sinistram , prorsùm, vorsùm movet munus , ita ut æquè elatum sustineat ; תרומה *thrumah* verò oblationem , quâ quis adtollit munus ad caput , deinde demissis brachiis ad crura demittit. Sunt qui hæc inania putent , & intelligi his vocibus oblationem muneris quod ad alare adtollitur , & manibus offertur , sed altari non imponitur, neque adoletur ; qua in re hæc oblatio ab aliis , ut putant , differt. Ac sanè hæ voces תנופה & תרומה sæpe adhibentur ubi de iis sermo est , quæ aut Sacerdotibus cedebant , aut igne non absumebantur , ut ostendit *Joan. Coccejus* in Lexico , ubi hanc sententiam propugnat. Vide infrà XXXV, 5, 22. Attamen hisce in verbis, res altari imponendas & sacro igne absumendas תנופה *thenuphah* designat. Nec quidquam obstat quominùs ejusmodi oblationes aliæque agitarentur aut tollerentur, quamquam fortè ratio agitandi aut tollendi non ea fuit quam dicunt Magistri. Certè & loco memorato & alibi confunduntur hæ voces , cùm aliis in locis videantur distingui. Itaque vertimus *oblationem agitatam* , aut *elatam* , ut ex versione liqueret agi de ejusmodi oblationibus quæ תנופה & תרומה vocantur , quæcumque tandem sint , & quia in his vocibus latet

elata oblatio, & *sacerdotibus* ab Israëlitis *adtributa* erit, ex salutaribus eorum victimis, elata oblatio Jehovæ.

29. Vestes sacræ Aharonis filiorum ejus post eum erunt, ut in iis ungantur, atque in iis exercendi muneris potestate instruantur. 30. Per septiduum iis induetur sacerdos, *qui* loco ejus *erit* ex ejus filiis, quique tabernaculum conventûs, ut in sacrario ministerio fungatur, intrabit.

31. Arietem verò consecrationis accipies, ejúsque carnem in loco sancto coques. 32. Vescentur Aharon ejusque filii carne arietis, & pane qui *erit* in canistro ad ostium tabernaculi conventûs. 33. Hæc comedent, quibus expiatio facta est, quâ potestate exercendi muneris instructi & consecrati sunt; nec peregrinus *ullus* iis vescetur, quia sacra sunt. 34. Si quid superfuerit ex carne consecrationis, aut pane ad matutinum tempus, eas reliquias igne absumes, sunt enim sacræ.

35. Sic Aharoni, filiisque ejus facies. Ex omnibus mandatis, quæ tibi dedi, septem diebus potestate exercendi muneris eos instrues. 36. Invenco pro peccato, ex-

29. Vestes verò sacræ, in usum Aharonis factæ, filiis ejus, Maximis post eum Pontificibus, futuris etiam erunt, ut iis induti ungantur & Sacerdotio consecrentur. 30. Quotiescumque novus Pontifex Maximus consecrabitur, per septiduum continuum iis vestietur, atque ita indutus in Sanctuario ministerio suo fungetur.

31. Reliquam verò carnem arietis consecrationis, intra Atrium Tabernaculi, coqui curabis; 32. eáque carne, & placentis quæ in canistro superfuerunt ad ostium Tabernaculi epulabuntur Aharon & filii. 33. Soli his vescentur, qui ariete expiati fuerint, & potestatem sacerdotalis muneris exercendi acceperint. Nullus has dapes umquam adtinget peregrinus, cùm sacræ Deo sint; proindéque alios, præter Deo consecratos Sacerdotes, iis vesci nefas sit. 34. Si quid superfuerit ex iis carnibus aut placentis, sequente luce, id omne; quippe Deo sacrum; igne absumetur.

35. His ritibus Aharonem, ejusque filios per septiduum Sacerdotes mihi consecrabis. 36. 37. Juvencum quotidie, pro peccato, mactabis, atque in altari

latet fortè ritus aliquis oblationis; qualis est is, de quo hæc habet *Aristeas* in Epist. ad Philocratem, ubi describit sacrificiorum Judaïcorum ritus: *ἕτεροι τὰ τῆς σαρκὸς ὁλοκαυτοῦντες ἰσχύϊ διαφερόντως συγκεχρημένοι· διαλαβόντες γὰρ ἀμφοτέραις τῶν μόσχων τὰ σκέλη, πλεῖον ὄντα ταλάντου σχεδὸν ἑκάστου, ἀναῤῥίπτουσιν ἑκατέρᾳ θαυμασίως ὕψος ἱκανὸν, καὶ οὐχ ἁμαρτάνουσι τῆς ἐπιθέσεως. Alii carnem adolentes eximiè viribus utuntur sumtis enim ambabus manibus vitulorum cruribus, quorum quodque fermè talentum pondere superat, projiciunt ambabus manibus, in mirabilem altitudinem, nec aberrant ab impositione*; hoc est, ita ut iterum in manus eorum recidat; non in humum. Nescio quid simile apud priscos Romanos fieri solebat, in oblatione liborum, sive fertorum, aut struum; unde *moveri* & *commoveri* hæc dicebantur. Cato de R. R. Cap. 134. *Jano struem* commoveto *sic: Jane pater te, hac strue* commovenda, *bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiaeque meæ. Fertum Jovi mactato &* moveto *sic: Jupiter te hoc ferto* obmovendo, *bonas preces precor* &c. ubi idem verbum aliquoties repetitur. LXX. Intt. תנופה vertunt *ἀφαίρεμα*, *ἀφόρισμα*, *ἀπαρχὴν*, *δόμα*, *ἐπίδομα*, *ἐπίθεμα*, quæ voces incommodæ sunt: תרומה verò similiter, & præterea *ἀφόρισμα*, *εἰσφοράν*. Varius est etiam Vulg. Int. & hîc planè contra sensum: *& sanctificabis eos elevans coram Jehova*, cùm agatur de donis. Meliùs Septuaginta Intt. *ἀφοριεῖς αὐτὰ ἀφόρισμα*, *separabis ea separationem*. Sed הניף *heniph* nusquam separare significat.

Offeres] Manibus, nempe, Sacerdotum. Oblata quoque meritò Deo dicuntur, quæ in usus sacros absumuntur, quamvis non adoleantur. Cedunt enim aut alendis Sacerdotibus, aut vestibus & vasibus sacris conficiendis; sine quibus rebus sacra publica Populi Hebræi non constabant.

25. *Hujusmodi enim est victima*] Hoc est, in sacro initiationis comburetur *armus dexter*, qui alioquin Aharoni cedet.

27. *Sacra habebis*] קדשת kiddaschtha *sanctificabis*, hoc est, quamvis hæ partes non adoleantur, sed in usum Sacerdotum cedant, attamen non instar carnis communis habebuntur, qua de re vide vers. 31. & seqq.

Pectus agitatæ oblationis & sublatæ armum &c.] Hîc תנופה & תרומה videntur distingui, ut & Levit. X, 14, 15. Sed, pro Hebraïcæ Linguæ inconstantia, confunduntur, ut diximus, infra Cap. XXXV, 5, & 22. Ejusmodi ἄκυρα non leviter Lexicographorum rationes perturbant, postquàm enim ex aliquot locis significatum vocum satis aptè, ut videtur, definierunt; ecce verò alia proferuntur, quibus definitio evertitur. Quærunt quare pectus dicatur *agitari*, armus *adtolli*, cùm hoc & Levitici loco, tum alibi? Quod vix potest intelligi, nisi inter *agitationem* & *elationem* statuatur aliquod discrimen, seu id quod Judæi referunt, seu aliud quodpiam. Sunt qui dicant pectus *agitatum*, seu oblatum hîc à Mose; armum verò dumtaxat separatum, ut Aharoni traderetur. Vide Levit. VII, 30. & seqq.

28. *Eruntque Aharoni*] Vide ad Levit. VII, 30. Hæc ad omnia salutaria sacra pertinent, non ad hoc primum.

29. *Filiorum ejus*] Nempe, eorum qui in munus Pontificis Max. succedent. Sic apud Ægyptios, quamquam multi erant Sacerdotes, *εἷς ὁ ἀρχιερεὺς*, *unus erant Pont. Max.* ut docet *Herodotus* Lib. II. c. 37. *ἐπεὰν δέ τις ἀποθάνῃ, τούτου ὁ παῖς ἀντικατίσταται*, *postquàm aliquis eorum est mortuus filius ejus subrogatur*.

30. *Per septiduum*] Septem diebus, sive per

heb-

expiationis causâ, quotidie facies, mundabisque altare, dum super eo expiabis, & id, consecrationis causâ, inunges. 37· Septem diebus expiationem facies super altari, idque consecrabis, eritque sanctissimum altare, & quidquid id contigerit sacrum habebitur.

38· In hoc altari facies agnis duobus anniculis, in diem, *idque in* perpetuum. 39· Agno uno matutino tempore, altero inter duas vesperas facies. 40· Decima *pars Ephæ* similaginis mistæ oleo contusione expresso, *cujus erit* quarta pars Hinis, *&* libamen vini ex quarta parte Hinis, agno uni *addentur*. 41· Altero agno facies, inter geminas vesperas; ut in oblatione matutina, ejusque libamine, in hac facies, ut sit odor placamenti, oblatióque igne Jehovæ absumenda. 42· Hoc erit Holocaustum perpetuum, in ætates vestras, ad ostium tabernaculi conventûs, coram Jehova, quo in loco vos conveniam, ut vos illic alloquar. 43· Ibi conveniam Israëlitas, & gloriâ meâ consecrabitur *tabernaculum*. 44· Tabernaculum conventûs, & altare sancta habebo, Aharonémque & ejus filios, ut mihi sint sacerdotes, consecrabo. 45· Inter Israëlitas habitabo, eróque illis Deus; 46· & Jehovam Deum suum, qui ex Ægypto eos eduxi, me esse intelligent. Ego sum Jehova illorum Deus.

XXVII. De-

altari adolebis; id sacro oleo inungetur, & ita consecrabitur, ut quidquid id adtigerit Deo sacrum habendum sit.

38· Quotidie in hoc altari duorum agnorum anniculorum in perpetuum, holocautomata adolebis; 39· alterum quidem matutino tempore, alterum vero vespertinis horis. 40· 41· Ambobus, tam vespertino, quàm matutino, addes decimam partem Ephæ farinæ similagineæ mistæ quartæ parti Hinis præstantissimi olivi, ut unà adoleatur; & libamen vini, quod quartâ etiam parte Hinis constabit. 42· Atque hæc erunt holocautomata quotidiana, quæ in posterum ad ostium Tabernaculi adolebuntur. 43· Huc ego vos convenire jubebo, si vos alloqui velim, & nube cui adero mihi consecrabitur Tabernaculum. 44· Sacrum item altare, sacerdotésque in eo oblationes adolentes, mihi sacros habebo. 45· Vobis singulari ratione adero, propitiumque me præbebo. 46· Vos etiam me eum esse Deum, qui promissa mea exsequor, & qui postquàm vos eduxi ex Ægypto, faventem me vobis præbui, singularisque inter vos præsentiæ mea specimina edam, intelligetis.

P A-

hebdomadem integram consecratum fuisse volunt nonnulli Pont. Max. ut intelligeret per totam vitam sibi Sacris serviendum esse. Vide *Henr. Ainsworthum.* Sed si octo dies dixisset Deus, non magis deessent Interpretibus occidui constituti mysticæ rationes. Constat tamen septenarium numerum sæpe in sacris adhiberi, fortè in memoriam septem dierum creationis. In expiatione peccati per ignorantiam admissi *septies* adspergitur vituli sanguis Levit. IV, 6. XVI, 14. *Septies* altare consecrandum oleo tingitur Levit. VIII, 11. Puerpera quæ masculum peperit immunda est *septem* diebus, quæ fœminam *bis septem* Levit. XII, 2, 5. In purgatione leprosi, *septem* dies & *septem* adspersiones observandæ erant. Levit. XIV, 7, 9, 51. Immundus, ex contactu mortui, mundus fit die *septimo* Num. XIX, 19. Septenarii numeri sæpe alibi in Scriptura mentio fit, ut observavit, ad Sæc. IX. rerum Ægyptiacarum, *Joan. Marshamus.*

Crediderim, & apud alias Gentes, antiquissimis temporibus, eadem de causa, septenarium numerum sacrum habitum fuisse: sed deletâ creationis, intra septem dies, memoriâ, in aliis rebus quæsitam septenarii numeri consecrationem. Plurima hanc in rem collegit vir eruditus, modò laudatus, apud quem legi poterunt. Nulli hac de re Pythagoricis & Platonicis magis ineptierunt; qui in numeris ipsis nescio quam arcanam vim quæsierunt, quâ de re *Philo* legendus περὶ κοσμοποιίας.

In Sacrario] בקדש bakkodesch, *in sanctitate*. Vide vers. sequentem.

31. *In loco sancto*] In Atrio, tempore Tabernaculi, & subdio; posteà verò, exstructo Templo, in adjuncto Templo conclavi.

32. *Et pane* &c.] Hoc Ægyptiacis moribus contrarium, apud quos Sacerdotes ferè oleo abstinebant, aut eo, nisi cum oleribus, non vescebantur, ut docet *Chæremon* apud *Porphyrium* de Abstin. Lib. IV. §. 6.

33. *Quia sacra sunt*] Adeóque ab homine, qui immundus censetur, comedi non debent. Immundi autem omnes, præ Sacerdotibus, videbantur, ideóque זר zar *peregrinus* significat hominem à sacerdotali prosapia alienum.

36. *Quotidie*] ליום *ljom*; plenior est phrasis ליום יום *ljom jom*. Vide Cap. XVI, 5.

Mundabis] וחטאת *bhitteka*, quod verbum in *Pihel* est expiare, ubi de personis sermo est; purgare, mundare, consecrare, ubi de rebus, ut hoc in loco. LXX. καθαριεῖς Vulg. *mundabis*. Immundum, nempe, censebatur altare ex opificum manibus veniens, nisi pluribus victimis purgaretur. Semel verò purgatum victimas *sanctificabat*. Vide Matth. XXIII, 19. & vers. sequentem.

37. *Sanctissimum*] *Sanctitatum.*

38. *Agnis duobus* &c.] Ex quo semel consecratum fuerit altare, quod tamen in Deserto fieri non potuit, sine aliqua pecudum copia. Vide Num. XXVIII, 6. Alii volunt hasce leges, post ingressum demum in terram Chananæam, cœpisse observari. Post ultimam vocem hujus versûs תמיד *jugiter*, addunt Samaritæ עלת תמיד *holocaustum perpetuum*, & LXX. κάρπωμα ἐνδελεχισμοῦ.

39. *In-*

XXVII. Descriptio altaris suffitûs, leges de semisiclo à singulis maribus solvendo, de labro æneo in usum sacerdotum, olei denique & suffitûs sacri descriptio.

1. FACIES etiam altare ad adolendum suffitum, idque è lignis sittinis. 2. Lon- CAPUT XXX.
gitudo cubitalis, latitudo cubitalis erit, ut sit quadratum; altitudo verò
erit duorum cubitorum, cornuáque ex ipso *erunt ligno*. 3. Id auro puro
obduces, superiorem, *nimirum*, ejus partem, parietésque circumquaque, & cornua.
Facies quoque ei circumquaque coronidem auream. 4. Sub coronide, ad duo ejus
latera, ei addes utrimque geminos annulos aureos, quibus excipiantur vectes,
quorum ope bajuletur. 5. Facies autem eos vectes ex lignis sittinis, integésque
eos auro. 6. Id collocabis ante siparium, quod erit ad arcam testimonii ante
operculum quod *arcæ* testimonii imponetur, quo in loco te conventurus sum. 7. In
illo adolebit Aharon suffitum aromatum, singulis matutinis temporibus; cùm aptabit lucernas, id adolebit. 8. Cùm verò Aharon accendet lucernas, inter duas vesperas eumdem adoleat; suffitus *sit* jugis, coram Jehova, in ætates vestras. 9. Non
im-

PARAPHRASIS.

1. PRÆTER holocautomatum altare, jussit etiam Deus fieri alterius formam, è lignis sittinis, 2. &, longitudine, inquit, ac latitudine cubitale, sed altitudo erit duorum cubitorum. Cornua huic, ut alteri, ad quatuor angulos, ex ligno addentur. 3. Deinde tota hæc forma lignea purissimo auro tegetur, ab ima parte ad ipsa cornua; & in superiore quidem parte, coronide aureâ cingetur. 4. Ad angulos quatuor, sub coronide, erunt quatuor annuli aurei, quibus inserantur vectes, quos in humeros tollent Sacerdotes, quando hoc altare bajulabunt. 5. Hi autem vectes erunt è ligno sittino auro etiam obducto. 6. Cùm absolutum erit hoc altare, & statutum Tabernaculum, id collocabis extra velum, post quod Arca delitescet; 7. 8. atque in eo quotidie matutinis horis, quando exstinguentur lucernæ, & vespertinis, cùm accendentur, suffitum Sacerdotes facient, quod in perpetuum observabitur. 9. In hoc altari, nullum alium suffitum, præter eum quem de-
scrip-

39. *Inter duas vesperas*] Vide not. ad Cap. XII, 6. *Josephus* Lib. Ant. III. c. 10. habet ἀρχομένης τε ἡμέρας κ̀ ληγούσης: *incipiente & desinente die.*

40. *Decima pars Ephæ*] עשרן hisscharon. LXX. habent δέκατον, Vulg. *decimam partem*, sed cujus mensuræ? Aut retinenda fuit Hebraïca vox, quam effert *Josephus* Ἀσσαρὼν, & quæ nomen mensuræ fuit, aut aliquid addendum, ut fecimus. Eadem mensura dicebatur עמר *homer* Exod. XVI, v. ult. Continebat ampliùs quàm sex libras Romanas tritici, seu pollices cubicos 172, 8. Vide *Ed. Bernard.* de Mens. & Pond. Ant. § 26.

Quarta parte Hinis] הין *hin* Hebraïcum erat sexta pars Ephæ, continebátque pollices cubicos 288, libras verò aquæ Romanas 13, 89. Vide eumdem virum doctum Lib. I. §. 30.

Libamen vini] נסך nesech, *effusio.* Hæc lex habetur Num. XV. paullò pleniùs, ubi vide not. ad v. 5.

42. *Hoc erit holocaustum perpetuum*] Sacrum hoc fuit totius populi nomine perpetuò celebrandum. Vide Num. XXVIII, 3.

Vos conveniam] אועד לכם *ivvahbed lachem*, hoc est, hic erit locus præstitutus, ex quo oracula edam, & ad quem ad me concurretis. Pro לכם est in Samaritico לך lecha, *tibi*, & sic LXX. γνωσθήσομαί σοι.

44. *Sancta habebo*] קדשתי kiddaschthi *sanctificabo.* Vide ad v. 27. Perinde est ac *consecrabo*, nam sacrum fit quod sacrum habetur, & declaratur.

45. *Ero illis Deus*] Est aliqua in hisce verbis ἔμφασις, quam exposuimus ad Gen. Cap. XVII, v. 8.

46. *Et Jehovam*] Hoc est, qui præsto quæ promisi. Vide not. ad Cap. VI, 3.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXX.

1. AD *adolendum suffitum*] מקטר קטרת miktar ktoreth, *suffimenti suffitûs.* Quæ sunt hîc in nostris Codd. à v. 1. ad 11. monuimus antea esse in Samaritico Cod. in Cap. XXVI, 35. & seqq.

Idque] *Et id facies.*

3. *Id auro puro obduces*] Unde aureum dicitur Num. IV, 11.

Superiorem partem] גגו *gaggo*, hoc est, tectum ejus. LXX. Intt. ἐσχάραν, hoc est, focum, sive locum cui ignis imponebatur. Vulg. *craticulam.* Verùm nulla in hoc altari craticula describitur.

4. *Ad duo ejus latera ei addes utrimque*] *Ad duas costas ejus facies, ad duo latera ejus.*

7. *In illo adolebit Aharon*] Cùm Aromatum fumo non adficiatur Deus, suffimentum sibi adoleri jussit, aut ad reverentiam sacris conciliandam, inter homines ejusmodi ritibus adsuetos; aut ad abigendum tetrum nidoris odorem, aut saltem minuendum. Fortè etiam utrumque spectavit. Ægyptii quoque suffimentis utebantur quotidie in sacris. *Plutarchus* de Iside & Osiride p. 372. Ἡμέρας ἑκάστης τριχῶς ἐπιθυμιῶσι τῷ ἡλίῳ, ῥητίνην μὲν ὑπὸ τὰς ἀνατολὰς, σμύρναν τε μεσουρανοῦντι, τὸ δὲ καλούμενον κῦφι περὶ δυσμάς: *singulis diebus triplex thymiama soli adolent, resinam sub ortum, myrrham meridie, & circa*

imponetis ei *altari* peregrinum suffitum, holocaustum aut oblationem farris, neque in eo libamen *ullum* libabitis. [10] In ejus *dumtaxat* cornibus expiationem faciet Aharon, semel quotannis; sanguine victimæ piacularis pro peccato, super eo in *futuras* vestras ætates, semel intra annum, expiatio fiet. Id erit Jehovæ sacrosanctum.

[11] Hisce etiam verbis Jehova Mosem alloquutus est: [12] Cùm Israëlitarum numerum inibis, pro iis qui censentur, tum quisque dabit pretium expiationis animæ suæ Jehovæ, cùm eos censebis, neque dum eos censebis plagâ adficientur *ullâ*. [13] Hoc dabunt quicumque censorum numero habebuntur, dimidium, nempe, siclum, pro siclo sanctuarii, (viginti gerarum est hic siclus) dimidium siclum in elatam Jehovæ oblationem. [14] Quicumque censorum numero habebitur, à nato viginti annos & suprà, oblationem elatam Jehovæ dabit. [15] Dives nihil ampliùs dabit, neque pauper minùs quàm dimidium siclum solvet, dando oblationem elatam Jehovæ ad expiandas animas vestras. [16] Accipies ab Israëlitis expiationum pecuniam, eámque insumes in usum

scripsero, adolebitis, nullum holocaustum, nullam farris oblationem, nullum vini libamen offeretis. [10] Semel dumtaxat quotannis, sollemnis victimæ piacularis sanguine ejus cornua oblinet Pontifex Maximus, & sanctissimum hoc habebitur altare. [11] [12] Jussit etiam Deus Mosem populi Hebræi censum habere, & à singulis capitibus certum pretium, quo expiarentur, exigere; quo tempore ne ullo morbo horum minueretur numerus curaturum se promittebat. [13] Hoc autem tributum, inquit Deus, erit dimidii Sicli, sive decem Gerarum in singula capita, quæ summa ut offeratur ad altare adtolletur. [14] In censum autem venient masculi omnes ingenui, à vigesimo ætatis anno; eámque oblationem, nemine excepto, offerent. [15] Divites, hac in re, non ampliùs solvent quàm pauperes, neque pauperes minùs quàm divites, ut sit omnium par donarium. [16] Hanc autem pecuniam insumes in usum Tabernaculi, ut omnes ejus partes, omniáque vasa farta tecta conserventur, ne-

occasum quod vocatur Kyphi, de quo postea videbimus.

Aptabit lucernas] בהיטיבו *behetibo*, hoc est, *cùm bene faciet lucernis*, ad verbum, quo significatur adfusio olei, & compositio ellychnii; ut vesperi opus sit dumtaxat face, quâ accendantur.

9. *Peregrinum suffitum*] Diversum ab eo quod infrà describet.

Donarium farris] מנחה *minhhah*, quod est propriè *donum* ex farre, de quo ad Levit. II, 1.

10. *In ejus cornibus*] Die expiationum sollemni, nam alioqui sæpiùs potuit fieri. Vide Levit. IV, 7, 18.

Sanguine victimæ piacularis pro peccato] *Ex sanguine peccati expiationum.*

11. *Hisce etiam verbis*] *Alloquutus est dicens.*

12. *Numerum inibis*] תשא את ראש thisscha eth rosch, *tolles caput*, id est, summam. Sic LXX. ἐὰν λάβῃς συλλογισμὸν, & Vulg. *tuleris summam.*

Pro iis qui censentur] לפקדיהם liphkoudehem, *secundùm eorum censos*, quâ voce intelliguntur masculi ab anno vigesimo, ingenui, & Israëlitæ. Vide Num. I. 2, 3. LXX. ἐν τῇ ἐπισκοπῇ. Vulg. *juxta numerum*, sensum non verbum spectarunt.

Pretium expiationis] כפר *chopher*. Videtur ita vocari hoc tributum, quibus pro omnibus civibus Hebræis expiatio fiebat.

Neque plaga adficientur] Hoc est, nulla iis immittetur à me clades, quâ eorum numerus minuatur. נגף *negeph* πτῶσις vertitur à LXX. Intt. quod idem est ac quod *Onkelos* habet מותא *motha*, mors. Vide 2. Sam. XXIV, 9, 15.

13. *Censorum numero habebuntur*] *Omnis transiens* על פקדים hal phkoudim, *super censis*, hoc est, inter censos.

Pro siclo Sanctuarii] Est inter Eruditos controversia de hoc Siclo. Hinc enim alii colligunt duplicem fuisse Siclum, alterum communem, alterum Sanctuarii; alii verò negant ullum fuisse inter Siclos discrimen. I. Priores *siclum sanctuarii* memorari posse non putant, nisi fuisset alius Siclus, qui non esset Sanctuarii. Verùm alii respondent Siclum *Sanctuarii* dici, ad signandum Siclum justi ponderis & puri argenti, qualis servabatur in Sanctuario, ut ceterorum norma esset. At nusquam occurrit in Sacris litteris aut Veterum monumentis, publica exemplaria nummorum, ad quæ alii exigerentur, in Sanctuario servata; nec Moses novæ pecuniæ institutor fuisse uspiam legitur. Itaque malim hanc loquutionem ex Ægyptiorum moribus arcessere, apud quos fuerit *Siclus sacer* dictus, quòd Sacerdotes in Sanctuariis ejus normam servarent. Certè ἱερογραμματεία, apud eos, τὰ περὶ μέτρων εἰδέναι χρῆν, *quæ ad mensuras pertinent scire oportebat*, quæ etiam in Thoüthi libris, in Adytis adservari solitis, scripta erant. Vide *Clementem Alexandrinum* Lib. VI. Strom. p. 633. II. Alii ergo hac ratione rejectâ, unicum fuisse Siclum volunt, qui argenti semunciam Romanam æquarit pondere, seu grana hordei 320, ut ostendit *Eduard. Bernardus* de Pond. & Mens. Lib. II. §. 34. Ac sanè duplicis Sicli nusquam ulla occurrit mentio, & quod LXX. Intt. δίδραχμον vertunt Siclum, quem interpretantur alii τετράδραχμον, id inde oritur quòd LXX. Intt. Alexandrinum δίδραχμον intelligant, quod Atticum τετράδραχμον æquabat, ut dudum observavit *Hug. Grotius* ad Matth. XVII, 24. & post eum alii.

Viginti gerarum] *Obolos* verterunt LXX. Intt. quia Oboli ad Geræ pretium accedebant. Maluimus servare ipsam vocem. *Gera* circiter hordei grana 16. pondere æquabat. Vide *Eduard. Bernard.* Lib. II. §. 18. Pro eo quod est in Codicibus Hebraïcis nostris, עשרים גרה השקל *heschrim gerah hasschekel*, habent Samaritæ: ושקל קדש עשרים גרה הוא, *Siclus autem Sanctuarii est viginti gerarum.*

15. *Ni-*

usum tentorii conventûs ; atque erit Israëlitis in memoriam , coram Jehova, ad expiandas animas vestras.

17. Præterea Mosem alloquutus est Jehova, his verbis: 18. Facies quoque labrum æneum, basínque ejus æneam, ad lavandum, idque inter tentorium conventûs & altare collocabis, & in eo aquam pones. 19. Hinc manus & pedes Aharon filiíque ejus lavabunt. 20. Cùm ingressuri erunt tentorium conventûs, aquâ se se abluent, neque morientur, vel cùm accessuri erunt ad altare , ut ministerio suo fungantur , ut adoleant Jehovæ oblationem igne absumendam, 21. pedes & manus abluent, neque morientur. Hoc autem erit institutum sempiternum Aharoni, posterisque ejus, in *futuras* eorum ætates.

22. Alloquutus quoque est Jehova Mosem , his verbis : 23. accipe tibi aromata, floris myrrhæ sponte fluentis quingentos *siclos*, cinnamomi aromatici dimidiam partem, ducentos quinquaginta, calami aromatici ducentos quinquaginta, 24. casiæ quingentos

neque desint victimæ quotidianæ, suffitus, placentæ, oleum candelabro, aut quidquam denique quo in sacris uti debeas umquam desideretur. Hoc pacto veluti in memoriam mihi revocabitur populi Hebræi religio, ut ejus delictis condonem.

17. Jussit præterea Deus Mosem 18. facere ingens labrum æneum æneæ basi impositum, in quo sese abluerent Sacerdotes. Atque hoc , inquit, inter Tabernaculum & altare collocabis, & aqua implebis, 19. ut Sacerdotes Tabernaculum ingressuri, aut ad altare, ut victimas adoleant , accessuri manus & pedes abluant; quod nisi fecerint sibi paratam esse mortem sciant , ob sacra irreverenter tractata. 21. Perpetua autem hæc lex Aharoni, posterisque ejus esto.

22. Postea descripsit Deus oleum sacrum, quo Sacerdotes omniaque vasa sacra inungi oportebat, 23. & Mosi : accipe, inquit, præstantissimæ myrrhæ ducentas quinquaginta uncias, cinnamomi & calami aromatici dimidiam partem; 24. casiæ deni-

15. *Nihil ampliùs dabit*] ירבה jarbeh , *non multiplicabit* , eo nempe , nomine ; alioqui nihil vetebat divites alia donaria ampliora adferre. Ac sanè hanc in rem satis amplus erat Tentorii, aut Templi reditus; nam vel Mosaïcis temporibus , cùm censa essent sexcenta millia capitum , Sacerdotes ex tributo semisicli conficiebant centum quinquaginta millia unciarum argenti ; quæ satis supérque erant ad emendas victimas , & sarta tecta omnia servanda. Sub Saüle , Davide , & Salomone , si id tributum persolutum esset , multò major summa ex toto Israële confici potuit. In censu Davidis jussu facto , censa sunt in Tribu Judæ (cui adjicienda videtur Tribus Benjamin , ut alibi) quingenta millia virorum ætatis militaris , in reliquo Israële octingenta millia , qui trecenta viginti quinque millia unciarum argenti contulissent. Vide 2. Sam. XXIV, 9. Nec pauciores fuere sub sequentibus Regibus , ante Captivitatem ; ut liquet ex 2. Paral. XIII, 3. Verùm id tributum, ne sub piis quidem Regibus, solutum fuisse duo ostendunt. Primum est census à Davide factus , ut sciret quot armatorum millia habere posset ; qui nequaquam necessarius fuisset , si Didrachma tum soliti fuissent pendere Israëlitæ , hinc enim eorum numerus facilè cognosci potuisset , numeratis argenti semisiclis. Alterum est quod legimus 2. Paral. XXIV, 5. & seqq. unde manifestò liquet intermissam fuisse hujus tributi exactionem. Quod colligimus etiam ex eodem Lib. Cap. XXIV,9. Videtur tamen , quamquam aliter à viro summo ad Matth. XVII, 24. pronunciatum est , lex hæc fuisse perpetua , sed ab Hebræis , ut multæ aliæ , neglecta.

Non minus solvet] *Non diminuet ex dimidio Siclo.*

16. *In usum*] על עבדת hal habodath , *ad ministerium* , vel *ad cultum* , hoc est , ut omnia sarta tecta conserventur , nec desint quotidianæ victimæ.

18. *Manus & pedes*] Nihil est , in omnium Gentium Sacris , hujusmodi ablutionibus frequentius. Vide quæ scripsimus ad Gen. XXXV, 2. *Pedes* hîc adduntur manibus , quia nudis pediqus Sacra faciebant Sacerdotes, ac proinde sine tibialibus erant , pulverémque facile incedendo contrahebant. Si autem ingredientibus ablutione utendum fuit, non minùs egredientibus necessaria erat ; neque enim pulvere & sanguine fœdatis pedibus soleas induere poterant. Nudis pedibus , sacra fecisse Hebræos hinc colligere est ; quòd in vestium descriptione nulla calceorum occurrat mentio , & Rabbini hanc in rem consentiunt. Vide etiam quæ habet hac de re vir eruditus *Ant. Bynæus* de Calc. Hebr. Lib. II. c. 2. & 3.

21. *Aharoni*] לו lo , *ei* , sed remotius erat nomen Aharonis.

22. *Floris myrrhæ sponte fluentis*] דרור deror , *sponte fluentem* interpretamur , cùm quia דר *darra* apud Arabas *fluere* , *stillare* significat , ut observavit doctissimus vir ad *Josephum* , tum etiam quia ea præstantissima myrrha habetur. Sensum expresserunt *oi* LXX. qui habent σμύρνης ἐκλεκτῆς, ut & Vulg. *primæ myrrhæ & electæ*. *Plinius* Lib. XII. c 15. de arboribus unde manat : *Sudant sponte , priusquàm incidantur , stacten dictam , cui nulla præfertur.* Ea σταχτὴ vocatur ; alia tusione ex myrrha aquâ mistâ expressa , ut docet *Dioscorides* Lib. I. c. 73. quem etiam vide Cap. 77. Novi *Cl. Salmasium* malè intellecti *Theophrasti Plinium* arguere , ad *Solini* Cap. XXXIII. sed ejusdem peccati ipse ab aliis non immeritò videtur accusari. Vid. *Pet. Servium* in Lib. de Odoribus, p. 653. Tomi III. Miscell. Italicor.

Siclos] Hoc est , semuncias. Quæ vox supplenda ex vers. 24. intelligitur. Quod fecerunt LXX. Intt. & Vulg. & Onkelos. Vide similem Ellipsin Cap. XXVII, 11.

Cinnamomi aromatici] קנמן בשם *kinnamon be-*

tos (pro ſanctuarii ſiclo) & hinem olivi. [25] Hinc facies oleum ſacræ unctionis ; *ut* unguentum, quo ad inungendum utuntur, opere unguentarii ; *hujuſmodi* oleum ſacræ unctionis erit. [26] Eo inunges tabernaculum conventûs, arcam teſtimonii, [27] menſam , omniáque ejus vaſa, labrum *denique* & ejus baſin. [29] Ea conſecrabis, erúntque ſacroſancta, & quidquid ea adtigerit ſacrum habebitur. [30] Inunges quoque Aharonem, ejúſque filios, eóſque, ut ſacerdotum meorum munere fungantur , conſecrabis.

[31] Tum Iſraëlitas alloqueris , his verbis : oleum ſacræ inunctionis hujuſmodi mihi in *futuras* veſtras ætates erit. [32] In nullius carnem fundetur, nec talem compoſitionem , qualis hæc eſt , facietis , ſacra eſt , & ſacra vobis erit. [33] Quicumque unguen-

nique ducentas etiam quinquaginta uncias & Hinem puriſſimi olivi. [25] Hæc miſceto, prout ſolent miſceri aromata quibus unguenta fiunt, atque unguentum ſive oleum ſacrum ita conficito. [26] Hoc oleo ungentur Tabernaculum conventûs ; Arca, in qua erunt Tabulæ Legis; [27] Menſa, in qua panes ſacri adponentur, omniáque ejus vaſa; Altaria ſuffitûs [28] & holocautomatum, omniáque eorum ſupellectilia; Labrum denique æneum, unà cùm ejus baſi. [29] Hæc ita conſecrabis, & uſque adeò ſacra exiſtimabuntur, ut quidquid ea adtigerit ſacrum futurum ſit. [30] Eodem etiam oleo Aharon, ejuſque filii, ut ſacerdotali conſecrentur muneri , inungentur.

[31] De hoc autem oleo , hanc legem populo Hebræo feres: hujuſmodi oleum ſacrum in poſterum

beſchem. LXX. Intt. κιννάμωμον & κιννάμωμον , Phœniciam enim eſſe vocem reſtatur *Herodotus* Lib. III. c. 111, Id deſcripſit *Dioſcorides* Lib. I. c. 13. nec confundendum cum *Canella* , quæ eſt potiùs *Caſia fiſtula* Veterum , ut oſtendit *Claud. Salmaſius* de Homon. Mat. Med. Cap. XCIV. Credibile קנמן dictum , quòd ſit ut קנה *kanna* , ſive σῦριγξ. Certè Jerem. VI, 20. קנה הטוב *kannam bonam* , verterunt οἱ LXX. κιννάμωμον , ut rectè obſervavit vir eruditus, cui hanc origlnationem debemus. Ad vocem בשם *beſchem* quod adtinet , addi videtur ad præſtantiſſimum cinnamomi genus ſignificandum; plura enim ejus ſunt genera, ut docet *Dioſcorides* , loco memorato.

Calami aromatici] קנה-בשם *kneh beſchem*. Vir doctus vix poteſt ferre Calamum Aromaticum huic oleo conficiendo Myrrhæ , Cinnamomo & Caſiæ miſceri ; ſed fortè vidit *Acorum* , cui Calamo Aromatico nomen inditur , ut docet *Cl. Salmaſius* de Homon. Hyles Iatricæ Cap. LXXVII. aut non legit hæc verba *Dioſcoridis* Lib. I. c. 17. de Calamo odorato : μίγνυται μαλάγμασι καὶ θυμιάμασι αὐτοῖς εὐωδίαν : *miſcetur malagmatis & ſuffitibus , ad gratum odorem creandum*. Multa de hoc Calamo habet *Cl. Salmaſius* in Exercit. Solinianis ad Cap. LII. p. 739. *Ed. Ultraject.*

24. *Caſiæ quingentos*] קדה *kiddah*. Vertimus Caſiam , cum *Onkelo* & *Hieronymo* ; ac ſanè , ut obſervatum eſt à viro docto , קדה & קציעה idem ſignificant , ſi ſpectetur Etymon. Apud Arabas קדה *keddah* , eſt lignum *decorticatum* , & ſolet Caſiæ cortex detrahi. Idem etiam ſonat radix קצע *katſah* nudare , nempe, *corticem*. At LXX. Intt. ἶριν verterunt , quos ſequutus eſt *Joſephus* Lib. III. c. 8. Ant. Jud. Sed non legimus Irin unguentis miſtam , cùm Caſia vulgò eam in rem adhiberi ſoleret.

Hinem olivi] *Hin* continere circiter tredecim libras Romanas aquæ cenſetur. Vide not. ad Cap. XXIX, 40. *Olivum* duabus vocibus Hebræis שמן זית *ſchemen zajith* , quaſi *pinguedo oleæ*.

25. *Unguentum* , quo *ad inungendum* &c.] רקח מרקחת rokahh mirkahhath , *unguentum unctionis*. Hoc eſt , non ita liquidum ut olivum , ſed craſſior multò liquor.

Opere unguentarii] Aromatibus ita miſtis , ut ſolent ab Unguentariis miſceri. Unguentariam artem antiquiſſimam eſſe , apud Gentes Arabiæ vicinas , videmus. Vide not. ad Gen. XXVII, 27.

27. *Vaſa ejus*] כליה *chleha* de candelabri inſtrumentis. Habet Samariticus כל כליה *omnia ejus vaſa* , & LXX. Intt. πάντα τὰ σκεύη.

29. *Sacroſancta*] *Sanctitas ſanctitatum*.

32. *Fundetur*] ייסך *jiſach*. Vertimus quaſi eſſet יוסך *jivvaſech* in Niphal , à יסך , aut *jonſach* à סוך. Sic habent Samaritæ. Sic LXX. & Vulg. χρισθήσεται *ungetur*.

33. *E populis ſuis*] Vide notata ad Gen. XVII, 14. & ad hujus Libri Cap. XII, 19.

34. *Stacten*] נטף nataph , *guttam* , nempe , myrrhæ , de qua ad verſ. 23.

Onychem] שחלת *ſchhheleth*. Sequuti ſumus τοὺς LXX. & Vulg. Ac ſanè *Onyx* ita à *Dioſcoride* deſcribitur Lib. II. c. 10. Ὄνυξ ἐστὶ πῶμα κογχυλίου ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας, εὑρισκόμενον ἐν τῇ Ἰνδίᾳ, ἐν ταῖς ναρδοφόροις λίμναις· διὸ καὶ ἀρωματίζει νεμομένων τῶν κογχυλίων τὴν νάρδον· συλλέγεται δὲ ἐπειδὰν ὑπὸ τῶν αὐχμῶν ἀναξηρανθῶσιν αἱ λίμναι· διαφέρει δὲ ὁ ἀπὸ τῆς ἐρυθρᾶς κομιζόμενος ὑπόλευκος ὢν καὶ λιπαρός, μέλας δὲ ὁ Βαβυλώνιος καὶ μικρότερος. Ἀμφότεροι δὲ ΕΥΩΔΕΙΣ θυμιώμενοι, καστορίζοντες πως τῇ ὀσμῇ : *Onyx Conchylii tegumentum eſt , ei ſimile , quo purpura integitur. Is in lacubus nardiferis Indiæ reperitur ; quapropter & conchyliis nardum depaſcentibus , odoramenta reſipit. Colligitur verò , poſteaquàm æſtivis caloribus lacus inaruerunt. Præſtantiſſimus qui è mari rubro adſertur , ſubalbidus ac pinguis. Babylonius nigreſcit atque minor eſt. Ambo ſi ſuffiantur vehementis ſunt odoris , & aliquantum caſtoreum redolent.* Hæc cùm ita ſint , non opus eſt ut ad *Bdellium* , in gratiam Rabbinorum in tenebris palpantium , cum *Sam. Bocharto* confugiamus. Vide tamen quæ habet *Hieroz.* P. II. Lib. V. c. 20.

Galbanum aromaticum] חלבנה סמים *hhelbana ſammim*. Græci χαλβάνη voce Hebraïcæ propiore. *Dioſcorides* Lib. III. c. 91. Χαλβάνη ὀπός ἐστι νάρθηκος ἐν Συρίᾳ φυομένου — ἔστι δὲ αὐτῆς ἀρίστη λιβανοειδὴς — ὀσμὴ βαρεῖα : *galbanum eſt*

guentum simile confecerit, aut ex eo peregrino imposuerit, is è populis suis exscindatur.

34. Dixit præterea Jehova Mosi: accipe tibi aromata, stacten, onychem, galbanum aromaticum, & thus mundum, quorum singulorum par erit pondus. 35. Ex his facies suffimentum, *instar* unguenti opere unguentarii, mistum, mundum *&* sacrum. 36. Minutè ex eo *aliquantum* contundes, ponésque ante *arcam* testimonii, in tentorio conventûs, quo in loco te conveniam; sacrosanctum hoc erit vobis. 37. Suffitus quos facietis, ad hujus compositionem ne vobis feceritis, sacer hic Jehovæ tibi sit. 38. Quicumque huic similem fecerit, ad olfaciendum, exscindatur è populis suis.

XXVII. Præ-

rum esto. 32. Nemo alius præter Sacerdotes eo inungitor, nemo sibi unguentum simile conficito, sacrum & vulgo interdictum habetor. 33. Si quis simile confecerit, aliósque eo præter Sacerdotes inunxerit, is Hebræâ civitate expellitor.

34. Suffitum quoque descripsit Deus, audiente Mose, his verbis: accipe stacten, onychem, galbanum aromaticum, & thus mundum, eáque pari pondere misceto. 35. Hisce mistis fiat suffitus unguenti instar, qui sacer etiam habebitur. 36. Quotiescumque suffiendum erit Tabernaculum, aliquantulum ex eo suffitu contundes, atque ante velum Adyti, in altari suffitûs, incendes. 37. Ne quisquam similem suffitum huic sacro facere sibi audeto; 38. & quicumque sibi fecerit alienus à Republica populi Hebræi habetor.

P A-

est succus ferulæ in Syria crescentis — optimus est similis thuri, — gravi odore &c.

34. *Par erit pondus*] בד בבד *bad bebad.*

Opere unguentarii] Huc transferemus ex eodem Scriptore Lib. I. Mat. Med. c. 24. celeberrimi apud Ægyptios thymiamatis descriptionem, quâ cùm unguentum, tum etiam thymiama Mosaïcum illustrari aliquatenus potest. Κῦφι θυμίαμά ἐστι σκευασία κεχαρισμένη θεοῖς· χρῶνται δ' αὐτῷ καλῶς οἱ ἐν Αἰγύπτῳ ἱερεῖς: *Kyphi suffimenti compositio est Diis accepta. Eâ autem abundè utuntur Sacerdotes Ægyptii.* Postea ex variis ejus componendi rationibus hanc profert. Κυπείρου ἡμίξεστον, ἀρκευθίδος τῆς μεγάλης τὸ αὐτό· σταφίδων λιπαρῶν ἐκγεγιγαρτισμένων μνᾶς ιβ΄· ῥητίνης ἀποκεκαθαρμένης μνᾶς ε΄· ΚΑΛΑΜΟΥ ἀρωματικοῦ, ἀσπαλάθου, σχοίνου, ἑκάστου μνᾶν α΄· ΣΜΥΡΝΗΣ < ιβ΄· οἴνου παλαιοῦ ξέστας θ΄· μέλιτος μνᾶς β΄· ἐκγιγαρτίσας τὴν σταφίδα κόψον καὶ λείου μετ' οἴνου καὶ σμύρνης, καὶ τὰ ἄλλα κόψας καὶ σήσας, μίξον τούτοις, ἔασόν τε συμπιεῖν ἡμέραν α΄. εἶτα ἑψήσας τὸ μέλι ἄχρι κολλώδους συστάσεως, μίξον ἐπιμελῶς τὴν ῥητίνην τετηγμένην: *sumito cyperi dimidium sextarium, crassiorum juniperi baccarum tantumdem, uvarum passarum pinguium à vinaceis expurgatarum minas duodecim, resinæ repurgatæ minas quinque, calami aromatici, aspalathi & junci odorati singulorum minam, myrræ drachmas duodecim, vini veteris sextarios novem, mellis minas duas. Uvam passam exemtis nucleis tundito & cum myrrha ac vino subigito; cetera verò tusa ac cribrata his admisceto, sinitóque humorem combibere diem unum. Deinde cocto melle, dum sibi glutinis adsciscat crassitudinem, eliquatam resinam ei accuratè permisceto.* Denique omnia simul trita vase condebantur. Sed cum decem tantùm rerum mixturam tradat *Dioscorides*, aliam ejus descriptionem habet *Plutarchus* de Iside & Osiride p. 383. ubi sexdecim rebus constare dicitur, inter quas est etiam *Calamus*. Addit *Plutarchus*: συντίθενται δ' οὐχ ὅπως ἔτυχεν, ἀλλὰ γραμμάτων ἱερῶν τοῖς μυρεψοῖς, ὅταν ταῦτα μιγνύωσι, ἀναγινωσκομένων: *has autem species non temerè componunt, sed seplasiariis, dum eas miscent, sacræ recitantur litteræ.*

35. *Mistum*] ממלח *memullah*, quod ita vertunt LXX. Intt. Vulg. & Onkelos, aliique; ac sanè vidimus, exemplo τοῦ Kyphi, oportere thymiamata ἐπιμελῶς μιγνύεσθαι, *diligenter misceri*, ut hîc habet Vulgatus. Fortè hujusmodi mistura significatur voce ממלח, quòd מלח sal dilutum accuratissimè misceatur.

Mundum & sacrum] טהור קדש *tahor kodesch, mundum sanctitatis*, hoc est, æquè omnibus immunditiis purgatum, ac solent esse sacra thymiamata.

36. *Ponésque ante arcam*] In mensa cui panes sacri impositi erant, imò verò struibus panum, si *Josepho* & recentioribus Rabbinis credimus. Sic ille Lib. III. Ant. Jud. Cap. 6. ὑπὲρ τῶν ἄρτων ἐπέθεντο δύο φιάλαι χρύσεαι λιβανωτοῦ πλήρεις: *super panibus positæ erant duæ phialæ aureæ thure plenæ.*

Tibi sit] Heb. לך *lecha* tibi, habent Samaritæ לכם *lachem*, ut LXX. Intt. ὑμῖν.

38. *Exscindetur ex populis suis.*] Vide notata ad Gen. XVII, 14. Exod. XII, 19.

COM-

XXVIII. Præcipui opifices Tabernaculi, ejúsque vasorum nomine à Deo adpellantur, & Sabbathi feriæ pœnâ capitis sanciuntur. Tabulas lapideas Moses à Deo accipit.

CAPUT XXXI.

1. TUM Jehova Mosem, his verbis, alloquutus est: 2. vide, nomine adpello Betsaleelem, filium Uris, filii Churis, tribûs Judæ; 3. eum enim implevi spiritu divino sapientiæ, peritiæ & scientiæ in omni opificio, 4. ad texendas polymitas texturas; ad elaborandum *quidvis* auro, argento & ære; 5. in sculptura insitivorum lapillorum, in incisione ligni, *denique* in omni opificio faciendo. 6. Ecce autem illi adjungo Oholihabum, Achisamachi filium, tribûs Danis. Animum omnis periti *artificis* sapientiâ donavi, ut omnia quæ tibi præcepi conficiat. 7. Tabernaculum conventûs, arcam testimonii, operculum quod ei imponetur, & omnia tabernaculi vasa; 8. mensam, & ejus vasa; candelabrum *tabernaculo* illucens, omniáque ejus instrumenta; altare suffitûs, 9. & altare holocautomatum, omniáque ejus instrumenta; labrum, & ejus basin; 10. vestes stragulas, vestes sacras

PARAPHRASIS.

1. DESCRIPTA omni sacrâ supellectile, Deus nomine adpellavit potissimos opifices, quos ei conficiendi adhiberi voluit. 2. & hi quidem duo fuere, prior Betsaleel filius Uris, filii Churis, è Tribu Judæ. 3. Hic erat eâ artificiorum omnium peritiâ præditus, ut quidvis adgredi posset, 4. seu ad texturam pertineret; seu tractanda essent auri, argenti & æris metalla, iisque conflandum quidpiam; 5. seu scalpendi lapides, & ligna cædenda; quorum omnium cognitio in eo esse debuit; qui sacræ supellectili conficiendæ præfuturus esset. 6. Alter verò fuit Oholihabus Achisamachi filius, è tribu Danis. Hi ceterorum omnium Opificum, qui huic negotio adhibendi erant,

COMMENTARIUS

In CAPUT XXXI.

2. *Filium Uris*] Vide hujus genus 1. Par. II, 5, 9, 18, 19, 20.

3. *Spiritu divino*] *Spiritu Dei*. Vide not. ad Cap. XXVIII, 3. & adde observatis hæc *Senecæ* ex Lib. IV. de Benefic. c. 4. *Deus est — qui — tot artes — commentus est. Neque enim nostra ista quæ invenimus dixeris, non magis quàm quod crescimus, quàm quod ad constitutum temporum sua corpori officia respondent. — Insita sunt nobis omnium ætatum, omniumque artium semina,* MAGISTERQUE *ex occulto* DEUS *producit ingenia.*

5. *In scalptura* &c.] Vide not. ad Cap. XX.

6. *Animum donavi*] *Dedi in corde*, quod potest exponi *posui in corde*. Sed eodem res redit.

8. *Vasa*] Samariticus, *omnia ejus vasa*, כל כליו *πάντα τὰ σκεύη*, ut LXX. Intt.

Illucens] טהרה *tehorah*, quæ vox passim quidem *purum* sonat, sed hoc loco ita verti nequit; quæcumque enim ex auro & argento facta sunt, ea ex *puro* metallo fuere, ut sæpe docet Moses, ideóque Candelabro hoc epitheton eo sensu peculiare esse non potest. Igitur eodem modo interpretor, ac si scriptum esset צהרה *tsehorah*, quod *lucentem* Chaldæis sonat; unde etiam Hebræis צהר *tsohar fenestra*, צהרים *tsohorajim* meridies. Sic & Arabibus טהר *dahara* est *adparuit*, *conspicuus fuit*, טהר *ardore læsit* sol; quæ omnes significationes ei, quam voci טהרה hîc tribuimus, adfines sunt. Sic suprà XXIV, 10. טהר *nitorem* vel *splendorem* sonat.

10. *Vestes stragulas*] השרד hasscherad. Sequuti sumus eorum sententiam, qui significari volunt vela quæ סרדין *sradin* à Chaldæis dicuntur, quibus utebantur Levitæ ad tegenda sacra vasa, dum ea bajulabant, ut arcam, altaria, mensam &c. Arabes quoque שרדון *Saridon* vocant velum, quod atrio domûs oppanditur. Non possunt intelligi vestes sacerdotales, quæ discretè hîc ab iis distinguuntur, neque vestes aliæ quibus vulgò utebantur, quia ad eas conficiendas non opus fuit singulari peritia, neque usquam, Mosis jussu, factæ dicuntur. Vide Exod. XXXV, 19.

11. *In usum sacrum*] לקדש lakkodesch *in sanctitatem*.

12. *Nihilo minùs*] Ad opificia sacra conficienda, die septimo, non laborabitis. Poterant enim hoc opus aliorum numero eximi existimare. אך *ach* interdum hoc, aut *verumtamen* significat. Vide Gen. XXXIV, 15. Levit. XI, 36.

Quo intelligar esse Jehova] Hoc est, quo intelligar esse is *qui ut omnia exsistant efficit*, *δημιουργὸς* rerum omnium; quandoquidem creationis memoriam feriis inviolabilibus coli jubeo. Vide not. ad Cap. VI, 3.

14. *Qui illud profanarit*] Qui profestum habuerit, aut feriandum eo esse non crediderit, is Hebræus ne habeatur. Morti verò damnetur, qui cùm festum diem credat esse, attamen eo opus fecerit. Vid. not. ad Gen. XVII, 14. Exod XII, 19.

15. *Feriæ Sabbathi*] שבת שבתון *schabbath schabbathon*, altera harum vocum quietem significat; altera diem septimum. Hæc causa esse videtur cur Moses non dixerit שבת שבת *schabbath schabbath*, quia potuisset *quietis quies*, aut

cras Aharonis sacerdotis, & vestes filiorum ejus, quibus in munere sacerdotali obeundo utantur; 11. oleum unctionis, & aromaticum suffitum, in usum sacrum, secundùm omnia quæ tibi præcepi, facient.

12. Tum porrò Jehova Mosi his verbis: 13. tu verò, inquit, adloquete Israëlitas, dicens: nihilo minùs ferias meas observabitis, hoc enim inter me & vos in *futuras* ætates vestras signum est, quo intelligar esse Jehova, qui vos *mihi* consecravi. 14. Sabbathum ergo servabitis, nam sanctum vobis est. Qui illud profanarit morte adficiatur, & quicumque eo opus fecerit ex mediis populis suis is homo exscindatur. 15. Sex diebus opus fiet, sed septimo die erunt feriæ Sabbathi Jehovæ sacræ, quicumque opus fecerit die Sabbathi morte pœnas det. 16. Observabunt Israëlitæ has ferias, celebrando Sabbathum, æterno in *futuras* ætates suas fœdere. 17. Inter me & Israëlitas signum hoc erit sempiternum, Jehovam sex diebus cœlos & terram fecisse, ac die septimo cessasse, & requievisse.

18. Cùm Deus absolvisset adloqui Mosem in monte Sinai, dedit ei duas testimonii tabulas, digito Dei inscriptas.

XXIX. Ab-

erant; præfecti à Deo designati; * *ad* 11. ut omnia fieri curarerent, quæ modo descripta sunt.

12. 13. Postquàm Deus jussisset hæc opificia fieri, Mosi in mandatis dedit, ut moneret tamen Hebræos ne die Sabbathi hæc facere adgrederentur, eò quòd esset sacra supellex; nam volo, inquit, Sabbathi ferias etiam in hoc negotio observàri, atque eas esse veluti tesseram, quâ vos Deo omnium rerum Creatori consecratos esse constet. 14. 15. 16. Postquàm ergò per sex dies his, aliisque laboribus operam dederitis, quiescetis semper septimo quoque die. Quicumque eo opus fecerit, is nec Hebræus habetor, atque hoc capital esto. 17. Hæ feriæ veluti publica professio populi Hebræi sunto, quâ à se eum Deum coli, qui sex diebus omnia creavit, significet.

18. Hisce mandatis cùm Deus Mosem instruxisset, auferendas ei dedit geminas decalogi Tabulas, quibus divinitus potissimæ suæ leges fuerant insculptæ.

P A-

aut *Sabbathum Sabbathi* intelligi. LXX. Intt. & Vulgatus priorem vocem *Sabbathum* verterunt, posteriorem *ἀνάπαυσιν*, *requiem*. Latinis auribus commodior videbitur esse nostra translatio.

Jehovæ sacræ] *Sanctitas Jehovæ*.

16. *Fœdere*] Lege, quam Deus tulerat, & acceperant Israëlitæ.

11. *Jehovam sex diebus.*] Hic alter fuit Sabbathi finis, de quo diximus ad Cap. XX, 11. Et nomen Jehovæ & cessatio septimo quoque die palam faciebant ab Hebræis coli Deum omnium rerum creatorem. Contraria tamen suspicatus propterea est *Plutarchus*, sub finem Lib. IV. Sympos. ubi, prolatis inanibus indiciis, quibus se confecturum putat à Judæis Bacchum cultum: *οἶμαι καὶ τὴν*, inquit, *τῶν Σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι. Σάββους γὰρ καὶ νῦν ἔτι πολλοὶ τοὺς Βάκχους καλοῦσι, καὶ ταύτην ἀφιᾶσι τὴν φωνὴν, ὅταν ὀργιάζωσι τῷ Θεῷ*: *existimo Sabbathorum festum non prorsus à Baccho alienum esse. Sabbos enim etiamnum hodie multi Bacchos vocant & hanc emittunt vocem, cùm Dei festum celebrant.* Alii æquè ineptè Saturno eum honorem habitum conjecerunt. Vide *Tacitum* Hist. Lib. V. c. 4.

18. *Duas testimonii tabulas*] *Testimonium* quare Decalogus vocetur diximus ad Caput XXV, vers. 16. Antiquissimis temporibus, leges insculpi solitas tabulis æneis, marmoreis, ligneis &c. ostendit *Luc. Holstenius* in vitam Pythagoræ p. 68. Ed. Cantabr. aut ad §. 3. Ed. Amstel. nuperæ, qui consuli poterit.

XXIX. Abſente Moſe, Iſraëlitæ vitulum aureum ſibi conflant, quem quaſi Dei imaginem colant; Deúſque iis iratus, ni Moſes precibus interceſſiſſet, eos omnes perditurus erat. Moſes in caſtra redux tabulas præ ira frangit, vitulum comminuit, Aharonem objurgat, per Levitas de populo pœnas ſumit, Deúmque ut ei præïre pergat exorat.

CAPUT XXXII. 1. CUM videret *interea* populus Moſem morari deſcendere ex monte, ad Aharonem confluens, ſurge, inquit illi, fac nobis Deum qui nobis præeat; ad Moſem enim quod adtinet, qui vir nos ex Ægypto eduxit, quid eo factum ſit neſcimus. 2. Aharon verò illis, ſeponite, inquit, aureos annulos qui in uxorum, filio-

PARAPHRASIS.

1. INTEREA cùm populus Hebræus, per menſem, Moſem in monte Sinai morantem exſpectaſſet, neque ampliùs rediturum ſperaret; de alia ſibi Religionis forma, Ægyptiacæ ſimili, conſtituenda conſilia agitare cœpit. Tandem aliquot ex primoribus, agmine facto, ad Aharonem, quem populo præfecerat Moſes, eunt, aiuntque ſe neſcire quid Moſe factum ſit, quem per tot dies fruſtra exſpectaſſent; Deum ipſum videri ſuæ Reipublicæ conſtituendæ curam abjeciſſe, quandoquidem Moſes ab eo non redierat; neque interea populum Hebræum, ſine ulla publicæ Religionis forma, manere poſſe; igitur Aharonis eſſe, qui præfectus relictus erat à Moſe, ſimulacrum Numinis, quod caſtris præferretur, conflare. 2. Hos verò juſſit Aharon ad ſe adferre inaures aureas, quibus ornati erant Hebræi, & pollicitus eſt ſe conflaturum ex ea materia Numinis imaginem, quam ſibi præferri cupiebant. 3. Quod ubi populo per præconem edictum fuit, certatim omnes inaures ſuas ad Aharonem

COMMENTARIUS

In CAPUT XXXII.

1. C*Onfluens*] *Congregatus eſt*, aut *confluxit & dixerunt* &c.

Fac nobis Deum] Cùm abiiſſet Moſes, neque uſquam cerneretur amplius nubes, niſi fortè in aliquo Sinaïs jugo; videntur conjeciſſe Iſraëlitæ Moſem interiiſſe, neque Deum, cujus potentiâ ex Ægypto educti fuerant, Reip. Hebrææ ampliùs velle leges, cùm ſacras tum civiles ferre, ſed eas populi arbitrio relinquere. Itaque jam ſui juris rem eſſe crediderunt, Religionis formam conſtituere. Ante omnia Deum Iſraëlis ſimulacro quopiam effingi oportere cenſuerunt, ut viderant ab Ægyptiis Numina omnia certis imaginibus coli. Ejuſmodi enim Idololatriam, jam ab illo ævo, inter Ægyptios fuiſſe disertè docet Moſes Deut. XXIX, 16, 17. Hoc ergo volunt Iſraëlitæ, quod Paraphraſi expreſſimus. Dubium eſſe nequit utrum *Deos* vel *Deum* vertendum ſit (nam אלהים *elohim* utrovis modo verti poteſt) ſi duo in animum revocemus. Primum eſt, Aharonem unicum dumtaxat *Vitulum*, nullas alias imagines feciſſe; alterum eſt, quod conſtat ex verſ. 5. *Jehovæ* ſoli, nulli alii Deo, conſecratum hoc fuiſſe ſignum. Nec objici poteſt verbum ילכו jelechou *eant*, nam etiam ubi ſermo eſt de Deo uno, interdum numerum nominis ſequitur verbum. Vide not. ad Gen. XX, 15. XXXV, 7.

Qui præeat nobis] *Qui eat ante faciem noſtram*; hoc eſt, ſignum quod caſtris Iſraëlis præferatur, ut nubes præcedere ſolebat. Simulacro *Dei* nomen tribuitur, non quòd uſque adeò inſanirent Iſraëlitæ, ut modò liquefactum metallum Deum ipſum eſſe putarent, quem ab æterno exſiſtere norant, & quem ab hominibus fabricari poſſe nemo credidit; ſed quia Idololatrarum is erat ſermo, & uſus. *Deos* enim paſſim vocant ſimulacra Deorum ſuorum, qua de re diximus ad Gen. XXXI, 30.

2. *Seponite, inquit*] Quia hanc hiſtoriam paucis verbis narrat, ut ſolet, Moſes; ideò tamen non eſt exiſtimandum aut Iſraëlitas nihil aliud dixiſſe, præter paucula verba, quæ verſ. 1. exſtant, aut Aharonem nihil aliud repoſuiſſe, quàm quod 2. legimus. Neque primores populi aut promiſcua turba, tam paucis verbis, rem tantam confecere; neque Aharon, quaſi parato dudum reſponſo, illico repoſuit. Moſes ea dumtaxat retulit, quæ longi colloquii, magnæque deliberationis ſumma fuere. Qui non recordantur Hebræos oratione directâ, non ipſa verba, ſed ſenſum exprimere, ii ſæpe perperam pauciſſimis verbis res fuiſſe actas putant, quæ non ſine longa diſceptatione decretæ ſunt.

Aureos annulos] Vide notata ad Gen. Cap. XXIV, 47. Inauribus Madianitarum ſimiliter ferè abuſus eſt Gedehon Jud. VIII, 26

4. *Formavitque aurum cælo*] ויצר אתו בחרט *vajjatſar otho bhheret*, quæ verba duplicem interpretationem patiuntur, eam quam ſequuti ſumus poſt LXX & pleróſque Int. veteres & recentiores; alteram quæ eſt *Jonathanis*, & quam noſtræ præfert vir ſummus *Hierozoici* ſui Part. I. Lib. 2. Cap. 24. *& colligavit illud* (aurum) *in marſupio*. Ac ſanè voces ſic intelliguntur 2. Reg. V, 23. Sic autem ille tranſlationem noſtram oppugnat, ut numeri argumentorum majorem habuiſſe rationem videatur, quàm ponderis. Attamen, propter viri in hiſce litteris auctoritatem non mediocrem, ea paucis expendemus. I. Hæc inquit, non ſatis cohærent: *& formavit illud ſtylo* (vel *cælo*) *& fecit ex eo vitulum fuſilem*. Quomodo enim fuſile dicatur,

filiorum, filiarúmque vestrarum sunt auribus, atque ad me adferte. 3. Universus *illico* populus annulos aureos seposuit, atque ad Aharonem adtulit. 4. *Eos* ille ex eorum manu accepit, formavítque *aurum* cælo, postquàm liquefactione vitulum fecisset. *Israëlitæ* verò, hic est, inquiunt, ô Israël, Deus tuus qui te Ægypto eduxit. 5. Hoc cùm vidisset Aharon, ante eum exstruxit altare, proclamavitque, &, *erit*, inquit, cras festum Jehovæ. 6. Summo mane surrexerunt postero die Israëlitæ, adoleverunt holocautomata, & salutares victimas admoverunt; dein populus sedit ad convivandum, atque ad ludendum surrexit.

7. Tum Jehova Mosi, abi, inquit, descende, populus enim tuus, quem eduxisti ex Ægypto, corruptus est. 8. Celeriter abscesserunt à via, quam eos jusseram *sequi*, conflatilem vitulum sibi fecerunt, eum adorarunt, ei sacra fecerunt, &, hic est, dixerunt, ô Israël, Deus tuus, qui te ex Ægypto eduxit. 9. Dixit etiam Jehova Mosi: hunc

ronem contulere. 4. Hic verò hoc auro liquefacto & in typum conjecto, vitulum aureum, Apidem Ægyptiacum Deum imitatus, conflavit; quem postea cælo accuratiùs finxit, & spectandum populo proposuit. Hebræis, Apidis cultui dudum adsuetis, usque adeò placuit novum hoc simulacrum, ut illico aptissimam hanc esse Jehovæ, à quo ex Ægypto educti fuerant, imaginem conclamaverint. 5. Quod cùm animadvertisset Aharon, ante vituli simulacrum altare exstruxit, & postridie festum fore Jehovæ edixit. 6. Igitur summo mane Hebræus populus, in altari recens exstructo, holocautomata & salutares victimas adolevit; atque ex sacrorum reliquiis convivatus choreas ducere cœpit.

7. Hoc ipso tempore, Mosem omnibus mandatis, quæ dixi, instructum dimittebat Deus, & populus, inquiebat, quem ex Ægypto eduxisti, me jubente, omnium meorum beneficiorum & prodigiorum editorum immemor, 8. jam incipit abrogare leges, quas à me latas observaturum se pollicitus erat. Vitulum aureum sibi conflari curavit, huic imagini, quam mei esse dicit simulacrum, soli inconspicuo Numini debitos honores exhibuit, & sacra fecit. 9. Quod cùm ita sit, atque hinc & mul-

tur, quod cælo formatum est? Aut cælo formari vitulus, qui ad ignem in typo fusus est? Atqui facile est intellectu quî hoc factum fuerit; nimirum, cùm in typo crassiùs esset formatus vitulus, necesse fuit scalpro, vel stylo metallum accuratiùs fingi; quod fieri plerumque solet in ejusmodi opificiis, quæ elegantiùs finguntur. II. Hoc quidem ab Interpretibus observatum fuisse notat *Sam. Bochartus*, itaque sic urget: cur ordine præpostero hæc referuntur, *& formavit illud cælo, & fecit vitulum fusilem, quem postea cælo expolivit*? Ad hæc respondebimus in expositione sequentium verborum. III. Ita porrò pergit: quis Aharonem edocuit artem auri cælo expoliendi? At hoc difficilius non est, quàm typum conficere vituli, aut alia opificia, quæ postea, jubente Mose, ab Israëlitis facta sunt. IV. Cùm homini haud dubiè harum artium rudi multo tempore opus fuerit ad statuam hanc lævigandam, quomodo postridie fusionis festum indixit, in Idoli hujus honorem celebrandum? At nusquam dicit Moses postridie fusionis indictum esse festum, sed postridie ejus diei, quo Aharon vituli simulacrum Israëlitarum oculis exposuerat. Deinde temerè vir summus adsumit & Aharonem ignarum fuisse artis statuariæ, & ipsum manibus suis effinxisse simulacrum; nam & potuit non imperitus esse hujus artis, & aliis rem demandare; quam *fecisse* dicitur, quia eam fieri jussit, quo nihil in omnibus Linguis frequentius. Vide not. ad Gen. III, 21. Posterius hoc responsum iri vidit *Bochartus*, reponitque idem quæri posse de iis, quorum ministerio usus est Aharon; quod profectò futile est, quid enim mirum, quamvis historia taceret, in tanto populo artifices fuisse non prorsus imperitos tractandorum metallorum? At ejusmodi homines fuisse postea liquet, Cap. XXXVI, 1. V. Sed, inquit, si apud Hebræos statuas igne fusas stylo lævigare moris erat, cur Scriptura, quæ fusionis & fusilium plus triginta locis meminit, alibi ne semel quidem ea stylo expolita & lævigata fuisse dicit? Nempe, quia fusione potissimùm statuæ formantur, nec minutæ omnes circumstantiæ semper memorantur. VI. Τῷ חרט, inquit, id est styli vel cæli, sculpere & cælare proprium est, non lævigare, quod limâ & scalpro fieri solet. Sed nec agitur hîc de lævigatione, nam צור *tsour* non est lævigare sed *formare* & *fingere*, quod cælo fieri debuit. Postquàm enim fusione vitulus esset conflatus, ad crassiora lineamenta quod adtinet, supererant tenuiora cælo effingenda, & accuratiùs formanda.

Cælum] Ita vertimus חרט *bheret*, quod *stylum* significat Esai. VIII, 1. re ipsâ suadente, & opitulante usu Syrorum & Arabum, apud quos radix חרט *bharat* cælare, sculpere sonat.

Postquàm liquefactione] ויעשהו *& fecit eum vitulum fusionis*. ו non potuit verti ET à Latinè loquentibus, quamvis hæc sit frequentissima ejus apud Hebræos significatio; nam priùs liquefacta est aurea massa, deinde cælo accuratiùs formata. Fortè quidem Hebræi, auditâ particula ו, in hoc similibúsque locis, eamdem prorsus animo notionem obversantem non habebant, quam nos habemus cùm audimus adverbium *postquàm*. At ex re ipsa colligendum audientibus, aut legentibus relinquebant quid priùs, quid posteriùs factum esset; neque ordinem temporis, in narratione, accuratè servabant. Passim enim ὑστερόπρωτον in eorum scriptis invenimus. Vide notata in Genes. XXIII, 20. XLIX, 27. Itaque *Sam. Bochartus* frustra hîc, præposteram ob narrationem, ad sensum alium confugit.

Deus tuus] *Dii tu qui te Ægypto eduxerunt.* Ut intelligamus pluralem singulari sensu intelligendum, singulari numero usus est Nehemias C. IX, 18. *Fecerunt sibi vitulum fusilem, &* dixe-

hunc populum consideravi, ecce autem rigidæ cervicis est populus. 10. Nunc verò, sine me, accensâ in eos irâ meâ eos absumam, faciamque ut tu gens magna evadas.

11. At Jehovam, Deum suum, deprecatus est Moses, &, quem in finem, inquit, in populum tuum, ô Jehova, quem magnâ potentiâ & prævalidâ manu ex Ægypto eduxisti, incenderetur ira tua? 12. Quem in finem dicerent Ægyptii, malo animo eos eduxit, ut occideret eos in montibus, atque è terra absumeret? Revertere ab iræ tuæ excandescentia, & te mali populi tui pœniteat. 13. Memor esto Abrahami, Isaaci & Israëlis, servorum tuorum, quibus per te ipsum juratus dixisti; posteros vestros, instar stellarum cœli, numero augebo, omni hac terrâ, quam dixi, donabo, eámque in perpetuum possidebunt. 14. Tum Jehovam mali, quo populum suum adfecturum se dixerat, pœnituit.

15. Moses verò conversus descendit è monte, duæque tabulæ testimonii in manibus ejus *erant*, tabulæ ex geminis lateribus, hinc atque inde, scriptæ. 16. Eædem opus Dei *erant*, scripturáque scriptura divina tabulis insculpta. 17. Audivit *inter eundum* Je-

multis aliis experimentis liqueat immorigeræ indolis hunc esse populum; 10. ne precibus tuis intercedas, quominus eum è medio integrum tollam; quandoquidem sobolem tuam ita possum augere, ut in gentem magnam evadat, & in ejus quæ deleta fuerit locum succedat.

11. Tum verò Moses, popularium suorum caritate commotus, Dei iram his aut similibus verbis deprecari cœpit: Ne usque adeò, ô Deus, indignere in populum, quam tantis editis potentiæ tuæ speciminibus ex Ægyptiaca tyrannide liberasti; cui enim usui forent tot prodigia, si is populus, in cujus gratiam edita sunt, deleretur? 12. An tibi placerent sermones Ægyptiorum, dicentium te Hebræos, malo animo ut eos perderes in Petræa Arabia, ex ditione sua eduxisse? Ne ergo pœnas meritas quidem illas, sed beneficiorum tuorum memoriam deleturas, ex populo hoc tuo sumas. 13. Impleto potiùs promissa, quæ piis ejus Majoribus olim edidisti, quibus, non sine jurejurando per te ipsum concepto, in populosissimam gentem evasuram eorum progeniem, & Chananæorum agros in perpetuum habituram, pollicitus es. 14. His precibus Mosis permotus Deus meritas exscidii pœnas Israëlitis remisit.

15. Placatiorem ergo Deum cùm intellexisset Moses, è monte descendit, & tabulas quidem Decalogi duas, hinc atque inde 16. divino opere insculptas, gerebat. 17. Cùm non procul abesset à castris, exaudivit Josua tumultum populi vociferantis, monuitque Mosem videri prælium à popularibus committi, tumultum enim pugnæ se exaudire.

dixerunt: hic est Deus tuus qui te eduxit (זה אלהיך אשר העלך) *ex Ægypto.* Vide not. ad vers. 1. Hoc est, simulacrum Dei tui, qui te Ægyptiorum tyrannidi eripuit, sive Jehovæ, ut ex sequentibus liquet. Quærunt Intt. quare Israëlitæ Jehovæ simulacrum vitulinum statuerint, & multi multa futilia hanc in rem scripserunt, quæ *Sam. Bochartus* loco laudato confutavit; rectéque idem, post plerosque doctiores Intt. ex Ægyptiorum Idololatria traxisse hoc Israëlitas censuit. Certum enim est brutorum cultum iis temporibus in Ægypto obtinuisse, ut ostendimus ad Cap. VIII, 26. Nec minùs constat eorum animalium simulacra in Ægypto fuisse culta: *Strabo* Lib. XVII. de Ægyptiacis Templis: Ξόανον δὲ οὐδὲν ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινός: *simulacrum vero nullum, aut non ad hominis formam, sed bestiæ alicujus effictum.* Inter hæc animalia potissimùm fuit, *bos*, ut idem *Strabo* docet: Τινὰ μὲν τῶν ζώων ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον: *quædam animalia universè colunt omnes Ægyptii, ut ex terrestribus tria, bovem, canem, felem.* Idem testantur omnes, qui res Ægyptiacas adtigere. Vide notata ad Cap. XX, 4. Docent etiam nos disertè Scriptores alii Sacri, quamquam tacuit Moses, Israëlitas in Ægypto superstitionem Ægyptiorum imitatos. Vide Jos. XXIV, 14. Ezek. XX, 7, 8. XXIII, 3, 8. Igitur quicumque Aharonis vitulum, aliunde quàm ex Ægypto, derivant, in re facili negotium frustrà sibi facessunt.

Videtur autem simulacri conficiendi arbitrium Aharoni permissum; qui postquàm Ægyptios imitatus Vitulum fecisset, populo spectandum exhibuit, ut probaretúrne suum consilium an secus, cognosceret. Conspecto verò Vitulo, universo populo Numinis inconspicui symbolicum, conspicuúmque simulacrum placuit, eadem de causa ob quam ipse Aharon vitulinam formam ceteris prætulerat; quod, nimirum, sanctissimè ab Ægyptiis coleretur, quorum moribus jam adsueti erant. *Herodotus* Lib. II. c. 42. Θεοὺς δὲ τοὺς αὐτοὺς ὁμοίως ἅπαντες Αἰγύπτιοι σέβονται, πλὴν Ἴσιός τε καὶ Ὀσίριδος: *non eosdem Deos ex æquo omnes Ægyptii colunt, exceptis Iside & Osiride.* Osiridis autem animum migrasse censebant in corpus Apis, aut vitulum hunc ejus esse imaginem, quòd agriculturam summopere coluisset Osiris. *Diodorus* Lib. I. auctor est Ægyptios credidisse ὅτι τελευτήσαντος Ὀσίριδος εἰς τοῦτον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετέστη: *mortui Osiridis animam in eum migrasse.* Pag. 76. Ed. Rhodom. *Plutarchus* de Osiride & Iside p. 362. ostendit Ægyptios docuisse ὡς εὔμορφον εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν, *Apin censendum esse pulcram imaginem animæ Osiridis.* Vide quæ hanc in rem collegit *Joan. Marshamus* ad Sæc. IV. Rerum Ægyptiacarum. Eidem Osiridi consecratus etiam fuit *Mnevis*, alter vitulus, qui quidem Heliopolitarum fuit, cùm *Apis* Memphitarum esset. *Plutarchus* p. 364. Ὁ δὲ ἐν Ἡλιουπόλει τρεφόμενος βοῦς, ὃν Μνεῦιν καλοῦσι, Ὀσίριδος δὲ ἱερὸν — δευτέρας ἔχει τιμὰς μετὰ τὸν Ἆπιν: *bos Heliopoli enutritus, quem Mnevin vocant, & Osiridi sacrum, secundos honores obtinet post Apin.*

5. Hoc

Jehosua vociferantis populi tumultum, & Mosi dixit: in castris tumultus est prælii.
18. *Hic* verò, non est, inquit, vox ad strenuè se gerendum hortantium, neque vox
cladem passorum, canentium ego vocem audio. 19. Cùm verò castris propior factus
esset, vitulum & choros vidit, *quibus* accensa est ejus ira, tabulasque manibus projectas,
sub ipso monte, confregit.
20. Deinde correptum, quem fecerant, vitulum igne coxit, moluit donec comminutus esset, sparsitque in aquam, quam Israëlitis potandam dedit.
21. Aharoni autem, quid fecit tibi, inquit, iste populus, ut in tantum peccatum eum induceres.
22. Aharon verò, ne, inquit, accendatur ira domini mei, tu nosti quàm sit malus
hic populus. 23. Mihi dixerunt: fac nobis Deum, qui nobis præeat, nam ad Mosem quidem quod adtinet, qui vir nos ex Ægypto eduxit, quid eo factum sit nescimus.
24. Tum illis dixi, cui est aurum, id seponat; mihi id dederunt, projecique in ignem, atque ex igne hic egressus est vitulus.
25. Cùm autem videret Moses populum esse *decore suo* nudatum, eum enim *hoc* nuda-

dire. 18. Moses verò negavit audiri vocem, qualis solet esse hominum se se ad pugnam cohortantium, & signa in hostem inferentium, aut cladem passorum & ejulantium; vocem canentium esse contendit, nec fallebatur.
19. Cùm enim propiùs accessisset. Vitulum ab Aharone consecratum viderunt, & choros canentium audiverunt. Tum verò indigno spectaculo ita mota est Mosis ira, ut præ indignatione tabulas solo illisas, ad montis Sinais radices confregerit.
20. Deinde castra ingressus impium Israëlitarum furorem compressit, Vitulum demolitus est, in ignem conjecit, singulari quadam arte in calcem redegit atque in pulverem comminuit; quem in aquam quam bibebant Israëlitæ conjecit, ut Vitulum illum suum summopere contemnendum esse intelligerent.
21. Aharonem etiam graviter castigavit, quod tantæ impietatis Hebræis auctor fuisset.
22. Ille vero, fratris iram deprecatus, orare eum cœpit in animum revocaret, quàm pertinaces essent sui populares,
23. dixitque se iis conflandi & colendi Vituli auctorem non fuisse, sponte eos ad se venisse, & petiisse sibi Numinis simulacrum conspicuum conflari; quandoquidem Moses, qui Religionem populi Hebræi formandam suscepisset, non redibat.
24. Se verò, cùm frustra contradicturum se videret, si negasset, jussisse inaures ad se adferri, ex quibus liquefactis & in typum conjectis conflatus fuerat Vitulus.
25. At Moses cùm intelligeret populares suos, qui hactenus eam laudem obtinuerant ut soli Numen inconspicuum sine simulacro colerent, eâ jam

5. *Hoc cùm vidisset Aharon*] *Et vidit Aharon, & exstruxit.* Cum vidisset consilium suum, sub imagine juvenci effingendi Numinis, populo placere, altare exstruxit, & in sequentem diem πανήγυριν indixit.

Erit cras festum Jehovæ] Sub imagine vituli effictô. Sic Micha qui Theraphimos, & Jerobohamus, qui vitulos fecit, Jehovæ illa simulacra consecrarunt. Judic. XVII, 3, 13. 1. Reg. XII, 28.

6. *Tum populus sedit ad convivandum*] Nempe ex reliquiis Sacrorum salutarium. Sic & Ægyptiis δαῖτα προτίθενται τὰ λοιπὰ τῶν ἱρῶν, *dapes proponuntur, quæ ex sacrificiis reliqua sunt. Herodotus* Lib. II. c. 40. in descriptione festi. Imò verò, si *Suidæ* credimus, festo potissimùm Apidis, ad cujus imitationem hoc celebratum est, erat πανδαισία. Ἑορτὴν μεγάλην, inquit, ἦγον, καὶ ἱερεῖς τινες περὶ τὸν τεχθέντα βοῦν ἱερῶντο παρατιθέντες πανδαισίαν ὡς συνευχοῦντες αὐτοῖς, *festum magnum celebrabant & Sacerdotes quidam circa bovem illum natum sacra faciebant, omne genus epularum adponentes, quasi cum Apidibus convivantes.*

Ad ludendum] לצחק *lesabbek*, hoc est, ad saltandum, ut solebat diebus festis fieri. Vide 2. Sam. VI, 16. & 1. Par. XV, 29. Sic describit Emesenum Sacerdotem Solis Heliogabalum *Herodianus* Lib. V. ἱερουργοῦντα δὴ, περί τε τοῖς βωμοῖς χορεύοντα νόμῳ βαρβάρων, ὑπό τε αὐλοῖς καὶ σύριγξι παντοδαπῶν τε ὀργάνων ἤχῳ: *sacra facientem, chorúmque circa altaria barbarum in morem, ad tibias, fistulásque & omnifariam organa, instaurantem.* Paullò inferiùs, sic de eodem loquitur: τὴν τε ἱερωσύνην τοῦ ἐπιχωρίου Θεοῦ ἣν ἐνετέθραπτο περιεργότερον ἐξώρχητο: *cultum patrii numinis, cui innutritus fuerat, supervacuis saltationibus celebrabat.*

7. *Corruptus est*] שחת *schibbeth*, corrupit, nempe, דרכו (ut Gen. VI, 12.) *viam suam.* Sed passiva conjugatio sensum satis exprimit. Ante לך lech, *ito* habet Samariticus לאמר. *dicendo*, ut apud LXX λέγων. Vide vers. 1. sequentis Capitis.

9. *Consideravi*] ראיתי raithi, *vidi.*

Rigidæ cervicis] קשה ערף ksche horeph *durus cervice.* Metaphora ducta est à bubus, qui nondum ferre jugum soliti sunt, idque cervice rigidâ excutiunt. Sic apud *Curtium* Lib. VI. c. 3. Alexander de populis nuper à se subactis: *In novo*, inquit, *& precario imperio, adhuc* JUGUM *ejus* RIGIDA CERVICE *subeuntibus barbaris, tempore opus est, dum mitioribus ingeniis imbuantur, & efferatos mollior consuetudo permulceat.* Ejusmodi erat Hebræorum indoles, qui nondum legibus divinis satis erant adsueti. Simili metaphora usus est *Juvenalis* Sat. XIII, 20.

——— Ducimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum, vitâ didicere magistrâ.

Sine me] הניחה לי *hannibbah li*, hoc est, permitte mihi, ne precibus voluntati meæ intercedas. LXX. Inti. ἔασόν με. Vulg. incommodè: *dimitte me.* Hoc ipsum est quod vult Christus Matth. III, vers. 15. voculis ἄφες ἄρτι, eum

daverat Aharon, ita ut inter hostes ludibrio esset, 26. stetit in porta castrorum, & qui est Jehovæ, inquit, ad me *veniat*. Ad illum autem confluxerunt omnes Levitæ, 27. quibus: sic dixit, inquit, Jehova Deus Israëlis, accingito quisque gladium femori, transito per castra, reditóque à porta *una* ad *alteram* portam, & fratrem, amicum ac propinquum occidito. 28. Fecerunt Levitæ, prout dixit Moses: ceciderúntque è populo die illo circiter tria millia virorum. 29. Dixit tum Moses, potestatem exercendi muneris *in honorem* Jehovæ hodie accipite, ut vobis conferat hodie benedictionem, quia quisque contra filium aut fratrem suum *fuit*.

30. Postero verò die, populo, admisistis, inquit Moses, magnum peccatum, nunc ergo

jam excidisse, & præterea divino auxilio orbatos vicinis gentibus tibi infestis ludibrio futuros, graviore supplicio opus esse ratus est; ut & læsæ Majestati Divinæ satisfieret, & ne in posterum simile quidquam admitteretur. 26. Itaque se ad unam ex castrorum portis confert, & ad se venire jubet omnes qui solum omnium rerum Creatorem, & eo quidem modo, quo ipse jusserat, colendum censerent. Illico omnium tribulium ad eum concursus factus est. 27. Quos ubi vidit, jussit, nomine Dei, omnes arma capere, & nocentissimos quosque per tota castra, sine ullo propinquitatis & amicitiæ respectu, interficere. 28. Levitæ dicto Mosi audientes imperata fecerunt, populariumque, præ Numinis metu, non resistentium illo die circiter tria millia occiderunt. 29. Hoc peracto, collaudavit homines Moses, dixitque eo die Tribum suam, quæ nocentibus, quamvis conjunctissimis, non pepercisset, Deo, quem ulta erat, veluti consecratam fuisse, ejus gratiam, egregio facinore, iniisse, faventémque eum sibi fensuram.

30. Postridie Moses populum ad concionem vo-ca-

eum Joannes Baptista deprecaretur ne eum baptizaret; hoc est, omitte nunc eam deprecationem, & patere me baptizari. Sic ad hunc locum *Onkelos*: בשׁוק מן קדמי אנת *omitte deprecationem tuam à facie mea.*

Accensâ irâ meâ] *Accendetur ira mea in eos.*

Faciam ut tu gens magna evadas] *Faciam te gentem* (לגוי lgoi) *magnam.* Vide not. ad Gen. XVII, 5. XXI, 18. Huic versui hæc verba adsuunt Samaritæ: ובאהרון התאנה יהוה מאד לשמידו ויתפלל משה בעד אהרן, & *in Aharonem indignatus est Jehova vehementer, ad eum perdendum, sed deprecatus est Moses pro Aharone.*

11. *Deum deprecatus est*] *Precatus est faciem Jehovæ Dei sui.*

Quem in finem] למה *lammah*, quod plerumque *quamobrem* significat, sed hîc ita verti nequit, cùm gravissima Deo esset causa populo Hebræo irascendi. Huic versu addunt Samaritæ: ובזרוע נטויה & *brachio exserto.* Habent etiam οἱ LXX. ἐν βραχίονι σου ὑψηλῷ.

In montibus] Nempe, Arabiæ Petrææ, circa quos tum vagabantur Hebræi.

Te pœniteat] Vide not. ad Genes. VI, 6.

13. *Juratus dixisti*] *Jurasti illis per te, & dixisti illis.* Vide Gen. XXIII, 16.

15. *Tabulæ testimonii*] Vide not. ad Cap. XXV, vers. 16.

Hinc atque inde scriptæ] Repetitur *scriptæ illæ.* Oportet majusculos fuisse characteres, aut tabulas exiguas, cùm brevis sit Decalogus. Rabbinorum, qui pertusas eas fuisse volunt, deliria non moramur.

16. *Eædem*] *Hæ tabulæ.*

17. *Vociferantis*] In textu legimus ברעה *brehah*, quod posset verti *in clamore*, in margine verò ברעו *brebo*, *cùm clamaret ille*, nempe, populus, dum saltat & ludit.

Tumultus est prælii] קל מלחמה *kol milhhamah*, vox prælii.

18. *Ad strenuè se gerendum hortantium*] ענות גבורה hanoth gbourah, *respondendi fortitudinem.* ענה *hanah* respondere quidem propriè significat, sed haud rarò signat id quod faciunt qui vicibus & sibi invicem veluti canendo respondent. Vide not. ad Cap. XV, 21. & Num. XXI, 17. Hinc LXX. habent φωνὴν ἐξαρχόντων *vocem præcinentium*, & Vulg. *adhortantium ad pugnam.* Potest intelligi clamor ille militaris, qui pugnam ineundo utrimque edebatur, & quo animus militum augebatur, & significabatur. Sic *Curtius*, in descriptione pugnæ ad Issum, inter Persas & Macedonas commissæ, Lib. III. c. 10. *Priores Persæ inconditum & trucem sustulere clamorem; redditur & à Macedonibus major.* Contrà paullò ante alteram pugnam, *Macedones sive alacritate, sive tædio exspectationis, ingentem, pugnantium more, edidere clamorem; redditus & à Persis.* Idem Lib. IV. c. 12.

Cladem passorum] ענות חלושה hanoth hhalouscha, *respondendi debilitatem*, hoc est, ululatu cladem quiritantium, & timorem significantium; qualis fuisset in castris, si, cæsis & fugatis armatis, inermes fœminas ac pueros invasissent hostes. Sic victo ad Issum Dario, *omnia planctu, tumultúque, prout cuique fortuna erat; castra repleverant, nec ulla facies mali deerat.* Quæ verba sunt *Curtii* Lib. III. c. 11. Itaque Moses Josuam docebat clamorem, quem exaudiebant, neque pugnantis, neque victi esse populi, sed festum celebrantis. LXX. Intt. habent hîc ἐξαρχόντων τροπῆς *incipientium verti in fugam*, & Vulg. *ad fugam compellentium.* Non satis commodè. Qui in M S. Vaticani Scholiis aliquando ex Samaritico varia Græcè profert, legerat non *hanoth*, sed *hanouth*, ut ענות sit nomen, non infinitivus; monet enim in Samaritico esse: οὐκέτι φωνὴ ἀποκρίσεως ἀνδρείας, καὶ οὐκέτι φωνὴ ἀποκρίσεως ἥττης: *non amplius vox responsionis fortitudinis, neque amplius vox responsionis cladis.* Habet idem Scholiastes: ἀντὶ τοῦ οὔτε φθεγγόμενοι οὔτε νικώντων, quæ est interpretatio Samaritæ Paraphrastæ, ליא קל סיעה וליא קל סיעה מתנצעה קל שברים *non est vox cætûs vincentis, neque vox cætûs victi; vocem peccantium*; nempe, *audio.*

Canentium] ענות hanoth, *canendi*, nam hoc significat hoc verbum, si solum sit. Vide Ps. LXXXVIII, 1. *Herodotus* Lib II. c. 60. de Ægyptiis

ergo ad Jehovam adscendam, forte peccato vestro veniam impetrabo. 31. Reversus itaque est Moses ad Jehovam, & admisit, inquit, hic populus ingens peccatum, nam sibi aureum Deum fecerunt. 32. *Veni ut intelligerem* an ignoturus sis *huic* eorum peccato; sin minùs, ex libro tuo quem scripsisti, me deleas. 33. Jehova verò Mosi, eum, inquit, qui in me deliquerit, ex libro meo delebo. 34. Sed nunc ito, ducito hunc populum quò tibi dixi, ecce Angelus meus tibi præibit. Die verò quo *eorum acta* recognoscam, *hujusce* eorum peccati rationem ab iis repetam. 35. Interea Deus populo plagam injunxit, quòd fieri curasset eum vitulum quem fecerat Aharon.

1. Tum

catum gravissimis verbis castigavit, ob impietatem nefandam quam admiserat; & dixit necesse sibi esse in montem redire, ut Deum ei placaret. 31. Reversus postea in montem Dei cœpit iram deprecari. Iterum fassus est à popularibus suis ingens admissum esse peccatum, in Vituli aurei consecratione. 32. Oravit tamen Deum eis condonaret, dixitque se eo animo rediisse in montem; ut intelligeret an vellet Deus pœnas popularibus suis remittere. Quod si nollet, orabat sibi simul vitam eriperet, neque enim sustinere se popularium exstinctionem videre. 33. Vox verò, divinitus è nube emissa, reposuit eos tantùm capite à se plecti oportere qui deliquissent, non culpæ expertes. 34. Iret ergo, populumque Hebræum, ut antea, præeunte Angelo ducaret; nam se quidem subito exscidio pœnas non sumturum de omnibus Israëlitis, sed adfore aliquando diem, quo singulorum vitam recogniturus esset, & supplicium, prout æquum erat, expetiturus. 35. Attamen subitâ morte, paullò pòst, plurimos ex nocentissimis, ob Idololatriam in Vituli aurei consecratione commissam, exstinxit.

1. Haud

Ægyptiis festa sua celebrantibus: αἱ μέν τινες τῶν γυναικῶν κρόταλα ἔχουσαι κροταλίζουσι· οἱ δὲ αὐλέουσι κατὰ πάντα τὸν πλόον· αἱ δὲ λοιπαὶ γυναῖκες καὶ ἄνδρες ἀείδουσι, καὶ τὰς χεῖρας κροτέουσι: *nonnullæ mulieres crepitacula tenentes iis concrepant, alii verò fistulâ canunt per totam navigationem; reliquæ mulieres & viri canunt & manibus plaudunt.* Ejusmodi tumultum exaudivere Moses & Josua. Est in Samaritico ענות *bavonoth*, hoc est, ἁμαρτιῶν, ut interpretatur Scholiastes Vaticanus. Samarita Chaldæus habet: עברים *peccantium.*

Choros] Vide ad Cap. XV, 20.

19. *Tabulásque manibus projectas*] Irati præter modum, si quid teneamus, id solo sæpe illidimus; neque quidquam aliud hîc quærendum.

20. *Igne coxit*] ישרף jisehroph, *combussit*, quod nonnulli liquefactione factum volunt, sed contra Hebraïcæ Linguæ usum; cui נסך *nasach* liquefacere est, שרף *comburere*. At non potest, inquiunt, aurum in calcem, ut lapides, igne redigi, sed tantùm liquefieri. Quid arte eorum, qui metalla tractant, aut etiam Chymicorum nunc fieri possit non quæro; sed non possunt legi verba Mosis, quin intelligamus primùm aurum igne in calcem redactum, ut loquuntur artifices, deinde commolitum & in pulverem comminutum, ac tandem aquæ admistum. Itaque nos *coxit*; potiùs quàm *combussit*, vertimus, quia *coquere* calcem dicuntur calcarii.

Moluit] ויטחן jitthhan, quod non potest exponi de comminutione quæ limâ fit, quin violetur Linguæ Sacræ usus. Præterea si limâ comminui oportuit vituli simulacrum, quid opus fuit aurum priùs igne excoqui? An aurum sit tenerius coctione? Igitur intelligenda hîc contusio, quæ similis sit contusioni seminum, quæ fit ope molæ; ut si cocta calx molæ subjiceretur, aut in mortario comminueretur. Hoc vult Moses, nec torquenda propterea ejus verba, quia quomodo id factum sit non intelligimus. Nota fortè olim fuit hæc ars in Ægypto, quæ omnium artium culturâ, ab antiquissimis temporibus, floruit. Argentum quidem constat hodie posse in corpus facilè conterendum redigi, ut norunt artium metallicarum periti. In Thebaïde, jam à tempore Osiridis, inventa χρυσεῖα *auri metalla* auctor est *Diodorus* Biblioth. Lib. I. p. 14. Quo labore, ea metalla eruerentur idem docet Lib. III. p. 150.

Sparsitque in aquam] Ut pulvis ille aquæ misceretur. Aqua illa fuit torrens ex monte Chorebo descendens, ut liquet ex Deut. IX, 21. Quærunt Intt. quare Moses aquæ, quam bibebant Israëlitæ, comminutum aurum adsperserit, & multi multa comminiscuntur, quæ collegit & confutavit *Sam. Bochartus*. Hæc nobis verisimillima videtur esse ratio; Mosem, nimirum, non modò ita destructe voluisse hoc Idolum, ut nullum superesset ejus vestigium, in calcem redactâ, & comminutâ ejus materiâ, atque in aquam fluentem sparsâ; sed etiam quatenus licuit, in contraria omnia, ut crimen expiaretur, Israëlitas ire voluisse. Ut autem non potuissent Ægyptii majorem pristinæ suæ Idololatriæ detestationem significare, quàm si animalia quæ adorabant mactassent & comedissent, uti si *Apidis*, aut *Mnevis* carnes coctas sibi apponi jussissent convivaturis: sic Israëlitæ, cùm aurum comedere non possent, aquas pulvere ejus adspersas biberunt, ut signum, quoad licuit, absorbere viderentur, adeòque cultum quem ei præbuerant damnare. Majore certè contumeliâ Ægyptii adfici non potuissent, quàm si sacros Osiridi juvencos comedi vidissent, aut ipsi comedere fuissent coacti. Memorabile est Ochi Persarum Regis responsum, cùm audiret se asinum ab Ægyptiis vocari, quod refert *Plutarchus* de Iside & Osir. p. 362. Τῶν Περσικῶν βασιλέων ἐχθραίνοντες μάλιστα τὸν Ὦχον, ὡς ἐναγῆ καὶ μιαρὸν, ὄνον ἐπωνόμασαν· κἀκεῖνος εἰπὼν, ὁ μέν τοι ὄνος οὗτος ὑμῶν κατευωχήσεται τὸν βοῦν, ἔθυσε τὸν Ἆπιν, ὡς Δείνων ἱστόρηκε: *ex Persarum Regibus maximè odio habuerunt Ochum (Ægyptii) ut sceleratum & impurum, Asinúmque cognominarunt. Ille verò, cùm dixisset, at hic asinus vestrum bovem epulabitur, mactavit Apin, ut*

CAPUT XXXIII

1. Tum dixit Mosi: ito, hinc discedito túque & populus, quem eduxisti ex Ægyp-
to, in terram de qua juravi Abrahamo, Isaaco & Jacobo, & dixi: eam soboli tuæ
dabo. 2. Mittam Angelum meum ante te, & Chananæum, Emoræum, Chitthæum,
Pherizæum, Chivvæum & Jebusæum ejiciam. 3. *Proficiscere* in terram lacte & melle
fluentem, neque enim in medio tui adscendam, ne te in itinere absumam, populus
enim es rigidæ cervicis.
4. Audivit populus tristia hæc verba, luxítque, nec quisquam ornamentum suum si-
bi

1. Haud multò post jussit divina vox Mosem viam Chananææ, quam Hebræorum Majoribus promiserat, capessere; 2. dixitque Angelum iis præiturum, qui devotos ejus regionis populos expelleret, quorum agros divisuri postea essent Hebræi. 3. Addidit jam fertilissimum illum terrarum tractum posse occupari, sed negavit eum qui hactenus Mosem alluquutus erat, & Creatoris omnium rerum numine egerat unà iturum, ne immorigerum populum in itinere absumeret.

4. Moses, hisce auditis, ad populum rediit, & quid à Deo accepisset renunciavit. Israelitæ verò quantopere offendissent Deum, cujus qui hactenus fuerat Interpres nollet ampliùs iis præire, intelligentes, omnem suum ornatum deposuerunt, quò luctum propterea testarentur. 5. Jusserat enim

is

ut Dinon scripsit. Ipsi Ægyptii, *quamvis carnificinam potiùs subiissent, quàm Ibim, aut Aspidem aut Felem, aut Canem, aut Crocodilum violarent; quorum etiamsi imprudentes quidpiam fecissent, pœnam nullam recusabant*, quæ verba sunt *Ciceronis* Tuscul. Lib. V. C. 27. Multò magis Apin mactare & comedere exhorruissent.

21. *Aharoni autem* &c.] *Et dixit Moses Aharoni.*

Ut in tantum peccatum eum induceres] Hebræi, inversâ phrasi, *ut super eum adduceres magnum peccatum.* Accusat Moses Aharonem, quòd qui populo fortiter resistere debuerat, is, urgente populo, adorandi vituli auctor ei fuisset.

22. *Quàm sit malus*] כי ברע הוא chi brah hou, *quid in malo ille.* Hanc loquutionem adhibet Joannes 1. Joan. V, 19. ubi dicit se scire ὅτι ὁ κόσμος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται, *mundum in malo jacere.* Quibus verbis inolitum vitium videtur significari.

24. *Cui est aurum, id seponat*] *Cui est aurum? seponite.*

Hic egressus est vitulus] Nempe, ex typo in quem metallum liquefactum conjectum fuerat; neque enim materia aurea in ignem sine catino injecta est, & sine typo vitulum effinxit, ut stultè existimarunt Rabbinorum nonnulli. Hæc negligentius, & impropriis verbis ab Aharone narrantur; quia modus, quo conflatus erat vitulus, nihil ad ipsum purgandum faciebat. Imò verò accuratiore narratione fratris animum offendisset.

25. *Decore suo nudatum*] פרע *pharuah. Nudatus populus*, si nihil addatur, Latinis auribus significat populum cui vestis detracta est; adeóque addendum aliquid fuit, ne nimis adstricta translatio legentes falleret. Vide not. ad Gen. III, vers. 7. Hìc confertur Hebraica, hoc est, duriore metaphorâ, veri Numinis cultus vesti, quâ detractâ reteguntur partes pudendæ, adeóque ludibrio exponuntur, quibus aufertur. Hoc intelligendum, quando Deus *gloria* כבוד *chabod* Israëlis dicitur, quasi, nempe, splendidior vestis quæ decori sit. Vide Cap. XXVIII, 2. & Ps. CVI, 20. Sic & in Novo T. *induere Christum* dicuntur qui Christo obsequuntur. Vide Rom. XIII, 14. Gal. III, 27. *Nudi* etiam describuntur peccato dediti Apoc. III, 18. XVI, 15.

Eum enim nudaverat Aharon] Cùm constanter populi consilium oppugnare debuisset, cesserat importunis ejus flagitationibus, præ pusillanimitate. Itaque id fecisse dicitur qui, ut debebat, non obstiterat quominùs fieret.

Inter hostes ludibrio esset] לשמצה *leschimtsah* ἐπίχαρμα, *gaudium*, habent LXX. Intt. ex Arabica radicis שמץ significatione, quâ *gaudere* sonat. Irrisuri, nempe, erant populum antea Idolorum spretorem, & mox à Numine inconspicuo leges accepturum, jam Ægyptiacam superstitionem revocare. Posset quoque hic esse sensus, Deum qui præsidium & decus Israëlitarum fuerat, effeceràtque ut fama ac terror Israëlis latè spargeretur; jam vitulino simulacro alienatum, passurum à finitimis vinci, fugarique & omnibus ludibrio esse, quibus antea horrendus erat.

26. *Qui est Jehovæ*] *Quis est Jehovæ? ad me.* Hoc est, quicumque favet cultui Jehovæ, ejúsque legem ratam esse vult, huc ad me accedat.

27. *Sic dixit Jehova*] Ut abundant Hebræi repetitionibus, in narrando, veluti adparet ex hoc capite vss. 1, 2, 23. ita etiam necessaria omittunt, quæ ex sequentibus tantùm colligi possunt. Antea hoc sibi à Deo imperatum non dixit Moses, in narratione colloquii hac de re cum Deo habiti; nunc verò, ubi exsequutioni mandandum, imperium hoc memorat. Vide not. ad Gen. XX, 16.

Transito, redito] *Transite, redite.*

Fratrem, amicum &c.] Ter interponitur איש *quisque*, quod jam semel positum est initio versûs: *quisque fratrem suum, & quisque* &c. Hoc videtur velle Moses, oportere Levitas nemini ob consanguinitatem, aut amicitiam, quem rebellionis in Deum antesignanum fuisse nossent, parcere. Neque enim jubentur, omissis aliis, solos amicitiâ, consanguinitate aut adfinitate sibi conjunctos interficere, quod injustum & crudele fuisset.

28. *Circiter tria millia*] Sic exemplaria, Samariticum & Judaicum, sic omnes translationes habent, exceptâ Latinâ Vulgatâ, in qua *viginti tria millia hominum* legimus. Sed perperam is numerus translatus huc est ex 1. Cor. X, 7, 8. ubi sermo est de historia, quæ exstat Num. XXV, 9. Vide hac de re *Sam. Bochartum* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 34. Cùm totus

po-

bi imposuit. 5· Dixerat *enim* etiam Jehova Mosi: dic Israëlitis, vos estis populus rigidæ cervicis, *si* vel uno momento inter vos adscendero, vos absumam; nunc verò depone ornamentum tuum, & quid facturus tibi sim considerabo. 6· Itaque, à monte Chorebo, detraxerunt sibi ornamenta sua Israëlitæ.

7· Moses verò tentorium sumsit, & sibi procul extra castra tetendit, idque Tentorium Convenrûs vocavit. Quicumque Jehovam sciscitaturus erat ad tentorium conven-

is Dei Interpres Mosem Hebræis immorigeram indolem exprobrare, & nunciare se non posse ampliùs homines usque adeo pervicaces ferre; itaque si diutiùs iis præesset, se eos funditus deleturum. Attamen, deprecante Mose, eas minas nondum exsequutus erat, jusseràtque populum ornamenta omnia deponere, tum se quid facturus esset considerаturum. 6· Ideò ab eo tempore Israëlitæ, cùm etiamnum circa Sinais & Chorebi radices castra haberent, sordidati fuerunt.

7· Antequàm Tentorium Deo Sacrum absolutum esset, Moses sibi interea Tabernaculum extra castra statuit; quod vocavit *Tentorium Conventûs*, ideò quòd quicumque Deum interrogaturi erant eo

populus hac culpâ teneretur, videntur potissimùm occisi, qui anctores reliquis conspicui Dei fingendi fuerant.

29. *Potestatem exercendi muneris in honorem Jehovæ*] *Implete manum vestram Jehovæ.* Vide not. ad Cap. XXXIX.

Contra filium, aut fratrem] *In filium & fratrem.* Sed ו videtur esse disjunctivum, ut alibi. Vide suprà XXI, 7.

31. *Admisit*] Additur interjectio אנא, quæ est supplicantis, sed quæ Latinè exprimi nequit. Vide Ps. CXVIII, 25.

Nam sibi] *Et sibi.*

Aureum Deum] אלהי זהב *elohe zahab*, quod ἑνικῶς vertimus, quia de uno signo sermo est, nempe, Vitulo aureo.

32. *Veni ut intelligerem*] Videtur hoc aut simile quiddam deesse, ut sequentia ostendunt. Aut vertendum esset: *an condonabis eorum peccato? Nisi condones, dele me, quæso* &c. Samarita habet, *si condonaturus es peccatum eorum, condona* נא, *sin verò, me dele.* Sic & LXX. Intt. addunt ἄφες. Quod fortè vera lectio.

Ex libro tuo] Ut Moses Populum Hebræum censuit, singulorúmque civium nomina propterea in libro descripsit: (Vide Num. I.) ita etiam Deus veluti fingitur censum hominum agere, nomináque omnium viventium scripta in libro habere; ut significetur summam humani generis curam gerere, & singulorum nomina ac facta nosse. Hinc David Ps. CXXXIX, 16. de suis natalibus: *Embryonem*, inquit, *meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribuntur, & dies quibus formantur, non verò unus inter illos.* Quasi, nempe, Deus nascentium Catalogum conscriberet. Hic idem liber *vitæ* aut *viventium* dicitur Ps. LXIX, 29. ubi Psaltes de hominibus malis: *deleantur ex livro viventium* (חיים) *neque eum justis scripti sint*, hoc est, viventibus probis, intereant improbi. Vide & Ps. LXXXVII, 6. Es. IV, 3. Sic & Ezek. XIII, 9. de iis qui falsa vaticinia edebant, sic loquitur Deus: *In descriptione domûs Israëlis non scribentur, neque in terram Israëlis ingredientur.* Hinc videtur nata loquutio, *non delebitur nomen ejus ex Israële*, de iis qui posteros relinquebant, quorum nomina censûs tabulis inscribebantur, unà cum nominibus parentum, ut *Josua filius Nunis.* Quorum verò exstinguebatur posteritas, eorum nomina non ampliùs exstabant in censualibus libris. Vide Deut. XXV, 6.

Simili fictione Ps. LVI, 9. Deus *lacrimas*, hoc est, calamitates bonorum in libro describens inducitur: *Pone lacrimam meam in utre tuo, annon est in libro tuo?* Pariter tribuuntur Deo libri, in quibus scripta sunt nomina proborum, quasi solorum qui censentur inter Hebrææ Reipublicæ, aut cœlestis etiam cives. Vide Dan. XII, 2. Phil. IV, 3. Apoc. III, 5. &c. Non sunt autem intelligendi homines qui nondum vivunt, sed qui ob pietatem Deo grati sunt. Eò sæpe respicit *Hermas* in Pastore, qui hæc habet Lib. III. Sim. 5. §. 3. *Mandata Domini custodi & eris probatus*, & SCRIBERIS *in numero eorum qui custodiunt mandata ejus.* Simile quiddam *Plauti* animo, de divina Providentia, obversabatur, cùm hæc in Rudentis Prologo scribebat; ubi *Arcturus*, postquàm dixit Sidera interdiu inter homines versari, ut eorum facta observent, ita pergit:

Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt, quique in jure abjurant pecuniam,
Eorum referimus NOMINA EXSCRIPTA
ad Jovem.
Quotidie ille scit quis hic quærat malum,
Qui hic litem apisci postulent perjurio,
Mali, res falsas qui impetrant apud Juditem,
Iterum ille eam rem judicatam judicat,
Majore mulctâ mulctat quàm litem auferunt.
Bonos in aliis TABULIS EXSCRIPTOS
habet.

Si nunc quæratur ex quo libro deleri velit se Moses, nisi Deus Israëli ignoscat, is videtur intelligi qui *viventium* dicitur; ut mori se præoptet, quàm Israëlis videre exitium. Qui *vitæ æternæ* librum signari volunt, ii viderint quâ ratione Mosem defendant: nos eum defensione egere non putamus, qui insanas preces eum fudisse non censemus.

34. *Ecce Angelus meus*] Cùm antehac Angelus, qui Creatoris ipsius partes ferebat, loquutus sit, inferioris ordinis aut potestatis Angelum significari hìc necesse est. Vide not. ad Cap. XXIII, 20. Idem fit ac interdum violatis legatis, quibus tributa fuerat amplissima potestas, factum est; iis enim abeuntibus, ne Majestatem Principis ludibrio malè feriatorum hominum exponerent, persæpe sunt relicti alii minoris auctoritatis, qui ea poterant sine dedecore ferre, quæ Legatis erant intolerabilia. Angelus enim hìc personam Numinis, singulari quadam ratione, sustinens apertè significat,

ventûs, quod erat extra castra, egrediebatur. 8. Cùm verò Moses ad id tabernaculum exiret, adsurgebat populus omnis, stabat ad ostium quisque tentorii sui, adspiciebátque Mosem à tergo, donec ad tentorium venisset. 9. Cùm ad id tentorium pervenerat Moses, *tum* descendebat columna nubis, ad ostium tabernaculi consistebat, & loquebatur cum eo *Deus*. 10. Videbat populus omnis columnam nubis ad illius tentorii ostium consistentem, surgebátque universus populus, & quisque ex ostio tentorii sui procumbens adorabat. 11. Loquebatur Jehova Mosi, facie ad faciem *versâ*, ut quisque amicum alloqui solet; revertebatúrque *Moses* ad castra, sed administer ejus Jehosua, Nunis filius, ab eo tentorio non abscedebat.

12. Postea dixit Moses Jehovæ: vide, dicis mihi, abducito hunc populum *hinc*, nec

eò conveniebant. 8. Cùm è castris ad id tabernaculum iret, quacumque transibat, Hebræi stabant ad ostia tentoriorum, cúmque oculis ad id usque tabernaculum prosequebantur. 9. Cùm verò eò pervenerat Moses, columna nubis antea suspensa ad ostium tabernaculi descendebat; atque illinc vox, quæ Mosem alloquebatur, prodibat. 10. Tum verò populus omnis Hebræus, ad ostia tentoriorum, in humum procumbens Deum adorabat. 11. In eo loco nubi proximus Deum alloquebatur Moses, & ab eo, quasi ab amico, cum quo fabulatus esset, responsa illico accipiebat. Tum ad castra revertebatur, solo Josuâ ad custodiam ejus tentorii illic manente.

12. 13. Postea Moses divinæ voluntatis Interpretem, cujus organo Deus adhuc loquutus fuerat, orare

cat, si Israëlitis ipse præeat, se eorum peccata non toleraturum; itaque præstare alium Angelum, non tantæ potestatis, iis præfici. Vide Cap. sequens.

Quo eorum acta recognoscam] *Visitationis meæ, visitabo in eos peccatum eorum.* Vide not. ad Gen. XX, 1.

35. *Plagam injunxit*] Quæ plaga hæc fuerit non liquet, sed videtur plurimorum mors intelligi.

Fieri curasset] עשו *baschou*, fecerant, sed propter sequentia verba, non potuimus vertere aliter quàm fecimus. Ac sanè, jubente populo, vitulum conflavit Aharon. LXX. Intt. aliter phrasin converterunt, *περὶ τῆς ποιήσεως μόσχου ὃ ἐποίησεν Ἀαρὼν*, & Vulg. *pro reata vituli, quem fecerat Aharon.* Verum est qui fecit per alium, eum fecisse censeri; sed nulla alia Lingua pateretur duplicem significationem verbi עשה, in uno eodémque versu.

In Caput XXXIII.

1. *Dixit Jehova Mosi*] וידבר י״ *loquutus est Jehova, discede.* Samariticus addit לאמר *dicendo, discede*, ut vers. 7. superioris Capitis.

Discedito] *Adscende*] Vide notat. ad Genes. XXXVIII, 1.

3. *Proficiscere*] Hoc maluimus, quàm vertere *in terram, in quam.*

Neque enim adscendam] Ego, nempe, qui ita personam Dei sustineo, ut leges ejus impunè violari pati non debeam, me præsente.

Tristia hæc verba] *Hoc verbum* הרע *malum.* Sed *malum* hîc significat *triste*, hoc est, dolorem creans. Verbum ירע huic voculæ adfine *dolere* significat. Deut. XV, 10. & alibi.

5. *Vos estis populus*] Verba ipsa directâ oratione proferuntur, quibus addidit Moses, *dixit Jehova.*

Depone ornamentum] Hoc est, vestes splendidiores. Hæc oratio hiulca est, nisi suppleas quod in Paraphrasi supplevimus, & quod facilè intelligere potuerunt Israëlitæ.

6. *Detraxerunt sibi ornamenta*] Squalidas ab eo tempore vestes induerunt, ut Deum placarent.

7. *Procul extra castra*] *Extra castra, procul à castris.*

Tentorium conventûs] Interea dum Tabernaculum absolutum esset, qui fuit status locus in quo Deum convenirent Israëlitæ. Vide not. ad Cap. XXIX, 43.

Sciscitaturus erat] מבקש mbakkesch *quærens*, hoc est, interrogaturus quidpiam; nam ut nomen בקשה est *petitio* Esth. V, 3. verbum *petere* aliquando sonat. Vide not. ad Gen. Cap. XXV, 22.

8. *Populus omnis*] Ante cujus tentoria transibat Moses.

9. *Loquebatur cum eo Deus*] Supplevimus vocem *Dei*, quia alioqui nubes loquuta esse diceretur, quod alibi non occurrit, & profectò durum est.

11. *Facie ad faciem versa*] Aliquid diximus de hujus loquutionis origine ad Gen. XXXII, vers. 30. Cùm autem Angelo Mosem alloquenti nulla esset facies, quippe qui formâ humanâ non adpareret, neque ullam conspiciendam præberet, ut docet Moses Deut. IV, 12. superest quæramus quid ergo hoc in loco sibi velit Legislator, cùm se *facie ad faciem versâ* Deum alloquutum dicit. Nihil aliud velle videtur, nisi 1. adfuisse conspicuum divinæ præsentiæ symbolum, quod præsens adspiciebat dum alloquebatur Deum, & unde divina vox emittebatur: 2. se colloquium cum Deo miscuisse, & quæsitorum omnium responsionem ex tempore accepisse, ut solemus ab amicis quos præsentes alloquimur. Hinc Deus populum ipsum dicitur alloquutus פנים בפנים phanim bphanim, *facie ad faciem* Deut. V, 4. Vide infrà vers. 14. Sed cùm multò frequentiùs, & diutiùs Mosem ita sit alloquutus, ejúsque solius interrogationibus responderet, cum illo solo ita loquutus dicitur Deut. XXXIV, vers. 10. Eadem de ratione, Mosem dicitur Deus alloquutus פה אל פה *ore ad os verso* Num. V, 8. cùm non soleret ita reliquos Prophetas alloqui LXX. Intt. alterum expresserunt vocibus *ἐνώπιος ἐνωπίῳ*, *præsens præsenti*, alterum *Onkelos*, qui habet ממלל עם ממלל *verbum cum verbo.* Nullus autem aliorum Prophetarum ita cum Deo ver-

nec tamen mihi quem missurus sis mecum significasti, cùm dixeris : novi te nomine *tuo*, gratiam etiam apud me nactus es. 13. Nunc autem si quâ gratiâ apud te valeo, indica mihi viam tuam, & cognoscam te, ut *reverâ* apud te gratiam nanciscar. Hancce etiam gentem populum tuum esse considera. 14. *Ei* verò *Deus*, *si* facies mea, inquit, iverit, an ut quiescas effecero? 15. *At Moses* illi, nisi iverit, inquit, facies tua, ne nos hinc abire jubeas. 16. Unde hîc intelligeremur gratiam apud te invenisse, ego, & populus tuus? annon in eo quòd nobiscum ibis, & *quo* ego, populúsque tuus ab omnibus populis qui in terris sunt discriminati sumus? 17. Tum verò Jehova Mosi, etiam hoc quod dixisti faciam, quia apud me gratiam nactus es, téque nomine *tuo* novi.

XXX. Mo-

orare cœpit, quandoquidem Deus benevolentiâ singulari se prosequutus erat, sibi indicare ne dedignaretur quem Deus secum missurus esset, ut populo Hebræo, quem abduci jubebat, & quem sibi peculiariter ex omnibus populis adsciverat, præiret. 14. Respondit divina vox, an non satis esset Mosi, si modo nubes ut antea castris præitura esset? 15. Moses verò subjecit aliud nihil à se optari, sed nisi hoc fieret, orare se Deum ne se ex subjectis Sinaï & Chorebo campis abire juberet. 16. Nisi enim præeuntem, ut antea, haberent nubem Hebræi, quo singulari beneficio à ceteris omnibus terrarum orbis gentibus discriminati essent, neminem intellecturum eos majore gratiâ apud Deum valere. 17. Tum denique Dei Interpres, Deum hoc facturum, ob favorem quo antehac Mosem prosequutus erat, pollicitus est.

P A-

versatus est, neque enim vigilantes symbolum Divinæ præsentiæ videbant, neque sermones cum Deo clarâ voce respondente, miscebant, neque quotiescumque volebant eos in somnis alloquebatur Deus. Sed hac de re ad locum Numerorum.

11. *Administer*] נער nahar *puer*, hoc est, משרת *mschareth*, ut dicitur Cap. XXIV, 13. non עבד hebed *servus*. נער ad ætatem referri nequit, cùm Josua hoc tempore quinquagenario major esset.

12. *Quem missurus sis mecum*] De mittendo Angelo loquutus quidem fuerat Deus; sed tamen si populus pœnitentiam ageret, consideraturum se quid facturus esset dixerat, suprà vers. 5.

Novi te nomine tuo] Reges eos tantùm ex iis, quos sibi parentes habent, nomine norunt, qui propiùs ad eos accedunt; quibus cùm præ ceteris omnibus faveant, hinc factum ut *noscere* quempiam *nomine* sit perinde ac eum singulari benevolentiâ prosequi. Quando autem hæc dixerit Deus Mosi, ex superioribus non constat. Sed sæpe obiter & alieno loco narrantur circumstantiæ historiæ, omissæ in rerum eodem tempore gestarum narratione. Vide not. ad Cap. XXIII, 28.

Gratiam apud me] *In oculis meis.* Vide not. ad Genes. VI, 8.

13. *Viam tuam*] Hoc est, quid sis hoc in negotio acturus, vel quomodo sis te erga populum tuum gesturus; nam *viæ Dei* hæc significant Esai. LV, 8, 9. & alibi.

Ut reverâ gratiam &c.] Ut re ipsâ me gratiâ apud te valere intelligam.

14. *Si facies mea*] *Facies meæ ibunt, & te quiescere fecero?* Interrogativè enim hæc concipienda ostendit responsum Mosis. *Facies Dei* hîc vocatur nubes divinæ præsentiæ symbolum, cui aderat Angelus Summi Numinis ἄμεσος interpres. Quod si alius Angelus, mandatis ab hoc acceptis, fuisset missus, sine symbolo nubis, *facies Dei* ire cum Israëlitis negata fuisset. *Facies* Regis interdum ipsum Regem, prout à legatis distinguitur, significat 2 Sam. XVII, 11. Hinc LXX. hîc habent αὐτὸς προπορεύσομαι *ipse præibo.*

15. *Ne nos hinc abire jubeas*] *Ne fac nos adscendere hinc.* Est in Samaritico אל תעלני in singulari, ut erat in Codice τῶν LXX. qui habent μή με ἀναγάγῃς *ne me eduxeris.*

16. *Ab omnibus populis*] Nullus enim populus alibi tam præsens Numen cognoscere potuit, ut sibi præiret nube indutus, viámque monstraret. Vide Deut. IV, 7.

XXX. Moses gloriam Dei videre cupiens, jubetur solus in montem propterea adscendere, eadémque operâ geminas lapideas tabulas adferre, quibus iterum à Deo Decalogus inscriberetur. Gloriam Dei, sed à tergo, videt.

18. DIxit quoque Moses: ostende, mihi, quæso, gloriam tuam. 19. *Cui Deus*, ego, inquit, faciam ut coram te transeat omnis mea beneficentia, & inclamabo nomen Jehovæ coram te. *Ei favi*, cui favebo, *ejus misertus sum*, cujus miserebor. 20. Nec faciem meam, ait, poteris videre, non vide-

PARAPHRASIS.

18. POSQUAM hoc impetrasset Moses, à Deo petiit ut sibi liceret, non modò obscuram nubem, quam hactenus viderat, sed etiam splendidissimam lucem, quâ Creator omnium rerum, singulari ratione, in Cœlo adesse se significat, intueri. 19. Respondit Deus, se Mosi innotescere non posse, nisi voce quæ summam suam bonitatem prædicaret, & nomen suum proferret, dum lux inaccessa coram eo transiret. Se Mosi, populóque Hebræo, favorem & misericordiam, quæ cœpisset ostendere, postea etiam ostensurum; iis concessis quæ à se peterentur, quatenus petentibus expedirent. 20. Vividissimum autem illud lumen, quo se peculiariter adesse in Cœlo testaretur, non posse,

COMMENTARIUS

In CAPUT XXIII.

18. G*Loriam tuam*] Hîc insigne exemplum occurrit inconstantiæ Linguæ Hebraïcæ, in potestate vocibus subjicienda; nam cùm persæpe י״ כבוד chbod jehovah *gloria Jehovæ* dicatur nubes, quam Moses & Israëlitæ quotidie videbant; attamen Moses hîc Deum orat sibi ostendat *gloriam suam*. Similiter cùm superiùs Deus dicatur Mosem alloquutus *facie ad faciem versâ*, postea vss. 20, & 23. *facies* Dei à mortalibus cerni posse negatur. Adparet autem, ex collatione petitionis Mosis cum responso Dei, *gloriam* & *faciem* Dei ἰσοδυναμεῖν.

Satis quidem constat Mosem aliquid ampliùs petere, quàm quod ei Deus sponte dudum concesserat, adeóque & *gloriam* & *faciem* Dei quidpiam significare, quod nondum à Mose conspectum fuerat, neque etiam ullorum umquam oculis mortalium usurpatum est. Itaque aliquid intelligendum, quod sublimiore sensu dici queat *facies* & *gloria Dei*, quàm nubes. LXX. Intt. habent ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν, *ostende mihi te ipsum*, quasi Moses Deum ipsum videre cupiat. Quod si ita est, oporteret Mosem, quamquam nullam speciem præter nubem viderat, existimasse Dei conspicuam esse naturam; aut certè conspicuam, Deo volente, fieri. Sunt & qui conferunt cupiditatem hanc Mosis cum Regis Ægyptii *Amenophis* desiderio, quem dicebat *Manetho* ἐπιθυμῆσαι θεῶν γενέσθαι θεατὴν, ὥσπερ Ὦρ εἷς τῶν πρὸ αὐτοῦ βεβασιλευκότων, *optasse Deorum fieri spectatorem, ut Or fuerat unus Regum, qui priùs regnarant.* Vide *Josephum* Lib. I. contra Apionem p. 1052.

Verùm æquè credibile est Mosem hîc vocibus *gloriæ* & *faciei Dei*, non ipsam Dei naturam intellexisse, quam sciret inconspicuam esse; sed speciem externam, quâ adparente, Deum singulari ratione adesse intelligunt ipsi Angeli, & quâ in cœlo indutus præsentem certo loco se præbet. Hujus speciei tantus est splendor, ut mortalium oculis, sine eorum pernicie, obversari nequeat; ideóque pro ea apud Israëlitas nubem substituerat. Hoc vocat Joannes 1. Ep. III, vers. 2. ὀπτάνεσθαι Θεὸν καθώς ἐστι, *videre Deum qualis est*, & Paulus 1. Cor. XIII, 12. huc, ut videtur, respiciens, βλέπειν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, *videre facie ad faciem*. Idem Apostolus hanc speciem vocat δόξαν Act. XXII, 11. & 1. Tim. VI, 6. describit Deum *lucem inaccessam incolentem*; atque hanc splendidissimam lucem, non obscuram nubem, cernere voluisse videtur Moses.

19. *Faciam ut coram te transeat*] Quomodo hoc sit intelligendum, sequentia ostendunt; nempe, transeunte Dei gloriâ, vox Dei beneficentiam & misericordiam laudans exaudita est.

Beneficentia] טובי toubi, *bonitas*, sed *bonitas* & beneficentia Dei una eademque est, & sermo est de beneficiis Dei.

Ei favi cui favebo] חנותי את אשר אחן *hhannothi eth ascher ahhon*. Hæc est propria significatio verbi חנן *hhanan*, sicut, præ ceteris Lexicographis, ostendit *Joan. Coccejus*. Hoc indicant derivata חנינה, תחנה, & חן, quæ *favorem* & *gratiam* sonant. LXX. ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ *miserebor cujus miserebor*, sed quamvis divinus erga homines favor sit cum misericordia conjunctus, maluimus propriam significationem sequi. Maluimus etiam tempora distinguere, ut sunt in Hebræis verbis distincta; nec videbitur aliud sensus pati, si adtendamus. Nempe, Deus significat, quoniam Mosi & Israëlitis favere cœpisset, eis porrò se fauturum; itaque & Israëlitis, ut antea solebat, se præiturum, & Mosi ostensurum quod cuperet, quatenus mortalibus oculis sine noxa cerni poterat. Apud Paulum, LXX. Intt. sequutum, Rom. IX. eodem, ut quidem videtur, sensu leguntur; ut ostenderemus, si Paulum interpretaremur. Nunc Mosis mentem exposuisse satis erit.

Ejus misertus sum, cujus miserebor] רחמתי את

videbit enim me homo, & vivet [21] Dixit præterea Jehova: ecce locum apud me, tu verò stabis supra rupem; [22] cùm autem transibit gloria mea, te ponam in fissura rupis, voláque mea te operiam, donec transiero. [23] Tum removebo volam, & posteriora mea videbis, nam facies mea conspici nequit.

[1] Dixit etiam Jehova Mosi: duas tibi lapideas tabulas expoliro, sicut priores, iisque tabulis inscribam verba quæ erant in prioribus, quas confregisti. [2] Tum paratus esto in matutinum tempus, & matutino tempore in montem Sinaïn adscendes, mihíque illic in vertice montis adstabis. [3] Sed nemo tecum adscendat, neque quisquam in toto monte conspiciatur; imò etiam, è regione montis, ne oves & boves quidem pascant. — Caput XXXIV

[4] Ex-

posse, sine adspicientium pernicie; mortalium oculis obversari. [21] Itaque Mosem adscendere quidem posse in rupem in qua staret, donec id lumen adveniret; [22] sed præsente luce, latere eum oportere in caverna, in qua nube opertus maneret, dum lux transiisset. [23] Tum demum discussâ nube, procul particulam aliquam fugientis splendoris conspecturum, totum enim à mortalibus oculis non posse ferri.

[1] Jussit etiam Deus Mosem parare duas alias tabulas lapideas, iis quas à se acceperat, & confregerat similes, easque ad se in montem Sinain adferre, ut in iis inscriberentur ea quæ prioribus inscripta fuerant. [2] Matutinum tempus sequentis diei Deus hanc in rem præstituit, quo in montem Sinain eum adscendere jussit, & stare in summa rupe. [3] Sed vetuit quemquam cum eo adscendere; imo ne greges quidem, è regione ejus loci, unde prospici poterat, pascere voluit.

[4] Igi-

את אשר ארחם *ribbamthi eth ascher arahhem.* Quoniam misertus sum Israëlitarum ad hoc tempus, postea etiam eorum miserebor. Ostendam me eorum esse Deum, & gratiâ eos apud me summâ valere. Qui Mosaicorum verborum sensus, ut ex Paraphrasi liquet, dilucidus est, & antecedentibus adprimè convenit; cùm is, qui solet iis tribui, hæc verba planè ab antecedentibus & consequentibus divellat. Nam nihil ad ea, quæ Moses dixit, facit hæc sententia: *peccata quædam condonabo, quædam verò non condonabo; & eadem peccata his condonabo, non illis, ob causas latentes hominibus, mihi verò cognitas.*

20. *Nec faciem meam*] Hoc ipsum est quod expressit Paulus 1. Tim. VI, 16. *Lucem inaccessam incolit, eum nullus hominum vidit, nec videre potest.* Ad quem locum vide Intt. *Facies* ergo Dei hîc est *lux inaccessa*, ante quam stant Angeli, sed humanis oculis intoleranda. Ideò Paulus qui viderat lucem, quâ circumfusus erat Christus, oculorum usum amiserat, ut discere est ex Act. XXII, 11. Nescio quid simile, quamquam sub turpi fabula, adumbrarunt Græci, cùm *Semelen* induxerunt à Jove petentem ut se inviseret,

——— *quantúsque & qualis ab alta*
Junone excipitur.

Jupiter verò, facturus quod petierat Semele,

Æthera conscendit, nutúque sequentia traxit
Nubila, quis nimbos, immistáque fulgura ventis
Addidit & tonitrus & inevitabile fulmen.

Sed

— — — *corpus mortale tumultus*
Non tulit æthereos, donísque jugalibus arsit.

Vide *Nonni Dionys.* Lib. VIII. sub finem.

Non videbit enim &c.] Vide notata ad Genes. Cap. XVI, 13.

21. *Apud me*] אתי *itthi.* Nempe, in eo loco in quo erat nubes.

22. *Voláque meâ te operiam*] Hoc est, objectâ caligine impediam, ne splendorem præfulgidum, quo excæcareris, videas. Sed cùm כף *chaph*, non *volam* modò, verùm quidquid est concavum sonet, fortè etiam vertendum suit *nube cavâ.* Sic Job. XXXIII, 32. על כפים hal caphajim *super nubibus texit lucem.* Vide & Thren. III, 41.

23. *Posteriora mea videbis*] *Postica pars* divinæ gloriæ videtur vocari hîc, quæ nube erat obumbrata, ut à Mose spectari posset; *facies* verò, seu anterior, quâ lux illa solari splendidior & purior sine nube emicabat.

Conspici nequit] לא יראו *lo jeraou*, non conspicientur, hoc est, non possent conspici, nam hæc est vis futuri; quâ, additâ negatione, id quod non debet, aut non potest fieri significatur. Vide not. ad Gen. XX, 9. Sic Vulg. *Faciem autem meam videre non poteris.*

In Caput XXXIV.

1. *In prioribus*] Additur *tabulis*, quod jam bis legitur in hoc versu.

2. *Mihique illic adstabis*] Hoc est, me præstolaberis.

3. *Neque quisquam*] Ne, nempe, fulgore cœlesti occæcetur.

4. *Et in manum* &c.] Si ordo servaretur, oporteret hæc verba antecedere illa: *adscenditque* &c. nam priùs sumsit Moses tabulas, quàm adscendit, sed ordinem passim negligunt Hebræi. Vide not. ad Gen. XXIV, 23.

5. *Descendit Jehova in nube*] Cœlestis lux nube obvoluta erat, dum descenderet, ab caussam memoratam.

6. *Clamavitque* &c.] Deus se se descriptione suarum virtutum, misericordiæ potissimùm & justitiæ, potiùs patefecit, quàm cœlestis lucis conspectu; quòd earum virtutum cognitio mul-

 tò

4. Expolivit Moses duas tabulas lapideas, ut priores, summo deinde mane surrexit, adscenditque in montem Sinaïn, prout eum jusserat Jehova, & in manum duas lapideas tabulas cepit. 5. Tum verò descendit Jehova in nube, illic cum eo constitit, & inclamavit nomen Jehovæ. 6. Deinde ante faciem ejus transiit, clamavitque Jehova: Jehova Deus misericors, beneficus, qui serò irascitur, cujus magnæ sunt misericordia & fides, 7. qui in millesimos misericordiam tuetur, qui ignoscit delicto, defectioni & peccato; nec tamen *reum* innocentem habere solet; quique delictum patrum in filiis, nepotibus, pronepotibus, & abnepotibus persequitur.

8. *Hæc cùm audiret*, festinanter Moses in terram procubuit, *Deùmque* adoravit.

XXXI. De-

4. Igitur Moses duas tabulas lapideas ut priores secuit, atque expolivit; & sequente die, summo mane, eas gerens in summum montis cacumen adscendit. 5. Tum descendit nubes divinæ præsentiæ signum, & ingenti voce inclamabatur nomen JAHVO. 6. Interea Moses se abdidit in speluncam, cujus ostium nube clausum erat, dum ante eam transiret splendidissimum, quod dixi, lumen, & audiretur hæc Dei Israelitarum descriptio: JAHVO Deus est qui hominum miseriis adficitur, qui iis benefacit, qui nonnisi de diu & pertinaciter peccantibus pœnas sumit, qui promissam benignitatem & misericordiam re ipsà præstat; 7. qui, propter religionem Majorum, seris nepotibus peccata condonat; & ob eorumdem scelera, posterorum delicta meritis suppliciis adficit.

8. Dum hæc pronunciarentur, Moses pronus in vultum concidit, Deumque simul animo adoravit.

P A-

tò magis ad nos pertineat, quàm symboli præfulgidi conspectus; iisque virtutibus, non lumine, quamlibet puro, natura contineatur Numinis. Significat Deus se, quippe incorporeum, verbis dumtaxat, quæ purus demum intellectus adsequatur, non corporeâ ullâ imagine describi posse.

Qui serò irascitur] ארך אפים erech apphajim, *longus iræ*. LXX. Intt. μακρόθυμος.

Magnæ sunt misericordia & fides] רב חסד ואמת *rab hhesed veemeth*, multus benignitate aut misericordia & fide. Vide quæ de his vocibus notavimus ad Genes. XXIV, 27.

7. *Misericordiam tuetur*] נצר חסד notser hhesed, *servans benignitatem*, quod exprimitur Cap. XXXIII, 19. hoc enim vult Deus, ex quo majoribus benefacere cœpit, posteritati ultimæ propterea benefacere. Vide Exod. XX, vers. 6.

Delicto, defectioni & peccato] עון ופשע וחטאה *havon vepheschah vehhataah*. Quæ verba synonyma quidem sunt, sed non sine emphasi conjunguntur.

Nec tamen reum innocentem &c.] ונקה לא ינקה venakkeh lo jenakkeh, *& innocentem habendo innocentem non habebit*. Subauditur רשע *raschah*, reum, quod suppleverunt LXX. Intt. qui habent οὐ καθαριεῖ τὸν ἔνοχον, *non purgebit reum*. Vide Exod. XX, 7. Futurum consuetudinem signat, ut Gen. XXII, 14. & passim. Superioribus verbis benignitas & misericordia Dei describuntur, sequentibus justitia, quâ pertinaciter malis impune esse non patitur; ne Moses, auditâ solius misericordiæ descriptione, semper ab eo veniam delictorum impetrari posse crederet.

In filiis, nepotibus &c.] *Visitans super filiis, filiorum filiis, tertiis, & quartis*. Vide Exod. XX, 6. & notata.

8. *Festinanter.*] *Et festinavit Moses, & procubuit.*

COM-

XXXI. Moses Deum exorat, ut pergat Israëlitis præire, Deúsque mirificum iis pollicetur auxilium, vetat ne cum Chananæis fœdus feriant, ulláve eorum Idololatriæ vestigia in agris suis relinquant, aut connubia cum iis misceant. Leges renovat antea (Capp. XII, XIII, & XXIII.) latas, quas jubet Mosem scriptis mandare. Hic quadraginta dies cum Deo manet, Decalogum Dei manu scriptum accipit, & facie ad Israëlitas fulgente redit, qua de causa velo utitur.

9. POSTEA dixit *Moses*, si quam apud te gratiam, ô Domine, nactus sum, eat Dominus inter nos, quamquam hic populus rigidæ est cervicis, ignoscásque delicto & peccato nostro, ac nos possidendis agris dones. 10. *Deus verò*, ecce, inquit, coram omni populo tuo fœdus ferio, & mirabilia, qualia in universa terra, pérque omnes gentes, edita non sunt, faciam, videbitque totus populus, inter quem versaris, terrificum esse opus Jehovæ, quod tecum perficiam.

11. Eâ

PARAPHRASIS.

9. DEINDE in hæc verba erupit: si qua mea est apud te, ô Deus, gratia, tametsi tuus hic populus jugi impatiens sit, tamen nobis præire pergas, eodem modo quo antehac præivisti; & concessâ peccatis nostris veniâ, agris, quos Majoribus nostris pollicitus es, dones. 10. Cui orationi respondit Deus, se coram universo populo promittere posthac se in ejus gratiam iterum ea portenta editurum, qualia à nulla Gente unquam conspecta fuerant; & populum Hebræum, quantâ reverentiâ dignum esset Numen suum, facile intellecturum.

11. Quan-

COMMENTARIUS

In Caput XXXIV.

9 QUamquam hic populus] כי *chi*, quæ particula *quamvis* etiam aliis in locis vertitur. Vide notata ad Cap. XIII, 17. Sunt qui velint posse servari significationem frequentissimam, ut hæc sit mens Mosis, necesse esse Deum interesse Israëlitarum castris, ut rigidæ cervicis populum in officio contineret. Verùm sequentia obstant, nam condonando non possunt pertinaces homines ad bonam frugem revocari, sed acerrimâ disciplinâ.

Nos possidendis agris dones] נחלתנו nahhalthanon, *possidere fac nos*. Vulg. *nosque possideas*, hoc est, patere nos esse possessionem tuam. LXX. Intt. eodem sensu, *καὶ ἐσόμεθά σοι* & *erimus tibi*.

10. *Edita non sunt*] לא נבראו *lo nibreou*, non creata sunt, de qua voce vide notata ad Gen. I, 1.

Inter quem versaris] *In cujus medio es.*

Opus Jehovæ] Hoc est, opus meum. Intelligitur expulsio Chananæorum, tot & tantis cladibus, quæ ab Israëlitis illatæ sunt, & de quibus in Josuæ libro.

11. *Emoræum*] Omittuntur *Hevæi* hîc & alibi, ut suprà Capp. III, 17. XXXIII, 2. Samaritæ addunt גרגזי, ut LXX. Intt. *γεργεσαῖον*.

12. *Laqueo sis*] Hoc est, te Idolatriâ suâ irretiat, ut sequentia docent.

13. *Sed*] כי *chi*. Vide Gen. XIX, 2. Exod. XVI, 8.

14. *Deus zelotypus est nomen ejus*] Hoc est, eâ adpellatione ita gaudet, ut ostensurus sit se socii impatientem esse. Eo nomine vocari dicitur Deus, cujus significationem implet. Vide Cap. XV, 3. & Matth. I, 23. & ad hunc locum Interpretes.

15. *Impudico cultu Deos suos prosequentes*] Antea est ישב joscheb, *incola*, postea sequuntur Verba & Pronomina pluralia, & est tandem מזבחו mizbehho *victimam ejus* in singulari, quæ est Hebraïcæ Linguæ negligentia. Quod vertimus *impudico cultu Deos prosequi*, hoc Hebræi dicunt זנות אחריהם znoth ahharehem, *fornicari post eos*. LXX. Intt. ad verbum *πορνεῦσαι ὀπίσω τῶν θεῶν*. Vulg. obscuriùs *fornicari cum Diis*. Cùm hæ loquutiones Latinis auribus ignotæ essent, neque possent intelligi, verbo tenus reddendas Hebraïcas voces non censuimus. Itaque re ipsâ consideratâ, comperimus hanc phrasin significare impudicum Palæstinorum cultum; unde factum ut ad omnem Idololatriam, quamquam fortè impudicitiâ nullâ pollutam, postea transferretur. *Astarte* Sidoniorum Dea, quam eamdem eum *Aphrodita* seu *Venere* censuerunt Veteres, impudicitiâ, ut ita dicam, colebatur, quo fiebat ut Cynædi & Meretrices ei consecrarentur. 1. Reg. XIV, 23. *Ædificaverunt sibi excelsa, statuas & simulacra in omni colle excelso & sub omni arbore viridi. Etiam Cynædus* (Deæ sacer קדש) *fuit in hac terra, & imitati sunt omnia flagitia horrenda gentium, quas ante Israëlem expulerat Jehova.* 2. Reg. XXIII, 7. *Josias diruit conclavia Cynædorum* (קדשים) *qui erant in Æde Jehovæ, ubi etiam erant mulieres texentes domus luco.* Israëlitæ, ut iis exprobrat Hoseas C. IV, 14. *cum meretricibus secesserant & cum scortis* (קדשות) *sacra fecerant.* *Byblii*, apud quos sanctissimè colebantur Astarte & Adonis, mulieres, quæ tonderi in hujus luctu nolebant, corpore quæstum facere cogebant. *Lucianus*, aut si quis alius in Libro de Dea Syria: *γυναικῶν ἀγορὴ ἐν ἰθέλωσι ξυρέεσθαι*,

τοιήν-

11. Id observa quod tibi hodie præcipio , ecce ante te Emoræum, Chananæam, Chitthæum , Pherizæum , Chivvæum & Jebusæum expulsurus sum. 12. Cum incola terræ, in quam ingressurus es, ne fœdus ferias caveto, ne inter vos laqueo sit. 13. Sed & eorum aras demoliemini, simulacra confringetis, & lucos exscindetis; 14. neque enim alium Deum adorabis, nam Jehova est zelotypus, & Deus zelotypus est nomen ejus. 15. *Cave*, *inquam*, ne fœdus cum incolis ejus terræ ferias, *ne* illi, impudico cultu Deos suos prosequentes, iis sacra faciant, te vocent, & tu eorum sacrificio vescaris; 16. néve ex eorum filiabus filiis tuis *uxores* colloces, ne eorum filiæ Deos suos impudico cultu prosequutæ, *eodem* obscœno ritu sua Numina filios tuos colere adigant. 17. Conflatiles Deos ne tibi feceris.

18. Festum azymorum servabis, septem diebus vesceris azymis , quemadmodum ti-

11. Quandoquidem autem detestabili Ægyptiorum exemplo peccaverat , in aurei Vituli consecratione , promisit quidem Deus se septem Chananæorum familias avitis sedibus expulsurum, atque in eas intromissurum Hebræos, sed hisce legibus ; quibus, ne Chananæorum idololatriâ inquinarentur , cautum volebat. 12. Cum priscis terræ quam ingrediemini incolis , inquit, cavete ne ullum fœdus faciatis, quo iis Idola colentibus vivere inter vos liceat ; ne exemplo suo vos ad Idololatriam pelliciant. 13. Nulla impii cultûs, in agris quos occupabitis , vestigia relinquite , aras diruite, simulacra frangite, lucos iis dicatos cædite; 14. neque enim Deus vester , à quo omnia sunt creata, ullius Numinis cultum cum suo conjungi pati potest. 15. Ne finite in vestra ditione Idololatras habitare , ne, dum nefando cultu sua Numina prosequuntur, iisque sacra faciunt , vos ad convivandum sacrorum impiorum reliquiis vocent, atque immundo cibo inquinent. 16. Ne matrimonia cum iis miscete , ne viri Hebræi uxorum amore capti ab iis eò adducantur, ut fictos Deos ub-

τοιήνδε ζημίην ἐκτελέουσι· ἐν μιῇ ἡμέρῃ ἐπὶ πρήσει τῆς ὥρης ἵστανται. ἡ δὲ ἀγορὴ μούνοισι ξείνοισι παρακέαται. καὶ ὁ μισθὸς ἐς τὴν Ἀφροδίτης θυσίην γίνεται : quæcumque mulieres nolunt tonderi hanc mulctam solvunt , diem unum ad quæstum corpore faciendum prostant. Forum autem illud solis peregrinis exhibetur , & quod inde mercedis auferunt, id pretium in Veneris sacrificium datur. Eusebius de Præp. Evangel. Lib. IV. c. 16. de cultu Deorum : ὅτι φαύλων ἦν καὶ πονηρῶν ταῦτα δαιμόνων, εἴη ἄν μᾶλλόν σοι συμφανὲς, εἰ λογίσαιο τὰ τῆς ἀπορρήτου καὶ ἀσελγοῦς πορνείας αὐτῶν τῆς ἐν Ἡλιουπόλει τῆς Φοινίκης εἰσέτι νῦν ἐπιτελούμενα, καὶ παρὰ πλείστοις ἄλλοις ἀνθρώποις. ΜΟΙΧΕΙΑΣ γοῦν καὶ φθορὰς καὶ παρανόμους ἰδίας μίξεις ΕΠΙ ΤΙΜΗι θεῶν, ὥσπερ τι χρέος ὀφειλόμενον, χρῆναί φασιν ἐκτελεῖν καὶ τῆς μοιχιδίου καὶ πορνικῆς πράξεως τοῖς θεοῖς ἀπάρχεσθαι, τῆς ἀκλεοῦς ταύτης καὶ ἀτίμου ἐμπορίας, ὥσπερ τι χαριστήριον ἀγαθὸν τοὺς καρποὺς αὐτῆς ἀνατιθέντας : *hæc improborum , & malorum Dæmonum esse manifestius tibi erit , si reputes nefandæ & effrenis libidinis eorum flagitia , quæ etiamnum hodie Heliopoli Phœniciæ admittuntur, & apud alios homines.* ADULTERIA , *corruptelas, & illicitos alitos coitus* IN HONOREM *Deorum , quasi debitum quidpiam , oportere solvi aiunt, & adulterii & scortationis Diis primitias esse dandas , fructus eorum offerentes, quasi grati animi egregium monumentum , infamis & fœdæ hujus mercaturæ. Augustinus* de C.D. Lib. IV. c. 10. *Veneri Phœnices donum dabant de prostitutione filiarum, antequàm jungerent eas viris. Justinus* de insulanis , qui sine dubio Phœnicum coloni fuere , Lib. XVIII. c. 5. *Mos erat Cypriis Virgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quæsituras , in quæstum ad littus maris mittere , pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas.* Idem & aliæ Gentes factitarunt , sed à Phœniciæ littoribus nimiùm abscedere nobis non licet. Hæc autem jam à temporibus Mosaïcis usitata fuisse apud Chananæos , credibile faciunt quæ habentur Deut. XXIII, 18. Constat certè ex *Herodoto* antiquissimum fuisse Veneris, apud Phœnices, cultum , Lib. I. c. 105. ubi refert à Scythis spoliatum fuisse Veneris Uraniæ fanum , quod Ascalone erat , ita pergit : ἔστι δὲ τοῦτο τὸ ἱρὸν (ὡς ἐγὼ πυνθανόμενος εὑρίσκω) πάντων ΑΡΧΑΙΟΤΑΤΟΝ ἱρῶν ὅσα ταύτης τῆς θεοῦ. καὶ γὰρ τὸ ἐν Κύπρῳ ἱρὸν ἐνθεῦτεν ἐγένετο, ὡς αὐτοὶ λέγουσι Κύπριοι· καὶ τὸ ἐν Κυθήροισι Φοίνικές εἰσι οἱ ἱδρυσάμενοι ἐκ ταύτης τῆς Συρίης ἐόντες : *est autem hoc templum , ut ego sciscitatus comperi , omnium , quotquot sunt hujus Deæ ,* ANTIQUISSIMUM. *Nam Cyprium hinc originem duxit , ut ipsi dicunt Cyprii , & quod est Cytheris , id Phœnices , qui sunt ex hac Syria , exstruxerunt.* Possemus etiam hîc Isiacorum spurcitias , & *Phallum* Adonidis memorare , sed allata sufficient.

Te vocent] Quia post Sacrificum ex reliquiis convivium celebrabratur , ut omnes norunt. Hinc & apud Hebræos זבח quod *victimam* sonat , *convivium* etiam significat Prov. XVII, 1, Sic & apud Græcos θυσία utramque significationem subjectam habet.

Sacrificio vescaris] Qui enim consecratas Idolis carnes sciens & prudens comedebat cum Idololatris , is ab Idolorum cultu non multùm abhorrebat. Vide Act. XV, 20. & Intt.

17. *Conflatiles Deos*] *Deos fusionis.* Vide ad Cap. XX, 4.

18. *Festum Azymorum*] Vide not. ad Cap. XXIII, 14. Hæc aliáque repeti videntur , ob instauratum fœdus , seu renovationem Legum. Vide vss. 10. & 27.

Quemadmodum] אשר *ascher* , est pro כאשר , ut habet Samariticus Codex. LXX. Intt. etiam καθάπερ.

19. *Quidquid primum* &c.] Vide notat. ad Cap. XIII, 12, 13.

Masculus fœtus] תזכר thizzachar , *masculus erit* , subintelligitur אשר *qui.*

20. *Primogenitum filiorum tuorum*] Samaritæ : בכור אדם בבנין bechor adam bebanecha , *primogenitum hominis inter filios tuos.*

Nec facies mea] Vide ad Cap. XXIII, 15.

A va-

tibi præcepi, ftato tempore menfis Abibi, quia menfe illo Abibo Ægypto egreffus es.

19. Quidquid primum è vulva nafcitur meum eft, omnis pecoris tui mafculus fœtus primus, boum, ovium & caprarum. 20. At primum fœtum afini redimes agno aut hædo, aut nifi redemeris cervicem ei franges. Omnem primogenitum filiorum tuorum redimes. Nec facies mea confpicietur à vacuo.

21. Septem diebus operi incumbes, feptimo verò quiefces; etiam in aratione & meffe, feriaberis.

22. Feftum hebdomadum primitiis triticeæ meffis celebrabis; feftum verò collectionis, vertente anno.

23. Tribus vicibus, in anno, mafculus omnis tuus coram Domino Jehova, Deo Ifraë-

obfcœno cultu profequantur. 17. Nullas denique imagines Numinis, ut illi folent, vobis umquam conflatote.

18. Ut memores fitis mei, liberationifque quâ vos Ægyptiacæ tyrannidi eripui, pafchale feftum, menfe Abibo, ut juffi, obfervatote.

19. Omnia animalia primogenita mea funt, itaque boum, caprarum & ovium primogenitos fœtus mihi mactate. 20. At inepta facris animalia, quales funt omnes quadrupedes præter memoratas, & potiffimùm quidem afini, agno vel hædo ad Sacerdotes adducto, redimite; fin minùs, cervicem iis frangite. Verùm numquam ex remotis locis ad hoc meum Tabernaculum, fine donario, venitote.

21. Septimi cujufque diei ferias fanctè obfervate; nec eas umquam, ne in meffe quidem, aratione, aut vindemiis, quæcumque res urgere videatur, violate.

22. Feftum Pentecoftes, feptem poft pafchale Hebdomadibus, adlatis frugum veftrarum primitiis, celebrate; & vertente anno, poftquam collecti fuerint fructus, tertium feftum agitate.

23. Tribus hifce anniverfariis follemnitatibus, maf-

A vacuo] ריקם rekam *vacuè*. Samaritæ ריקים rekim *vacuis*.

21. *Septem diebus*] Vide ad Cap. XX, 9.

Etiam in aratione & meffe] Hoc eft, eo tempore quo maximè opus neceffarium eft, ne, eo prætextu, & aliis occafionibus æquè urgentibus violaretur Sabbathum. Vide ad Cap. XX, 10.

22. *Feftum Hebdomadum*] Vide not. ad Exod. XXIII, 16.

Triticeæ meffis] *Meffis triticorum*, de quo tempore vide notata ad Cap. XXIII, 16.

Celebrabis] *Facies tibi.*

Vertente anno] תקופת השנה thkouphath hafschanah, *revolutione anni*. Vide ad Cap. XXIII, 16.

23. *Tribus vicibus*] Vide ad Cap. XXIII, 17.

24. *Terram tuam adpetet*] יחמד *jabhamod*, hoc eft, invadet, nam vicini, fi animi cogitationes dumtaxat fpectemus, fine dubio agros Ifraëlitarum quovis tempore concupifcebant; fed hoc parum curabant Ifraëlitæ, modò ne invaderent.

25. *Non effundes ad fermentatum panem*] *Non jugulabis ad fermentatum.* Vide notat. ad Cap. XXIII, 18.

26. *Primitias terræ*] ראשית בכורי *refchith bicchoure*, initium primitiarum. LXX. Intt. unâ voce, πρωτογεννήματα, & Vulg. *primitias* vertêrunt, nec poteft aliter Græcè aut Latinè exprimi. Vide Cap. XXXV, 14.

Hædum in lacte] Vide ad Exod. XXIII, 19.

27. *His enim legibus*] *Secundùm hæc verba.* Hoc eft his potiffimùm legibus, præter eas quæ Decalogo continentur.

28. *Cum Jehova*] עם יי *him jahvoh*, quod cùm irreverentius vifum effet Samaritis, fcripferunt לפני יי *liphne jahvoh*, hoc eft, ut habent LXX. Intt. ἐναντίον Κυρίου.

Deufque] Hanc vocem ex verf. 1. fupplevimus, nam ex Latinè loquentium ufu ad Mofem fcriptio alioqui relata fuiffet. Sed Hebræi ad nominativum remotiorem fæpe verbum referunt.

29. *In manibus ejus effent*] Additur ברדתו bridtho, *cùm ille defcenderet.*

Splendidam effe factam] קרן *karan*, quod LXX. Intt. verterunt δεδοξάσθαι *gloriofam factam effe.* Ac fanè Habakkuki C. III, 4. קרנים *kirnajim* videtur *radios* fignificare, & apud Arabas קרן *radii folares* dicuntur. Vulgatus tamen *cornutam faciem* vertit, quia frequentiffimè קרן *keren* cornu fonat. Cùm divinæ lucis particulam vidiffet Mofes, ita eâ adflatus eft vultus ejus, ut lucidus quoque, Deo volente, fieret; quales adparebant etiam Angelorum vultus. Sic & Ethnici Deos defcribunt. *Nonnus* Lib. VIII. Dionyf. verf. 341. inducit Semelen cupientem Jovem qualis inter Deos verfabatur videre, hæc inter alia dicentem:

Οὐ βλεφάρων ἀκτῖνα σελασφόρον, οὐδὲ προσώπου
Μαρμαρυγὰς ὄπωπα, καὶ ἀστράπτουσαν ὑπήνην.

Non oculorum radium lucidum, neque vultûs fcintillas novi, neque fulgurantem barbam.

Narrabant Perfæ, fi *Dioni Chryfoftomo* credimus, in Boryfthenitica, Zoroaftrem fuum ἔρωτι σοφίας καὶ δικαιοσύνης ἀποχωρήσαντα, καθ' αὑτὸν ἐν ὄρει τινὶ ζῆν· ἔπειτα ἀρθῆναι τὸ ὄρος, πυρὸς ἄνωθεν πολλοῦ κατασκήψαντος, συνεχῶς τε καίεσθαι· τὸν οὖν βασιλέα σὺν τοῖς ἐλλογιμωτάτοις Περσῶν ἀφικνεῖσθαι πλησίον βουλόμενον εὔξασθαι τῷ θεῷ, καὶ τὸν ἄνδρα ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ πυρὸς ἀπαθῆ, φανέντα δὲ αὐτοῖς ἵλεων, θαῤῥεῖν κελεῦσαι καὶ θῦσαι θυσίας τινὰς, ὡς ἥκοντος εἰς τὸν τόπον τοῦ θεοῦ: *amore fapientiæ & juftitiæ feceffiffe & in monte quodam feorfim vixiffe; dein accenfum montem, multo igne defuper deflagrante, perpetuo arfiffe, Regem ergo cum illuftriffimis Perfarum ei propiorem factum Deum oraffe & virum egreffum ex igne fine noxa, adparuiffe iis propitium, bono animo effe juffiffe & facra quædam feciffe, cùm Deus in eum locum veniffet.* Hæc funt Mofaicis adfinia & fortè hinc fumta.

Loqueretur Deus] *Loqueretur ille.*

30. *Ve-*

raëlis, compareat. 24. Ante te enim ejiciam gentes, finésque tuos ampliabo; neque quisquam dum adscendes, ut ter, intra annum, coram Jehova Deo tuo adpareas, terram tuam adpetet.

25. Non effundes, ad fermentatum *panem*, sanguinem victimæ meæ, neque pernoctabit ad matutinum usque tempus festi paschalis victima.

26. Primitias terræ tuæ domum Jehovæ Dei tui adferes.

Hædum, in lacte matris suæ, non elixabis.

27. Tum Jehova Mosi, hæc verba, inquit, tibi describito; his enim legibus, fœdus tecum & cum Israële pepigi. 28. *Moses* autem illic cum Jehova quadraginta diebus, & quadraginta noctibus fuit, neque panem comedit, aut aquam bibit; *Deús*que verba fœderis, Decalogum *nempe*, tabulis inscripsit.

29. Cùm autem descendisset Moses è monte Sinaï, duæque tabulæ testimonii in manibus ejus essent, neque sciret splendidam esse factam cutem faciei suæ, dum secum loqueretur Deus; 30. viderunt eum Aharon, omnésque Israëlitæ, ecce autem splendebat cutis ejus faciei, *propterea*que ad eum accedere verebantur.

31. Sed Moses eos revocavit, atque ad eum reversi sunt Aharon & omnes cœtûs principes, & cum iis colloquutus est. 32. Postea omnes Israëlitæ accesserunt, iisque præcepit *ille* quæcumque secum, in monte Sinaï, dixerat Jehova. 33. Donec autem absolveret Moses cum illis loqui, velum faciei suæ imposuerat; 34. cùm verò in conspectum Jehovæ, ut cum eo colloqueretur veniret, amovebat velum, donec egrederetur. Deinde exibat, & quod in mandatis acceperat Israëlitas docebat. 35. Viderunt etiam Israëlitæ splendidam factam esse Mosis faciem, ideóque iterum adponebat velum faciei suæ, donec veniret ut cum Deo colloqueretur.

XXXII. Quæ

masculi omnes se ad Tentorium Conventûs quotannis sistunto. 24. Nec timeatis ne, iis domo absentibus, fines vestros invadant hostes; non modò enim Chananæos suis sedibus ejiciam, amplissimóque terrarum tractu vos donabo; sed & illo tempore hostes omnes vestros, ne fines vestros ingrediantur, arcebo.

25. Cavete ne pane fermentato, paschalis festi tempore, vescamini, néve quidquam ex agno paschali ad sequentem lucem servetis.

26. Primitias fructuum vestrorum, tribus illis sollemnibus festis, ad Tabernaculum adfertote.

Ne, prout Idololatræ solent, hædum in lacte matris suæ elixate.

27. Has omnes leges, quas ab Israëlitis observari volebat Deus, à Mose scriptis consignari jussit. 28. Eo tempore, Moses per quadraginta dies in Sinais montis jugis, sine cibo ullo, vixit, & cum Deo versatus est; atque antequàm descenderet, tabulas, divinâ operâ Decalogo insculptas, recepit. Dum autem illic moraretur, facies ejus splendore insolito à Deo donata est.

29. Postea hujus mutationis ignarus è monte, tabulas gerens, descendit. 30. Quod cùm Aharon ceterique Israëlitarum principes animadvertissent, ob vultùs inusitatum fulgorem, eum convenire non audebant.

31. Verùm ille eos ad se vocatos prior alloquutus est, 32. deinde reliquos etiam Israëlitas, quibus mandata à Deo in monte accepta exposuit. 33. Sed dum eos alloqueretur, ne oris splendore terrerentur, velum faciei opposuit; 34. cùm verò Tabernaculum Conventùs ingrederetur, ut Deum consuleret; velum amovebat, quod egressurus iterum vultui imponebat, nec nisi tecto vultu mandata Dei referebat. 35. Atque ita semper, ab eo tempore, se gessit.

P A-

30. *Verebantur*] Adeóque eum fugiebant, ut ex sequentibus liquet, Angelum esse fortè rati. Angelorum speciem præter modum splendentem describunt Prophetæ, ut Ezek. II, 27. & 28. Dan. VII, 9.

31. *Cœtûs principes*] *In cœtu.*

33. *Donec absolveret*] ויכל vajjechal *&* *absolvit*, sed sequentia ita vertendum, ut fecimus, ostendunt. Vir diligentissimus in *Concordantiis particularum*, num. 15. alia loca dubia adtulit, in quibus ו vult significare *donec*, hunc manifestum omisit.

35. *Splendidam factam esse Mosis faciem*] *Faciem Mosis, quòd splendida facta esset facies Mosis.*

Cum Deo] *Cum eo.*

COM-

XXXII. Quæ in usum Tabernaculi offerri sibi vellet Deus exponit Moses. Ea certatim à populo conferuntur. Duo potissimi rerum sacrarum opifices nomine adpellantur.

CAPUT XXXV.

1. OMNEM cœtum Israëlitarum postea coëgit Moses; iisque, hæc sunt, inquit, quæ fieri jussit Deus. 2. Sex diebus opus *vestrum* facietis, die verò septimo erunt vobis feriæ Sabbathi Jehovæ sacræ; quicumque opus eo fecerit, morte adficietur. 3. Ne ignem *quidem* die Sabbathi, in omnibus habitationibus vestris, accendite.

4. Dixit etiam Moses omni cœtui Israëlitarum, hoc præcepit Jehova: accipite, ait, ex iis quæ apud vos sunt oblationem elatam Jehovæ: cujuscumque *ita* sponte feret animus, adferat oblationem elatam Jehovæ, aurum, argentum, æs, 6. hyacinthina, purpurea & coccinea *fila*, byssum, caprarum *pilos*, 7. pelles arietum rubro colore infectas, pelles hysginas, ligna sittina, 8. oleum candelabro, aromata oleo inunctionis & suffimento aromatico; 9. lapides sohamicos, & lapides insitivos pallio & pectorali.

10. Tum periti omnes venient, ut quæcumque præcepit Deus faciant, 11. tabernaculum, ejus *superinjectum* tentorium, operimentum, uncinos, tabulas, transversarios asseres, columnas, bases; 12. arcam, ejúsque vectes, operculum *ejus* & siparium, quo tegatur; 13. mensam ejúsque vectes, & omnia vasa, ac panem faciei *Dei adpositum*; 14. candelabrum ejúsque vasa & lucernas, oleum candelabri, 15. altare suffitùs, vectésque ejus, oleum unctionis, suffitum aromaticum, siparium ostii

PARAPHRASIS.

1. POSTEA Moses concionem Israëlitarum convocavit, & mandata Dei, circa suppellectilem sacram, expositurus, 2. ante omnia septimi diei ferias ita observandas esse iterum dixit, ut ne in rebus Deo sacris conficiendis violarentur. Quicumque, inquit, opus ullum fecerit illo die, morte pœnas luito. 3. Ne ignem quidem, ut cibi parentur, accendere liceto.

4. Tum exposuit qualia supellectilia, in publicorum sacrorum usum, sibi fieri vellet Deus, & quænam ad hunc usum essent ab Israëlitis conferenda; 5. *ad* 19. quæ antea a nobis memorata sunt.

20. Hæc

COMMENTARIUS

In CAPUT XXXV.

2. S*Ex diebus*] Hoc præceptum videtur repetere hîc Moses, ut intelligerent Israëlitæ in conficiendis quæ ad Dei cultum pertinent, de quibus statim postea, non minùs observandum Sabbathum, quàm in aliis operibus.

Feriæ Sabbathi] שבת שבתון schabbath schabbathon, quod & *quies feriarum* verti possit. Vide not. ad Cap. XX.

4. *Accipite, ait, Dicendo accipite.*

Oblationem elatam] תרומה *throumah*. Vide not. ad Cap. XXIV, 24.

Aurum, argentum, æs] Vide not. ad Cap. XXV. & seqq ubi hæc omnia exposita sunt.

Cujuscumque ita sponte feret] כל נדיב לבו chol ndib libbo, *omnis spontaneus corde suo*; hoc est, nemini quidquam certi præscribitur, prout quisque volet offerat.

11. *Tabernaculum*] Vide not. ad Cap. XXVI.

Operimentum] Vide Cap. XXVI.

14. *Candelabrum*] מנורת המאור mnorath hammaor, *lucerna candelaris*, ut suprà *initium primitiarum*. Cap. XXXIV, 26.

21. *Quibuscumque ita tulit animus*] *Omnis vir quem tulit* (נשאו nschao) *cor ejus.*

Qui sponte suâ commoti sunt] *Quem spontaneum fecit* (נדבה nadebah) *spiritus ejus.*

Ad omnia quæ in eo facienda erant] Ad omne servitium ejus, עבדתו *habodatho* Vulg. *ad omnem cultum*. LXX. Intt. εἰς πάντα τὰ κάτεργα αὐτοῦ. Maluimus ex Chaldaismo vertere, in quo עבד est *fecit*.

22. *Inaurem*] נזם *nezem*, quæ vox alioquin annulum significat, ut diximus ad Gen. XXIV, 47. sed sequente טבעת *tabbahath*, non potuit aliter verti. Vide in hoc libro Cap. XXXII, 2.

Globulum] כומז choumaz, LXX. Intt. vertunt περιδέξια, Vulg. *dextralia*. Transtulimus ex radice Arabica כמז *chamaza*, hoc est, in rotundam formam cogere.

Oblationem agitatam] תנופה *throuphah*, miscetur hîc cum תרומה *throuma*, alibi distinguitur. Vide not. ad Cap. XXIX, 24.

24. *Omnes qui potuerunt offerre*] כל מרים chol merim. *Omnis attollens oblationem elatam.* Hæc verba omisit vertere Vulg. quòd sensui viderentur inutilia. At LXX. ad verbum: πᾶς ὁ ἀφαιρῶν ἀφαίρεμα.

Apud quos inventa sunt] *Theodoretus*, Quæst. LX. in Exodum, hæc ligna ex Ægypto adlata fuisse existimat. Sed non est credibile à populo festinanter egresso tabulas decem cubitos altas, sesquicubitum latas potuisse gestari, per Ægypti & Arabiæ deserta. Cùm jam sat diu in deserto mansissent, verisimilius videtur alicubi in montibus Arabiæ fuisse arbores *Sittim*, ex

ostii tabernaculi, 16. altare holocautomatis, craticulam ejus æneam, vectésque & omnia vasa, labrum & ejus basin, 17. vela atrii, columnásque & bases ejus, fiparium ostii atrii, 18. paxillos tabernaculi, & paxillos atrii eorúmque funiculos, 19. vestes stragulas quæ sacruario inserviant, sacras vestes Aharonis sacerdotis, vestesque filiorum ejus, ut sacerdotio *iis induti* fungantur.

20. *His auditis*, è conspectu Mosis cœtus omnis Israëlitarum egressus est. 21. Tum venerunt quibuscumque *ita* tulit animus, & quicumque sponte suâ commoti sunt, adtulerúntque oblationem elatam Jehovæ, ad opificium tabernaculi conventûs, ad omnia quæ in eo facienda erant, atque ad vestes sacras. 22. Venerunt viri cum mulieribus, & cujuscumque animus sponte commotus erat, is adferebat fibulam, inaurem, annulum, globulum, omnia vasa aurea, omnésque viri auri oblationem agitaram offerebant Jehovæ. 23. Omnes apud quos inveniebantur hyacinthina, purpurea & coccinea *fila*, byssus, caprarum *pili*, pelles arietum rubro colore tinctæ, pellésque hysginæ, *ea* adrulerunt. 24. Omnes qui potuerunt offerre oblationem elatam argenti & æris, *eam* oblationem Jehovæ adtulerunt; omnésque apud quos inventa sunt ligna sittina, ea in omne opus quod fiebat tradiderunt. 25. Omnis mulier, *ejus rei* perita, manibus suis nevit, adtulítque filum hyacinthinum, purpureum, coccineum, & byssinum. 26. Quarumcumque etiam mulierum *ita* tulit animus, *ea* scienter pilos caprinos neverunt. 27. Principes verò adtulerunt lapides sohamicos, lapidésque insitivos pallio & pectorali; 28. item aromata, & oleum candelabro, oleo inunctionis, & aromatico suffimento. 29. Omnis vir ac mulier, quorum animus sponte commotus fuit ut adferrent ad omne opificium quod fieri jusserat, operâ Mosis, Jehova, adtulerunt spoutanea Israëlitarum Jehovæ donaria.

30. Dixit etiam Moses Israëlitis, videte, nomine adpellavit Jehova Betsaleelem filium Uris, Churis filii, tribûs Judæ, 31. eúmque replevit spiritu divino sapientiæ, peritiæ, & scientiæ in omni opificio 32. ad texendas texturas polymitas; ad elaborandum auro, argento & ære; 33. in scalptura insitivarum gemmarum, in incisione ligni; ad elaborandum omne opificium polymitæ texturæ; 34. atque ad docenda *hæc omnia* animum ejus induxit. Hic & Oholiabus Achisamachi filius, è tribu Danis, *à Deo sunt nomine adpellati*. 35. Hos replevit peritiâ ad facienda opificia omnia fabrorum, polymitariorum textorum & phrygionum in hyacinthinis, purpureis, coccineísque *filis*, in bysso, & textorum quodvis opificium facientium texturásque *quaslibet* polymitas texentium.

20. Hæc cùm audivissent Israëlitæ, coucione dimissâ, in tentoria redierunt, ut quæ Moses petierat ad conficiendam sacram suppellectilem conferrent. 21. Deinde ad Mosem, pro cujusque spontanea liberalitate, & opibus, quæ poposcerat ad conficiendum Tabernaculum, vestésque sacras texendas & ornandas, contulerunt. 23. Alii quidem lanam byacinthino, purpureo & coccineo colore tinctam, aut byssum, aut caprinam lanam, aut pelles rubras & hysginas Deo obtulerunt. 24. Alii aurum, argentum, æs consecrarunt, alii sittina ligna. Mulieres uendi peritæ lanificio operam dederunt, ac byssum neverunt; 26. aut lanam caprinam. 27. Viri principes lapillos, quibus pallium & pectorale ornari oportebat, ad Mosem adtulerunt; 28. aromata item & oleum, quibus suffitum, & unguentum sacrum componi jusserat Deus. 29. Viri denique & mulieres sponte Deo donaria, qualia descripserat Moses, certatim ex tentoriis protulerunt.

30. *ad* 35. Tum Moses Betsaleelem & Oholiabum, bomines artium, quibus hoc in negotio opus erat, peritissimos, Dei jussu sacris supellectilibus conficiendis præfuturos dixit.

quibus excisis & dedolatis factæ sint tabulæ. Ingens populus non ita clausus hærebat castris, ut nusquam vagaretur; adeóque dum per vicinos tractus errat, quid mirum fabros lignarios animadversas pretiosi ligni arbores secuisse, ut ex eo cistas, aliáque id genus vendenda conficerent?

26. *Scienter*] בחכמה bhhochmah, *in sapientia*, sed חכם hhacham *peritum* passim in hisce libris significat.

29. *Opera Mosis*] *Manu Mosis*, quæ phrasis est Hebraica notissima, ad significandam operam alicujus.

31. *Eúmque replevit* &c.] Vid. ad Cap. XXVIII, 3. XXXI, 1.

34. *Animum ejus induxit*] *Dedit*, aut *posuit in corde ejus*.

XXXIII. Opi-

XXXIII. Opifices operas suas partiuntur, & absolvitur Tabernaculum, quod iterum describitur, ut Cap. XXVI.

1. BETSALEEL, Oholiabus, & omnes viri periti, quibus peritiam & scientiam dederat Jehova, ut scirent facere omnia opificia quæ facienda erant sacruario, secundùm omnia quæ præceperat Jehova fecerunt. 2. Vocavit enim Moses Betsaleelem, Oholiabum, omnes viros peritos, quibus dederat Jehova peritiam, *&* omnes quorum animus tulit accedere ad id opificium faciendum. 3. *Hi* abstulerunt è conspectu Mosis omnem oblationem elatam, quam adtulerant Israëlitæ ad opificium ejus quod faciendum erat in sacruario, ut eam elaborarent. Sed illi, singulis matutinis temporibus, ad eum adhuc spontanea donaria adferebant. 4. At venerunt omnes periti, qui opificio sacruarii incumbebant, quisque ab opificio suo cui operam dabat, 5. dixerúntque Mosi: adfert populus plusquàm sufficit ad faciendum opificium, quod fieri jussit Jehova. 6. Itaque, jubente Mose, proclamatum est per castra, ne vir aut mulier opificium facerent ampliùs in oblationem elatam sacruarii, & cohibitus est populus ne *quid ampliùs* adferret. 7. Opificia *adlata* satis erant ad omne opus quod erat faciendum, imò abundabant. CAPUT XXXVI

8. Fecerunt ergo omnes periti, inter eos qui opificio tabernaculi operam dabant, decem aulæa è bysso retorta, hyacinthinis, purpureis & coccineis *filis*, Cherubísque opere textoris polymitarii ea ornarunt. 9. Longitudo aulæi unius viginti octo cubitorum, latitudo quatuor cubitorum erat, & mensurâ eadem aulæorum omnium. 10. Quinque autem aulæa *hinc* alterum alteri, quinque irem *illinc* alterum alteri conjunxerunt. 11. Oræ primi aulæorum addiderunt ansulas hyacinthinas, in extremitate ipsáque commissura, & sic ad oram ulterioris aulæi, in commissura secunda, fecerunt. 12. Quinquaginta ansulas addiderunt oræ aulæi primi, *itidém*que quinquaginta in extrema cortina, quæ est in commissura secunda, fecerunt, ut ansularum alteri altera opposita esset. 13. Tum fecerunt quinquaginta uncinulos aureos, & aulæa aliis alia, uncinulis in ansulas immissis, conjunxerunt, ut esset unicum tabernaculum.

14. Fecerunt quoque aulæa ex *pilis* caprinis tentorio, *ut* supra tabernaculum *ponerentur*; atque undecim aulæa *eam in rem* fecerunt. 15. Longitudo unius aulæi triginta cubitorum, latitudo quatuor cubitorum erat, mensuráque eadem undecim aulæorum. 16. Conjunxerunt quinque aulæa seorsim, sex item aulæa seorsim. 17. Tum addiderunt quinquaginta ansulas oræ ulteriori aulæi *primi*, in commissura, itémque quinquaginta ansulas oræ aulæi commissuræ secundæ. 18. Fecerunt deinde uncinulos æneos quinquaginta, ut conjungeretur tentorium essétque unum.

19. Præterea fecerunt integumentum tentorio è pellibus arietinis rubro colore tinctis, & desuper integumentum è pellibus hysgini coloris.

20. Item fecerunt tabernaculo tabulas, è lignis sittinis, quæ erectæ starent. 21. Longitudo tabulæ unius decem cubitorum, latitudo verò sesquicubiti *fuit*. 22. Duo erant cardines uni tabulæ, alteri alter oppositus; & sic omnibus tabulis tabernaculi

PARAPHRASIS.

1. 2. 3. VOCAVIT postea Moses ad se Betsaleelem & Oholiabum, omnésque aliós artium, quarum usus erat, peritos, qui sponte operam suam ad conficiendum tabernaculum, omniaque sacra vasa, & vestes sacras obtulerunt; eósque jussit donaria ad se adlata auferre, ut sacram supellectilem conficere inciperent. Interea Israëlitæ alacri animo quotidie, matutino tempore, ad Mosem materiam quâ fieret adferebant. 4. 5. Donaria ad se adferri passus est Moses, donec ab opificibus monitus est satis supérque esse congestæ materiæ, ad ea quæ jusserat conficienda. 6. 7. Tum verò per præconem edixit ne præterea quidquam, ad supellectilem sacram faciendam, conferretur, donaria enim jam collata satis supérque materiæ suppeditatura.

8 *ad* 13. Fecerunt ergo opifices decem aulæa, opere polymitario, qualia antea descripta sunt, bysso, lanaque purpureâ, hyacinthinâ & coccineâ contexta, quibus eadem arte Cheruborum figuras intertexuerunt. Ea deinde uncinulis aureis, ansulisque hyacinthinis inter se conjunxerunt. Atque hæc tabulis Tentorii conventûs imponi oportebat.

14 *ad* 18. Tum undecim alia aulæa caprinâ lanâ texuerunt, paullò superioribus longiora, quæ iis imponerentur, ut solem, pulverémque & pluvias à subjectis aulæis pretiosioribus arcerent. Caprina hæc aulæa, ansulis lanâ caprinâ textis, & uncinulis æneis inter se commiserunt, ut unius Tabernaculi compagem tegerent.

19. Duo præterea alia integumenta, hisce aulæis imponenda, fecerunt, quorum alterum pellibus arietinis rubro colore tinctis, alterum similibus pellibus, sed hysgino colore infectis, constabat.

20 *ad* 34. Aulæis memoratis subjici oportebat tabulas sittinas laminis aureis tectas, asseribusque si-

culi fecerunt. 23. Tabulas tabernaculi *ita* aptarunt, *ut essent* viginti tabulæ lateris meridiani ad dextram. 24. Quadraginta quoque bases argenteas fecerunt, sub viginti tabulis *ponendas*, ut essent duæ bases sub singulis tabulis, geminis harum cardinibus *excipiendis comparatæ*. 25. Secundo etiam lateri tabernaculi, ad aquilonarem plagam, viginti tabulas fecerunt, 26. & quadraginta earum bases argenteas, *ut* sub singulis tabulis duæ *essent* bases. 27. Extremitati verò tabernaculi occidentali sex fecerunt tabulas. 28. Duas quoque addiderunt angulis tabernaculi, ad ejus extremitatem. 29. Infrà fuerunt gemellæ supráque pariter gemellæ, ad summam ejus partem, ad annulum unum *commissæ*. Sic fuerunt utrimque, ad geminos angulos. 30. Fuerunt *in universum* octo tabulæ, basésque earum argenteæ sexdecim, ut singulis tabulis geminæ subjectæ essent bases.

31. Tum fecerunt asseres transversarios, è lignis sittinis, & quinque quidem primi lateris tabernaculi tabulis; 32. quinque item asseres transversarios tabulis lateris secundi tabernaculi, & quinque etiam tabulis tabernaculi ad extremitatem, occidentem versùs. 33. Fecerunt autem asserem medium, qui tabulas medias ob extremo ad extremum *tabernaculum* transcurreret. 34. Tabulas verò auro texerunt, aureósque fecerunt earum annulos, qui exciperent transversarios asseres, ipsósque asseres auro obduxerunt.

35. Fecerunt etiam velum hyacinthinum, purpureum, coccineum, éque bysso retorta, idque Cherubis, opere polymitarii textoris, ornarunt. 36. Huic quatuor columnas sittinas fecerunt, eas auro texerunt, uncinulique earum aurei fuerunt, & quatuor bases argenteas iis conflarunt.

37. Denique fecerunt siparium ad ostium tabernaculi hyacinthinum, purpureum, coccineum, éque bysso retortâ, opere phrygionico; 38. & columnas quinque, earúmque uncinulos. Capitella earum texerunt *auro*, virgæque *inter eas porrectæ* aureæ fuerunt, bases verò quinque æneæ.

similiter auro obductis inter se conjungendas, & basibus argenteis imponendas. Hæc omnia eo numero & dimensione, qualia à Deo descripta fuerant, jubente Mose, ab opificibus confecta sunt.

35. 36. Texuerunt præterea velum, eadem arte quâ intima Tabernaculi aulæa oportebat texi, quatuórque sittinas columnas, aureis laminis tectas, stylobatísque argenteis nitentes; unde, ex uncinis aureis, velum penderet.

37. 38. Ex simili materia, alterum velum texuerunt, sed opere phrygionico ornatum, quod Tabernaculi ostio opponeretur, ex columnis quinque suspensum. Has quoque columnas fecerunt, capitella auro texerunt, aureosque uncinos iis addiderunt, & interpositas virgas aureas conflarunt, sed stylobata ænea fuerunt.

COMMENTARIUS

In Caput XXXVI.

1. O*Mnia opificia quæ*] *Omne opificium eorum quæ.*

5. *Adfert populus* &c.] *Multiplicat populus adferendo plusquam sufficit ad confectionem opificii.*

6. *Jubente Mose proclamatum est*] *Et jussit Moses, & fecerunt transire vocem.*

8. *Decem aulæa*] Hæc exposuimus ad Cap. XXVI.

10. *Conjunxerunt*] יחבר jehhaber *conjunxit*, nempe, Betsaleel præfectus hisce operibus. Interdum pluralis numerus adhibetur, ut vers. 8. propter multitudinem opificum; interdum singularis, propter unum iis præfectum Betsaleelem. Nos plurali ferè usi sumus.

XXXIV. De-

XXXIV. Describuntur iterum arca, mensa, candelabrum, altare suffitûs, oleum, suffitus, & altare holocautomatis, descripta Capp. XXV, XXX, & XXVII.

1. FECIT Betsaleel arcam è lignis fittinis, cujus longitudo duorum cubitorum & dimidii fuit, latitudo sesquicubiti, altitudo item sesquicubiti. 2. Eam obduxit auro puro, intus & extra, coronidémque auream ei circumquaque fecit. 3. Ei etiam conflavit quatuor annulos aureos, quatuor angulis addendos, duos, *nimirum*, ad unum latus, duósque item ad alterum. 4. Tum vectes è fittinis lignis fecit, eósque auro texit, 5. & in laterum annulos, ad bajulandam arcam, immisit. CAPUT XXXVII.

6. Fecit quoque ex auro puro operculum, cujus longitudo duorum cubitorum & dimidii, latitudo sesquicubiti erat. 7. Duos præterea Cherubos, eósque ex auro ductili, ab utraque operculi extremitate, fecit; 8. ut Cherubus unus hinc, ab *una* extremitate, Cherubus alter illinc, ab altera extremitate *esset*. Cherubos *ergo* duabus extremitatibus addidit, 9. extendebántque ii desuper alas suas, alter ad alterum, hisque & operculum & facies suas tegebant. Ad operculum autem erant *conversæ* Cherubororum facies.

10. Mensam etiam ex lignis fittinis fecit, cujus longitudo duorum cubitorum, latitudo cubiti unius, altitudo cubiti & semissis fuit. 11. Tum eam auro puro texit, coronidémque auream circumquaque fecit. 12. Addidit ei limbum palmarem, quo circa clauderetur, eique limbo coronidem auream circumposuit. 13. Conflavit etiam ei annulos aureos quatuor, eósque ad quatuor angulos quatuor ejus pedum adposuit. 14. E regione limbi erant annuli, quibus vectes ad mensam bajulandam exciperentur. 15. Eos autem vectes è lignis fittinis fecit, atque auro obduxit, ut eorum ope bajularetur mensa. 16. Fecit quoque vasa mensæ imponenda, scutellas ejus, lances, pateras, & cyathos quibus libari oportet, *& quidem ex* auro puro.

17. Candelabrum etiam ex auro puro, idque ductile fecit. Scapus ejus, calami, calices, globuli & flores ex co *ipso auro* fuerunt. 18. Sex calami ex ejus lateribus prodibant, tres quidem candelabri calami ex uno latere, tres verò ex altero. 19. Tres erant, in uno calamo, calices in amygdalæ formam facti, globulúsque & flos; tres *item* calices in amygdalæ formam facti, in altero calamo, globulúsque & flos; *ac* similiter in senis ex candelabro prodeuntibus calamis. 20. In ipso etiam candelabro, quatuor calices in amygdalæ formam facti, globulique ejus & flores fuerunt. 21. Erat globulus sub duobus calamis ex ipso *candelabro promінens*, paritérque sub aliis geminis, ut sex calamis ex ipso *candelabro* prodeuntibus *additi essent globuli*. 22. Globuli eorum & calami ex illo ipso uno, puro & ductili auro omnes fuerunt conflati. 23. Fecit etiam ei septem lucernas, emunctoriáque & vascula ex auro puro. 24. Ex talento auri puri id, omniaque ejus vasa fecit.

25. Altare item suffitûs è lignis fittinis fecit, cujus longitudo & latitudo cubitales erant, *ut esset* quadratum, altitudo verò duorum cubitorum; cornuáque ex ipso *prominebant ligno*. 26. Id auro puro obduxit, superiorem, nimirum, partem, parietes circumquaque & cornua; eique coronidem auream circumposuit. 27. Sub coronide verò, ad duo ejus latera, ei addidit utrimque geminos annulos, quibus exciperentur vectes quorum ope bajularetur. 28. Vectes autem illos ex lignis fittinis fecit, auróque obduxit.

29. Fe-

PARAPHRASIS.

15 *ad* 1. IIDEM opifices, quibus præfectus erat Betsaleel, fecerunt arcam fittinam laminisque aureis tectam, & operculo aureo Cherubis ornato claudendam, qualis antea à nobis descripta est; ut in eam conderentur tabulæ lapideæ, quibus Decalogus, ope divinâ, insculptus fuerat.

16 *ad* 10. Fabricati etiam sunt mensam fittinam, auróque tectam, pro exemplari à Mose in monte Sinai conspecto. Vasa ei componenda ex auro conflarunt, atque in hac mensa panes perpetuò veluti Deo adpositos esse oportuit.

17 *ad* 17. Candelabrum quoque septem lucernis instructum, cum emunctoriis aliisque instrumentis, ex auro solido fecerunt, ut accensæ lucernæ Tabernaculi tenebras discuterent.

18 *ad* 25. Altare suffitûs in eo Tabernaculo, è regione Candelabri ponendum, fittino ligno, auro tecto, fabricati sunt, cùm omnibus suis aureis instrumentis.

29. Un-

29. Fecit quoque oleum facrum inunctionis, suffitúmque aromaticum purum, opere unguentarii.

CAPUT XXXVIII 1. Præterea ex lignis fittinis altare holocautomatis fecit, cujus longitudo quinque cubitorum, latitudo etiam quinque cubitorum fuit, ut quadratum esset, altitudo verò trium cubitorum 2. Quatuor ejus angulis cornua addidit, quæ quidem cornua ex ipso erant *ligno*. Id autem ære intexit. 3. Fecit pariter omnia altaris instrumenta, ollas, palas, pateras, fuscinas, & *ignis* receptacula; omnia ejus vasa ex ære conflavit. 4. Ei item craticulam æneam, in modum retis, fecit, sub ambitu altaris infernè, ad mediam ejus partem. 5. Conflavit etiam, ad quatuor extremitates craticulæ, quatuor annulos æreos, quibus exciperentur vectes. 6. Eos vectes è lignis fittinis fecit, æréque texit. 7. Tum vectes immisit in annulos ad altaris latera, ut eorum ope bajularetur. Cavum autem, atque *ex* tabulis fecit altare.

29. Unguentum facrum, quo Sacerdotes & facra vasa inungerentur, suffitusque coram Deo adolendus, prout à Mose descripta fuerant, confecta sunt.

1 *ad* 7. Altare verò Holocautomatum ex ligno fittino, æneis laminis tecto, cum omnibus supellectilibus æneis, eadem curà tactum est.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXXVII.

1. A*Rcam*] Quæ ad Arcam pertinent enarravimus in Comment. ad Cap. XXV, 10. & *seqq.*

10. *Mensam etiam* &c.] Vide not. ad Cap. XXV, 23. & *seqq.*

16. *Libari oportet*] *Libabitur*. Vide not. ad Cap. XXV, 29.

17. *Candelabrum*] Consule quæ diximus ad Cap. XXV, 31. & *seqq.*

25. *Altare* &c.] Lege scripta ad Cap. XXX, 1.

In CAPUT XXXVIII.

1. *Altare holocautomatis*] Vide dicta ad Cap. XXVII, 1.

XXXV. Describuntur iterum labrum æneum, & atrium sipariis cinctum Capp. XXX, & XXVII. *descripta; item auri, argenti & æris pondus in sacra instrumenta absumtum.*

8. FECIT etiam labrum æneum, basinque ejus æneam, ex speculis mulierum ad ostium tabernaculi conventûs agminatim convenientium.

9. Præterea atrium fecit, & ad latus quidem meridianum, ad dextram, vela erant è bysso retorta centum cubitorum. 10. Columnæ verò viginti, earum bases viginti ex ære, unci verò & virgæ *inter eas porrectæ* ex argento. 11. Lateri verò aquilonari centum etiam erant cubiti, columnæ viginti, earum bases viginti ex ære, sed uncini, & virgæ *inter eas porrectæ* ex argento. 12. Lateri occidentali vela erant quinquaginta cubitorum, columnæ decem, bases earum decem, uncique & virgæ *inter eas porrectæ* ex argento. 13. Lateri verò anteriori ad ortum erant quidem quinquaginta cubiti; 14. sed vela ad alteram partem quindecim tantùm cubitorum, columnæque tres, & tres bases; 15. ad alteram pariter vela quindecim cubitorum, tres columnæ, trésque bases; ut *relinquerent* hinc atque inde quasi ostium atrio. 16. Omnia vela atrii circumquaque è bysso erant retorta, 17. columnarum verò bases æneæ, unci autem & virgæ ex argento; tecta etiam fuerunt *singula* earum capita argento, omnésque *pariter* atrii columnæ argenteis virgis conjunctæ. 18. Siparium autem ostii atrii erat operis phrygionici, hiacynthinum, purpureum & coccineum, éque bysso retorta. Longitudo viginti cubitorum, altitudo verò latitudinis quinque cubitorum, pro modo velorum *reliquorum* atrii. 19. Columnæ eorum erant quatuor, cum quatuor basibus æneis,

PARAPHRASIS.

8. LABRUM æneum, ingens, in quo se abluerent Sacerdotes, conflatum est ex speculis, quæ, Ægyptio more, gestare solebant mulieres, ad ostium Tabernaculi, quod Moses statuerat interea dum hoc absolveretur, confluentes.

9 *ad* 20. Tum fecerunt vela byssina, quibus cingeretur atrium Tentorii, eâ dimensione quam Mosi dixerat Deus. Columnis similiter æneis basibus nitentes, junctas argenteis virgis, paxillos æneos, aliáque antea eum in usum descripta absolverunt.

21. 22. 23. Hæc

æneis ; uncinis verò, capitum integumento, virgisque argenteis. [20] Omnes autem paxilli tabernaculi, & atrii circumquaque erant ænei.

[21] Hæc est recensio partium tabernaculi, tabernaculi, *inquam*, conventûs, quæ ex ore Mosis recensitæ sunt, & quas Ithamari Aharonis sacerdotis filio traditas curare debebant Levitæ. [22] Omnia quæ Mosi imperaverat Jehova fecit Betsaleel tribûs Judæ, filius Uris, Churis filii; [23] unáque cum eo Oholiabus, Achisamachi filius, tribûs Danis, faber, textor polymitarius, & phrygio in *filis* hyacinthinis, purpureis, coccineis, & bysso.

[24] Omnis autem auri elaborati ad opificia, ad facta omnia opificia, auri, quod agitatæ oblationis, fuere viginti novem talenta, septingenti triginta sicli, pro sanctuarii siclo. [25] Argentum verò censorum è cœtu, fuere centum talenta, mille septingenti septuaginta quinque sicli, pro siclo sanctuarii. [26] Beka *enim persoluta est*, seu dimidius siclus, pro sanctuarii siclo, ab omni inter censos transeunte, *nempe*, à viginti annos nato, & *iis qui* supra *eam ætatem erant*, *qui censi sunt* ad *hominum* sexcenta tria millia, quingentos, quinquaginta. [27] Absumta sunt centum talenta, ad conflandas bases *tabularum* sanctuarii & columnarum veli, centum bases in centum talenta, talentum in basin. [28] *Ex* mille verò septingentis septuaginta quinque *siclis* uncinos fecit *Betsaleel* columnis, capitáque earum texit & virgis conjunxit. [29] Æris verò agitatæ oblationis fuere septuaginta talenta & bis mille, quadringenti sicli. [30] Ex hoc fecit bases *columnarum* ostii tabernaculi conventûs; altare æneum, craticulam ejus æneam, & *reliqua* omnia altaris supellectilia; [31] bases item *columnarum* atrii circumquaque, bases *columnarum* ostii atrii, & omnes *denique* circumquaque tabernaculi, atriique paxillos.

[21. 22. 23.] Hæc omnia facta sunt; à Betsaleele & Oholiabo, ceterisque opificibus iis parere jussis, prout à Mose descripta & enumerata sunt, & postea quidem Sacerdotibus & Levitis tradita, ut eorum curam gererent.

[24.] Auri autem in sacram supellectilem insumti pondus fuit quadraginta trium millium octingentarum sexaginta quinque unciarum Romanarum; [25.] argenti verò centum talentorum (quorum singula sunt mille quingentarum unciarum) mille septingentorum septuaginta quinque siclorum, quorum duo unciam conficiunt. [26.] Solverant Israelitarum mares singuli, à viginti annos natis ad senes, Bekam argenteam, hoc est, quartam partem unciæ Romanæ; & censa quidem sunt eâ ratione Israëlitarum sexcenta tria milla, quingenti quinquaginta viri. [27.] Cùm singulæ bases argenteæ talentum pondere æquarent, & Tabernaculi tabulis, columnisque Siparii Adyti centum essent numero, centum talenta in eas conflandas absumta sunt. [28.] Ex reliquo verò argenti pondere, octingentis octoginta septem unciis, præter dimidiam, uncinos, capitella, & virgas columnis interpositas conflarunt opifices. [29.] Æris quod Deo, in usum Sacrarii, oblatum fuit, fuere septuaginta talenta & mille ducentæ unciæ, sive centum pondo. [30.] [31.] Hinc factæ bases columnarum reliquarum, paxilli omnes Atrii, & altare æneum, unà cum ejus supellectili.

COMMENTARIUS

In Caput XXXVIII.

8. L*Abrum æneum*] Adi Cap. XXX, 18.

Ex speculis mulierum] במראת *bmaroth*, ἐκ τῶν κατοπτρῶν, ut habent οἱ LXX. *ex speculis* ut Vulg. Ex omnibus ferè metallis specula olim facta ostenderunt viri docti, & inter alios *Joan. Dougtæus.* Anal. Sacr. Exc. XLIV. Unum locum *Callimachi* proferemus ex Lavacris Palladis, ubi mulieres Deæ λωτροχόως vetat Poëta adferre unguenta, & sic pergit:

— Μηδὲ κάτοπτρον, ἀεὶ καλὸν ὄμμα τὸ τήνας.
Οὐδ' ὅκα τὰν Ἴδᾳ Φρὺξ ἐδίκαζεν ἔριν,
Οὐδ' εἰς ὀρείχαλκον μεγάλα Θεὸς, οὐδὲ Σιμοῦντος
Ἔβλεψεν δίναν εἰς διαφαινομέναν.
Οὐδ' Ἥρα. Κύπρις δὲ διαυγέα χαλκὸν ἑλοῖσα
Πολλάκι τὰν αὐτὰν δὶς μετέθηκε κόμαν.

Neque speculum, semper venustus est ejus vultus. Neque cùm apud Idam Phryx judicavit litem, in Orichalcum (speculum ex Orichalco constans) *neque in Simoëntis inspexit verticem pellucidum, neque Juno; sed Venus, lucenti ære capto, sæpe bis eamdem composuit comam.* Ad quæ verba vide eruditissimas Observationes, Ill. Viri *Ezechielis Spanhemii.* Moris autem fuit Ægyptiarum fœminarum, quas imitatæ sunt Israëlitides, speculum gestare cùm Templa adirent: Ἔθος τοίνυν Αἰγυπτίων μάλιστα γυναιξὶν εἰ φοιτῷεν ἱεροῖς λινῇ μὲν ἐσθῆτι κατεσταλμένας, κατόπτρῳ δὲ τὴν ἀριστερὰν, καὶ σείστρῳ τὴν δεξιὰν ἱεροπρεπῶς κατεσεμνυμένας, αἳ ὅτι μάλιστα τῶν ἄλλων ἐξειλεγμέναι, καὶ ἱερομύστιδες τῆς τοιαύτης μόλις ἠξιοῦντο τιμῆς: *mos ergo erat Ægyptiorum præsertim mulieribus, si templa adirent, lineâ veste ornari, speculo sinistram, & sistro dextram religiosè decorari; quæ omnium electissimæ erant, & sacris initiatæ vix hunc honorem obtinebant.* Quæ verba sunt *Cyrilli* de Ador. in Spir. & Ver. Lib. II. p. 64. Ed. Paris.

Agminatim convenientium] הצבאת אשר צבאו tsabeoth ascher tsabeou, *convenientium quæ convenerant.* LXX. Intt. verterunt νηστευσασῶν αἳ

ciiedom, legerunt, scilicet, צמות אשר צמו *tsamoth ascher tsamon*. Sed confutatur eo lectio loco 1. Sam. II, 22. ubi similis loquutio occurrit.

9. *Atrium fecit*] Vide dicta ad Cap. XXVII, 9 & seqq.

Ad dextram] Vide not. ad Cap. XXVI, 18. 33.

13. *Anteriori*] קדמה *kedmah*. Vide not. ad locum modò laudatum & C. XXVII, 13.

15. *Ut relinquant hinc atque inde*] *Ad humerum secundum, hinc atque hinc*, מזה ומזה *mizzeh oumizzeh*, &c. quæ voces desunt Cap. XXVII, 15. In versu antecedente meliùs collocatæ fuissent, ut dicerentur *hinc atque inde fuisse quindecim cubiti* &c. aut in hujus fine.

18. *Pro modo*] לעמת *lehummath*. Vulg. *secundùm mensuram*. Vide 1. Paral. XXV, 8.

21. *Hæc est recensio partium*] אלה פקודי *elleh phkoude*, hi numerati.

Recensitæ sunt] אשר פקד *ascher phukkad*, hoc est, quarum unaquæque numerata est.

Quas Ithamari &c.] עברת לוים ביד איתמר habodath lvijim bjad Ithamar, *negotium Levitarum, in manu Ithamaris*; qui Hebraïsmus perspicuus quidem est Hebraïcè scientibus, sed aliis perquàm obscurus. Itaque Periphrasi exponendus fuit. עבדה *haboda* negotium exponimus à עבד *fecit*, ut significet vox illa *id quod facimus*, aut curamus, quæ est significatio vocis עובדא *boubada* apud Chaldæos & Syros. Vulgatus hîc durissimè: *in cærimoniis Levitarum, per manum Ithamar*.

24. *Ad opificia*] *Ad opificium* (מלאכת) *ad omne opificium Sanctuarii*.

Viginti novem talenta] Talentum tria millia Siclorum, hoc est, mille quingentas uncias Romanas complectebatur, ut ostendit *Ed. Bernardus* de Pond. & Mens. Lib. II, §. 68. Hinc quot essent auri pondo facilè colligi potest. Vult talentum æquasse 5400 libras sterlingicas, adeóque 29 talenta aurea effecissent libras sterlingicas 156600. quarum singulæ undecim florenorum Hollandicorum sunt. Ex calculo *Richi. Cumberlandi* siclus fuit tantùm 5076. librarum sterlingicarum, & paullò pluris, quo excessu omisso 29 talenta essent 147004 librarum sterlingicarum. Utrovis modo magna fuit summa, cùm præsertim ad hæc accedant 730 sicli aurei, ut argentea omittamus talenta 100, & siclos 1775. quarum pretia apud eosdem quærentur.

Pro Sanctuarii Siclo] Vide not. ad Cap. XXX, vers. 13.

25. *Argentum verò censorum*] Censi fuerunt 603550, ut ait Moses hîc & Num. I, 46. Unusquisque dimidium siclum solvit, itaque erant sicli 301775. Cùm autem superessent sicli 1775 supra centum talenta, consequens est talentum tria millia siclorum, seu mille quingentas uncias æquiparasse. Ingens quidem fuit Israelitarum populus, sed numquam tantum auri & argenti pondus habere potuisset, nisi ablatis Ægyptiorum vasibus. Vide Cap. XII, 35, 36 & not. ad Genes. C. XXXIII, vers. 15.

27. *Absumta sunt*] *Et fuerunt centum talenta, ad conflandum.*

31. *Omnes denique* &c.] *Omnes paxillos tabernaculi, & omnes paxillos atrii.*

XXXVI. *Breviùs describuntur vestes sacræ antea* Cap. XXVIII. *descriptæ.*

CAPUT XXXIX.

1. HIACYNTHINIS, purpureis, coccineísque *filis* fecere vestes stragulas, quæ sacrario inservirent, vestésque sacras Aharonis, quemadmodum Mosem jusserat Jehova. 2. Pallium fecit *Betsaleel* ex auro, hiacyntho, purpura, cocco & bysso retorta. 3. Laminas autem aureas procuderat, & fila absciderat, quæ hiacynthinis, purpureis, coccineísque & byssinis, opere textoris polymitarii, intertexuerat. 4. Fecerant ei superhumeralia sibi invicem duabus extremitatibus conjuncta. 5. Textura autem polymita partis oppositæ, quæ ei adjecta est, ex ea ipsa *materia*, eóque artificio erat, ex aureis, hiacynthinis, purpureis, coccineis, byssinisque *filis*, quemadmodum Mosi imperaverat Jehova.

6. Elaborarunt etiam lapides sohamicos, circumdatos palis aureis, inscalptósque cælaturâ sigilli, nominibus filiorum Israëlis. 7. Tum eos imposuit *Betsaleel* superhumeralibus pallii, lapillos in memoriam filiorum Israëlis, quemadmodum Mosem jusserat Jehova.

8. Fecit etiam pectorale opere textoris polymitarii, ut pallii artificium, ex aureis, hiacynthinis, purpureis, coccineísque *filis* & bysso retorta. 9. Quadratum fuit, duplicatúmque id fecerant, palmari longitudine, palmarique latitudine, *in* duplici *panno*. 10. Tum id quatuor lapillorum ordinibus impleverunt; Odem, Phitda, & Bareketh unum ordinem; 11. secundum Nophech, Sapphir & Jahalom; 12. tertium Lesem, Sebo, & Achlama; 13. quartum Tharsis, Soham,

PARAPHRASIS.

1 ad 31. BETSALEEL & Oholiabus, unâ cum reliquis, qui illis suberant, opificibus, eodem studio, stragulas vestes quibus sacra supellex tegebatur, cùm asportanda erat, & Sacerdotum vestimenta sacra, quemadmodum antea descripta sunt, confecerunt.

COM-

ham, & Jaſphe *confecerunt*, paliſque aureis, in ſuis inſitionibus, circumdati erant.
14. Hæ gemmæ, pro nominibus filiorum Iſraëlis, duodecim erant, cælaturâ ſigilli in-
ſcalptæ, unaquæque nomine ſuo, pro duodecim tribubus. 15. Addiderunt pectorali
catenas, opere tortili deſinentes, ex auro puro. 16. Fecerant præterea duas aureas
palas, duóſque annulos aureos, & geminos annulos duabus extremitatibus pectoralis
addiderant. 17. Tum geminas aureas catenas duobus annulis, ad extremitates pecto-
ralis, adnexuerunt; 18. duáſque geminarum catenarum extremitates duabus palis in-
diderunt in ſuperhumerali pallii, ex anteriore parte. 19. Fecerant etiam duos *alios*
annulos aureos, eóſque addiderant extremitatibus pectoralis, ad oram quæ ultra pal-
lium eſt, intrinſecus. 20. Duos præterea annulos aureos fecerant, eóſque geminis ſu-
perhumeralibus pallii adpoſuerant infernè, ex anteriore parte, è regione ejus partis
quâ ſupernè polymitæ pallii texturæ conjunguntur. 21. Tum ſtrinxerunt pectorale,
annulis ejus ad annulos pallii, funiculo hiacynthino, ut imponeretur texturæ poly-
mitæ pallii, néve è pallio amoveretur pectorale, quemadmodum Moſi præceperat
Jehova.

22. Fecit quoque *Betſaleel* tunicam pallii, opere textorio, totam hiacynthinam.
23. Erat in media tunica foramen *capitis*, cui foramini circumquaque erat limbus,
quemadmodum foramini loricæ, ne laceraretur. 24. Ad imam pallii partem fece-
runt mala punica hiacynthina, purpurea & coccinea, *è filis* retortis. 25. Fecerunt
etiam tintinnabula ex auro puro, poſuerúntque ea tintinnabula inter mala puni-
ca, ad imam oram tunicæ circumquaque; 26. ut eſſet tintinnabulum, deinde ma-
lum punicum, iterúmque tintinnabulum & malum punicum, circa infimam tuni-
cæ oram, ut miniſterio *ſuo* fungeretur *Aharon ſic indutus*, prout Moſi imperaverat
Jehova.

27. Fecerunt etiam *alias* tunicas è byſſo, opere textorio, Aharoni ejúſque filiis;
28. cidarim byſſinam, ornamenta tiararum byſſinarum, & femoralia linea è byſſo re-
torta; 29. item cingula è byſſo retorta, hiacynthinis, purpureis, coccineíſque *filis*,
opere phrygionico, ut Moſi præceperat Jehova.

30. Fecerunt præterea laminam ſacri diadematis ex auro puro, eique inſcripſerunt,
ſcripturâ ſigilli inſcalptâ, Sanctitas Jehovæ. 31. Addiderunt ei funiculum hiacynthi-
num, qui deſuper cidari adnecteretur, quemadmodum Moſi in mandatis dederat
Jehova.

COMMENTARIUS

In Caput XXXIX.

1. V*Eſtes ſtragulas*] Vide not. ad Cap. XXXI, verſ. 10.

2. *Pallium* &c.] Hæc & ſequentia omnia de ſacerdotalibus veſtibus expoſuimus, ad Cap. XXVIII.

3. *Procuderant*] ירקעו *jarkebou*, Hieronymus habet, *incidit bracteas*, malè; nam hoc in ſequentibus verbis dicitur, neque verbum רקע *rakab* uſquam incidere ſignificat, ſed *premere*, *percutere*. Vide not. ad Gen. I, 6.

14. *Duodecim erant*] Addit Moſes, *pro nominibus eorum*, ſed bis jam fuit dictum, hoc ipſo verſu.

30. *Sacri diadematis*] נזר הקדש *nezer hakkodeſch*. Vulg. habet *ſacræ venerationis*. Onkelos כלילא chlila *corona*, quem ſequuti ſumus. Vide 2. Sam. I, 10. Sacerdotes etiam inter Ethnicos corona uti ſolebant, ſeu diademate faſciis conſtante. *Stroppus eſt*, ait Feſtus, *ut Atejus Philologus exiſtimat*, quod Græcè *στρόφιον vocatur*, & *quod ſacerdotes pro inſigni habent in capite. Quidam coronam eſſe dicunt, aut quod pro corona inſigne in caput imponatur, quale ſit ſtrophium.* Sæpiùs *ſacerdotalium coronarum* Tertullianus aliíque meminere. Vide quæ de hac re collegerunt *Frid. Lindenbrogius* & *Henr. Valeſius* ad *Ammiani Marcellini* Lib. XXI. c. 5.

XXXVII. Perfecto tentorio, omnibúsque ejus supellectilibus, id statuere certo ordine jubetur Moses ab Jehova, qui nube tectus in illud descendit.

32. CUM absolutum esset omne tabernaculi conventûs opificium, fecisséntque id Israëlitæ, secundùm omnia mandata quæ Mosi dederat Jehova; 33 adtulerunt illi tabernaculum ad Mosem, tentorium ipsum & omnia ejus supellectilia, uncinos, tabulas, asseres transversarios, columnas, bases, 34. integumentum è pellibus arietum rubro colore tinctorum, integumentum è pellibus hysginis, siparium velamenti *Sacrarii*; 35. arcam testimonii, vectésque ejus & operculum; 36. mensam & omnia ejus vasa, ac panem faciei *Dei adponendum*; 37. candelabrum illucens, & lucernas ejus, lucernas, *nimirum*, aptandas, omnia ejus vasa & oleum candelabri; 38. altare aureum; oleum inunctionis; suffitum aromaticum; velum ostii tabernaculi; 39. altare æneum, craticulam ejus æneam, vectes, & omnia vasa; labrum æneum, cum ejus basi; 40. atrii vela, columnas, bases, siparium ejus ostii, funes, & paxillos; omnia denique supellectilia opificii tabernaculi conventûs; 41. vestes stragulas, quæ sacrario inservirent; vestes sacras Aharonis sacerdotis, filiorúmque ejus, ut sacerdotio *iis induti* fungerentur. 42. Pro omnibus quæ in mandatis dederat Jehova Mosi, fecerunt Israëlitæ omne hoc opificium. 43. Moses autem inspexit omne opus, ecce verò hoc fecerant, ut jusserat Jehova, *quo factum* ut benediceret iis Moses.

CAPUT XL. 1. Tum Mosem Jehova alloquutus est, his verbis: 2. Die primo mensis primi, tabernaculum conventûs statues. 3. Pones illic arcam testimonii, eámque sipario velabis. 4. Inferes postea mensam, & strues quod in ea structum esse oportet; inferesque itidem candelabrum, ac lucernas ejus accendes. 5. Pones quoque altare aureum suffitûs, ante arcam testimonii, atque ostio tabernaculi velamentum oppones.

6. Tum altare holocautomatis ad ostium tabernaculi conventûs collocabis, 7. labrum verò inter tentorium conventûs, & altare, atque in hoc aquam injicies. 8. Deinde atrium circumpones, & siparium ostio atrii adjicies.

9. Postea sumto inunctionis oleo, tabernaculum, & quæcumque in eo erunt innunges, consecrabisque, cum omnibus supellectilibus, & erit sacrum. 10. Tum inunges altare holocautomatis, & omnia ejus vasa, consecrabisque altare, & sanctissimum erit. 11. Inunges etiam labrum, ejusque basin, & id consecrabis.

12. Aharonem deinceps ejusque filios ad ostium tabernaculi conventûs accedere jubebis, eósque aquâ ablues. 13. Tum indues Aharonem vestibus sacris, inunges, consecrabisque eum, & sacerdotis mei munere fungetur. 14. *Post eum* ejus filios accedere jubebis *propiùs*, indues eos tunicis, 15. inungelque quemadmodum eorum patrem inunxeris, & sacerdotum meorum munere fungentur. *Hoc* autem *ita* fiet, ut sit eis hæc sacerdotalis inunctio in perpetuum, eorúmque ætates *futuras*.

16. Om-

PARAPHRASIS.

32. QUÆ cùm essent absoluta, 33 *ad* 41. ad Mosem adlata sunt, 42. qui iis inspectis, omnia, prout jusserat, & pro exemplaribus quæ in monte viderat facta fuisse deprehendit, & opificibus bene precatus est.

1. Postea Mosem vocavit Deus, & hisce verbis compellavit: 2. primo die anni sacri Tabernaculum Conventûs, modò absolutum, mihi statuito. 3. Cùm tabulæ erectæ & compositæ fuerint, ac superinjecta aulæa, in intimo ejus recessu, occidentem versùs, arcam in qua erunt tabulæ Decalogi, collocato; deinde ex quatuor columnis vicinis, siparium quo tegatur, suspendito. 4. 5. Postmodum mensam, cum panibus mihi adponendis, ad septemtrionem; candelabrum ad meridiem ponito, & ejus lucernas accendito. Altare verò suffitûs, non procul à velo Adyti, collocato, & Tabernaculi ostio alterum siparium opponito.

6. Deìn altare holocautomatum non procul ab ostio Tabernaculi statuito, 7. ita tamen ut labrum æneum sit inter Tentorium & hoc altare. Labrum illud aquâ purâ impleri curato. 8. Tandem Tabernaculi atrium suis columnis & velis cingito, hujusque ostio siparium etiam addito.

9. His peractis, Tabernaculum, & omnem ejus supellectilem, unguento sacro, inungito & mihi hoc ritu dedicato. 10. 11. Altare etiam holocautomatum labrumque æneum, simili inunctione, mihi consecrato.

12. Tum Aharonem, & ejus filios ad ostium Tabernaculi accedere jube, & se aquâ labri abluere. 13 *ad* 15. Patrem quidem priùs, deinde filios sacerdotalibus vestibus induito, & sacro unguento inungito; quo ritu sacerdotes mihi in perpetuum consecrabuntur, ut, excepto Pontifice Maximo, eorum posteros qui in munus Majorum suorum succedent iterum inungi non sit necesse.

16 *ad* 33. Cùm

16. Omnia, prout jusserat eum Jehova, exsequutus est Moses, 17. & anno quidem
secundo, *primo* mensis die ptimo, statutum est tabernaculum. 18. Id statuit Moses,
posuit bases ejus, aptavit tabulas, transversarios asseres addidit & columnas erexit.
19. Tum supra tabernaculum integumentum extendit, alterúmque desuper imposuit,
ut ipsum jusserat Jehova. 20. Sumsit deinde testimonium , idque in arca deposuit;
cui etiam addidit vectes, & imposuit desuper operculum. 21. Postea arcam taberna-
culo intulit, eíque siparium opposuit, quo eam texit , prout ei imperaverat Jehova.
22. Collocavit etiam mensam in tentorio conventûs, ad latus tabernaculi, aquilonem
versùs, extra siparium. 23. Tum super ea panis struem coram Jehova disposuit, quem-
admodum à Jehova in mandatis acceperat. 24. Postmodùm candelabrum in taberna-
culo conventûs , è regione mensæ, ad tabernaculi latus, meridiem versùs , posuit.
25. Accendit etiam lucernas coram Jehova, ut ei Jehova præceperat. 26. Statuit &
altare aureum ante velum, in tentorio conventûs, 27. atque in eo suffitum aromati-
cum , prout à Jehova jussus fuerat , adolevit. 28. Ad tabernaculi ostium , siparium
etiam posuit.

29. Altate vetò holocausti ad ostium tabernaculi conventûs collocavit, atque in eo
obtulit holocaustum & donarium *farris*, ut imperarat ei Jehova. 30. Labrum etiam
intet tabernaculum conventûs & altare posuit , atque in hoc aquam, quâ ablutiones
fierent, injecit. 31. Eâ Moses , Aharon, hujúsque filii manus & pedes abluerunt;
32. & cùm ingressuri erunt *posthac* tabernaculum conventûs aut accessuri ad altare , ex
mandatis Mosi a Jehova datis, ablui eos *semper* oportet.

33. Tandem statuit atrium, circa tabernaculum & altare , & siparium ostio atrii
opposuit. Cúmque Moses negotium omne absolvisset , 34. nubes tentorium con-
ventûs operuit, & Jehovæ gloria tabernaculum implevit. 35. Nec Moses potuit ten-
torium conventûs ingredi, postquàm ei insederat nubes , & Jehovæ gloria tabernacu-
lum impleverat.

36. Postea cùm à tabernaculo nubes adtollebatur , proficiscebantut Israëlitæ , quo-
tiescumque movebant. 37. Si verò nubes non discederet, non proficiscebantur, donec
adtolleretur. 38. Interdiu autem nubes Jehovæ tabernaculo insidebat, ignis verò noctu,
in oculis totius domûs Israëlis, per omnes profectiones erat.

EXODI FINIS.

1. *ad* 32. Cùm hæc mandata Moses sub finem anni primi, ex quo ex Ægypto egressi erant Hebræi, accepisset; primo die anni secundi, Tabernaculum Conventûs statuit, omniáque eo ordine, quo à Deo jussus erat, disposuit.

33. Cùm omnia essent suis locis collocata, ecce verò 34. nubes, perpetuum divinæ præsentiæ symbolum, in Tentorium descendit, idque opplevit. 35. Nec Moses, dum nube plenum esset, id ingredi sustinuit.

36. Ab illo tempore, quotiescumque Deus proficisci Israëlitas voluit, nubes ex Tentorio profecta altum petiit & iter ostendit. 37. Nec Hebræi castra movebant , nisi eo veluti signo à Numine dato; adeò ut tamdiu eodem in loco manerent, quamdiu nubes non movebatur. 38. Interdiu quidem nubis species Tabernaculo insidebat , noctu verò ignis instar , ab universo populo Hebræo , cernebatur. Atque hoc signo proficiscendi , aut commorandi , per Arabicas solitudines , usi semper sunt Hebræi.

Paraphraseos Exodi

FINIS.

COMMENTARIUS

In Caput XL.

32. OPificium] עבדת *babodath*. Vide ad Cap. XXX, 16. XXXVIII, 21. & infrà vers. 41, 42.

In Caput XL.

2. *Die primo mensis primi*] *Die mensis primi, uno mensis.*

3. *Sipario velabis*] *Et teges* (על) *ad arcam siparium.* Pro פרכת *pharocheth*, hoc est, sipario, habent Samaritæ כפרת *cappboreth* , operculum , sed nulla ratio est mutandi.

4. *Quod in ea structum esse oportet*] ערכו *bercho* , à ערך harach *ordine disposuit* dapes , aut aliud quidvis. Vide Psalm. XXIII, 4. Intelliguntur panes Deo adpositi.

10. *Sanctissimum*] *Sanctitas sanctitatum.*

12. *Aquâ ablues*] Nemo , illotis manibus , Sacra facere audebat. Vide not. ad Cap. XXX, 16.

 15. *Ut*

15. *Ut sit hæc eis sacerdotalis unctio*] Nimirum, semel tantùm sacerdotalis generis ἀρχιερεῖς inuncti sunt, eáque unctio ad eorum posteros pertinuit; sed Pontifex Maximus semper inungebatur, antequàm decessoris sui munere fungi posset. Vid. Lev. IV, 9.

16. *Omnia, prout jusserat*] *Et fecit Moses secundùm omnia* &c. *sic fecit.*

17. *Anno secundo*] Nempe, לצאתם ממצרים *postquàm egressi essent* ex Ægypto, ut habet Samariticus Codex, & LXX. Int. πορευομένων αὐτῶν ἐξ Αἰγύπτου. Quod si non est Mosaicæ orationi adsuendum, saltem intelligi hîc necesse est.

19. *Integumentum*] האהל haohel. Vide not. ad Cap. XXVI, 14.

Alterum] *Integumentum tentorii.*

Ipsum] *Mosem*, & sic sæpiùs.

21. *Eique siparium*] *Et posuit siparium integumenti, & texit super arcam.*

29. *Obtulit*] *Adscendere fecit.*

33. *Cúmque Moses negotium omne absolvisset.*] *Et absolvit Moses — & texit nubes.*

35. *Postquàm*] כי *chi*, quod posset etiam verti frequentissimâ significatione *quia*. Sed ut vertimus, emollitur Latinis auribus repetitio. Vide not. ad Gen. XXXI, 37.

37. *Non discederet*] Non *adtolleretur*, nec non *adscenderet*, quod eodem redit. Nam *adscendere* passim est *discedere*. Vide hac de re Num. IX, 17. & *seqq.*

38. *Interdiu nubes Jehovæ*] Vid. Num. IX, 15, 16.

Profectiones] מסעיהם masheem. Hæc vox propriè proficiscendi actionem sonat, deinde etiam *Stathmum*, sive locum in quo post diurnum iter consistunt viatores. Vide Num. XXXIII, 1.

Commentarii in Exodum

FINIS.



L E-

LEVITICUS.

I. *Holocautomatum ritus.*

1. E Tabernaculo Conventûs Mosem vocavit & alloquutus est Jeho- CAPUT I.
va, his verbis: 2. Alloquere Israëlitas, eisque dicito: si Jeho-
væ ex pecudibus oblationem quis offerat, *eam* vestram oblatio-
nem ex bobus, capris, *aut* ovibus offeretis.
3. Si holocaustum oblatio ejus sit è bucero *genere*, masculum
& integrum offeretis; *sacra facturus* eum ad ostium tabernaculi
conventûs admovebit, ut acceptus sit coram Jehova. 4. Tum
imponet manum nitens capiti holocautomatis, & acceptum Deo erit, ut pro illo
fiat expiatio. 5. Deinde vitulum mactet, coram Jehova, & filii Aharonis sacer-
dotes

PARAPHRASIS.

1. MOSEM ad Tabernaculum Conventûs vocatum, 2. Israëlitis hæc de Sacrificiis edicere jussit Deus. Quicumque victimam è quadrupedibus Deo Israëlis offerre voluerit, eam ex boum aut ovium, aut caprarum gregibus eligito.

3. Si quis è bucero genere holocautoma offeret, masculus & sine vitio juvencus esto. Oblaturus eum ad ostium Tabernaculi Conventûs ducito, ut Dei Israëlis favorem sibi conciliet; 4. ejus capiti manum imponito, quo ritu significabit victimam suo loco Deo offerri, ejúsque loco à Deo accipietur. 5. Tum ante Tabernaculum jugulator victima,

COMMENTARIUS

In CAPUT I.

VERS. 1. *E Tabernaculo conventûs*] Hoc est, ex Adyto, unde in posterum oracula sua proditura promiserat Deus, Exod. XXV, 22.

Vocavit] Vocis ויקרא ultima littera א, in nostris Exemplaribus, ceteris minor est. Volunt Rabbini significari Mosem à Deo de improviso fuisse vocatum, & ויקרא *vajjikra* idem ferè valere ac ויקר *vajjikar*, quod est *occurrit*, & adhibetur Num. XXIII, 8. ubi de Balaamo sermo est, cui *Deus occurrisse* dicitur. Verùm meræ sunt ineptiæ, quas res ipsa confutat. In Vetere Codice, quo Massorethæ usi sunt, casu א minus fuit, negligentiâ librarii, & hinc nata futilia Rabbinorum mysteria.

Alloquutus est] Ordo est Heb. *Et vocavit Mosem & alloquutus est Jehova eum, è tabernaculo Conventûs, dicendo.*

2. *Si Jehovæ*] Spontaneo, aut votivo sacrificio.

Ex pecudibus] Quia poterant alia donaria ad Tabernaculum ferri, & ferebantur, ut columbæ, turtures, primitiæ frugum, farina, oleum, ligna, aliáque, ad usum sacrorum.

Oblationem] קרבן *korban*, hoc est, quod proximè admovetur, à קרב *propinquus* fuit, quia quæ dantur accipientium manibus admoventur.

Ex bobus, capris aut ovibus] מן הבקר ומן הצאן *ex bove & ex ove*, sed posterior vox *caprinum* etiam genus sonat. Aliæ gentes alias etiam pecudes offerebant, ut Ægyptii, qui Lunæ & Libero sues mactabant. *Herodotus* Lib. II. c. 57. Τοῖσι μὲν ἄλλοισι θεοῖσι θύειν ὗς οὐ δικαιεῦσι Αἰγύπτιοι· Σελήνῃ δὲ καὶ Διονύσῳ μούνοισι, τοῦ αὐτοῦ χρόνου, τῇ αὐτῇ πανσελήνῳ τοὺς ὗς θύσαντες, πατέονται τῶν κρεῶν: *Aliis Diis mactandos esse sues non judicant Ægyptii, sed Lunæ & Baccho solis; eodémque tempore, ipso plenilunio, cùm mactarunt sues, carnes eorum degustant*; à quibus alioquin, ut idem postea docet, abhorrebant.

Deus autem nullas victimas volebat sibi offerri, nisi ex mundissimis pecudibus, aut avibus, hoc est, quæ frequentissimo victui apud omnes fuere; ex bucero, nimirum, ovillo & caprino genere inter pecudes: ex columbis aut turturibus, inter aves. Cujus rei non tam mysticas rationes quærendas censuerim, quàm ex ipsius rei natura petendas. Pleraque omnia sacrificia veluti mulctæ erant Hebræis impositæ; quæ proinde debuerunt ex utilissimo brutorum genere solvi, ne spernerentur. Præterea, ad Eucharistica sacra quod adtinet, oportuit Israëlitas ea Deo mactare, quæ iis maximè usui futura concesserat; ut & ea ipsi debere se palam agnoscerent, gratóque animo recolerent, & honorem Deo exhiberent majorem, utili pecude mactatâ; non cane aut sue, exempli causâ, à quibus abstinebant. Species enim contemtûs fuisset, si quis Deo mactasset id animal, quo ipse vesci nollet. Hæ aut similes rationes effecerunt ut pleræque aliæ Gentes hæc potissimùm animalia etiam mactaverint, ad quadrupades certè quod adtinet.

3. *Holocaustum*] עלה *holah*, de qua voce vide not. ad Exod. Cap. XX, 24.

Masculum] Hoc quoque observabant Ægyptii, ut docuimus ad Exod Cap. XX, 5. ubi vide notata.

In-

dotes sanguinem offerant, adspergántque eo circumquaque altare, quod est ad ostium tentorii conventûs. 6. Detractâ verò pelle holocautomatis, id in frusta sua profecabit; 7. dum filii Aharonis sacerdotis ignem altari imponent, & ligna super igne struent. 8. Postea Aharonis filii sacerdotes ordine proficias, capútque & adipem lignis igni, qui super altari, additis imponent. 9. Interea viscera & crura abluet aquâ, omniáque sacerdos in altari adolebit, *ut sit* holocaustum, *seu* oblatio igne absumenda, odor placamenti Jehovæ.

10. Si verò oblatio ejus sit ex ovillo, aut caprino pecore, masculum & integrum ex ovibus aut capris in holocaustum offeret. 11. Tum id mactabit ad latus altaris septemtrionale, coram Jehova, & filii Aharonis sacerdotes sanguine ejus altare circumquaque adspergent. 12. Prosecabit id in frusta sua, capútque, & adipem sepo-

ma; cujus exceptum vasculo sanguinem sacerdos circumquaque ad basin altaris holocautomatum, adspergito. 6. Detrahitor pellis mactatæ victimæ, & caro in suas proficias secator, 7. dum Sacerdotes ignem struent in altari, & lignum ei addent. 8. Deinde Sacerdotes proficias victimæ, & potissimùm quidem caput & adipem igni imponunto, 9. in quem viscera & crura etiam, sed abluta porriciuntor; ut simul absumantur, & Dei benevolentia omnium absumtione offerenti concilietur.

10. Similiter si holocautoma sit ex ovillo aut caprino genere, marem sine vitio offerto, 11. ad bo-

Integrum] Hac de re, ad Cap. XXII. hujus libri. *Josephus* Ant. Jud. Lib. III. c. IX, 1. addit victimas esse oportere anniculas, exceptis juvencis, quos senius etiam mactari licuit: ταῦτα μὲν ἐπέτεια, τοὺς δὲ βοῦς ἐφεῖται θύειν καὶ τελειωθέντας. Sed ἐπέτεια sunt intra annum, ex quo natæ victimæ.

Ut acceptus sit] לרצנו lirtsono, *ad benevolentiam suam*; hoc est, ut sibi benevolentiam Dei conciliet. Vide Exod. XXVIII, 38. & infrà XXV, 11. quibus locis adde Esai. LVI, 7. LX, 7.

4. *Imponet manum*] De hoc ritu diximus ad Exodi Cap. XXIX, 11.

5. *Vitulum mactet*] Hoc quivis poterat facere, sed sanguinis oblatio solorum fuit Sacerdotum. Vide not. ad Exod. C. XII, 7.

Adspergántque altare] Cùm sanguis victimæ sanctissima pars haberetur, quo factum ut totum sibi servari juberet Deus (Vide Cap. XVII, 11.) ea Deo offerebatur ejusmodi adspersione, ad basin altaris, ne si in ignem conjecta fuisset, eum exstingueret. A Sacerdote solo videtur oblata, ut intelligeret is, qui victimam adduxerat, sibi apud Deum Mediatore opus esse, ac proinde pœnas commeritum.

Quod est ad ostium] Nempe, altare holocausomatum, quod sub dio fuit.

6. *Detractâ verò pelle* &c.] *Et detrahet pellem — & prosecabit.* An Sacerdotes hoc facerent, an is qui victimam pro se offerri cupiebat, dubium esse potest; nam quamvis ad hunc referri verbum הפשיט hiphschit videatur, posset subaudiri vox כהן chohen, Sacerdos. Sacerdotibus detractionem pellis & prosectionem tribuunt LXX. Intt. qui verterunt: καὶ ἐκδείραντες τὸ ὁλοκαύτωμα μελιοῦσιν, nam hæc verba referuntur ad *filios Aharonis*. Samaritiicus codex habet etiam in plurali הפשיטו *hiphschitou*, & pro נתח nittahh נתחו *nitthehou*, ut LXX. Intt. μελιοῦσιν *in membra* divident.

Frusta sua] לנתחיה *linthahheha*, hoc est, in frusta in quæ solet dividi, & quæ postea docet Moses. LXX. Intt. verterunt κατὰ μέλη *membratim*, sed omnia membra non separabantur.

7. *Dum filii Aharonis* &c.] *Et ponent filii.* Debuit quidem perpetuus ignis accensus esse in altari, ut docemur infrà Cap. VI, 13. sed non necesse fuit tantâ copiâ semper esse accensum, ut victimæ adolendæ sufficeret, satis erat non esse prorsus exstinctum. Si semper ignis luculentus intra altare luxisset, nimis citò altaris materia, quamvis ære constaret, absumta fuisset.

8. *Proficias*] Sic נתחים nthahhim, *frusta*, vertimus hic more Romano, quo ita vocabantur partes victimæ quæ adolebantur. Festus: *Proficium, quod profecatum porricitur.* Arnobius Lib. VII. p. 290. Ed. Herald. *Quod si omnes has partes quas proficias dicitis Dii amant, suntque illis gratæ, vel voluptatis alicujus vel dulcedinis sensu; quid intercedit, quid prohibet, ut non semel hæc omnia totis cum animalibus inferatis?* Sæpe ita pugnabant veteres Christiani in Ethnicos, ut priscam Judaicam Religionem simul impugnare viderentur.

8. *Capútque & adipem*] Hæ sunt proficiæ holocautomatis, ut & quæ in versu sequente habentur. Alii planè, ad caput quod adtinet, Ægyptiorum erant ritus, ut docet *Herodotus* Lib II. c. 39. ubi describit ejus gentis sacrificia: Θυσίη δέ σφι ἥδε κατέστηκε· ἀγαγόντες τὸ σεσημασμένον κτῆνος πρὸς τὸν βωμὸν ὅκου ἂν θύωσι, πυρὴν καίουσι· ἔπειτα δ' ἐπ' αὐτοῦ οἶνον κατὰ τοῦ ἱρηίου ἐπισπείσαντες, καὶ ἐπικαλέσαντες τὸν θεόν, σφάζουσι. σφάξαντες δὲ ἀποτάμνουσι τὴν κεφαλήν. σῶμα δὲ μὲν δὴ τοῦ κτήνεος δείρουσι· κεφαλῇ δ' ἐκείνῃ πολλὰ καταρησάμενοι, φέρουσι τοῖσι μὲν ἂν ᾖ ἀγορή, καὶ Ἕλληνές σφι ἔωσι ἐπιδήμιοι ἔμποροι, οἱ δὲ φέροντες ἐς τὴν ἀγορὴν ἀπ' ὧν ἔδοντο· τοῖσι δ' ἂν μὴ παρέωσι Ἕλληνες, οἱ δ' ἐκβάλλουσι ἐς τὸν ποταμόν: *Hujusmodi autem illis est sacrificium. Postquàm duxerunt pecudem obsignatam ad aram, ubi sunt sacra facturi, pyram incendunt* (ut hîc vers. 7.) *deinde supra hostiam libato ad Templum vino, eam mactant. Mactatæ caput amputant* (ut hîc vers. 6.) *Deinde capiti ejus multa imprecati, ferunt id iis quibus est forum, & apud quos Græci mercatores diversantur; hi verò ferunt in forum & iis vendunt. Quod si nulli his adsint Græci, in fluvium projiciunt.* Contrà apud Hebræos capita adolebantur, ut hoc in loco nos docet Moses; unde liquet Hebræorum sacra, quamvis aliarum gen-

Seponet, eáque sacerdos in lignis igni, qui in altari, impositis ordine collocabit. [13] Interea verò viscera & crura aquâ abluet, eáque offeret sacerdos & in altari adolebit. Hoc est holocaustum, oblatio igne absumenda, *ut sit* odor placamenti Jehovæ.

[14] Si denique oblatio ejus Jehovæ sit holocaustum ex avium *genere*, oblationem è turturibus aut columbis offeret. [15] Sacerdos eam altari admovebit, capútque avis ungue elidet, & in altari adolebit; sanguinem verò ejus ad parietem altaris exprimet. [16] Amovebit etiam ingluviem unà cum pluma, eámque projiciet juxta altare, ad orientem, in locum cineris. [17] Tum eam in alis findet, sed non divellet, adolebítque sacerdos in altari supra ligna igni imposita. Hoc est holocaustum, oblatio igne absumenda, odor placamenti Jehovæ.

II. Ri-

boreale altaris latus mactator, sacerdotes sanguine ejus basin altaris adsperguuto, [12. 13.] & reliqui ritus memorati observantor, ut Dei pax impetretur.

[14] Si volucres in holocautoma offerantur, ex turturum aut columbarum genere sunto. [15] Sacerdos avis altari admotæ caput ungue elidito, atque in altari adoleto; sanguinem ad altaris latera exprimito; [16] ingluviem & plumas amoveto, atque ad orientem altaris inter cineres conjicito; [17] ad alas avem findito, sed ne divellito, & corpus ita, ad favorem Dei ambiendum, adoleto.

P A-

gentium sacris in multis adfinia; in longè plurimis à Deo emendata fuisse.

Adipem] הפדר *happheder*. Tribus locis, ubi hæc vox exstat, *στέαρ* vertunt LXX. Intt. hîc & infrà vers. 12. & Cap. VIII, 20. At Vulg. in hoc Capite: *quæ adhærent jecori*, Capite verò VIII. *adipem* transtulit. *Onkelos* ubique תרבא tharba, *adipem*, & sic quoque Rabbini plerique, quos sequuti sumus. Nam qui *corpus* aut *truncum* vertunt non possunt audiri, ut sequentia ostendunt. Conjicit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. 2. Cap. XLV. sic dici adipem à carne separatum, à radice פרד pharad *separavit*, per metathesin, quæ Hebraïcæ Linguæ ignota non est; ut liquet ex חשל & חלש, אלמוגים & אלגומים, כשב & כבש, quæ idem significant. Atque eò respicere videtur *Jonathan*, qui habet פרישותא דתרבא *separationem adipis*. Idem *Bochartus* similem ritum observavit fuisse, apud Græcos, Heroïcis temporibus, ex Homero Iliad. B. 423.

Μηροὺς δ᾽ ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν
Δίπτυχα ποιήσαντες, ἐπ᾽ αὐτῶν δ᾽ ὠμοθέτησαν.
Femora inciderunt, & adipe texerunt,
Duplici ordine facto, & iis crudas carnes imposuerunt.

Ægyptios simile quiddam fecisse, in suis immolatione, addere potuit ex *Herodoto* Lib. II. c. 47. cujus verba adferemus ad Cap. III, 2. Alioquin in aliis sacrificiis, ut idem auctor est, ejusdem Lib. c. XL. *σπλάγχνα ἔλειπον ἐν τῷ σώματι καὶ τὴν πιμελήν*: *viscera relinquebant in corpore, & adipem.*

9. *Viscera*] קרבו kirbo, quod non modò exta, sed quidquid est intra pellem significat, ut *viscera* apud Latinos. *Virgilius* de simili sacrificio Æneid. VI, 253.

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Ad quem versum *Servius*: *Non exta dicit, sed carnes. Nam* viscera *sunt quidquid inter ossa & cutem est, unde etiam* visceratio *dicitur. Ergo* solida viscera *holocaustum significat, quòd detractis extis aræ super imponebantur, quæ nonnumquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur.*

Abluet] ירחץ Samaritæ legunt ירחצו & LXX. Intt. habent *πλυνοῦσιν abluent.*

Odor placamenti] Hoc est, victimæ expiatoriæ, aut gratiæ divinæ sibi conciliandæ causâ paratæ. Vide not. ad Gen. VIII, 21.

10. *Ex ovillo aut caprino*] מן הצאן *min hattson*, quod interpretantur sequentia. Hunc versum duabus vocibus ab initio auctiorem habent Samaritæ: *Si verò* holocaustum עלה *oblatio ejus* Jehovæ ליהוה, & secundam vocem legerunt LXX. Intt. qui habent *κυρίῳ*. Addunt soli Samaritæ ad calcem: *ad ostium tentorii conventûs id amovebit.*

11. *Ad latus septemtrionale*] Ne, scilicet, si ad orientale, ubi erat jam locus cinerum (infrà vers. 16.) mactatæ fuissent victimæ, impeditus esset ingressus in atrium. Quod & in aliis victimis fieri solebat. Vide infrà VI, 25. VII, 1, 2. Ideò in Templo secundo: טבעות היו לצפונו של מזבח ששה סדרים של ארבע ארבע וגו: *Ad septemtrionem altaris erant annulorum sex ordines, quorum singuli continebant quatuor. Sunt qui dicunt fuisse quatuor quorum singulè continerent sex, ad quos mactabant victimas* &c. Quæ sunt verba Thalmudicorum in Cod. Middoth. Cap. III. §. 5.

12. *Prosecabit*] נתח *nitthabh*, in plurali legunt Samaritæ נתחו *nitthebhou*, & LXX. Intt. *διελοῦσι*, ut suprà vers. 6.

14. *E turturibus aut columbis*] Vide ad vers. 2.

15. *Ungue elidet*] מלק *malak*. LXX. Intt. *ἀποκνίσει*. Vulgatus, *retorto ad collum capite*. Occiduntur faciliùs hæ aves *ἀποκνίσει*, hoc est, si capita earum ungue elidantur. Alii divulsum fuisse ungue caput à collo putant, qua de re vide *Sam. Bochartum* Hieroz. Part. 2. Lib. I. c. 5. Sed divulsum non fuisse caput liquet ex Cap. V, 8. & Rabbini quæ numquam viderunt, neque à testibus ocularis didicerunt, quasi iis interfuissent, solent describere.

II. *Ritus oblationum è farre, & primitiarum frugum.*

CAPUT II. 1. SI quis oblaturus est oblationem donarii *farrei* Jehovæ, sit *ea* ejus oblatio *ex* simila, adfundat ei oleum, & thus imponat. 2. Tum ea adferat ad filios Aharonis sacerdotes, accipiátque hinc sacerdos plenum pugillum, è simila, nempe, ejus & oleo, præter totum thus, & adoleat ejus odoramentum in altari, *ut sit* oblatio igne absumenda, odor placamenti Jehovæ. 3. Quod supererit autem ex donario *farreo* Aharonis filiorúmque ejus erit, res sacrosancta ex oblationibus Jehovæ igne absumendis.

4. Si verò oblaturus est oblationem donarii *farrei* in furno cocti, *sit id è* simila, &

PARAPHRASIS.

1. OBLATIONES farreæ è simila, adjectis oleo & thure, sunto. 2. Ad Sacerdotes deferuntor; hi thus totum, & pugillum farinæ oleo mistæ in altaris flammam porriciunto, quo placetur offerenti Numen. 3. Reliqua sacrosancta habentor; & in Sacerdotum usum cedunto.

4. Si placentæ offerantur coctæ, ex simila confectæ & azymæ, oleóque mistæ, aut inunctæ sunto. 5. 6. 7. Si

COMMENTARIUS

In CAPUT II.

1. OBlationem donarii] קרבן מנחה *korban minhhah*. Vox מנחה propriè quodvis *donum* significat, ut liquet ex Gen. XXXII, 13, XLIII, 10. Ac sanè quamvis radix in libris Hebraicis non exstet, apud Arabas מנח *manahha*, est *donare*. Hinc translatum omnia quæ Deo offeruntur sonat, ut docebunt Lexicographi, seu de rebus animatis, seu de inanimis sermo sit. Attamen hic & alibi non rarò ἀντιδιηρημένως oblationes ex segetibus manifestò significantur eâ voce, pro Hebraicæ Linguæ inconstantia. Videntur autem oblationes farreæ ita præ ceteris dictæ, quòd earum maximâ parte *donarentur* Sacerdotes. LXX. Intt. verterunt hic *θυσίαν*, alibi δῶρον, σεμίδαλιν, προσφορὰν, nec rarò etiam vocem Hebraïcam servarunt, quam *μαναὰ* efferebant. Vulgatus habet hic *oblationem sacrificii*, sequutus τοὺς LXX. Cùm nulla vox esset satis commoda, quâ ambiguitatem vocis מנחה exprimeremus, vertimus *donarium farreum*, hoc in loco, nam *oblatio donarii*, aut *muneris* vix potuisset ferri; neque sanè sunt numeranda verba, ubi manifestum est unius vocis potestatem non posse nisi pluribus reddi. Romani quidem vocabant *Ferctum* aut *Fertum*, auctore Festo, *genus libi, quod crebrius ad sacra ferebatur; nec sine strue, altero genere libi: quæ qui adferebant strufertarii adpellabantur.* Sed מנחה non fuit semper in libum cocta, ut sequentia docent. Addunt Samaritæ calci hujus versûs מנחה היא ut LXX. *θυσία ἐστί.*

Simila] סלת *soleth*, præstantissima farina de qua vide not. ad Genes. XVIII, 6. Ut optimæ pecudum offerendæ erant; ita etiam præstantissimi fructuum, ut majori honore Deus adfici videretur.

Oleum] Apud Hebræos farinæ dumtaxat adfundebatur oleum, apud alias Gentes eam victimæ. Sic Ægyptii, impleto ventre victimæ panibus puris, melle, uvis, ficubus, thure, & myrrhâ, aliisque odoribus, oleum addebant. *Herodotus* Lib. II. c. 4. πλήσαντες δὲ τούτων καταγίζουσι, ἔλαιον ἄφθονον καταχέοντες: *postquam impleraunt* (ventrem hostiæ) *hisce, eam adolent, multum oleum adfundentes.* Sic & Æneas, apud *Virgilium* Lib. VI, 254.

> — *Solida imponit taurorum viscera flammis,*
> *Pingue superque oleum fundens ardentibus aris.*

Multò sapientiùs Hebræi, qui cùm maximam partem oblationis farreæ in usum Sacerdotis cedere vellent, ei oleum adfundi jubebant, non victimæ in ara ardenti, unde nullus ad quemquam rediit fructus.

Thus imponat] Nihil ubique frequentius, quàm thus in honorem Numinis adoleri; verùm hoc ab Arabibus, eorúmque vicinis ad remotiores à thurifera regione Gentes propagatum videtur. Hinc ignotum fuit in Sacris, apud eas Gentes, quibus non fuerunt commercia cum Arabibus. *Neque temporibus*, ut verbis *Arnobii* utar ex Lib. VII. contra Gentes, p. 291. *Ed. Herald. quemadmodum creditur & perhibetur heroicis, quidnam esset tus* (ita scribebant Veteres) *scitum est, Scriptoribus ut comprobatur à priscis, quorum in libris posita nulla ejus mentio reperitur; neque genitrix & mater superstitionis Etruria, Sacellorum ut indicant ritus; neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in usum cuiquam venit, sacra cùm res fieret; neque ipse Romulus, aut Religionibus artifex in comminiscendis Numa, aut esse scivit, aut nasci, ut pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum sollemnium munia.* In sequentibus, cùm *quidquid fit ab hominibus habere oporteat suas caussas*, multis verbis quærit ab Ethnicis, quare thus adolerent, aut quare Numen thure propitiari crederent? Hoc ipsum à Judæis quærere potuisset, qui Dei quidem præceptum ostendissent, sed ex inolita consuetudine, ut videtur, natum. Duæ autem possunt fuisse apud eos, qui thus adolere primi instituerunt, rationes. Altera potuit esse nidor, qui nimiùm offendisset nares, nisi odor alius admistus fuisset. Altera verò quia incensum thus maximum fumum emittit; qui secum ad cœlum preces evehere videtur, quæ est conjectu-ra

& placentæ quidem azymæ oleo mistæ, aut lagana azyma oleo inuncta. 5. Si oblatio tua sit donarium *farreum* in sartagine *coctum*, azymus erit similagineus, oleo mistus. 6. Divides eum in frusta, oleúmque ei adfundes; hoc *erit farreum* donarium. 7. Si verò tua oblatio sit donarium *farreum* in craticula *coctum*, ex similagine *inunctum* oleo fiet.

8. Tum donarium *farreum*, quod ex illis factum fuerit, offeres Jehovæ, adferésque sacerdoti, qui id altari admovebit, 9. separabitque ex donario ejus odoramentum, & in altari adolebit, *ut sit* oblatio igne absumenda, odor placamenti Jehovæ. 10. Quod supererit ex donario Aharoni ejusque filiis cedet, res *erit* sacrosancta, ex oblationibus Jehovæ igne absumendis.

11. Nullum donarium *farreum*, quod Jehovæ offeretis, fiet cum fermento, neque enim

5. 6. 7. Si sartagine coquantur, oleo miscentor, si in craticula, inunguntor, & præterea in frusta divisæ oleóque adspersæ porriciuntor.

8. Sacerdos eas altari admoveto, 9. quod adoleri oportet secernito, flammísque ad expiandum Numen absumendum tradito. 10. Reliquiæ sacrosanctæ habentor & in Sacerdotum usum ceduntο.

11. Nulli oblationi ex farre, in altari adolendæ, mel aut fermentum misceto.

12. Pri-

ra viri docti *Petri Servii*, in Differt. de Odoribus. Nescio annon & abigendis muscis inserviret.

2. *Præter totum thus*] על *hal* hic manifestò *præter* significat, ut Gen. XXVIII, 9. XXXI, 50. Thuris nulla pars ad Sacerdotem redibat, quia nullus fuisset ejus usus, nisi iterum vendidisset, quod turpe fuisset.

Odoramentum ejus] אזכרתה *azcharthah.* LXX. Intt. μνημόσυνον vertunt, ab usitata significatione radicis, ut Vulg. *memoriale*. Sed הזכיר interdum est *adolere*, ut Es. LXVI, 3. unde derivatum significationem memoratam traxit.

3. *Res sacrosancta*] *Sanctitas sanctitatum.* Quam comedere non licebat, nisi in atrio. Vide inf. VI, vers. 16. Moribus Ægyptiorum contrarium hoc prorsus fuit, cùm apud eos Sacerdotes oleo abstinere solerent, ut docet *Chæremon* Stoïcus, apud *Porphyrium* de Abstin. Lib. IV. §. 6. plurimi semper, alii plerumque. Ἐλαίου δὲ ἀπείχοντο μὲν ὡς τὸ πολὺ, οἱ πλεῖστοι δὲ καὶ παντελῶς, εἰ δέ που μετὰ λαχάνων χρήσαιντο, παντελῶς ὀλίγῳ καὶ ὅσον παρηγορῆσαι τὴν αἴσθησιν: *oleo autem maxima ex parte abstinebant, plurimi etiam in totum, & si quando cum oleribus misto utebantur, pauxillum tamen, & quantum herbarum victui mitigando sufficeret adhibebant.* Contrà cùm farina aleo mista, multáque liba oleo uncta aut subacta offerrentur, apud Hebræos, quæ Sacerdotibus cedebant; multo oleo eos uti necesse fuit.

4. *In furno coctis*] Nam aut farina cruda potuit ad Sacerdotem ferri, quam præter adolendum pugillum servaret, aut placenta cocta. Apud Romanos, ut auctor est *Plinius* Lib. XVIII. c. 2. *Numa instituit Deos fruge colere, & molá salsá supplicare, atque, ut auctor est Hemina, far torrere.*

Placentæ &c.] De hisce placentis, vide not. ad Exod. C. XXIX, 2.

5. *Sartagine*] המחבת *hammahhabath.* Sequuti sumus *Vulgatum*, cui præivere. LXX. Intt. qui habent τήγανον.

6. *Donarium farris in craticula*] מנחת מרחשת *minhhath marhheschetb.* Ἐσχάρα vertertunt LXX. Intt. Vulg. *Craticulam*, quem imitati sumus. Rabbini מרחשת *marhheschetb* profundiorem fuisse volunt, & labra habuisse, מחבת verò planum instrumentum, in quo torrerentur placentæ, quasi verò vidissent! In re ignota, antiquiores sequi maluimus.

Inunctum oleo] בשמן basschemen, *in oleo*, sed ordo ostendit subaudiendum משוחה *mschouhhah*, ex vers. 4.

9. *Ejus odoramentum*] Hoc est, thus adjunctum, ut vers. 2.

11. *Cum fermento*] Nimirum, cùm sola farrea oblatio offerebatur, nam in Salutaribus sacrificiis fermentatum panem adhibere licuit. Vide inf. C. VII, 13.

Aut melle] Solebant quidem Ægyptii adhibere ἄρτους καθαρούς *panes puros*, hoc est, מצות *matsoth*, nam Arabicè מצץ *matsatsa*, est *purus fuit*, sed mel addebant, ut liquet ex *Herodoto* Lib. II. c. 40. ubi prosectâ victimâ, in celeberrimo Isidis festo, ait ventrem ejus stipatum fuisse cùm aliis, tum panibus puris & melle: ταῦτα δὲ ποιήσαντες τὸ ἄλλο σῶμα τοῦ βοὸς σιμπλᾶσιν ἄρτων καθαρῶν καὶ ΜΕΛΙΤΟΣ, καὶ τὰ ἄλλα: *postquàm hæc fecerunt reliquum corpus bovis implent panibus puris, & melle* &c. Sic & *Athenæus* Lib. XIV. ubi varia placentarum genera describit, aliquot ex iis quæ Diis sacræ erant mel admistum refert. Quæ *Basynia* Deliis dicebatur, & Hecatæ offerebatur, erat ἀλεύρου πύρινον ταῖς σὺν μέλιτι: *farina triticea, aqua subacta, cum melle.* Mel quoque habuerunt *Creion*, *Encrides*, *Statites*, *Itrium*, *Chorium*, *Sesamis*, *Myllus*, & alia placentarum genera. Vide & *Catonem* de R. R. Capp. XXVI. & seqq. ubi docet mel mistum *Placentæ*, *Spiræ*, *Globulis*, *Encyto*, *Sphæritæ*, & *Savillo*, quæ sunt liborum species. Ejusmodi liba mellita, mensis sacris imposita, postea in usum Sacerdotum cedebant, qui aliquando vix alio pane utebantur. Vide *Aristophanis* locum allatum ad Exod. C. XXV, 23. cui adde *Horatii* hæc insignia hanc in rem verba, ex Ep. X. Lib. I.

Utque Sacerdotis fugitivus LIBA *recuso*,
Pane egeo, jam MELLITIS *potiore* PLACENTIS.

Sed & multum fuisse mellis usum in Sacris & mysteriis docet *Porphyrius* de Antro Nympharum. p. 219. Ed. Cantabr. Κέχρηνται δὲ τῷ μέλιτι

enim ullam oblationem igne absumendam cum fermento, aut melle Deo adolebitis.

12. Oblationem quidem primitiarum offeretis Jehovæ, sed altari in odorem placamenti non imponetur.

13. Omnem donarii tui *farrei* oblationem sale salies, neque donarium tuum *farreum* sale fœderis Dei tui condire desines, sed super omni tua oblatione salem offeres.

14. Si donarium primitiarum obtuleris Jehovæ, spicam igne tostam, contusamque viridem aristam offeres in donarium primitiarum tuarum. 15. Adfundes ei oleum, & thus impones; atque hoc erit donarium *farreum*. 16. Adolebit Sacerdos ex ejus odoramento, tritico, nempe, contuso & oleo, præter omne ejus thus; ut sit oblatio igne absumenda Jehovæ.

III. Ri-

12. Primitiæ mellis ad altare quidem adtolluntor, sed ne adolentor.

13. Nullam farream oblationem, sine sale, conficito, eoque ritu divini fœderis æternitas semper adumbrator.

14. Ex primitiis spicas aliquot tostas, alias virides & contusas offerto. 15. Oleum iis adfundito & thus imponito. 16. Sacerdos ob offerentibus acceptarum partem, cum integro thure, adoleto.

P A-

λέγουσι οἱ θεόλογοι αὐτῷ πολλὰ καὶ διάφορα σύμβολα, διὰ τὸ ἐκ πολλῶν αὐτὸ συνεστάναι δυνάμεων: *utuntur autem melle Theologi ad multa & varia symbola, quia pluribus facultatibus constat.* Vide sequentia. Si quæratur quare Deus placentis sibi oblatis mel admisceri noluerit, nulla alia de ratione factum videtur, quàm ut ritum Ethnicum oppugnaret; qui cùm esset apud Idololatras frequentissimus, sua Sacra sic ab eorum Sacris secerni voluit, ut existimabat *Moses Maimonides.* Vide Duct. Dub. P. III. c. 46. quem sequitur *Sam. Bochartus* in Hieroz. Part. 2. Lib. IV. c. 12. ubi multa hanc in rem. At *Joan. Spencero* de Leg. Rit. Lib. II. c. 9. Sect. I. incredibile videtur Deum quidquam in cultu suo, ex mero contradictionis studio, instituisse. Verùm non contradicebat, nulla alia de causa, nisi ut contradicere videretur, quod virum etiam sapientem dedeceret; sed ut variis contradictionibus, discrimen suorum & idololatricorum Sacrorum insignius redderet. At, inquit ille, si Deus ideò tantùm mel offerri sibi prohibuisset, quòd in Gentilium cærimoniis mel offerretur, pari ratione & thus & sal & oleum inter vetita posuisset. Sed satis erat nonnulla immutari, ut discriminarentur Sacra, nec populi indoles tulisset omnes ritus aboleri; quod sine dubio, si res in se spectetur, melius fuisset & θεοπρεπέστερον. Vide not ad Exodi Cap. XXVI, 33. Viri eruditi commenta longiùs arcessita, de hujus interdicti ratione, apud ipsum legentur.

12. *Oblationem primitiarum*] Nempe, mellis, cujus primitiæ sunt, ut optimè *Bochartus*, quod verno tempore primùm ex alvearibus colligitur. Idem ostendit omnibus ferè Diis melle esse libatum, quæ causa fuit, ut diximus, interdicendi ejus usûs in Sacris. Vid. 2. Par. XXXI, 5.

13. *Sale salies*] In descriptionibus sacrificiorum sollemnium, apud Ægyptios, quas habet *Herodotus* Lib. II. nulla mentio salis occurrit, quod non videtur omissurus fuisse, si adhibitus fuisset; cùm victimæ omnes apud Græcos, à temporibus usque Heroïcis, salirentur, ut mox ostendemus. Quin & *Plutarchus* Sympos. Lib. VI. Prob. 10. testatur τοὺς Αἰγυπτίους ἱερέας ἁγνεύοντας ἀπέχεσθαι τὸ παράπαν ἁλῶν, ὥστε καὶ τὸν ἄρτον ἄναλον προσφέρεσθαι, *Ægyptios Sacerdotes, qui mundi sunt, abstinere prorsus sale, ita ut & panis sine sale adponeretur.* Idem Lib VIII, Probl. 8. de sacerdotibus Ægyptiis: ἁγνεύοντες γὰρ καὶ τοὺς ἅλας φεύγουσιν, ὡς μήτε ὄψον προσφέρεσθαι μηδὲν ἅλεσι θαλασσίοις μεμιγμένον: *puritati studentes & ipsum salem fugiunt, ut ne ullum quidem obsonium apponatur sale marino mistum.* Hosce Idololatras intellexisse videtur *Maimonides* More Neb. P. III. p. 481. ubi dicit Deum *se Idololatris opponere, qui sale in sacrificiis suis non uterentur.*

Apud Græcos verò & Romanos, *maximè in sacris*, ut verbis utar *Plinii* Lib. XXXI. c. 7. Hist. Nat. *intelligebatur* SALIS *auctoritas; quando nulla*, inquit, *conficiuntur sine mola salsa.* Mola autem, ut docet Festus, *vocatur far tostum & sale sparsum, quòd eo molito hostiæ adspergerentur.* Sic *Homerus* Iliad. A. 449. postquàm dixit admotam altari Hecatombam, ita pergit in descriptione rituum sacrificii:

Χερνίψαντο δ' ἔπειτα καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.

Manus abluerunt, & fruges salsas sumserunt. Vide & vers. 458. *Eustathius* ad hunc Homeri locum: αἱ οὐλοχύται οὐλαὶ ἦσαν, τουτέστι κριθαὶ μετὰ ἁλῶν, ἃς ἐπέχεον τοῖς βωμοῖς, πρὸ τῆς ἱερουργίας: *Ulochytæ, hordea erant sali admista, quæ effundebant in aram ante sacrificium.* Videntur etiam in caput victimæ, ut postea Romani, molam salsam sparsisse. *Dionysius Halicarnass.* Lib. VII. p. 478. ubi Romana Sacra cum Græcis confert, habet primùm, de Romanis: Δήμητρος καρποὺς ἐπιρράναντες αὐτῶν (ἱερῶν) ταῖς κεφαλαῖς, ἔπειτα κατευξάμενοι θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον: *postquàm Cereales fructus victimarum capitibus adsperserant, tum etiam preces fuderant, ministros jubebant eas mactare.* Deinde addit: ἕκαστα δ' ὅτι κατὰ νόμους ἐγίνετο τῆς ἀμφὶ θυσίαν ὑφ' Ἑλλήνων καταστάθεντας, ἐκ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως γνῶναι ῥᾴδιον: *singula fuisse secundùm ritus sacrificiorum à Græcis institutos, ex Poësi Homerica facilè cognoscere possumus.* Tum adfert Homeri versum adlatum.

Si quæramus quare salem cum farina miscerent; respondet *Eustathius*, loco laudato, antiquissimum victum voluisse homines ita adumbrare. Ac sanè cùm sacrificia fierent, ut agnoscerent homines se Numini debere ea quibus victitarent, non modò carnes, aut farinam,

aut

III. *Ritus Salutarium Sacrorum.*

1. SI cujus oblatio sit victima salutaris, atque ex bubus obtulerit, seu masculus sit, sive fœmina, integram *victimam* coram Jehova offeret. 2. Manum nitens capiti oblationis suæ imponet, eámque mactabit ad ostium tentorii conventûs; at filii Aharonis sacerdotes sanguine altare circumquaque adspergent. CAPUT III.

3. Tum ex hostia salutari offeret Jehovæ igne absumendum adipem, qui tegit intestina, & quidquid pinguedinis est super intestinis; 4. duos item renes, adipémque qui iis & lumbis adhæret; maximum *denique* jecinoris lobum, unà cum renibus, amovebit; 5. eáque filii Aharonis, in altari, super victima lignis supra ignem *structis imposita*, adolebunt *ut sit* oblatio igne absumenda, in odorem placamenti Jehovæ.

6. Si

PARAPHRASIS.

1. SI victima salutaris ex bucero genere offeratur, nihil interest másne sit an fœmella, modò ne ullo vitio contaminata sit. 2. Offerens manum ejus capiti imponito, ad ostium Tabernaculi eam ipse, si velit, jugulato; at Sacerdotes soli sanguine ejus altare adspergunto.

3. Deinde omentum & adipem omnem intestina tegentem, 4. duos renes & adipem iis & lumbis adhærentem, maximum denique jecinoris lobum prosecanto, 5. & in altaris igne adolento, quò placetur offerenti Numen.

6. *ad*6. Si

aut liba, sed salem etiam offerebant; sine quo vivere vix possumus, & quo cibi omnes, si fructus excipias, condiuntur.

Sale fœderis] Quòd in fœdere contrahendo adhiberetur, unà cum sacrificiis. Hinc dicitur ברית מלח brith melahh *fœdus salis*, inversâ vocum structurâ, quod sale adhibito percussum fuit, Num. XVII, 19.

14. *Si donarium*] Vel, *quando donarium offeres*, nam ita etiam potest verti כי *chi*.

Primitiarum] De primitiis dicemus ad Cap. XXIII. ubi datâ operâ hac de re agit Legislator.

Spicam igne tostam] Simile institutum fuit Numæ, ut diximus ad vers. 4. Adde hæc *Ovidii* verba ex Fast. II.

Primitias Cereri farra resecta dabant.
Usibus admoniti flammis torrenda dedere.

Contusam viridem aristam] גרש כרמל geresch charmel, *contusionem aristæ viridis* LXX. Intt. verterunt χίδρα ἐρικτὰ, quos sequuti sumus. De voce χίδρα vide *Is. Casaubonum* ad Athenæum Lib. XIV. c. 15. Videtur hæc esse imago antiquissimi cibi, cùm homines panem nondum pinserent; aristas, nimirum, virentes contusas comedebant, deinde easdem torrere didicerunt. Atque hinc etiam polentam & pultem faciebant, ante Inventum panis usum. Qua de re vide *Plinium* Lib. XVIII, c. 7. & quæ infrà dicemus ad Cap. XXIII, vers. 14.

15. *Hoc erit donarium farreum*] Hoc est, species donarii farris.

16. *Odoramento*] Vide ad vers. 2.

Tritico contuso] מגרשה miggirschah *ex contusione ejus.*

COMMENTARIUS

In CAPUT III.

1. VIctima salutaris] זבח שלמים *zebahh schlamim*, hoc est, victima salutum. Vide not. ad Exod. C. XX, 24.

2. *Sive fœmina*] Hoc primum discrimen inter hæc sacrificia & holocausta, in quibus marem necessariò mactari oportebat, Cap. I, 3. Abit hac in re Moses ab Ægyptiorum moribus, quibus fœmellas, ex bucero genere, immolare nefas fuisse docuimus ex *Herodoto* ad Exod. XII, 5. cujus verba sequuntur ea quæ adtulimus: ἀλλὰ ἱραί εἰσι, τὸ Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον βούκερών ἐστι, κατάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι, καὶ τὰς βοῦς τὰς θηλέας Αἰγύπτιοι πάντες ὁμοίως σέβονται προβάτων πάντων μάλιστα μακρῷ: *sunt enim sacræ Isidis, nam Isidis simulacrum muliebre cùm sit, cornua habet bovis, quemadmodum Græci Ionem pingunt; & boves fæminas Ægyptii omnes ex æquo colunt, multò plus quàm oves.* Fortè huc respicit Moses, Exod. VIII, 26. Hæc animalia ait *Josephus* Lib. III. c. IX, 2. admissa fuisse τῶν ἐνιαυσίων πρεσβύτερα, *unniculis majora.*

Manum nitens] Vide not. ad Exod. C. XXIX, vers. 11.

3. *Adipem qui tegit* &c. Vide ad vers. 9. Sic Ægyptios, cùm suem mactabunt Lunæ, factitare solitos docet *Herodotus* Lib. II. c. 47. Ἐπεὰν θύσῃ (ἱερεὺς) τὴν οὐρὴν ἄκρην, καὶ τὸν σπλῆνα, καὶ τὸν ἐπίπλοον συνθεὶς ὁμοῦ, κατ' ὧν ἐκάλυψε πάσῃ τοῦ κτήνεος τῇ πιμελῇ τῇ περὶ τὴν νηδὺν γινομένῃ· καὶ ἔπειτα καταγίζει πυρί: *mactatâ sue, extremam ejus caudam, & lienem, & omentum simul componit, & omni adipe, qui circa alvum pecudis est, ea operit, deinde igne adolet.* Sic & antiquissimi Græci solebant, ut observavimus ad Cap. I, 8. Adde & hunc locum ex Odyss. Ξ, 427. ubi de sue, quem Eumæus mactabat:

Αἶψα δέ μιν διέχευαν· ὁ δ' ὠμοθετεῖτο συβώτης,
Πάντοθεν ἀρχόμενος μελέων ἐς πίονα δημόν.
Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε, παλύνας ἀλφίτου ἀκτῇ.

Statim autem eum diviserunt, cruda autem frusta imposuit subulcus, undique initio facto à membris in pinguem adipem, & hæc quidem in ignem porriciebat, commisto farinæ flore.

Pinguedo præstantissima pars pecudis habebatur, unde *pinguedo terræ* pro optima ejus parte

 Gen

6. Si cujus oblatio sit ex ovibus *aut* capris, in victimam salutarem Jehovæ; seu masculus sit, sive fœmella; integram *pecudem Jehovæ* offeret. 7. Si sit agnus, adducet suam oblationem, & coram Jehova admovebit. 8. Tum manum suam nitens imponet capiti oblationis suæ, eámque jugulabit ad anteriorem partem tentorii conventûs, & filii Aharonis sanguine ejus circumquaque altare adspergent.

9. Deinde offeret, è victima salutari, in oblationem igne absumendam Jehovæ, adipem ejus, caudam integram, quam ad coccygem amoverit, adipem tegentem intestina, & quidquid pinguedinis est super intestinis; 10. duos item renes, adipémque qui iis & lumbis adhæret; maximum *denique* jecinoris lobum, unà cum renibus amovebit; 11. eáque adolebit sacerdos in altari, *ut sit* cibus oblationis igne absumendæ Jehovæ.

12. Si verò oblatio sit è caprino genere, eam coram Jehova adducet, 13. manum capiti ejus nitens imponet, eam jugulabit ad anteriorem tentorii conventûs partem, & filii Aharonis sanguine ejus altare circumquaque adspergent. 14. Tum offeret ex ea oblationem suam igne absumendam Jehovæ, adipem, *nimirum*, tegentem intestina, & quidquid est pinguedinis super intestinis; 15. duos item renes, adipémque qui illis & lumbis adhæret, maximum denique jecinoris lobum, unà cum renibus amovebit; 16. eáque adolebit sacerdos in altari, cibum igne absumendum, in odorem placamenti, omnémque *adeò* adipem Jehovæ. 17. Institutum hoc sit in *futuras* ætates vestras, pérque omnes vestras habitationes in perpetuum *observandum*, ne ullum adipem, ullúmve sanguinem comedatis.

IV. Ri-

[a] *ad* 6. Si victima salutaris sit ex ovillo aut caprino genere, iidem ritus observantor.

[b] *ad* 11. Sed præter memoratos in juvenco artus, si sit agnus aut agna, pinguem ejus caudam, cum vicinis coccygis partibus, adoleto. Hoc veluti convivium sacrum quod Numini, ad pacem ejus implorandam, adponetur, esto.

[c] *ad* 16. Si verò sit hircus aut capra, iidem per omnia ritus, qui in juvenco, observantor. 17. Nullus victimarum adeps, nullusve sanguis à vobis comeditor, idque æternà lege, inter vos posteróśque vestros, sanctum esto.

F A-

Gen. XXVII, 29. *& adeps frumenti* pro eximio farre. Ps. LXXXI, 17. Ea de causa, ex victima, quæ tota non adolebatur, adeps saltem porriciebatur, ut Deo quàm maximus honor exhiberetur. Nisi Deus hæc & similia præcepisset, sæpe avaritià offerentium factum fuisset, ut vilissimæ victimæ partes ei oblatæ contemtum Religioni conciliarent; quod factum inter Ethnicos docet *Tertullianus*, in Apol. Cap. XIV. qui hoc illis exprobrat. *Enecta & tabidosa & scabiosa quæque mactatis; de opimis & integris supervacua quæque truncatis capitula, quæ domi quoque canibus vel pueris destinassetis.*

4. *Lumbis*] אשר על הכסלים *ascher hal bacchesalim*, qui est supra lumbos. LXX. Intt. ἐπὶ τῶν μηρίων, in femoribus, at Ps. XXXVIII, 7. ψόας verterunt, hoc est, *lumbos*. Ita etiam verterat *Symmachus*. *Hieronymus* hîc *ilia*, Job XV, 27. *latera*, & Ps. XXXVIII. *lumbos*. Ubique lumbos vertere debuerant, ut rectè judicavit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. 2. C. XLV. Primò enim liquet כסלים partes esse renibus proximas, ex verbis Mosis sæpe repetitis, *duos renes, adipémque qui iis & lumbis adhæret*. Secundò, partes esse adiposas ostendunt hæc eadem verba, & Job XV. Tertiò, ex loco Psalmi laudato, ubi eam partem Psaltes queritur *ardore impleri*, colligimus partem esse, quæ facilè exardescat. Quæ omnia lumbis conveniunt, ut vidit vir doctissimus, qui adiri poterit.

Maximum jecinoris lobum] היותרת על הכבד *hajjothereth hal hacchabed*, hoc est, λοβὸν τοῦ ἐπὶ τοῦ ἥπατος, ut habent LXX. Intt. quorum versionem defendit & exponit *Sam. Bochartus*, Hieroz. Part. I. Lib. 2. C. XLV. contra *Nic. Fullerum*. יתר *jathar* est *abundare & superesse*, unde formatum יותרת *jothereth*, est is lobus jecinoris, qui ceteris major est. Sic Arabes vocarunt hunc lobum זאידה *zaida*, hoc est, *exuberantiam*, quòd sit omnium maximus. Frustra objicitur, ut rectè idem animadvertit, lobos subesse jecinori, cùm יותרת à Mose describatur על הכבד *supra jecur*, quod reddendum putat *ad jecur*, non *supra jecur*. Malim ego על הכבד interpretari *jecinoris*, ut על idem valeat ac ל, perinde ac si scriptum esset יותרת לכבד. Vide Gen. II, 16. Esth. III, 9. Esai. LIII, 1. Infrà Cap. IX, 10. pro על est מן *lobus ex jecinore*, & vers. 19. est יתרת הכבד *lobus jecinoris*.

Una cum renibus] על הכליות *hal hacchlajoth*, quod posset etiam verti *præter renes*, quod eodem recidit. *Josephus* Lib. III. Ant. Jud. c. IX, 2. ubi describit has victimas: τοὺς δὲ νεφροὺς καὶ τὸν ἐπίπλουν καὶ πάντα τὰ πιμελῆ σὺν τῷ λοβῷ τοῦ ἥπατος, καὶ σὺν αὐτοῖς τὴν οὐρὰν τοῦ ἀρνὸς ἐπιφέρουσι τῷ βωμῷ· *renes verò & omentum & omnem adipem, cum lobo jecinoris, & cum iis caudam agni imponunt altari.* Sic & in sequentibus.

5. *Victima*] Est quidem hîc עלה *holah*, quæ vox propriè holocaustum significat, ut liquet ex Cap. I. sed hoc loco *victimam*, etiam salutarem, sonat. Vide not. ad Gen. VIII, 20.

Supra ignem] Addunt Samaritæ אשר על המזבח ut LXX. Intt. ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, *super altari*.

8. *Ad anteriorem partem*] לפני אהל *ad facies tabernaculi*.

9. *Caudam integram*] Reliquorum animalium cauda זנב *zanab* dicitur; sed, ubi sermo est de ovillo genere, est אליה *aljah* quâ voce non

IV. Ritus sacrificii pro peccato errore admisso.

1. ALLOQUUTUS est etiam Jehova Mosem his verbis: 2. Alloquere Israëlitas, dicens: Cùm aliquis per errorem deliquerit & unum ex iis omnibus, quæ præceptis suis fieri vetuit Jehova, commiserit, *victimâ delictum expiabit.* 3. Si sacerdos unctus peccaverit, aut populum ad delinquendum adduxerit; pro peccato quod admiserit, offeret juvencum integrum Jehovæ, in victimam pro peccato. 4. Eum juvencum ad ostium tentorii conventus coram Jehova adducet, capiti ejus manum nitens imponet, eúmque coram Jehova jugulabit. 5. Tum sacerdos unctus aliquantum ex sanguine juvenci sumet, id tentorio conventûs inferet, 6. in sanguinem digitum merget, cúmque septem vicibus, coram Jehova, è regione veli sacrarii, adsperget. 7. *Idem* ille sacerdos eo sanguine oblinet cornua altaris suffitûs aromatum, quod — CAPUT IV.

PARAPHRASIS.

1. DE peccatis per errorem admissis, has leges Israelitis ferre Mosem jussit Deus: 2. Si quis per errorem quidpiam eorum commiserit, quæ fieri vetuit Deus, victimâ delictum expiato. 3. Si Pontifex Maximus erraverit, secumque populum in errorem traxerit, quo factum sit quidpiam quod à Deo vetitum fuerit, juvencum sine vitio pro peccato offerto. 4. Eum ad ostium Tabernaculi Conventûs adducito, manus ei imponito, & coram Jehova jugulato. 5. Dein aliquantum ex ejus sanguine, vasculo exceptum, in Tabernaculum ferto; 6. sanguinem digito immerso adhærentem septies, versus Adyti siparium, adspergito, 7. cornuáque altaris suffituum eo oblinito; reliquum verò san-

non significari caudam, qualem habent in Europa oves, sed crassam & longam & quæ plostello sustentatur, conjecit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. 2. C. XLV. Ac sanè Arabicâ linguâ, & Syriacâ ita vocantur ejusmodi caudæ, quales in Syria, & vicinis regionibus ovibus esse multis Veterum & Recentiorum testimoniis ostendit Idem vir summus, qui adiri poterit. LXX. Intt. verterunt tamen *ὀσφὺν lumbum*, sed ceteri habebant *κέρκον*, ut Vulg. *caudam.*

Coccygem] לעמת העצה *lhummath hehatseh.* Primùm לעמת vertimus *ad*, seu *propè*, deinde העצה *coccygem*, quæ est pars caudæ proxima, qualis hìc intelligatur necesse est. Ac sanè apud Arabas עצעץ, duplicatis radicalibus, hoc ipsum significat, ut idem vir doctissimus ostendit. Nos quoque ejusmodi ovem, ex Asia adlatam, vidimus.

Adipem tegentem intestina] Intelligit Moses *omentum*, quod Græcis *ἐπίπλοον*, & definitur *πιμελώδης ὑμὴν ἐπὶ τῆς κοιλίας καὶ τῶν ἐντέρων* : *adiposa membrana supra ventrem & intestina*, ut docet *Hesychius*. In sacris quibusdam Ægyptiacis, adoleri solitum ostendimus ad vers. 3. ex *Herodoto*. Sic & apud alias Gentes factitatum olim fuisse pluribus probavit *Bochartus*, Capite aliquoties laudato.

Quidquid pinguedinis est] Intelligitur reliquus adeps, qui adhæret Intestinis.

11. *Cibus*] לחם *lehhem*, quod propriè *panis.* Apud Ethnicos, sacrificia habebantur quasi convivia Deorum. Vide not. ad Exod. XX, 24. Hinc factum etiam, ut videtur, ut Moses sacrificia quasi *cibum* Dei, *κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν* vocet. Vide & Num. XXVIII, 2. Ezek. XLIV, 7. At LXX. Intt. qui verebantur ne Ethnici exprobrarent Judæis quod Judæi illis exprobrare solebant, nempe, Deum *ἀνθρωποφυῆ* describi à Sacris Scriptoribus, verterunt *ὀσμὴν εὐωδίας*. Simili prudentia alibi etiam usi sunt. *Hieronymus* ad ignem retulit, vertitque *pabulum ignis.* Sed obstant loca laudata, in quibus Deus loquens inducitur, & vocans victimæ partes adolendas לחמי *panem meum.*

12. *E caprino genere*] עז hez, *capra*, sed hæc vox totum genus significat, & æquè masculos ac fœmellas.

13. *Manum capiti ejus*] Vide not. ad Exod. Cap. XXXIX, 11.

Aharonis] Addunt Samaritæ הכהנים, ut LXX. *οἱ ἱερεῖς sacerdotes.*

16. *Placamenti*] Addunt Samaritæ ליהוה, ut LXX. *τῷ κυρίῳ domino.*

17. *Ne ullum adipem*] Nempe, bestiarum quæ immolatæ fuerant, nusquam enim omnis omnino adeps vetatur, quemadmodum omnis sanguis. Vide Cap. VII, 23, 25. & confer cum Deut. XXXII, 13, 14. Frustra se torquent Rabbini, in hoc præcepto exponendo; quasi omnis adeps ovilli, bucceri, & caprini generis vetetur. Sæpissimè *universalibus* vocibus, ut Dialectici loquuntur, conceptæ *enunciationes* sunt de singulari quadam re intelligendæ, in hisce libris. Vide not. ad Cap. XXIII, 18. Non est hìc Systema quodpiam Legum, ita conceptum ut nusquam idem repetatur, útque planè dicatur uno in loco quod ad quemque ritum pertinet. Scatent hi libri repetitionibus, & omissionibus, nec nisi magno labore potuit à Magistris accuratum Systema Legum colligi; imò verò infinita necesse habuerunt passim supplere, & loqutiones parum accuratas dextrâ interpretatione juvare.

COMMENTARIUS

In CAPUT IV.

2. PEr errorem] בשגגה bischgahah, LXX. Intt. habent *ἀκουσίως non sponte*, quia quæ à nobis ita committuntur, ut si sciremus vetita esse, nullâ ratione ea ut committeremus adduci possemus, ab invitis fieri meritò censentur. *Aquila* verterat *ἐν ἀγνοίᾳ*, ut Vulg. *per ignorantiam.* Sed cum שגג sit *errare*, maluimus ver-

quod *est* coram Jehova, in tentorio conventûs ; *reliquum* verò omnem sanguinem ju-
venci, ad basin altaris holocautomatis, quod *est* ad ostium tabernaculi conventûs, ef-
fundet. 8. Tum omnem adipem juvenci, pro peccato jugulati, ex eo separabit, adi-
pem intestina tegentem, & quidquid est pinguedinis super intestinis ; 9. duos item re-
nes, adipémque illis & lumbis adhærentem, maximum denique lobum jecinoris amo-
vebit ; 10. quemadmodum separari ea oportet ex bove salutari victima; ac *tandem* in
altari holocautomatis ea adolebit sacerdos. 11. Postea pellem juvenci, omnem ejus
carnem, caput, crura, intestina, stercus, 12. ac totum *reliquum* juvencum auferet
extra castra, in locum purum, in quem effundentur cineres *sacrorum*, eúmque lignis
igni impositis comburet ; atque *ita semper* ad locum , in quem cineres effundentur ,
comburetur *is juvencus.*

13. Si verò congregatio omnis Israëlis errore deliquerit, résque cœtum fugerit, &
unum commiserit ex iis omnibus, quæ præceptis suis fieri vetuit Jehova, ac peccarit ;
14. delicto quod admiserint postea innotescente, cœtus offeret juvencum in victimam
pro peccato, eúmque ad anteriorem partem tentorii conventûs adducet. 15. Tum
juvenci capiti manus nitentes imponent seniores congregationis coram Jehova, & co-
ram Jehova *quispiam* eum jugulabit. 16. Sacerdos verò unctus ex sanguine juvenci ali-
quantum tentorio conventûs inferet, 17. immergétque digitum in sanguinem, & cum
septem

sanguinem, ad basin altaris holocautomatis, effun-
dito. 8. 9. 10. Circa partes adolendas eosdem ri-
tus, ac in salutari juvenco offerendo , observato ;
11. sed victimæ hujus pellem & reliquos omnes ar-
tus, cum intestinis & stercore, 12. castris efferto,
& in loco puro , in quem cineres sacrorum effusi
fuerint, cremato.
13. Si vero totus populus in errorem inciderit,
quo divina lex ab imprudentibus violata sit, 14. mo-
nitus juvencum , pro peccato offerendum, ad ostium
Tabernaculi adducito ; 15. aliquot ex honoratissi-
mis senibus capiti ejus manum imponunto, & il-
lic jugulator. 16. Pontifex verò Maximus aliquan-
tum ex ejus sanguine Tentorio inferto , 17. im-
mersóque in eum digito septies Sacrarii pavimen-
tum, ad velum Adyti, adspergito. 18. Tum alta-
ris

vertere *per errorem*, qui tamen semper est cum ignorantia conjunctus. Vide infrà vers. 16,22,27. & Cap. V, 17, 18. Adparet autem ex vers. 3. hîc esse sermonem de ignorantia *juris* , non de ignorantia *facti.*

Et unum ex iis omnibus &c.] *Ex omnibus præceptis Jehovæ , quæ non fient , & fecerit ex uno ex illis* , hoc est , vetitum quidpiam admiserit. Hinc divisio Rabbinica præceptorum in ea quæ vocant תעשה *facies* , & לא תעשה *non facies* ; quæ commodiùs *adfirmativa* & *negativa* dici solent.

Victimâ delictum expiabit] Hoc subaudiri sequentia manifestò ostendunt, & nisi suppleatur, suspensa veluti hæret Periodus , quod Latinæ aures ferre non possent. Itaque συστροφὴν seu ἀπόδοσιν Periodi supplevimus. Vide notata ad Gen. XXX , 27. Non possunt ultima verba vers. 3. haberi quasi συστροφὴ Periodi , quia non ad omnes , sed tantùm ad Pontificem Maximum pertinent. Ante omnia dicit Legislator omnium peccata per errorem commissa posse & oportere expiari , certâ victimâ , & certis ritibus ; tum quid singulis faciendum sit , docet.

3. *Sacerdos unctus*] Hoc est, Pontifex Maximus , qui inungebatur, cùm munus auspicaretur , nam reliquorum Majores dumtaxat inuncti sunt. Vide infrà Cap. XVI, 32. XXI, 10.

Ad delinquendum adduxerit] לאשמת העם leaschmath haham , *in peccatum populi* , τοῦ τὸν λαὸν ἁμαρτεῖν , ut habent LXX. Intt. aliquid , nempe , docuerit , aut fecerit per errorem , quod populus sequutus similiter peccaverit.

Juvencum] פר בן בקר *phar ben bakar* , juvencum filium bovis , quod passim occurrit , redundantiâ quâdam Hebraïcâ , ut hædus dicitur *filius caprorum*, asinus *filius asinarum*. Itaque vertere neglegimus. LXX. habent μόσχον ἐκ βοῶν. Vulg. simpliciter *vitulum.*

4. *Capiti ejus*] *Capiti juvenci*, quæ vox loco pronominis tertiùm, in sequentibus verbis, repetitur. De impositione manûs vide not. ad Exod. XXIX, 11.

5. *Unctus*] Addunt Samaritæ: אשר מלאות ידו *qui implevit manum suam* , ὁ τετελειωμένος τὰς χεῖρας , ut habent LXX. Intt.

6. *Septem vicibus*] De numero septenario in Sacris, vide quæ conjecimus, in not. ad Exod. Cap. XXIX, 29. Addunt Samaritæ hîc באצבעו *digito suo.* Adspersio sanguinis victimæ , & inunctio cornuum altaris suffitûs, quæ peculiares erant sacrificiis hisce , idem significasse videntur , ac reliqui sanguinis ad altare holocautomatum adspersio. Cùm Pontifex Maximus, impositione manuum, agnoverat eam victimam suo loco mactari ; adspersione sanguinis, significabat eum sanguinem sui loco effundi. Cùm autem errore suo causa aliis peccandi fuisset , non aliter errorem expiabat, quàm in ipso Sanctuario alium sanguinem effundendo ; quo significabatur , quò propiores Deo videbantur Sacerdotes , eò accuratiùs in peccatum prolapsos ei satisfacere oportere. Qui in Sanctuarium sæpe ingrediebatur , eum in ipso Sanctuario satisfacere oportuit ; cùm alios satis esset foris in Atrio peccatum agnoscere , & expiare.

7. *Reliquum verò*] Supplendum est נשאר nischar , *reliquum* , quod exprimitur Cap. V, 9. nam omnis absolutè non potest dici, cujus particula aliqua in Sanctuario adspersa fuit. Vide vers. 12. Totus sanguis in Sanctuario non fuit effusus, ut videtur, quòd Sanctuarium nimiùm fœdasset tanta sanguinis copia.

8. *Pro peccato jugulati*] *Juvenci peccati.*

10. *Se-*

septem vicibus, coram Jehova, ad velum adsperget. [18] Deinde sanguine cornua altaris, quod *est* coram Jehova, in tentorio conventûs oblinet, *reliquúmque* omnem sanguinem ad basin altaris holocausti, quod *est* ad ostium tabernaculi conventûs, effundet. [19] Tum omnem ejus adipem separabit, atque in altari adolebit. [20] Ita se geret circa hunc juvencum, quemadmodum circa eum, qui pro *ejus* peccato offeretur. Sic *ergo* circa hunc se geret sacerdos, eósque expiabit, & veniam consequentur. [21] Auferet etiam hunc juvencum, extra castra, eum ut priorem comburet; atque hæc est victima pro peccato cœtûs.

[22] Quod si vir princeps peccaverit, commiserítque per errorem unum ex iis omnibus, quæ præceptis suis fieri vetuit Jehova Deus ejus, & deliquerit; [23] postquàm innotuerit ei peccatum quod commisit, hircum masculum & integrum adducet *in* oblationem suam. [24] Manum suam capiti hirci nitens imponet, eúmque jugulabit in loco, in quo oportet holocaustum mactari, coram Jehova; hæc pro delicto victima *erit*. [25] Tum sacerdos digito aliquantum ex sanguine hujus victimæ pro peccato sumet, eo cornua altaris holocautomatis oblinet, & *reliquum* sanguinem ad ejus altaris basin effundet. [26] Omnem verò adipem, haud secus ac adipem victimæ salutaris, in altari adolebit; hominis peccatum expiabit sacerdos, isque veniam consequetur.

[27] At

ris suffitûs cornua eo oblinito, & reliquum omnem sanguinem ad alterius altaris basin effundito. [19] Denique omnem victimæ adipem, à carne separatum, adoleto. [20] [21] Idem in hoc juvenco mactando atque extra castra comburendo, ritus observator, qui observandus in juvenco pro Pontificis Maximi peccato mactato.

[22] Si quis ex principibus Israëlitarum vetitum quidpiam admiserit, per errorem, [23] monitus hircum sine vitio ad altare ducito, [24] & pro more manus ei imponito, ac loco solito mactato. [25] Sacerdos verò sanguine victimæ illinito cornua altaris holocautomatum, & reliquum ad ejusdem basin effundito. [26] Adipem ejus, non aliter ac adipem salutaris hostiæ, adoleto, atque ita rei culpam expiato.

[27] Si

10. *Separari ea oportet*] יורם jonram, *separabuntur*, sed ea est vis futuri. Vide not. ad Gen. XX, 9.

12. *Auferet*] הוציא *faciet exire*. Samaritæ in plurali והוציאו, & LXX. καὶ ἐξοίσουσι. Ita & verbum sequens.

Reliquum] Vide not. ad vers. 7.

In quem effundetur] אל שפך el schephech, *ad effusionem*, quod posset etiam intelligi de cumulo cinerum.

Lignis igni impositis] *Super lignis in igne.*

13. *Résque cœtum fugerit*] *Occulta fuerit ab oculis cœtûs.* Duplex potest esse horum verborum sententia. Nam potuit peccatum committi incogitantiâ, quod moniti illico peccatum esse faterentur; aut id fieri, quod peccatúmne esset ignorarent, & moniti non agnoscerent, nisi lege demonstraretur.

Unum commiserit ex iis] Eadem est phrasis ac suprà vers. 3.

14. *Delicto innotescente*] ונודעה החטאת venodebah habbatath. Seu moniti intelligant peccatum esse, quod non crediderant; seu animadvertant se imprudentes id commisisse, quod peccatum esse norant. Voci בקר subjiciunt Samaritæ תמים, hoc est, ut habent etiam LXX. Intt. ἄμωμον, *sine vitio.*

In victimam pro peccato] לחטאת lhbatath, ut suprà.

15. *Seniores congregationis*] Aut magistratus, aut viri ætate reverendi. Vide not. ad Exod. Cap. III, 16.

Quispiam] Posset subaudiri etiam *sacerdos*, sed mactatio cujusvis fuit.

16. *Sacerdos unctus*] Pontifex Maximus, vid. not. ad Exod. C. XL, 15.

17. *Velum*] Addunt Samaritæ הקדש hakkodesch, *Sanctuarii*, τοῦ ἁγίου, ut habent LXX. Intt.

18. *Altaris quod est.*] Interponunt Samaritæ קטרת סמים *suffitûs aromatum.* LXX. Intt. habent θυμιαμάτων τῆς συνθέσεως.

20. *Veniam consequentur*] נסלח להם nislahh lahem, *condonabitur illis*, ἀφεθήσεται αὐτοῖς ἡ ἁμαρτία, ut habent LXX. Intt. Si qui moniti cognoverant se legem violasse, aut imprudenter à se delictum esse aliter animadverterant, nullo piaculo indigere se putassent; facilè factum fuisset ut paullatim omnes leges neglexissent, aut earum cognitionem insuper habuissent. Itaque ut legum cognoscendarum & observandarum studium in Hebræis Deus aleret, mulctam etiam ignorantiâ aut imprudenter peccantibus imposuerat. Præterea observandum peccata hîc intelligi, in rebus ritualibus, aliisque quæ neque capitis supplicio sancitæ fuerant, & facilè poterant ignorari, aut non animadverti. Si quis enim dixisset, exempli causâ, se nescivisse homicidium, aut adulterium illicita esse, vel non licuisse idola statuere, & colere; non fuisset admissa excusatio ignorantiæ, in rebus manifestis, & quotidianâ institutione ac experientiâ ab infantia cognoscendis. Itaque ejusmodi peccata nullâ ratione expiari poterant, ut dicemus ad Cap. Num. XV. Possunt huc referri plurima, quæ habent Jurisconsulti Romani, de *ignorantia juris & facti*, Dig. Lib. XXII, Tit. 6.

22. *Vir princeps*] נשיא naschi; est à נשא *sustulit*, significátque quemvis dignitate ceteris sublimiorem, quasi esset supra alios נשוי naschoui, elatus. Vide Exod. XVI, 22. Num. XVI, 2. Ezek. XXXIV, 24.

22. *Quod si*] אשר ascher, hoc est, *si*, aut *quod si.* Vid. C. III, 27. & Deut. XI, 27.

Quæ præceptis suis &c.] Ut sup. verss. 2. & 13.

23. *Postquàm innotuerit*] או הודע *o hodah.*

 Alii

27. At si quis, ex *viliore* terræ populo, per errorem, peccarit, admisso uno ex iis, quæ præceptis suis fieri vetuit Jehova, & deliquerit; 28. cùm innotuerit ei peccatum quod admisit, tum adducet oblationem suam, capram fœminam integram, pro peccato quod admisit. 29. Manum suam nitens imponet victimæ pro peccato, eámque in holocautomatis loco jugulabit. 30. Ex sanguine verò ejus aliquantum sumet sacerdos digito suo, cornuáque altaris holocautomatis eo oblinet, & *reliquum* omnem sanguinem ad basin ejus ejus effundet. 31. Adipem etiam omnem ejus amovebit, quemadmodum ex salutari victima amovetur, eum in altari, *ut sit* in odorem placamenti Jehovæ adolebit; hominem sacerdos expiabit, & *hoc* illi condonabitur.

32. Si verò ex agnino genere adducat oblationem suam pro peccato, fœminam integram adducet. 33. Manum etiam nitens capiti hujus victimæ pro delicto imponet, eámque mactabit pro peccato, in loco in quo holocautoma mactari solebit. 34. Tum sacerdos aliquantum ex ejus sanguine sumet digito, eo altaris holocautomatis cornua oblinet, omnémque ejus *reliquum* sanguinem ad basin altaris effundet. 35. Omnem quoque adipem amovebit, quemadmodum amoveri oportet adipem agni victimæ salutatis, eúmque adolebit sacerdos in altari, *ut sit* oblatio igne absumenda Jehovæ; & expiabit hominem sacerdos, ob peccatum quod admisit, atque illi condonabitur.

V. Pœna

27. Si privatus per errorem peccarit, 28. *ad* 31. monitus capellam sine vitio ad altare ducito, pro peccato suo offerendam; iisdémque ritibus eam capellam sacerdos offerto, & hominem expiato.

32. *ad* 35. Pro capra agnam, si ita reus malit; offerre liceto, eáque iisdem ritibus mactator.

P A-

Alii particulam או vertunt *&*, quod eumdem seosum parit. *Aut* certè verti non potest. Si constaret hanc esse perpetuam particulæ potestatem, legendum esset אם, im *si*, cui lectioni Codices omnes adversantur, hìc & vers. 28. Vide *Christian. Noldium*, in hac particula.

14. *In quo oportet holocaustum mactari*] *In quo* ישחט *mactabis*. Vide not. ad Cap. XX, 9. Genes. & vers. 33. Samaritæ habent ישחטו in plurali, & LXX. Intt. *σφάζουσι*, *mactant*.

27. *Si quos*] *Si anima una*.

Admisso uno] Ut versf. 2, 13, 22. Quater dicitur quod Latinè aut Græcè loquentes semel dixissent, pro more repetendi Hebræorum. Neque enim dixeris ἀκρίβειαν hanc esse in Legum stylo adhiberi solitam, cùm similia alibi non raró occurrant. Vide vel Num. C. I. & VII. Deinde si spectata fuisset hìc ἀκρίβεια, hoc quater repeti necesse non fuit, sed potiùs moneri legentes, quæ peccata potuerint, excusatione ignorantiæ admissâ, victimâ expiari, quod ad v. 20. observavimus. Voci מעם præfigunt Samaritæ מכל, hoc est, ἀπὸ παντὸς, ut habent LXX. Intt. & ut est in prioribus locis.

28. *Quod admisit*] Addunt Samaritæ עליו *balau*, contra præceptum, ut LXX. ἐν αὐτῇ.

Capram fœminam integram] שעירת עזים תמימה נקבה shehirath hizzim thmimah nkebah, *hircam* (si ita loqui liceret) *caprarum integram fœminam*. Hinc liquet fœmellas minore in pretio habitas, quàm masculos, ut observavimus ad Exod. Cap. XII, 5.

29. *In holocautomatis loco*] Habent Samaritæ pleniùs pro מקום *loco*, אשר ישחטו את העולה *ubi immolare solent holocaustum*, οὗ σφάζουσι τὰ ὁλοκαυτώματα, ut habent οἱ LXX.

33. *Mactari solebit*] *Mactabit*, ut suprà v. 24. & infrà v. 35.

35. *Amoveri oportet*] *Amovebitur*. Vide antecedentia.

Eúmque] אתם otham, *ea*, quamvis חלב in singulari antecesserit, quia intelligit Legislator plura membra quibus adeps adhærebat, qua de re ad Cap. III.

C O M-

V. Pœna ejus qui adjuratus à Judice dissimularat verum, aut mentitus erat. Ritus sacrificiorum oblatorum pro iis qui immundæ rei contactu polluti essent, aut qui temerè jurassent, aut qui rem Deo sacram detinuissent per errorem, aut qui Depositum vel rem amissam habere se falsò negassent.

1. CUM aliquis peccaverit, *quòd* andierit vocem adjurationis, *de re cujus* testis fuerit, *quam* viderit, aut sciverit, neque aperuerit, delicti pœnas feret. CAPUT V.

2. Quisquis tetigerit quamvis rem immundam, aut cadaver feræ immundæ, cadaver pecudis immundæ, cadaver reptilis immundi, quamvis hoc eum fugerit, immundus *tamen* est, & reus. 3. Quisquis etiam adtigerit hominem in immunditie *jacentem*, quacumque immunditie sit impuratus, cùm hoc eum fugeret, & postea rescivit, reus est.

4. Quisquis labiis jusjurandum temerè protulerit, seu ad nocendum, seu ad bene-

PARAPHRASIS.

1. SI quid contra Leges factum fuerit, Judices rei testes ad se vocanto, interpositóque Dei nomine verum dicere jubento. Quisquis verum tacuerit aut dissimularit, si res manifesta sit, capite pœnas luito.

2. 3. Si quis inscius tetigerit cadaver bestiæ immundæ, aut etiam hominem immundum, & se tamen quasi mundum gesserit; is, postquàm hoc resciverit, immundum se ab eo tempore fuisse, adeóque victimam pro peccato debere intelligito.

4. Quisquis temerè juràverit se aliquid facturum, quod

COMMENTARIUS

In Caput V.

1. C*Um aliquis* &c.] ונפש *& anima, cùm peccaverit.* Sic & in sequentibus.

Quod andierit] *Et andit* ושמעה. Sed illud ו est loco conjunctionis *quia*, aut ita deber verti, quasi diceret Moses: *cùm quis peccaverit andiendo vocem adjurationis — neque revelando quod sciverit* &c. ו sumitur non rarò αἰτιολογικῶς, ut Gen. XX, 3. 2. Sam. XII, 30. Vide *Chr. Noldium* ad hanc particulam, *num.* 50. Sumitur etiam frequentissimè ἐξηγητικῶς, aut præfigitur membro Periodi, quod additur majoris perspicuitatis causâ. Vide Gen. I, 26. Eodem pertiuent exempla, quæ habet *Ch. Noldius*, *num.* 38. ubi ostendit aliquando debere verti hanc particulam, *nempe*, *nimirum*, ut Num. XXXVI, 3. Deut. III, 25. Vide infrà v. 14. & Cap. VI, 2.

Vocem adjurationis] קול אלה *kol alah*, φωνὴν ὁρκισμοῦ, ut habent LXX. Intr. Volebat Deus nón modò juratos testes verum dicere, sed etiam interpellatos à Judice, per nominis sui adjurationem, id quod norant aperire. Ejusmodi adjurationis exempla habemus Num. V, 21. 1. Reg. XXII, 16. Matth. XXVI, 63. Ac sanè in re gravi, ubi verum cognosci interest, Judici interroganti dissimulari, aut taceri nequit, sine Societatis detrimento. Itaque perinde est, seu nos Judex adjuret, seu ipsi verba jurisjurandi proferamus. Idem existimabant Ethnici. Senex in Asinaria *Plauti* à servo adjuratus, Act. I. S. I. vers. 8.

Per Deum Fidium quæris, jurato mihi
Video necesse esse eloqui, quidquid roges;
Ita me obstinatè adgressus, ut non audeam
Profectò percunctanti, quin promam omnia.

Quin & ipsos Cacodæmonas cogebant Christiani Veteres profiteri qui essent Exorcismis. *Minucius Felix: Ipsis testibus esse eos Dæmonas, de se verum confitentibus credite; adjurati enim, per Deum verum & solum, inviti miseris corporibus inhorrescunt* &c. Eum locum Minutii expressit *Lactantius* Inst. Divin. Lib. II. c. 15.

Delicti pœnam feret] ונשא עונו *nevaschu havono.* עון *havon*, non modò peccatum, sed & pœnam peccati significat, ut 1. Sam. XXVIII, 10. *Juravit ei Saul per Jehovam dicens, vivit Jehova si tibi nulla pœna* (עון) *accidat, propter hanc rem.* In hac quoque phrasi, נשא עון *ferre iniquitatem*, quando de delinquentibus sermo est, omnino *pœnam peccati* sonat. Vide Exod. XXVIII, 43. & infrà XIX, 3. XX, 17. Significat autem Legislator eum, qui crimen ejusmodi admiserit, nullo piaculo resolvi posse; sed, ut perjurum & blasphemum, capitali supplicio adficiendum. Nulla hìc esse potuit ignorantia facti, nec quisquam tam impudens reperiri poterat; qui diceret se nescivisse illicitum esse mentiri, aut dissimulare veritatem adjurato per nomen Dei. Hoc enim Judex eum adjuratione ipsâ docebat. Igitur cùm neque ignorantiâ facti, neque ignorantiâ juris excusari posset, qui Judici adjuranti negabat se scire quod norat, aut contrarium proferebat; hoc peccatum inter ea haberi non potuit, quæ בשגגה *per errorem* committi à Legislatore dicuntur, sed fuit בזדון *per superbiam* admissum. Est autem Regula Juris Hebraïci כל שבזדונו כרת יש בשגגתו חטאת hoc est, *omni peccato per superbiam commisso exscidium, per ignorantiam sacrificium imponi.* Sacrificium de quo Moses vers. 5. refer-

 tur

nefaciendum, quacumque de re homines temerè loqui folent, idque cùm latuiffet cognoverit, unius ex illis reus eft.

5. Cùm autem aliquis unius horum reus erit, id in quo deliquerit fatebitur;
6. adducétque ad Jehovam victimam fuam pro noxa, ob peccatum quod admiferit, fœminam, nimirum, agnam vel capram, ut fit victima pro delicto; & ejus peccatum facerdos expiabit. 7. Sin verò ad manum non habuerit, quod fatis fit, ad agnam aut capellam comparandam, oblationem fuam pro noxa, eò quòd peccarit, adferet duos turtures, vel duos columbos Jehovæ, alterum in victimam pro pec-

quod poftea jurisjurandi oblitus non faciat, violatæ per errorem legis divinæ reus efto, reumque, fi jurisjurandi revocetur memoria, fe effe & victimam debere fcito.

5. Quicumque autem in ejufmodi peccatum, per errorem inciderit, ac poftea peccatum fuum cognoverit, is ante omnia ea in re peccaffe fe palam fatetor; 6. deinde ad Tentorium Conventûs agnam aut capram ad Sacerdotes ducito, pro delicto mactandam, Deique pacem impetrabit eo facrificio. 7. Sin verò nimiùm pauper fit, quàm ut agnam aut capram offerre queat, duos columbos,

tur tantùm ad peccata, quæ habentur verff. 2, 3, 4. in quibus eft errori locus. Falluntur ergo & Judæi & Chriftiani Interpretes, quicumque putant hîc fubaudiendum, nifi pœnitentiam egerit, & facrificium obtulerit; & eos falli etiam liquet ex fenfu phrafis ejufdem Cap. XIX, & XX. ubi fermo eft de peccatis, pro quibus nulla admittebantur facrificia.

Ceterùm cùm Legiflator luere pœnas vult hominem, qui adjuranti Judici mentitur; intelligendum, fi argui poffit mendacii, nam de ignotis fceleribus nullæ fumi poffunt pœnæ.

2. *Reus*] אשם *afchem*. Quamvis is fit nexus inter peccatum & pœnam peccati, ut peccaffe & pœnam debere pænè idem fint; attamen, fi rem probè introfpiciamus, pofterius prioris confequens eft, & animo ab eo diftingui poteft. Quod cùm ita fit, verbum אשם *afcham* & nomen אשם *afchem* videntur potiùs pofterius fignificare, quod loca expendenti liquebit. Itaque hîc vult Legiflator, qui tetigerunt res immundas, etiam infcii, nec tamen fe quafi immundos gefferunt, (Vide infrà Cap. XI, 24, 31. XV, 1. Num. XIX, 16) eos debere אשם, hoc eft, *facrificium pro delicto* quod ignorant. Hæc autem mulcta ideò videtur Hebræis impofita, ut ab immundorum contactu folicitiùs fibi caverent. Hîc debet fubaudiri ונודע לו venodah lo, *& innotefcet illi*, quod in fuperiore Capite habuimus; nam fruftra diceretur mulctam folvere debere, ob peccatum, quod ei & aliis ignotum femper futurum effet.

3. *Quifquis adtigerit hominem* &c.] Hæc verè erant intolerabile jugum, quod nec ejus ævi Hebræi, nec eorum pofteri umquam ferre potuerunt. Eâ enim ratione fæpe fieri potuit, ut nec conjux conjugi, nec liberi parentibus, nec parentes liberis neceffaria officia exhibere poffent, fine moleftia, cùm fe immundorum contactu impurarent. Infiniti poffunt hac in re fingi cafus, in quibus moleftiffima fuit illa impuritas, & quos quivis facilè comminifci poterit. Attamen hujus Legis, quæ fæpe repetitur, graves fine dubio Legiflatori erant caufæ, de quibus dicemus fuis locis. Interea, fi de re obfcura conjecturam proferre liceat, exiftimarim Legiflatoris animum non fuiffe, accuratiffimam horum omnium obfervationem exigere; fed tantùm religionem injicere animis Hebræorum, ut quàm diligentiffimè poffent hæc obfervarent, quia ea mediocriter faltem obfervari eorum intererat, ut ad Leges de munditie dicemus. Itaque hîc Legiflator videtur plus petere, ut minùs obtineat. Certè mihi vix ac ne vix quidem verifimile fieri poteft, eum qui Divortium, & Polygamiam toleraret, multò majora mala; neglectum immunditiei, quæ contactu contracta erat, rem naturâ fuâ ἀδιάφορον, tolerare non potuiffe. Quis credat ingentem moleftiam omnibus creari oportuiffe, propter immunditiem contractam contactu, exempli causâ, immundæ mulieris, & victimas à negligentibus has Leges feverè exactas; dum licebat impunè uxorem dimittere, & plures fimul habere, unde perturbatio Societatis non exigua oritur? Quis fibi perfuadeat populum, qui ne potiffima quidem capita moralium legum, maximo cum fructu fuo conjuncta, obfervabat, eò potuiffe adduci ut diligenter Leges de immunditie ad ufum quotidianum revocaret; quamvis non levis moleftia exantlanda effet, propter utilitatem fæpe leviffimam, & remotiffimam? Hæc qui majore otio abundant expendent, fi ita videatur; nos ad alia properamus.

3. *Hominem in immunditie*] *In immunditie hominis, ad omnem immunditiem ejus quâ immundus fuerit.*

Et poftea refcivit] Qui, nimirum, ut diximus, fe quafi mundum gefliffet, cùm fe impuratum effe, nefciret. Sermo eft de ignorantia facti.

4. *Jusjurandum temerè protulerit*] כי תשבע לבטא chi thitfchabah lebatthe, *cùm juraverit temere effutiendo.* LXX. Intt. nullo fenfu verterunt: ἡ ψυχὴ ἡ διαστέλλουσα τοῖς χείλεσι &c.

Homines temerè loqui folent] *Temerè loquetur homo.* Ea eft fignificatio futuri frequens. Facilè fieri potuit ut, in vehementiore adfectu, quifpiam juraret fe alteri malefacturum; aut, ut interpofito jurejurando, promitteret temerè quod dare non poffet; deinde jurisjurandi fui oblitus nihil eorum præftaret. Ad malum quidem quod adtinet, revocari jusjurandum debuit, fed propter temerè effufum, mulcta delinquenti meritò imponebatur. Si quid boni juratus quifpiam promiferat, quod præftare non poffet; mulctam quoque debuit, propter temerarium jurisjurandi ufum. Rabbini volunt etiam res prætetitas hîc refpici, ut fi quis juraret factum aut non factum effe quidpiam; fed obftant fequentia, ubi docet Legiflator de jurejuran-

peccato, alterum in holocaustum. [8] Hos ad sacerdotem adportabit, & priorem quidem offeret eum, qui erit victima pro peccato. Huic caput ungue elidet, è regione cervicis, neque tamen divellet. [9] Tum adsperget ex sanguine mactati pro peccato parietem altaris, & reliquum sanguinem ad ejus basin exprimet. Hæc *erit* victima pro peccato. [10] Altero verò holocaustum pro more faciet, peccatum quod homo admiserit expiabit sacerdos, atque ei condonabitur.

[11] Si nec ad manum habuerit, unde duos turtures aut columbos comparet, oblationem suam, quia deliquit, adferet decimam partem Ephæ similæ, quæ offeratur

bos, aut duos turtures ad sacerdotem feret; quorum alter quidem pro peccato, alter in holocautoma offertor. [8] Qui erit victima pro peccato, prior offertor, & huic quidem sacerdos caput ungue elidito, ita ut occidat avem, caput tamen à cervice ne divellito. [9] Ejus sanguinis parte altaris latera adspergito; alteram ad ejusdem basin effundito. [10] Alter verò columbus aut turtur, in holocautoma ritè adoletor. Atque ita peccata per errorem admissa expiantor.

[11] Si qui tamen peccavit ne duos quidem turtures aut columbos comparare possit, Gomerum si-

jurando agi, quod non præstari hominem fugiat. Vide Leg. 235. In *Jure Hebræorum Hottingeri.*

Cùm latuisset, cognoverit] Hoc est, temerè effusi jurisjurandi oblitus esset, ejúsque memoria revocaretur, quacumque ratione hoc fieret.

Unius ex illis reus est] Hoc est, mulctam debet, quòd fecit unum ex iis quæ fieri vetat Deus. Itaque post אשם לאחת מאלה *reus unius horum*, intelligendum quod sæpius occurrit Cap. IV. אשר לא תעשינה *quæ fieri non debent.* Vide & infrà vers. 17.

5. *Unius horum*] Non modò quæ versf. 2, 3 4. memorata sunt, sed omnium quæ committuntur בשגגה *per errorem*; ut liquet ex collatione horum verborum, cum Cap. IV, 27. & seqq.

Fatebitur] Seu ipse sponte suâ intelligat se peccasse, seu ab alio monitus, ante omnia profitebitur se id quod fieri non debuerat fecisse.

6. *Victimam pro noxa*] אשמו *aschamo*, ut intelligat Lector non esse in Textu חטאת *hhatath*; quamvis confundantur, pro Linguæ Hebraïcæ ambiguitate. Sed hac de re postea agemus. Addunt Samaritæ huic versui אשר חטא ונסלח לו, *quod peccavit, & condonabitur ei.* Sic LXX. Intt. ἧς ἥμαρτε καὶ ἀφεθήσεται αὐτῷ ἡ ἁμαρτία.

7. *Ad manum non habuerit quod satis est*] לא תגיע ידו די שה lo thaggiah jado de scheh, *non adtigerit manus ejus sufficientiam agnæ aut capellæ*; hoc est, adipisci non potuerit, seu non habeat.

8. *Ungue elidet*] מלק *malak.* Vide not. ad Cap. I, 15.

4. *Ejus basin*] *Altaris fundamentum.*

10. *Peccatum quod homo admiserit*] *Expiabit super ees sacerdos ob peccatum.*

11. *Decimam partem Ephæ*] Hoc est, Gomerum, ut docet Moses Exod. XVI, 36. Sunt circiter tres libræ farinæ, ut supputat *Ed. Bernardus* de Mens. Antiq. Lib. I. §. 26. Hanc autem, aut majores mulctas, pro ratione opum, ad Templum agebant, vel ferebant, cùm eò irent sollemnibus tribus festis, neque enim jubet Legislator illico mulctas solvi.

Neque oleum adfundet, neque thus] Ex duabus rationibus hujus Legis, quæ exstant apud *R. Levin Barcinonensem*, Leg. 129. apud Hottingerum, altera auditu digna est: חשש לחמלת העני שלא להטריחו יותר כדאי וגו, *commiseratione pauperis, ne prematur ultra id quod satis est, offerendo oleum.* Nam aliquantulum farinæ nemo fuit, qui non haberet. Quod vertimus *adfundet* est ישים jaschim *ponet*; sed illud magis proprium est. Samaritæ etiam habent יצק, hoc est, ἐπιχεεῖ *adfundet*, ut verterunt LXX. Intt.

12. *Plenum pugillum*] *Plenitudinem pugni sui*, מלא קמצו *mlo kumtse.*

Odoramentum] אזכרתה *azcharthah.* Vide not. ad Cap. II, 2.

In oblationem] על אשי *hal ischeh.* Hic על perinde est ac ל, idem enim intelligit Legislator, ac si dixisset לאשה *leischeh.* Hoc vertere omiserunt LXX. Intt & Vulgatus.

13. *Ex illorum uno*] Vide ad vers. 4.

Ut in donario farreo] Vide Levit. II, 3.

15. *Quicumque deliquerit*] *Anima cùm delictum deliquerit & peccaverit.* Vide ad vers. 1. de conjunctione ו.

In rebus Jehovæ sacris] מקדשי יי *mikkodsche jehovah*, ex sanctitatibus Jehovæ. Vide ad vers. seq.

Arietem integrum] Addit Moses מן הצאן *min hattson*, quod Latinè cùm exprimi non posset, neque necessarium esset sensui, omisimus. LXX. habent ἐκ τῶν προβάτων, quâ voce non minùs capræ significantur, quàm oves. Vulg. *de gregibus*, sed צאן non significat *greges.* Oporteret Mosem scripsisse מעדרים *mehedarim.*

Pro æstimatione tua] Ad Sacerdotem pertinebant omnes hujuscemodi æstimationes. Vide Cap. XXVII, 8, 12,

Pretii siclos] בכסף שקלים *bcheseph schkalim.* LXX. Intt. τιμῆς ἀργυρίου σίκλων. Hoc in loco gemina est difficultas, quarum altera hæc verba, altera æstimationem spectat. I. Ut ab hac incipiamus, quæritur quid sibi velit hîc æstimatio, cùm arietem reus offerre jubeatur. Certè pretium rei amissæ, aut surreptæ, jacturæ denique cujusvis æstimabatur, non pretium victimarum offerendarum, in quibus nihil præter integritatem postulabatur. Attamen ita hæc de æstimatione verba huic commati inserta sunt, ut ad nullam aliam referri queant, quàm ad victimam. Itaque hic esset nodus planè ἄλυτος, nisi suppleamus או *aut*, ante verba de æstimatione, ut hoc sibi velit Moses, qui id quod Sanctuario debebatur, per errorem, retinuisset, arietem eò adduceret, aut pecuniam

 pro

ratur pro peccato. Huic neque oleum adfundet, neque thus imponet, quia est oblatio pro peccato. 12. Hanc adferet ad sacerdotem, sacerdos verò plenum pugillum sumet, *ut sit* odoramentum ejus, útque id adoleat in altari in oblationem igne absumendam Jehovæ. Atque hæc *est* oblatio pro peccato. 13. Expiabit sacerdos peccatum hominis, quod ex illorum uno admiserit, illíque condonabitur, & erit *reliquum* sacerdoti, ut in donario *farreo*.

14. Mosem etiam alloquutus est Jehova, his verbis: 15. quicumque deliquerit, & per errorem in rebus Jehovæ sacris peccaverit, adducet ad Jehovam victimam suam pro noxa, arietem integrum, *aut* pro æstimatione tua pretii, siclos secundùm siclum

similæ, sine oleo & thure, offerto. 12. Ex hoc Gomero Sacerdos plenum pugillum in altari adoleto, idque oblatio pro peccato habetor. 13. Reliqua farina, ut in donariis omnibus farreis, Sacerdotis esto, & reus ita expiatus abito.

14. Deus hanc etiam legem de iis quæ, per errorem, Sacrario debita cùm fuissent, non forent persoluta, Mosem populo ferre jussit. 15. Quicumque quæ ad Sacrarium pertinebant nescius apud se retinuerit, arietem integrum ad Sacerdotem ducito; aut pecuniam in hostiam pro noxa minoris pretii, ex Sacerdotis æstimatione, adferto.

pro æstimatione Sacerdotis adferret, quâ alia minoris pretii victima emeretur. Nec rara est Ellipsis particulæ או *o*. Sic Deut. XVII, 1. *Non mactabis Jehovæ Deo tuo taurum, aut minutam pecudem, in qua fuerit* מום (או) כל דבר רע *vitium* (aut) *quævis res mala*. 1. Sam. XX, 12. מחר השלישית *cras aut perendie*, pro מחר או השלישית *cras aut perendie*. Vide *Chr. Noldium* ad hanc particulam, & infrà Cap. XII, 2. Similiter decimam, de qua Deut. XIV, 23. licuit pecuniâ permutare.

Scio esse, inter Hebræos & Christianos, qui velint sententiam Mosis esse arietem pretio debere æquare minimùm duos siclos; sed nulla exstat lex, ut dixi, quæ pretium victimis statuat. Satis fuit nullum iis inesse vitium. Præterea שקלים *duos siclos* interpretantur, sine exemplo.

II. כסף שקלים ita interpretamur ut כסף conjungamus cum בערכך *æstimatione tuâ*, pretii, nempe, rei quæ Deo consecrari debat, & quæ sola æstimari potuit. כסף *pretium* vertimus, ut Genes. XXIII, 13. & alibi. Sensus ergo est, qui non solvisset Sanctuario quod ei debebatur, eum debuisse adducere *arietem*, aut, pro æstimatione rei amissæ, *siclos* quibus emeretur victima. Addit autem Legislator בערכך *pro æstimatione tua*, quia potuisset fieri, ut res sacra tam exigui pretii interversa esset, ut propterea nulla deberetur victima; ut si quis decimarum partem, quæ quartam partem sicli non excederet, aut minoris etiam pretii esset, per errorem omisisset solvere, aut in simile delictum incidisset.

Alii volunt כסף שקלים dici pro שקלי כסף *siclis argenti*, nec desunt exempla hujusmodi Hypallages in aliis loquutionibus; sed cùm numquam in hac occurrat, nisi hoc loco, ubi alius sensus commodior est, non opus est ad Hypallagen confugere. Legimus quidem vocem כסף ante שקלים, sed eodem sensu quo vertimus, ut 2. Sam. XXIV. *Emit David aream & boves* בכסף שקלים חמישים *pretio siclorum quinquaginta*. Vide & Nehem. V, v. 15.

Rabbini volunt voce שקלים significari minimum *duos siclos*. Sic *R. Levi* ad Leg. 122. בשתי סלעים או יותר *duobus siclis aut ampliùs*. Quam in rem observat etiam *Hug. Grotius*, quia dualis numerus in paucis vocibus locum habet, apud Hebræos; ideò apud eos, ut apud alias Gentes, pluralem numerum duorum significatione contentum esse. Tum exempla subdit, ex Jure Romano. Vellem ex Hebræorum libris adduxisset, neque enim memini me usquam pluralem, hoc modo quo hîc esse dicitur, pro duali legere, nec Rabbini ullum locum proferunt. Hoc tamen jam olim à Magistro acceperat *Hieronymus*, qui habet: *qui emi potest duobus siclis*.

Secundùm siclum sacrarii &c.] De hac phrasi vide not. ad Exod. C. XXX, 13. & de pretio, pro victima, numerato, 2 Reg. XII, 16.

16. *Rem sacram, circa quam deliqueris*] את אשר חטא מן הקדש *quod peccavit è sanctitate*; hoc est exempli causâ, decimas, aut primitias, quas non solverit.

Quintam præterea partem] Si, exempli causâ, quinque Gomera fortè non solvisset, sex adferri ad Sacerdotem oportebat; additâ victimâ, si restanti Sacerdoti videretur; neque enim vel minimum peccatum, ut diximus, tantâ mulctâ adficiebatur.

Ariete pro noxa mactato] באיל האשם *beel haascham*, ariete victimâ pro noxa. Quamvis אשם & חטאת confundantur, attamen cùm nonnullæ victimæ אשמות *aschamoth* vocentur, aliæ quædam חטאות *hhataoth*, Magistri duo sacrificiorum genera constituunt, quæ his duobus nominibus distinguantur. Eorum placita hac de re collegit *Guil. Outramus* de Sacrific. Lib. I. Capp. XII, & XIII. Verùm re diligenter expensâ, facilè intelligere est divisionem hanc esse *nominis*, non *rei*, ut Dialectici loquuntur; præterquàm enim quòd in hoc ipso Capite, ut observavimus, manifestò confunduntur, natura ipsa Sacrorum diversa non fuit, quamvis חטאות & אשמות, pro varietate reorum, varia erant. Hoc in Cap. vss. 2, 3. sacrificio, ad quod victima חטאת vocata postulatur (quamquam & אשם dicitur vers. 5.) damnantur qui res immundas aut homines impuratos fortè adtigissent. Sic & Naziræis inopinato funere funestatis imponitur אשם, quod & חטאת dicitur Num. VI, 12. & seqq. Infrà Cap. XIV. leproso purgato imponitur אשם *victima pro noxa*, vers. 12. sed eadem victima dicitur חטאת, v. 19. Similia alibi animadvertere est, ideóque existimarim, quamvis חטאת & אשם sint ejusdem potestatis, attamen usu factum, ut quædam culpæ frequentiùs solerent אשמות *aschamoth* dici, aliæ verò

חטאות

siclum sacrarii, in hostiam pro noxa. 16. Tum restituet rem factam, circa quam deliquerit, & quintam præterea partem ei addet, dabitque sacerdoti. Sacerdos verò eum ariete, pro noxa *mactato*, expiabit, eique *hoc* condonabitur.

17. Quicumque peccaverit, & admiserit unum ex iis omnibus, quæ præceptis suis fieri vetuit Jehova, neque sciverit, reus tamen *erit*, & delicti pœnam feret 18. Adducet integrum arietem, pro æstimatione tua, ad sacerdotem, ut sit victima pro noxa. Tum ejus errorem expiabit sacerdos, erravit enim neque scivit, atque illi *hoc* dimittetur. Hæc *est* victima pro noxa, *quia* in Jehovam deliquerit.

1. His quoque verbis Mosem alloquutus est Jehova: 2. Quicumque peccaverit, & in Caput VI.

to. 16. Verùm ante omnia rem Sacrario debitam, additâ præterea quintâ pretii parte, Sacerdoti restituito. Tum Sacerdos, oblatâ victimâ pro noxa, eum expiato.

17. Quicumque inscius rem Lege vetitam fecerit, statim ac monitus intelliget à se rem illicitam admissam, se reum esse & victimam debere scito. 18. Arietem ergo, ut dictum est, adducito, quâ victimâ rite oblatâ à Sacerdote expiator; aut alias memoratas, aves, nimirum, aut farinam offerto.

2. Præter peccata, per ignorantiam aut facti, aut juris

חטאות *bhataoth*; non quòd omnes, quæ eodem nomine vocabantur, essent ejusdem naturæ, & quæ aliter ut plurimùm adpellabantur diversæ; sed quadam usûs, penès quem est arbitrium loquendi, consuetudine aut nullâ ratione nixâ, aut saltem nobis ignotâ. Sic peccata, de quibus sermo est Cap. V, 2. & seqq. Cap. VI, vers. 1. ad 6. *noxæ* dicuntur, & victimæ quibus expiabantur אשמות, plerumque adpellantur. Idem nomen est victimæ, pro funestato Nazіræo, & Leproso mundato. Quæ tamen, si introspiciantur, non omnia ejusdem naturæ inter se; aut ab iis quæ Cap. IV. חטאות *peccata* vocantur diversa esse comperientur. Atque hac in re cernere est Linguæ Hebraïcæ summam ambiguitatem, quæ & res diversas uno nomine complectitur, atque ad eamdem propterea classem refert; & res ejusdem naturæ variis nominibus veluti distinguit. Aliæ sunt in Lege Mosaica ejusmodi voces, ut תרומה & תנופה, quæ modò miscentur, modò distinguuntur, quamvis sermo sit de iisdem ferè oblationibus. Idem observavimus, in vocibus אהל & משכן.

Vir doctus, cujus libros *de Sacrificiis* aliquoties laudavimus, existimabat, etiamsi voces memoratas sæpe idem valere fatetur, culpam eam præcipuâ quadam ratione אשם dictam, quæ vel reo dubia erat, vel proximo damnum inferebat; ob quas culpas victimæ imperabantur iis solis, qui ita contra Deum, ut & contra proximum, peccaverant. Horum tamen numero excipit Naziræos funestatos & Leprosos mundatos; quod ejus definitionem labefactat, cùm horum victimæ non minùs אשמות quàm חטאות dicantur, ut jam vidimus. Deinde ejus definitio culpæ אשם convenit ei qui inscius peccavit, de quo Cap. IV. hujus libri, cujus tamen victima dicitur חטאת.

Scio illum niti observatione Rabbinica, ex sequenti commate ducta, ubi qui אשם offerre jubentur dicuntur peccatum suum ignorare; sed inanis ea est observatio, ut è vestigio ostendemus.

17. *Quicumque peccaverit* &c.] Judæi novum hîc haberi præceptum existimant, diversum ab iis quæ habentur Cap. IV. & hujus initio, quamvis de delictis ab insciis admissis, in iis etiam locis, sermo sit. Crediderim etiam diversum esse præceptum ab iis quæ habentur in hoc Cap. V. à v. 2. caput esse videtur, quod non differt ab antecedentibus, nisi quòd generalioribus verbis exprimitur.

17. *Neque sciverit*] ולא ידע *vlo jadah*. Horum verborum non unus sensus esse potest. Possunt enim intelligi 1. de ignorantia juris, & de eo qui fecerit quod vetitum nesciebat, sed factum probè norit: 2. de ignorantia facti, ut si quis inscius cadaver, aut rem aliam immundam adtigisset, & se quasi mundum gessisset: 3. de eo quod ignorabatur eo tempore, quo factum est, sed postea est cognitum, seu ignorantia facti, seu juris spectetur: 4. de eo quod dubium est, ad factum quod adtinet; ut si quis, exempli gratiâ, dubiter an cibus quem ederit contactu rei pollutæ contaminatus fuerit. Non dicam posse quoque ea verba intelligi de eo quod prorsus, omnique ratione ignotum est; quamquam voces memoratæ, si in se spectentur, hunc sensum non respuunt; quia ob delictum prorsus ignotum, nulla potest mulcta imponi delinquenti, dum an deliquerit ignoratur. Quærunt ergo Interpretes quis quatuor priorum sensuum huic loco conveniat.

I. Rabbini quartum sensum hisce verbis tribuunt, aiúntque in his contineri מצות קרבן אשם תלוי *præceptum oblationis pro reatu suspenso*, hoc est, dubio. Contendunt, ut rem *R. Levis Barcinonensis* verbis ad Leg. 123. efferam,
„ offerendum esse sacrificium ei qui dubitat an
„ admiserit peccatum ejusmodi magnum, quod
„ hominem, si superbè id perpetrarit, reum
„ facit exscidii. Occurrit autem dubium ejus-
„ modi, si quis, exempli causâ, habeat sibi
„ adpositas duas portiones, alteram adipis, al-
„ teram pinguedinis licitæ, quarum alteram
„ comedit, altera verò periit. Tum verò sol-
„ licitus nescit adipémne comederit, an verò
„ pinguedinem illam. Ob hoc dubium, obla-
„ tum sacrificium est oblatio pro reatu suspenso.
Verùm varia huic expositioni adversantur. Primò, Moses ponit reverâ ab eo, à quo sacrificium exigit, violatum esse divinum præceptum, atque ideò victimæ mulctam ei imponit; non quòd ita se gesserit, ut nesciat an id violarit, nécne. Deinde לא ידע *nescit* non est dubitantis, sed prorsus ignorantis, eo tempore quo res contigit. Denique infinitæ fuissent mulctæ ex Lege solvendæ, si non modò propter certa delicta, sed etiam dubia, victimæ debebantur. Quis potuit certò scire se neminem impuratum, exempli causâ, nullam rem immundam tetigisse? Quod cùm ita sit, à Sacerdotibus lucri cupi-

in Jehovam deliquerit; mentitus contra proximum ſuum circa depoſitum, vel rem in *ejus* manum traditam, vel raptam; aut vi aliquid à proximo extorſerit; [3] aut invenerit rem amiſſam, & de ea mentitus fuerit; vel falsò de ulla re, circa quam homines peccare ſolent, juraverit; [4] cùm, *inquam*, peccaverit & reus fuerit, reddet quod rapuerit, vel vi extorſerit, vel depoſitum quod ei commendatum fuerat, vel rem amiſſam quam invenerit. [5] Quacumque de re falsò juraverit, cùm eam ipſam reſtituet, tum quintam partem *pretii* præterea addet, dabitque ei cujus *res* illa erat, eo die quo hoſtiam pro noxa offeret. [6] Eam autem victimam arietem integrum adducet ad Jehovam, *aut* æſtimatione tuâ *pecuniam* ad ſacerdotem, ut ſit hoſtia pro noxa. [7] Hominem coram Jehova expiabit ſacerdos, eique quidvis eorum omnium, in quibus deliquerit, ignoſcetur.

VI. Le-

juris commiſſa, nonnulla alia à ſcientibus & prudentibus facta expiari voluit Deus, de quibus Moſem hanc legem ferre juſſit. [2] Quicumque, cùm convinci non poſſet, negaverit depoſitum apud ſe quidpiam, aut ſibi traditum, aut à ſe interverſum ſeu dolo, ſeu vi; [3] aut ſe inveniſſe rem alienam amiſſam, quam ſuſtulerit; aut denique inter privatos falsò jurarit, ut alienum quidpiam ſervaret, [4] is ſe reum eſſe coram Deo ſcito; peccatúmque ſuum expiari ſi velit, primùm ſponte rem alienam, quæcumque ſit, domino reddito, [5] & præterea quintam pretii partem addito. [6] Deinde arietem ſine vitio ad Sacerdotem ducito, aut pecuniam in victimam minoris pretii, pro Sacerdotis æſtimatione, ferto. [7] Eum Sacerdos ritu ſolito, victimam pro noxa offerentem, expiato.

P A-

cupidis, quales ſine dubio multi erant inter Hebræos, ut inter omnes alias Gentes, innumeræ dubitandi rationes potuerunt infirmioribus animis injici, ut pecudibus credulos ſpoliarent. Nam ſi verum eſt, quod Rabbini volunt, plauſibilis dubitandi ratio ſatis gravis erat cauſa mactandi arietis.

Hanc tamen ejus legis rationem reddit *R. Levi*, quæ ſpeciem pietatis præ ſe fert: שיהיה אדם זהיר וירא חטא ויעיין מכל מעשיו עיון טוב לבל יכשל בדבר עבירה: *ut cautus ſit homo, & timens peccatum, & probè adtendat in omnibus actionibus, ne in tranſgreſſionis negotio impingat.* Sed cautiones nimiæ ſunt uſque adeò à Legiſlatoris benefica natura alienæ, ut dubium non ſit quin mallet parcere nonnullis peccatis ignotis, ſine ſacrificio; quàm homines in perpetua anxietate vivere, & Sacerdotum artibus ſpoliandos tradi. Dei, in Lege ferenda, animus non fuit efficere ut quàm plurima ſacrificia offerrent Iſraëlitæ, ſed ut probi fierent.

II. Igitur malim unum ex tribus prioribus ſenſibus admittere, & quidem ſecundum. Nam cùm Moſes ſacrificia impoſuerit iis, qui ignorantiâ *juris* peccabant Cap. IV. quæ ſequuntur à verſ. 2. hujus Capitis pertinent ad ignorantiam *facti*. Poſtquàm, nimirum, Moſes verſibus 2, 3, & 4. varia exempla ignorantiæ facti propoſuit, & Sacra quibus expiarentur deſcripſit; ſequentibus verſibus ad 13. novum profert ignorantiæ ejuſdem exemplum, ex rebus ſacris non perſolutis petitum, cujus proprium piaculum præſcribit, verſſ. 15 & 16. Denique poſtremum hoc generalioribus verbis repetit verſſ. 17, 18. Eadem utrobique peccata, eadémque mulcta arietis integri, quæ de eadem facti ignorantia agi oſtendunt.

Reus tamen erit] ואשם *& reus.*

Et delicti pœnam feret] ונשא עונו *naſcha havono.* Si nihil adderetur, hæc verba ſignificarent pœnas ex legibus de ejuſmodi homine eſſe ſumendas, nullo admiſſo piaculo; nam is eſt ſenſus hujus phraſis, ut oſtendimus ad verſ. 1. ſed quandoquidem ſubjicitur hujus peccati piaculum, idque idem ac antea, ſubaudiendum, niſi monitus præſcriptum lege ſacrificium offerat.

18. *Integrum arietem*] Addit Moſes, ut v. 15. מן הצאן *min hatſon.*

Pro æſtimatione tua] Vide ad verſ. 15.

Deliquerit] אשום אשם aſchom aſcham *delinquendo deliquerit.*

In CAPUT VI.

2. *In Jehovam deliquerit*] מעלה מעל mahala mahal *deliquerit delictum*, ut Cap. V, 15. unde adparet מעל & peccatum ſine dolo, & dolum ſignificare; nam ut illic de ignorantia ſermo eſt, hîc de aperta malitia agit Legiſlator. Atque hac in re differunt delicta, quæ hîc habentur ab iis quæ memorantur Capp. IV, & V.

Mentitus] וכחש veechihheſch *& mentitus fuerit.* De conjunctione ו, vide not. ad Cap. V, 1.

In ejus manum traditam] תשומת יד thſchoumeth jad, *poſitionem manus.* Interpretati ſumus quaſi legeretur ביד *bejad*, in manum, ut de quavis re ſervanda, aut commodata intelligatur, quia in hiſce rebus fraus eſſe potuit, in quam per Leges animadvertere non licebat; quòd hæc ſine ſcriptis fieri ſolerent, & poſſet qui ſervandum quidpiam dederat, aut commodaverat oblitus eſſe ejus, cui ſervandum dediſſet, aut commodaviſſet. Alii pecuniam mutuam datam intelligunt, quòd *in manum tradatur*; alii ſocietatem, quia *ponere manum cum aliquo* eſt ſocietatem cum eo inire, Exod. XXIII, 1. LXX. Intt. ideò hîc κοινωνίαν, & *Onkelos* שותפות *ſocietatem* habent. Verùm in hiſce ſcriptum quodpiam intercedere plerumque ſolet.

Raptam] גזל *gazel.* Videtur ſignare rem vi extortam, cùm nullus eſſet teſtis, qui expilato apud Judicem adeſſe poſſet, ut raptorem accuſaret; alioqui ſi teſtis eſſet, furtum haberi potuit, & agi lege de furto, quæ exſtat Exod. XXI, 1. & ſeqq. Neque enim videtur, ſine teſte, ullus potuiſſe accuſari. Itaque quæ habentur Exodi Cap. XXII. videntur ad eos caſus pertinere, ubi res probari poterat, aut in con-

VI. *Leges de igne perpetuo altaris, ritibus variorum Sacrorum, & partibus quæ ex iis in usum Sacerdotum cedebant.*

8. JEHOVA alloquutus est etiam Mosem, his verbis: hæc præcipito Aharoni ejúsque filiis dicens: hæc est lex de holocautomate. Hoc sit in pyra, super altari, per totam noctem ad matutinum usque tempus, & ignis altaris in eo sit accensus. 10. Tum sacerdos induet vestes lineas, & femoralia linea super carne sua, atque auferet cineres, cùm ignis holocaustum in altari absumserit, eósque juxta altare ponet. 11. Tum exutis vestibus suis, alias induet, cineresque extra castra, in locum purum, asportabit. 12. Interea ignis in altari accensus

PARAPHRASIS.

8. ALIAS etiam Leges de igne Altaris, déque variorum Sacrorum ritibus, Deo jubente, tulit Moses. 9. Has Sacerdotibus observandas tradere jussus est: Ignis Altaris holocautomatum numquam exstinguitur, atque holocautoma in eo per totam noctem, ad matutinum usque tempus, adolere liceto. 10. Ubi illuxerit, Sacerdus lineis vestibus indutus, consumtis holocausti reliquiis, cineres altaris amoveto, & interea dum aliò auferat, ad altare, orientem versùs, deponito. 11. Quando commodum erit, aliis vulgaribus vestibus indutus eos extra castra, in locum nullâ immunditie impuratum asportato. 12. Interea ignis altaris alitor, & denuo lignis ei matutino tempore

controversiam non vocabatur; hæc verò eos spectare, in quibus læsus nihil potuit contra lædentem probare.

3. *Aut invenerit rem amissam*] Quam se invenisse negarit, nec potuerit contrarium ab eo qui amiserat probari. Eadem Lex fuit apud varias Gentes, quod, illustrandi Mosis causâ, paullò copiosius ostendemus. *Dyrbæi*, qui tractum à Bactris ad Indos porrectum colebant, & justitiâ apud finitimos celebres erant, ut docet *Stephanus* in voce Δυρβαῖοι, *ἐάν τι εὕρωσιν ἐν τῇ ὁδῷ χρύσιον, ἢ ἱμάτιον, ἢ ἀργύριον, ἢ ἄλλο τι ἴδιον ἀποκινέουσιν αὐτό*: *si quid auri in via invenirent, aut vestis, aut argenti, aut aliud quid, nullâ ratione id movebant.* Bybliis, Judæorum vicinis, eadem lex fuit. *Ælianus* Var. Hist. Lib. IV. c. 1. *Βίβλιος ἀνὴρ ἐν ὁδῷ περιτυχὼν οὐδὲν ἂν μὴ κατέθετο ἀναιρεῖται· οὐ γὰρ ἡγεῖται τὸ τοιοῦτον εὕρημα, ἀλλὰ ἀδίκημα*: *Biblius vir in quidpiam in via incidens nihil tollit eorum, quæ non posuit. Neque enim hoc inventum, sed furtum arbitratur esse.* Idem testatur de Stagiritis Lib. III. c. 46. Ea quoque fuit lex Solonis, si *Diogeni Laërtio* credimus, in ejus vita §. 57. ubi eam ita effert; *ἃ μὴ ἔθου μὴ ἀνέλῃ*, *quæ non posuisti, ne tollito.* Scitum hoc summopere laudat *Plato* de Legibus Lib. XI. initio, additque *οὐδαμῶς ἀγεννοῦς ἀνδρὸς νομοθέτημα, ὃς εἶπεν, ἃ μὴ ἔθου μὴ ἀνέλῃ*: *non est lex viri ingenerosi, qui dixit, quod deposuisti ne tollito.* Similiter Romani Jurisconsulti Digg. Lib. XLVII. Tit. II. Leg. 43. §. 4. *Qui alienum quid jacens, lucri faciendi causâ, sustulit furti obstringitur, sive scit cujus sit, sive ignorarit, nihil enim ad furtum minuendum facit, quòd cujus sit ignoret.*

Et de ea mentitus fuerit] Negaverit eam à se inventam.

Circa quam homines peccare solent] *In unum ex omnibus* (addit Samariticus Codex דבר *dabar rebus*, & LXX. Intt. *πράγματος*) *quæ faciet homo peccando in illis.* Futurum apud Hebræos consuetudinem significat, ut observavimus ad Cap. IV, 8. & alibi non rarò. Hoc jusjurandum est de re præterita, ut suprà Cap. V, 4. vidimus jusjurandum de re futura. Illud fuit futile jusjurandum: hoc falsum, & quidem datâ opera. Mirum fortè videatur tam leviter plecti perjurium, verùm circumstantia hîc est magni momenti, non expressa quidem à Mose, sed manifestò, ut jam ostendimus, intelligenda. Pertinet, nimirum, hæc lex ad hominem; qui nullâ ratione argui potuit furti, & cum quo lege agere non licuit, sed qui præ cupiditate rei alienæ, sine necessitate juravisset. Antehac vidimus ad Cap. V, 1. eum plecti oportere qui adjuranti Judici mentitus fuerit, nec ullum piaculum admitti; hîc verò sermo est de privato & libero jurejurando, in quo ne nomen quidem fortasse Dei adhibebatur. Si qui hoc modo jurabat, neque ullâ ratione ad Judicem vocari poterat, sponte ad eum veniret, cujus rem intervertisset, eámque ei restituere vellet; indicium edebat animi non prorsus mali, quandoquidem sine ullo legum metu; à quibus, re ignotâ, non erat quod sibi timeret, ad officium redibat. Itaque Lex, quæ non semper actionem solam spectat, sed etiam animum se se manifestis indiciis prodentem, leniùs sponte semet ipsum accusantem plectebat, quàm fures aut perjuros qui deprehendebantur, & nonnisi legibus coërceri poterant. Atque hoc est veri Legislatoris munus, qui non alio de fine leges fert, quàm ut meliores fiant cives; non ut infirmitati humanæ veluti insidias tendat, & quàm plurimas potest pœnas à delinquentibus exigat. Meritò ergo meliorem, spontaneâ resipiscentiâ, factum leviter mulctatum dimisit Deus.

6. *Aut pro æstimatione tua pecuniam*] Si præscripta hîc ita fuit victima, ut mutari non posset, quid opus fuit æstimatione? Vide notat. ad Cap. V, 15.

7. *Quidvis eorum omnium*] *Super uno ex omnibus quæ fecerit delinquendo.* Similis est phrasis vers. 3.

9. *De Holocautomate*] Quamvis nihil addatur, videtur prorsus intelligi unum genus holocautomatum; id, nempe, quod vesperi mactari & immolari solebat quotidie. Nam alia holocautomata, ante hoc oblata, absumta priùs esse

sus erit, neque exstinguetur, sed accendet sacerdos super eo ligna singulis matutinis temporibus, aptabitque super eo holocaustum, adipémque salutaris victimæ adolebit. 13. Ignis perpetuus accensus erit in altari, neque *unquam* exstinguetur.

14. Hæc verò lex est de donario *farreo*, quod Aharonis filii, coram Jehova, in altari offerent. 15. Pugillo suo tollet *sacerdos* è simila donarii, ejúsque oleo, tum totum thus quod super eo erit, & adolebit in altari odoramentum ejus Jehovæ, *ut sit* in odorem placamenti. 16. Reliquum verò ex eo comedent Aharon ejúsque filii, & quidem *in* panes azymos *pistum*; in loco sancto, in atrio tentorii conventûs, id absument. 17. Nullus *hinc* coquetur fermentatus panis. Hanc partem ex oblationibus meis igne absumendis *eis* largitus sum; res est sacrosancta, non secus ac victimæ pro peccato & pro noxa. 18. Omnis masculus, inter filios Aharonis, ea vescetur. Hoc etiam erit perpetuum in *futuras* ætates institutum, ut quidquid oblationes Jehovæ igne absumendas adtigerit sacrum habeatur.

19. Al-

pore impositis holocaustorum carnes & salutarium victimarum adeps adolentor. 13. Exstingui eum ignem Sacerdos numquam patitor.

14. De donariis farreis hæ Leges sunto: 15. Sacerdotes, qui ea offerent, pugillum farinæ oleo mistæ, è donario, cum toto thure imposito, sumunto, eáque, ad excitandum odorem placamenti, adolento. 16. Quod supererit in panes azymos pistum, & coctum, intra Atrium Sacrarii à Sacerdotibus comeditor. 17. Nulli hinc fermentati panes coquuntor, atque hanc partem ex oblationibus farreis, igne absumendis, Sacerdotes à me sibi concessam habento; eáque, cùm sit sacrosancta, non secus ac artus memorati victimarum pro peccato & pro noxa, ab iis solis absumitor. 18. Masculus omnis mundus, inter Aharonis posteros, ea vescitor, neque quidquam nisi Deo sacrum eam adtingito.

19. 20. Ad Aharonem & ejus filios quod spectat, eo die quo inungentur, præter victimas memoratas,

esse debuerunt, quàm quotidianum altari imponeretur.

Per totam noctem] Non videtur hoc juberi, quasi necesse sit totam noctem consumi, dum adoletur, vespertinum holocautoma; sed duntaxat permitti, Deo monente satis esse modò id holocautoma ante lucem sit absumtum, ut sit locus paratus holocautomati matutino. Huc pertinet locus *Theophrasti*, qui exstat apud *Porphyrium* Lib. II. 26. de Abstin. & *Eusebium* de Præp. Ev. Lib. IX. c. 2. ubi tamen falsa veris miscentur. Σύρων μὲν Ἰουδαῖοι, inquit, διὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς θυσίαν ἔτι καὶ νῦν ζωοθυτοῦσιν, εἰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἡμᾶς τις κελεύοι θύειν, ἀποσταίημεν ἂν τῆς πράξεως, οὐ γὰρ ἑστιώμενοι τῶν τεθέντων, ὁλοκαυτοῦντες δὲ ταῦτα νυκτὸς, καὶ κατ' αὐτῶν πολὺ μέλι καὶ οἶνον λείβοντες ἀναλίσκουσι τὴν θυσίαν θᾶττον, ἵνα τοῦ δεινοῦ μηδ' ὁ πανόπτης γένοιτο θεατής: *ex Syris Judæi animalia sacrificio ab initio instituto etiamnum mactant; quo modo si quis nos mactare juberet, ab eo ritu alieni essemus; neque enim convivantur ex adpositis victimæ partibus* (verum hoc de holocaustis, sed falsum de salutaribus) *sed totam comburunt victimam per noctem, & eodem tempore, multum mel* (hoc falsum) *ac vinum effundentes absumunt victimam celeriùs, ne qui omnia videt* (sol, quod ineptum) *sit facinoris spectator.* Alia etiam addit, in quibus falsa mista veris; quod plerumque accidit Ethnicis de Judæis, quos non noverant, nisi ex Græculorum relatu, loquentibus.

10. *Induet*] Hoc est, indutus erit.

Vestes lineas] מדו בד middo bad, *indumentum suum lineum.* Nempe, sermo est de gregario Sacerdote, qui suâ tunicâ lineâ & feminalibus indutus Sacra faciebat. Notissimum est Sacerdotes & plebeios etiam Ægyptios linigeros fuisse. *Herodoti* hanc in rem verba vide in Com. in Gen. XLI, 42. Addito & *Joan. Spencerum* de Leg. Rit. Lib. III. Diss. I. c. V. Sect. 1. & 2. Mysticas rationes reddebant Ægyptii, ut alibi diximus; sed vera fuit quòd lineæ vestes facillimè purgentur sanguine & aliis quibus maculari eas, in Sacris faciendis, necesse fuit. Sunt qui velint ab Hebræis primùm manasse usum vestis lineæ in Sacris; sed eos confutavit *Spencerus* Sect. 5. Ac sanè quòd Ægyptiorum regnum multò antiquius sit Republica Hebræa, quòd Ægyptii parum curarent aliena Sacra, quòd byssus sit Ægyptiaca planta, aut in Ægypto frequentior quàm alibi, quòd summopere munditiei essent studiosi Ægyptii, hæc, inquam, aliáque satis ostendunt auctores eos lini gerendi aliis fuisse.

11. *Alias induet*] Nempe, consuetas, quæ laneæ esse poterant. At Ægyptii lineas perpetuò gestabant.

13. *Ignis perpetuus*] *R. Levis* Barcinonensis aliique Magistri volunt miraculo quidem factum esse, ut ignis cœlitus semel delapsus in altari accensus manserit; sed Deum voluisse occulere id miraculum, jubendo ignem novum & lignum altari imponi. Sed miraculum hoc, de quo nihil habet Moses, commentitium est; neque quidquam obstat quominùs potuerint primùm igne cœlesti accendi ligna altari imposita, deinde ignis accensus, perpetuò additâ novâ materiâ, ali. Longum esset & inutile Rabbinorum hac de re commenta proferre, & elevare. Legi ea poterunt apud *Joan. Buxtorfium*, in Hist. Ignis Sacri. Persæ non tantùm ignem colebant, quasi Numinis imaginem, sed & accensum in altari perpetuò alebant. *Curtius* de ordine, quo Darii exercitus progrediebatur Lib. III. c. 3. *Ordo agminis erat talis. Ignis, quem ipsi* SACRUM & ÆTERNUM *vocabant, argenteis altaribus præferebatur.* Vide & Lib. IV. c. 13 & 14. *Ammianus Marcellinus* Lib. XXIII. c. 6. de Magis: *Feruntque, si justum est credi, etiam ignem cœlitus lapsum, apud se* SEMPITERNIS *foculis custodiri, cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam Asiaticis* Re-

[19] Alloquutus item est Jehova Mosem, his verbis: [20] Hæc erit oblatio Aharonis filiorúmque ejus; quam offerent Jehovæ, quo die ille ungetur; decima pars Ephæ similæ, quod *farreum* donarium est perpetuum, & dimidium quidem ejus matutino tempore, dimidium verò vespertino. [21] In sartagine cum oleo parabitur, frictam eam adferes, coctámque ut donarium *farreum*, *& in* frusta *divisam* offeres, *ut sit* odor placamenti Jehovæ. [22] Sacerdos ex Aharonis filiis, loco ejus unctus, *sic* eam parabit, instituto Jehovæ perpetuo, & tota quidem adolebitur. [23] Omne donarium *farreum* sacerdotis totum *Jehovæ* erit, non comedetur.

[24] Mosem quoque his verbis alloquutus est Jehova: [25] alloquere Aharonem, ejúsque filios, dicens: hæc erit lex de victima pro peccato, eo loco quo mactari solebit holocaustum, jugulabitur victima pro peccato, coram Jehova, eritque sacrosancta. [26] Sacerdos qui eam victimam piacularem offeret, vescetur ea in loco sancto, in atrio *enim* tentorii conventûs comedetur. [27] Quidquid carnem ejus adti-

tàs, donarium farreum offerunto. Id ex Gomero similæ, quod ordinarium & perpetuum est donarium farreum, esto; ejúsque dimidia pars mane, altera vesperi adoletor. [21] In sartagine cum oleo fricta parator, & in frusta divisa, ut adoleatur, offertor. [22] Qui in locum Aharonis, post ejus mortem, inungetur Pontifex Maximus, similem oblationem offerto, & totam adoleto. [23] Quæcumque enim donaria farrea à Pontifice pro se offerentur, ea integra altaris igne absumuntor, neque ulla eorum pars ab ullo comeditor.

[24] Has quoque leges, victimam pro peccato oblatam spectantes, Mosem Israëlitis ferre jussit Jehova. Victima pro peccato eodem loco, quo holocautomata, jugulator, ad altaris septemtrionem, & sacrosancta habetor. [26] Sacerdos qui eam adoleverit, artubus, qui ei cedunt, intra Atrium vescitor. [27] Nihil ejus carnem, quod sacrum non sit, ad-

Regibus dicunt. Notus etiam est æternus ignis Ædis Vestæ, de quo vide Syntagma *Justi Lipsii* de *Vesta & Vestalibus*, ubi Cap. XV. agit de cultu ignis, apud alias Gentes. Sed cave credideris omnibus, quæ quasi ex Veteribus profert; nam & *Ammiani* locum adlatum corrupit, & *Diodori* verba adfert *Latinè*, de æterno igne apud Ægyptios servato, quæ nusquam apud eum scriptorem leguntur. Sic solent sæpe summi Critici, qui nec Librum, nec paginam indicant; quasi iis non credere, passim fallentibus, piaculum esset? Sed & alia loca adcuratiúsque hanc in rem prolata vide summi viri *Ezech. Spanhemii* Diatribes de Vesta & Prytaneis Græcorum Capp. X & XI

Cùm, apud Hebræos, ignis perpetuus in ea ara servaretur, in qua quotidie Sacra fiebant, non videtur alia de causa servatus; nisi ut ne, Sacerdotum negligentiâ, contingeret umquam ignem Sacris faciendis deesse.

14. *Offerent*] הקריב hakreb, *offerto filii Aharon*, hoc est, unus ex filiis Aharon. Est elliptica oratio in qua אחד ehhad, *unus* subauditur, nisi sit melior lectio Samaritici Codicis, בהקריבו *bikribou*, ut & LXX. Intt. qui habent προσάξουσι. Ac sanè solent hæ leges futuro concipi, ideóque ita vertimus.

15. *Pugillo suo* &c.] Vide not. ad Cap. II, 2. Samaritæ post מנחה addunt אשה ischeh, *oblatio igne absumenda*, & LXX. Intt. κάρπωμα.

16. *In azymos pistum*] Addit Moses תאכל *comedetur*. Cùm hæc necessariò ab Aharonis posteris & in loco sacro comedi oporteret, Sacerdotum victui partim hac ratione providit Moses. Azymos panes præfert fermentatis, quia minùs puri hi habebantur, ut observavimus ad Cap. II, vers. 4. Nescio quæ similis opinio videtur priscorum Romanorum animis insedisse, apud quos Flaminem Dialem azymis dumtaxat vesci oportebat. *Massurius Sabinus*, apud *A. Gellium* Lib. X. c. 15. *Farinam fermento imbutam adtingere ei fas non est.*

Sacrosancta] *Sanctitas sanctitatum*; quià, nempe, pars ejus adtigerat altare.

18. *Quidquid oblationes* &c.] Aut *quisquis*. Sic LXX. πᾶς ὃς ἂν ἅπτηται αὐτῶν ἁγιασθήσεται, & Vulg. *Omnis qui tetigerit illa sanctificabitur.* Non est autem sensus impurum hominem, si tetigisset reliquias donarii farris, mundatum fuisse, nam hæc illi adtingere capitale fuisset; sed nemini licitum fore hæc adtingere, qui non Deo consecratus esset; hoc est, qui sacerdotio non fungeretur, neque tangenda hæc fuisse, ullâ re quæ non esset sacra. Vide & vers. 27.

20. *Quo die ungetur*] Non Aharon tantùm, sed omnes post eum futuri Pontifices Maximi.

Donarium est perpetuum] Nimirum, quotidianum. Vide Numer. Cap. XXVIII, 1. & seqq.

21. *In sartagine*] על מחבת. Vide not. ad Cap. II, 5.

Coctam] *Coctionibus donarii farrei.*

22. *Ex Aharonis filiis*] *Ex ejus filiis.* Sed remotius erat nomen *Aharonis*, quàm ut à Latinè tantùm scientibus subintelligi posset.

23. *Totum Jehovæ*] כליל chalil, cùm *totum* significet, refertur ad possessorem. Ex aliorum oblationibus farreis partem tantùm sibi, seu altari suo retinuit Deus, reliqua Sacerdotibus concesserat, ut vidimus ex vers. 17. Cùm verò placenta Sacerdotis tota ureretur, perinde est ac si diceret Deus, eam totam suam esse. Plebs & Levitæ jubebantur conferre varia in usum Sacerdotum, primitias, decimas, &c. sed Sacerdotes nihil quidquam, nisi soli Deo, pendebant.

25. *Quo mactari solebit*] *Quo mactabitur.* Vid. Cap. IV, 10. & suprà vers. 3. De loco vide Cap. I, 15.

26. *Qui eam victimam piacularem offeret*] המחטא hammhhatteh. LXX. Intt. ἀναφέρων, Vulg. *qui offert.* Propriè חטא in Pihel est *expiare*, sed

adtigerit, facrum habebitur, & sanguis ejus quo vestis adspersa fuerit, in loco sancto abluetur. 28. Vas testaceum, in quo elixata fuerit, frangetur; sin verò in vase æneo elixata fuerit, abstergetur *vas* & purgabitur aquâ. 29. Omnis masculus, inter sacerdotes, ea vescetur, res erit sacrosancta. 30. Sed nulla victima pro peccato, cujus sanguis illatus fuerit in tentorium conventûs, ut in sacrario expiatio fieret, comedetur, verùm igne comburetur.

CAPUT VII. 1. Hæc verò lex est de victima pro noxa: sacrosancta erit, 2. in loco in quo holocausta mactare solebunt, victimam pro noxa jugulabunt, sanguinéque ejus altare circumquaque adsperget *sacerdos*. 3. Omnem ejus adipem, cum cauda, & pinguedinem tegentem intestina offeret. 4. Duos item ejus renes, adipémque iis & lumbis adhærentem, & maximum jecinoris lobum, cum renibus amovebit. 5. Tum ea sacerdos adolebit in altari, in oblationem igne absumendam Jehovæ. Hæc *erit* victima pro noxa. 6. Omnis masculus inter sacerdotes ea vescetur, & in loco quidem sancto comedetur, *nam* est sacrosancta. 7. Qualis *erit* hostia pro peccato, talis pro noxa; lex illis una, & sacerdoti iis expianti erunt. 8. Cùm sa-

adtingito, vestísque ejus sanguine adspersa, in loco sacro, abluitor. 28. Testa, in qua elixata fuerit, nulli alii usui inservito, sed postea frangitor, vas verò æneum diligenter aquâ purâ purgator. 29. Omnes masculi ex sacerdotali prosapia, & quidem soli, ea vescuntor. 30. Attamen victimæ pro peccato populi, aut Pontificis Maximi, quarum sanguis Tabernaculo Conventûs illatus fuerit, nullâ parte minuuntor, integræ adolentor.

6. Victimarum pro noxa dictarum caro sacrosancta etiam habetur. 2 *ad* 5. Postquàm proficiæ solitæ, ut in Salutaribus Sacris, porrectæ fuerint, 5. cetera in usum Sacerdotum ceduntο, qui iis in loco sancto vescuntur. 7. Hostiæ pro peccato, aut pro noxa oblatæ eædem partes Sacerdotis offerentis sunto. 8. Præterea & harum victimarum & holocautomatum pelles Sacerdotibus adtribuuntur.
9. Omnis donarii farrei in clibano, aut in sartagine,

sed non modò cum persona conjungitur, ut Ps. LI, vers. 9. יחטאני *expiabis me*, sed etiam cum re, hoc est, cum sacrificio, ut hîc & Cap. X, 15. quamvis impropriè; non enim expiatur victima, sed is cujus nomine offertur.

In Atrio tentorii Conventûs] Hoc factum videtur, non modò ob victimæ sanctitatem, sed ut Sacerdotes ad Tabernaculum semper frequentes adessent; quod ita factum non fuisset, si æquè lautè alibi vivere potuissent Sacerdotes.

27. *Quidquid carnem ejus adtigerit*] Vide not. ad vers. 18.

Sanguis ejus quo vestis &c.] *Et quod adspersum fuerit è sanguine ejus super vestem, quod adspersum fuerit super eam, ablues* &c. Quia; nempe, sanguis ille sacer erat, idcóque in loco immundo ablutione veluti effundi non debuit. Pro תכבס thechabbes, *ablues*, habent Samaritæ יכבס jicchabes *abluetur*, πλυνθήσεται, ut habent οἱ LXX. Perspicuitatis causâ, ita vertimus, quamvis mendum esse non putemus.

28. *Frangetur*] Ne profanis usibus inserviat.

29. *Omnis masculus inter Sacerdotes*] Omnis ætatis, modò essent mundi, ut docemur infrà Cap. XXII, 4.

30. *Cujus sanguis illatus fuerit*] Quales erant victimæ pro Pontifice Maximo, & toto Populo, de quibus Cap. IV, à vers. 1. ad 21. Aliarum verò victimarum pro peccato caro, exceptis proficiis solitis, in usum Sacerdotis cedebat. Vide idem Caput à v. 22. Sanctissimæ omnium erant victimæ pro Sacerdote & Populo, quæ totæ absumebantur; minùs sanctæ cæ pro peccato victimæ, quarum pars cedebat Sacerdotibus, quamvis ad eos solos pertinerent; minimè omnium salutares, quarum armus dumtaxat dexter & pectus Sacerdotibus adtribuebantur; cetera, præter proficias, ab iis quorum nomine oblatæ erant, comedebantur.

In CAPUT VII.

1. *De victima pro noxa*] Repetuntur varia quæ Cap. V. dicta sunt, & nonnulla adduntur.

7. *Qualis erit oblatio pro peccato, talis pro noxa*] כחטאת כאשם chebhatath chaascham, sicut peccatum, sicut noxa; hoc est victimæ, quæ plerumque אשם dicitur, eadem erit hac in re ratio, ac ejus quæ חטאת ut plurimùm solet vocari. Vide not. ad Cap. V, 16.

8. *Pellis holocausti*] Hæc quidem verba signant propriè holocautoma à singulis oblatum; sed fortè etiam intelligenda de omnibus ejus generis sacrificiis, qualia erant quotidiana geminorum agnorum. *Philo* de præmio Sacerdotum: ἐφ' ἅπασι μέντοι καὶ τὰς τῶν ὁλοκαυτωμάτων (ἀμύθητα δὲ ταῦτ' ἐστὶ) δορὰς προστάττει τοὺς ὑπηρετοῦντας ταῖς θυσίαις ἱερεῖς λαμβάνειν, οὐ βραχεῖαν ἀλλ' ἐν τοῖς μάλιστα πολυχρημάτου δωρεάν: *præter hæc omnia, holocaustomatum (quæ quo numero sint dici non potest) pelles jubet servientes sacrificiis sacerdotes sumere, non tenue sed maximi lucri donum.* *Josephus* Ant. Jud. Lib. III. c. 9. similia habet.

9. *In craticula* &c.] Vide ad Cap. II, 7.

10. *Ex æquo*] איש כאחיו *cujusque ut fratris ejus.* Donaria ex farre variorum erant generum, quæ collegit *Guil. Outramus* de Sacrificiis Lib. I. c. 8.

12. *Celebrationis causâ*] על תודה *hal thodah.* Sequuti sumus LXX. Intt. qui habent αἰνέσεως. *Gratiarum actionem* vertit Vulgatus, alii *Confessionem.* Sed vide not. ad Genes. XXIX, 35. & XLIX, vers. 8. Hæc sacra fiebant, ut laus Deo, ob impetrata ab eo beneficia, publicè tribueretur; etiam nullo præmisso voto.

Placentas azymas &c.] Vide not. ad Exod. Cap. XXIX, 2. & hujus libri Cap. IX, 11.

14. *Ex*

facerdos alicujus holocaustum obtulerit, pellis holocausti quod obtulerit facerdotis
illius erit.
9. Omne donarium *farreum* quod coquetur in clibano, omne quod parabitur in
craticula, aut in fartagine, facerdotis offerentis erit. 10. Omne verò donarium
farreum oleo mistum, aut aridum omnium Aharonis filiorum ex æquo erit.
11. Hæc lex est de victima falutari, quam Jehovæ *quivis* offeret. 12. Si cele-
brationis causâ eam obtulerit, cum ea victima celebrationis offeret placentas azy-
mas oleo mistas, lagana azyma oleo tincta, & fimilam frictam in placentas oleo
mistas. 13. Præter placentas, offeret oblationem fuam panis fermentati, cum victi-
ma celebrationis falutaris fui facri. 14. Ex hoc, totâque oblatione unum offeret,
in elatam Jehovæ oblationem, atque hoc erit facerdotis, qui fanguinem falutaris
victimæ adfperferit. 15. Caro autem victimæ celebrationis falutaris ejus facri, quo
die offeretur, comedetur, neque *ullus* ex ea quidquam ad matutinum tempus re-
linquet.
16. Si verò victima quæ ab eo offertur votiva fit, aut fpontanea, victima & die
quo

gine, vel craticula cocti, reliquiæ, postquàm in altaris ignem conjecta fuerit pars adolenda, folius Sacerdotis offerentis funto. 10. Farina verò, quæ offeretur aut fola, aut oleo mista inter Sacerdotes ex æquo dividitor.

11. Hi verò Salutaris victimæ, præter memoratos, ritus funto. 12. Si victima offeratur eo tantùm nomine, ut Dei celebrentur laudes ob beneficium ab eo acceptum, nullo præmisso voto, unà azymæ placentæ oleo mistæ & tinctæ offeruntor. 13. Panis etiam fermentatus additor. 14. Ex fingulis generibus placentarum azymarum unam, panémque unum fermentatum Sacerdos adoleto, reliqua fibi fervato. 15. Hujufcemodi victimæ caro, eo die quo offeretur, comeditor, neque quidquam ejus ad matutinum tempus reliquum esto.

16. Si vero victima votiva, aut fpontaneo pii animi impetu, nullum ob fingulare beneficium, offe-

14. *Ex hoc totâque oblatione*] *Admovebit ex eo unum, ex tota oblatione, elationem Jehovæ, Sacerdoti adfpergenti — ejus erit.*

15. *Ad matutinum tempus*] Fortè hoc factum, ut Sacra facientes ditiores carnem pauperibus dare cogerentur, quandoquidem eam fervare non licebat.

16. *Votiva fit*] נדר neder, *votum*; ad rem quampiam impetrandam promissa victima, eáque à voti damnato offerenda.

Spontanea] נדבה ndaba, *munus fpontaneum*. Hoc quoque facrificium volunt Magistri esse votivum, quandoquidem definiunt *precem pro futuro*, תפלה על העתיד. Sed fi hoc est, quomodo distinguetur à facrificio, quod נדר *votum* dicitur, & quid opus erit tres fpecies falutaris facri constituere, *laudis*, *voti*, *fpontanei facrificii*? Deinde נדבה vix potest dici votum, quod quamvis liberum esset antequàm conciperetur, femel conceptum revocari non poterat. Volunt Rabbini *votum* dici ejus, qui facrificium pollicetur, non indicatâ victimâ, quam mactaturus est; *fpontaneum*, quando certa quædam victima, quæ defignatur, Deo promittitur. Vide *Guil. Outramus* Lib. I. C. XI. Verùm *Maimonides*, aut *Abarbanel*, aut fiquis alius ex Rabbinis hæc Sacra definiit, conjecturam potiùs quàm rem compertam propofuit. Existimarim ego תודה & נדר fuisse Sacra facta, propter certum quodpiam beneficium impetratum; & posterius quidem, quando votum antecesserat, prius etiam fine voto; quorum utrumque debitum fuerit, alterum voti nexu, alterum grati animi adfectu; נדבה *ndaba* verò, feu *fpontaneam victimam* dici, eam quæ nullum ob fingulare beneficium, fed impetu quodam religiofi animi offerebatur. Duabus rationibus hæc nostra fententia confirmatur, quarum prior est quòd meliùs conveniat huic nostræ definitioni cum notione radicis נדב *nadab*, quæ voluntario animi impetu aliquid agere fignificat, non *vovere*, aut *votum folvere*, quod docent omnes Lexicographi. Posterior, quòd magnum discrimen ipse Mofes inter נדר & נדבה constituat, cùm, fecundùm Rabbinos, nullum penè fit, Nempe, infrà Cap. XXII, 23. vitiofam victimam in *fpontaneum* Sacrum admitti vult, fed *votivam* integram esse oportere docet. Itaque, ex doctrina quidem Mofaica, נדבה non potest fpecies esse voti. Nec fanè ullus locus proferri queat, in quo votum aut voto adfine quidquam fignificet; cùm rem ex religiofo animi adfectu fponte donatam multis in locis manifestò fonet, ut Exod. XXXV, verf. 29.

Et postridie, fi quid fuperfit, comedetur] וממחרת והנותר ממנו יאכל *& crastino die, & reliquum ex eo comedetur.* Secundum ו quod exstat in Hebraico & Samaritico Codice, abundat. Sic intellexere LXX. Intt. qui habent βρωθήσεται καὶ τῇ αὔριον, & Vulg. *fed & fi quid in crastinum remanferit, vefci licitum est.* Quare autem hoc discrimen ponatur inter victimas *celebrationis*, & *votivas*, aut *voluntarias* quærant acutiores. Nullam rationem neque ex re ipfa, neque ab idololatria vicinorum comminifci possumus.

17. *Quod verò perendie*] Hoc fortè factum ne facrificiorum obtentu, convivia in plures dies protraherentur. Vide ad Levit. XIX, 6. Fortè etiam ut caro Levitis & Pauperibus liberaliùs distribueretur, quod factum non esset, fi eam fervare, adeóque fale condire licuisset. Certè, apud Græcos, ubi nulla Lex erat, quæ carnes victimæ eodem die, quo Sacra facta erant, abfumi juberent; fordidiores homines eas fale conditas fibi fervabant. *Theophrastus* in Charact. Cap. XI, de Impudentia, inter cetera impudentis vitia hoc habet: θύσας τοῖς θεοῖς, αὐτὸς μὲν δειπνεῖν παρ' ἑτέρῳ, τὰ δὲ κρέα ἀποθεῖναι ἁλσὶ πάσας: *cùm facra Diis fecit, ipfe quidem*

quo eam obtulerit, & postridie, si quid superfit, comedetur. 17. Quod verò perendie reliquum erit ex carne victimæ, id igne comburetur. 18. Si quid ex carne victimæ salutaris die tertio comestum fuerit, acceptus non erit qui eam obtulerit, ei non imputabitur, fœtida erit, & quicumque ex ea comederit pœnas peccati feret.

19. Caro, quæ quidvis immundi tetigerit, non comedetur, sed igne comburetur; carnem verò *mundam* quivis mundus comedet. 20. At quicumque comederit carnem victimæ salutaris, quæ Jehovæ *oblata est*, cùm immundus esset, is homo è populo suo exscindatur. 21. Quicumque quidvis immundi adtigerit, immunditiem hominis, aut brutum immundum, aut quamlibet aliam rem abominandam, impurámque; & postea comederit ex carne salutaris victimæ, quæ *oblata est* Jehovæ; is homo è populo suo exscindatur.

22. Alloquutus etiam est Mosem Jehova dicens: 23. alloquere Israëlitas his verbis: nullum adipem bovis, agni aut capræ comedetis; 24. adépsque cadaveris, aut discerptæ pecudis, ad omnem quidem *alium* usum, parabitur, at eum non comedetis. 25. Quisquis comederit adipem pecudis, ex qua obtulerit Jehovæ oblationem igne absumendam, is, *inquam*, homo qui comederit è populo suo exscindatur.

26. Nullum etiam sanguinem, seu volucris, seu pecudis, in omnibus vestris habitationibus, comedetis. 27. Quicumque ullum sanguinem comederit, is homo è populo suo exscindatur.

28. Al-

feratur, carne ejus sequente die epulari liceto; 17. sed si quid tertio supererit, flammis absumitor. 18. Si quis servarit diutiùs ejus carnem, irritum fuisse suum sacrificium, apud Deum, intelligito; & si quis eam carnem degustarit, capital esto.

19. Caro quæ immundum quidpiam adtigerit, adeóque immunda facta fuerit, comburitor, sola caro munda à mundis convivis comeditor. 20. 21. Si quis immundus, (quacumque ratione impuratus sit) qui se immundum sciverit, salutaris victimæ carne vesci sustinuerit, is homo ex civitate Hebræa ejicitor.

22. 23. Jussit etiam Jehova Mosem hanc legem, de adipe victimarum, Israëlitis ferre: Nullam partem adipis adolendi oblatæ victimæ comedito. 24. Ne adipe quidem mortuæ, aut discerptæ à fetis

dem cœnare solet apud alium, *& carnes sacri sale adspersas reponere.* Alioquin honestiores solebant vocare amicos, & ad absentes quidqoid supererat carnium ex sacrificio mittere. Hæ satis graves videntur hujus legis ferendæ causæ. Duas tamen alias rationes profert *R. Levis* Barcinonensis. Altera est הגדלת דבר הקרבן *magnificentia oblationis*, quæ sperni visa esset, si corrupta fuisset caro. Sed sale condiri potuit. Altera verò הבטחון בשם *fiducia in Deum*, qoæ ita inculcatur ut homines intelligant de futuro victu anxios esse non oportere, quandoquidem Deus carnem sanctam diu adservari vetat. Vide eum ad Leg. CXXXVIII. pro ordine *Hottingeri.*

18. *Ei non imputabitur*] לא יחשב לו. *Non imputabitur illi*, hoc est, non habebit hoc Deus pro sacrificio sibi debito. Vide not. ad Genes. Cap. XV, 6.

Fœtida erit] *Erit* פגול *phiggoul* fœtor. Vulg. omisit; LXX. Intt. habent *μίασμα pollutio*, Onkelos מרחק *res abjicienda.* Fœtoris significatio, cùm sermo sit de carne servata, aptior visa est, ac sanè *Jonathan* 1. Sam. XVII, 46. פגר *cadavera fœtentia* פגול *phiggoul* vocat. Idem esse videntur פגר *pheger* & פגול *phiggoul*, nam sæpe mutantur invicem liquidæ. Sic, ut putat *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 1. Lib. III. c. 1. שחל schahhal *leo* est à שחר schahhar *niger fuit*, מזלות & מזרות *mazzaloth* & *mazzaroth* dicuntur Planetæ, אלמנות & ארמנות *almenoth* & *armenoth* palatia, אלמנה *almanah* Hebræis vidua vocatur, quæ Chaldæis ארמלה *armelah*, ut idem observavit, loco laudato. Porrò *fœtor erit*, est quasi fœtida habebitur; nam hiberno tempore caro ad tertium diem, sine fœtore facilè potuit servari, & æstate, ne fœteret, sale condiri.

Rabbini, nescio qua de causa, procul à Mosaïcis verbis abeuntes, aiunt פגול esse: קרבן שחשב עליו הכהן המקריב מחשבת פסול בשעת זביחה או הקרבה: *oblationem super qua Sacerdos offerens habet cogitationem profanam, eo tempore quo mactat aut offert.* Definitio est *R. Levis*, quam fusiùs exponit ex aliis Magistris *J. H. Hottingerus* ad Juris Hebræorum Leg. CXLV. Quasi verò Sacerdotis tacitæ cogitationes quidqoam faciant ad ejus pietatem, cujus nomine offertur victima! Quinimo habent Axioma אין מחשבה הולכת אלא אחר העובד אבל מחשבת בעל הקרבן אינה מועלת כלום: *cogitatio sequitur tantùm ministrantem, sed cogitatio domini sacrificii nihil peccat.* Quæ doctrina est Scholasticorum Latinarum Ecclesiarum, in simili negotio, obi dicunt ex *intentione Sacerdotis* pendere Sacramenta. Videntur hæc inventa, ad augendam apud vulgus Sacerdotum reverentiam. Sed hæc nihil ad Mosem. Sint dumtaxat exemplum audaciæ Rabbinorum, qoibus sine ratione adfirmantibus *credat Judæus Apella, non ego.*

Pœnas peccati fert] Hoc est, nullo Sacro hoc expiabit. Non poterat hac in re ignorantiam quisquam causari; quia aderant Sacerdotes, qui singula in sacrificiis observanda docerent. Graves meritò erant pœnæ, quibus obviam ibatur fœdissimæ consoetudini, quâ sacrificia in perpetuas compotationes mutata paullatim fuissent, si in plures dies ejusmodi convivia fuissent protracta.

19. *Caro*] Nempe, victimarum.

Quid-

28. Alloquutus quoque est Jehova Mosem, his verbis: 29. Alloquere Israëlitas dicens: qui offeret victimam suam salutarem Jehovæ, è victima salutari oblationem suam ad Jehovam adferet. 30. Manus ejus adferent ad Jehovam oblationem igne absumendam, adipem cum pectore, & pectus quidem, ut agitetur in oblationem agitatam Jehovæ; 31. adipem verò sacerdos in altari adolebit. At pectus Aharonis ejúsque filiorum erit. 32. Armum etiam dextrum sacerdoti elatam oblationem, ex victimis vestris salutaribus, dabitis. 33. Ei è filiis Aharonis, qui sanguinem salutaris sacri, adipémque obtulerit, armus dexter in partem cedet. 34. Pectus enim agitationis, & armum elationis cepi ab Israëlitis, ex salutaribus eorum sacris, eáque dedi Aharoni sacerdoti, & ejus filiis, institutum in perpetuum *cibum* ab Israëlitis. 35. Hic pastus erit Aharonis, & pastus filiorum ejus, ex victimis igne absumendis Jehovæ, quo die eas offerent, ut sacerdotio Jehovæ fungantur. 36. Hæc eis dari jussit Jehova, eo die quo eos unxit, institutum à filiis Israëlis, in eorum ætates, perpetuum *cibum*.

37. Hæc est lex de holocausto, de donario *farreo*, de victima pro peccato, de victima pro noxa, de ritu instruendi potestate *sacerdotis*, déque victima salutari; 38. quam Jehova Mosi dedit in monte Sinai, quando jussit Israëlitas oblationes suas offerre Jehovæ, in deserto Sinaïs.

VII. Aha-

ris pecudis vescitor; in alios tamen usus, eum parare liceto. 25. Quisquis victimæ adolendum adipem comederit, Hebræis civis ne habetor.

28. 29. Hos quoque ritus, ad victimam salutarem pertinentes, inter Israëlitas instituit Moses, Deo jubente: Qui victimam salutarem mactabit, 30. 31. ejus adipem & pectus ad Sacerdotum adferto; is ad altare agitatum pectus sibi servato, adipem verò adoleto. 32. 33. Armus etiam dexter salutaris victimæ ad altare elatus, ei Sacerdoti, qui sanguinem ejus effuderit ad altaris basin, cedito. 34 *ad* 36. Is Sacerdotum, ex victimis salutaribus, institutum cibarium, quo die eas offerent, in perpetuum esto.

37. Has autem leges, de victimarum mactandarum, & consecrandorum Sacerdotum ritibus, 38. Deus in deserto Sinaïs, antequàm sacra Aharon ejusque filii facere inciperent, per Mosem tulit.

PA-

Quidvis immundi] Casu, nimirum, nam ut capital erat homini immundo comedisse carnem sacram: ita datâ operâ eadem caro non poterat rei immundæ admoveri, quin idem supplicium promereretur, qui hoc facinus commisisset. Absurdè, ut infinita alia, Rabbini volunt non eum, qui fuisset causa pollutionis, sed mundum qui ex re polluta comedisset pœnas luisse. Vide *J. H. Hottingerum* ad Leg. CXLVI.

Carnem verò mundam] *Et carnem omnis mundus comedet carnem.* Supplevimus *mundam*, ut sit oppositio hujus rei antecedentibus. Alii *reliquam*, quod eumdem sensum parit. Posterius בשר *baschar* est loco pronominis. Vide *Sal. Glassium* Gram. Sacræ Lib. III. Tr. 2. c. XIII.

20. *Quicumque*] *Et anima quæ*, ut passim, quod observare ideò omittimus.

Is homo] *Et abscindatur ea anima è populis suis.* Vide not. ad Exod. XII, 19.

21. *Immunditiem hominis*] Hoc est, hominem immundum. Prius substantivum est adjectivi loco, ut *mutationes vestium* Gen. XLV, 22. pro *vestibus mutandis.*

Abominandam, impurámque] *Abominationem immundam*, שקץ טמא *schekets tameh.* Poterat facilè fieri ut victimam ducentes ad Sacra facienda polluerentur incauti, ut si mulieri καταμήνια nondum exspectanti orirentur, & infinita similia contingerent, quod molestissimum fuit. Attamen hæc lex gravissimâ pœnâ sancita est, ut major Sacris conciliaretur reverentia. Maximi etiam momenti dogma, corporis requisitâ tam anxiè munditie, subinnuitur, nempe, animi ipsius virtutem sordibus vitiorum intaminatam esse in eo oportere, qui Deo placere cupit. *Philo* sic orditur librum περὶ θυόντων: Βούλεται τὸν ἀγόμενον τὰς θυσίας ὁ νόμος ΚΑΘΑΡΟΝ εἶναι ΣΩΜΑΤΙ καὶ ΨΥΧΗι· ψυχῇ μὲν ἀπὸ τῶν παθῶν καὶ νοσημάτων καὶ κακιῶν τῶν ἔν τε λόγοις καὶ πράξεσι· τῷ δὲ σώματι ἀφ' ὧν ἔθος αὐτὸ μιαίνεσθαι: *Victimas ducentem lex vult purum esse Corpore & Animo;* ANIMO *quidem adfectibus & morbis, & vitiis tam in verbis quàm in actionibus.* CORPORE *verò iis, quibus soles pollui.* Vide quæ de munditie corporea in Sacris diximus ad Gen. Cap. XXXV, 2.

23. *Nullum adipem*] Vide not. ad Cap. III, vers. 17.

24. *Aut discerptæ pecudis*] *Et adeps discerptionis.*

At eum non comedetis] Ne carnem quidem harum bestiarum comedere licuit. Vide Exod. XXII, vers. 31. De interdicto adipis diximus ad Cap. III, vers. 17.

25. *Adipem pecudis* &c.] Quia adolendus erat Deo, quo fit ut ea tantùm pars adipis, quæ adolebatur, videatur vetari; quis enim potuit ita omnem adipem demere ex carne Salutaris victimæ, quam comedere licebat, ut ne ullam quidem particulam carnibus admistam relinqueret, eámque saltem in jusculum liquefactam hauriret? Placita hac de re Rabbinorum vide apud *J. H. Hottingerum* Leg. CXLVII.

26. *Nullum etiam sanguinem*] Vide not. ad Genes. Cap. IX, 4. & infrà Cap. XVII, 10, & 11.

30. *Manus ejus offerent*] Ut tradat Sacerdoti, qui offerat. Eumdem qui manum victimæ capiti imposuerat oportebat prosicias ejus ad-

VII. Aharonis, ejúſque filiorum, item Tabernaculi & omnium ejus vaſorum conſecratio, prout præcipitur Exodi Cap. XXIX. *Primum ab Aharone oblatum ſacrificium.*

CAPUT VIII. 1. TUM alloquutus eſt Jehova Moſem, his verbis: 2. Sume Aharonem & filios ejus cum illo, veſtes, oleum inunctionis, juvencum oblationis pro peccato, duos arietes & caniſtrum azymorum. 3. Congrega etiam omnem cœtum ad oſtium tabernaculi conventûs. 4. Fecit Moſes quemadmodum eum juſſit Jehova, & ad oſtium tabernaculi conventûs cœtus convenit. 5. Tum verò Moſes cœtui, hoc, inquit, juſſit *me* Jehova facere. 6. *Simul* Aharonem ejúſque filios accedere juſſos aquâ abluit, 7. impoſuitque illi tunicam *interiorem*, eum cinxit cingulo, induit ſuperiore tunicâ, pallium ſuperimpoſuit, eum cinxit texturâ polymitâ pallii, idque ei ex illa ſuſpendit. 8. Tum impoſuit ei pectorale, addiditque ad pectorale Urim & Thummim. 9. Tandem cidarim capiti ejus, & cidari, ab anteriore parte, laminam auteam, *quaſi* ſacrum diadema, impoſuit, quemadmodum juſſerat eum Jehova.

10. Deinde oleum inunctionis ſumſit Moſes, tabernaculúmque, & quæcumque in eo erant inunxit ac conſecravit. 11. Altare quoque eo ſepties adſperſit & unxit, item om-

PARAPHRASIS.

1. TUM juſſit Jehova Moſem 2. ea parare quæ ad conſecrationem Aharonis euſque filiorum parari oportere dixerat, 3. & populum Hebræum ad oſtium Tabernaculi convocare. 4. Cùm omnia

adferre ad Sacerdotem, per alium facere non licebat.

In oblationem agitatam] תנופה *thnouphah.* Vide not. ad Exod. XXIX, 24. Poſtquàm pectus victimæ ita agitatum fuerat, à Sacerdote auferebatur.

32. *Armum etiam dextrum*] Hæc altera pars fuit ſalutaris ſacri, quæ ad Sacerdotem pertinebat. Si quæratur quare armus dexter & pectus Sacerdoti adtribuerentur, non aliæ partes? nihil eſt quod reſpondeamus, niſi perinde quidem fuiſſe ſi res in ſe ſpectetur, ſed cùm aliqua pars cedere deberet Sacerdoti, has pro libitu, quæ non ſunt ſpernendæ, à Legiſlatore eſſe definitas. Myſticas alias rationes adfert *Philo*, in libro de præmiis Sacerdotum: Παντὸς ἱερείου προστέτακται δύο τοῖς ἱερεῦσιν ἀπὸ δυοῖν δίδοσθαι μελοῖν· βραχίονα μὲν ἀπὸ χειρὸς δεξιᾶς, ἀπὸ δὲ τοῦ στήθους ὅσον πῖον· τὸ μὲν ἰσχύος καὶ ἀνδρείας καὶ πάσης νομίμου πράξεως, ἔν τε τῷ διδόναι καὶ λαμβάνειν καὶ ἐνεργεῖν σύμβολον· τὸ δὲ τοῦ περὶ τὸν θυμὸν ἵλεω πρᾳότητος, ἐνοικεῖν γὰρ αὐτὸν λόγος ἔχει τοῖς στήθεσιν, καὶ τὰ ἑξῆς: *ex omni victima præceptum eſt duo Sacerdotibus ex duobus membris dari. Armum quidem dextrum, & totam pectoris pinguedinem; quorum alterum eſt ſymbolum potentiæ, fortitudinis, & omnis legitimæ actionis, in dando & accipiendo & agendo; alterum verò miſericordis manſuetudinis in cohibenda ira, aiunt enim hanc ſedem habere in pectore.* Sed ſi quævis alia membra dixiſſet Deus dari Sacerdotibus oportere, ſimiles rationes non defuiſſent.

34. *Inſtitutum cibum*] לחוק *lhhok*, quæ vox in re ſimili adhibetur Gen. XLVII, 22.

35. *Hic paſtus erit*] זאת משחת *zoth miſchhhath.* LXX. Intt. αὕτη ἡ χρίσις, Vulg. *hæc eſt unctio*, quod interpretantur præmium, aut mercedem unctionis, ſeu quod Sacerdotibus ſolvebatur eo quòd uncti eſſent. Sed obſtat ſimilis locus Num. XVIII, verſ. 8. *Dedi tibi obſervationem elationum mearum ex omnibus ſacris Iſraëlitarum, eas tibi dedi* למשחה *ad ungnendum*, aut *convivandum, & filiis tuis in inſtitutum perpetuum.* Hîc enim nihil ſimile poteſt ſubandiri. Itaque confugimus ad ſignificationem Æthiopicam radicis משח, quæ apud Hebræos idem interdum ſignificarit ac apud Æthiopas, nempe, *convivari, epulari.* משח *myſchabby*, apud eoſdem, eſt convivium. Atque hæc ſignificatio optimè hiſce locis convenit, cùm reliquæ interpretationes duræ & contortæ ſint. Æthiopicam Linguam ad illuſtrandam Hebraïcam utilem eſſe oſtendimus, inſigni exemplo ad Exod. Cap. XV, 24.

37. *De ritu inſtruendi poteſtate*] למלואים *lammillouim.* Vid. not. ad Exod. XXVIII, 41. Mirum eſt huic brevi ἀνακεφαλαιώσει hoc addi, cùm alio tempore dictum ſit Moſi, ut conſtat ex Exod. XXIX. ſed perpetua hæc eſt Hebræorum veterum ἀμεθόδευτα.

COMMENTARIUS

In CAPUT VIII.

5. CAniſtrum azymorum] Quæ ad hos ritus obſervanda habuimus, ea jam diximus ad Exodi Cap. XXIX. neque repeti hîc opus eſt. Paucula dumtaxat addemus. Dignum eſt obſervatu veteribus etiam Græcis, inter ſupellectilia ſacra, Κανᾶ, hoc eſt, *caniſtra* fuiſſe. *Pollux* Onomaſtici Lib. I. c. I. n. 29. inter τὰ πρὸς θυσίαν recenſet κανᾶ, unde dictæ Κανηφόροι, quæ ea ferebant. *Ariſtophanes* in *Acharnenſibus* Act. II. S. 1.

Πρόιθ' ἐς τὸ πρόσθεν ὀλίγον ἡ κανηφόρος.

Procede ulteriùs tu quæ caniſtrum fers. Ad quem locum *Scholiaſtes*: κατὰ τὴν τῶν Διονυσίων ἑορτὴν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, αἱ εὐγενεῖς παρθένοι ἐκανηφόρουν. ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ· ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς

omnia ejus vasa, labrum, basínque ejus ut consecrarentur. [12] Ex *eodem* inunctionis oleo aliquantum capiti Aharonis adfudit, eúmque ut consecraretur inunxit.

[13] Tum Moses accedere jussit filios Aharonis, induit eos tunicis, cinxit baltheo, redimivitque mitris, prout à Jehova jussus fuerat.

[14] Postea juvencum victimam pro peccato admovit, cujus juvenci pro peccato mactandi capiti Aharon ejusque filii nitentes manus imposuere. [15] *Hunc* Moses mactavit, ejus sanguinem sumsit, eo circumquaque altaris cornua digito illevit, atque *hoc ritu* altare mundavit; tum sanguine ad basin ejus effuso, ut in eo *posthac* fieret expiatio, consecravit. [16] Exin omnem adipem tegentem intestina, maximum jecinoris lobum, duos renes, horúmque adipem sustulit Moses, atque in altari adolevit. [17] Juvencum verò, pellem, carnem, fimum ejus, extra castra, prout à Jehova jussus fuerat, combussit.

[18] Admovit quoque Moses arietem holocausti, capitíque ejus arietis Aharon & filii manus nitentes imposuerunt. [19] *Hunc* mactavit Moses, sanguinéque ejus altare circumquaque adspersit. [20] Arietem in frusta prosecuit, capútque ejus, prosicias, & adipem adolevit. [21] Intestina autem & crura aquâ abluit; totúmque adolevit arietem, in altari. Hoc erat holocautoma, in odorem placamenti; hæc oblatio igne absumenda Jehovæ, ut Jehova Mosem jusserat.

[22] Tum

nia parasset Moses, populúsque convenisset, * dixit se à Deo id jussum facere quod illico essent conspecturi, ut populi Hebræi publici Sacerdotes consecrarentur. * *ad* v. Hæc cùm dixisset, riti-

πομπὰς ἀπάντων ἐπίθεσαν : *in festo Bacchi, apud Athenienses, nobiles virgines canistra ferebant. Erant autem ex auro facta, in quibus primitias omniam ponebant.* Vide & *Suidam* & *Hesychium* in Κανηφόροι.

6. *Accedere jussos*] *Et fecit adpropinquare, — & lavit eos.* Non consulit Moses hîc plebem, de electione Pontificis Maximi, sed sibi à Deo in mandatis data exsequitur. Ac sanè Dei potiùs erat, quàm populi, sibi Sacerdotem eligere; quippe qui solus novit, cujus sibi gratissimæ sint preces. Sic & Apostoli, cùm duos homines elegissent spectatæ virtutis, quorum alterum collegio suo adgregarent; sortibus, hoc est, Deo, ut ipsi interpretantur, alterutrius electionem permiserunt, Act. I, 24. Hoc ipsum in Reipublicæ condendæ Sacerdotibus eligendis fieri volebat *Plato*, de Legib. Lib. VI p. 616. Ed. Fic. Gen. Τὰ μὲν οὖν τῶν ἱερέων τῷ Θεῷ ἐπιτρέποντα αὐτῷ τὸ κεχαρισμένον γίγνεσθαι, κληροῦν οὕτω τῇ θείᾳ τύχῃ ἀποδιδόντα, *quæ ad sacerdotes pertinent, Deo sunt permittenda, ut quemadmodum illi placet, ita divinâ fortunâ cui tributum id sit, sortes ferat.* Postea etiam addit quæ non sunt ab Hebræorum legibus aliena, quæ alibi proferemus.

7. *Texturâ polymitâ pallii*] בחשב האפד *bhbescheb haephod.* Vide not ad Exodi Cap. XXVIII, 8. Cinctus erat Pontifex Maximus texturâ pallii, quòd pallio & funiculis pectorali adnexis, totum ejus corpus circumdaretur.

Suspendit] יאפד *jeephod*, de qua voce vide dicta ad Exodi Cap. XXV, 7. Ceterùm hîc ordo vestiendi Aharonis non videtur idem planè qui describitur Exod. C. XXIX, 5. & seqq. Illic enim cingulum imponitur non interiori tunicæ, sed superiori; hîc verò videtur, si ordinem verborum spectemus, interiori tunicæ impositum. Verisimile est superiori, adeóque laxiori tunicæ impositum cingulum; quod nullius usus fuisset, si interiorem tantùm cinxisset; & hoc in loco narrandi ordinem non fuisse adcuratè servatum, quod non rarum est, in hisce libris. Vide Exod. XXIX, 7.

8. *Addidit ad pectorale*] Hinc liquet *Urim & Thummim* fuisse separatum quiddam à pectorali. Vide not. ad Exod. Cap. XXVIII, 29.

9. *Sacrum diadema*] Vide not. ad Exod. Cap. XXXIX, 10.

Eum] *Mosem.* Substantivum pro Pronomine, ut alibi passim. Vide vers. 11.

11. *Et unxit*] Repetitur *altare.*

15. *Hunc Moses mactavit*] *Et mactavit, & cepit Moses sanguinem.* De hoc ariete ita *Philo* de Vita Mosis Lib. III. p. 523. ἀχθῆναι κελεύσ— ἵνα θύσῃ περὶ ἀφέσεως ἁμαρτημάτων, αἰνιττόμενος ὅτι παντὶ γενητῷ, κἂν σπουδαῖος ᾖ, παρ' ὅσον ἦλθεν εἰς γένεσιν, συμφυὲς τὸ ἁμαρτάνειν ἐστί: *jubet duci ut immolaret pro remissione peccatorum, innuens omni genito, quantumvis bono, ob hoc ipsum quòd natus sit, cognatum esse peccatum.* Verùm Historia vituli aurei, ejúsque invidia in fratrem ostendunt Aharonem non fuisse usque adeò σπουδαῖον, ac credidit *Philo.*

17. *Combussit*] Aut comburi curavit.

18. *Arietem holocausti*] Hujus sacrificii rationem ita exponit *Philo*, loco memorato: τῶν δὲ κριῶν τὸν μὲν ἕτερον εἰς ὁλοκαύτωμα εὐχαριστήριον τῆς τῶν ὅλων διοικουμένων τῶν ἀπὸ τῶν στοιχείων ὠφέλειαν: duci jussit *arietum alterum in holocautoma, quo gratiæ agerentur pro omnium rerum administratione, cujus quisque pro sua parte est particeps, fruens utilitate quæ ex elementis manat.* Hoc spectat, ut videtur, Salutaria Sacra. Holocautomata ad iram deprecandam potiùs pertinuisse crediderim.

22. *Consecrationis*] מלאים *milluim*, hoc est, *impletionum*; subanditur *manuum*, nam *implere manus* est consecrare, seu potestatem fungendi sacerdotio conferre. Vide not. ad Exod. XXVIII, vers. 41.

27. *Agitando obtulit*] *Agitavit agitationem*, de qua phrasi vide not. ad Exod. Cap. XXIX, 24.

31. *Ad ostium tabernaculi conventûs*] Exodi Cap. XXIX, 31. est *in loco sancto*, hoc est, intra Atrium, quod spatium complectebatur Deo sa-

[22] Tum alterum arietem, arietem consecrationis admovit, Aharon verò & ejus filii capiti ejus manus nitentes imposuerunt. [23] Deinde *arietem* mactavit Moses, cepit aliquantum ex ejus sanguine, eóque lobum auris dextræ Aharonis, pollicem manûs dextræ, & pollicem pedis dextri illevit. [24] Jussit etiam Moses Aharonis filios accedere, atque eo sanguine lobum auris eorum dextræ, pollicem dextræ manûs, & pollicem pedis dextri illevit, & *reliquo* sanguine altare circumquaque adspersit. [25] Deinde abstulit adipem & caudam, omnem adipem intestina tegentem, maximum jecinoris lobum, duos renes, eorúmque adipem, & armum dextrum. [26] Ex canistro verò azymorum, quod erat coram Jehova, popanum azymum unum, placentam panis oleo *misti* unam, & laganum unum cepit, atque hæc adipi & dextro armo imposuit. [27] Postea hæc omnia Aharoni, filiísque ejus in manum tradidit; & *per eos* agitando coram Jehova obtulit. [28] Denique hæc ex eorum manibus recepit Moses, adolevítque in altari, cum holocautomate. Hæ *fuere victimæ* consecrationis in odorem placamenti, hæc oblatio igne absumenda Jehovæ. [29] Pectus verò abstulit Moses, idque agitando Jehovæ obtulit ex ariete consecrationis. Hoc autem Mosi in partem cessit, prout eum jusserat Jehova.

[30] Deinde aliquantum ex oleo inunctionis, & sanguine, qui ad altare erat, sumsit Moses, iisque Aharonem, & vestes ejus, filios, eorúmque vestes simul adspersit; & *sic quidem* Aharonem, ejúsque vestes, filios & eorum vestes unà cum illo consecravit.

[31] Dixit

ritibus à Deo antea præscriptis (*Exod. C. XXIX.*) fratrem & fratris filios consecravit, & mandatis à Deo acceptis instruxit.

[33] Præterea vetuit eos per septiduum ab ostio Tentorii Conventûs abire, quod eo tempore opus esset, ut sacerdotali muneri consecrarentur. [34] Adjecit nihil à se fieri in eorum purificatione, quod à Deo in mandatis non accepisset, [35] jussit etiam eos noctu & interdiu manere per septem dies ad ostium Tabernaculi Conventûs; quod si negligerent, pœnas Deo morte luituros. [36] Aharon verò ejusque filii dicto Mosi audientes fuerunt.

[1] Omnibus septidui sacris peractis, vocavit Moses

sacrum. Addunt hîc Samaritæ במקום הקדש *bammakom hakkodesch*, & LXX. Intt. ἐν τόπῳ ἁγίῳ, *in loco sancto*.

Carnem coquite] Præter proficias adolendas, quæ memorantur Exod. XXIX, 22. Adolebantur autem arietis cauda, cum adipe adjuncto, omentum, maximus jecinoris lobus, & renes cum adipe proximo. Pectus Mosi cessit, reliqua Aharoni, & quatuor filiis, quæ intra diem unum vix comedere potuerunt. Aliquot post seculis, classis Sacerdotum, unà ministrantium, majorem multò carnis copiam absumsit.

Præcepi] צויתי *tsivvethi*, pro mandatis à Deo acceptis, Exod. XXIX, 31. & seqq. LXX. Intt. συντέτακταί μοι; & Vulg. *sicut præcepit mihi Dominus*. Legerunt צֻוֵּיתִי in Puhal, quod fortasse aptius, neque enim antea Aharonem hoc jussisse legitur Moses. Vide vers. 35.

33. *Ex ostio tabernaculi conventûs*] Hoc est, ex ostio atrii, neque enim licuisset Sacerdotibus in ipso Tabernaculo dormire, aut etiam excrementa egerere. Ex antecedentibus manifestò liquet eos extra Tabernaculum versatos, ad sacra facienda, & coquendas ac comedendas victimarum carnes. Itaque hîc est ingens ἀκυρολογία, cùm propriè אהל non dicatur atrium.

33. *Per septem dies*] Sunt qui velint totam vitam Sacerdotum hoc septiduo significari, ut intelligerent se Deo per totam vitam sacros fore. Malim dicere monitos hoc dierum numero fuisse Sacerdotes, se ei Numini consecrari, qui septem diebus omnia creavit. Vide not. ad Exod. Cap. XXVIII, 41.

34. *Hodie factum est*] עשה *fecit*, quod alii exponunt *fecit per me*, nempe, Deus. Maluimus cum Vulgato passivè vertere, cùm sæpè apud Hebræos verba activa, nullo addito nominativo, passivè sumantur. Sic 1. Sam. XXIII, vers. 22. אמר אלי *amar elai* est pro, *dictum est mihi*. Vide quæ collegit *Sal. Glassius* Gram. Sacr. Lib. III. Tr. 3. Can. 23. & quæ observavimus de verbo קרא, ad Gen. Cap. XI, 9.

35. *Ad ostium*] ופתח *& ostio*, subaudiendum אל el, *ad*, hoc est, non digrediemini procul ab hoc ostio. Vide vers. 33.

Quod observari vult Jehova observabitis] שמרתם את משמרת schmarthem eth mischmereth, *servabitis servationem*. Phrasis hæc in hoc libro & in Numeris non infrequens est, ad significandam *observationem* præceptorum divinorum, & *curam* etiam rerum commissarum gerendam. Vide Num. Capp. III, & IV.

Neque moriemini] Subità enim morte Deus ultus esset sui contemtum; cujus rei exemplum habemus Cap. X.

In Caput IX.

1. *Israëlisque senes*] Erat certus numerus senum, qui in maxima existimatione erant apud populares suos, & quos Moses convocare solebat, ut iis mandata Dei exponerent. Vide Num. XVI, 2. Inter hos fortè erant Chiliarchi, Centuriones & ceteri Magistratus, ex consilio Jethronis instituti.

3. *Israëlitas*] Pro בני ישראל *bne jischrael* legunt

31. Dixit deinde Moses Aharoni ejúsque filiis: ad ostium tabernaculi conventûs
carnem coquite, eámque & panem qui est in canistro consecrationis illic edite;
quemadmodum præcepi, dicendo: Aharon & filii ejus eam comedent. 32. Quod
supererit verò, ex carne & pane, id igne comburetis.
33. Interea ex ostio tabernaculi conventûs non egrediemini, per septem dies, us-
que ad diem quo expleti fuerint dies consecrationis vestræ: septem enim diebus,
potestate *fungendi sacerdotio* instruemini. 34. Quemadmodum hodie factum est, jus-
sit Deus fieri, ut expiaremini. 35. Ad ostium tabernaculi conventûs noctu & inter-
diu, per septem dies manebitis, quod observari vult Jehova observabitis, neque
moriemini, hoc enim in mandatis accepi. 36. Aharon verò & filii ejus omnia, quæ
Jehova per Mosem edixerat, fecerunt.
1. Octavo verò die, vocavit Moses Aharonem & filios, Israëlisque senes. 2. Tum CAPUT
Aharoni: sume tibi, inquit, juvencum mactandum pro peccato, arietémque in ho- IX.
locautoma, utrúmque sine vitio, atque eos coram Jehova offer. 3. Alloquere etiam
Israëlitas, his verbis: capite hircum pro peccato mactandum; vitulum & agnum
anniculos sine vitio, in holocautoma; 4. taurúmque & arietem, in salutaria sacra,
ut mactentur coram Jehova; donarium denique *farreum* oleo mistum, quia vobis
hodie adparebit Jehova.
5. Sumserunt illi quod jusserat Moses, *ducendum* ad anteriorem partem taberna-
culi conventûs, accessitque omnis cœtus & coram Jehova stetit. 6. Tum verò Mo-
ses

ses ad se Aharonem ejúsque filios, & honoratissimos quosque Hebræi populi senes. 2. Ibi jussit Aharonem sibi parare juvencum, pro peccato offerendum, & arietem in holocautoma, in quibus nullum esset vitium, quos Deo mox offerret. 3. Per eum præterea populo Hebræo edixit, ut hircum, pro peccato mactandum; vitulum & agnum anniculos, in holocautoma; 4. taurumque & arietem ad sacrificium salutare, cum præscriptis antea donariis farreis, ad se adducerent; & peractis rite sacris, nubem divinæ præsentiæ symbolum ab omnibus conspectum iri.

5. Paruerunt illi Mosi, Aharónque, cum omni cœtu & victimis, ad ostium tabernaculi se se contulit, 6. Moses verò pollicitus est Deum, spectante Israëlitico populo, eo die miraculum insigne edi-

gunt Samaritæ זקני *zikne* senibus, & LXX. habeut τῇ γερουσίᾳ.

4. *Adparebit Jehova*] Nubes, nimirum, in Tabernaculum descendet.

5. *Sumserunt ducendum ad*] Hæc est vis verbi לקח *lakahh* conjuncti cum dativo, aut præpositione אל el, ut in hoc loco.

Ad anteriorem] אל פני אהל *el phne ohel*, ad faciem Tentorii. Obsequuti sunt Mosi Israëlitarum proceres, qui & manum victimæ, nomine totius cœtûs, imponebant. Vide suprà Cap. IV, 15.

6. *Ejusque gloria*] Hoc est, miraculum, quo ignis ex Adyto egressus holocautoma absumsit. Vide not. ad Exodi XVI, 7.

7. *Macta victimam tuam pro peccato*] עשה את חטאתך hasche eth hhatathcha, *fac peccatum tuum*. Hebræi enim dicunt *facere victimam*, ut Latini *facere victimâ*.

9. *Altaris cornua*] Videtur intelligi altare holocautomatis, de quo in sequentibus verbis. Alioqui sanguine victimæ pro peccato Pontificis Maximi oblatæ illini debuerunt cornua altaris suffitûs, ut docet Moses Levit. IV, 7 Verùm ante hoc sacrificium peractum, nondum plenè consecratus habebatur; ideóque non aliter ac privati peccatum ejus expiabatur.

10. *Prout Mosem Deus jusserat*] Nempe, suprà Cap. IV, 8, 9, 10.

12. *Porrexerunt ei sanguinem*] Quem exceperant vase. Quod suprà vers. 9. significat יקריבו jakribou *admovebant*, hoc ipsum hîc significat verbum ימציאו jamtsiou, *invenire fecerunt*, hoc est, porrexerunt, ut eum quærere necesse non esset.

13. *Holocautomatis proficias*] עלה לנתחיה holah linthahhau, *holocautoma in proficias suas*, hoc est, profectum ut oportebat.

16. *Pro ritu*] כמשפט chammischphat, *pro ritu*; nempe, à Deo instituto. משפט propriè *judicium*, deinde *jus*, *ritum*, *consuetudinem* sonat, ut docebunt Lexicographi.

17. *Præter donarium holocautomatis*] Nam præter extraordinaria Sacra, quotidie matutinum & vespertinum holocautoma offerri oportuit. Vid. Exod. XXI, 38. & seqq. ubi quale esset hoc donarium docet Moses.

18. *Salutares populi victimas*] זבח שלמים אשר לעם *sacrificium salutum*, *quod populi*.

19. *Omentum*] המכסה hamchasse, *tegens*, nempe, viscera. Vide not. ad Cap. III, 9.

31. *Prout præceperat Moses*] Suprà Cap. VII, 30, 31.

22. *Manus suas sustulit*] Solebant bene precantes manus iis quibus bene precabantur interdum imponere, ut liquet ex Gen. XLVIII, 14. Quod cùm non posset facere Aharon, manus è longinquo sustulit ad populum conversus. Sic & Christus, manibus sublatis, bene precatur discipulis Luc. XXIV, 50. ubi vide *H. Grotii adnotata*. Videtur autem usus formula, quæ exstat Num. VI, 24.

22. *Abiit*] *Descendit*. Sunt qui velint Mosem dici *descendisse*, quòd altare, ad quod stabat, clivo quodam esset cinctum, quo fiebat ut populo superius esset. Clivum autem fuisse ad altare probare conantur verbis Exodi XX, 26.

 Sed

ses *cœtui* : hoc quod jussit Jehova facietis , ejúsque gloria à vobis conspicietur.
7. Aharoni autem, accede, inquit, ad altare, macta victimam tuam pro peccato,
& holocautoma tuum , téque & populum expiato ; dein mactabis oblationem po-
puli, eúmque, ut jussit Jehova, expiabis.
8. Accessit verò Aharon ad altare, & vitulum suum , pro peccato offerendum,
mactavit. 9. Deinde filii Aharonis *victimæ* sanguinem ei admoverunt, in quem di-
gitum mersit, eóque altaris cornua illevit, & *reliquum* sanguinem ad altaris basin
effudit. 10. Tum adipem, renes, & maximum jecinoris lobum hostiæ pro pecca-
to adolevit in altari, prout Mosem jusserat Deus; 11. carnem verò & pellem, extra
castra, igne combussit.
12. Postea mactavit holocautoma, & filii Aharonis porrexerunt ei sanguinem, quo
altare circumquaque adspersit. 13. Holocautomatis deinde prosicias , & caput tradi-
derunt, quæ in altari adolevit. 14. Abluit postmodum viscera & crura, eáque in al-
tari adolevit supra holocautoma.
15. Exin populi oblationem admovit , & cepit quidem hircum populi pro peccato
mactan-

editurum. 7. Tum Aharonem , pro se & pro populo, victimas adductas mactare jussit.
8. Primùm itaque jugulavit Aharon vitulum , quo peccata sua expiaret , 9. ejúsque sanguine à filiis pelve excepto illevit cornu altaris holocautomatum , & reliquum ad ejus basin effudit.
10. Deinde solitas prosicias porrexit, 11. carnem verò reliquam & pellem victimæ, extra castra in loco puro comburendas, tradidit.
12. 13. 14. Tum arietem in holocautoma, prout à Mose jussus fuerat, adolevit.
15. 16. Postea populi victimas obtulit, & primùm quidem hircum pro peccato, vitulumque & agnum, in holocautoma. 17. Donarium etiam farreum admoveri jussit, & quantum farinæ volâ continere potuit , in altare conjecit. 18 *ad* 21. Tandem salutares populi hostias, taurum & arietem mactavit, ritu à Mose instituto ; eorumque pectora & ar-

Sed vide quæ ad eum locum observavimus. *Descendere* & *adscendere* passim *abire* significant, nullâ ratione sitûs locorum habitâ , ut ostendimus ad Gen. Cap. XXVIII, 1. Itaque hoc vult Moses, Aharonem postquàm rite victimas mactasset & populo bene precatus esset , ab altari recessisse.

23. *In tabernaculum*] Ut Moses Aharoni ostenderet quomodo esset suffitus adolendus, ut jubet Deus Exod. XXX. 7, 8. Videtur Aharon Nadabo & Abihuo, prout à Mose edoctus fuerat , rem faciendam demandasse ; quam malè exsequuti sunt , ut docemur Cap. X. Alioqui suffitu à patre oblato, non adgressi essent iterum suffire Tabernaculum. De Aharonis in Tabernaculum ingressu ita *Philo* de Vita Mosis Lib. III. p. 523. Μωϋσῆς μὲν εἰς τὴν σκηνὴν εἰσέρχεται τὸν ἀδελφὸν ἐπαγόμενος — εἰσελθὼν δὲ ἀναδιδάσκει, οἷα ὑφηγητὴς ἀγαθὸς , εὐμαθῆ γνώριμον , ὃν χρὴ τρόπον τὸν ἀρχιερέα τὰς εἴσω ποιεῖσθαι λειτουργίας : *Moses ingreditur in Tabernaculum fratrem intromittens* —— *ingressus verò docuit ut bonus magister docilem discipulum , quâ ratione oporteat Pontificem Maximum interiores ritus perficere.*

24. *E conspectu Jehovæ*] E Tabernaculo, seu è media nube, quæ Tabernaculum impleverat. Tempore Salomonis è cœlo descendit 1. Reg. VIII, 10, 11, 12. De hoc igne varia commenti sunt Judæi veteres & recentiores. *Philo* de vita Mosis Lib. III. p. 523. Ἐκ τῶν ἀδύτων , εἴτε αἰθέρος ἀπόσπασμα τοῦ καθαρωτάτου , εἴτε ἀέρος κατὰ τὴν τῶν στοιχείων φυσικὴν μεταβολὴν ἀναλυθέντος εἰς πῦρ, αἰφνίδιον ἀθρόα φλὸξ διεκπαίει καὶ συντόνῳ ῥύμῃ φέρεται μὲν ἐπὶ τὸν βωμὸν , τὰ δ᾽ ἐξ αὐτοῦ πάντα ἐξαναλίσκει , ἀθῆς , οἶμαι , σαφεστάτην δήλωσιν ὅτι οὐδὲν ἄνευ θείας ἐπιφροσύνης ἐπετελεῖτο : *ex adytis , sive ætheris pars purissimi , sive aër , pro mutatione elementorum , quæ naturâ fit , in ignem resolutus , emicat repente ut flamma vehemens , quæ rectâ fertur ad altare & quæ in eo sunt omnia absumit , in argumentum manifestum , ut opinor , nihil sine divina cura peractum fuisse. Josephus* verò Lib. III. c. 8. ἐπικειμένων δὲ τῶν ἱερείων τῷ βωμῷ αἰφνίδιον ἐκ αὐτῶν πῦρ ἀνήφθη αὐτόματον , καὶ ὅμοιον ἀστραπῆς λαμπηδόνι ὁρώμενον : *impositis autem hostiis super altari , repente ex iis spontaneus ignis accensus est , & similis fulgetri splendori conspectus.* Sed cùm Moses dicat flammam prodiisse *è conspectu Jehovæ* מלפני יהוה credibilius est hunc ignem fuisse ejus particulam , qui noctu splendere solebat circa Tentorium. Qualis autem ille ignis fuerit quærere nihil adtinet , cùm nihil præter inanes conjecturas possit proferri. Placita Rabbinorum recentiorum legat , qui volet , in *Historia ignis sacri* à *Joann. Buxtorfio* consarcinata.

Adipes absumsit] Salutarium , nempe, victimarum, quarum adeps ultimus altari impositus fuerat , reliquis absumtis igne ab Aharone accenso. Ostendit Deus sibi placuisse Aharonis sacra, ejúsque consecrationem ita ratam habuit. Sic volunt Deum significasse gratiorem sibi fuisse Abelis, quàm Kaïnis oblationem. Pro eo quod legimus *respexit Jehova* Gen. IV, 4. verterat Theodotion ἐνεπύρισεν *incendit.* Sed & certò constat adprobatorum Sacrorum hoc fuisse indicium , ex Jud. VI, vers. 21. 1. Reg. XVIII, 1. Rabbini contendunt, ut diximus ad Cap. VI, 12. semper altari adfuisse eum ignem, ad Salomonis usque ævum , quo nova ejusdem ignis particula è cœlo delapsa est. Interpretes nonnulli Christiani Magistris adsentiuntur ; qui deberent, eodem jure, Monachorum omnibus traditionibus de primo sæculo, seu Apostolica ætate, credere , neque enim Monachorum commenta Rabbinicis deteriora sunt,

Quo conspecto] Quia, nimirum, intellexerunt gra-

mactandum, mactavit, & pro peccato, ut priorem, obtulit. 16. Admovit inde holocautoma, eóque pro ritu *memorato* fecit. 17. Donarium dein *farreum* admovit, eóque implevit volam, & in altari, præter *donarium* holocautomatis matutini, adolevit. 18. Mactavit etiam taurum & arietem, salutares populi victimas, & filii Aharonis ei sanguinem porrexerunt, quo altare circumquaque adspersit. 19. Adipes verò tauri & arietis, *arietis* caudam, omentum, renes & maximum jecinoris lobum *prosecuerunt*, 20. & posuerunt adipes juxta pectora; atque adipes quidem *Aharon* in altari adolevit, 21. pectora verò & armum dextrum agitavit in oblationem agitatam coram Jehova, prout præceperat Moses.

22. Deinde Aharon manus suas sustulit, ad populum *conversus*, eique bene precatus abiit à mactatione victimarum pro peccato, holocautomatis & salutarium hostiarum. 23. Iverunt etiam Moses & Aharon in tabernaculum conventûs, & cùm egressi essent & populo bene precati, à toto populo conspecta est gloria Jehovæ. 24. Tum ignis è conspectu Jehovæ egressus holocautoma & adipes in altari absumsit; quo conspecto, universus populus, præ lætitia, exclamavit & in vultum procidit.

VIII. Na-

armos dextros, coram Deo ad altare agitata, sibi abstulit.

22. Absnlutis sacris, Aharon populo, sublatis manibus, bene precatus est, formulâ à Deo dictatâ, quam alibi proferemus, atque ab altari discessit. 23. Ingressus deinde est Tabernaculum, unà cum Mose, & cùm egressi populo iterum bene precati essent; tum verò nubes à toto populo conspecta est, 24. & paullò pòst ex Adyto erupit ignis, qui rectà in altare tetendit, & victimarum, quæ supererant, proficias in altari absumsit. Quod ubi vidit populus Hebræus, non potuit sibi temperare quin exclamaret præ lætitia, ob tam faustum sacrorum Deo acceptorum indicium, sed simul ob Numinis præsentis reverentiam in vultum omnes, contra intueri non ausi, concidere.

P A-

grata Numini esse Sacra, & Sacerdotes acceptos. Verè dixit Scriptor libri *Chozri*, si sacrificia in se spectentur, ex iis conjecturam non posse fieri an Deo gratasint nécne; tum enim Sacerdos lanii potiùs, quàm boni viri, officio fungitur. Quia memorabilia sunt verba, ea Hebraïce & Latinè adferemus. Exstant Part. III. ejus libri. Cap. 53. תשחט הכבש על הדמיון ותתלכלך בדמו ותפשטהו ובחוצית מעיו והדחתו ונתחו וזריקת דמו ועריכת עציו והקדחת אשו ואלו לא היה במצות אלהים היית לועג למעשים האלה והיית חושב כי הם מרחיקים מן האלהים לא מקריבים עד שכאשר ישלם כראוי ותראה האש: *si mactes agnum similiter, te conspurces ejus sanguine, eum excorians, & abluendo ejus viscera, eum lavans, & ejus proficias, sanguinem ejus spargas, ligna componas, accendas ignem, & ista non sint ex præcepto Dei; rideas eos ritus, & existimes eos removere à Deo, non ei admovere, donec omnibus peractis ut vidisti, cernas ignem.* Ignis, nimirum, ille est, ut docet ejus Interpres: היורד מלמעלה לקבל הקרבן ברצון *ex alto descendens ad accipiendam oblationem cum benevolentia.* Hebræi proceres tum demum de suis Sacris dicere jure merito potuerunt, quod de suis perperam dictitabant Ethnicorum Sacerdotes: *εἰ μὲν ὂν ἀνθρώπινα ἔθη ταῦτα ἦν μόνον, καὶ διὰ τῶν ἡμετέρων νομίμων ἐπεκυροῦτο, εἶχεν ἄν τις λέγειν ἡμετέρων ἐπινοιῶν εὑρέσεις εἶναι τὰς τῶν θεῶν ἁγιστείας· νῦν δὲ θεὸς ἐστιν αὐτῶν ἡγεμὼν, ὁ ἐπὶ θυσίαν οὕτω καλούμενος, καὶ θεοὶ καὶ ἄγγελοι περὶ αὐτὸν παμπληθεῖς ὑπάρχουσιν: si hæc essent duntaxat consuetudinis humanæ, & nostris tantùm constitutionibus firmarentur, aliquis posset dicere nostrarum cogitationum inventiones esse; nunc autem Deus horum dux est qui ita ad sacrificia vocatus, Deique & Angeli multi circa eum adsunt. Jamblichus de Myst.* Sect. V. c. 25.

Præ lætitia exclamavit] Est una vox Hebraïca ירנו *jaronnou.* Hæc propria significatio vocis רנן *ranan*, ut ex collatione locorum manifestissimè adparet, & docebunt Lexicographi. Attamen LXX. Intt. habent *ἐξέστη*, quasi populus compos sui non fuerit, & Vulg. *laudaverunt Dominum.*

In vultum procidit] Quia lætitiæ mistus erat metus præsentis Numinis. Vide Exod. XXXIV, 8. Similem adfectum describit Psaltes Ps. II, 11. his verbis: *Colite Jehovam in timore, & exsultate in tremore.*

COM-

VIII. Nadabi & Abihui mors. Sacerdotes alii vetantur eos lugere ; & vino dum sacra faciebant uti, castigantúrque, ob ritus legitimos omissos.

CAPUT X. 1. AT Aharonis filii, Nadabus & Abihuus, quisque sumtis acerris indiderunt
ignem, suffitúmque ei imposuerunt; tum ignem alienum, quod iis non præ-
ceperat, coram Jehova obtulerunt. 2. Egressus verò est ignis à Jehova, qui
eos ambussit; & coram Jehova mortui sunt. 3. Moses autem Aharoni, hoc est, in-
quit, quod dixit Jehova, his verbis: ab iis qui ad me propiùs accedunt sanctè habe-
bor, & coram omni populo gloriam consequar. Aharon verò siluit.
4. Dein-

PARAPHRASIS.

1. FAUSTA tamen alioqui Sacra duorum Aharonis filiorum morte pænè funestata sunt. Cùm enim Moses jussisset eos qui suffitum Deo offerrent, eum igne ex altari sumto accendere, Nadabus & Abihuus, præcepti hujus immemores, acerris suis imposuerunt suffitum, aliúmque ignem, atque in tentorium suffitum oblaturi ingressi sunt. 2. Tum verò ex Adyto emicuit ignis, qui eos illico ambussit & suffocavit. 3. Quâ re intellectâ, Moses accessit, atque à Deo oraculum accepit; quo Numen suum profano igne offensum questus, reverentiùs à Sacerdotibus suis sua Sacra tractanda esse dixit; séque honorem suum, coram omni populo, subitâ morte duorum Aharonis filiorum, vindicasse professus est. Audita hæc Moses Aharoni retulit, qui cognitâ Dei voluntate, ne sacra luctu funestarentur, conticuit.

4. At Moses Misaelem & Elitsaphanem Levitas, Aha-

COMMENTARIUS
In CAPUT X.

1. S*Umtis acerris*] *Et ceperunt filii Aharonis* N. & A. *quisque acerram suam, & imposuerunt* &c. Suffitus erat vespertinus, cùm lampades accenderentur. Vide Exod. XXX, 8.

Ignem] Nempe, alienum, זרה *zarah*, ut postea dicitur. Ex altari ignis sumi debuit, consecratus contactu altaris & victimarum, descensúque ignis divini. Huc adluditur Apoc. VIII, 5. Hoc quoque diligentissimè vetabant Sacrorum, apud Ethnicos, præsides, ne quidquam alienum à Sacris misceretur. *Jamblichus* de Mysteriis Sect. V. c. 25. Ὁπότε μὲν ἂν μετὰ Θεῶν ἐφόρων καὶ ἀποπληρωτῶν τῆς θυηπολίας τὰς θυσίας προσαγωμεν τοῖς Θεοῖς, ὁμοῦ μὲν σέβεσθαι δεῖ τὸν θεσμὸν τὸν ἐν ταῖς θυσίαις θείας ἁγιστείας ὄντας· ὁμοῦ δὲ θαῤῥεῖν ἐφ' ἑαυτοῖς προσήκει, ὡς ὑπὸ Θεοῖς ἄρχουσιν ἱερουργοῦμεν: *Quando igitur sub Numinibus inspicientibus, anctoribúsque sacrorum, sacrificia offerimus Diis, simul oportet reverenter observare legem divinorum sacrorúmque rituum in sacrificiis; simul bono animo esse decet, quippe qui Diis auctoribus sacra facimus.* Ὁμοῦ δὲ καὶ τὴν ἀξίαν εὐλάβειαν ἔχειν, μήποτε τῶν Θεῶν ἀνάξιον τι δῶρον προσαγάγωμεν ἢ ΑΛΛΟΤΡΙΟΝ: *simul quoque convenientem curam adhibere, ne Diis indignum donum, offeramus, aut* ALIENUM.

Eadem fuit apud Ethnicos lex, ac apud Hebræos, ut liquet ex his *Phædri* Lib. IV. Fab. X. ubi sic Jovem inducit loquentem, ex occasione furis, qui Jovis templum compilaverat, ad lumen ex ara accensum:

Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de LUCERNA *fas est accendi* SACRUM.

Quod iis non præceperat] Quamvis illicita esset ἐθελοθρησκεία, videtur tamen esse hîc μείωσις, & verba hæc idem valere ac, *quod interdictum fuerat.* Quamquam enim in superioribus non exstat id interdictum, non accusarentur & morti damnarentur duo filii Aharonis, quòd fecissent quod Deus numquam interdixerat. Cùm enim Deus Sacrorum circumstantias reticet, eas arbitrio Sacra facientium relinquit. Igitur cùm jusserit sibi certum suffitum offerri, nisi addidisse censeatur accendi eum suffitum igne sacro oportere, consequens erit ut perinde sit quocumque igne accendatur.

Coram Jehova obtulerunt] Videntur in Adytum irrumpere voluisse, si probè expendamus quæ habentur infrà Cap. XVI, 1. & seqq.

2. *Egressus est ignis*] Qualis in altare delatus fuerat, de quo ad Caput superius. *Josephus* ex altari erupisse eum ignem vult, & culpam aliter narrat, ne, nimis facilè & leviore de caussa, Deus indignatus videretur Aharonis filiis. Sic ille Lib. III. c. 8. κομίσαντες ἐπὶ τὸ βωμὸν οὐχ ἃς προεῖπε Μωυσῆς θυμάτων, ἀλλ' οἷς ἐχρῶντο πρότερον, κατεκαύθησαν τοῦ πυρὸς ἐπ' αὐτοὺς τὴν ὁρμὴν βαλόντος, καὶ τὰ στέρνα καὶ τὰ πρόσωπα φλέγειν αὐτῶν ἀρξαμένου, καὶ σβέσαι μηδενὸς δυναμένου: *cùm tulissent in altare, non victimas quas prædixerat Moses, sed quas antea solebant, ambusti sunt, igne in eos impetum faciente, & qui cùm cæpisset eorum pectora & facies incendere, à nemine restingui potuit.*

Qui eos ambussit] Est quidem in Hebræo textu: ותאכל *vattochal*, quod significat *absumsit*, ut liquet vel ex ultimo versu superioris Capitis; sed sequentia ostendunt ambustos tantùm fuisse, & quidem aliquâ dumtaxat parte corporis, quandoquidem eorum tunicæ lineæ absumtæ non fuerant. Est ergo ἄκυρον, qualia passim occurrunt in Scriptoribus Hebræis.

Coram Jehova mortui sunt] Tum graves pœnas dedisse videntur Aharonis filii, propter oblatum

4. Deinde vocavit Moses Misaelem & Elitsaphanem, Uzielis patrui Aharonis filios, &, accedite, inquit, asportate fratres vestros è conspectu sacrarii, extra castra. 5. Accesserunt illi, & eos, unà cum tunicis, extra castra, quemadmodum dixerat Moses, abstulerunt.

6. Moses verò Aharoni, Elehazarique & Ithamari ejus filiis, ne capita, inquit vestra nudetis, neque vestes laceretis, ne moriamini, & *Dei* in totum cœtum effervescat ira. Sed fratres vestri, tota domus Israëlis, deflebunt hanc ambustionem, quâ Jehova *Nadabum & Abihuum* ambussit. 7. Ex ostio tentorii conventûs non egrediemini, ne moriamini, quia oleum unctionis Jehovæ super vobis est. *Illi*, prout dixit Moses, fecerunt.

8. Tum alloquutus est Jehova Aharonem, his verbis: 9. Vinum aut inebriantem potum tu & filii ne bibitote, cùm venietis ad tabernaculum conventûs, neque moriemini.

Aharonis patrueles, consanguineorum cadavera efferre jussit, extra castra sepelienda. 5. Quod imperium è vestigio exsequuti sunt, & cadavera etiamnum sacerdotalibus tunicis induta extulerunt.

6. Simul Moses monebat Aharonem, Elehazarémque & Ithamarem filios ejus superstites, ne tiaras abjicerent, luctûs causâ, néve vestes lacerarent; ne funestatis Sacris, sibi & toti cœtui iratum Numen experirentur. Addidit non deesse qui tristem Nadabi & Abihui exitum lugerent, se enim universo populo luctum propterea indictum. 7. Vetuit ne interea à Tentorio, extra atrium, digrederentur, dum sacro unguento, quo Sacerdotio consecrati fuerant, etiamnum fragrarent. Illi verò Mosi dicto audientes fuerunt.

8. Deus etiam Aharonem compellavit, háncque ei legem tulit: 9. Cùm Sacerdotio defuncturus ad Tentorium Conventûs te conferes, ne vinum, aut inebriantem ullum potum biberis caveto; atque

tum ignem alienum, primò quòd violassent Interdictum divinum, quod ignorare non poterant, quamvis id non referat in superioribus Moses, qui non omnia refert; deinde quòd exemplum statui utile esset, ne Sacerdotes Sacra mutare, prout videretur, postea adgrederentur. Cùm prava exempla non stent ubi cœperunt, mutato divino præcepto, quamquam in se levioris momenti, ad majores mutationes via aperta fuisset. Adde quòd si ab ipso Sacerdotii initio, ii qui ne Maximi quidem Pontifices erant impunè quidpiam mutassent; sequentibus temporibus & ipsi, ejusdémque postea ordinis homines, & Pontifices Maximi similia, imò & majora licere sibi existimassent.

3. *Hoc est quod dixit*] Nusquam antea hæc verba occurrunt, sed aut ea non scripsit Moses, aut hoc ipso demum tempore à Deo prolata sunt; ut intelligeret Aharon filios suos ob Sacra irreverenter habita, esse mortuos, & à simili peccato sibi caveret, unà cum superstitibus filiis.

Ab iis qui ad me propiùs accedunt] בקרבי bikrobai, *in propinquis meis.* Cùm nulla sit Hebraïca particula quæ majore ambiguitate laboret, quàm præpositio ב, mirum non videbitur eam à nobis verti *ab.* Ita manifestò sumitur Num. XXXVI, 2. *Dominus meus jussus est* ביהוה *à Jehova.* Sequentia ita hîc intelligendam eam præpositionem ostendunt. *Propinqui* autem *Dei* sunt *Sacerdotes*, qui propiùs ad Tabernaculi Adytum accedebant, ubi habitare censebatur Deus, quàm ceteri homines. Sic Ezek. XLII, 13. *Sacerdotes* אשר קרובים ליהוה *qui sunt propinqui Jehovæ.* Si qui aliis exemplo debebant esse sanctitatem cultûs divini violassent, quid ab aliis factum esset? Itaque se ab his potissimum sanctè haberi vult Deus.

Sanctè habebor] אקדש ekkadesch, hoc est, quæcumque ad cultum meum pertinent ea Sacerdotes mei sacra habeant oportet, & à profanis secernant. Quod vulgò vertitur *sanctificare* inconcinnè & obscurè, id aliter Latinè verti nequit quàm, pro re de qua sermo est, *sanctum* aut *sacrum habere*, *consecrare.* Ita Deus *sanctificavit diem Sabbathi*, hoc est, *sacrum* seu *festum habuit* & haberi voluit. Similiter ii *sanctificant Deum*, qui eum *sanctè habent*, quod testari oportebat Sacerdotes Hebræos, Sacra ejus reverenter habendo, quod non fecerunt Aharonis filii. *Sanctificabor* hîc est, ut futurum solet, loco phrasis imperantis *sanctè haberi me oportet*, *sanctus habear*, aut *habetote me sanctum*, *vos Sacerdotes.* Neque enim est prædictio. Posset tamen & præteriti sensu verti: *sanctè me ab iis qui ad me accedunt haberi oportuit*, & secus facientium supplicio *gloriam me apud populum consequi.*

Gloriam consequar] Hoc est, majorem de Lege mea opinionem concipient Hebræi, cùm me acerrimum ejus vindicem esse animadvertent. *Gloriam* Deo *tribuimus*, cùm de eo magnificè sentimus & loquimur; quod non poterat non fieri ab iis, qui pœnas de Aharonis filiis sumtas audituri erant. Sic Beth-semelitæ gloriam Deo tribuerunt; cùm viderunt aliquot hominum myriadas cecidisse, quòd Arcam irreverenter habuissent 1 Sam. V, 20. dixeruntque: *quis poterit stare coram Jehova, sancto illo Deo?* Vide & Ezek. XXVIII, 22.

Aharon verò siluit] Postquàm intellexit quanti intererat filios suos pœnas luisse. Meritò Aharonis constantiam laudat *Josephus*, & apud alias Gentes, qui suorum mortem Sacra facientes æquo animo audiverunt, ad cœlum laudibus feruntur, quorum aliquot commemorabimus. Minos, eadem constantiâ, mortem filii Androgei Sacra faciens accepit. *Apollodorus* Biblioth. Lib. III. c. 14. Μίνως ἐπελθόντος αὐτῷ θανάτου, θύων ἐν Πάρῳ ταῖς Χάρισι, τὸν μὲν στέφανον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἔῤῥιψε, καὶ τὸν αὐλὸν κατέσχε, καὶ τὴν θυσίαν οὐδὲν ἧττον ἐπετέλεσε: *Minos superveniente nuncio de filii interitu, tunc temporis in Pa-*

mini. Institutum hoc perpetuum sit, in *futuras* ætates vestras. 10. *Iis abstinete*, ut secernatis sanctum à polluto, immundum à mundo, 11. & Israëlitas instituta omnia, quæ per Mosem iis edixit Jehova, doceatis.

12. Moses quoque Aharoni, Elehazarique & Ithamari filiis ejus superstitibus, capite, inquit, donarium *farreum*, quod ex oblationibus igne absumendis Jehovæ superest, idque comedite *in* azymos *coctum* ad altare, res enim est sacrosancta. 13. Hanc comedetis in loco sancto, nam institutum hoc est tuum *cibarium*, filiorúmque tuorum, ex oblationibus igne absumendis Jehovæ; quoniam ita in mandatis accepi. 14. Pectus verò agitationis & armum elationis in loco puro comedetis, túque & filii tui ac filiæ tuæ tecum; nam hoc institutum tibi, liberísque tuis *cibarium* datum est, ex Israëlitarum salutaribus victimis. 15. Armum elationis & pectus agitationis cum adipibus igne ab-

que hæc perpetua tibi, posterísque tuis lex esto. 10. Nonnisi sobrius sacrum à profano, mundum ab immundo secernere, 11. & leges à Mose acceptas populo exponere adgreditor.

12. Jussit quoque Moses Aharonem & filios, ex farina, quæ ex farreo donario supererat, conficere panes azymos, eósque intra atrii ambitum comedere, quod ea farina sacrosancta esset. 13. Atque hoc, inquit, ex donariis farreis vobis vestrísque in perpetuum institutum cibarium esto. 14. 15. Similiter Salutarium victimarum, ab Israëlitis oblatarum, pectus & armus dexter, ad altare agitata atque elata, in vestri vestrorúmque usum cedunto, & in loco puro comeduntor. Hoc quoque vobis, filiísque & filiabus, ab Israëlitis institutum cibarium esto.

16. Tum

Paro Gratiis sacra faciens, coronam quidem capiti detractam abjecit, & tibiam cohibuit canere, at sacrificium nihilo secius absolvit. Simile animi robur, similísque Numinis reverentia in *Xenophonte* ab universa antiquitate laudata est. Vide *Ælianum*. Var. Hist. Lib. III. c. 3. *Laërtium* in ejus vita §. 54. eorúmque interpretes. Solius *Valerii Maximi* verbis rem referam, Lib. V. c. 10. *Cùm sollemne sacrificium perageret, è duobus filiis, majorem natu, nomine Gryllum, apud Mantineam, prælio cecidisse cognovit; nec adeò institutum Deorum cultum omittendum putavit, sed tantummodò coronam deponere contentus fuit. Quam ipsum, percunctatus quonam modo occidisset, capiti reposuit, Numina quibus sacrificabat testatus, majorem se ex virtute filii voluptatem, quàm ex morte amaritudinem sentire. Alius removisset hostiam, abjecisset altaria, lacrimis respersa thura disjecisset; Xenophontis corpus Religioni immobile stetit, & animus in consilio prudentiæ stabilis mansit.* Insigne etiam est exemplum M. Horatii Pulvilli, qui Capitolium dedicavit, & de quo *Livius* Lib. II. c. 8. *Postem jam tenenti Consuli fœdum, inter precationem Deûm, nuncium incutiunt: mortuum ejus filium esse, funestáque familiâ dedicare templum non posse. Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit, nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. Nihil ad eum nuncium à proposito aversus, quàm ut cadaver efferri juberet, tenens postem precationem peragit, & dedicat templum.* Vide & *Valerium Max.* Lib. V. c. 10. Ex. 1.

4. *Vocavit Moses* &c.] Non fratres mortuorum, qui funestati Sacris interesse non potuissent. Vide Infrà Cap. XXI.

5. *Una cum tunicis*] בכתנתם bchutthonotham, *in tunicis suis*, hoc est, quales jacebant, non exutis tunicis sacris.

6. *Ne capita vestra nudate*] אל תפרעו *al thiphrehou*. LXX. Intt. ἀποκιδαρώσετε, & Vulg. *nolite nudare*. Si, nempe, lugere cœpissent fratres, abjectis tiaris, caput pulvere adspersissent, ut Amici Jobi tres Job. II, 12. utque Josua & Israëlitarum proceres Jos. VII, 6. Sic leprosus quasi lugens jubetur infrà Cap. XIII, 45. *laceratis vestibus & nudato capite* incedere. Attamen *Onkelos* vertit: ראשיכון לא תרבון פירוע *capitum vestrorum non sinetis crescere cæsariem*, quod moris fuit Ægyptiaci in luctu. *Herodotus* Lib. II. c. 36. Τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι νόμος ἅμα κήδεϊ κεκάρθαι τὰς κεφαλὰς, τοὺς μάλιστα ἱκνέεται· Αἰγύπτιοι δὲ ὑπὸ τοὺς θανάτους ἀνιεῖσι τὰς τρίχας αὔξεσθαι, τάς τε ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ γενείῳ, τέως ἐξυρημένοι: *apud alios homines, more receptum est, ut in luctu statim capita tondeantur, ab iis quos potissimùm is adtingit; at Ægyptii, in morte suorum, sinunt capitis barbæque pilos crescere, cùm alioquin antea tonsi fuerint.* Priorem tamen sensum prætulerim, quòd nullus sit locus ubi פרע *pharah* significet capillum promittere.

Neque vestes laceretis] Ut in luctu, ac calamitate fieri solebat. Vide præter loca adlata Gen. XXXVII, 34. & infrà de luctu Sacerdotum Cap. XXI, 10. ubi pleniùs res habetur.

Ne moriamini] Quod sacras vestes lacerare nefas esset. Vide ad Cap. XXI.

Dei effervescat ira] יקצף *jiktsoph*. Subauditur אלהים *elohim*, aut אף אלהים *aph elohim*.

7. *Ex ostio tentorii*] Ne Atrio exeatis. Vide not. ad Cap. IX, 33, 35.

Quia oleum unctionis] Antequàm consecratio illa absoluta esset, non poterant promiscuæ turbæ misceri, atque in tentoria sua redire; ne fortè, in ipsa consecratione, inopinato casu pollurerentur.

8. *Tum adloquutus est Jehova*] Hinc nonnulli conjiciunt Nadabum & Abihuum peccasse in alieno igne acerris injiciendo, quòd temulenti essent. Alioqui nulla erat occasio ferendæ hujus legis, hoc tempore. Sed ex solo ordine narrationis, qui passim negligitur, vix duci potest certa conjectura.

Vinum &c.] Hujus interdicti ratio redditur versu sequente, ne, nempe, temulenti Sacerdotes res sacras & profanas, mundas & immundas miscerent. Ne hoc contingeret, Deus eos vetat vino uti, cùm in Sanctuarium essent venturi; & prorsus quidem vetat, ne si liceret aliquantum vini haurire, modum non servarent in-

absumendis adferent, ut agitentur coram Jehova; atque hic tibi, filiisque tuis, in perpetuum, prout jussit Jehova, institutus erit *cibus*.

16. Dein Moses quæsivit hircum pro peccato mactatum; ecce verò *totus* igne absumtus erat. Tum excanduit in Elehazarem & Ithamarem, superstites Aharonis filios, 17. & quare, inquit, in loco sancto non comedistis victimam pro peccato, cùm sit sacrosancta, eámque vobis *Deus* dederit, ut delictum cœtûs auferatis, *&* coram Jehova eum expietis? 18. En sanguis ejus non est illatus sacrario, *neque tamen eam* comedistis in loco sancto, ut præcepi. 19. Dixit verò Aharon Mosi: ecce hodie victimam suam pro peccato, & holocaustum suum obtulerunt coram Jehova, & talia mihi obvenerunt; si hoc ipso die victimam pro peccato comedissem, an hoc Jehovæ placuisset? 20. Quo audito, Moses adquievit.

IX. Le-

16. Tum Moses quæsivit ubi essent reliquiæ hirci pro peccato populi, quas à Sacerdotibus comedi oportebat, quòd ejus sanguis Tabernaculo illatus non fuisset. Cùm verò accepisset totum esse in altari absumtum, iratus ab Elehazare & Ithamare 17. quæsivit quare iis reliquiis non cœnassent, quandoquidem eas sibi, in honorem Sacerdotii, à Deo concessas scirent? 18. Annon memores essent, cùm ejus sanguis in Tabernaculum illatus non fuisset, ab ipsis reliquias fuisse comedendas in atrio? 19. Aharon verò reposuit, filios suos obtulisse eo die holocautoma & victimam pro peccato, nec eo seciùs se duobus orbatum fuisse; ac proinde se non sustinuisse victimæ pro peccato carnes adtingere, ne in se iram Dei intempestivo convivio provocaret. 20. Quæ excusatio Mosi non displicuit.

P A-

intemperantiores. Res est manifesta, attamen Rabbini distinctiunculis inanibus irritam hanc legem fecerunt. Vide *R. Levin Barcinonensem* ad Leg. CLVIII. pro *Hottingeri* ordine. Ægyptii Sacerdotes, ut docet *Porphyrius* de Abstin. Lib. III. §. 6. οἴνου οἱ μὲν οὐδ' ὅλως, οἱ δ' ὀλίγιστα ἐγεύοντο, νεύρων αἰτιώμενοι βλάβας καὶ πλήρωσιν κεφαλῆς, ἐμπόδιον εἰς εὕρεσιν, ἀφροδισίων τε ἔφασαν αὐτὸν ὀρέξεις ἐπιφέρειν: *vinum alii non omnino, alii parcissimè degustabant, caussantes nervorum læsiones, gravationem capitis, impedimentum inventionis. Aiebant & illud rei venereæ cupiditatem excitare*; nimirum, si nimis frequenter bibatur. Simili de causa, lex fuit apud Carthaginenses, quam *Platoni* laudatam cum hac confert *Eusebius* Præp. Evang. Lib. XII, 25. μηδένα ἐπὶ στρατοπέδου γεύεσθαι τούτου τοῦ πόματος ἀλλ' ὑδροποσίαις συγγίνεσθαι τοῦτον τὸν χρόνον ἅπαντα· καὶ κατὰ πόλιν μήτε δοῦλον γεύεσθαι μηδέποτε, μηδὲ ἄρχοντας τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν ὃν ἂν ἄρχωσι, μηδ' αὖ κυβερνήτας, μηδὲ δικαστὰς ἐνεργοὺς ὄντας οἴνου γεύεσθαι τὸ παράπαν· μηδὲ ὅστις βουλευσόμενος εἰς βουλὴν ἀξίαν τινὰ λόγου συνέρχεται. μηδέ γε μεθ' ἡμέραν μηδένα τὸ παράπαν, εἰ μὴ σωμασκίας ἢ νόσων ἕνεκα: *uti nemo umquam in exercitu genus hoc poculenti gustet, sed toto militiæ tempore, aquam bibere consuescat; domi verò ne servus quisquam aut ancilla vinum adtingat umquam; ne Magistratus toto illo anno, quo Rempubl. gerent, ne moderatores, aut judices, quamdiu judicia exercebunt; neu quisquam de re alicujus momenti sententiam in Concilio dicturus; neque interdiu ullus, nisi exercitationis, aut morborum causá.*

Inebriantem potum] שכר *schechar*, complectitur vinum è racemis expressum, ut Num. XXVIII, vers. 7. & quemlibet potum, שישכר ארם בו *quo homo inebriatur.* Hinc interdum à LXX. Intt. vertitur μέθυσμα 1. Sam. I, v. 15. Mich. II, vers. 11. interdum etiam ζύθος, ut Esai. XIX, 10. ubi pro שֵׂכֶר legerunt שֵׁכָר. Ægyptii, qui partem Ægypti frumentariam incolebant, cùm vitibus carerent, utebantur Zytho. *Herodotus* Lib. II. c. 76. οἴνῳ δ' ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται: *vino utuntur ex hordeo facto.* Hujus etiam inventionem Osiridi tribuebant. *Diodorus* Lib. I. Biblioth. p. 17. de Osiride: εἰ δέ τις χώρα τὸ φυτὸν τῆς ἀμπέλου μὴ προσδέχοιτο, διδάξαι (φασὶ) τὸ ἐκ τῆς κριθῆς κατασκευαζόμενον πόμα, λειπόμενον οὐ πολὺ τῆς περὶ τὸν οἶνον εὐωδίας τε καὶ δυνάμεως: *quod si qua terra plantam vitis non admitteret, docuisse aiunt potum ex hordeo confectum, vino fragrantiâ & efficacitate haud multò inferiorem.* Vinum etiam ex dactylis olim in Oriente faciebant, hodiéque etiam factitant, cujus præparationem describit *Dioscorides* Lib. IV. c. 40. *Ælius Gallus*, qui primus Romana arma in interiorem Arabiam intulit, scripserat Arabum *Nomadas lacte & ferinâ carne vesci, reliquos vinum, ut Indos, palmis exprimere*, ut docet *Plinius* Lib. VI. c. 28. Idem de palmis loquens Lib. XIII. c. 4. *Caryotæ maximè celebrantur, & cibo quidem sed & succo uberrimæ. Ex quibus præcipua vina Orienti, iniqua capiti, unde pomo nomen.* Vide & Lib. XIV, 16. Hujusmodi potus vox שכר significat, quam σίκερα vertunt, ut plurimùm, LXX. Intt. quòd non invenirent vocem sat commodam. Hieronymus, *omne quod inebriare potest*, quem sequuti sumus. Sic ille in Esaïæ Cap. XXVIII. *Sæpe diximus esse vinum quod de vineis fit, siceram autem omnem potionem, quæ inebriare potest, & statum mentis evertere, quam propriè Aquila* ebrietatem *transtulit; sive illa frumento, sive hordeo, sive milio, pomorúmque succo & palmarum fructu, aut alio quolibet genere conficiatur.*

Interdictum autem Dei eo magis necessarium fuit, quò ebriosiores erant Ægyptii, inter quos tamdiu Hebræi vixerant, & quorum mores nimiùm imitabantur. Dixerat *Dion* ὁ ἐξ Ἀκαδημίας, ut docet Athenæus ad calcem Lib. I. φιλοίνους καὶ φιλοπότας τοὺς Αἰγυπτίους γενέσθαι, εὑρεθῆναί τε παρ' αὐτοῖς βοήθημα, ὥς τε τοὺς διὰ πενίαν ἀπορουμένους οἴνου τὸν ἐκ κριθῶν γινόμενον πίνειν· καὶ οὕτως ἥδεσθαι τοὺς τοῦτον (f. τούτῳ) προσφερομένους, ὡς καὶ ᾄδειν καὶ ὀρχεῖσθαι, καὶ πάντα ποιεῖν ὅσα τοὺς ἐξοίνους γινομένους: *vinosos ac bibaces Ægyptios fuisse, & quoniam, ob egestatem, vino multis carendum esset, excogitatum apud illos inopiæ solatium, ut vinum ex ordeo confectum biberent: atque isto eo de-*

IX. *Leges de animalibus mundis atque immundis, & de immunditie eorum tactu contracta.*

CAPUT XI. 1. MOSEM deinde & Aharonem alloquutus est Jehova, his verbis: 2. Alloquimini Israëlitas, dicentes: hæc sunt animalia quibus vescemini, ex omnibus pecudibus quæ sunt in terris. 3. Quæcumque inter bestias habet ungulam divisam, & fissuram ungularum *integram*, & ruminat, eâ vescemini. 4. Sed hac ex iis quæ ruminant, & ungulam habent divisam, non vescemini; Camelo, *nempe*, quia ruminat quidem, at ungulam *integram* divisam non habet. Is vobis erit immundus. 5. *Non vescemini* Arctomure, nam ruminat quidem, sed non habet ungulam divisam. Is vobis erit immundus. 6. *Non vescemini* Lepore, quia ruminat quidem ille, sed ungulam non habet divisam. Is vobis erit immundus. 7. *Non*

PARAPHRASIS.

1. TUM has Leges, de mundis & immundis animalibus, Mosem & Aharonem Deus ferre jussit. 2. Hæ vobis inter quadrupedes, ut earum carnibus vescamini, licitæ sunto. 3. Quæcumque habent ungulam divisam, neque ullâ parte aut membranâ cobærentem, & ruminant pabulum, iis vesci vobis liceto. 4. Cameli caro, exempli causâ, quamquam is ruminat & ungulas divisas habet, quia membranâ cohærent, illicita esto. 5. 6. Arctomuris & Leporis carnes, quæ animalia ruminant, sed ungulam non habent divisam, illicitæ sunto. 7. Carnem suillam ne gustato, quamvis enim Sus ungulam

delectatos qui eo utebantur, ut & canerent & saltarent, & quæ solent vino ebrii facerent omnia.

10. *Iis abstinete*] Hæc verba supplevimus, connectendæ orationis causâ, cujus nexus alioqui durissimus est, incipit enim versus voce ולהבדיל & *ad discernendum.* Hebræa Lingua talia quidem non curat, in qua ita loqui, ut ab adtentis intelligi quod dicebatur posset, satis fuit, sed aures nostræ structuram non cohærentem vix ferre queunt. Imò verò cùm non obscura sint Hebraica, quamquam aspera; obscura est Latina versio, nisi sententiam aliquot verbis adjuves.

Ut secernatis] Ut secernere possitis leprosos, exempli causâ, à non leprosis, pecudes sacrificio aptas ab ineptis, & similia, quæ ab ebrio homine confunduntur. Vide Ezek. XLIII, 23.

12. *Capite donarium*] Lex hæc jam exstat suprà Cap. VI, 16. sed repetitur à Mose, ne Aharon & ejus filii mœrentes ejus obliviscerentur.

13. *Institutum cibarium*] חק *hhok.* Vide not. ad Genes. XLVII, 22.

14. *Agitationis*] De vocibus תנופה & תרומה vide not. in Exodi Cap. XXIX, 24.

In loco puro] Domi, nimirum, non in Atrio, in quo cibum non capiebant uxores & filiæ Sacerdotum. Sed conclave nullâ immunditie impuratum esse oportebat.

Filii ac filiæ &c.] Hæc pleniùs habentur Cap. XXII.

Liberisque tuis] בניך banecha *filiis tuis*, sed hæc vox utriusque sexûs liberos complectitur hîc & alibi.

16. *Superstites Aharonis filios*] Jam hoc semel dictum est vers. 12. & quamvis dictum non fuisset, ignorari non poterat; sed ita solent Hebræi, in majoris momenti circumstantiis parcissimi verborum.

17. *Victimam pro peccato*] Maximam ejus partem, quæ in usum Sacerdotum cedebat. Vide Cap. VII, 3. & seqq.

Delictum cœtûs auferatis] לשאת את עון lascheth eth havon *ut feratis iniquitatem.* Quomodo hæc intelligenda sint, sequentia verba ostendunt. Delictum enim *ablatum* dicitur, cui venia impetrata est. Vide Exod. XXVIII, vers. 38. Alioquin hæc phrasis contrarium prorsus sonat Cap. V, 1. hujus libri.

18. *Non est illatus*] Ut jubet Lex Cap. IV, 16.

Neque eam comedistis] Repetendum ἀπὸ κοινοῦ, ex superioribus verbis, ולא velo, *neque.* Sic Job. XXX, 20. *Clamo ad te, sed non exaudis me; sto, sed* (non) *animadvertis me.* Vide *Chr. Noldium*, num. 15. de particula ולא. Vulg. *comedere debueritis*, omissâ negatione.

19. *An hoc Jehovæ placuisset*] Indecorum fuisset patrem convivari carne victimæ, in qua offerenda duos filios subitò amiserat.

20. *Adquievit*] *Bonum fuit in oculis ejus*, hoc est, placuit excusatio Aharonis.

COMMENTARIUS

In CAPUT XI.

1. HÆc *sunt animalia*] Priùsquam ad singula veniamus, pauca de ratione distinctionis animalium victui mundorum, aut immundorum præfabimur. Ante omnia, satis liquet hîc non agi de immunditie, quæ oculos aut alios sensus offendat; quali laborant quæ fœtent, aut sordibus oblita sunt. Animalia immunda, quæ postea memorantur, neque aliis sordidiora sunt, neque ullo vitio laborant, quo hominibus fastidium creent, saltem plurima. Sermo est de immunditie sita in opinione quadam, quâ animalia quæ immunda dicebantur victui inepta judicabantur, quacumque tandem de causa hæc ferrentur judicia.

Opinionem dicimus, quòd non sit hoc discrimen divinitus primùm institutum inter hæc animalia, sed opinioni jam receptæ se se adcommodarit, ut quidem videtur Deus; cui tamen fortè

7. *Non vescemini* Sue, quia habet quidem ungulam divisam, & fissuram ejus *integram*, sed non ruminat. Is vobis erit immundus. 8. Carne horum non vescemini, neque cadavera adtingetis. Hi vobis erunt immundi.

9. Hisce vescemini, ex omnibus quæ in aqua sunt. Quibuscumque, quæ habent pinnas & squamas, in marium ; fluminúmque aquis, vescemini. 10. Quæcumque verò nullas habent pinnas aut squamas, in maribus & fluminibus, inter omnia quæ in aqua natant, omniáque animalia, quæ in aqua sunt, ea vobis erunt abominationi. 11. Abominationi vobis erunt, carne eorum non vescemini, & à cadavere abhorrebitis. 12. Quibuscumque non sunt pinnæ aut squamæ in aqua, ea vobis erunt abominationi.

13. Ab his verò, in avium genere, abhorrebitis, *hæc* non comedentur, hæc abominationi erunt, Aquila, Ossifraga, Melanæctus, 14. Milvius, & Æsalo pro sua specie, 15. omnis Corvus pro specie sua, 16. Struthio fœmina & Struthio mas, La-

lam divisam & divulsam habeat, non ruminat. 8. Horum & similium animalium carne ne vescitor, neque cadavera, nisi immundus fieri velis, adtingito.

9. Ad pisces verò quod adtinet, omnes cùm fluviatiles, tum marinos, quibus sunt pinnæ & squamæ, comedere liceto. 10. Quicumque alterutris destituti sunt, ii illiciti habentor; 11. 12. quasi immundi à mensis amoventor, eorumque cadavera ne tanguntor.

13. Inter aves hæ à vobis ne comeduntor, quarum nomina sequuntur, Aquila, Ossifraga, Melanæetus, 14. Milvius, Æsalo, 15. Corvus, 16. Struthio, Larus, Accipiter, 17. Onocrotalus, Catarrhactes,

fortè aliquid addidit, aut detraxit. Ægyptii, qui nihil Judæis debebant, ab antiquissimis temporibus, immunda quædam animalia, seu victui inepta judicarant, ut postea ostendemus. Iidem alias Gentes pollutas, earúmque vasa impurata existimabant; quòd ea comederent, quæ Ægyptiis ori inferre nefas erat. Imò nec ad unam cum aliis mensam adsidere sustinebant, ut docet Moses Gen. XLIII, 30. ubi vide notata. Eâ re fiebat ut Ægyptii non facilè transirent in mores aliarum Gentium, cum quibus ne familiariùs quidem vivebant. Quòd si fortè impurarentur, Deorum Templa adire non audebant, nisi priùs abluerentur. Utrumque nos docet *Herodotus*: πατρίοισι δὲ, inquit, χρεώμενοι νόμοισι ἄλλον οὐδένα ἐπικτέωνται: *patriis legibus utentes, nullam aliam adsciscunt*. Lib. II. Cap. 78. Idem ita de sue loquitur cap. 47. Ὗν δὲ Αἰγύπτιοι μιαρὸν ἥγηνται θηρίον εἶναι· καὶ τοῦτο μὲν, ἤν τις ψαύσῃ αὐτῶν παριὼν ὑὸς, αὐτοῖσι τοῖσι ἱματίοισι ἀπιὼν ἔβαψε ἑωυτὸν, βὰς ἐς τὸν ποταμόν. Τοῦτο δὲ οἱ συβῶται, ἐόντες Αἰγύπτιοι ἐγγενέες, ἐς ἱρὸν οὐδὲν τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἐσέρχονται μοῦνοι πάντων: *suem autem Ægyptii spurcam* (טמא immundam) *bestiam arbitrantur; quam si quis vel transeundo contigerit, abit immersum se se cum ipsis vestimentis ad flumen* (ut immundi apud Hebræos.) *Eóque soli omnium subulci Ægyptii indigenæ, nullum ingrediuntur in templum.*

Existimarim viros sapientes eam de immunditie opinionem eorum animis, antiquissimis temporibus, inseruisse, propter hoc ipsum, quod postea evenit; ne in familiarius commercium alias Gentes admitterent, eáque, ut fit, consortione earum vitia adsciscerent, & patrias leges aspernarentur. Ἑλληνικοῖσι δὲ νομαίοισι φεύγουσι χρᾶσθαι, ait alibi *Herodotus*, τὸ δὲ σύμπαν εἰπεῖν, μηδ' ἄλλων μηδαμὰ μηδαμῶν ἀνθρώπων νομαίοισι: *Græcanicis institutis uti recusant*, & , *ut omnia dicam, nullorum prorsus aliorum hominum institutis uti volunt*. Lib. II. c. 91. Postea cùm persuasio illa, de nonnullorum animalium immunditie, altiores radices in eorum animis temporis tractu egisset; irreverenter Sacris adfuturos se existimarunt, si ea animantia fortè adtigissent. Profectò si Ægyptii eadem de Numine sensissent ac Hebræi, eamdémque morum regulam habuissent; non possent vituperari eorum Legislatores, quòd arctiora commercia aliarum Gentium damnassent, iisque obviam legibus ivissent. Nec reprehendi posset cura, quam, ne irreverenter Sacra haberi viderentur, adhibebant; si enim vulgus irreverentiùs Sacra tractare se impunè posse putet, magnum toti Religioni imminet periculum.

Hæc cùm ita sint, nihil mirum Mosem opinione suorum popularium, quam ab Ægyptiis acceperant, usum, similes in fines, sed eò meliores, quò Ægyptiacis institutis Religio à Deo accepta præstantior erat. Opinio illa fuit ἀδιάφορος, si modò abesset superstitio, & utilissima esse potuit, ut Hebræos seorsim ab omnibus aliis populis vivere adsuefaceret; quod, vitandæ Idololatriæ causâ, planè necessarium erat, ut nos ipse Moses persæpe docet. Insignis est hanc in rem locus infrà Cap. XX, 24, 25, 26. Cum verò ea de immunditie animalium opinio non posset stare; nisi simul Sacra facturi sibi ab iis, & ab aliis omnibus immundis caverent; nam alioqui sperni visa fuisset Religio; etiam ratione Sacrorum immundi habiti sunt, qui cadaver, exempli causâ, immundæ bestiæ tractassent. Videtur ergo distinctio illa anxia animalium eò dumtaxat spectare, ne Hebræi possent cum aliis Gentibus convivari, & familiariùs vivere; neque ad Divinum Numen pertinet, nisi quatenus eâ constitutâ, alia de causa, hinc sequebatur pollutos non debere Sacra tractare, aut Deo consecratum locum ingredi, ne parum reverenter haberi Religio videretur.

Si quæsieris, an Ægyptiorum de mundis & immundis animalibus opiniones cum Legibus Mosaïcis prorsus consentirent, nihil est quod respondeamus: nisi in variis quidem consensum manifestum cerni, quamquam particulatim de omnibus nihil compertum statui potest. Crediderim tamen, ut in aliis, in quibus Leges Mosaïcæ Ægyptiacis sunt adfines, multa sunt di-

Larus, Accipiter pro specie sua, [17] Onocrotalus, Catarrhactes, Bubo, [18] Noctua, Pelecanus, Vultur, [19] Ciconia, Anapha pro specie sua, Upupa, Vespertilio; [20] omnis *denique* volucris, quæ repit, inceditque quatuor *pedibus*, sit vobis abominationi. [21] Attamen hoc vescemini, omni volucri reptili, quatuor *pedibus* incedente, cui sunt supra pedes crura, quibus saliat in terra. [22] Ex illis hisce vescemini, Locusta pro specie sua, Salhama pro specie sua, Chargola pro specie sua, &

rhactes, Bubo, [18] Noctua, Pelecanus, Vultur, [19] Ciconia, Anapha, Upupa, ac Vespertilio. [20] Quin & omni aliâ volucri, quæ quatuor pedibus nititur, abstineto. [21] Attamen insecta, quibus sunt sex pedes, quorum duobus ad saliendum utuntur, vobis licita sunto. [22] Locustas itaque va-

diversa, consensisse quidem Mosem cum Ægyptiis in eo quòd discrimen inter animalia statuit, & in nonnullis etiam animalibus mundis aut immundis permittendis aut vetandis; sed tamen varia vetuisse quæ permitterent, & licita fecisse quæ interdicerent Ægyptii.

Scio equidem alias hac de re virorum doctorum esse sententias, quas protulit & confutavit *Joan. Spencerus* de Leg. Mos Ritual. *Lib.* I. c. 5. Verùm eas nec recensebo, nec jugulatas à viro doctissimo denuò confutare adgrediar. Eum adire poterunt quicumque iis, quæ diximus, sibi satisfactum non putabunt. Hoc tantùm observabimus, ejusmodi ritus non esse à Deo primùm institutos, quasi per se populo Hebræo utiles, aut Religionis, aut valetudinis causâ; cùm res ipsa, & experientia contrarium manifestò ostendant. Neque enim augebat hoc, in se spectatum, pietatem Israëlitarum; neque salubrioris erant temperationis, quàm Gentes, quæ vetitis apud eos cibis vescuntur. Quæ cùm ita sint, aliunde petenda est hujus discriminis ratio, nec ullam eâ quam adtuli comminisci possum probabiliorem.

3. *Quæcumque inter bestias habent ungulam divisam*] *Dividens ungulam.* Animalium quadrupedum alia ungulam habent continuam & unicam, ut equi, muli & asini; alia divisam, sed non uno modo. Aliis enim sunt pedes in digitos distincti, quibus singulis suæ sunt ungulæ, ut lupis, canibus, leonibus, quos dicit Moses infrà vers. 27. incedere על כפיו *super manibus suis.* Alia habent dumtaxat duas ungulas ut boves, oves, capræ; & nonnulla quidem prorsus divisas, ut ea quæ modò diximus; quibusdam verò ungulæ sunt in superiore parte divisæ, in inferiore cohærentes, quod in Camelo cernere est, cujus ungulæ in inferiore parte pelliculâ cohærent. Hunc immundum postea esse Moses vult, quæcumque verò habent ungulam prorsus divisam ea munda esse statuit, si modò ruminent. Ægyptiis Sacerdotibus, si *Chæremoni* credimus, cujus verba habet *Porphyrius* de Abstinent. Lib. IV. §. 7. Τῶν μὲν ἐκτὸς Αἰγύπτου γιγνομένων βρωμάτων τε καὶ ποτῶν οὐ θέμις ἦν ἅπτεσθαι. τῶν δὲ κατ' αὐτὴν τὴν Αἴγυπτον, ἰχθύων τε ἀπείχοντο πάντων, καὶ τετραπόδων ὅσα ΜΩΝΥΧΑ, ΠΟΛΥΣΧΙΔΗ, ἢ μὴ ΚΕΡΑΣΦΟΡΑ· πτηνῶν δὲ ὅσα σαρκοφάγα: *nefas erat gustare cibos aut potiones, quæ extra Ægyptum nascebantur; ex iis verò quæ proferebat Ægyptus, piscibus omnibus abstinebant, & quadrupedibus quotquot ungulas solidas haberent, aut multifidas, aut cornua non gererent, volucribus verò omnibus carnivoris.*

Fissuram ungularum integram] שׁסעת שׁסע פרסת schosabath schesah phrasoth, *findens fissuram ungularum*; hoc est, quibus non modò fissa est ungula, sed nullâ etiam pelliculâ cohærens. Non vertit hæc Vulgatus Int. fortè quòd non intellexerit. LXX. habent ὀνυχιστῆρας ὀνυχίζον δύο (ut Samaritæ addunt שתי *schte*) χηλῶν, *findens fissuras duarum ungularum*, cujus duæ ungulæ nulla ex parte cohærent. Cùm non suppeteret vox Latina, quâ commodè hoc exprimeremus, pluribus utendum fuit; ita tamen ut quàm minimè fieri posset à phrasi Hebraïca recederemus.

Et ruminat] מעלת גרה mahalath gerah, *faciens adscendere ruminationem.* LXX. Intt. ad verbum ἀνάγον μηρυκισμόν.

4. *Camelo*] Horum non modò lacte, sed carnibus etiam vescebantur Arabes, & etiamnum hodie vescuntur. *Diodorus* Siculus Lib. II. p. 137. de Camelis: αἱ μὲν γάλα παρεχόμεναι καὶ κρεωφαγούμεναι, πολλὴν παρέχονται τοῖς ἐγχωρίοις δαψίλειαν: *aliæ quidem lac præbentes & carnem comesui incolis copiosum cibum suppeditant. Hieronymus* Lib. II. contra Jovinianum, non procul ab initio: *Arabes & Saraceni & omnis Eremi Barbaria Camelorum lacte & carnibus vivit, quia hujusceemodi animal, pro temperie & sterilitate regionum, facilè apud eos & gignitur & nutritur. Thevenotius* Itiner. P. I. Lib. 2. c. XXII. *Vescuntur*, inquit, *lacte camelino, aut caprino, & camelina carne.* Itaque eo interdicto, Hebræis cum Arabibus arctius commercium illicitum fiebat.

Ungulam integram divisam non habet] Ut sciamus quid hæc sibi velint, audiendus *Aristoteles*, in descriptione Cameli Hist. Animal Lib. II. c. 1. ἔστι δὲ δίχηλον καὶ οὐκ ἀμφώδουν· δίχηλον δὲ ὧδε· ἐκ μὲν τοῦ ὄπισθεν μικρὸν ἔσχισται, μέχρι τῆς δευτέρας καμπῆς τῶν δακτύλων· τὸ δ' ἔμπροσθεν ἔσχισται μικρὸν ὅσον ἄχρι τῆς πρώτης καμπῆς τῶν δακτύλων ἐπ' ἄκρων τέτταρα· καὶ ἔστι τι διὰ μέσου τῶν σχισμάτων, ὥσπερ τοῖς χησίν: *bisulcum id animal est, nec utrimque dentatum, sed bisulcum sic est, ut pes parte posteriore scissus paullulùm sit ad flexum digiti secundum, parte autem priore summâ quadripartito findatur discrimine parvo, quantum primo tenus digiti inflexu, & quiddam sit inter fissuras, quemadmodum anseribus.* Vide & *Plinium* Lib. XI. C. 45. *Hist. Nat.*

Hoc autem in loco, insigne est ambiguitatis Linguæ Hebraïcæ, & styli neglectioris exemplum; postquàm enim Moses dixit Camelum esse ממפריסי הפרסה mimmaphrise happharsa, *ex dividentibus ungulam*, & ruminare, addit: פרסה איננו מפריס pharsah enenno maphris, *ungulam ille non dividit.* Nisi Camelos vidissemus, aut eorum descriptiones legissemus, vide-

& Chagaba pro specie sua. 23. *Alioquin* omnis volucris, quæ repit, & cui sunt quatuor pedes, sit vobis abominationi.

24. Hisce immundis *animalibus* polluemini, quicumque tetigerit eorum cadaver ad vesperam immundus erit. 25. Quisquis ex eorum cadavere *quidpiam* gestarit, abluet vestes suas & immundus erit ad vesperam. 26. Ad omnem bestiam quod adtinet, quæ divisam habet ungulam, neque tamen prorsus fissam, neque ruminat, im-

variorum generum comedere fas esto. 23. Ceterùm reliqua omnia volucria, quæ quatuor tantùm pedes habent, à vestris mensis, ut immunda, amoventor.

24. 25. 26. Hæ cùm sint immundæ quadrupedes, aquaticæque & terrestres aliæ animantes, quisquis earum cadavera adtigerit, immundus ad vesperam habetor. Quisquis partem aliquam eorum cadaverum

deretur esse repugnantia, ubi nulla est; quòd unâ eadémque phrasi diversa, in tam paucis verbis, significentur. Verùm hoc non raro in Hebraïca Lingua animadvertere est. Vide not. ad Exod. XXXIII, 11. XXXIV, 18.

5. *Non vescimini*] Hoc maluimus repetere, quàm subaudiendum omittere, ob μήκους longitudinem.

Arctomure] שפן *schaphan* LXX. & Vulg. *Chœrogryllum*, Onkelos טפזא *taphza*, alii Chaldæi scribunt טפזא, quæ animal *saltu* valentem sonant, à טפז *saltavit*. Vertunt Ferrarienses *conejo*, hoc est, *cuniculum*, quæ est sententia Judæorum hodiernorum & plerorumque recentiorum Interpretum. At LXX. Intt. qui in ipsa regione, in qua hæc vetita erant, vixerunt, eóque tempore quo nomina prisca non prorsus exoleverant, & *Hieronymus* à Tiberiadensi Judæo edoctus, iis adversantur; unde liquet quàm tutò hodiernis Judæis, eorúmque traditionibus credatur. Sunt quidem rationes, quæ videantur his favere, quas profert *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. III. c. 33. Sed Cuniculum non esse tria ostendunt, 1. quòd Cuniculus non ruminet: 2. quòd habitet in solo terreno, quod facilè cavatur, non in petris, ut שפן, qui *ponit in petra domum suam*, Proverb. XXX, 26: 3. quòd Cuniculus esset animal Hispaniæ peculiare. Hæc omnia prolixè exponit, variisque rationibus firmat vir summus, unde tandem colligit esse animal, quod ab Arabibus vocatur אליירבוע *abjarbubo*, & quod etiam χοιρογρύλλιος & ἀρκτόμυς dictus sit. Ita autem describuntur à *Texeira* Indic. Itin. prout ejus Lusitanica verba Latinè sonant: *Sunt mures vulgarium maximis mole pares, coloris Leucophæi. Auriculas, pedes anteriores & caudam habent muris; acumen caudæ, oculi, & caput sunt cuniculi; posteriora crura capreæ. Saltando plerumque currunt & cuniculos agunt, quomodo cuniculi. Horum in illo deserto* (Arabico Babylonim vicino) *maxima est copia. Arabes iis vescuntur, & optimos esse aiunt.* Olearius Itiner. Persici Part. VI. paullò distinctiùs: *Vidimus prope Terkin* (in Circassia) *muris agrestis genus, Arabicè* Jerbua *dicti. Huic sciuri magnitudo est, neque forma dissimilis; pilus tamen suscior, & caput muris; aures longæ, crura anteriùs brevia, posteriùs longiora. Proinde nonnisi in adscensu currunt, in planis ferè reptitant, aut saltem supra terram, ad quinque vel sex pedes efferuntur. Cauda longa dorso incumbens, in caule glabra, in vertice hirta & albicans. Multos videre eodem impetu sursum prosilientes jucundum erat spectaculum. Babyloniam & Arabiam his scatere aiunt, & incolis esse pro cibo.* Huic animali optimè convenit nomen טפז. quo Chaldæi usi sunt, ut vidimus, & qui *saltatorem* sonat.

Non habet ungulam divisam] Nam singulis digitis unicam, eámque solidam habet, ut Lepus de quo in sequente versu.

6. *Lepore*] ארנבת *arnebeth.* LXX. δασύποδα, (nam est in eorum versione transpositio nominum) Vulg. *leporem*, & sic plerique omnes. Chaldæi & Samaritæ vocem ipsam servant. De hoc fusè egit *Sam. Bochartus* Lib. III. c. 32.

Ruminat] Fortè inter ruminantia Lepus habebatur, quòd coagulum habeat in stomacho, ut ruminantia. Ἔχει δὲ πυτίαν τὰ μὲν μηρυκάζοντα πάντα, τῶν δ' ἀμφωδόντων δασύπους: *habent coagulum omnia ruminantia, & inter dentata lepus.* Verba sunt *Aristotelis*, Hist. Anim. Lib. III. c. 21. Vide & de Part. Anim. Lib. III. c. 15. Alioqui lepus est μονόκοιλος, neque ut alia ruminat.

Ungulam non habet divisam] Eodem modo intelligendum, ac de Arctomure. Sunt qui velint physicam esse rationem immunditiei leporis; quòd, nimirum, scribant Medici leporinâ carne sanguinem crassum & melancholicum gigni. Sed ne dicam Medicos innumera adfirmare, quæ nullo experimento constant; si hæc esset natura carnis leporinæ, noceret fortasse nimis frequenti usu, sed non raro. Nescio an Ægyptii Sacerdotes inter πολυχρόνια leporem numerarint, eóque propterea abstinuerint; sed ejus auditum mirabantur. *Plutarchus* in Sympos. Lib. IV. Prob. 5. ὀξυηκοΐᾳ δὲ δοκεῖ διαφέρειν, ὃν Αἰγύπτιοι θαυμάσαντες, ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν ἀκοὴν σημαίνουσι τὸν λαγωὸν γράφοντες: *celeritate audiendi videtur aliis anteire, cujus admiratione ducti Ægyptii, in suis sacris litteris, picto lepore auditum significant.* Eodem in loco, multa absurda congerit de rationibus, ob quas Judæi suilla & leporina carne abstinerent, déque Deo quem colebant.

7. *Sue*] חזיר *hhazir*, de cujus significatione consentiunt Interpretes. Antea ostendimus ex Herodoto Ægyptios Sue abstinuisse, & contactu Suis pollutos se credidisse. Eodem loco hæc verba sequuntur, de subulcis: οὐδέ σφι ἐκδίδοσθαι θυγατέρα οὐδεὶς ἐθέλει, οὐδ' ἄγεσθαι ἐξ αὐτέων· ἀλλ' ἐκδίδονταί οἱ συβῶται καὶ ἄγονται ἐξ ἀλλήλων: *nemo aut filiam cuipiam eorum nuptum dare vult, aut cujuspiam eorum filiam in matrimonium ducere; sed ipsi inter se subulci dant, accipiúntque filias.* Lib. II. c. 47. Hinc intelligimus Hebræos, ex sua Lege, pollutos habere debuisse omnes qui suilla uterentur, adeóque seorsim ab iis vivere; qui discriminis ciborum,

immunda erit vobis, quicumque eam adtigerit immundus erit. 27. Quæcumque volis suis incedit, inter quadrupedes animantes, immunda erit vobis; quisquis adtigerit ejus cadaver, erit immundus ad vesperam. 28. Quicumque tulerit earum cadaver abluet vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperam. Hæ erunt vobis immundæ.

29. Hæc verò vobis erunt immunda ex reptilibus, quæ in terra repunt, Talpa, Mus, Crocodilus terrestris pro specie sua, 30. Stellio, Choacha, Letaa, Chomathum, Chamæleon.

31. Hæc

rum tulerit, vesperi vestes suas abluito, neque priùs mundus esto. 27. 28. Quadrupedes similiter, quæ pedes in digitos divisos habent, immundæ sunto, & immunditiei earum cadaverum tactu contractæ eadem ratio esto.

29. 30. Hæ verò ex minoribus quadrupedibus, aut ex lacertarum genere immundæ habentor, Talpa, Mus, Crocodilus terrestris, Stellio, Choacha, Letaa, Chomathum, & Chamæleon; quibus vicinæ nonnullæ gentes vescuntur.

31. Quis-

rum, inter eos instituti, finis fuisse videtur. Suis etiam immunditiem majore detestatione prosequebantur, quàm ceterorum animalium, cujus rei causas quærit *Joan. Spencerus* de Leg. Rit. Lib. I. Cap. 5. Sect. IV. qui adiri poterit. Nulla alia videtur ratio, præter inolitam consuetudinem jam ante Legem, & postea Lege vicinorúmque exemplis confirmatam; nam neque Phœnices, neque Arabes Suibus vescebantur, ut ostendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. ultimo, de *Suibus* & *Siliquis*, quem legent quorum ita feret animus. Oportet tamen Subulcos Ægyptios & fortè alios suilla vesci solitos, vix enim alium usum Sus præbet; unde cum ea conferuntur avari, qui nisi mortui nemini prosunt.

8. *Neque cadavera adtingetis*] Nisi immundi esse velitis.

9. *Ex omnibus quæ in aqua sunt*] Omnibus piscibus abstinebant Ægyptii Sacerdotes, ut ex *Chæremone* vidimus, ad vers. 3. quod confirmat *Herodotus* Lib. II. c. 37. *ἰχθύων δὲ οὔ σφι ἔξεστι πάσασθαι*, *pisces iis gustare non licet*, qui tamen vulgo Ægyptiorum liciti erant; ut liquet ex iis quæ observavimus ad Exod. Cap. I, 7. Piscibus etiam nonnullis abstinebant Syriæ Deæ cultores, ut docet *Plutarchus* in libello de superstitione: *τὴν Συρίαν θεὸν οἱ δεισιδαίμονες νομίζουσιν ἂν μαινίδα τις ἢ ἀφύας φάγῃ τὰ ἀντικνήμια διεσθίειν, ἕλκεσι τὸ σῶμα πιμπλάναι, συντήκειν τὸ ἧπαρ*: *Syriam Deam superstitiosi credunt, si quis mænidem aut apuam comederit, ejus crura corrodere, corpus ulceribus opplere, jecur colliquare.* Hinc fortè collegere temerè nonnulli omnes Syros omnibus piscibus abstinuisse, cùm superstitiosiores notentur & duo piscium genera memorentur. Vide quæ collegit *Joan. Seldenus* Syntagm. II. de Diis Syris Cap. 3. de *Dagone*, & Nehem. XIII, vers. 16.

Marium] Maris, & lacuum.

13. *In avium genere*] Ex volatili. Aves vetantur pleræque rapaces, seu carnivoræ, à quibus etiam abhorrebant Ægyptii, ut ostendimus ad vers. 3.

Aquila] נשר *nescher*, quæ & Arabibus dicitur נשר *neser*, à radice נשר *nasara*, rostro vellicare, ut observavit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. II. Cap. I. ubi copiosè de hac ave. De hac consentiunt Interpretes.

Ossifraga] פרס *pheres*. Græci *γρύπα* vertunt, Hieronymus *gryphum*, quibus vocibus non gryphus fabulosus significatur, sed species Aquilæ, ut observat *Bochartus* Hieroz. Part. II. Lib. II. c. 5. Onkelos vertit עָר *bar*, alii Chaldæi עוזא *bouza*, Samarita בזאה *bzaab*. Ferrarienses *Açor*, hoc est, *vultur*. Ossifragam esse conjicit vir summus, quòd פרס *pharas*, frangere, & quidem ossa significet Mich. III, 3.

Melanæetus] עזניה *boznijab*. *Haliæetum*, vel *Aquilam marinam*, habent LXX. Intt. & Vulgatus, Onkelos עזיא *buzjab*, alii Chaldæi בר גזא *bar gazzab*, Samaritæ עזה *bozab*, Judæi Ferrarienses *el esmereion*, quæ est Accipitris species. Optimè omnium conjicere videtur *Sam. Bochartus*, qui à voce עז huz *vires*, vocem deducit, & *Valeriam*, seu *Melanæeton* significari vult; quæ est insignis Aquilæ species. Vide Hieroz. Part. 2. Lib. II. c. 6.

14. *Milvius*] דאה *daab*. LXX. Intt. *γῦπα* vertunt, Vulgatus *milvium*, quem plerique sequuntur. Onkelos דייתא, Samarita quoque ראיתה, Ferrarienses *Milano*. Pro דאה *daab* legitur in Deuteronomio ראה *raab*; sed præfertur à viro summo prior scriptio, quòd videatur à דאה *volare* dici milvius, propter insignem vim volandi, quæ in eo animadvertitur. Ita etiam semper legunt Samaritæ, & persæpe librarii confuderunt ר cum ד, propter adfinitatem figurarum. Vide Hieroz. Part. 2. Lib. II. c. 7.

Æsalo] איה *ajab*. LXX. Intt. *ἰκτῖνον*, hoc est, milvium. Vulg. *vulturem* vertit, Onkelus טרפיתא *tharaphitha*, cui voci, quæ *prædatricem* avem sonat, addunt alii Chaldæi דהיא *dahja*, Samarita habet אהיה *abjab*, Ferrarienses *buyetre*. Verisimillimè *Bochartus* esse Æsalonem, qui Arabibus dicitur אליויו *aljuju*, & cujus vox exprimitur verbo יאיא *jaja*, ut ita etiam, apud Hebræos, à voce dictus sit. Vide *Hieroz.* Part. 2. Lib. II. c. 8.

Pro specie sua] למינהו *lminehou*, hoc est, speciem Æsalonis. Atque hæc verba unicuique nomini addita esse censeri debent; singulorum enim speciem signat, non varias species.

15. *Corvus*] ערב *boreb*, de quo omnes consentiunt, & qui à colore dictus est. Vide *Hieroz.* Part. 2. Lib. II. c. 10.

16. *Struthio fœmina*] בת יענה *bath jabanab*. Græci *στρουθὸν*, Vulg. *Struthionem* vertunt, Onkelos, & alii Chaldæi בת נעמיתא, Samaritæ ברת ענית *brath banitha*. Ferrarienses habent *bija del antillo*, quæ est Noctuæ species. Multi tamen Rabbini Struthionem esse volunt, ut ostendit *Sam. Bochartus Hieroz.* Part. 2. Lib. II. c. 14.

Stru-

31. Hæc ex omnibus reptilibus immunda vobis erunt, quisquis ea mortua adtigerit
immundus erit usque ad vesperam. 32. In quodcumque mortua inciderint id immun-
dum erit, quodcumque tandem vas sit ligneum, sive sit vestis, aut pellis, aut saccus,
aut quodlibet instrumentum, quod ad *quemvis* usum adhibeatur, in aquam injicietur
& immundum erit ad vesperam, ac *tum demum* mundum. 33. Quodlibet vas testa-
ceum, in quod *quodpiam* ex illis ceciderit, & quidquid in eo erit immundum fiet, &
vas quidem *ipsum* frangetis. 34. Quilibet cibus, quo vescemini, in quem venerit *de-
lapsus ex iis* humor, immundus erit; quilibet potus, qui bibetur, in quocumque vase
sit,

16. Quisquis etiam harum cadavera adtigerit, immundus ad vesperam esto. 17. Si in vestem, aut aliam quamvis supellectilem inciderint, eæ abluuntor, atque ad vesperam similiter immundæ haben- 18. Si ceciderint in vas testaceum, in quo quidpiam erit, immundum hoc esto, & vas inutile factum frangitor. 19. Si in cibum aut potum vestrum vase quopiam clausum minxerint, aut humor ex eorum ca-

Struthio mas] תחמס *thahhmas*. LXX. Intt. γλαῦκα & Vulg. *noctuam* interpretantur, Onkelos צִצָא *tsitsa*, Jonathan חַטְפִּיתָא *hatphitha*, Samarita מעיסה, Ferrarienses *mochuelo*, ubi fortè legendum *nochuelo* à *noche*, hoc est, *nox*, ut noctua significetur. Vox hæc deducitur à חמס *iniquè egit*, ac sanè hæc avis, ob neglectum ovorum ac pullorum, infamis est. Vide Job. XXXIX, 17. Thren. IV, 3. Arabes eam avem vocant nomine, quo idem significatur, ac Hebraïco, nempe, דלים *dtalim*, quod impium & iniquum sonat. Vide *Sam. Bochart. Hieroz.* Part. 2. Lib. II. c. 15.

Larus] שחף *schabhaph*. Sequuti sumus LXX. Intt. & Vulgatum. Est insertum in Onkelo וצפר *vetsipphar*, nescio quare, deinde sequitur שחפא *schabhpha*, quod solum habet Jonathan, Samarita שופה *schophah*. Radix שחף significat *tabuit*, unde שחפת schahhepheth, *phthisis*. Hinc ita dictus *Larus* avis summopere macilenta. Vide eumdem virum summum, ejusdem Lib. Cap. XVIII. Ferrarienses habent *cerceta*, hoc est, fulica.

Accipiter] נץ *nets*. Sic dicitur à נצה *natsa volare*, quia volatu maximè præstat. Omissum est à LXX. Intt. ab *Hieronymo accipiter* vertitur. Ferrarienses *gavilan*, quod idem est. Ceteri ferè consentiunt Interpretes. Sacer autem erat Accipiter apud Ægyptios, ὃς δ' ἂν Ἶβιν ἢ Ἴρηκα ἀποκτείνῃ, ἤν τε ἑκὼν, ἤν τε ἀέκων, τεθνάναι ἀνάγκη, *& quicumque Ibin aut Accipitrem interfecisset, seu volens, seu nolens, ei moriendum necessariò erat. Herodotus* Lib. II. c. 65. *Porphyrius* de Abst. L. IV, 9. *Eusebio* Præp. Evang. Lib. III. c. 4. laudatus: ἐκ δὲ τῆς ἀκροτάτης σοφίας, καὶ τῆς περὶ τὸ θεῖον συντροφίας, κατέλαβόν τινι τῶν θεῶν προσφιλῆ τῶν ζώων τινὰ μᾶλλον ἀνθρώπων, ὡς Ἡλίῳ ἱέρακα, σύμπασαν μὲν τὴν φύσιν ἐξ αἵματος ἔχοντα καὶ πνεύματος· οἰκτείροντα δὲ ἄνθρωπον, καὶ κωκύοντα ἐπὶ νεκρῷ κειμένῳ, γῆν τε ἐπαμώμενον: *ob eximiam sapientiam, & convictum cum Diis, intellexere quibusdam Deorum gratiora esse nonnulla animalia, quàm homines; ut Soli accipitrem, habentem omnem naturam ex sanguine & spiritu, miserentem hominis, & lugentem ad cadaver, & terram ingerentem.* Apud Persarum Magos fuit etiam Numinis Symbolum, si credimus *Zoroastri* laudato ab *Eusebio* Præp. Evang. Lib. I. cap. ultimo, qui ait: ὁ δὲ θεός ἐστι κεφαλὴν ἔχων ἱέρακος: *Deus habet caput accipitris.* Sed vereor ut Pseudo-Zoroastres Ægyptiacam consuetudinem magis quàm Persicam respexerit, priscis enim Persis nullæ erant Deorum imagines, & Ægyptios constat Accipitre Osiridem pinxisse. *Plutarchus* de Iside & Osiride p. 371. γράφουσι καὶ ἱέρακι τὸν θεὸν τοῦτον πολλάκις, *sæpe pingunt hunc Deum sub figura Accipitris.* Deinde nonnulla habet de natura Accipitris Porphyrianis similia. Quin & Osiridis est simulacrum Romæ effossum, cum Accipitris capite, de quo vide *Alex. Donati* Romam Lib. I. c. 22. Etiam Lunam effingebat Heliopoli ἱερακοπρόσωπος ἄνθρωπος, *homo accipitris facie*, ut docet *Eusebius* Lib. III. c. 12.

17. *Onocrotalus*] כוס *chos*. LXX. Intt. νυκτικόρακα, Vulg. *bubonem*. Onkelos קדיא *kadja*. *Jonathan* ציירא *tsaira*, pro quo legendum, judice *Bocharto*, צײדא *tsaida*, Samarita צדיה *tsadja*; quæ omnia nocturnarum avium esse nomina censet vir summus, ejusdem libri Cap. XX. Ferrarienses *Falcon* habent. כוס est *vas*, aut *poculum*, qua de causa suspicatur significari *traonem*, sive *onocrotalum*, qui *strumam* seu calicem sub rostro habere videtur. Eum consule.

Catarrhacteres] שלך *schalach*. LXX. Intt. habent καταῤῥάκτην, Hieronymus *mergulum*, Onkelos שלינונא *schalenouna*. Sic & alii Chaldæi. Samarita איבי, *ibi*, hoc est, Ægyptiaca avis notissima, quæ *Ibis* dicitur. Ferrarienses *la gavia*. השליך *dejicere*, *demittere* sive leniter, sive cum impetu significat, ut liquet ex Jer. XXXVIII, 6. Jon. II, 4. 2 Paral. XXV, 12. Itaque nomen *schalach*, optimè convenit avi, quæ summo impetu in mare se demittit, ut pisces rapiat, & quæ etiam ova, & pullos in mare mergit, & retrahit; hoc est, ei quam propterea Græci καταῤῥάκτην vocant, de qua vide virum summum Cap. XXI. ubi Chaldaïcas Paraphrases secum consentire ostendit.

Bubo] ינשוף *janschouph*. Ibin hanc vertunt LXX. Intt. & Vulgatus. Chaldæi קיקופא *kikoupha*, Samaritæ, ברברי *barbari*, Ferrarienses *la lechuza*, hoc est, bubo. Ac sanè videtur ea vox derivari à נשף *nescheph*, hoc est, tenebræ, & Esai. XXXIV, 11. describens Idumææ vastitatem ait in ea futuram hanc avem, quod optimè buboni convenit. Vide *Hieroz.* Part. 2. Lib. II. c. 22.

18. *Noctua*] תנשמת *thinschemeth*. LXX. Intt. habent πορφυρίωνα, Hieronymus *cycnum*, Onkelos בותא *bautha*, id est, bubonem; Jonathan אותיא *othja*, hoc est, otum; Samaritæ קפהפה *kaphapha*, hoc est, noctuam; Ferrarienses habent *calamon*, quæ est avis palustris ardeæ similis. Noctua dicta videtur תנשמת *thinschemeth* à

fit, *similiter* immundus fiet. 35. Quamcumque in rem ceciderit *quidpiam* ex eorum cadavere, ea immunda erit; clibanus & ollæ frangentur, immunda erunt, & à vobis immunda habebuntur. 36. Attamen fons, & cisterna collectionis aquæ munda erunt; quamvis tangens eorum cadavera impuretur. 37. Cùm *quidpiam* ex eorum cadavere deciderit in semen satum, quodcumque *fit*, hoc mundum erit. 38. Cùm verò semini *nondum consito* adfusus fuerit humor, qui ex eorum cadavere defluxerit, hoc immundum

cadaveribus defluxerit, immundi sunto. 35. Vasa omnia in quæ pars eorum cadaveris putredine collapsa deciderit, polluta in perpetuum habentor, adeóque franguntor. 36. Aqua tamen cisternæ, aut fontis, in quam eorum cadavera ceciderint, pura habetor. 37. Semen etiam, quo ager consitus fuerit, eorum contactu impurum ne evadito. 38. At si semen nondum in terram conjectum putrescente eorum

à שמם schamam *stupuit*, ob formam ejus, quam aviculæ stupent, ut prolixè ostendit *Sam. Bochartus* Cap. XXIII.

Pelicanus] קאת *kaath*. LXX. Intt. *Pelicanum*, Hieronymus *Onocrotalum* vertunt, Onkelos & Samarita Hebraïcam vocem servant, Jonathan habet קקא *kaka*, Ferrarienses *cernicolo*, avis palustris nomen. Cùm קאה *kaah* sit *vomere*, nulla avis hîc potest intelligi voce קאת, præter Pelicanum, quæ conchas fluviatiles deglutire solet, deinde è stomacho coctas evomere, ut ex hiantibus carnes ablatas comedat, ut docet *Aristoteles* Hist. Anim. Lib. IX. c. 10. & post eum alii, quorum testimonia congessit *Sam. Bochartus* Cap. XXIV.

Vultur] רחמה *Rabhama* LXX. Intt. est *κύκνος*, Hieronymo, *porphyrio*, Onkelo ירקרקא *jerakreka*, Jonathani שרקרקא *sherakreka*, Samaritæ נעמיתה *nahamitha*, hoc est, Struthio, Ferrariensibus *pelicano*. Alii alia, quæ omnia confutat *Sam. Bochartus* Cap. XXV. At Cap. XXVI. ostendit רחם avem esse Arabibus notissimam, & ita vocari vulturis speciem. Idem, sequente Capite, sententiam suam contra objectiones varias defendit, quas, uti nec responsiones, non exscribemus. Hoc tantùm ex illo observabimus Ægyptios, in Hieroglyphicis, misericordem picto vulture significasse. *Horus Apollo* Lib. I. c. 11. Μητέρα δὲ γράφοντες ἢ ἐλεήμονα, γῦπα ζωγραφοῦσι: *ut matrem aut misericordem significent vulturem pingunt*. Deinde ostendit nullam avem majorem curam pullorum suorum gerere, quàm vulturem. Hinc Ægyptii pennis ejus ornabant caput Isidis, & vestibulorum fastigia, ut docet *Ælianus* Hist. Anim. Lib. X. Cap. 22. Hæc *Bochartus*, cujus observatis hæc, quæ *Eusebius* habet ex Porphyrio, adde: Ἡ δὲ τῆς Εἰλειθυίας πόλις τὸ τρίτον φῶς θεραπεύει, τὸ δὲ ξόανον τετύπωται εἰς γῦπα πετόμενον, ἧς τὸ πτέρωμα ἐκ πολυτελῶν συνέστηκε λίθων: *Lucinæ urbs tertium lumen colit. Effigies verò efficta est in vulturem volantem, cujus alæ eximiis constant lapillis.* Præp. Evang. Lib. III. c. 12. Hinc si colligamus Ægyptios etiam abstinuisse vulturibus, nihil quod Theologiæ Ægyptiacæ consentaneum non sit dicemus; solebant enim à sacris animalibus abstinere, ut docent *Herodotus*, *Diodorus*, aliique, qui de Ægyptiacis rebus scripserunt.

19. *Ciconia*] חסידה *bhasidah*. LXX. Intt. ἐρωδιὸν & Vulg. *herodium*, id est, ardeam, verterunt; Onkelos חוריתא *bhavaritha*, quod idem esse videtur; reliqui Chaldæi דייתא חוורתא daitha bhivauratha, *vulturem album*; Samarita כנגיתה *hirundinem*, Ferrarienses *la ciguenna*, quod comprobant plerique Hebræi recentiores. Ac sanè חסידה *piam & benignam* sonat, idque optimè convenit Ciconiæ, ut copiosè ostendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. II. c. 29.

Anapham] Vocem Hebraïcam retinuimus, cùm nulla probabilis conjectura se se offerret, & miro modo dissentirent Intt. Græci habent χαραδριὸν, quos *Hieronymus* sequutus est. Onkelos אבו *ibbou*; alii Chaldæi אכמתא *nigrum*, nempe, vulturem; Samarita עטפיתה *hirundinem*; Ferrarienses *la ensannadera*, hoc est, iracundam. Certè אנפה est ab אנף *anaph*, quod iram sonat; unde conjecit *Bochartus* esse idem Aquilæ genus, quod Arabibus זמג *zummag* dicitur, quia hæc quoque vox iratam significat.

Upupa] דוכיפת *doukiphath*. Habent LXX. Intt. ἔποπα, hoc est, *upupam* ut Vulgatus; Onkelos נגר טורא *naggar toura*, ut & alii Chaldæi, hoc est, gallum montanum; Samarita נקארתה *nakartha*; Ferrarienses *gallo montez*. Profectò *Upupa* potest dici *Gallus*, propter cristam, & revera versatur in montibus. Apud Arabas דיק *dik* est *gallus*, qui fortè olim Syris aut Hebræis דוק *douk* dicebatur; cui voci si addas כיפא *chepha*, quæ *rupem* sonat, inde fiet דוק כיפא douk-chepha *gallus montanus*, ad quod vox, quâ utitur Moses, maximè accedit. Vide *Sam. Bochartum*, eodem libro Capp. XXXI.

Vespertilio] עטלף *batalleph*. LXX. Intt. habent νυκτερίδα, Vulgatus *vespertilionem*, Onkelos adhibet vocem Hebraïcam; Jonathan טרפירא *tarphira*, Samarita ערפדה *harphada*, quæ *vespertilionem* vertunt Interpretes, & quod est Hispanicè *morciegalo*, ut habent Ferrarienses. *Bochartus* Cap. XXXII. ejusdem libri, dictum vult, per litterarum metathesin, pro עפטלל *haphtalel*, quod est עוף-טלל hoph-telal, *avis tenebrarum*; nec desunt in Lingua Hebraïca metatheseos exempla. Multò simpliciùs derivamus à radice Arabica עטל *batala*, cujus varia derivata *noctem* significant. Sic טעטלם tahatlama est *tenebricosa fuit nox*, עטלם hetlemon *nox obscura*, עטלמה *batlamaton* tenebræ. Nec est quod negotium facessat מ pro פ, sunt enim ejusdem organi litteræ, quæ facilè mutantur. Exempla hæc collegit ipse *Bochartus* sui Chanahanis Lib. I. c. 29. *Liberare* Hebræis est פלט *phillet* & מלט *millet*; *conculcare* רפס *raphas* & רמס *ramas*; *dissolvi* פוג *phoug* & מוג *moug*; & Arabicè *tenebræ* dicuntur תרמסא *thirmasa* & תרפסא *thirphasa*. Igitur vix dubium esse potest quin עטלף ad eam, quam diximus, originem pertineat.

20. *Omnis*

dum à vobis habebitur. [39] Cùm mortuum fuerit *quodpiam* ex iis animalibus, quæ vobis sunt esui, qui cadaver ejus adtigerit ad vesperam immundus erit. [40] Qui verò comederit ex ejus cadavere, abluet vestes suas, & immundus erit ad vesperam; *similiter* qui cadaver ejus tulerit, abluet vestes suas, & ad vesperam immundus erit.

[41] Omne reptile reptans in terra abominationi erit, non comedetur. [42] Quodcumque pectore incedit, quodcumque quatuor pedibus, ut & omnia quæ habent plures pe-

eorum cadavere adtaminatum fuerit, immundum censetor. [39] Animalia etiam quibus jugulatis vobis vesci licet, si sponte mortua sint, tangere, nisi ad vesperam pollui volenti, non liceto. [40] Si quis eorum carnem comederit aut tulerit, pollutus pariter esto, vestésque suas vesperi abluito.

[41] Omnia reptilia immunda vobis sunto; [42] seu pectore gradiantur, seu pedibus quatuor, aut pluribus

20. *Omnis volucris quæ repit*] Hoc est, omnia vespertilionum & muscarum genera, nullæ enim aliæ quadrupedes volant.

21. *Omni volucri reptili*] Locustæ describuntur, quibus præter quatuor pedes minores, sunt duo majores, quorum nisu saliunt. Cùm enim incedunt, quatuor minoribus utuntur, inflectúntque majores, quibus solis nituntur, quando salire volunt.

Cui sunt præter crura] Est in textu Massorethico אשר לא ascher lo *cui non*, sed קרי in margine habet לו lo *ei*, contrario sensu, quæ est lectio Samaritici Codicis, LXX. & plerorumque omnium Interpretum. Atque hanc res ipsa postulat, Locustæ enim, ut dicebamus, præter quatuor pedes, habent duo majora crura, eásque licitas esse vult Deus. Similiter describuntur ab *Aristotele* de Part. Anim. Lib. IV. c. 6. ubi de ejusmodi insectis ita loquitur: Τὰ δ' ὀπίσθια (σκέλη) μείζω τῶν μέσων, διά τε τὴν βάδισιν, καὶ πρὸς τὸ αἴρεσθαι μᾶλλον ἀπὸ τῆς γῆς ἀναπετόμενα. ὅσα δὲ πηδητικὰ αὐτῶν ἐστι, μᾶλλον τοῦτο φανερόν· οἷον αἵ τ' ἀκρίδες καὶ τὸ τῶν ψυλλῶν γένος· ὅταν γὰρ κάμψαντ' ἐκτείνῃ πάλιν, ἀναγκαῖον ἀπὸ τῆς γῆς αἴρεσθαι. οὐκ ἔμπροσθεν δὲ ἀλλ' ὄπισθεν μόνον ἔχουσιν αἱ ἀκρίδες τὰ πηδαλιώδη. τὴν γὰρ καμπὴν ἀναγκαῖον εἴσω κεκλάσθαι, τῶν δὲ προσθίων κώλων οὐδὲν ἐστι τοιοῦτον· ἑξάποδα δὲ τὰ τοιαῦτα πάντα ἐστί, σὺν τοῖς ἁλτικοῖς μορίοις: *posteriora crura mediis longiora sunt, ut ambulent meliùs, & adtollantur faciliùs de terra, cùm avolare libet. Quod planiùs ea ostendunt quæ saliunt, ut locustæ, & pulicum genus. Cùm enim inflexa rursus connixa extendunt, adtolli insecta de terra necesse est. Locustæ non parte priore, sed posteriore habent crura illa ad gubernaculorum effigiem facta. Suffraginem enim intus flecti necesse est, quod nulli crurum priorum datum est. Omnibus bis seni pedes, iis etiam quorum enixu saliunt connumeratis.* Hæc contraxit *Plinius* Hist. Nat. Lib. XI. c. 48. *Quæ ex his*, inquit, *novissimos habent longos, saliunt, ut locustæ. Omnibus autem bis seni pedes.* Quæ exscripsimus non quòd hîc sit quidquam, quod quotidie omnes videre nequeant, qui locustas inspicient; sed quia, hac in re, hallucinatus *Franc. Junius* Mosis verba prorsus pervertit, ut rectè observavit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. IV. c. 1. & ante eum *Joan. Piscator*, qui Junianam translationem interpolavit. Fortè etiam erunt, In oris septemtrionalibus, qui locustas numquam viderint, & quibus hæc observasse inutile non erit.

22. *Locusta*] ארבה arbeh, ita dicta à multitudine, nam רבה est *multus fuit*. Vide de hoc, ceterísque Locustarum nominibus, virum summum, loco *Hierozoici* laudato, & observata à nobis ad calcem Differt. de *Statua Salina*.

Solbama] סלעם *solham*, ita dicta à Chaldaïca radice סלעם *salham* absumere. Nomina ipsa Hebraïca retinuimus, quòd Græca aut Latina non exstent, vel quæ iis conveniant conjicere non possimus. Βροῦχος & Ἀκρὶς similem, apud Græcos, originem habent.

Chargola] חרגל *hhargol*, à radice Arabica חרגל *hhargala*, quod significat longâ serie ferri, ut solent volantes locustæ.

Chagaba] חגב *hhagab*. Arabicè חגב *hhagaba* est *velare*, unde fortasse dictæ, quòd solem volantes, terram considentes tegant.

26. *Ad omnem bestiam*] לכל *lechol*. Est sæpe ea vis præpositionis ל. Vide ad Genes. XXXI, 43.

Quicumque eam adtigerit] Mortuam, nempe, ut antè & pòst dicitur. Nam piscatores, exempli causâ, qui ceperant rete immundos pisces, eos in aquam rejicere poterant, nullâ immunditie contractâ. Canes adtrectare vivas licuit, sine pollutione. Hinc LXX. Intt. hoc quoque in loco habent τῶν θνησιμαίων αὐτῶν.

27. *Quæcumque volis suis*] Hoc est, quæ non ungulas, sed digitos habent in pedibus, ut vulpes, canes, feles, simiæ, aliæque multæ bestiæ.

29. *Reptilibus*] שרץ *scherets*. Ita vocantur minores quadrupedes ab Hebræis, ut observavimus ad Gen. I, 20.

Talpa] חלד *hholed*. LXX. Intt. γαλῆ, Vulg. *Mustelam*, & sic reliqui ferè omnes. Samarita tamen retinuit vocem Hebraïcam, usitatam inter suos alio sensu, habet enim חולדה hholda, quæ vox apud Syros non *mustelam*, sed *talpam* sonat, ut & apud Arabes חלד *hhuld*. Sic dictum hoc animal à radice חלד *hhalad*, hoc est, cavare, fodere, quâ re præstat talpa. Plura vide apud *Sam. Bochartum* Hieroz. P. 1. Lib. III. c. 35.

Mus] עכבר *hachbar*. LXX. Intt. ὁ μῦς, Vulg. *mus*, & sic quoque alii. Dictum putat *Bochartus*, quasi עכל בר *hachal-bar*, hoc est, Chaldaïcè *consumtor agri*. Vide 1. Sam. V, 6. VI, 5. Propriè agrestem murem sonat. Eum vide P. 1. Lib. III. c. 34. & iis quæ collegit adde *Aristotelis* hæc verba de Arabicis muribus agrestibus, ex Hist. Anim. Lib. VIII. c. 28. Ἐν τῇ Ἀραβίᾳ — γίνονται μύες πολὺ μείζους ἀρουραίων, τὰ μὲν ἔμπροσθεν σκέλη ἔχοντες σπιθαμῆς, τὰ δ' ὀπίσθια ὅσον ἄχρι τῆς πρώτης καμπῆς τῶν δακτύλων: *in Arabia nascuntur mures agrestibus* (nostratibus) *majores, anteriora crura habentur palmaris longi-*

pedes ex omnibus reptantibus in terris, non comedetis, sed abominationi erunt. 43. Ne
vos ipsos abhorrendos reddatis ullo reptili, neque iis vos polluatis, ac immundi habea-
mini. 44. Sum enim Jehova Deus vester, mundabitis vos & eritis puri, cùm ego sim
purus, neque ullo reptili in terris reptante vos polluetis. 45. Ego sum Jehova, qui
vos

bus nitantur, Hebræi omnes ab iis abhorrento;
41. neve se iis contaminent, iis vescendo, sibi di-
ligenter cavento. 44. 45. Cùm enim sim Deus ve-
ster, qui vos Ægyptiaca servitute liberavi, ut seor-
sim ab aliis omnibus gentibus peculiarem Rempu-
blicam constituatis, vos oportet eam munditiem
secta-

gitudinis, posteriora æquè longa ad primam digitorum flexuram.

Crocodilus terrestris] הצב *battsab*. LXX. Intt. κροκόδειλος ὁ χερσαῖος, quos sequuti antiquissimi quique Interpretes. Alii *bufonem*, quos egregiè confutat *Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. IV. c. 1. ubi ostendit idem esse ac Arabicum רב *dbab*, quod *crocodilum terrestrem* sonat, hoc est, lacertæ speciem. Ejusmodi animalibus vescebantur vicini Judæorum: *Hieronymus* in Jovinianum Lib. II. *Syri & Crocodilis terrenis, Afri etiam lacertis viridibus vesci solent.*

30. *Stellio*] אנקה *anaka*. LXX. Intt. habent μυγάλω ut & Vulg. id est, *murum araneum*, Onkelos ילא, pro quo scribit *Bochartus* פלא *phala*, quod idem apud Arabes sonat. Alii Chaldæi מניקת חויא aut פילת חויא *scrutator serpentum*, quod scarabæi quoddam genus sonat. Samarita: סממיתה *semamitha*, id est, stellio. Ferrarienses: *el erizo, herinaceus.* Stellionem esse putat vir summus, quòd אנקה *clamorem* sonet, & perpetuò strideat Stellio. A Syris similiter dicitur אמקתא *amaktha*, & frequenter mutantur *Nun* & *Mem*; adeò ut eadem vox ac Hebraïca meritò habeatur. Vide *Hieroz.* Part. I. Lib. IV. c. 12.

Choachbam] כח *choahh*. LXX. & Vulg. *Chamæleon*, Onkelos & alii Chaldæi כוחא *chobba*, Samarita similiter כוחה, Ferrarienses *la lagartija*, hoc est, lacerta. Lacertam etiam esse vult *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. IV. c. 3. & quidem speciei suæ valentissimam, quia כח *vires*, apud Hebræos significat. Unde conjicit esse lacertam, quæ Arabibus dicitur אלורל *al warlo*, cui similes aliquatenus sunt virides lacertæ nostrates. Nomen ipsum retinendum censuimus.

Letaa] לטאה. LXX. Interpretibus est ἀσκαλαβώτης, Hieronymo *stellio*, Onkelo חלטתא *bhaltetha*, Jonathani שממיתא *smamitha*, Samaritæ לטיתה *ltabitha*, Ferrariensibus *el caracol*, hoc est, limax. Vocem *Bochartus*, sequente Capite, deducit à radice Arabica לטא *lataa*, quæ significat *terræ adhærere*, & lacertam vult esse stellioni similem, quæ Arabibus dicitur וחרה *wachara*. In nostris Codicibus Massorethicis, ל in voce לטאה est masculum, ut significetur, ut volunt Judæi, ab hoc reptili maximè esse abstinendum. Si parvum esset, dicerent significari animal, quamvis parvum, esse valde noxium, aut simile quidpiam comminiscerentur.

Chometum] חמט *bhomet*. LXX. Interpretibus est σαῦρα, Hieronymo *lacerta*, Onkelo חומטא *bometa*, Jonathani קצוצא *kitsotsa*, Samaritæ קברה *kachada*, Ferrariensibus, *la babosa.* *Bochartus* conjicit esse lacertæ in pulvere degentis genus, quia חומטן est apud Rabbinos *arena*; qualis est lacerta quæ חלכא *bhulacha* ab Arabibus dicitur. Adi ejus Cap. V. Observat *Aristoteles* in Arabia maximas esse lacertas, Hist. Anim. Lib. VIII. c. 28. ἐν Ἀραβίᾳ σαῦραι μείζους πηχυαῖαι *in Arabia lacertæ cubitalibus majores.*

Chamæleon] תנשמת *thinschemeth*. Est LXX. Interpretibus ἀσπάλαξ, Vulgato *talpa*, Onkelo אשותא *asschoutha* quod idem est, Jonathani סלמנדרא *salmandra*, Samaritæ כשכשתה *cheschaschatha*, id est, mustela, Ferrariensibus *el topo.* At חולד hholed *talpa* dicitur, ut antea ostensum. תנשמת vocatur à נשמה *respiratio*, Chamæleon qui hianti semper est ore, ferè totus pulmo est, & dissectus diu spirat, ut ostendit vir summus Cap. VI. ejusdem libri Ex Veteribus probavit totum ferè esse pulmonem, quod cernere licet, in Tabulis XIV, & XV. *Blasianæ* brutorum animalium Anatomiæ.

31. *Ea mortua*] *Ea postquàm mortua sunt.* Sic & versu sequente.

32. *Quodcumque tandem sit vas*] *Ex omni vase.*

Quæ ad quemvis usum adhibentur] *In quibus fiet opus.*

33. *Vas ipsum frangetis*] Testa, nempe, succo quodam maligno imbuta vix satis purgari potest; nec dubium quin cadaver venenati animalis, locum in quo computruisset, inficere posset.

34. *Quilibet cibus quo vescemini*] *Ex omni cibo qui comedetur.*

Delapsus ex iis humor] מים *aqua*. Sed sequentia ita intelligendum, ut vertimus, ostendunt. Vide vers. 35, 37, & 38. מים pro quolibet *humore* sumitur, ut מימי רגלים *aqua pedum* urinam sonat. Ac sanè seu urina, seu alius corruptus humor, ex eorum cadavere ceciderit in vas quodpiam cibo refertum; sine dubio inficitur, & insalubre esset eo cibo uti. Rabbini, qui Legem interpretantur, sine ullo ferè Critices studio, haud aliter ac Scholastici Novum Testamentum, insulsè prorsus hoc in loco *aquam* pluviam intelligunt, aiúntque *nullum in orbe cibum vocari cibum pollutionis capacem, antequàm venerit super eum aqua*; אין כל אוכל שבעולם נקרא אוכל לקבל טמאה עד שיבא עליו מים, quia, nimirum *Lex*, ut ait *R. Levis Barcinonensis* ad Leg. CLIII. Hottingerianam, *non reputat quidquam respondere judiciis suis ante horam operis perfecti, ut constat ex judiciis frugum in negotio Thrumæ & Decimarum.* Hæc quàm sint inepta nemo non videt, quo factum est ut parciùs Rabbinorum operâ uteremur; cùm videremus passim æquè infeliciter ex eorum placitis Legem exponi, ac Novum Testamentum ex Jure Canonico.

35. *Chbanus & ollæ*] תנור וכירים *thannour vechirajim*. LXX. κλίβανοι καὶ χυτρόποδες,

vos eduxi ex Ægypto, ut sim vobis Deus; quandoquidem ego sum purus, puri estote. 46. Hæc est lex de pecudibus, de volucribus, de omni animali quod natat in aqua, & omni animali quod reptat in terris; 47. ut secernatis immundum à puro, & animal quo vescemini ab eo quo vesci non licebit.

X. Lex

sectari, quam vobis hodie præcipio; ne familiari vicinarum gentium consortio contaminemini, adeóque earum Idololatriæ participes fiatis. Ciborum ergo discrimen, quod hac lege sancivi, propterea sanctè observator; 46. 47. atque quibus animalibus vesci liceat, quæve sint vetita Hebræus populus in posterum discito.

P A-

δης, quorum figuram ii indicent qui viderint.

36. *Fons & cisterna aquæ*] Ad fontem quidem quod adtinet, cujus aqua perpetuò fluit, vix potest corrumpi cadavere ejusmodi animalis; sed cisterna, cujus aqua restagnat, cadavere immundi animalis infici potuisse videtur. Verùm penuria aquæ fontanæ, quâ multis locis laborabant, effecit ut negligeretur hæc pollutio. Quis enim non videt, si quæ sit pollutio, in contactu cadaveris felis, multò majorem esse in potanda aqua, in qua cadaver ipsum computruerit? Meritò profectò Paulus hæc vocavit ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου *infirma & misera elementa mundi*, quibus Hebræus populus superstitioni Ægyptiacæ, cujus ablutiones quotidianæ pars minima non erant, adsuetus contineri in officio debuit. Vide & quæ de iis diximus *Artis Criticæ* Part. 2. Sect. II. Cap. 7.

37. *In semen satum*] Addit Moses, *quod satum fuerit* אשר יזרע *ascher jizzareah*.

38. *Semini nondum consito*] Quod abundat in superioribus verbis, in hisce deest, ubi manifestò supplendum בטרם יזרע *bterem jizzareah*, antequàm satum sit, aut quid simile.

Adfusus fuerit humor, qui] *Cùm data fuerit aqua in semen, & ceciderit ex eorum cadavere in illud.*

Immundum à vobis habebitur] Non seretur, sed abjicietur.

39. *Cùm mortuum fuerit*] Sponte, nimirum. Insalubris sine dubio est caro pecudis sponte mortuæ, quippe quæ ægra erat; sed in multis aliis, nulla salubritatis habetur ratio.

41. *Omne reptile*] שרץ *scherets*, quod hîc reptilia significat propriè dicta, qualia serpentes, & vermes; antea minores quadrupedes significavit, imò & volucres pedibus præditas.

42. *Quodcumque pectore incedit*] *Supra pectus*, ut serpentes. Vide Gen. III, 14. In voce גחון est ו ceteris litteris majus, de quo idem dicendum quod de ל diximus ad v. 30.

Quatuor pedibus] Ut lacertæ variorum generum.

Plures pedes] Ut *Scolopendra*, quæ Chaldæis נדל *nedal*, unde Jonathan, hoc in loco: *ut Nedal qui est multipes.* De ea vide *Rob. Constantini* Lexicon, in voce σκολόπενδρα. Fortè nonnulli ex viciniis ejusmodi animalibus vescebantur, ut Phryges *Xylophagis*, de quibus ita *Hieronymus*, Lib. II. in *Jovinianum*. *In Ponto & Phrygia, vermes albos & obesos, qui nigello capite sunt, & nascuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus paterfamilias exigit. Et quomodo apud nos Attagen & Ficedula, Mullus & Scarus in deliciis computantur: ita apud illos ξυλόφαγον comedisse luxuria est.* Vide ejus descriptionem, apud *Aristotelem* Hist. Animal. Lib. V. c. 32.

43. *Ne vos ipsos abhorrendos reddatis*] אל תשקצו את נפשותיכם *al theschakketsou eth naphschothechem*, ne abhorrendas reddatis animas vestras. Cùm id quod ingreditur in hominem eum non polluat, sed quod ex eo egreditur; si res in se, omissis opinionibus præconceptis, spectetur, non immeritò quæsieris, quo modo abhorrendi evaserint qui animalibus immundis, ut credebantur, vescebantur? Profectò nullus cibus hominem homini, si modò vir bonus sit, abhorrendum jure facere potest; multò minùs Deo, si res ita summatim consideretur. Verùm si Deus, non sine causa, vetuisse statuatur certis cibis vesci; is abhorrendum se Deo faciet, qui ne Dei quidem vetantis causâ cupiditatem suam coërcebit. Idem etiam abhorrendus evadet ceteris hominibus, qui, eorum infirmitate neglectâ ea comedet, coram iis, à quibus eos abhorrere novit. Sic Ægyptii ab aliorum convictu ideò abhorrebant, ut docet Moses Gen. XLIII, 31. Hoc tamen in loco, Dei solius ratio habenda videtur, ob sequentis commatis verba; ei *abhorrendi*, hoc est, ingrati fiebant qui malebant gulæ indulgere, quàm abstinere ab iis quibus vesci eos vetuerat Deus. Igitur non propter rem ipsam, sed propter divinum interdictum, ii *abhorrendi* evadebant, qui vetitis animalibus vescebantur.

44. *Sum enim Jehova*] Quid hæc sibi velint ex sequentibus constabit.

Mundabitis vos] Vel *mundi ut sitis curabitis* התקדשתם *bithkaddaschthem*. Ut קדוש *kadosch*, quod *sanctus* verti solet, aliquando idem est ac טהור *tahor*, hoc est, *mundus*, ἁγνὸς, ut liquet ex 1. Sam. XXI, 5. ita התקדש *bithkaddesch* est perinde ac *purificavit se*, curavit ut esset mundus, quod docemur loco 2. Sam. XI, 4. Hoc ipso sensu, hîc intelligendum est hoc verbum, ubi de morum sanctimonia sermo non est, sed de victu mundo.

Cùm ego sim purus] כי קדוש אני *chi kadosch ani*. קדוש *purum* vertimus non *sanctum*, quòd hæc vox soleat significare id Dei *adtributum*, ut Scholastici loquuntur, quo virtutem amat, vitiúmque habet invisum, & quod huc non pertinet. Si morum *sanctimoniam* hîc Deus ab Israëlitis posceret, ejus rei ratio optimè redderetur, quòd sit ipse *sanctus*; cùm verò *puritatem*, seu ἁγνείαν exigat, eò quòd sit קדוש *kadosch*, hæc vox *purus* verti necessariò debet, hoc est, puritatis, quam Israëlitis imponebat, amans. Amátne ergo Deus, inquies, *puritatem*, quæ nascitur ex abstinentia certorum animalium, virtutis instar? Non opinor, cùm sit res naturâ suâ ἀδιάφορον; sed cùm eo tempore vellet memoratâ abstinentiâ Sacris suis reverentiam conciliare, & Israëlitas ab omnibus aliis populis segregare; ejusmodi ἁγνείαν amare tunc dici potuit, hoc est,

eâ

X. *Lex de immunditie Puerperæ, & ritibus quibus purganda fuit.*

CAPUT XII. 1. ALLOQUUTUS est Jehova Mosem, his verbis: Alloquere Israëlitas, dicens. 2. Mulier cùm sobolem pepererit, & enixa fuerit masculum, per septem dies immunda erit, *aut* per dies quibus sordebit ob langorem. 3. Octavo verò die, circumcidetur præputium carnis *pueri*. 4. Tribus & triginta diebus, manebit in sanguine purgationis suæ; nihil sacrum adtinget, neque ad sacrarium veniet, donec purgationis ejus expleti sint dies. 5. Si vero fœminam pepererit, per duas hebdomadas

PARAPHRASIS.

1. HAs quoque leges de Puerperarum immunditie, & purificatione, Mosem Hebræis ferre jussit Deus. 2. Mulier quæ masculum pepererit, quamdiu quidem lochiorum fluxu laborabit, immunda esto; sed ne minùs septiduo, inter familiares, immunda habetor. 3. Octavo die puer, sine longiore mora, circumciditor. 4. Attamen mulier, quamquam inter suos munda, ante tertium & trigesimum diem Sacrarium ne adito, neve salutaris victimæ carne vescitor. 5. Si verò puellam pepererit, minimùm per quatuordecim dies, inter suos immunda esto; sed si diuturnior sit lochiorum fluxus,

eâ delectari, non quasi per se bonâ, sed quia consiliis suis exsequendis conducebat.

Nullo reptili] Generalibus hisce verbis existimant Rabbini Legislatorem complecti etiam ea reptilia, quæ ex putredine, ut putant, nascuntur; sed hæc quoque in superioribus vetuit Moses, cùm omnia reptilia, quæ pectore gradiuntur, aut quæ habent pedes interdicta esse voluit. Vide *Hottingeri* collectanea ad Leg. CLXV.

Sum purus puri estote] Quandoquidem vobis ejusmodi puritatem tantopere commendo, eam observate. Vide ad versum superiorem.

47. *Animal*] חיה *hhajjah*, hoc est, ζῶον, subintelligitur נפש *nephesch*, ut in antecedente versu, nam pro animali Hebræi *animam viventem* dicunt.

Quo vescemini] Quo vesci licebit.

Vesci non licebit] *Non vescemini.* Alterum, vitandæ ambiguitatis causâ, ita vertendum duximus.

COMMENTARIUS

In CAPUT XII.

1. CUm *sobolem pepererit*] תזריע thazriah, *semen ediderit.*

2. *Per septem dies*] Adeò ut quicumque eam adtigerit immundus fiat. De septiduo diximus ad Exod. Cap. XXIX, 29.

Aut per dies] Supplevimus particulam או ut suprà Cap. V, 15. Alioqui videretur dicere Legislator semper intra septiduum profluvium illud cessare, quod omnes verum non esse norunt; atque ex lege quæ exstat infrà Cap. XV. liquet mulierem, quamdiu profluvio laborabat, immundam habitam esse.

Per dies] כימי chime, *secundùm dies*, *pro diebus.*

Quibus sordebit] נדת דותה *niddath devotah*, fœditatis profluvii ejus. Nam נדה *niddah* propriè *sordes* significat, deinde rem quamvis à qua abhorremus, ut ostendit *Joan. Coccejus* in Lexico. *Sordes* seu *quisquilias* sonat 2 Paral. XXIX, 5. *immunditiem* verò legalem Esd. IX, 11.

Ob langorem] Ita videtur, ubi de muliere sermo est, vocari menstruus fluxus, aut qui partum sequitur, & דוה *davah* diei mulier, quæ propterea languet. Vide infrà XV, 33.

3. *Octavo verò die*] Pro lege Dei jam ab Abrahami temporibus observata. Vide Gen. XVII, 14. & quæ illic notavimus, quibus adde hæc *Origenis* ex Comment. in Genesin, p. 13. Ed. Huet. ubi disputat contra Astrologos, vultque sibi ostendi positionem Astrorum ejusmodi esse nascentibus Judæis, ut omnes octavo die necesse sit circumcidi, τῶν δὲ ἐν Ἰσμαηλίταις τοῖς κατὰ τὴν Ἀραβίαν, τοιόνδε, ὡς πάντας περιτέμνεσθαι τρισκαιδεκαετεῖς: *Ismaëlitis verò qui sunt in Arabia, ut omnes decimo tertio anno circumcidantur*, Si *Ambrosio* credimus, anno sequente circumcidebant Ægyptii. *Ægyptii*, inquit, *quarto decimo anno circumcidunt mares & fœminas eodem anno circumcidi feruntur.* De Abrahamo Lib. II. c. 11.

Manebit in sanguine] Hoc est, immunda eatenus habebitur; ut in Sacrarium ire, & Salutaris victimæ carnem edere non liceat; quamvis à familia, post septiduum, munda habeatur, si modò steterit profluvium. De impuritate Mulierum profluvio laborantium, dicemus ad Cap. XV.

Nihil sacrum adtinget] Cùm vellet Deus reverenter Sacra sua haberi, ea jussit observari quæ vulgò reverentiæ indicia habebantur jam ab Israëlitis. Ac sanè ut verba valent usu, sic & ritus ἀδιάφοροι, quibus postquàm populi certam tribuerunt significationem, inconsultum est eos sine ratione mutare; præsertim si res sit Legislatori cum populo minimè erudito, adeóque veterum consuetudinum tenaciori. Ita quoque se gessit Hebræorum Legislator, hoc in negotio; nam alioqui solius Mentis puritas Deo grata est, & hominibus prodest, eáque sola propter se amanda & expetenda est. Purum sit corpus oportet, dumtaxat valetudinis causâ, non Dei, cui nihil impurum præter vitium animi. Verè ii sunt immundi, quorum vitiis polluta mens est, licèt mundissimo corpore; & vice versâ immundo corpore mundus is est, cui animus vitiis est purgatus, quo sensu possumus usurpare *Phocylidis* versum, hominis Semi-Judæi:

Ἁγνεῖαι ψυχῆς σου, σώματός εἰσι καθαρμοί.

Purificationes animæ tuæ sunt lustrationes corporis.

Sed

das immunda erit, *aut* pro sordibus suis, & sex ac sexaginta diebus in sanguine purgationis suæ manebit.

6. Cùm verò expleti fuerint dies purgationis ejus, ob filium vel filiam, adducet agnum anniculum in holocaustum, & columbum aut turturem in victimam pro peccato, ad ostium tabernaculi conventûs, ad sacerdotem. 7. Hæc offeret *sacerdos* coram Jehova, eam expiabit, eâque à sanguinis profluvio purgabitur. Hæc est lex de puerpera, seu masculum, seu fœminam *enixa erit*. 8. Quod si non erit ad manum quod satis sit, ad emendum agnum, sumet duos turtures, vel duos columbos, unum in holocaustum, alterum in sacrificium pro peccato. *In mactatis* eam expiabit Sacerdos, & munda erit.

XI. Va-

fluxus, quamdiu eo laborabit polluta censetor; neque ante sextum & sexagesimum diem, res sacras adtingito, aut Sacrarium adito.

6. Cùm verò dies purificationi præstituti effluxerint, prout marem aut fœminam pepererit, ad Sacrarium se conferto, agnùmque anniculum in holocautoma, columbùmque aut turturem pro peccato mactandos Sacerdoti tradito. 7. 8. Quod si pauperior sit, quàm ut agnum emere queat, duos columbos, aut duos turtures, quorum alter in holocautoma adoleatur, alter pro peccato mactetur, offerto. His rite oblatis, mulierem puerperam Sacerdos purgato.

P A-

Sed propter adlatas causas, Moses hoc sanctimoniæ genus legibus suis sanxit. Non habemus quidem testimonium ex Antiquitate, quo ostendamus Ægyptiis puerperas aliquamdiu immundas esse habitas; at hoc constat eos munditiei, quasi Deo gratæ, studiosissimos fuisse, quod plus semel ostendimus. Vide & *Joan. Marsmi* collectanea ad Sæc. IX. rerum Ægyptiacarum, ubi de *Sacerdotibus* Ægyptiis; & *Joan. Spencerum* Lib. I. c. 1. de Leg. Rit. Constat etiam Græcos, qui Phœnicibus & Ægyptiis plurima debebant, in hac opinione fuisse immundas aliquamdiu puerperas. Insignis est hanc in rem locus *Euripidis*, ex Iphigenia in Tauris, vers. 380. & seqq. ubi sic Iphigenia loquitur:

Τὰ τῆς Θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
Ἥτις, βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου,
Ἢ καὶ ΛΟΧΕΙΑΣ, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη,
Αὐτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις.

Deæ verò damno vaframenta, quæ si quis quidem mortalium patrarit cædem, aut etiam puerperam, aut cadaver adtigerit manu, eum arcet ab ara, habens quasi impurum, ipsa verò delectatur sacrificiis, in quibus occiduntur homines. Pythagoras etiam, quem in dogmatibus αἰγυπτιάζειν nemo nescit, ἁγνείας partem esse dicebat καθαρεύειν ἀπό τε κήδους καὶ λέχους *vacare à funere & cubili puerperæ. Theophrastus* in Charactere Superstitiosi, hæc inter alia ponit οὔτε ἐπιβῆναι μνήματι, οὔτε ἐπὶ νεκρὸν ἐλθεῖν, οὔτε ἐπὶ λεχώ: *neque ingredi monumentum, neque ad cadaver ire, neque ad lectum* puerperæ. Adfertur etiam ex Chrysippo: τὸ προσελθεῖν ἀπὸ λέχους, ἢ θανάτου πρὸς ἱερὸν, ἀλόγως διαβέβληται: *ire à lecto puerperæ, aut funere ad templum, sine ratione vituperatur.*

Donec purgationis ejus expleti sint dies] Hoc est, triginta tres, si sit masculus, ut antea dictum est. *Censorinus* de die Natali à *Grotio* laudatus: *Prægnans ante diem quadragesimum non prodit in fanum*; cujus rei causam ita exponit: *Et post partem pleræque fœtæ graviores sunt, nec sanguinem interdum continent.* Cap. XI. ubi vide *Henrici Lindenbrogii* notas.

5. *Per duas hebdomadas*] Hoc discrimen inter durationem immunditi mulieris, quæ puerum peperit, & quæ puellam, videtur ortum esse ex opinione, quâ diuturniorem esse Lochiorum fluxum, post editam puellam, quàm post natum puerum, ex *Aristotele* & *Hippocrate* observavit *Hug. Grotius*. Fortè quidem perpetuum hoc non est, sed nihil interest, modò ea foret Israëlitarum opinio. Debuerunt enim iis ferri leges quibus, ex sua sententia, viderentur reverentissimè Sacrarium adire, & ritus institutos sanctissimè colere.

Sex ac sexaginta diebus] Ita tamen ut post quatuordecim primos, munda mulier habeatur, si desierint ejus Lochia.

6. *Agnum anniculum* &c.] Hoc intra Judæam solam fieri potuit, nec sine incommodo, præsertim pauperioribus. Certè ex ultima Basanitide Jerosolimam ire pauperculæ mulieri, quotiescumque pariebat, ut turtures vel columbos offerret, molestum & sumtuosum fuit; & postquàm Israëlitæ latiùs sparsi sunt, observari vix potuit. Verùm hæ Leges parvæ admodum Reipublicæ scriptæ sunt.

In holocaustum &c.] Animus Legislatoris fuit, si Magistris credimus: שתתעורר לתת הודאה לאל בה"שהצילה מחבלי יולדה שהוא דבר נס *ut excitetur mulier ut tribuat laudem Deo benedicto, qui eam liberavit ex doloribus partûs, quæ est res miraculosa.* Verùm si hoc esset, potiùs offerenda fuit Salutaris hostia, quàm holocaustum & victima pro peccato. Hæ victimæ erant potiùs mulieris pollutæ, quæ purificabatur, quàm gratias agentis, & sequente versu expiari dicitur.

Seu masculum, seu fœminum] לזכר או לנקבה *ad masculum aut ad fœminam.*

9. *Si non erit ad manum*] *Si non invenerit manus ejus, quod satis sit agno.*

COM-

XI. Variæ Leges de Lepra dignoſcenda.

CAPUT XIII. 1. ALLOQUUTUS eſt Jehova Moſem & Aharonem his verbis: 2. Cùm in cute carnis cujuſpiam fuerit macula, aut impetigo, aut ſplendor, *qui vergat* ad lepræ plagam, adducetur ad Aharonem, aut ad quempiam ejus filiorum ſacerdotum. 3. Inſpiciet is ſacerdos plagam, in cute carnis; ſi pili in plaga albi facti fuerint, & facies plagæ profundior cute *reliquæ* ejus carnis erit, poſtquàm eum *hominem* viderit ſacerdos, pollutum pronunciabit. 4. Si verò ſit ſplendor albicans in cute carnis ejus, nec tamen profundior facies ejus cute, neque pili ejus albi facti ſint; tum includet Sacerdos plagâ *adfectum*, per ſeptiduum. 5. Septimo die, eum inſpiciet, & quandoquidem ſteterit plaga in oculis ejus, neque ſe diffuderit in cute, tum ſacerdos includet eum iterum, per ſeptiduum. 6. Iterum die ſeptimo eum inſpiciet, & quandoquidem plaga ſubſtiterit, neque ſe diffuderit in cute, tum mundum eum pronunciabit ſacerdos; hæc *erit* impetigo, abluet *eâ adfectus* veſtimenta ſua, & mundus erit. 7. Sed ſi ſe diffuderit impetigo per cutem, poſtquàm inſpiciendum ſe præbuerit ſacerdoti, & mundus pronunciatus fuerit, iterum ſacerdoti ſe ſe oſtendet. 8. Inſpiciet ſacerdos, & quandoquidem diffuderit ſe impetigo per cutem, tum eum pollutum pronunciabit; hæc enim *erit* lepra.

9. Cùm in quopiam erit lepræ plaga, adducetur ad ſacerdotem. 10. Inſpiciet eum ſacerdos, & quandoquidem macula erit alba in cute, pili albi evaſerint, & ſanitas *erit* carnis vivæ in macula, 11. hæc erit in cute carnis ejus inveterata lepra;

PARAPHRASIS.

1. DE Lepra has leges Moſem & Aharonem Hebræis ferre juſſit Deus. 2. Cùm in cute cujuſpiam conſpicietur macula, aut impetigo, aut ſplendor inuſitatus, quæ aliquatenus lepram imitentur, homo ad Sacerdotem quàm primùm ducitor. 3. Locum adfectum Sacerdos inſpicito, cujus ſi animadvertat canduiſſe pilos, & depreſſiorem eſſe in eo cutem, quàm in reliqua carne, hominem leprâ pollutum pronunciato. 4. Si verò cutis ſit dumtaxat ſolito candidior, & ſplendidior, nec tamen depreſſior, nec ejus pili candeant; eum Sacerdos domûs ſuæ limine per ſeptiduum pedem efferre vetato. 5. Septimo verò die, hominem denuò inſpicito, & cùm is cutis morbus non ſerpſerit, 6. mundum pronunciato. Impetigo hæc fuerit, non lepra, eâque adfectus veſtes dumtaxat abluito, munduſque habetor. 7. Sed ſi is adfectus latiùs ſerpſerit, poſtquàm à Sacerdote mundus judicatus fuerat, veſteſque abluerat, iterum Sacerdoti locum adfectum inſpiciendum præbeto. 8. Sacerdos autem animadvertens ſerpſiſſe morbum, hominem leprâ pollutum, adeóque immundum judicato.

9. Cùm in quopiam conſpicietur macula lepræ ſimi-

COMMENTARIUS

In CAPUT XIII.

2. MAcula] שאת *ſcheeth*, quod malè *tumor* vertitur, ut adparet ex verſu ſequente, ubi lepræ facies profundior eſſe dicitur reliquâ cute. Hinc LXX. Intt. οὐλὴ *cicatrix*, Vulg. *diverſus color*, & Onkelos עמקא *hameka*, quod *profunditatem* ſonat, non tumorem. Verbum quidem נשא, *adtollere* ſignificat, ſed derivata ſæpe à radicis ſignificatione abeunt. Vide & verſ. 28.

Impetigo] או ספחת *o ſapphabbath*. Οἱ LXX. verterunt σημασίας τηλαυγὴς *notæ ſplendens*, neglectâ conjunctione או, ſine ratione. *Hieronymus*: *ſive puſtula, aut quaſi lucens quidpiam.* Impetiginem vertere maluimus, cujus quatuor ſpecies deſcribit *Celſus* Lib. V. c. 28. §. 17. & quarum quarta adfinis lepræ fuiſſe videtur, ut diximus in Diſſ. de *Lepra*, libris Hiſtoricis ſubjecta.

Splendor] בהרת *bahereth*, quod à בהיר *bahir* ſplendidus. Additur, repetitione Hebraicâ, והיה בעור בשרו *& ſit in cute carnis ejus*, quod cùm ſine Emphaſi ſit, à Latinè loquentibus repeti non debuit.

Quod vergat ad lepræ plagam] לנגע צרעת *lnegah tſarahath*, *ad plagam lepræ* vergens, aut ei ſimilis. Hæc eſt non rarò vis præpoſitioni ל ſubjecta, ut Job. XLI, 18. Vide alia exempla apud *Chr. Noldium*, num. 36.

3. *Si pili*] ושער *veſchehar*. Sed ו hîc eſt perinde ac אם *im*. Vide not. ad Geneſ. XXXIII, 13. & ſuprà X, 19. Verſus ſequens hoc manifeſtò oſtendit.

Albi facti fuerint] *Pilus verſus fuerit albus.*

Facies] מראה *mareh*, adſpectus, id eſt, facies exterior.

Poſtquàm eum hominem viderit] וראהו *veraahou*, & videbit, ſed ו videtur eſſe hîc ἀντὶ τοῦ *poſtquàm*. Vide Joſ. VII, 25. Confer hunc verſum cum 7.

Pollutum pronunciabit] טמא אתו timme otho, *polluet eum*, & ita paſſim in ſequentibus.

4. *Plagâ adfectum*] *Plagam* נגע *negah*. Plaga clauditur, cùm vir eâ adfectus exire vetatur. Claudebatur autem ædibus, ne, ſi lepra eſſet, alios inficeret.

5. *Eum*

pta; pollutum eum pronunciabit sacerdos, neque eum includet, quia erit pollutus. [12] Si verò lepra per cutem serpserit, texeritque universam cutem, à capite ad pedes, quacumque adspicit sacerdos; [13] cùm ille inspiciet, quandoquidem lepra operuerit omnem ejus carnem, mundum pronunciabit plagâ *adfectum*; totus albus evaserit, mundus erit. [14] Quo verò die in eo conspecta fuerit viva caro, immundus habebitur. [15] Videbit sacerdos carnem vivam, polluétque hominem caro viva, immundus erit, hæc erit lepra. [16] Quod si iterum caro viva alba evaserit, veniet ille ad sacerdotem. [17] Inspiciet eum sacerdos, & quandoquidem plaga alba evaserit, *hominem* plagâ *adfectum* mundum pronunciabit sacerdos, & mundus erit.

[18] Cùm verò fuerit in carnis cute inflammatio, quæ curata fuerit, [19] & loco inflammationis erit macula alba, aut splendor albus, & lucidus admodum, inspiciendum se præbebit sacerdoti. [20] Inspiciet sacerdos & quandoquidem *erit* humilior *reliqua* cute facies *plagæ*, & pili albi evaserint, immundum eum pronunciabit, *erit* hæc plaga lepræ, in inflammatione succreverit. [21] Si verò eam inspexerit sacerdos, quandoquidem non *erunt* pili in ea albi, neque cute *erit* inferior, & substiterit, includet hominem sacerdos per septiduum. [22] Si se diffuderit per cutem, pollutum eum pronunciabit sacerdos, hæc erit *lepræ* plaga. [23] Si verò suo pristino loco sit splendor, neque serpserit, erit adustio inflammationis, hominémque mundum pronunciabit sacerdos.

[24] Si verò in carnis cute fuerit adustio ignis, & sanata adustio sit *instar* splendoris albi fulgentis, aut candentis, [25] inspiciet eam sacerdos; & quandoquidem albi facti *fuerint* pili intra splendorem, & facies ejus erit profundior *reliquâ* cute, hæc

similis, ad Sacerdotem ducitor. [10] Is maculam inspicito, quà si candere cutem animadvertat, ita ut etiam pili albi sint, & tamen eo in loco videatur esse caro sana; [11] inveteratam esse lepram pronunciato, immundúmque, sine ulteriore examine, declarato. [12] Si verò animadvertat Sacerdos hominem per totum corpus candidiorem esse solito, quasi leprâ tectum esset, [13] tum mundum pronunciato, indiciumque hoc recuperatæ valetudinis, non lepræ, esto. [14] Si tamen aliqua in parte vividioris coloris macula cernatur, leprosus habetor, [15] cùm à Sacerdote inspectus fuerit. [16] At si illa etiam macula candidior evaserit, ut corpus sit unicolor, se ad Sacerdotem conferto; [17] qui cùm totum candere viderit, hominem mundum pronunciato.

[18] Si quam corporis partem quispiam inflammatione adfectam habuerit, [19] quæ curata præter modum candeat, ac splendeat, Sacerdoti se inspiciendum præbeto. [20] Hic si viderit maculam depressiorem esse reliquâ cute, & pilos eodem in loco albos, hominem leprosum censeto. [21] Sin verò neutrum animadverterit, neque macula serpserit, hominem domi manere per septiduum jubeto. [22] Si verò, exactis septem diebus, serpserit macula per cutem, leprosum pronunciato. [23] At si nequaquam serpserit, cicatrix hæc erit inflammationis, quâ conspectâ, mundus habetor.

[24] Si pars, quæ ambusta fuerat, maneat splendens & candicans, [25] ea Sacerdoti inspicienda præ-

5. *Eum inspiciet*] Repetitur *Sacerdos*.

Quandoquidem steterit] והנה הנגע עמד *& ecce plaga stetit.* Novimus והנה *vehinneh* non esse prorsus synonymum cum voce *quandoquidem*, sed Latinè aliter res commodè exprimi non poterat. Multi verterunt *si*, sed הנה non est hîc dubitandi conjunctio, significat rem deprehensam à Sacerdote. Hæc faciliùs ab Hebraïcè scientibus, locúmque adtentè legentibus, intelligi, quàm verbis exprimi possunt.

In oculis ejus] Hoc est, *coram eo*, quia semel inspexerat plagam.

Se diffuderit] Repetitur *plaga*.

6. *Substiterit*] כהה *chebah.* Est propriè *obtundi*, *hebescere*; sed si versum hunc cum superiore conferamus, deprehendemus esse *subsistere*, quod cùm fiebat hebescebat vis morbi.

Impetigo] מספחת *mispbahhath*, quod idem ac ספחת versûs secundi, de quo diximus. *Aquila* verterat ἐξανάδοσιν, *pustulam*, Theodotion ἐκζέσμα *scabiem.*

Mundum pronunciabit] *Mundabit*, & ita in sequentibus.

8. *Impetigo*] Quod initio dumtaxat *impetigo* videbatur, nam alioqui ספחת & צרעת differunt.

10. *Sanitas erit carnis vivæ*] מחית בשר חי *mibbjath baschar bhai.* Cùm חיה non modò *vivere*, sed etiam *convalescere* sonet, ut Jos. V, 9. מחיה videtur significare carnem *sanam*, ut infrà vers. 24. Qua de re vide Dissert. *de Lepra.*

11. *Neque eum includet*] Domo suâ, sed jubebit eum exire, atque ab hominum consortio abstinere. Vide vers. 46.

12. *Per cutem serpserit*] פרוח תפרח pharoahh thiprahh, *efflorescendo effloruerit.*

Quacumque adspicit Sacerdos] *Ad omnem adspectum oculorum Sacerdotis.*

13. *Cùm ille inspiciet*] וראה *veraab* & videbit. Vide similem significationem conjunctionis ו Gen. XLIV, 4.

Lepra operuerit] Mirum est partim *leprosum* pollutum censeri, toto verò corpore tetro illo morbo infectum haberi mundum. Fateor me nullam ejusmodi discriminis rationem comminisci posse; non magis ac si Moses dixisset eum esse immundum qui unâ specie immunditiei laboret, mundum qui omnibus. Crediderim itaque aliud voluisse Legislatorem; nimirum, si cujus corpus totum canderet, signum hoc fuisse,

hæc erit lepra, *quæ* in adustione succreverit; hominem pollutum esse pronunciabit sacerdos, hæc *erit* plaga lepræ. [26] Si verò eum inspexerit sacerdos, quandoquidem nulli erunt, intra splendorem, pili albi, neque erit inferior *reliquâ* cute, sed substiterit, includet hominem sacerdos per septiduum. [27] Die vero septimo eum inspiciet, si serpserit *macula* per cutem, pollutum eum pronunciabit sacerdos, plaga hæc erit lepræ. [28] Si verò suo pristino loco steterit splendor, neque diffusus fuerit per cutem, sed substiterit, macula hæc *erit* adustionis; mundum hominem pronunciabit sacerdos, hæc enim erit inusta adustionis nota.

[29] Si in viri aut mulieris capite, vel barba sit plaga, [30] eam inspiciet sacerdos; & quandoquidem facies ejus erit profundior *reliquâ* cute, atque in ea pili *erunt* flavi & tenues, pollutum hominem pronunciabit sacerdos, porrigo *erit*, seu lepra capitis aut barbæ. [31] Cùm inspexerit sacerdos plagam porriginis, quandoquidem facies ejus non fuerit profundior *reliquâ* cute, neque pili in ea ulli nigri erunt, plagâ porriginis *adfectum* per septiduum includet sacerdos. [32] Plagam deinde septimo die inspiciet, & quandoquidem porrigo non serpserit, neque *erunt* in ea pili flavi, neque *erit* facies porriginis profundior cute, [33] radet *vicinas partes*, sed porriginem non radet, includétque iterum sacerdos porrigine *adfectum*, per septiduum. [34] Tum inspiciet sacerdos porriginem die septimo, & quandoquidem se non diffuderit per cutem, neque facies ejus erit profundior cute; mundum hominem pronunciabit sacerdos, abluet *ille* vestimenta sua & mundus erit. [35] Si vero

præbetor, qui cùm memorata indicia lepræ animadverterit, immundum hominem pronunciato. [26] Si verò indicia illa absint, se per septem dies domi continere eum jubeto, [27] quibus prælapsis, si macula non serpserit, adustionis vestigium esse, non lepram, pronunciato.

[29] Si verò suspicio sit capitis, aut barbæ cujuspiam pilis lepram subesse, [30] locum adfectum Sacerdos inspicito, cujus si cutis sit reliquâ depressior, & pili flaviores ac tenuiores, leprâ capitis aut barbæ hominem laborare, adeóque immundum esse judicato. [31] Si neutrum adpareat, homo se domi per septiduum, jussu Sacerdotis, contineto. [32] Si, elapsis septem diebus, locus adfectus ampliatus non fuerit, neque memorata lepræ indicia cernantur; [33] vicinæ partes raduntor, sed locus ipse intactus maneto; interim homo, per alios septem dies, iterum includitor. [34] Si nihil mutatum in loco adfecto fuerit, eum mundum pronunciato Sacerdos, vestibusque ablutis mundus habetor. [35] At si postea serpere cœperit lepra per cutem, immundus, [36] nullo alio quæsito

fuisse, non lepræ, quæ omnia pervasisset, sed melioris valetudinis, ideóque ejusmodi hominem mundum judicandum fuisse; contrà verò si color toto corpore non constaret, sed caro aliis in locis rubicundior esset, aliis verò præter modum canderet, indicium hoc haberi debuisse candoris à lepra orti. Nec obstat quod dicitur, *quandoquidem lepra operuit omnem ejus carnem*; hoc enim vult Moses, si totum corpus candeat, quasi lepra omnem carnem texisset, ut suprà vers. 8. *impetiginem* vocat, quod primùm impetigo videbatur, sed lepra erat.

Totus albus evaserit] Hoc videtur indicium fuisse hominis à lepra curati.

14. *Quo die conspecta fuerit viva caro*] Oportet hoc iudicium fuisse lepræ etiamnum inhærentis.

16. *Iterum alba evaserit*] *Redierit caro viva & conversa fuerit in albam.*

18. *Cùm verò fuerit in carnis cute*] *Et caro cùm fuerit in ea, in ejus cute.* Ordo Hebraïcus.

Inflammatio] שחין *schebbin*, de qua voce vide not. in Exod, Cap. IX, 9.

19. *Lucidus admodum*] אדמדמת *adamdemeth.* Nihil notius est quàm אדם *adam* esse *rubere*; hoc quoque constat duplicatas radicales significationem vocis intendere, quod multis ostendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. V. c. 6. Verùm ea significatio hîc locum habere non potest, quid enim esset *splendor albus summopere ruber*? Quod cum animadverterent LXX. Intt. *disjunctivam* particulam addiderunt: *τηλαυγὲς λευκαίνουσα ἢ πυῤῥίζουσα*, & *Hieronymus*, *cicatrix alba*, SIVE *subrufa*. Sed præter quàm quòd, ubi hæc verba repetuntur, nusquam occurrit או *aut*, semper alibi color lepræ non *rubens*, aut *subrufus*, sed candidus *instar nivis* describitur, ut Exod. IV, 6. Num. XII, 10. 2. Reg. V, 27. Itaque confugiendum est, cum *Bocharto*, ad significationem Arabicam vocis אדם, quæ vox interdum *maximè candere* sonat, unde נאקה אדמא *nikkah adama* camelam summpere candentem significat, & אדמות *admaton* candorem eximium. Atque ita sumitur hæc eadem radix, apud Hebræos. Cant. V, 10. Thren. IV, 7. Igitur Hebræis una eadémque vox *rubere* & *candore fulgere* significarit, ut apud Latinos *purpureus* dicitur *color* non modò *purpuræ*, sed etiam *nivis* & *cycnorum*, quod ostenderemus exemplis, si res esset hujus loci. Ambiguitas earum vocum inde nata, quòd nulli colores magis fulgeant, quàm *ruber* & *candidus*.

21. *Substiterit*] כהה *chebah.* Vide ad vers. 6.

23. *Suo pristino loco*] תחתיה *thabhtheha*, sub se, hoc est, eodem loco. Vide not. ad Exod. Capp. X, 23. XVI, 29.

Adustio inflammationis] Macula alba, quæ interdum curatam inflammationem sequitur.

24. *Sanata adustio*] מחית המכוה mhhjath hammikvah, *vivacitas combustionis*; hoc est, locus qui adustus fuerat & sanatus, ubi pellicula candens solet esse.

Splendoris albi] Maculæ albæ & splendentis, aut

verò ferpferit porrigo per cutem, poftquàm mundus declaratus fuerit; 36. infpiciet eum facerdos, & quandoquidem ferpferit porrigo per cutem, non quæret facerdos pilos flavos, immundus homo erit. 37. Si verò in oculis ejus fteterit porrigo, & pili nigri in ea orti fuerint, curata eft porrigo, homo mundus eft, & mundum pronunciabit facerdos.

38. Cùm in cute carnis viri aut mulieris plures erunt fplendores albentes, 39. infpiciet facerdos; & quando quidem fuerint in cute eorum carnis fplendores albi fubofcuri, vitiligo erit, *quæ* orta fuerit in cute, mundus erit homo.

40. Vir etiam cujus defluxerit cæfaries è capite, & calvus erit, mundus habebitur. 41. Si verò ad angulum faciei defluxerit cæfaries capitis ejus, recalvafter erit, mundus habebitur. 42. Sed fi in parte calva, aut recalva, plaga *eft* alba valde fplendens; eft lepra, quæ in parte calva, aut recalva orta erit. 43. Hominem infpiciet Sacerdos, & quando quidem macula plagæ alba erit, *&* valde fplendens, in parte calva vel recalva, *cui* fpecies fit lepræ in cute carnis; 44. vir ille adfectus habebitur leprâ, immundus erit, & propter plagam capitis ejus, facerdos eum immundum pronunciabit.

45. Ejus autem qui erit plagâ lepræ adfectus veftes laceræ fint, caput nudatum, myftax obnuptus, & clamet: immundus, immundus. 46. Quamdiu erit plagâ *lepræ* adfectus, immundus habebitur, & erit; folus habitabit, & extra caftra erit ejus habitatio.

47. Veftis

fito indicio, pronunciator. 37. Contrà fi neque ferpferit lepra, & pilos nigros locus emiferit, curatus & mundus à Sacerdote judicator.

38. Cùm cujufpiam cutis maculis fplendentibus & albicantibus diftincta erit, 39. infpicito eum Sacerdos, & cùm videbit maculas fubobfcuras, vitiliginem effe, non lepram, adeóque hominem mundum pronunciato.

40. 41. Si cujus defluxerit cæfaries, in occipite, aut in fincipite, calvus aut recalvafter, non leprofus habetor. 42. At fi, in parte cæfarie nudata, macula cernatur fummopere alba & fplendens, lepra cenfetor; 43. 44. & qui eâ laborabit, à Sacerdote infpectus, immundus pronunciator.

45. Leprofus autem veftibus laceris, capite retecto, & myftace obnupto, lugentium inftar, incedito, ac fe immundum effe, fi quis accedat, clamato. 46. Quamdiu leprâ laborabit, immundus efto, atque extra caftra aut urbem folus, feorfim ab omnibus, habitato.

47. 48. In

aut fine fplendore candentis, qualia folent effe aduftionis veftigia. Hinc iterum intelligimus ארמרמת *adamdemeth* effe coloris fulgentis & candentis nomen.

28. *Macula aduftionis*] שאת *fcheeth*, ut fuprà verf. 1. non fignificat *tumorem*, qui nullus eft, cùm aduftio curata eft, fed maculam.

Inufta aduftionis nota] *Ardor aduftionis*, hoc eft, ut habent LXX. Intt. χαρακτὴρ τοῦ κατακαύματος.

30. *Porrigo*] נתק *nethek*. Incommodè verterunt LXX. Intt. θραῦσμα *vulnus*, Vulgatus omifit, quòd fat commodam Latinam vocem non inveniret, aut propriam Hebrææ fignificationem nefciret. Nos *porriginem* vertimus, eámque ita meritò dictam putamus à verbo נתק, hoc eft, *evellere*, aut quòd *evellat crines*, aut quòd *evellendi fint*, ut faciliùs curetur.

31. *Pili nigri*] ושער שחר אין בו *vefchebar fchabhar en bo*, & pilus niger nullus in eo. Mirum eft *nigrum* dici pilum, hoc in loco, & includi hominem, cùm ille capillorum color indicium habeatur, quo conftat non effe lepram, ut antecedentia & fequentia docent. Hoc cùm animadverterent LXX. Intt. pofuerunt θρὶξ ξανθίζουσα, quafi fuiffet צהב *tfabob*, ut in antecedente verfu, quia nullo confpecto crine flavo, qui lepræ fuit indicium, dubitare potuit Sacerdos an lepra effet. Vulgatus Interpres maluit omittere negationem אין, vertit enim, *fi viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni & capillum nigrum.* Ac fanè quamvis אין fit in Samaritico, æquè ac Mafforethico codice, abundare fenfus clamat, fi legatur שחר *fchabhar*, niger. Ut conftet fenfus, aut abfit negatio oportet, aut legatur צהב *tfabob*.

33. *Radet*] התגלח *hithgallahh*, in qua voce ג majus eft ceteris litteris, quod *quidam*, ait *Buxtorfius* in Com. Mafforeth. c. XIV. *volunt effe memoriale trium* (nam ג in numeris tria notat) *qui radi tenebantur, primùm majorennis qui decimum tertium annum excefferat; fecundò Naziræus præfentiâ corporis mortui pollutus; tertiò Levita.* Nos non ita lectorum judicio diffidimus, ut hæc confutari à nobis oportere exiftimemus.

38. *Splendores*] בהרות בהרות, hoc eft, diftinctum paffim habeat corpus fplendentibus notis. Vide ad Genef. XIV, 10.

39. *Subobfcuri*] כהות chehoth *hebetes*, quando heb.fcit color albus, obfcurior evadit.

Vitiligo erit] בהק *bohak*, cujus radix apud Syros & Chaldæos fignificat *fplendere*. Hoc nomine videtur fignificari ea vitiligo quæ ἄλφος dicitur, ut habent οἱ LXX. quod nomen deducitur à *farinæ* Græca adpellatione ἄλφιτον, aut ab Hebraïco verbo חלבין *hilbin* dealbavit. Vide Diff. de *Lepra*.

40. *Defluxerit cæfaries à capite*] ימרט ראשו jimmareth rofcho, *deglabratum fuerit caput ejus.*

44. *Propter plagam capitis ejus*] בראשו נגעו brofcho nigho, *propter caput ejus plagæ*, pro בנגע ראשו. Eft hypallage, qualis eft Capp. XII, verf. 4. XXII, verf. 4.

45. *Veftes laceratæ fint*] Quòd, nimirum, lu-

47. Vestis in qua fuerit plaga lepræ, seu fuerit in veste lanea, aut in linea; 48. in stamine, aut in subtemine lini, aut lanæ; vel in pelle, vel in opificio quovis pelliceo, *immunda erit.* 49. Erit plaga valde viridis, aut valde rubra; in veste, aut in pelle, in stamine aut in subtemine, in omni denique vase pelliceo, hæc erit plaga lepræ, & inspicienda præbebitur sacerdoti. 50. Inspiciet sacerdos plagam, rémque eâ adfectam septem diebus includet. 51. Deinde die septimo plagam inspiciet, quæ si se diffuderit in veste, aut in stamine, aut in subtemine, vel pelle, seu quavis re quæ fit ex pelle, erit lepra recrudescens, & plaga immunda. 52. Comburet eam vestem, vel stamen, aut subtemen, seu lanea sint, seu linea, & quodvis pelliceum vas, in quo fuerit plaga; nam hæc est acerba lepra, igne comburetur. 53. Si verò inspexerit sacerdos, quando quidem diffusa non erit plaga per vestem, aut stamen, aut subtemen, aut vas quodvis pelliceum; 54. eo jubente, abluet *dominus* id in quo erit plaga, atque iterum per septem dies id includet. 55. Inspiciet verò sacerdos, postquàm ablutum fuerit, plagam, & quando quidem mutata ejus non erit species, quamquam non erit plaga *ampliùs* diffusa, immundum hoc erit, igne comburetur; fœditas hæc est, in parte ejus calva, aut recalva. 56. Si verò viderit sacerdos obscuram esse plagam, postquàm abluta fuerit, tum divellet eam ex veste, aut ex pelle, aut ex stamine, aut ex subtemine. 57. Si verò iterum cernatur in veste, aut in stamine, aut in subtemine, aut in quovis vase pelliceo, est efflorescens *lepra*, igne combures id in quo erit plaga. 58. Vestis verò, aut stamen, aut subtemen, aut quodvis vas pelliceum quod ablueris, si plaga eluta fuerit, iterum abluentur & habebuntur munda. 59. Hæc est lex de plaga lepræ vestis lanæ & lineæ, staminis vel subteminis, aut cujusvis pellicei vasis, ex quâ munda aut immunda pronunciabuntur.

XII. Le-

47. 48. In vestibus etiam laneis, lineis ac pelliceis, & quibusvis aliis pelliceis integumentis, lepram esse posse scito. 49. Quotiescumque in stamine aut subtemine lanæ aut lini, aut in pelliceo integumento maculam valde viridem, aut rubram videbis, lepram esse judicato, & res ad Sacerdotem inspicienda defertor. 50. Inspectam ille, per septiduum, armario claudi jubeto; 51. deinde iterum inspicito, & cùm eam serpsisse animadverterit, lepram esse recrudescentem judicato, 52. rémque eâ infectam comburi curato. 53. Si verò non serpserit, 54. res maculosa, jubente Sacerdote, abluitor, & per septem dies iterum includitor. 55. Cùm macula post ablutionem eadem supererit, quamvis major facta non sit, Sacerdos rem maculosam, sive macula sit in adversa, aut in aversâ parte, immundam pronunciato, & comburi jubeto. 56. Cùm verò obscurior facta erit macula abluta, eam à veste, aut pelle, cui inest, abscindito. 57. Si denuò in eadem veste, aut pelle, cerni incipiat similis macula, efflorescens ex ea lepra habetor, atque ea comburitor. 58. Si verò macula primâ ablutione prorsus eluta fuerit, iterum res maculosa abluitor, & munda habetor. 59. Hæ Leges de Lepra in veste lanea aut linea, in quacumque parte effloruerit, aut etiam in pelle, ratæ sunto, atque ex iis mundæ aut immundæ pronunciantor.

P A-

lugentis instar esset. Vide not. ad Cap. X, 6.

Caput nudatum] Ut lugentes.

Mystax obnuptus] על שפם יעטה hal schapham jahteh, *super mystacem obnubat*, nimirum, fasciâ, aut simili involucro. Fuit hoc quoque lugentium, ut liquet ex Ezek. XXIV, vers. 17. Mich. III, vers. 7.

Immundus, immundus] Ne eum prætereuntes tangant, & se polluant. Vide Thren. IV, 15. Esai. LII, 11.

46. *Solus habitabit*] Ne alios impuret. Vide Num. V, 2. XII, 14. 2. Reg XV, 5.

48. *In stamine*] בשתי bischthi. LXX. Intt. ἐν στήμονι. Est à שת *posuit*, potiùs quàm à שתה schathah *bibit*, sunt enim fila, quæ prima *ponuntur*, & quibus alia deinde miscentur.

In subtemine] בערב bhereb, quod est à ערב *harab* miscuit, nam, ut loquitur *Ovidius*,

——— stamen secernit arundo,
Inseritur medium radiis subtemen acutis.

Græci rectè κρόκη. Coplosè de stamine & subtemine egit *Cl. Salmasius* ad *Julii Capitolini* Pertinacem. Sunt quidem cutis morbi, qui adfines sunt Lepræ homines adficienti; sed Lepræ vestium aut murorum nihil simile est alibi, nisi *mucor* aut *situs* intelligatur, ut diximus in Diss. de *Lepra*.

49. *Erit plaga valde viridis*] ירקרק *jerakrak*. Diximus duplicatione radicum intendi vocis significationem; sed ambiguum est quis color ירק *jarok* possit vocari. Dicitur quidem ירק *jerek* herba viridis; sed propter adfinitatem viroris & flavedinis, aut quòd herba marcescens flava fiat, aurum vocatur ירקרק Ps. LXVIII, 14, hoc est, *flavissimum*. LXX. Intt. verterunt hîc χλωρίζουσα, hoc est, *virentem*, Vulgatus, *albam*, quòd χλωρὸς aliquando pallidum significet. Non multùm tamen interest *flavissimum* an *viridissimum* hîc dicas, quia situs aut mucor utroque colore, & cæruleo sæpe mistus est.

Valde rubra] אדמדם *adamdam*; hoc in loco non *splendentem*, ut antea, sed *valde rubram* vertimus, quia situ corruptæ vestes, non splendescunt, sed maculis viridibus, flavis, cæruleis & rubris distinguuntur. LXX. Intt. verterunt πυῤῥίζουσα, Vulg. *rufam*, Onkelos סומק quod *rubrum* sonat.

50. *Rémque ea adfectam*] נגע negah *plagam*, ut supra de homine.

51. Quæ

XII. *Leges de purgatione Leprosi, de ædium Lepra dignoscenda, ejusque & eorum qui eas ingressi fuerint purgatione.*

1. ALloquutus etiam est Jehova Mosem, his verbis: 2. hæc erit lex le- Caput
prosi, eo die quo purgabitur. Adducetur ad sacerdotem, 3. qui castris XIV.
egredietur, *eúm*que inspiciet, quando leprosi sanata erit lepræ plaga. 4. Ju-
bente sacerdote, accipiet, *sibi* purgando, duas aves vivas & mundas, lignum ce-
drinum, coccum, & hyssopum. 5. Tum jubebit sacerdos jugulari avem unam, ad
vas testaceum, supra aquam vivam. 6. *Dein* avem vivam sumet, lignum cedrinum,
coccum & hyssopum; atque hæc & avem vivam immerget in sanguinem jugulatæ
avis, supra aquam vivam. 7. *Eo* adsperget septem vicibus leprâ purgandum; cúm-
que mundum pronunciabit, ac avem vivam dimittet in agros. 8. Mundatus verò
abluet vestimenta sua, abradet omnem suum pilum, lavabitur in aqua, mundúsque
ha-

PARAPHRASIS.

1. ALias etiam Leges de Leprosi purgatione,
déque Lepra Ædium, & eorum qui eas in-
gressi essent purificatione, Mosem ferre jussit Deus.
2. Leprosus purgandus Sacerdoti inspiciendus 3. ex-
tra castra sistitor, postquàm sanatam esse suam le-
pram existimabit. 4. Si idem judicarit Sacerdos,
hominem jubeto sibi comparare duas aves mun-
das, easque vivas, ramum cedri, lanam cocci-
neam, & hyssopum, unde fasciculus fiat. Hisce
comparatis, testam aquâ vivâ plenam adferri cu-
rato & alteram avium, super testa, ita ut sanguis
ejus in aquam decidat, jugulato. 6. Tum avem
vivam, cum fasciculo, in aquam alterius sanguine
tinctam mergito, 7. hominem mundandum sep-
ties fasciculo adspergito, avéque liberâ dimissâ,
quasi lepram avolando ablaturâ, mundum pro-
nunciato. 8. Postea mundatus vestes suas abluito,
totius corporis pilos radito, corpus quoque lava-
to, mundusque eatenus habitus ut cum suis ver-
sari liceat, in castra ingreditor; attamen, per sep-
tem

51. *Quæ fit ex pelle*] Additur למלאכה *limlathab*, *ad opificium*, vel *opificii*.

Recradescens] ממארת *mamereth*. LXX. Intt. ἔμμονον, Vulg. *perseverantem*, Onkelos מחסרא mehhasera, *corrodentem*, Jonathan מחלטא *declaratam*, quasi Hebraïca vox esset ab אמר dixit. Habet Samarita ממריאה, quod in Scholiaste Vaticano vertitur φιλόνεικος. Malim *exacerbatam* vertere. Ad sensum quod adtinet non malè, sed propriam vim vocis non adtenderunt. Nos cum *Sam. Bocharto* Hieroz. P. 2. Lib. II. c. 45. ab Arabico מאר *maara* deducimus, quod est *irritare*, & de vulnere irritato aut recrudescente dicitur. Sic Ezek. XXVIII, 24. Sidon dicitur esse Israëlitis סלון ממאיר *spina acerbè pungens*.

52. *Stamen, aut subtemen*] Parata, nimirum, ad texendum fila.

Seu lanea fiat, seu linea] *In lana, aut in lino.*

55. *Quamquam non erit*] *Et plaga* נגע *non serpsit.* ו vertimus *quamquam*, quia alioqui non serpere erat indicium maculam non esse lepræ speciem. Vide Gen. XVIII, 27. XLVIII, 14.

Fœditas] פחתת *phhhethetb*. LXX. Intt. ἐστήρικται ἐν τῷ ἱματίῳ, Vulg. *eo quò infusa sit.* Ex conjectura verterunt. Onkelos *corrosionem* credidit significari, habet enim תבירא *thabra*. Jonathan שקיעא *schakkihah*, profunditas. Samarita כתימה chthimah, *fœditas*, aut *macula*. Duo priores deduxerunt hanc vocem à פחת phahhath, *fossa*, quod nihil habet commune cum hac voce, præter litteras. Samarita verò credidit priscam radicem fuisse apud Hebræos פחת, quæ, pro mutua harum litterarum permutatione, idem significarit ac Arabica פחש *phahhascha*, hoc est, res *turpis ac inhonesta fuit.* Ac sanè nihil aliud vult Moses, nisi turpem ac fœdam esse maculam.

In parte ejus calva aut recalva] בקרחתו או בגבחתו *bkarahhtho o bgabbahhtho.* Cùm hæ voces propriè dicantur de homine, ut adparet ex versu 43. Interpretes non parum impediverunt, qui nescio quid hîc corruptum videntur conjecisse. LXX. Intt. habent, ἐν τῷ ἱματίῳ, ἢ ἐν τῷ στήμονι, ἢ ἐν τῇ κρόκῃ, *in veste, aut in stamine, aut in subtemine*, phrasin ex superioribus mutuò acceptam. Hieronymus: *in superficie vestimenti, vel per totum*, quæ non minùs recedunt ab Hebraïcis verbis. Onkelos: בשחיקותיה או בחדתותיה *in vetustate sua, aut in novitate sua.* Jonathan: ברדדיה או בלבריה *in glabritie, aut in villositate.* Samarita: בצעותה אי בנקיותה *in deteriore ejus, aut in meliore.* Noluimus recedere à vocibus Hebraïcis, sed duo posteriores Interpretes videntur rem acû tetigisse; adeò ut קרחת *karahhath* calvities, significet aversam partem vestis, *le revers*, ut loquuntur Galli: גבחת *gabbahhath* verò, seu *recalvities*, partem adversam, *le droit*, ut Gallicè dicimus. Quòd si hoc non sit, oporteret verba hæc huc esse ex 43. versu translata.

56. *Obscuram esse plagam*] כהה *chehah*, hoc est, hebetiorem factum esse maculæ colorem. Vide ad vers. 39.

58. *Si plaga eluta fuerit*] *Et recesserit plaga ab iis.*

59. *Ex qua munda aut immunda* &c.] *Ad mundandam aut polluendam.*

COMMENTARIUS

In Caput XIV.

2. HÆc erit lex leprosi] De Leproso, ut alibi passim.

Quo purgabitur] *Purgationis ejus.*

3. *Qui castris egredietur*] *Et exibit sacerdos castris,*

habebitur; & in castra postea ingressus, per septem dies, extra tentorium suum habirabit. [9] Die autem septimo, radet omnem suum pilum, capur suum, barbam, supercilia, omnem denique pilum, abluétque vestimenta & carnem suam aquâ, & purus erit. [10] Octavo die sumet duos agnos sine vitio, agnam unam anniculam, integram, & quatuor decimas *Ephæ* farinæ, in donarium farreum oleo mistum, & Logum unum olei. [11] Tum vero sacerdos purgans virum mundandum *eum* unà cum illis, coram Jehova sistet, ad ostium tabernaculi conventûs. [12] Capiet alterum agnum & offeret eum in sacrificium pro noxa, Logúmque olei, & agitabit ea in oblationem agiratam, coram Jehova. [13] Mactabit autem agnum in loco in quo jugulare solebir victimam pro peccato, & holocauroma, in loco sacro; nam hæc victima pro noxa erit sacerdoti, instar victimæ pro peccato. Res est sacrosancta. [14] Deinde sacerdos sumet aliquantum ex sanguine victimæ pro noxa mactatæ, eóque oblinet lobum auris dextræ, & pollicem manûs dextræ pedísque dextri hominis purgandi. [15] Sumet etiam *oleum* ex Logo olei, & in volam suam sinistram effundet. [16] Tum digitum dextræ suæ tinget oleo, quod in sinistra vola erit; atque ex eo oleo digito suo septies adsperget, coram Jehova. [17] Ex reliquo vero oleo, quod erit in vola sua, sacerdos oblinet lobum auris dextræ mundandi, & pollicem manûs dextræ, pedísque dextri, super sanguine victimæ pro noxa mactatæ. [18] Oleum denique, quod supeterit in vola sacerdotis, imponet ca-

tem dies, extra tabernaculum suum maneto. [9] Septimo die, iterum per totum corpus raditor, vestésque & corpus abluito; tum demum prorsus mundus babetor, atque in tentorio suo, ut priùs, habitato. [10] Octavo verò die, cum duobus agnis & agna, anniculis ac sine vitio, cum quatuor farinæ Assaronibus, & Logo olei, se ad Tabernaculum Conventûs conserto, [11] Sacerdos verò hominem purgaturus, ad ejus ostium eum accedere jubeto; [12] alterum agnorum in sacrificium pro noxa adoleto, Logúmque olei ad altare, ut Deo consecretur, agitato. [13] Agnus autem ille, in loco solito, ad septemtrionem altaris mactator, ejúsque caro, exceptis solitis proficiis, Sacerdotis esto. [14] Tum Sacerdos sanguine mactati agni lobum auris dextræ, pollicémque manûs dextræ & dextri pedis hominis mundandi oblinito. [15] Deinde, oleo in sinistram effuso, [16] dextræ digitum tin-

castris, aut urbe, postquàm Hebræi Chananæam invasissent.

Leprosi sanata etit] *Sanata eris plaga lepræ à leproso.*

4. *Jubente*] *Et jubebit — accipiet.*

Duas aves vivas] צפרים *tsippborim*, quæ vox *passeres* quidem interdum, sed passim quaslibet *aves* significat, ut copiosè demonstravit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. III. c. 21. Hoc in loco epitheton *mundarum*, quod sequitur, non de passeribus agi, sed de quibusvis avibus ostendit. Quo factum ut ὀρνίθια verterint LXX. Intt. *Hieronymus* tamen *passeres*. Verùm, ut rectè, Cap. sequente, *Sam. Bochartus*, mundus dici passer non potuit, si ex Lege fuit immundus; contrà, si fuit mundus, Lex in cassum capi passeres mundos jusserit, cùm nulli essent immundi. Idem vir doctissimus mysticas excogitavit significationes lustralium horum rituum, quæ apud eum legentur. Hæc majore ingenio, quàm ratione, viri docti comminiscuntur, tacente Mose. Crediderim similes ritus, apud Ægyptios, lustrationibus summopere deditos, in usu fuisse, nec magis singulorum quærendam causam; quàm quare apud alias Gentes, tædæ, verbenæ, ros marinus, sabina, laurus, sulphur &c. in lustrationibus adhiberentur. Ut horum significationes intelligeremus, oporteret nos scire qui animus, quæ opinio primi singulorum institutoris fuerit; quæ quoniam nos fugiunt, nec inveniri queunt, in cassum laborare nihil adtinet. Deus hac in re, ut in ritualibus omnibus, crasso populi Hebræi ingenio, his dudum adsueto, se adtemperavit; nec significationes iis addidit, quas nemo potuit divinare, ipso non indicante; & quæ pro arbitrio postea ab ingeniosis hominibus fictæ sunt, nihil sunt præter leves conjecturas. Nonnullas tamen rationes symbolicas aut physicas, ne animum planè in hac investigatione despondere videamur, addemus, quibus tamen fidere nos non posse fatemur.

Lignum cedrinum &c.] Ut adspergillum hinc fieret, Hyssopo circa Cedri ramum vincto funiculo coccineo. Constat Cedriam & Hyssopum & conjuncta in medicamentis, & cutis morbis, quorum ex teterrimis fuit Lepra, curandis adhibita fuisse; quod nos *Dioscorides* docet, Mat. Med. Lib. I. c. 105. ubi de Cedria: *ἤχους τε καὶ συριγμοὺς παύει σὺν ὑσσώπου ἀφεψήματι ἐγχεομένη*: *cum decocto Hyssopi infusa sonitus, sibilósque sedat.* Haud multò post de Cedria sola: *ὠφελεῖ καὶ ἐλεφαντιῶντας*, *juvat elephantiasi laborantes.* Elephantiasis autem adfinis erat Lepræ, ut in Diss. de *Lepra* diximus. Ea etiam vis erat Cedriæ, ut docet *Dioscorides* eodem loco, ut vivæ carni noceret, mortuam servaret, unde νεκροῦ ζωὴ vocabatur. Atqui caro leprâ infecta erat veluti mortua, ut docet Moses Num. XII, 12. Fortè his de causis cedrus, in lustratione leprosi, adhibita.

Coccum] שני תולעת *schni thalahath*, hoc est, lanam coccineam, Vide not. ad Exodi Cap. XXV, 4. Fortè Coccus etiam adhibeatur hujusmodi morbis, cernè vulneribus nervísque sauciatis tritus ex aceto imponebatur, ut auctor est *Dioscorides* Lib. IV, c. 48.

Hyssopum] אזוב *ezob*, cui vim purgandi tribuebant Ægyptii, ut monuimus ex *Chæremone* ad Exod. XII, 22. Hoc confirmat *Dioscorides* Lib.

capiti hominis mundandi, eúmque coram Jehova expiabit. 19. Deinde faciet sacerdos victimâ pro peccato, expiabitque mundandi hominis immunditiem; & postea jugulabit holocautoma. 20. Hoc & donarium *farreum* imponet altari, eum *sic* expiabit & mundus habebitur.

21. Si vero pauper ille sit, neque sit ei *tot victimarum* copia, sumet agnum unum in victimam pro noxa, *&* in oblationem agitatam, ut eâ expietur; & decimam partem *Ephæ* similaginis oleo mistam, in donarium farreum; Logum olei; 22. & duos turtures, aut duos columbos, prout ad manum fuerint, & alter quidem erit victima pro peccato, alter vero holocautoma. 23. Hæc ad purificationem suam, die octavo, adducet ad sacerdotem ad ostium tabernaculi conventûs coram Jehova. 24. Sumet sacerdos agnum victimam pro noxa, & Logum olei, eáque coram Jehova in oblationem agitatam agitabit. 25. Tum jugulabit agnum victimam pro noxa, ex ejus victimæ pro noxa sanguine aliquantum sumet, eóque oblinet hominis mundandi lobum auris dextræ, pollicem manûs dextræ & dextri pedis. 26. Ex oleo verò aliquantum sacerdos in volam suam sinistram infundet, 27. & digito suo dextro ex oleo illo, quod erit in sinistra vola, septies coram Jehova adsperget, 28. eodémque lobum autis dextræ, ac pollicem dextræ manûs & dextri pedis hominis mundandi oblinet, ad locum sanguine victimæ pro noxa *oblitum*. 29. Reliquum vero oleum, quod erit in vola sacerdotis, imponet capiti hominis mundandi, ut eum, coram Jehova, expiet.

tingito, oleúmque septies ad Tabernaculum adspergito. 17. Reliquo easdem partes hominis purificandi, quæ sanguine tinctæ fuerunt, oblinito, ac caput inungito, quo ritu ille expiator. 19. 20. Tandem more solito victimam pro peccato, holocautoma, & farreum donarium offerto; quo peracto, homo plenè expiatus ac mundatus habetor.

21. Si verò mundandus pauperior sit, quàm ut tot victimas, tantúmque farreum donarium offerre queat, agnum unum in victimam pro noxa; & oblationem agitatam, adducito; Assaronémque similæ, Logum olei, 22. & duos turtures aut columbos, ut alter pro peccato, alter in holocautoma offeratur, 23. die octavo, ad ostium Tabernaculi Conventûs adferto. 24. Hæc Sacerdos coram Jehova agitato, 25. agnum mactato, ejusque sanguine partes corporis, quas antea diximus, oblinito 26. *ad* 29. Oleo easdem, eodem ritu, qui descrip-

Lib. III. c. 30. ubi inter varias plantæ virtutes hanc quoque habet, hue facientem: ποιεῖ δὲ κὴ εὐχροίαν, *meliorem quoque colorem cuti conciliat.* Postea: διαφορεῖ δὲ ὑπώπια σὺν ὕδατι ζεστῷ καταπλασθεῖσα, *dissolvit sugillata cum fervente aquâ impositum.* Leprosi autem ὑπωπίοις albis laborabant. De vocis Hyssopi ambiguitate, vide *Cl. Salmasium* Cap. XIX. Lib. de Homon. Hyles Iatricæ. De eodem etiam pluribus egit, in libello *de Cruce.*

5. *Jubebit Sacerdos jugulari*] *Jubebit & jugulabit.* Aut à lepra curatus, aut alius.

Aquam vivam] *Aquas vivas.* Sic vocant Hebræi & Latini aquas fontium, ut eas distinguant à pluviis, cisternis exceptis. Vide Jerem. II, 13. Ægyptii etiam, in lustrationibus, non quavis aqua utebantur, sed limpidissima, & saluberrima, qualem eam existimabant esse, ex qua Ibides biberant. *Plutarchus* de Sollertia Animalium p. 974. Ἱερεῖς (Αἰγύπτιοι) ὕδατι χρῶνται ἀφαγνίζοντες ἑαυτοὺς, ἐξ οὗ πέπωκεν Ἶβις. οὐ γὰρ ᾖ φαρμακῶδες ἢ νοσερὸν ἄλλως τὸ ὕδωρ οὐ προσίεισιν: *Sacerdotes Ægyptii aqua utuntur, cùm se lustrant, ex qua bibit Ibis; si enim sit venenata aut alioquin insalubris aqua, non accedunt.* Vide & *Ælianum* An. Hist. Lib. VII. c. 45. Sic & aliæ Gentes impuratum *vivo se flumine* abluere oportere censebant, antequàm Sacra tractaret. Ita *Virgilius* Æneam inducit loquentem, Æneidos II. vers. 717.

Tu genitor cape sacra manu, patriósque Penates.
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine VIVO
Abluero.

Vide ad hunc locum Intt. & inter alios *Frid. Taubmannum.*

7. *Septem vicibus*] Hic numerus, in lustrationibus, observatus apud Ægyptios, ut liquet ex his *Apuleji* Lib. XI. Metam. initio: *me*, inquit, *purificandi studio, marino lavacro trado, septies submerso fluctibus capite; quòd eum numerum præcipuè religioni aptissimum divinus ille Pythagoras prodidit.* Vide quæ collegit ad Sæc. IX. rerum *Ægypt. Joannes Marthamus.* p. 188. Ed. Lond.

7. *Avem vivam dimittet*] Ut dimittebatur hircus ἀποπομπαῖος, infrà Cap. XVI, v. 21. ubi vide notata.

In agros] *Supra faciem agri.*

8. *Abradet omnem suum pilum*] Quod fuit genus munditiei Ægyptiacæ, ut liquet ex verbis *Herodoti* adlatis ad Genes. C. XXXV, 2.

Per septem dies] De septenario numero diximus ad Exod. XXIX, 29.

10. *Quatuor decimas Ephæ*] Vide not. ad Exod. Cap. XXIX, 40.

Logum unum olei] לג *log* continebat olei circiter libram Romanam. Vide *Ed. Bernardum* de Mens. Lib. I. § 16.

12. *In sacrificium pro noxa*] Vide not. ad C. V, 16.

In oblationem agitatam] Vide not. ad Exodi Cap. XXIX, 24.

13. *Jugulare solebit*] שחט *jugulabit.*

14. *Ex sanguine victimæ*] Apostolus ad Heb. IX, 22. *omnia ferè sanguine purgari ait*, ad quem locum vide Interpretes.

Lobum auris dextræ] Ut Sacerdotibus consecrandis. Vid. ad Exod. XXIX.

 21. *Sit*

piet. 30. Tum faciet uno turture, aut columbo, prout ad manum fuerint. 31. Eorum qui ad manum ei fuerint unum *mactabit* in victimam pro peccato, alterum in holocautoma, præter donarium *farreum*; iisque sacerdos mundandum hominem, coram Jehova, expiabit. 32. Hæc lex est ejus, in quo plaga lepræ fuerit, & cui ad sui purificationem *aliæ victimæ* ad manum non erunt.

33. Alloquutus præterea est Jehova Mosem & Aharonem, his verbis: 34. cùm terram Chananæam, quam vobis possessionem do, ingressi fueritis, si plagam lepræ ædibus terræ possessionis vestræ injunxerim; 35. veniet is, cujus domus erit, nunciatum sacerdoti, his verbis: instar plagæ lepræ cernitur mihi in ædibus. 36. Tum, jubente sacerdote, vacuabunt domum, priusquàm ingrediatur ad inspiciendam plagam, ne pollutum pronuncietur quidquid est domi; postea ad inspiciendam plagam intrabit Sacerdos. 37. Inspiciet *ille* plagam, & quando plaga erit, in parietibus domùs, cavitatum valde viridium aut rubrarum, ita ut earum facies sit inferior pariete; 38. egredietur eâ domo sacerdos ad ostium ejus, jubebítque domum per septem dies claudi. 39. Die septimo revertetur, inspiciétque, & quando quidem diffusa fuerit plaga, per parietes domûs, 40. eo jubente, demolientur lapides, in quibus fuerit plaga, eósque extra urbem in locum immundum projicient. 41. Domum verò tectorio relini introrsum circumquaque jubebit, & tectorium quod abraserint, extra urbem effundent, in locum impurum. 42. Deinde alios fument lapides, & *priorum* illorum lapidum loco reponent, tum etiam tectorium aliud, quo domum oblinant.

43. Si

descriptus, inungito. 30. 31. Duorum turturum; aut columborum, alterum pro peccato, alterum in holocautoma, & donarium farreum, ritibus solitis offerto; 32. atque ita pauperes, qui Leprâ fuerint adfecti, semper mundantor.

33. De Ædium Lepra has quoque Leges, Deo jubente, tulit Moses. 34. Cùm terram Chananæam occupaveritis, atque in domibus lapideis habitabitis, quisquis viderit in muro domûs suæ maculam viridem aut rubram, 35. Sacerdotem adito, & in muro domûs suæ maculam instar lepræ conspici nunciato. 36. Sacerdos verò eum moneto, omnia esse Ædibus efferenda, antequàm eas ingrediatur, ne si deprehendat maculam lepræ esse, omnia immunda pronunciet, & grave incommodum possessori creet. Vacuatam verò domum Sacerdos ingreditor, 37. maculámque inspicito; quam si viderit præter modum viridem, aut rubram, & depressiorem reliquâ muri superficie, 38. domo egreditor, eámque per septem dies, ne quisquam interea ingrediatur, claudito. 39. Die septimo, eam iterum inspicito, quo si maculam serpsisse viderit per domûs muros, 40. partem muri, in qua macula fuerit, dirui, lapidésque & calcem in immundum locum extra urbem efferri jubeto. 41. Quin & reliquam domum tectorio relini, idque in locum immun-

21. *Sit tot victimarum copia*] *Manus ejus adtingat.*

26. *Suam*] *Sacerdotis.* Substantivum pro pronomine, ut passim.

28. *Eodémque*] Repetitur *& ponet Sacerdos ex oleo, quod erit in vola sua*, quod ante & pòst dicitur.

35. *Nunciatum*] *Et nunciabit.*

36. *Jubente Sacerdote*] *Jubebit Sacerdos.*

Vacuabunt domum] פנו *phinnou*, quod ita vertendum sequentia ostendunt, supellectilia enim auferenda monet Moses, ne immunda pronuncientur ob ædes pollutas. Sic sumitur Sophon. III, 15. Rectè *Hieronymus: efferant universa de domo*, post LXX. Intt. qui eodem sensu habent ἀποσκευάσαι. Hinc autem discimus pollutionem hanc pependisse ex opinione, nam si verè polluta fuissent, non tum demum fuissent polluta, cùm ædes ingressus erat Sacerdos, & leprâ pollutas pronunciaverat.

37. *Et quando*] *Et ecce*, ut sæpiùs Capite superiore.

Cavitatum] שקערורת *schkabarourotb.* Ut in lepra cutis, maculæ erant depressæ: ita & in hac murorum carie, profundiores fuere putredinis notæ. Videtur autem vox composita ex radice שקע *schakah*, quæ *desidere & demergi* sonat, & ריר rour *salivare*; quòd, nempe, eæ cavitates humorem exsudarent, quo muri maculabantur. In Samaritico Codice scribitur שקערירת *schkabrarotb.* LXX. Intt. verterunt κοιλάδας, Vulg. *valleculas.*

Valde viridium] Vide not. ad Cap. XIII, vers. 49.

41. *Domum tectorio relini*] יקציע *jaktsiah*, quod ἀποξύειν LXX. Intt. *radere* Vulgatus vertit.

Tectorium] עפר *haphar*, hoc est, *pulverem*, quòd tectorium fiat ex arena, & in pulverem resolvatur.

Tum etiam tectorium] *Pulverem alium capiet, & linet*, mutato numero, ut fit subinde in Analogiæ negligente Lingua. Samaritæ tamen & LXX. Intt. plurali numero legerunt, hîc & in sequentibus.

44. *Recrudescens*] Vide not. ad Caput XIII, vers. 51.

57. *Præterea abluet*] Ex superiore enim versu repetendum *immundus erit*; nam ii demum abluebant vestes, qui erant immundi.

49. *Ad purificandam domum*] Pollutas domos etiam antiquissimi Græci ritibus quibusdam purgabant, ut docet *Homerus* Odyss. X. vers. 493. ubi Euryclea, jussu Ulyssis,

Ἤνεγκε δ᾽ ἄρα πῦρ καὶ θήϊον, αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Εὖ διεθείωσεν μέγαρον, καὶ δῶμα, καὶ αὐλήν,

adfert ignem & sulphur, at Ulysses probè sulphu-

43. Si verò plaga redierit, & effloruerit in ædibus, postquàm *dominus* lapides demolitus erit, & postquam tectorio relita domus fuerit, *iterúmque* oblita; 44. ingredietur sacerdos, inspiciet, & quando quidem plaga serpserit in ædibus, recrudescens hæc erit in ædibus lepra, immundæ erunt. 45. Diruet domum, ejus lapides, ligna, universúmque tectorium ædium, ex urbe in locum immundum ejiciet. 46. Qui domum ingressus fuerit omnibus diebus, quibus claudi eam jussit *sacerdos*, immundus erit usque ad vesperam. 47. Qui cubuerit, in iis ædibus, *præterea* abluet vestes; qui in iis cibum sumserit, vestes quoque abluet.

48. Si verò ingressus sacerdos inspexerit, quando non serpserit plaga in ædibus, postquàm oblitæ fuerint; mundas ædes pronunciabit, nam sanata fuerit lepra. 49. Ad purificandam verò domum, sumet duas aves, lignum cedrinum, & hyssopum. 50. Jugulabit alteram avem, ad vas testaceum, supra aquam vivam; 51. tum capiet lignum cedrinum, hyssopum, coccum, & avem vivam, eáque immerget sanguini avis jugulatæ, & aquæ vivæ, septiésque domum adsperget. 52. *Sic* lustrabit ædes sanguine avis, aquâ vivâ, ave vivâ, ligno cedrino, hyssopo & cocco 53. Dimittet autem avem vivam extra urbem in agros, expiabitque domum & mundam pronunciabit. 54. Hæc erit vobis lex, de omni lepræ plaga, de porrigine, 55. de lepra vestis & domûs, 56. de macula, de impetigine & splendore *cutis*; 57. ut doceatis quo die *fit quidpiam* immundum, quo die sit mundum. Atque hæc est lex de lepra.

XIII. Le-

mundum ejici pariter curato. 42. Tum aliis lapidibus resarciri partem muri apertam, domumque alio tectorio oblini Ædium dominus jubeto.

43. Si postea eadem macula alicubi in Ædibus denuò adpareat, 44. Sacerdos inspicito, domumque totam immundam pronunciato. 45. Ædium verò dominus Ædes solo æquari, earúmque materiam urbe efferri, in locum in quem immunditiæ conjiciuntur, curato. 46. Quisquis domum, ex quo immunda à Sacerdote pronunciata est & clausa, ingressus erit, ad vesperam immundus censetor. 47. Quicumque in ea cubuerit, aut cibum sumserit, præterea vestes abluito.

48. Si verò postquàm denuò Ædes oblitæ fuerint, nulla Lepræ macula cernatur, mundas Ædes Sacerdos pronunciato. 49. *ad* 53. Verùm ut purgatæ prorsus habeantur, eodem ritu ac ad purgandum primùm Leprosum utitor; sanguine, nimirum, avis jugulatæ & aquâ vivâ, immisso in ea cedri, coccineæ lanæ, & hyssopi fasciculo, adspergito, alterámque avem vivam dimittito. 54-57. Hæ Leges de omni Lepræ genere, iisque quæ ei similia videntur, inter vos sunto; ex quibus verè Leprosus, à laborante alio morbo, secernitor.

P A-

phure lustrat cœnaculum & domum, & aulam. Tertullianus *de Baptismo* C. V. de Ethnicis: *villas, domos, templa, totásque urbes adspergine circumlatæ aquæ expiant passim.* Vide quæ collegit hanc in rem *Joan. Lomeierus* in Lib de Lustrationibus, Capp. XIX, & XXX.

Lignum cedrinum] Cùm Cedrus non sentiat cariem, oleúmque etiam cedri quæ eo inuncta sunt illæsa servet; in lustratione domûs, putredine antea corruptæ, adhibebatur cedri ramus. *Cedri oleo*, ait *Plinius* Lib. XVI. c. 39. *peruncta materies, nec tineam, nec cariem sentit.* In hisce omnibus, videtur Legislator populi, cui leges ferebat, opinionem sequutus; si enim descripsisset remedia Leprosis hominibus, & ædibus curandis apta, ei populo verè profuisset; sed curatis quid opus fuit lustrationum sumtu, & molestia? Nimirum, hæc ipsi Hebræi, Ægyptiacis moribus adsueti, volebant. De his non omnino malè dixeris, quod de re simili *Menander*:

Εἰ μέν τι κακὸν ἀληθὲς ἔχες, Φειδία,
Ζητεῖν ἀληθὲς φάρμακον τούτου σ' ἔδει.
Νῦν δ' οὐκ ἔχεις· εὕρηκα ᾗ κενὸν φάρμακον
Πρὸς τὸ κενόν, οἰήθητι δ' ὠφελεῖν τί σε.
Περιμαξάτωσάν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλῳ
Καὶ περιθειωσάτωσαν ἀπὸ τριῶν κρουνῶν ὕδωρ.
Τούτῳ περιῤῥάναι, ἐμβαλὼν ἅλας, φακούς.
ΠΑΣ ἁγνός ἐσθ' ὁ μηδὲν συνειδὼς κακὸν
Αὑτῷ.

Hoc est, interprete *Hug. Grotio*:

O Phidia, vero si laborares malo,
Nimirum, vero opus esset & medicamine.
Nunc id cùm non sit, inane medicamen dato
Ad morbum inanem. Tu tibi crede id prosore.
Ergo te abstergant undequaque mulieres,
Aquámque adportent, sed tribus de fontibus
Quâ perfundaris sale permistâ & lentibus.
SAT ille purus nullius sceleris sibi
Qui conscit.

12. *Sic lustrabit*] וחטא vebhitte, & expiabit.
54. *De porrigine*] לנתק *lnathek.* Vide not. ad Cap. XIII, 30.
56. *De macula* &c.] ולשאת *lassebeeth.* Vide not. ad Cap. XIII, 2.

C O M-

XIII. *Leges de viris & mulieribus immundis profluviis laborantibus.*

CAPUT XV.

1. ALloquutus est etiam Jehova Mosem & Aharonem, his verbis: 2. Alloquimini Israëlitas, iisque dicite; Quicumque, cujus caro profusionem patietur, immundus *erit*. 3. Hæc autem erit in profusione immunditia; seu caro ejus emittat fluxum suum, seu desinat, hæc immunditia *erit*. 4. Omnis lectus, in quo cubuerit profluvio laborans, immundus erit; omnis supellex, super qua sederit, erit *etiam* immunda. 5. Quicumque ejus cubile adtigerit, abluet vestimenta, *ipse quoque* se in aqua lavabit, & immundus erit usque ad vesperam. 6. Qui sedebit super supellectili, super qua sederit profluvio laborans, abluet vestes, lavabit se *ipse* in aqua, & pollutus usque ad vesperam erit. 7. Qui tetigerit carnem profluvio laborantis abluet vestes, se *ipse* aquâ lavabit, & ad vesperam usque erit immundus. 8. Cùm sputaverit profluvio laborans in mundum, *hic* vestes suas abluet, semet in aqua lavabit, & ad vesperam immundus erit. 9. Omnis currus, quo vectus fuerit profluvio laborans, immundus erit. 10. Quicumque tetigerit ea quæ sub eo fuerint, ad vesperam usque erit immundus; qui verò ea gestaverit, vestes abluet, se ipse aquâ lavabit, atque *eidem* ad vesperam immundus erit. 11. Quemcumque tetigerit profluvio laborans, manibus aquâ illotis, is abluet vestes, lavabit se ipse aquâ, & ad vesperam erit immundus. 12. Vas testaceum quod tetigerit profluvio laborans frangetur, ligneum vero aquâ perfundetur.

13. Cùm

PARAPHRASIS.

1. LEges hasce de virorum & mulierum profluviis laborantium immunditie tulit etiam, jubente Deo, Moses. 2. Quicumque seminis profusione laborabit, immundus esto; 3. nec eo dumtaxat tempore, quo durat profusio, sed etiam aliquamdiu postquàm desierit, impuratus habetor. 4. Omnis lectus in quo cubuerit, & quidquid ei sedenti substratum fuerit immundum esto. 5. 6. 7. Quicumque ea adtigerit, in iis sederit, aut ipsum hominem tetigerit, se & vestes abluito & ad vesperam immundus habetor. 8. Quisquis hominis profusione laborantis sputo conspurcatus fuerit idem facito. 9. Currus, quo profusione laborans vectus fuerit, immundus censetor. 10. Quisquis vestes ei subjectas adtigerit immundus etiam esto ad vesperam; qui eas gestarit se, vestésque suas prætereà abluito. 11. Quisquis tactus fuerit à profusione laborante, illotis manibus, idem facito, & ad vesperam similiter immundus judicator. 12. Vas testaceum, quod æger adtigerit, nulli alii usui postea adhiben-

COMMENTARIUS

In Caput XV.

2. CUjus caro profusionem patietur] *Fluens* (זב zab) *è carne sua fluxu suo*, מזובו *zobo*. LXX. Intt. habent ῥύσιν ἐκ τοῦ σώματος, at Vulg. *fluxum seminis*, & certum est hoc intelligi. בשר *caro* honestè dicuntur pudenda, ut Ezek. XXIII, 20. Sic & apud *Aristophanem* κρέας μέγα.

3. *Emittat*] רר *rar*, quod est propriè *spuat*. *Desinat*] החתים *hehhethim*, claudat. Cùm hoc opponatur τῷ רור *rour*, spuere, existimarim signari profusionis suppressionem, atque hoc velle Legislatorem, virum illum non statim haberi mundum, ideò quòd desiit. חתם *hhatham* propriè est *obsignare*, deinde *claudere* significavit, quia quæ clauduntur interdum obsignantur. Hinc & apud Syros & Arabas, est *absolvere*, *desinere*, quo sensu hîc etiam videtur sumi. Eum, cujus curata fuerat γονόῤῥοια, illico mundum non fuisse docet Moses infrà vers. 13. Habet *Hieronymus* hanc paraphrasin: *tunc judicabitur huic vitio subjacere, cùm per singula momenta adhæserit carni ejus, & concreverit fœdus humor*. Quæ nimis recedunt à vocibus Hebraicis, sed intelliguntur; at intelligi non possunt LXX. Intt. qui verterunt; ῥέων γόνον ἐκ σώματος αὐτοῦ, ἐκ τῆς ῥύσεως ἧς συνέστηκε τὸ σῶμα αὐτοῦ, διὰ τῆς ῥύσεως. Rabbini voce רר intelligi putant tenuiorem liquorem emitientem, eum verò qui החתים בשרו esse hominem, qui crassiore fluxu laborat, adeò ut obturentur meatus. Verùm hæc parum consentanea sunt Hebraïcæ phrasi, & satis fuit pollutum pronunciasse γονόῤῥοίᾳ laborantem, nec opus erat turpis morbi species ita signare. Sed manum de tabula. In Samaritico post החתים hæc adduntur: טמא הוא כל ימי זב בשרו או החתים בשרו מזובו *immundus est omnibus diebus fluens carne suâ, seu clauserit carnem suam à fluxu suo*, quod verbis adlatis expresserunt LXX. Interpretes.

Hæc immunditia erit] *Immundities ejus hæc*, ut initio versûs, *immundities ejus in fluxu ejus.* Non immeritò immundus habebatur, qui ejusmodi morbo laborabat, qui vix sine libidine nimia oritur; & propter rationes Medicorum filiis notas, ei conjugis usu interdici debuit. Verùm hac immunditiei notâ, non modò pœnas reus luebat, sed toti familiæ molestus erat, ut sequentia hujus Legis capita ostendunt. At castè viverent, nec quidquam simile contingeret. Alia ratio est καθαρμῶν, de quibus postea.

8. *Cùm sputaverit* &c.] Mirum est nullam pœ-

[13] Cùm profluvio laborans profusione suâ fuerit purgatus, numerabit septem dies, quibus purificetur; abluétque vestes suas, lavabit carnem suam aquâ vivâ, & erit mundus. [14] Die verò octavo, sumet sibi turtures duos, aut duos columbos, & coram Jehova veniet, ad ostium tentorii conventûs, eósque dabit sacerdoti. [15] Tum sacerdos altero faciet, *ut* victimâ pro peccato, altero *ut* holocautomate, ejúsque profluvium coram Jehova expiabit.

[16] Vir, è quo exierit semen coïtûs, omnem suam cernem aquâ abluet, & immundus erit usque ad vesperam. [17] Omnis vestis & omnis pellis, in qua fuerit semen coïtûs, abluetur aquâ & ad vesperam immunda erit. [18] Mulier cum qua vir cubuerit seminis concubitu, *virque ejus* se aqua abluent, & immundi erunt usque ad vespetam.

[19] Mulier verò, cùm profluvium patietur, sanguis*que* ex ejus carne fluet, per septiduum in impuritate sua erit, & quicumque eam adtigerit, ad vesperam erit immundus. [20] Omnia, in quibus in impuritate sua cubuerit, immunda erunt; omniáque, in quibus sederit, *itidem* immunda. [21] Quicumque tetigerit lectum ejus abluet vestes suas, se *ipse* aquâ lavabit & ad vesperam immundus erit. [22] Quicumque adtigerit ullam supellectilem, in qua sederit, *similiter* abluet vestimenta sua, se *ipse* lavabit aquâ, & immundus erit usque ad vesperam. [23] Si verò ille super lecto *fuerit*, aut super supellectili, in qua ea sederit, ejus tactu immundus fiet, usque ad vesperam. [24] Si autem vir cum ea cubuerit, & impuritate suâ ea laboraverit, immundus erit septem diebus, & omne cubile in quo ille cubabit impurabitur. [25] Si muliet labotabit profluvio sanguinis sui, diebus multis, cùm non erit

bendum frangitor, ligneum aquâ abluitor.

[13] Postquàm sanatus fuerit, ne illico mundus censetor, sed per septiduum quotidianis ablutionibus aquâ vivâ purgator, & tum demum, mundi instar, securè inter alios versator. [14] Die verò octavu, duos turtures, aut duos columbos, ad ostium Tentorii, ad Sacerdutem adferto; [15] earumque avium alterâ pro peccato, alterâ in holocautoma à Sacerdote oblatâ, profluvium expiatum habetor.

[16] Vir eo die, quo liberis procreandis operam dederit, se abluito, atque ad vesperam immundus esto. [17] Omnium linteorum, aut vestium semine inquinatarum, eadem ratio esto. [18] Mulier cum qua vir, liberorum procreandorum causâ, concubuerit, se similiter abluito, atque ad vesperam usque immunda esto.

[19] Mulier menstruo fluxu laborans, per septiduum impura habetor, & quicumque illam eo tempore adtigerit immundus & ipse ad vesperam esto. [20] *ad* [21] Lecti ejus, sedilium in quibus sederit, eorúmque qui hæc aut illam adtingerint eadem ratio immunditiei esto, ac quæ circa virum profusione seminis laborantem antea exposita est. [24] Si vir in eodem lecto cum ea jacuent, eo tempore, per septem dies immundus habetur, & lecti omnes in quibus

pœuam hîc sputanti impositam, cùm maliriâ posset hoc fieri, æquè ac casu. Verùm hæc, ut multa alia, judicum arbitrio reliuquebantur.

9. *Currus*] מרכב *merchab*, quod idem hîc esse videtur ac מרכבה *merchabah*, quod *currum* passim significat. Ac sanè 1. Reg. IV, 26 *currum* manifestò souat. Attamen LXX. Intt. habent *ἐπίσαγμα* & Vulg. *Sagma*, hoc est, vestem quæ asino vel equo impouebatur, antequàm conscenderetur. Seu sagma, seu currum intelligas, exempli loco videtur addi.

11. *Manibus aquâ illotis*] *Et manus suas non inundaverit aquis*, quod dubium est an referri debeat ad profusione laborantem, an verò ad muudum. Videtur debere intelligi de immuudo, qui si quem ob uecessarium quid adringere vellet, debebat priùs manus abluere. Quæ enim fuisset ratio homini mundo abluendarum manuum, postquàm fortè caput ejus adtigisset immundus? Rabbini, qui aliter intelligunt, volunt voce *manus* signari totum corpus, contra usum perpetuum Hebrææ Linguæ; quod, nempe, in antecedentibus immundus pronuncietur qui adtigerit immundum, & ablutioni totius corporis & vestium damnetur. Sed hîc alia est ratio, nam aliud est tetigisse sponte profluvio laborantem, aliud se tangi ab eo, ob necessarium quidpiam, passum esse; & qui manus abluere debet, antequàm tangeret, impurus fuisse intelligitur.

12. *Frangetur*] Ideò fortè Ægyptii, ex quorum moribus hæ leges videutur fluxisse, æneis vasibus ferè utebantur; ne nimis sæpe frangenda essent vasa tellacea. *Herodotus* Lib II. c. 37. *Ἐκ χαλκέων ποτηρίων πίνουσι, διασμῶντες ἀνὰ πᾶσαν ἡμέρην· οὐχ ὁ μὲν, ὁ δ' οὔ, ἀλλὰ πάντες*: *abeneis in poculis potant, singulis ea diebus extergentes, non hic quidem, ille verò non, sed omnes.*

13. *Quibus purificetur*] *Ad purificationem suam.* Hoc est, quibus cognosceret se verè & penitus esse curatum, ne subitâ redeuntis morbi immunditiâ pollueretur.

16. *Vir è quo exierit semen coïtus*] Sic ab eo distinguitur, quod profusione emittebatur. Hæc Lex ex moribus Ægyptiacis petita est, ut osteudimus ad Exodi Cap. XIX, 15. ubi vide notata, de Legis hujus ratione.

Immundus erit] Eatenus ut ne ad Sacrarium accedere auderet, non in ceteris vitæ muniis, aut ut se tangentes pollueremt; alioquin in salace Gente, conjuges nimis sæpe fuissent immundi. Fortè etiam hæc de diurna Venere fuui intelligenda, ut videtur indicare formula *usque ad vesperam*. Aliter si res se habuit, neque

erit tempus suæ impuritatis, aut fluxum patietur præter impuritatem; omnes dies immunditiæ ejus erunt instar dierum impuritatis, immunda erit. 26. Omne cubile in quo cubuerit, omnibus diebus profluvii sui, erit ei instar cubilis ejus impuritatis; & omnis suppellex in qua sederit immunda erit, quemadmodum immunditie impuritatis suæ. 27. Quicumque ea adtigerit immundus fiet, abluet vestes suas, lavabit se ipse aquâ, & immundus erit usque ad vesperam.

28. Si purgata fuerit profluvio suo, numerabit sibi septem dies, & postea munda erit. 29. Die verò octavo, capiet sibi duos turtures, aut duos columbos, adferétque eos ad sacerdotem, ad ostium tabernaculi conventûs. 30. Tum faciet uno sacerdos, *quasi* victimâ pro peccato; altero verò, *quasi* holocautomate, & eam expiabit, coram Jehovâ, ab immunditiei profluvio.

31. Seorsim autem esse curabitis Israëlitas, ab immunditia, neque morientur in immunditia, polluendo tabernaculum meum, quod est inter eos. 32. Hæc lex erit profluvio laborantis; ejus ex quo egressum fuerit semen coïtûs, quo pollutus fuerit; 33. languentis mulieris in impuritate sua; *omnis denique* profluvio laborantis, seu sit masculus, seu fœmina, & viri qui concubuerit cum immunda.

XIV. Le-

bus interea cubuerit polluti sunto. 25. Si extraordinario fluxu mulier diutiùs laboret, quamdiu is fluxus durabit, immunda esto 26. 27. eorúmque quæ adtigerit, & qui ea aut illam tetigerint eadem ratio, ad immunditiem quod adtinet, habetor.

28 *ad* 30. Postquàm verò defierit profluvium, per septem dies antequàm se mundam putet exspectato, & eodem modo quo vir, cujus curata profusio est, purificator.

31. Immundi omnes procul à Tabernaculo, ne hoc polluant, & irreverentiæ graves pœnas morte luant, absuuto; 32. 33. atque hæ leges, de memoratis profluviis, ratæ sunto.

P A-

que viri vellent diu vivere in immunditie; quotidianis pæne lavacris utendum fuit, quod in locis aridioribus, qualia multa erant in Chananæa, incommodum fuit.

19. *In impuritate sua*] בנדתה *bniddatah*, de qua voce vide not. ad Cap. XII, 2.

Eris immundus] Minore immunditiâ, quam diximus; alioqui vix poterat hoc semper caveri. Illam autem minorem immunditiam, quæ nimis frequens erat, negligebant, cùm necesse non esset omnibus quotidie ad Sacrarium ire. Vir summus ait in *Adnotatis*, ad hoc caput, *in Syriæ locis & vicinis* ἔμμηνα *habere aliquid contagie nocens*, quod vellem auctoritate alicujus, qui loca adiisset, confirmasset. Videtur Legislator in hac, aliisque immunditiæ speciebus, personas, résque immundas veluti cinxisse pariete quodam, cùm ea, quæ contingerent, immunda pronunciaret: non quòd immunda omn. reverâ possent haberi, sed ne immundi ad eas accederent, propter alias causas. Mulierem καταμηνίοις laborantem immundam esse ait, & impurare quæ tangeret, ne vir salacior propiùs accedens eam concupisceret. Mira hac de re Physici tradunt, quæ quamquam non omnia vera, non tamen omnia falsa. Usque adeò autem urget Moses separationem à muliere immunda, ut illustrare ejus Legem, quamvis de re turpicula, necesse habeamus *Plinianis* verbis ex Lib. VII. c. 15. *Nihil facilè reperiatur mulierum profluvio magis monstrificum. Acescunt superventu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insedere, decidunt. Speculorum fulgor adspectu ipso hebetatur, acies ferri præstringitur, eborisque nitor; alvei apium emoriuntur; æs etiam, ac ferrum rubigo protinus corripit, odórque dirus; & in rabiem aguntur gustato canes, atque insanabili veneno morsus inficitur. Quin & bituminum sequax alioquin ac lenta natura, in lacu Judææ, qui vocatur Asphaltites, certo tempore anni supernatans, non quit sibi avelli ad omnem contactum adhærens, præterquàm filo quod tale virus infecerit. Etiam formicis, animali minimo, inesse sensum ejus ferunt, abjicique gustatas fruges, nec postea repeti.*

20. *Omnia, in quibus in impuritate sua cubuerit* &c.] Hoc in hac lege molestissimum erat, cùm omnia hæc utensilia immunda haberentur, donec abluta forent, præsertim pauperculis; qui laneos & lineos pannos paucos habebant, ablutionibus ejusmodi frequentioribus facilè corrumpendos. Axioma est Juris Pontificii Hebræorum, לכל טמא שהוא בטומאה עד שיטבול *de omni immundo in immunditia esse, donec ablutum fuerit.* Vide *R. Levin*, ad Leg. CVII. Scimus quàm difficulter pauperes vitam tolerent hodie, ubi sunt omni illo jugo exonerati; quid iis fieret, si præterea talia accederent? Hæc sanè erant *instituta non bona*, quibus Deus Ægyptiacæ munditiei deditum populum pressit, ut ait Ezekiel Cap. XX, 25. Hæc certè nec grata Deo, & molestissima hominibus erant. Ut enim diligenter eluendæ sunt sordes, quæ valetudini noxiæ esse possunt: ita immundities non noxia, sed solius opinionis, nimis anxiè vitari nequit, sine gravi molestia.

28. *Si purgata fuerit*] Aut post καταμήνια, aut post longius profluvium. Postquàm planè defierat, erat quidem munda; sed nonnisi septiduo pòst adire Tabernaculum, aut Sacrarium potuit; quod, In Puerpera, antehac notavimus ad Cap. XII.

29. *Capiet sibi duos turtures*] Hoc non potest referri ad mulierem menstruo fluxu purgatam, quæ propterea quidquam offerre non jubebatur; sed ad eam, quæ diuturniore αἱμοῤῥοίᾳ purgata fuisset. Victima pro peccato ei imponitur, sed exigui pretii; non quòd ejusmodi immunditties

XIV. Leges de die sollemni expiationis anniversariæ totius Populi Hebræi.

1. POSTQUAM duo filii Aharonis mortui essent, dum offerrent *ignem alienum* coram Jehova, Mosem alloquutus est, 2. & dixit: Alloquere Aharonem fratrem tuum, ne quovis tempore ingrediatur sacrarium, intra siparium, ante operculum, quod est supra arcam, neque moriatur; nam supra operculum in nube conspiciar. 3. Horum beneficio ingredietur Aharon in sacrarium, juvenci pro peccato immolati, & arietis in holocautoma *oblati*. CAPUT XVI.

4. Tunicam lineam sacram induet, femoralia linea carni ejus imponentur, balteo lineo se cinget, lineáque tiarâ se redimiet. Hæ sunt vestes sacræ, *quibus indutus erit*, & quas, postquàm abluerit aquâ carnem suam, vestiet. 5. Ab Israëlitarum cœtu duos hircos in victimas pro peccato, & arietem unum in holocautoma sumet. 6. Offeret etiam Aharon juvencum victimam pro peccato suo, seque & domum suam expiabit. 7. Deinde capiet duos hircos, eósque in conspectum Jehovæ,

PARAPHRASIS.

1. POSTQUAM Aharonis filii morte pœnas luerant illati in Sacrarium profani ignis; Deus hanc Legem Aharoni ferre Mosem jussit. 2. Ne quolibet tempore Pontifex Maximus in Adytum ingreditor, ne irreverentiæ pœnas luat; me enim supra operculum Arcæ, singulari ratione, adesse intelligito. 3. Priùs juvenci pro peccato, & arietis in holocautoma mactati sanguine expiator, quæ victimæ quotannis die sollemni mactantor.

4. Eo die Pontifex Maximus ante omnia abluitor, deinde iisdem vestibus lineis, quibus alii Sacerdotes uti solent, induitor. 5. Populus Hebræus ad eum duos hircos, victimas pro peccato futuras, & arietem in holocautoma offerendum adducito. 6. Ipse sibi juvencum, pro suis gentiliumque suorum peccatis, mactandum comparato. 7. Hunc, duos-

dities peccatum sit, verùm ut agnosceret sibi morbum non immeritò contigisse, veniámque peccatorum à Deo peteret. Quamvis enim ejusmodi morbi, alisque similes, non semper immittantur hominibus, qui ceteris sunt pejores, aut singularibus peccatis eos sibi contraxerint; attamen omnia vitæ mala, adeóque etiam morbi, sunt inter peccatorum pœnas habendi. Quo fit ut in Evangeliis Christus iis *remitti peccata*, hoc est, pœnas peccatorum dicat, quorum morbos curat.

30. *Quasi victima*] Quod addimus *quasi*, id non significat veram hanc non fuisse pro peccato victimam. Constructionis commodioris causâ adjecimus.

Ab immunditie] מטמאתם *mittumatham* ab eorum immunditie; nempe, suorum, ne polluantur, quando Tabernaculum adire volent, ut ostendunt sequentia.

Polluendo tabernaculum] Si licuisset per Deum Israëlitis, Ægyptiacis opinionibus præpeditis, adire Tabernaculum pollutis, ut opinabantur, immunditie, de qua in hoc Capite, Sacra Dei Israëlis sprevissent; quasi minorem reverentiam exegisset à suis cultoribus, quàm Ægyptiorum Numina. Igitur eo, quod ipsi irreverentiæ maximum indicium rebantur, fuit iis interdicendum. Alioqui mulier diuturno fluxu laborans non magis polluisset Sacrarium, quàm αἱμοῤῥοοῦσα vestem Christi polluit Matth. C. IX. eam tangens; si modò religiosum animum eò tulisset.

COMMENTARIUS

In CAPUT XVI.

2. NE *quovis tempore*] ואל יבא veal jabo & *ne veniat omni tempore*. Illud abundat, ut sæpe alibi. Fortè, ut diximus ad Cap. X. in locum sanctissimum irruperant Aharonis filii suffitum illic oblaturi; qua de causa, hæc lex tunc temporis est lata.

Intra siparium] Ideò à Græcis, apud quos similis lex fuit ab Ægyptiis accepta, ea templi pars Ἄδυτον dicta est. Adyta Ægyptiorum descripsimus ex *Clemente* Alexandrino & *Strabone* ad Cap. Exodi XXVI, 35. *Julius* autem *Pollux* Onom. Lib. I. c. 1. Adytum quid sit Græcis his verbis exponit: Εἰ μέν τοι καί τι χωρίον ἄβατον εἴη τοῦ ἱεροῦ, τοῦτο καὶ ἄδυτον εἴποις ἂν, καὶ ἀψαυστήριον, καὶ ἄθικτον καὶ ἀνάκτορον: *si quis sit locus quem adire non liceat, hunc & Adytum dixeris, & intactum, & inconspicuum, & Anactoron.* Sæpe erat spelunca, quo factum ut ab *Hesychio* & *Snida* definiretur σπήλαιον ἢ τὸ ἀπόκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ, *spelunca aut abscondita pars Templi.* Paullò pleniùs in *Etymologico Magno* res habetur: Ἀδύτῳ, τῷ ἐνδοτάτῳ μέρει τοῦ ναοῦ, *intimæ & maximè divinæ parti Templi:* Ἄδυτα γὰρ καλοῦνται οἱ τόποι τῶν ἱερῶν εἰς οὓς οὐκ ἔξεστιν εἰσιέναι, οὐδὲ εἰσδῦναι πᾶσι: *Adyta enim vocantur loca templorum, quæ non licet ingredi, neque subire omnibus.* Deinde, prolatâ etymologiâ omnibus notâ: Ἄδυτα οὖν τὰ ἀφανῆ καὶ μύχια τῶν ἱερῶν καὶ ὀροφαὶ, οἶκοι ὑπόγειοι σκοτεινοί: *Adyta ergo inconspicua & penetralia templorum, ut fastigia, & domus subterraneæ obscuræ.* Eadem ita describit *Cæsar* de Bel. Civili Lib. III. c. 105. *Pergami in occultis ac remotis Templi, quò præter Sacerdotes adire fas non est, quæ Græci* ἄδυτα *adpellant, tympana sonnerunt.*

Neque morietur] Dum irreverenter irrumpit in Adytum. Hæc omnia ad conciliandam Sacris reverentiam, pro moribus illius ævi, constituta sunt; nam alioquin ubicumque religionem ac pietatem violes, æquè offenditur Deus.

hovæ, ad ostium tabernaculi conventûs, sistet, 8. & in ambos hosce hircos, sortes jaciet; sortem unam Jehovæ, alteram præcipitio. 9. Postea admovebit Aharon hircum, super quo *jacta* sors Jehovæ adscenderit, eóque faciet *tamquam* victimâ pro peccato; 10. hircus verò, super quo *jacta* sors adscenderit præcipitio, statuetur vivus coram Jehova, ut expiet eo *sacerdos*, eúmque mittat ad præcipitium, in desertum.

11. Admovebit Aharon juvencum, victimam suam pro peccato, séque & domum suam,

duósque hircos ostio Tentorii amoveto, 8. & de hircis quidem duas sortes in urnam conjicito, quarum uni inscriptum esto PRÆCIPITIO, alteri JEHOVÆ. 9. Is cujus sors Jehovæ exsilierit ex urna, pro peccato ritu solito mactatot, 10. alter vivus, ut in desertum ad præcipitem locum emittatur, servator.

11. Res autem divina, eo die, hoc ordine peragitor. Pontifex Maximus, juvenco suo pro peccato oblato, seque & gentem suam expiato. 12. Dein-

Si intramus Templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimur; quanto magis hoc facere debemus, cùm — de Dei natura disputamus, ne quid temerè, ne quid impudenter, aut ignorantes adfirmemus, aut scientes mentiamur? Verba sunt *Senecæ* Quæst. Nat. Lib. VII. c. 30. nisi quòd pro *Deo* habet *Deos*.

Supra operculum in nube conspiciar] Et apud Ethnicos, opinio vetustissima fuit, in Adytis potissimùm Deos habitare. Dii Trojâ abeuntes

Excessere omnes Adytis, arisque relictis.

Virgilius, Æneid. II. vers. 351. Indidem proinde Oracula prodibant. Eurypylus missus à Græcis, ut Apollinis oraculum sciscitaretur,

—— Adytis hæc tristia dicta reportat:
Sanguine &c.

Ibid. vers. 115. Vide *Plutarchum* de Oraculorum defectu. Ut in Templo, aut Sacrario sibi consecrando: ita & in parte Templi, quam singulari ratione insideret, ad consuetudines receptas descendit Deus ubique præsens.

3. *Horum beneficio*] בזאת *in hoc, aut per hoc — in juvenco peccati* &c. *Clemens Alexandrinus* Strom. Lib. V. postquàm contulit Ægyptiorum Ἄδυτα cum Hebræorum προπετάσματι, addit: μόνοις δ' ἐξῆν ἐπιβαίνειν αὐτῶν τοῖς ἱερωμένοις τουτέστι τοῖς ἀνακειμένοις τῷ Θεῷ, τοῖς περιτετμημένοις τὰς τῶν παθῶν ἐπιθυμίας, διὰ τὴν πρὸς μόνον τὸ Θεῖον ἀγάπην· οὐ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι, οὐ θεμιτὸν εἶναι συνέδοξε καὶ Πλάτωνι: *ea adire solis licebat qui erant consecrati, hoc est, Deo dedicati, quibus erant circumcisæ vitiorum cupiditates* (adludit ad circumcisionem Ægyptiorum) *solius Numinis amore; non mundo enim mundum tangere etiam Platoni videbatur nefas.* Sequitur: Ἐντεῦθεν αἱ προφητεῖαι, οἵ τε χρησμοὶ λέγονται δι' αἰνιγμάτων, καὶ αἱ τελεταὶ τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἀνέδην οὐ δείκνυνται, ἀλλὰ μετά τινων καθαρμῶν καὶ προρρήσεων, lege προρραντίσεων: *illinc prophetiæ & oracula pronunciantur per ænigmata, neque mysteria accedentibus impudenter ostenduntur, sed post nonnullas purgationes, & adspersiones.* Sic & Aharon, nonnisi sanguine juvenci expiatus, ingrediebatur. Videtur Sacrificium pro peccato fuisse instar publicæ confessionis, quâ Sacerdos se mortem commeritum esse fatebatur; holocautoma verò testificatio itidem publica, quâ se totum Deo consecrare, superioris vitæ peccatis nuncio remisso, significabat. Victima enim erat Symbolum ejus, pro quo offerebatur. Confessionem etiam additam disertis verbis, cùm hircus emitteretur, docet infra Moses. Rabbini in hoc quoque sacro confessum esse Sacerdotem peccata sua & domûs suæ volunt, *Jomæ* Cap. III. Vide ad vers. 11. Ita ille, qui diviniore Sacerdotio à Deo donatus est, ἄδυτα ἀχειροποίητα non ingressus est, nisi morte suâ, & novum planè vitæ genus in æterno domicilio initurus. Vide Apostolum ad Heb. C. IX.

4. *Carni ejus imponentur*] *Erunt super carne ejus.* Ritus omnes hujusce diei à Mose instituti, & qui sunt additi, aut à Rabbinis inventi, habentur in Codice Thalmudico *Joma*, quem erudito commentario illustravit *Robert. Sheringamius.* Adiri poterit ab harum rerum studiosis, nos solius Mosis vestigia premimus.

Hæ sunt vestes sacræ] Non licebat eo tempore alias vestes induere Pontifici Maximo, nisi quæ erant etiam gregariorum Sacerdotum; quòd dies expiationis dies luctûs esset, ut postea docet Moses, & quo splendidis vestibus Sacra facere indecorum fuisset. Has vestes vocant Thalmudici פלוסין *phlousin*, hoc est, Pelusiacas, seu lino Ægyptiaco confectas, Cod. Jomæ Cap. III.

Postquàm abluerit aqua] ורחץ במים & *abluet in aqua carnem suam & vestiet.* Semper quidem Sacerdotes, antequàm Sacra facerent, manus, & pedes abluebant, ex Lege quæ habetur Exodi Cap. XXX, 19. *& seqq.* Verùm hoc die, Sacerdotem oportebat totum ablui, ut intelligeret eum, qui Mediatoris pro populo apud Deum munere fungeretur, sanctissimis moribus esse oportere. Hoc autem die eo munere sollemniùs, quàm umquam aliàs, fungebatur.

6. *Juvencum victimam pro peccato suo*] Nam antequàm Mediatoris munere fungeretur, oportebat Deum ei esse placatum: quod fiebat ingenuâ peccati confessione, conjunctâ cum sanctitatis studio; quæ, ut diximus, adumbrantur sacrificio pro peccato & holocautomate.

8. *Sortes jaciet*] Deo electionem permissurus, nam sortibus credebatur Deus voluntatem suam significare. Vide 1. Sam. XIV, 42. Prov. XVI, 33. Uni sortium inscriptum fuisse videtur ליהוה *lihavoh*, alteri לעזאזל *lahazazel*, aut uni dumtaxat alterutrum; nam cùm essent tantùm duo hirci, duobus ritibus diversis consecrati, altero in unum electo, non obscurum erat

suam, jugulato juvenco suo pro peccato, expiabit. [12] Deinde capiet plenum thuribulum prunis ex altari, è conspectu Jehovæ, & plenas volas suffitu aromatico contuso, ferétque intra siparium. [13] Imponet suffitum igni, coram Jehova, & nubes suffitûs teget operculum, quod est supra *arcam* testimonii, neque morietur. [14] Tum sumet aliquantum ex sanguine juvenci, & adsperget ante operculum, orientem versùs. Ante operculum, ex eo sanguine, digito suo, septies adsperget.

[15] Macta-

[12] Deinde thuribulo igne instructo ex altari, suffituque sumto, quantum plenis manibus continere poterit, Adytum ingreditor. [13] Illic igni suffitum imponito, cujus fumus operculum ita teget, ut curiosiùs à Pontifice Maximo adspici nequeat, ne nimiæ curiositatis pœnas gravissimas luat. [14] Cùm ita Adytum suffiverit, eo egreditor, ut sanguinem juvenci illuc inferat, quo septies spatium inter siparium & Arcam interpositum, digito in sanguinem immerso, adspergito.

[15] Postea

erat quid altero fieri oporteret. Conjectis deinde in urnam sortibus, admovebatur alter hircorum, &, sorte ex concussa urna exsiliente, prout in ea scriptum erat, mactabatur, aut postea dimittebatur in solitudinem. Similiter *Heroës Homerici* sortes in galeam jaciebant, ut Iliad. I. vers. 316.

Κλήρους δ' ἐν χαλκήρεϊ πάλλον ἑλόντες.

in ærea galea acceptas sortes agitarunt, & paullò pòst:

——— πάλλεν δὲ μέγας κορυθαίολος Ἕκτωρ
Ἄψ ὁρόων, Πάριος δὲ θοῶς ἐκ κλῆρος ὄρουσεν:

Agitavit verò sortes magnus Galeæ agitator Hector, retro respiciens, Paridis verò celeriter exsiliit sors. Similia habentur Iliados Η. & Ψ. & Odyss. Κ. Vide & *Pausaniam* in Messeniacis, ubi de Temeni, Cresphontis, & Aristodemi filiorum sortitione.

Unam Jehovæ] Quâ sorte de uno hircorum priore exsiliente, eum oportebat Deo mactari, alterum dimitti.

Præcipitio] לעזאזל *labazazel.* Versionem hanc nostram confirmant, quæ habentur versibus 21, & 22. ubi is hircus dicitur mitti *in desertum*, *in terram præruptam.* Nam ut hircus dicitur *Jehovæ*, qui in ara Jehovæ adolebatur: ita is *præcipitii* dicendus est, qui in præcipitium dejiciendus amandatur. Vocem deducimus ex duabus vocibus, quarum significationes ex Arabica Lingua petendæ, & quarum altera *terram duram*, seu *petricosam*, altera *locum angustum* significat, quod utrumque montium præcipitiis optimè convenit. Apud Arabas radix עז *bazza*, interdum *durus fuit* sonat, unde derivata עזאזון hazazon, *terra dura*, & עזזון *bazzazon*, quod idem est. Similiter & apud Hebræos מעוז mahoz, *locum* naturâ *munitum*, seu præruptum montis jugum significat, ut liquet ex Jud. VI, 26. Apud Arabas etiam, אזל *azala* est in *angustia versari*, & מאזלין maozelon, *locus arctus.* Atque eò respexisse videtur *Jonathan*, cujus hæc sunt verba vers. 10. לשדרא יתיה לממת באתר תקיף וקשי דבמדברא רצוק דהוא בית חדורי *ad mittendum eum, ut moriatur, in loco duro & aspero, qui est in deserto angustiæ, in loco acutorum scopulorum.* Vide ad vers. 22. Hinc ergo potuit fieri עזאזל hazazel, *locus arctus & petricosus*, quæ est præcipitii periphrasis.

Sam. Bochartus Hieroz. P. I. Lib. II. c. 54. vult etiam hanc esse putam putam vocem Arabicam, & quidem pluralis numeri, si efferatur *bazazil*, qualis inflexio frequens est Arabicæ Linguæ. Sed ut ex Arabica Lingua peti hujus vocis originem posse putemus, vix credibile fit ipsam inflexionem Arabicam Hebraïcè loquentibus servatam fuisse. Ille ἀποχωρήσεις interpretatur, quòd seorsim amandaretur hircus.

Hanc conjecturam, ut alias, rejicit etiam *Joan. Spencerus*, in Opere erudito de Leg. Mosis Ritual. Lib. III. Diss. VIII. ubi copiosè hac de re agit, sed leves ob rationes. I. *Voces originis Arabicæ*, inquit, *vix umquam in Pentateucho occurrunt.* Nec ipse crediderim originis Arabicæ fuisse hanc vocem, sed Hebraïcam; at cujus radices, sensu memorato, in Lingua Hebraïca interciderint, aut certè in Libris Sacris non exstent. Tota Lingua Hebraïca ad nos non pervenit, in tam paucis Libris, nec mirum proinde est nonnullarum vocum radices ex vicinis peti; quod ostendimus faciendum, ad Linguam Arabicam quod attinet, etiam in Pentateucho in voce *Pharaho* ad Gen. XII, 15. in nomine *Hesavi* ad ejusdem Libri Cap. XXV, 15. in nomine *Israëlis* ad Cap. XXXII, 18. & in alia voce ad ejusdem Capitis vers. 32. Alibi etiam alia adtulimus. II. *Vocis*, inquit, *notatio Bocharti calculo honestata sensum frigidum & à majestate legis alienum nonnumquam inferret.* Quâ verò ratione? *Præceptum est*, ait, vers. 19. *ut hircus, in quem cecidit sors, ad hazazel dimittatur* לעזאזל המדברה ad hazazelem in desertum; *hac autem lege, si hazazel ad mentem Bocharti per χωρισμοὺς recessus, aut separationes interpretemur*, *vox* מדברה *vel* hazazel *otiosa futura est & tautologiam inferet, cùm solitudines omnes χωρισμοὶ sint. Non est autem è dignitate legis hujus, (nec forsan ullius) ut in ea voces superfluas & planè redundantes libenter admittamus.* At ut paullisper quod vult concedam, nempe, duas voces allatas esse synonymas, si viro docto tautologiæ in Hebræorum stylo nullæ esse, aut paucæ videbantur; debuit aut ingentem copiam vocum novo modo interpretari, aut eas ex Mosaïcis libris delere. Nihil profectò minùs vitarunt Hebræi, neque umquam talibus repetitionibus styli sui majestatem minui somniarunt; quod tam sæpe observavimus, in Commentariis nostris, ut vereamur ne nauseam Lectori creaverimus. Observavimus non raró viros alioquin eruditissimos, qui, ex Græcorum, Latinorúmque Canonibus Rhetoricis, judicant de Hebræorum

 sty-

15. Mactabit deinde hircum, victimam pro peccato populi, inferétque ejus sanguinem *adyto* intra siparium, & hujus sanguine faciet quod fecerit sanguine juvenci, eóque ad operculum, & ante operculum adsperget. 16. *Sic* sacrarium ab immunditiis Israëlitarum, & fraudibus omnium eorum peccatorum lustrabit; & sic faciet tabernaculo conventûs, quod inter eos, in mediis eorum immunditiis, habitat. 17. Nemo autem erit homo in tabernaculo conventûs, cùm *id* ingredietur ad expiationem faciendam

15. Postea egressus hircum victimam pro peccatis populi mactato, sanguinémque ejus Adyto illatum similiter adspergito. 16. Eo ritu Adytum & Tabernaculum, quæ alioquin immunditie & peccatis Populi Hebræi polluta essent, lustrato. 17. Nemo autem, dum hæc Sacra peraguntur, præter Pon-

stylo, Hebraïsmum sibi fingere, qui numquam in rerum natura fuit, & inducere Prophetas loquentes, ut ipsi solebant, non ut Hebræi loquebantur. Qui scopulus vix potest vitari, nisi diu & studiosè libri Hebræorum legantur. Verùm ad rem. Jer. XII, 10. Similiter habemus מדבר שממה midbar schmamah *desertum vastitatis*. Hoc ipso Capite, quot sunt in stylo inutilia, si solum sensum spectemus, quibus omissis non minùs intelligeremus sententiam Mosis? Versu 2. additur Aharonis nomini, *fratrem tuum*, quod si abesset, nullum esset ambiguitatis periculum. Postquàm dictum est *intra siparium*, quid opus erat addere *ante operculum quod est supra arcam*? Pergat Lector sequentia eodem modo expendere, & quàm falsò ταυτολογίας alienas esse à stylo Hebræorum crediderit *Spencerus* illico deprehendet, si hoc ei ignotum sit. Hæc obiter, in gratiam viri summi; cujus facem, in hisce tenebris, passim sequuti sumus.

Existimat *Spencerus* vocem hanc compositam esse ex nomine עז haz *potens*, & participio אזל azel *abiens*, signarique eâ Cacodæmonem, ad quem amandaretur hic hircus, quasi immundus, ob peccata quæ ei veluti imposita fuerant. Multa collegit ad hanc Etymologiam confirmandam, quæ non expendam. Quidquid dicant qui in hac, aut simili fuerunt sententia, numquam efficient ut cum Mosis lege consentiat duarum victimarum piacularium alteram Deo offerri mactatam ad altare, & rite oblatam; alteram verò vivam, quasi peccatis populi onustam, ad Cacodæmonem mitti; qualis Sacri nulla alibi mentio. Nullum enim occurrit sacrificium, cujus pars Deo offeratur: altera verò, quasi impura, ad Cacodæmonem amandetur. Optimè confutavit *Spencerus* eorum sententiam, qui oblatum hunc Hircum Cacodæmoni volunt, & conjicit ad eum amandatum, non ut oblationem, sed ut eo Symbolo sors peccatorum denotaretur, & signaretur immundities Dæmonum, ad quos Hircus peccatis onustus mittebatur. Verùm hæc distinctio, cùm in Mose non habeatur, & dicatur alter Hircus esse *Hazazelis*, alter verò *Jehovæ*; summum periculum fuit ne Hebræi verbis Mosis eò adducerentur, ut crederent Cacodæmoni illo die Sacra fieri, & victimam mitti. Neque hoc temerè à nobis dici duo ostendunt. Primum est consuetudo Gentium, quæ Dæmonibus malis sacra faciebant, ut docet ipse Moses C. XVII, vers. 7. ex qua consuetudine hanc Legem sine dubio interpretati fuissent Hebræi, si piacularem victimam ad Cacodæmonem mittere jussi essent. Alterum est, teverâ eos ex Judæis, qui *Hazazel* nomen esse Cacodæmonis existimarunt, credidisse etiam Hircum quasi hostiam ad eum mitti, ut ostendit ipse *Spencerus* Diss. VIII. c. 2. His de causis, ejus sententiæ non adsentimur, præterquàm quòd vox *Hazazel* aliter feliciùs exponi potest, ut diximus. Itaque dimittebatur hircus, ut avis altera in purgatione Leprosi; singulari de ratione, quam postea proferemus.

9. *Adscenderit*] Quia, nimirum, è concussa urna exsilierit. Rabbini volunt extractas fuisse sortes à Pontifice Maximo, ut liquet ex Cap. IV. *Codicis Jomæ*. Sed dixisset hîc Moses נמשכה *nimschah* extracta fuerit, aut quid simile, non *adscenderit*, quod significat concussione urnæ exsiluisse sortem, quod *Homerus* dixit ἐκ κλῆρος ὄρουσεν & ἐκ δ' ἔθορε κλῆρος *exsiluit sors*.

10. *Ad solitudines in desertum*] In deserto non erant omnia æquè vasta & inaccessa, varia enim loca pascuis abundabant, ad quæ pecudes agebantur, ut sæpe vidimus. Adi notata ad Exod. III, 1. In hæc loca non vult Moses mitti hircum, sed in loca prorsus invia, & à nemine alioquin adeunda, ut liquet ex vers. 22. Hoc ergo vult Legislator, hircum abduci in maximè inviam partem deserti; neque est hac in re ταυτολογία, ut, positâ *Bocharti* sententiâ, credebat *Spencerus*.

11. *Admovebit* &c.] Moses distinctiùs narraturus quo ordine Sacra Expiationis die fieri oporteret, repetit quod antea v. 6. dixit, & continenter addit quæ ad oblationem sanguinis juvenci pertinent. Hoc manifestò adparet, ex verbis versûs 6. *séque & domum suam expiabit*, quæ significant mactationem victimæ, nulla enim sine sanguine fit expiatio. Thalmudici tamen, qui sæpe videri volunt traditioni debere quod infirmâ ratiocinatione ex Scripturæ verbis deduxerunt, Pontificem Maximum bis ad Juvencum suum ivisse volunt; ob repetitionem, quæ hîc apud Mosem legitur, & geminam confessionem ad hanc victimam edidisse. פרק ג narrant eum obtulisse sacrificium quotidianum, *ibat*, inquiunt, *ad juvencum suum — & stabat in oriente facie ad occidentem versâ, duas manus ei imponebat, confitebatur & sic dicebat:* אנא השם עויתי פשעתי חטאתי לפניך אני וביתי אנא השם כפר נא לעונות ולפשעים ולחטאים שעויתי ושפשעתי ושחטאתי לפניך אני וביתי ככתוב בתורת משה עבדך כי ביום הזה יכפר עליכם וגומר: *Obsecro, Jehova, deliqui, defeci, peccavi coram te ego & domus mea; obsecro, Jehova, remitte quæso peccata, defectiones, & delicta, quæ deliqui, defeci, peccavi coram te ego & domus mea, ut scriptum est in lege Mosis servi tui, quòd in die hac vos expiabit* &c. Deinde פרק ה, postquàm narrarunt jactas sortes, de duobus hir-

dam in sacrario, donec exierit, séque, domum suam, & universum cœtum Israëlis expiaverit. 18. Exibit autem ad altare quod est coram Jehova, id lustrabit, capiet aliquantum ex sanguine juvenci & hirci, cornuáque altaris *eo* circumquaque oblinet. 19. Ex eo sanguine id septies digito adsperget, idque ab immunditiis Israëlitarum mundabit & purgabit.

20. Cùm verò absolverit expiationem sacrarii, tabernaculi conventûs, & altaris, hir-

Pontificem Maximum, in Tabernaculo esto. 18. Exiu, sanguine juvenci & hirci, altaris holocautomatum cornua oblinito; 19. eodémque sanguine altare septies adspergito, & altare quidem eo ritu purificatum habetor.

20. Postquàm Adytum, Tabernaculum, & Altare

hircis, pergunt his verbis: בא לו אצל פרו שנייה *ibat denuo ad suum juvencum & duas manus ei imponebat, & confitebatur, & dicebat.* Postea sequitur eadem formula, nisi quòd post vocem ביתי *domus mea*, addit ובני אהרון עם קדושך & *filii Aharonis populus tuus sanctus.*

Jugulato juvenco] *Et expiabit pro se & pro domo sua & jugulabit juvencum victimam pro peccato, quæ ejus est.* Ordo narrandi fuisset: ושחט את פר החטאת אשר לו וכפר בעדו ובעד ביתו: *& mactabit juvencum victimam suam pro peccato, & expiabit se & domum suam*, nam expiatio sequitur mactationem. Similis est inversio v. 4.

12. *Ferétque intra siparium*] Thuribulum unâ manu gerens, suffitum calice contentum alterâ. Vide Cap. V. *Cod. Jomæ.*

Neque morietur] Curiosiùs inspiciens Cherubos, quos vix poterat videre, ob suffitûs fumum, quem *nubem* ob similitudinem vocat Moses. De pœna curiosiùs Arcam introspicientium, Vide 1. Sam. VI.

14. *Tum sumet* &c.] Egrediebatur Adyto ut sanguinem sumeret, iterúmque eò inferret.

Versùs orientem] Inter arcam & velum.

Septies adsperget] Deo, quippe, qui septem diebus omnia creavit. Vide notata ad Exod. Cap. XXIX, 29.

15. *Inferétque ejus sanguinem*] Tertiùm ingressus Adytum.

16. *Immunditiis*] Omnia peccata hîc commemorat Legislator, quorum alia *immunditiam* spectabant, alia malitiæ erant, alia denique ignorantiæ, quæ superioribus hujus Libri Capitibus ferè commemorata sunt.

Et sic faciet tabernaculo] Hoc est, eadem operâ Sacrarium lustrabit, quod alioqui pollutum haberetur, ob populi circa tendentis, aut habitantis varias immunditias. Rabbini hinc colligunt etiam extra Siparium adspersiones, ex utriúsque victimæ sanguine factas. Vide Codicis Thalmudici sæpiùs laudati Cap. V.

17. *Séque, domum suam* &c.] Sacris rite peractis expiabantur omnia peccata, quibus piaculares victimæ Lege sunt impositæ. Pro illis, quibus exscidium, aut mortis pœna Lege erant denunciata, sacrificia offerre nefas fuit. Vide Num. Cap. XV. Pro animi etiam vitiis Sacra non fiebant, cùm nusquam dixerit Deus se ea, oblatis sacrificiis, remissurum, res autem ex hominum arbitrio non pendeat, sed ex judicio solius Dei. Sed sunt alia delicta, cùm contra bonos mores, tum contra legem ritualem, quæ expiari sacrificiis fas, jusque erat, ut liquet ex hujus Libri Capp. IV, V & VI. Si probè rem reputemus, hæc sollemnia Sacra erant veluti publica quædam testificatio, quâ & Sacerdotes & Populus profitebantur, si summo jure secum ageretur, se mortem commeruisse; quam victimæ eorum loco patiebantur, & quâ veluti divinæ justitiæ satisfiebat, ne pœnas ob offerentibus repeteret. Sanè qui beneficio accepto abutitur, dignus est qui id amittat; nec est quod sibi injuriam fieri dicat, si qui bene fecerat quod dederat aufert. Cùm ergo Deus vitam hominibus dederit, ut legibus, quascumque tulerit, obsequantur; si quis negligentiâ suâ, aut malitiâ, eas quapiam in re violet; dignus est qui vitam amittat, si Deus jure suo uti velit. Τὰ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος, ut docet Paulus ad Rom. VI, 23. Verùm Deus summo jure cum Hebræis agere noluit, atque in hisce legalibus peccatis, relaxatione juris usus est, sollemnísque confessione & peccatorum & pœnæ commeritæ contentus fuit.

18. *Id lustrabit*] Sequenti, nimirum, ritu; quasi iterum altare purgatum dedicaret, ut Exod. C. XXIX.

19. *Ad immunditiis*] Addendum etiam ex superioribus, *fraudibus & delictis* aliis. Pro eo quod diximus *purgavit*, est קדשו *kiddescho*, quod solet verti *eum sanctificavit*, sed vox sequens ostendit eo, quo vertimus, sensu esse intelligendum. Vide not. ad Cap. XI. 44.

20. *Cùm verò absolverit*] וכלה vechillah & *absolvet.*

21. *Tum imponet* &c.] Ut aliis victimis, pro peccato, quamvis hæc non jugularetur. Hoc ritu peccata totius populi Hebræi veluti imponebantur hirco, in loca inaccessa auferenda; onus enim peccatorum, quod Aharon, ut Mediator, veluti ferebat deponebatur in caput hirci. Significabat ergo Deus, hujus ritûs auctor, se peccata Israëlitis non ampliùs imputare, nec magis se velle eorum rationem habere, quàm pecudis, quæ in deserto periit, habetur. Sic & Ægyptii ritum sollemnem habebant, quo omnia infortunia à se averruncari posse existimabant, ea in caput victimæ veluti transferendo; mactatâ enim victimâ, capiti ejus reciso imprecabantur omnia mala quæ sibi contingere possent, quod ita refert *Herodotus* Lib. II. c. 39. post verba quæ adtulimus ad Cap. I, 8. Καταρέονται δὲ τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἴ τι μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν, ἐς κεφαλὴν τὴν ταύτην τρέπεσθαι: *exsecrantur autem capita, in hæc verba, ut si quid mali aut ipsis immolantibus, aut toti Ægypto futurum sit, id in caput hoc convertatur.*

Per virum paratum] ביד איש עתי *bjad isch ittbi*, per manum viri parati, ἐν χειρὶ ἀνθρώπου ἑτοίμου, ut habent LXX. Intt. Est à עת *heth*, quod

hircum vivum admovebit. ²¹· Tum imponet Aharon nitendo ambas manus suas capiti hirci vivi, super eo confitebitur omnia delicta Israëlitarum, omnes fraudes omnium peccatorum, eáque capiti hirci imponet, & eum per virum paratum mittet in desertum. ²²· Auferet autem hircus secum omnia eorum delicta, in terram præruptam. *Et sic quidem* hircum in desertum amandabit.

²³· Deinde ingredietur Aharon tabernaculum conventûs, exuet vestes lineas, quas induerat sacrarium ingressurus, eásque illic relinquet. ²⁴· Postea abluet carnem suam aquâ, in loco sacro, induet *iterum* vestes suas, & egressus suo holocautomate & holocautomate populi faciet, séque & populum expiabit. ²⁵· Victimæ pro peccato adipem, in altari, adolebit.

²⁶· Qui in præcipitem locum hircum emiserit, abluet vestes suas, & carnem suam aquâ lavabit, deinde castra ingredietur. ²⁷· Juvencum & hircum pro peccato oblatos, & quorum sanguis illatus fuerit sacrario, ad expiationem illic faciendum, avehet *sacerdos* extra castra, eósque igne comburet; pelles, nimirum, eorum, carnem & fimum.

tare lustraverit, hircum vivum propiùs adduci jubeto. ²¹· Tum verò ejus capiti manus ambas imponito, dùmque eo nititur, omnia Israëlitarum confitetur peccata, horumque pœnas in id recidere precatur; deinde per certum hominem hircum in desertum amandato, in locum præcipitem, unde dejicitor. ²²· Hoc Symbolico ritu pœnas peccatorum Israëlitis condonari, quasi ab hirco per præcipitia ablatæ fuissent, intelligitu.

²³· Dimisso hirco, Pontifex Maximus, quasi ejus tactu pollutus, vestes in Tabernaculo deponito; ²⁴· totúmque corpus abluito, in Atrio; indutisque postea iterum vestibus sacris, holocautomata, cùm suum, tum populi arietem offerto, ²⁵· hirci pro peccato adipem in altari adoleto, & sic expiatio peracta esto.

²⁶· Qui verò in desertum hircum, per rupes præcipitem jaciendum, duxerit, ejus contactu pollutus habetor, ideóque vestes & corpus abluito, ac tum demum in castra redito. ²⁷· ²⁸· Pelles verò & reliqui

quod *tempus opportunum* sonat. Videri tamen possit legendum עתיד *hathid*, paratus, quæ vox frequentior est, cùm altera hîc tantùm occurrat, nec satis analogica videatur.

22. *Auferet secum*] Hæc fuit Symbolici hujus ritûs unica significatio, cui alias addere frustra nititur *Spencerus*. Sic avis viva dimittebatur in mundatione leprosi, quasi avolando auferret omnem ejus immunditiem. Meritò viri eruditi cum hoc ritu conferunt Phrasin, quæ exstat Mich. VII, vers. 9. ubi Deus dicitur *peccata in fundum maris dejecturus*. Significat Deus, ut pecudis in præcipitium lapsæ nulla est memoria, ita se nullam rationem habiturum peccatorum præteritorum Israëlitarum. Sic apud Ægyptios, ut vidimus, *capita* victimarum in fluvium jacta, secum omnes calamitates præcipites auferre existimabantur.

In terram præruptam] ארץ גזרה erets gzerah, *terra abscissionis*, hoc est, in locum præruptis scopulis cinctum, sive præcipitem. Hinc Syris & Arabibus גזירה *gezirah* insulam, undique præcisam, significat. Hoc videntur voluisse LXX. Intt. cùm verterunt γῆν ἄβατον, invia enim sunt præcipitia. Alii *desertam* interpretati sunt, ex sensu, non ex vi vocis. Eum locum vocant Thalmudici Cod. *Joma* Cap. VI. צוק *tsouk*, ut *Jonathan*, quod videtur non tam esse nomen proprium loci, quàm arctam viam per præcipitia signare. Nonaginta stadiis Jerosolimâ dissitum fuisse locum, ad quem amandabatur hircus, volunt. Si quæras quid fieret hirco eo in loco, respondent Thalmudici, his verbis: דחפו לאחוריו והוא מתגלגל ויורד ולא היה מגיע לחצי ער שנעשה אברים אברים *impellebant eum retrorsum, & ipse volvebatur, & descendebat, & nondum ad medium montem pervenerat, cùm in frusta erat discerptus*. Sic & Jonathan: *Et adscendit hircus super montes Bethchadonde* (sic lego cum *Buxtorfio*, hoc est, domûs scopulorum) *& impellet eum ventus turbo à facie Jehovæ & morietur*. Similiter Ægyptii, ut quod verbis *Herodoti* alibi diximus *Plutarchi* dictione nunc exprimamus: Τῇ κεφαλῇ τῶν ἱερείων καταρασάμενοι καὶ ἀποκόψαντες, εἰς τὸν ποταμὸν ἐρρίπτουν: *cùm caput victimæ exsecrati essent, & abscidissent, id in fluvium conjiciebant*. De Iside & Osiride p. 363. Humanam victimam, quasi Numini gratissimum piaculum, præcipitem agebant Massilienses, ut ex *Petronio* docet *Servius* ad 57 vers. III. Æneid. *Massilienses*, inquit, *quotiens pestilentiâ laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic postea, ornatus verbenis & vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem cum exsecrationibus, ut* IN IPSUM *reciderent mala totius civitatis, & sic* PROJICIEBATUR. Hujusmodi homines καθάρματα vocabantur. *Saturnus in Latio*, verba sunt *Lactantii* Inst. Divin. Lib. I. c. 21. *eodem genere Sacrificii cultus est, non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed uti in Tiberim de Ponte Milvio* MITTERETUR &c.

Alii verò volunt hircum liberum dimissum, quod de piaculari victima vix crediderim. Vide *Joan. Marsham.* ad Sæc. IX. Rer. Ægyptiac. ubi de Hirco ἀποπομπαίῳ.

23. *Relinquet*] הניחם hinnihham, *deponet*.

24. *Holocautomate*] Ut significaret, suo & populi nomine, se in posterum totos observationi Legum divinarum deditum iri, quo ritu absolvebatur expiatio.

26. *Abluet vestes suas*] Ut qui victimas pro peccato combusserat, ut docet Moses vers. 28. Digna sunt notatu, hanc in rem, verba *Porphyrii* de Abstinent. Lib. II. §. 44. πάντες γὰρ ἐν τούτῳ ὁμολογοῦσιν οἱ θεολόγοι ὡς ὅτι ἄπτιον ἐν ταῖς ἀποτροπαίοις θυσίαις τῶν θυομένων, καθαρσίοις τε χρῆσιν: *de hoc convenit inter omnes Theologos, in sacri-*

mum. [18] Qui hæc combussetit vestimenta sua abluet, carnémque suam lavabit aquâ, & postea castra ingredietur.

[29] Vobis *hoc* erit institutum perpetuum, mense septimo, die decimo mensis, adfligetis animas vestras, nullum opus facietis, neque indigenæ, neque peregrini qui inter vos peregrinabuntur. [30] Hoc enim die expiabimini, ut purgemini omnibus peccatis vestris, & coram Jehova mundabimini. [31] Sabbathi hæ vobis erunt feriæ, &, perpetuo instituto, animas vestras *eo die* adfligetis.

[32] Expiationem faciet sacerdos, qui unctus fuerit & potestate instructus, ut sacerdotio fungatur, loco patris sui, & induet vestes lineas, vestes sacras [33] Expiabit sacrarium, tabernaculum conventûs & altare; expiabit sacerdotes, universúmque cœtûs *Israelis* populum. [34] Erit hoc vobis institutum perpetuum, ut expientur Israëlitæ omnibus peccatis suis, semel quotannis. Moses autem fecit, prout jusserat Jehova.

XV. Le-

qui artus victimarum pro peccato à Sacerdote extra castra, ritu solito, comburuntor, & qui ea combusserit, non nisi ablutis corpore & vestibus, regreditor.
[29] Hæc anniversaria Sacra, die decimo septimi mensis celebrantor, cóque die jejunium Hebræis omnibus, peregrinisque inter eos versantibus indicitor. [30] His ritibus omnia peccata, quæ sacrificiis ex Lege expiari possunt, & pro quibus victimæ, cùm ea ignorarentur, non fuut oblatæ, quotannis publicè expiantor. [31] Eo ergo die, feriæ vobis, quales singulis Sabbathis, sunto, jejuniúmque omnibus indicitor.

[32] Sacra hæc piacularia Pontifex Maximus, qui in locum patris suffectus fuent, vestibus lineis dumtaxar, quales sunt aliorum Sacerdotum, indutus peragito. [33] His ritibus Adytum, Tabernaculum, & altare lustrato; Sacerdotalísque gentis, & universi Populi Hebræi peccata, aliis sacris non expiata, quotannis expiato. [34] Perpetua hæc vobis, posterísque vestris Lex esto.

Moses hanc acceptam à Deo Legem Aharoni, Hebræísque exposuit, quam ratam se habituros polliciti sunt.

P A-

sacrificiis averruncis nihil esse degustandum, sed & lustrationem adhibendam. Aiunt enim nemini licere in domum aut urbem suam redire, nisi vestibus & corpore priùs flumine aut fonte mundatis.

In castra] Dum castra habituri essent Israëlitæ, quibus urbs, in quo Tabernaculum fuit, successit.

27. *Illic*] *In Sanctuario.*

Avehet Sacerdos] Ex Lege quæ exstat Cap. IV, 12, 21.

28. *Qui hæc combusserit*] Vide ad vers. 26.

29. *Adfligetis animas vestras*] Hæc adflictio in hisce, ex Thalmudicorum sententia, sita erat: אסור באכילה ובשתיה וברחיצה ובסיכה ובנעילת הסנדל ובתשמיש המטה *interdictum erat cibo, potu, ablutione, unctione, indutione calcei, & ministerio lecti.* Quæ habentur initio Cap. VIII. Cod. Jomæ. Ac sanè hæc erant luctûs indicia. Ps. XXXV, 13. *adflixi jejunio animam meam* perinde est ac jejunavi, & hoc fortè solum hîc intelligitur. Ægyptii, in celeberrimo Isidis festo; ἐπεὰν προνηστεύσωσι τῇ Ἴσι, καὶ ἐπεὰν κατεύξωνται, θύουσι τὸν βοῦν: *cùm jejunarunt Isidi*, ait *Herodotus* Lib. II. Cap. 40. *& precati sunt, mactant bovem.* Postea descripto sacrificio: καιομένων δὲ τῶν ἱρῶν τύπτονται πάντες: *dum adolentur hostiæ, omnes verberantur.*

31. *Sabbathi vobis erunt feriæ*] שבת שבתון schabbath schabbathon, *quies quietis.* Videtur hoc velle hîc Moses, die expiationis æquè sanctè feriari debere Hebræos, utrobique enim eadem phrasis adhibetur.

32. *Qui unctus fuerit*] אשר ימשח אתו ascher jimschahh otho, *quem unxerit*, subauditur Nominativus; qui quia difficulter suppleri potest, passivè phrasin vertimus.

33. *Sacrarium*] *Sanctuarium sanctitatis*, מקדש הקדש mikdasch hakkodesch.

Altare] Additur *expiabit*, sed Latinè bis dixisse satis erat.

34. *Expientur Israëlitæ omnibus peccatis suis*] Quæ, nimirum, ex Lege expiari poterant, qualia sunt initio hujus Libri memorata, & quorum longè plurima fuerunt ἀγνοήματα peccata ignorantiæ juris, aut facti. At hisce Sacris non expiabantur animi vitia, quæ legibus quidem non plectuntur, sed non minùs Deo sunt invisa imò multò magis, quàm peccata in rebus ritualibus. Nusquam legimus superbiam, ambitionem, avaritiam, ebrietatem, voluptatum cupidinem, aliáque innumera vitia, peccatáque ex iis orta, hoc piaculari die fuisse expiata; nec sanè quidquam, præter virtutum contrariarum amorem & exercitium, eas maculas olim, ut hodie, eluere potuit. Multa hanc in rem dici possent, atque ex Epistola ad Hebræos pleniùs & clariùs deduci, quàm vulgò fieri solet; sed à Theologicis excursibus abstinere decrevimus.

Addemus dumtaxat aliquot verba Codicis Thalmudici Jomæ, unde liquebit quid de expiatione hac sentiant Hebræi. Sic ergo Doctores Recutiti Cap. ultimo §. 8. חטאת ואשם ודאי מכפרין. *Victimæ pro peccato, & pro noxa, & pro certis delictis expiant*; peccata, nimirum, in Lege memorata, nam ad alia temerè trahi Lex nequit. Pergunt; מיתה ויום הכפורים מכפרין עם התשובה *mors & dies expiationis expiant cum reditu*; nempe, ad bonos mores, seu resipiscentia. Rectè profectò addunt resipiscentiam diei expiationis; nisi enim quis ad meliorem frugem redeat, quid Sacra ei prosunt, apud Deum, qui animum potissimùm spectat, & Sacra tamquam ejus testificationem externam constituit? Verùm quidquid illi sentiant, nullius mors potest ei propitium Numen facere; cùm sit dumtaxat transitus ad judicium, quod in hac vita plerúmque nullum

est.

XV. Leges quibus Sacra ad solum Tabernaculum fieri jubentur, vetantúrque sanguis, & caro pecudum sponte mortuarum, aut à feris discerptarum.

CAPUT XVII.

1. ALLOQUUTUS est etiam Jehova Mosem, his verbis: 2. alloquere Aharonem & ejus filios, omnésque Israëlitas, iísque dicito: hanc rem jussit Jehova, dicens; 3. quicumque è domo Israëlis mactaverit taurum, agnum, aut capram, in castris aut extra castra, 4. neque *victimam* ad ostium tabernaculi conventûs adduxerit, ut offeratur Jehovæ, ante ejus tabernaculum; ei viro *quasi* cædes

PARAPHRASIS.

1. 2. HAS quoque Leges, de omnibus Sacris ad Tabernaculum faciendis, aliísque antea commemoratis tulit, Deo jubente, Moses. 3. Quisquis victimam mactaverit, in castris aut extra castra, 4. neque eam ad ostium Tabernaculi Conventûs duxerit, ut soli Deo Israëlis offeretur; mactatio ejus victimæ quasi hominis cædes habetor, iísque capite pœnas luito. 5. Victimæ nullæ am-

est. Nullus est in Vetere Testamento locus, quo Deus improborum morte satisfieri sibi dicat. Ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις, bonis æquè ac malis, ἅπαξ ἀποθανεῖν, μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις. Heb. XI, 27.

Sed audiamus Magistros: תשובה מכפרת על עבירות קלות על עשה ועל לא תעשה ועל החמורות היא תולה עד שיבא יום הכפורים ויכפר: *Resipiscentia expiat peccata levia, tam contra præcepta adfirmativa, quàm contra negativa, & gravia suspendit, donec veniat dies expiationis & expiet.* Lex nullam pœnitentiæ rationem habet, nisi victimæ peccantibus impositæ mactentur; neque ulla, apud Mosem, suspensionis mentio. Si quis, exempli causâ, negasset se habere quidpiam alienum quod haberet, & postea resipiscentiâ ductus id restitueret, oportebat victimam addi; eâque oblatâ expiatus habebatur, ut docet Moses suprà Cap. V. Cui ergo usui fuit dies expiationis? Nempe, peccatorum, per ignorantiam, quæ numquam peccantibus innotescebant, videtur in eo expiatio esse facta, ne quid ab insciis inexpiatum prætermitteretur. Igitur Magistri placitorum sui ævi majorem rationem habuisse videntur, quàm verborum Legis.

Attamen, ut quæ in iis laudanda sunt laudentur, digna erant sequentia verba melioribus auctoribus: האמר אחטא ואשוב אחטא ואשוב אין מספיקין בידו לעשות תשובה אחטא ויום הכפורים מכפר אין יום הכפורים מכפר עבירות שבין אדם למקום יום הכפורים מכפר עבירות שבין אדם לחבירו אין יום הכפורים מכפר עד שירצה חבירו: *Qui dicit: peccabo & resipiscam, peccabo & resipiscam; non suppeditant in manum ejus ut resipiscat: peccabo & dies expiationis expiabit; dies expiationis non expiat. Scelera quæ homo in Deum perpetraverit, dies expiationis expiat: scelera quæ homo in socium suum perpetraverit, dies expiationis non expiat; donec placaverit socium suum.* Quæ ut verissima sunt de eo peccatorum genere, quæ brutorum sacrificiis expiari poterant: possunt etiam, & multò quidem utiliùs, aptari peccatis pretiosiore sanguine expiandis, ita tamen ut nec peccator in peccandi habitu contabescat, spe veniæ sacrificio Christi impetrandæ deceptus. Vide 1 Joan. I, 6.

COMMENTARIUS

In CAPUT XVII.

2. A*Haronem & ejus filios*] Quia hæc Lex ad sacerdotale munus pertinebat.

3. *Capram*] עז *bez*, hoc est, caprini generis pecudem. Intelliguntur hîc cùm omnis generis victimæ, tum etiam primogenita pecudum Deo consecrata. Ante erectum Tabernaculum, licuit unicuique Sabra ubi vellet facere; erecto verò Tabernaculo, cœpit Moses Israëlitas cogere Sacra facere ad solum Tabernaculum, ut ritibus à Deo institutis adsuescerent. Hujus Legis manifestæ sunt rationes. I. Deus volebat unum esse altare, unum Pontificem Maximum, ut una esset Israëlitici populi Respublica; variis enim altaribus & Pontificibus constitutis, facilè fieri potuit, ut Religionis prætextu divellerentur à se invicem Tribus, dum aliæ præferunt altare & Sacerdotem iis, quæ ab aliis maximo in honore habita fuissent. II. Una autem Hebræorum Resp. quantùm fieri potuit, servanda fuit; ut faciliùs vicinis Idololatrarum Gentibus resisterent, ne unius summi Dei cultus in terris exstingueretur. III. Si fuissent varia altaria, facilè fieri poterat ut inter Sacerdotes orirentur lites, & ritus varii paullatim irreperent, adeóque divinitus institutorum deleretur memoria. Hoc totius Reip. perniciem, aut bella civilia post se trahere videbatur, quod constat exemplo Ægyptiorum, de quo diximus ad Exod. Cap. VIII, 26. IV. Paullatim quoque variorum Deorum ea habita fuissent altaria, atque hoc pacto in Idololatriam delapsi fuissent Israëlitæ. V. Cùm etiam, hoc tempore, nondum Hebræi omnem Idololatriam prorsus exuissent; si plura altaria habere licuisset, cultum Idololatricum in privatis altaribus multi celebrassent; quam rationem etiam adtingit Moses vers. 7. VI. Fortè & sanguinem victimarum bibissent, aut alio modo inter cibos paratum comedissent; quod illicitum dudum erat, & quod iterum vetat Deus, in sequentibus. Hæ rationes satis graves erant, ut plura vetarentur altaria, idque interdictum sæpiùs inculcaretur. Vide Deut. XII, XIV, & XV. Attamen huic legi addenda, ut

cædes imputabitur, sanguinem effuderit, exscindetur è populo suo. 5. Itaque Israëlitæ victimas suas, quas in agris mactant, adducent ad Jehovam, ad ostium tabernaculi conventûs, sacerdoti. Salutares *suas* hostias mactabunt Jehovæ, 6. spargétque sacerdos sanguinem ad altare Jehovæ, ad ostium tabernaculi conventûs, & adolebit adipem Jehovæ, in odorem placamenti Jehovæ. 7. Non ampliùs mactabunt victimas suas Hircis, quos impuro cultu prosequuti sunt. Institutum hoc perpetuum illis erit, in eorum ætates *futuras*. 8. Dices illis: quicumque è domo Israëlis, aut ex peregrinis inter eos peregrinantibus, holocautoma obtulerit, aut *aliam* victimam, 9. neque ea adduxerit ad ostium tabernaculi conventûs, ut iis Jehovæ faciat, exscindetur vir ille è populis suis.

10. Qui-

ampliùs in agris, extra castra mactantor; nec piaculares tantùm, sed etiam salutares hostiæ omnes Deo Israelis ad Tabernaculum offeruntor. 6. Sacerdos sanguinem ad altaris basin adspergito, adipémque ad petendam Dei pacem, in altari adoleto. 7. Falsis Numinibus, quæ sub Hircorum specie coluerunt Israëlitæ, in Ægypto, nulla ampliùs sacrificia offeruntor, atque hæc Lex perpetua esto. 8. 9. Quicumque Israëlita aut peregrinus secus fecerit, capital esto.

10. Qui-

ut reliquis omnibus, tacita exceptio, NISI DEO ALITER VIDEATUR; nam postea Prophetæ non raro procul à Tentorio, aut Altari à Mose consecrato Sacra, non improbante Deo, fecerunt, ut ostendunt Samuelis, & Eliæ exempla.

In Castris] Erant, ut rectè ex Mose collegerunt Rabbini, tria castra in deserto, quorum prima vocabantur מחנה שכינה *castra Dei*, quòd, nimirum, in iis esset Tabernaculum; altera מחנה לוים *castra Levitarum*, qui circa Atrium tendebant; tertia מחנה ישראל *castra Israëlis*, hoc est, reliquarum Tribuum. In solis primis castris, in quibus erat altare, licuit Sacra facere. Itaque hîc intelliguntur castra Levitarum, aut Israëlis.

4. *Neque victimam*] Perspicuitatis causâ, supplevimus זבח *victimam*, nam sequentia ostendunt hîc agi de sacrificiis, non de pecudibus, quæ poterant in quotidianos usus jugulari. Alioquin Atrium in Macellum populi Hebræi mutatum fuisset, & turbatus à tot laniis cultus divinus.

Adduxerit] In Samaritico additur post hanc vocem, לעשות אתו עלה או שלמים ליהוה לרצונכם לריח ניחח וישחטו בחוץ ואל פתח אהל מועד לא הביאו: quod habent etiam LXX. Intt. ὥστε ποιῆσαι αὐτὸ εἰς ὁλοκαύτωμα ἢ σωτήριον κυρίῳ δεκτὸν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας· καὶ ὃς ἂν σφάξῃ ἔξω, καὶ ἐπὶ τὴν θύραν τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου μὴ ἐνέγκῃ αὐτό.

Ut offeratur Jehovæ] להקריב קרבן *lehakrib korban*, ut offeratur oblatio. Manifestum hinc hîc de Sacrificiis agi, neque ullus locus adfertur, unde liqueat in deserto omnes pecudes mundas, quæ comederentur, fuisse Deo offerendas. Nam Deut. XII, 5, 15, 21. quod à *Joan. Deodato* laudatur, nihil huc facit, ut ostendemus.

Ante ejus] *Jehovæ*.

Cædes] דם dam, *sanguis*, nempe, hominis, ut passim.

Exscindetur è populo suo] Ut homicida. Hîc *exscindere è populo* mortem significat, cum alibi videatur significare exclusionem è cœtu Israëlis. Vide not. ad Exod. XIII, 19.

5. *In agris mactant*] *Supra faciem agri*, nimirum, extra castra, quæ Israëlitis urbis loco erant. Vide not. ad Genes. Cap. IV, 8. *In agris* fortè, extra urbes, ea Sacra faciebant Ægyptii, quòd Hircinâ facie Deos, in quorum honorem celebrabantur, Silvestria Numina, ut Græci & Latini, esse putarent, unde & שדים *schedim* dicuntur Deut. XXXII, 17. hoc est, vastorum locorum incolæ. Vide quæ collegit hac de opinione *Joan. Spencerus*, De Leg. Rit. Lib. III. Diss. VIII. cap. 3. Certè Pan & *capripes*, & Silvestris Deus, atque in agris præsertim cultus, inter potissimos Ægyptiorum Deos fuit. *Diodorus Siculus* Lib. I. c. 16. docet Osiridem παραλαβεῖν ἐπὶ τὴν στρατείαν καὶ τὸν Πᾶνα, διαφερόντως ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων τιμώμενον: *adsumsisse in expeditionem & Panem, eximiè apud Ægyptios cultum*. *Herodotus* ante *Diodorum* idem dixerat, ut mox videbimus. Adi eumdem & Lib. II. c. 45. Horum autem Mosis verborum duplex esse potest sensus; mactatas, nimirum, fuisse victimas, extra castra, quarum proficiæ postea ad Tabernaculum adferebantur; aut Sacra alienis Diis facta, quam sententiam sequentia confirmant. Vide ad vers. 7. Sed utrumque ex æquo vetatur.

6. *Ad altare*] Ad basin altaris. Vide Exod. XXIX, 12.

7. *Non ampliùs mactabunt*] Hinc adparet in castris etiamnum Sacra Idolis esse facta, quod per quadraginta annos peccatum admissum Israëlitis exprobrat Hamosus V, 25. Certè leges suas nondum in castris observatas fuisse docet ipse Moses Deut. XII, 8.

Hircis] שעירים *schebirim*. Vertunt LXX. Intt. τοῖς ματαίοις *vanis*, ut & 2. Par. XI, 14. Nomen est fictorum Deorum. Hieronymus *Dæmonas* vertit, Onkelos שדין *cacodæmonas*, ut & alii Chaldæi. Samarita חרעין, quod eodem modo interpretantur. Cùm שעיר *schabir*, apud Hebræos, *hircum* frequentissimè significet, propriam significationem retinendam esse censuimus, ita tamen ut *Hircorum* nomine Cacodæmonas intelligamus. Certum est, apud Ægyptios, impensè cultos Cacodæmonas, sub Hirci forma: *Herodotus* Lib. II. cap. 46. Τὰς δὲ αἶγας καὶ τοὺς τράγους — οὐ θύουσι Αἰγυπτίων οἱ εἰρημένοι (Μενδήσιοι) τὸν Πᾶνα τῶν ὀκτὼ θεῶν λογίζοντες εἶναι οἱ Μενδήσιοι — γράφουσι δὲ δὴ καὶ γλύφουσι οἱ ζωγράφοι καὶ οἱ ἀγαλματοποιοὶ τοῦ Πανὸς, κατάπερ Ἕλληνες, τὤγαλμα αἰγοπρόσωπον καὶ τραγοσκελέα: *Capras & hircos non mactant ii ex Ægyptiis quos diximus. Panem Mendesii pu-*

10. Quicumque è domo Israëlis, aut ex peregrinis inter vos peregrinantibus, comederit sanguinem, in eum hominem comedentem sanguinem convertam iram meam, eúmque è populo suo exscindam. 11. Nam anima carnis est in sanguine, ego autem dedi eum vobis, ad expiandas animas vestras ad altare, ideóque sanguis animam expiabit. 12. Propterea dixi Israëlitis: nemo ex vobis vescetur sanguine, nec peregrinus etiam, qui inter vos peregrinatur, sanguinem comedet.

13. Quicumque ex Israëlitis, aut ex peregrinis, qui inter vos peregrinantur, venatione ceperit feram aut avem, quas comedere licebit, sanguinem ejus fundet & pul-

10. Quicumque aut Hebræus, aut peregrinus, in Israelitico solo, sanguinem degustant, capite pœnas luito, si hoc resciscatur; sin verò, pœnam divinitus immittendam exspectato. 11. Ratio interdicti hæc est, quòd animalium vita in sanguine residеat, eorúmque vitâ hominum peccata expiari voluerit Deus; non crudeliter bruta haberi, ne ad sævitiam in homines exercendam gradus hinc fieret. 12. Itaque omnibus sanguis eius illicitus esto.

13. Quicumque etiam feram aut avem mundam venatione ceperit, ut sanguis ejus totus in humum effluat

tant ex octo diis fuisse. Pictores & sculptores pingunt & sculpunt Panem, ut Græci, ut statua ejus sit caprina facie, & pedibus hircinis, &c. Aliorum veterum Scriptorum loca, hanc in rem, collegit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 53. Hinc Hircorum cultum didicisse videntur Hebræi, non quòd Numina fortè hircis similia esse putarent; sed quòd Ægyptiorum instar, certis de rationibus, ita ea Numina effingerent, ut eorum vis & potestas Symbolicè describeretur. *Herodoti* sunt verba, eodem loco: ὅτι τοιοῦτον νομίζοντες εἶναί μιν ἀλλ' ὅμοιον τοῖσι ἄλλοισι θεοῖσι· ὅτευ δὲ εἵνεκα, τοιοῦτον γράφουσι αὐτὸν οὔ μοι ἥδιόν ἐστι λέγειν: *non quòd talem hunc esse putent, sed similem reliquis Diis; quare autem sic eum pingant mihi non libet dicere.* At *Diodorus* rationem ejus rei, his verbis, indicat Lib. I. p. 78. Τὸν δὲ τράγον ἀποθεῶσαι καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησι τετιμῆσθαι λέγουσι τὸν Πρίαπον, διὰ τὸ γεννητικὸν μόριον: *Hircum consecrarunt, quemadmodum & apud Græcos coli dicunt Priapum, propter genitale membrum.* Postquàm ostendit, apud Græcos, similia facta fuisse, addit Ægyptios διὰ ταύτης τῆς ἐμφάσεως χάριν ἀποδιδόναι περὶ τῆς πολυτεκνίας τῆς ἑαυτῶν: *hac significatione, gratias agere fœcunditatis suæ.* Haud absimilia, in Israëlitarum animis, esse potuerunt. Hinc & apud Græcos natæ de Satyris, & Faunis fabulæ, ut observavit *Bochartus*, qui multa hac de re collegit, quæ à nobis non exscribentur.

Impuro cultu prosequuti sunt] Phrasis hîc est solita *fornicati sunt post eos* זנו אחריהם, quam exposuimus ad Exod. XXXIV, 15. Sed hoc in loco addemus quæ peculiariter ad cultum Hircorum faciunt, ut constet quàm meritò hic ea phrasi usus sit Moses. *Strabo* Lib. XVII. p. 551. Μένδης ὅπου τὸν Πᾶνα τιμῶσι καὶ τῶν ζώων τράγον· ὡς δὲ Πίνδαρός φησιν, οἱ τράγοι ἐνταῦθα γυναιξὶ μίγνυνται:

Μένδητα παρὰ κρημνὸν θαλάσσης,
Νείλου κέρας, ὁ αἰγίβατος
Ὅθι τράγοι γυναιξὶ μίσγονται.

Mendes ubi Panem colunt, & ex animalibus hircum, & ut Pindarus dicit, hirci mulieribus miscentur. Mendetem ad præcipitium maris, Nili alveum, ad quem caprarum mariti hirci mulieribus miscentur. *Herodotus* Lib. II. c. 46. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ νομῷ τούτῳ ἐπ' ἐμεῦ τοῦτο τὸ τέρας· γυναικὶ τράγος ἐμίσγετο ἀναφανδόν: *contigit in hoc Nomo, tempore meo, hoc portentum. Mulieri palam hircus mistus est.* *Plutarchus* in *Gryllo* pag. 989. mulieres etiam cum illo hirco inclusas fuisse ait, nefandæ illius libidinis causâ: ὁ Μενδήσιος ἐν Αἰγύπτῳ τράγος λέγεται πολλαῖς καὶ καλαῖς συνειργνύμενος γυναιξὶν, οὐκ εἶναι μίγνυσθαι πρόθυμος, ἀλλὰ πρὸς τὰς αἶγας ἐπτόηται μᾶλλον: *Mendesius in Ægypto hircus dicitur cum multis & formosis inclusus mulieribus nolle misceri, sed capras magis desiderare.* Apud Romanos *Lupercalia*, ab Evandro Arcade instituta, turpi discursu nudorum hominum celebrabantur; nec fortè Ægyptii castiùs Panem colebant. Ex his & iis quæ antea diximus, satis liquet quare Israëlitæ dicantur *scortati esse post hircos.*

8. *Aliam victimam*] זבח *zebahh*, quod fortè salutarem victimam potissimùm significat. Nam interdum victimæ summatim in holocausta & salutares hostias distribuuntur. Vide not. ad Exod. XX, 24. & 2. Par. XXIX, 31.

9. *Neque eas adduxeris*] Hoc omnia ostendunt non de pecudibus, in ordinarium usum occisis agi, sed de victimis.

Ut iis Jehovæ facias] לעשות אתו ליהוה *ad faciendam illam Jehovæ.* Cùm ad Tabernaculum victimæ omnes Deo Israëlis offerrentur, quæcumque eo loco mactabantur ei consecrabantur. At si cuivis in agris licitum fuisset Sacra facere, alii cuivis Deo victimas mactare Israëlitæ clam potuissent; cùm non essent ad sacrificia sua alios, præter συμμύστας, vocaturi, à quibus eorum nomina ad judices delata non fuissent.

10. *Qui comederit sanguinem*] Præter ea quæ diximus ad Gen. IX, vers. 4. de hujus legis causâ; nempe, Deum temerariam humani sanguinis effusionem veluti præcavere voluisse; respexit fortè Moses ad consuetudinem quampiam vicinorum, qui, non modò brutorum sanguine, sed etiam humano vescebantur. A quo scelere ut Israëlitas alienos faceret, ne sanguinem quidem brutorum degustare eis permisit. Certè *Ammianus Marcellinus* Lib. XXXI. cap. 16. de Saraceno: *Ex ea* (turma Saracenorum) *crinitus quidam, nudus omnia præter pubem, subraucum & lugubre strepens, educto pugione, agmini se medio Gothorum inseruit, & interfecti hostis jugulo labra admovit, effusúmque cruorem exsuxit.* Quem Arabum morem aliquot exemplis illustravit *Henr. Valesius*, ad locum *Ammiani*.

Con-

pulvere operiet ; 14. quia anima omnis carnis est sanguis ejus , is est in ejus animam; ideóque dixi Israëlitis: nullius carnis sanguinem comedetis, nam anima omnis carnis *est* sanguis ejus; quicumque eum comederit, exscindetur.

15. Quisquis comederit cadaver & discerptum, inter indigenas, aut peregrinos, abluet vestimenta sua , lavabit se aquâ , immundúsque erit usque ad vesperam, deinde mundus. 16. Nisi *vestes* abluerit , lavaritque carnem suam , peccati pœnas feret.

XVI. Le-

effluat diligenter curato , & pulvere , ne ab ullo comedatur, occulito. 14. Si quis gustarit, vitámque bruti , ut ita dicam , crudeliter hauserit , ei capital esto.

15. Quisquis inter Israëlis sanguine prognatos imprudens morticinam aut discerptæ à feris pecudis carnem degustarit , si postea resciverit , se & vestes abluito , atque ad vesperam immundus esto. Idem quoque peregrinus , cui morticinam comedere licet , facito. 16. Quisquis hoc omiserit , violatæ Legis pœnas luito.

P A-

Convertam iram meam] נתתי פני *nathatthi phanai* , quod verti solet *ponam faciem meam.* LXX. *ἐπιστήσω τὸ πρόσωπόν μου.* Vulg. *obfirmabo faciem meam.* Verùm פנים hîc non *faciem* , sed *iram* sonat ; quotiescumque enim Deus dicitur *obvertere faciem* alicui , id non indignationem , sed favorem Dei significat. Exempla adtulimus ad Gen. XXXII, vers. 21. *Onkelos* hîc rectè habet רוגזי rougzi *iram meam.* Potuit autem quispiam clam , & nemine præsente , sanguinem degustare , aut præsentibus testibus. Si hi eum accusarent , capite pœnas luere eum oportuit ; si verò tacerent , aut , nemine conscio , sanguinem gustasset , timenda ei fuit ira divina , quandoquidem Deus nullum piaculum huic crimini constituerat. Mala divinitus ei immissa dicuntur à Rabbinis evenire ביד השמים *manu cœli* , hoc est , Dei , quomodo nonnulli pœnam ℥ כרת *exscisionis* interpretantur. Sed quamvis כרת ab hominibus etiam infligeretur, ubi occulta erant scelera, supererat ut divinitus plecterentur. Sic & alii Legislatores ignota hominibus scelera à Numine plectenda esse dixerunt. *Cicero* ita Leges suas orditur Lib. II. c. 8. *Ad divos adeunto castè* , *pietatem adhibento* , *opes amovento. Qui secus faxit* , *Deus ipse vindex erit.*

E populo suo exscindam] Immaturâ morte è medio tollam , nisi rationes sint ejus in vivis relinquendi.

11. *Nam anima carnis est in sanguine*] Heb. *in sanguine ea* היא *hi* , noto Hebraïsmo. Vid. nor. ad Genes. IX, 11.

Ego autem dedi eum vobis, ad expiandas animas vestras , *ad altare* ,] Heb. על המזבח *hal bammizbeahh* , quod tamen non debet *super altari* verti , quia non super altari , sed ad ejus latus victimarum effundebatur sanguis; nisi quis malit hoc de sanguine , quo altaris inungebantur cornua , intelligere. Vid. sup. IV, 27, 34.

Ideóque sanguis animam expiabit] Quia , nimirum , in sanguine *anima* , seu *vita* esse censetur , ideò sanguinis effusionem instituit Deus placamentum pro iis , quibus , summo jure si ageretur , vita eripi potuit. Hinc , in sacrificiis etiam Gentium , *sanguis* & *anima* confunduntur ; ut in *Virgiliano* versu Æneid. I. vers. 118.

SANGUINE *placastis ventos* , *& virgine cæsâ* ,
Cùm primùm &c.

SANGUINE *quærendi reditus* , *animâque litandum Argolicâ.*

Ad quem locum ita Servius : *Videtur sanè peritiâ juris Pontificalis animalis hostiæ mentionem fecisse* , *nam &* animam *dixit &* litare *verbo pontificali usus* , *pro eo quod est* (ita suppleo) *sacrificiis Deos placare.* Hæc scripseram , cùm hunc & alia loca Servii à *Grotio* adlata vidi. Itaque plura non adferam. Hinc Proverbium Hebræorum *non est expiatio nisi in sanguine* , de quo vide quæ dixit idem nomine & re magnus Int. ad Heb. IX, 22.

12. *Propterea dixi*] Suprà VII, 27.

Nec peregrinus] Hoc repetitur , quia peregrinis quædam licebant , quæ Hebræorum prosapiâ oriundis illicita erant , ut discerptæ à feris pecudis carnem edere. Confer Exod. XXII, 31. cum vers. 15. hujus Capitis.

13. *Venatione ceperit*] *Venatus fuerit venationem feræ.*

Quas comedere licebit] *Quæ comedetur* , hæc est passim vis Futuri. Vide suprà XI, 47.

Sanguinem ejus fundet] Hoc est , curabit ut ex ejus cadavere , dum calebit , sanguis omnis effluat , quantùm fieri licebit. Ferarum , non minùs ac pecudum , quæ immolari poterant , sanguis hîc vetatur ; ne ratio hujus interdicti superiùs adlata , quæ ad victimarum dumtaxat sanguinem pertinent , Israëlitas in errorem induceret ; dum putarent ceterorum animalium sibi licitum esse sanguinem , quandoquidem ad peccata expianda non adhibebatur. Hinc liquet unicam rationem interdicti sanguinis non fuisse, quæ verss. 11 & 12. habetur, contrà quàm nonnulli Interpretes putant; ac sanè altera legitur vers. 14.

Pulvere operiet] Ne ab ullo animali degustaretur. At *Maimonides* in More Neb. Part. III. c. 46. ait Zabios *bestiam mactantes sanguinem ejus collegisse in vase vel scrobe* , *carnémque illius sacrificii in circulo comedentes consedisse* ; *credentes se carnem edentibus* , *Dæmonas sanguinem bibisse tamquam cibum suum.* Hinc colligit *Joan. Spencerus* de Leg. Mos. Rit. Lib. II. Diss. in Act. XV. Cap. III. Sect. 1. hoc interdicto Deum occurrisse superstitiosis moribus eorum , qui ad pascendos Dæmonas sanguinem semper apertum & intemeratum relinquebant. Certum est , apud antiquissimos Græcos , Manes effuso in scrobem sanguine evocatos fuisse,

XVI. Leges quibus vetantur Israëlitæ imitari mores Ægyptiorum & Chananæorum circa matrimonia, circa concubitum cum muliere immunda, circa liberos Molecho mactandos, denique circa libidines naturæ contrarias.

CAPUT XVIII. 1. ALLOQUUTUS est Jehova Mosem, his verbis: 2. alloquere Israëlitas iisque dicito: ego sum Jehova Deus vester, 3. pro consuetudine terræ Ægyptiæ, quam incoluistis non facietis, neque etiam pro consuetudine terræ Chananææ, in quam vos intromissurus sum; eorum *populorum* instituta non sequemini. 4. Jura

PARAPHRASIS.

1. 2. JUSSIT etiam Deus Mosem Hebræis has Leges de illicitis connubiis, nefandisque libidinibus ferre, & ante omnia iis in memoriam revocare Deum ab iis coli, cujus minæ & promissa rata essent. Itaque Moses: 3. instituta, inquit, Ægyptiorum aut Chananæorum, in connubiis, nefa-

quod ille multis probat Lib. II. C. XI. Verùm an eò respiciat Moses dubito, quia suspecta sunt quæ Maimonides de Zabiis habet; & Moses videtur sanguinem quasi rem sacram spectasse, ideóque vetuisse cùm ne comederetur ab hominibus, tum etiam ne brutis deglutiendus relinqueretur. Addit enim, non quia ritus idololatricus sanguine effuso in foveam peragitur, sed quia *anima omnis carnis est sanguis* &c.

14. *Anima omnis carnis* &c.] De ratione hujus interdicti diximus ad Gen. IX, 4. Sed cùm illic proferatur ut homines deterreantur à comedendo sanguine brutorum, quemadmodum etiam in superioribus verbis vers. 11. hîc ad tegendum pulvere sanguinem adhibetur. Videtur Deus noluisse homines brutis suppeditari sanguinem aliorum brutorum, eadem de ratione; quòd, nimirum, hæc crudelitatis quædam species sit, à qua Israëlitarum animos alienissimos reddere volebat; ut eo magis abhorrerent ab effundendo sanguine humano, & brutis præbendo. Ut hoc Israëlitarum animis insereret, omnem sanguinem, veluti rem sacram, spectari voluit, eo quòd *anima* esset; quam sibi soli offerri volebat, in mundorum animalium sacrificiis. Ne ergo pollueretur res sacra, etiam ineptorum sacris animalium sanguinem effundi, & pulvere tegi voluit. Hanc Legem eò spectare, ut omnis species crudelitatis vetaretur, crediderunt etiam nonnulli Rabbinorum, ut *R. Levis Barcinonensis*, cujus hæc sunt verba ad Leg. CLXXXV. pro *Hottingeri* ordine, postquàm dixit tegendam esse animam, antequàm caro edatur: כי גם בזה נקנה קצת אכזריות בנפשנו לאכול והנפש נשפך לפנינו *nam & hinc contraheremus aliquam crudelitatem in animis nostris, dum edentibus nobis carnem, effunderetur anima in conspectu nostro.*

Is est in ejus animam] בנפשו הוא *bnaphscho hou*, hoc est, sanguine fit ut vivant.

Ideóque dixi] ואמר *vaomar*, sed hîc ו est idem ac על כן *hal chen*, quod habuimus vers. 12.

Comederit] אכליו ochelau *comedentes*, Samaritæ אלכו *comedens eum*, LXX. ὁ ἔσθων αὐτό.

15. *Quisquis comederit cadaver*] Vetatur hoc hoc Exod. XXII, 31. ubi vide notata. Ideóque Israëlitæ comedere non licuit, scienti & prudenti, verùm hîc monet Legislator quid debeat fieri ab eo, qui imprudens comedisset.

Peregrinos] Hoc tamen discrimen fuit inter peregrinum & indigenam, quòd cùm Hebræo non liceret scienti morticinam carnem edere, hoc peregrino illicitum non esset, ut liquet ex Deut. XIV, 21. Verùm peregrinus etiam ad vesperam immundus erat, séque & vestes abluere jubebatur.

16. *Peccati pœnas feret*] *Feret peccatum suum.* Vide not. ad Cap. V, 1.

COMMENTARIUS

In CAPUT XVIII.

3. P*Ro consuetudine*] כמעשה chmahascheh *pro opere.*

Terræ Ægyptiæ] Ubi incesta fratrum & sororum, ut postea videbimus, matrimonia licita erant.

Neque etiam pro &c.] *Et pro opere terræ — non facietis.*

Eorum populorum instituta non sequemini] *In institutis eorum non ibitis.* Subauditur *populorum*, est constructio κατὰ τὸ σημαινόμενον, nam בחקתיהם *bhukkothehem*, non potest referri ad ארץ *erets*, quod est fœminini generis. Similia frequenter occurrunt.

4. *Jura mea sequemini*] *Judicia mea facietis.*

Ex iis vos geratis] *Ut eatis in illis.*

5. *Vivet eorum beneficio*] Non potuimus commodiùs vertere וחי בהם *vakhai bahem*, & vivus in illis; nam *vivet in eis* aliud Latinè sonat: nempe, vitam aget mihi parens. Hoc autem vult Deus, immaturâ morte aut à Magistratibus, aut ab ipso Deo eum sublatum non iri, qui legum observans futurus esset, & præsertim quidem earum quæ sequeutur. *Onkelos* hebet: ויחי בהון בחיי עלמא & *vivet per ea in vita æterna.* Sed præter verba Mosis hoc est, quem saltem semel & quidem perspicuè hoc dixisse oportuisset, ut posset hæc ejus explorata sententia haberi. Res quidem certè tanti erat, nec à stupida plebe divinari poterat. Sed hæc Theologis agitanda relinquimus.

6. *Ad ullam carnem suam*] כל שאר בשרו chol scheer bscharo, *omnem carnem carnis suæ.* Sic Hebræi propinquâ consanguinitate conjunctos vocant, ut sequentia exempla docent. Vide & Gen.

ra mea sequemini, instituta observabitis, ut ex iis vos geratis; ego sum Jehova Deus
vester. 5. Servabitis instituta & jura mea, quæ qui faciet vivet, eorum beneficio; ego
sum Jehova.
6. Nemo vestrûm ad ullam carnem suam accedet, ut nuditatem revelet; ego sum
Jehova. 7. Nuditatem patris tui, aut nuditatem matris tuæ non reteges; est ma-
ter tua, non reteges ejus nuditatem. 8. Nuditatem uxoris patris tui non reteges,
hæc enim est nuditas patris tui. 9. Non reteges nuditatem sororis tuæ, patris tui
aut matris tuæ filiæ, sive sit domi, sive foris genita; harum nuditatem non rete-
ges. 10. Nuditatem filiæ filii tui, filiæve filiæ tuæ non reteges, quia illæ nuditas tua
sunt. 11. Nuditatem filiæ uxoris patris tui, natæ ex patre tuo, non reteges, est
enim soror tua. 12. Nuditatem sororis patris tui non reteges, caro enim hæc est
patris

fariásque eorum populorum libidines ne imitator. 4. Sola jura & instituta à Deo Israelis accepta sequitor; 5. eáque morum normâ in usum revocatâ, securus vivito.

6. Nemo cum sequentibus consanguinitate aut adfinitate conjunctis, matrimonium contrahito. 7. Cùm patre, matre, 8. matertera, 9. sorore ex alterutro parente, aut utroque nata, 10. cum nepte, 11. so-

Gen. II, 23. ubi *caro ex carne* dicitur quod hic *caro carnis*. שאר malè ab *Aria Montano* vertitur *reliquiæ*. LXX. Int. verterunt οἰκεῖα σαρκὸς, Hieronymus, *proximam sanguinis sui*, Onkelos קריב בשריה *propinquam carnis suæ*.

Ut nuditatem revelet] Hoc est, cum ea concumbat, rémque habeat.

7. *Nuditatem patris tui*] Hoc est, cum patre rem non habebis. Quæ de parentibus & liberis dicuntur, intelligenda etiam sunt de avo, avia, nepotibus & neptibus; ut liquet ex v. 10. Itaque Hebræo jure, non minùs ac Romano, *inter eas personas, quæ parentum liberorúmve locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt; veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & usque in infinitum.* Quæ verba sunt *Justiniani*. Hæc autem parentum & liberorum matrimonia non vetantur, ut rei, quæ nusquam fieret, occurreret Deus; constat enim, apud finitimas gentes, filios cum matribus connubia junxisse. Magi enim, Persarum & Chaldæorum Sacerdotes, incestos concubitus hosce licitos putabant, ut multi Veterum observarunt. *Clemens Alexandrinus* Strom. Lib. III. p. 431. Ξάνθος ἐν τοῖς ἐπιγραφομένοις Μαγικοῖς· μίγνυνται δὲ, φησιν, οἱ Μάγοι μητράσι, καὶ θυγατράσι καὶ ἀδελφαῖς μίγνυσθαι θεμιτὸν εἶναι· κοινάς τε εἶναι τὰς γυναῖκας, οὐ βίᾳ καὶ λάθρᾳ, ἀλλὰ συναινούντων ἀμφοτέρων, ὅταν θέλῃ ὁ ἕτερος τὴν τοῦ ἑτέρου: *Xanthus, in Magicis: coëunt, inquit, Magi cum matribus & filiabus, & fas esse aiunt coire cum sororibus, & communes esse uxores, non vi & clam, sed utrisque consentientibus, cùm velit alter ducere uxorem alterius.* *Bardesanes* Syrus, apud *Eusebium* Præp. Evang. Lib. VI. c. 10. non modò *Magusæis*, qui iidem ac *Magi* esse videntur, sed & Persis omnibus nefarias illas nuptias tribuit: παρὰ Πέρσαις, inquit, νόμος ἦν γαμεῖν τὰς θυγατέρας καὶ τὰς μητέρας: *apud Persas mos erat ducere filias & matres.* Deinde de *Magusæis* idem adfirmat. Similia apud alios obvia sunt, & plura loca hanc in rem collegit *Ægid. Menagius* ad Prooemium Laërtii §. 7.

Est mater tua] אמך היא *immecha hi.* Duo hæc verba ostendunt agi de matre propriè dicta, de matertera in sequentibus verbis. Eadem operâ Legislator obiter ostendit, quare parentum & liberorum connubia illicita sint. Nimirum, *patris* aut *matris* nomina, vocabula sunt, quibus reverendum quiddam significatur; ac proinde eos quibus tribuuntur non posse æquari, aut etiam subjici liberis matrimonio. Præterea si licita haberentur ejusmodi connubia, innumeris libidinibus fenestra aperiretur, quibus fieret ut lupanaria singulæ domus evaderent, útque exigua inter cives esset societas, unde infinita nascerentur mala.

8. *Uxoris patris tui*] Quamvis non sit mater tua, quia matris loco est. De Socero & Socru, Genero & Nuru hæc quoque videntur intelligenda.

Hæc est nuditas patris tui] Hoc est, perinde est ac si filia cùm patre concumberet; quia pater matrimonio cum ea muliere in unam carnem coaluit. Vide inf. XX, 11. Deut. XXII, 30. Necessarium fuisse hoc interdictum ostendunt facinus Rubenis, de quo Genes. XXXV, 22. & simile Absalomi, quod narratur 2 Sam. XVI, 21. Attamen, ob rationes antè memoratas, apud Gentes paullò moratiores, nefanda fuerunt ejusmodi matrimonia. Ab Heroïcis temporibus, hanc fuisse apud Græcos receptam opinionem discere est ex *Phædræ* & *Hippolyti* historia. Nota quoque, hanc in rem, est *Myrrhæ* fabula. Sed Reges, qui legum pœnis exemti sunt, sanctissimas consuetudines, libidinis causâ, sæpe conculcarunt. Vide quæ habet *Lucianus*, aut alius, in libro de *Dea Syria*, de Stratonica & privigno. Romanis fuere similes leges, ut liquet ex Dig. Lib. XXIII. Tit. II. *de ritu Nuptiarum* Legg. 14 & 15. Vide & *Justinianum* Institut. Lib. I. T. 10.

9. *Patris tui, aut matris filiæ*] Hoc est, quamvis non sit eodem patre, aut eadem matre nata. Necessaria matrimonia inter se contraxerunt primorum parentum liberi, sed cùm plures fuerunt familiæ, non sine ratione cœperunt variæ Gentes à fratrum & sororum matrimoniis abhorrere. Si enim fratribus & sororibus spes esset matrimonii, apud libidinosiores gentes, passim in paternis ædibus miscerentur. Tum verò familiæ inter se connubiis, quæ maxima sunt societatis vincula, non conjungerentur. Meritò ergo plurimæ Gentes hæc matrimonia vetuerunt. Apud antiquissimos Græcos, utroque parente eodem natos, connubio conjungi non licebat, quamvis Jovis & Junonis diceretur esse ejusmodi matrimonium. Vide Epistolam *Canaces* ad *Macareum*. Idem jus postea
fuit

patris tui. [13.] Nuditatem sororis matris tuæ non reteges, est enim caro matris tuæ. [14.] Nuditatem fratris patris tui non revelabis, ad uxorem ejus non accedes, est enim amita tua. [15.] Nuditatem nurûs tuæ non reteges, illa est uxor filii tui, non reteges ejus nuditatem. [16.] Nuditatem uxoris fratris tui non reteges, est enim nuditas fratris tui. [17.] Nuditatem uxoris & filiæ ejus non reteges; filiam ejus filii, aut filiam ejus filiæ non duces, ad retegendam ejus nuditatem; sunt caro ejus, nefas hoc est. [18.] Uxorem cum ejus sorore non duces, ut dolorem *huic* crees, adeò ut nuditatem ejus reveles, hac vivente.

[19.] Ad

[11.] sorore eodem patre nata, [12.] [13.] amita parentum sorore, [14.] patruo vel avunculo, aut hujus uxore, [15.] nure, [16.] fratria, [17.] privigna, ejusque liberis, [18.] & duobus sororibus dum altera in vivis est, ne rixæ inter eas oriantur, connubia inter vos illicita sunto.

[19.] Cùm uxore profluvio menstruo, aut simili laborante ne concumbito.

[20.] Adul-

fuit & apud Romanos. Sed varia fuerunt aliarum Gentium, civitatúmque instituta. Vide ad Gen. XX, 12. *Diodorus Siculus* de Ægyptiis Lib. I. p. 23. Νομοθετῆσαι δέ φασι τοὺς Αἰγυπτίους παρὰ τὸ κοινὸν ἔθος τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, γαμεῖν ἀδελφὰς διὰ τὸ γεγονὸς ἐν τούτοις τῆς Ἴσιδος ἐπίτευγμα: *lege aiunt Ægyptiis statutum esse, ut præter communem aliorum hominum morem, cum sororibus matrimonium ineatur, quod Isidi apud illos feliciter successisset.* Lucianus, in Lib. de Sacrificiis, de Jove sic loquitur: ἔγημε τὴν Ἥραν τὴν ἀδελφήν, κατὰ τοὺς Περσῶν τοῦτο καὶ Ἀσσυρίων νόμους: *Junonem sororem duxit, idque ex Persarum & Assyriorum moribus.* At negat *Herodotus* Persas solitos sorores ducere, ante Cambysis tempora Lib. III. c. 31. Vide & quæ collegit *de Incestis Joan. Seldenus* de Jure N. & G. Lib. V. c. 11.

Domi aut foris natæ] מולדת בית או מולדת חוץ *moledeth bajith o moledeth hhouts*, hoc est, *prolis domûs, aut prolis externæ.* Dici videtur *proles domestica* filia, quæ est nata ex muliere quapiam, postquàm ea domum à viro filiæ patre ducta est; *externa* verò *proles* ante contractas nuptias nata, aut spuria. Potest etiam intelligi filia ex alio viro, aut ex alia uxore progenita, in legitimo matrimonio, quemadmodum *Onkelos* interpretatus est. Nec quidquam obstat quominùs utrúmque conjungatur, adeò ut ὁμομητρίων & ὁμοπατρίων, cùm spuriorum, tum legitimorum, vetentur nuptiæ. מולדת nonnulli vertunt *cognationem*, aiúntque *cognationem domesticam* esse liberos ex eodem patre, *exteram* verò liberos ex eadem matre, quia liberi patrem familias sequuntur. Sed spurii, aut ante nuptias geniti, sunt foris nati, si conferantur cum natis post mulierem domum ductam; & durum est fratres & sorores vocari *cognatos*. Infrà vers. 11. מולדת אביך vertunt æquè incommodè *cognatam patris tui*, quæ ejus filia dicitur. Itaque maluimus מולדת interpretari *progeniem* ut Gen. XLVIII, 6. Nescio an Veteres Intt. legerint מוֹלֶדֶת an verò מוֹלֶּדֶת; habent LXX. Intt. ἐνδογενοῦς ἢ γεγεννημένης ἔξω, Vulg. *quæ domi vel foris genita est*, Onkelos דילידא מן אביך *quæ genita est ex patre tuo.*

10. *Non reteges*] Repetit Moses ערותן hervathan, *nuditatem earum*; sed Latinè loquenti eumdem accusativum repetere necesse non erat, ut nec in sequentibus.

Sunt tua nuditas] Hoc est, quasi nuditas liberorum tuorum, quam sine turpitudine retegere nequis. *In contrahendis matrimoniis*, inquit Paulus Jurisconsultus, *naturale jus & pudor inspiciendus est.*

11. *Natæ ex patre tuo*] מולדת אביך *moledeth abicha*, nata patris tui, LXX. Intt. ὁμοπατρία ἀδελφή, Vulg. *quam peperit patri tuo.* Onkelos: דילידא מן אביך *quæ est nata ex patre tuo.* Idem ex parte repetitur quod dictum est vers. 9. Contraria lex fuit Athenis: ἐξεῖναι γαμεῖν τὰς ἐκ πατέρων ἀδελφάς, *licuisse ducere sorores ex patribus.* At ὁμομητρίας non licuit. Vide *Sam. Petitum* ad Leg. Atticas Lib. VI. T. 1. Sunt qui vertant מולדת אביך *cognatam patris tui*, quasi מולדת *cognationem* hîc significet, intelligúntque novercam, sed durè.

Est enim soror tua] Æquè ac eadem matre nata. *Joan. Seldenus* de Uxor. Heb. Lib. I. c. IV. ait posse hunc versum ita transferri: *Nuditatem filiæ uxoris patris tui (quæ autem ex patre tuo nata est soror tua est) non reteges.* Eodem, si verba spectentur, trahi potest Versio LXX. Intt. sed numquam interdicta fuere matrimonia liberorum ex diversis parentibus natorum, quidquid velint Karaïtæ.

12. *Est caro patris tui*] Loco patris aliquatenus est, ut docet etiam *Justinianus.*

14. *Nuditatem fratris patris*] Ne ad fœminas dumtaxat superior Lex pertinere crederetur, hæc addita sunt.

16. *Nuditatem uxoris fratris tui*] Nisi frater sine liberis mortuus sit. Vide Deut. XXV, 5.

17. *Filiæ ejus &c.*] Quia ei es patris loco. *Justinianus: adfinitatis quoque veneratione à quarumdam nuptiis abstinere necesse est; ut ecce privignam aut nurum uxorem ducere non licet, quia utræque filiæ loco sunt.*

18. *Uxorem cum ejus sorore*] Cùm אחות ahhoth *soror* sit vox ambigua, quæ & sororem propriè dictam, & quamvis mulierem consanguineam, adfinem, aut popularem significat; fuere qui posteriore sensu intelligendam eam vocem putarent, adeóque vetari hîc Polygamiam. Verùm consuetudo veterum Hebræorum aliter hanc legem ab iis intellectam esse ostendit, ut liquet exemplo Davidis, aliorúmque plurimorum. Deinde in ejusmodi Lege, præstat verba proprio sensu intelligi; ac sanè recentiores etiam Judæi omnes, exceptis nonnullis Karaïtis, rem ita semper intellexerunt, quod non opus est probari. Addam dumtaxat verba Hispanica *Josephi Franci Serrani* Judæi, qui nuper in hac urbe, cum Magistrorum interpretationibus, Pentateuchum edidit. Ita hunc versum παραφραστικῶς vertit: *Non cases con*

una

19. Ad uxorem, cùm impuritate *suâ* immunda erit, non accedes, ut nuditatem ejus retegas.

20. Cùm uxore proximi tui non concumbes, ut semen *in eam projicias*, eáque polluaris.

21. E prole tua nullum dabis traducendum Molecho, neque pollues nomen Dei tui; ego sum Jehova.

22. Cùm masculo, concubitu mulieris, non concumbes, abominanda hæc res est.

23. Cùm

20. Adulterium ne committito.

21. E liberis tuis nullum in honorem Molechi, Hammonitarum Dei, adolendum umquam ejus cultoribus dato; néve nomen populi Dei Israëlis, quo ab aliis gentibus secreveris, ullâ simili idololatriâ polluito, impunè qui talia admiserint abituros esse ne putato.

22. Præ-

una *muger y su hermana*, a un tiempo, paraque con esse no causes que una *venga a hazer poligamia* con la otra, ni menos vengas *a cometer incesto* con la hermana de tu muger, *en quanto ella vive.* Hoc est, *ne ducas mulierem cum Sorore eodem tempore, ne causa sis, cur una polygamiam faciat cum altera; minúsque committas incestum cum sorore uxoris, dum hæc vivit.* Incommodè quidem vertit לצרר, sed sententiam suorum in ceteris expressit, quam in adnotationibus ita rectè effert, ut Hispanica verba Latinè sonant: *Neminem ducere oportere eodem tempore duas sorores, neque alteram, postquàm unam in matrimonio habuit, dum hæc vivit, quamvis eam repudiaverit.* Nam Judæi non putant illicitum esse sororem uxoris mortuæ ducere.

Fr. Junius, qui Monogamiam hîc præcipi existimavit, has rationes opinionis suæ adfert. I. *Connubium cum uxoris sorore supra vers. 16. per analogiam prohibetur.* Verùm nulla est analogia inter *uxorem fratris & sororem uxoris.* II. *Coactum & violentum planè est, si eas caussas, quæ hic exprimuntur, aliter interpreteris.* Contrarium. ad sequentia verba ostendemus. III. *Secundas digamorum aut polygamorum uxores Scriptura augentes, æmulásque vocat.* 1. Sam. I, 6. Sed soror sororis non minùs æmula esse potuit, ut mox dicemus. IV. *Nusquam in Lege Dei digamia aut polygamia interdiceretur, nisi Regi*, Deut. XVII, vers. 10. Sed nec opus est alicubi interdici, ut perperam ille putavit. Hoc, ut divortium, tulit Deus in Hebræis. V. *Fidelissimi sunt interpretes & testes voluntatis, justitiæque Dei Christus Matth. XIX, 5. Paulus 1. Cor. VI, 16. VII, 2. Mal. II. & Chaldæus ipse Paraphrastes Ruth. IV, 6.* Aliud est interpretari Evangelium, aliud Legem; neque *Christus*, aut *Paulus* uspiam interdictam Lege Mosaïcâ Polygamiam dixit. Præstitisset quidem veteres Hebræos una uxore contentos esse, & Deo ita gratiores fuissent; convenientius enim naturæ vixissent, quod videtur innuere *Malachias. Chaldæus* Ruthæ interpres non negat licitum fuisse alteram uxorem ducere, sed inducit hominem dicentem se non posse, & rixas fortè inde sibi orituras. Non melior est ratio, quam profert *Joannes Piscator*, qui *Junium* sequutus est, à Mose adlatam *rationem non propriè pertinere ad sorores, sed in genere ad quasvis mulieres*, ut è vestigio ostendemus.

Ut dolorem huic creet] לצרר *litseror.* LXX. Intt. eleganter verterunt ἀντίζηλον, Hieronymus: *in pellicatum ejus.* Sed vim verbi non expresserunt. Meliùs Onkelos: לאעקא לה *ad eam dolore adficiendam.* Samarita למקיקה, quod conjicit Ed. Castellus esse pro למעיקה *ad ei dolorem creandum.* צרר significat *infestum esse* alicui, *hostiliter* eum *invadere.* Vide Num. XXV, 17. Esth. III, 10. Ps. VII, 5. Mulieres autem ἀντίζηλοι sibi invicem infestissimæ sunt, nec occasionem ullam prætermittunt molestiæ sibi invicem creandæ. Sic Annæ ἀντίζηλος vocatur צרה 1. Sam. 1, vers. 6. quòd ita se erga eam gereret. Verè observavit *Grotius*, ut acerrima dicuntur fratrum odia, sic æmulationes esse sororum, quod Leæ & Rachelis exemplo constat. Certè cùm Soror videt virum suum blanditiis à sorore sollicitari, ut eam ducat uxorem, majore adficitur dolore, quàm si idem ab aliena pateretur; qui dolor augetur, si contingat virum uxoris sororem ducere, eámque dudum ductæ præferre, seu hanc servet, seu repudiet.

Hac vivente] *In vita ejus.* Rabbanitarum & Karaitarum de licitis, illicitisque matrimoniis doctrinam copiosè exposuit *Joan. Seldenus* initio Lib. I. *de Uxore Hebraica*, & *de jure N. & G.* Lib. V. c. 10. qui adiri poterit. Rabbanitæ negant quidem uxoris sororem, dum uxor superstes est, tametsi fuit repudiata, ducere licere; sed si mortua fuerit uxor, non dubitant quin ejus soror duci possit, ob hoc Legis verbum, בחייה *in vita ejus*; quod non adderetur, nisi eâ mortuâ viro sororis ejus nuptias liceret ambire. Karaïtæ tamen contendunt semper esse vetitam uxoris sororem, non minùs ac sororem propriam, ut observavit *Seldenus.* Utrique variis ratiocinationibus utuntur, ut ostendant qui gradus, ex Analogia interdictorum in Lege, sint illiciti. Sed nisi sit res manifesta, & consequentia prorsus necessaria, temerarium est quidquam, propter meram Analogiam, addere Legi.

19. *Cum impuritate suâ immunda erit*] בנדת טמאתה *in impuritate immunditiei ejus.* Videtur esse Hypallage pro בטמאת נדתה *in immunditie impuritatis ejus*, nam נדת *fœditatem* sonat ἢ *καθαρσίαν.* Vide not. ad Cap. XIII, 44. & infrà Cap. XX, 18.

20. *Cum uxore* &c.] Vetatur adulterium, cujus pœna exstat Cap. XX, 10. Addit Legislator לזרע *lzerah*, quia extraordinario casu contingere potuit, ut viri & mulieres in eodem loco cubarent, ut in itinere, in fuga &c.

21. *Traducendum Molecho.*] להעביר למלך *lehahabir lmolech.* Nomen hujus Dei efferunt

 LXX.

[23] Cum nulla pecude concumbes, ut eâ polluaris, neque mulier stabit coram pecude, ut concumbat cum ea; hoc est *diversorum generum* promistio.

[24] Nullâ re ex hisce vos polluetis, omnibus enim hisce se polluerunt gentes, quas è conspectu vestro ejiciam. [25] Polluta est terra, pœnas ejus delicti repetii, suósque evomuit incolas. [26] Vos verò instituta mea & jura observabitis, neque ullam ex abominandis illis rebus committetis, seu indigenæ, seu peregrini inter vos peregrinantes; [27] abominanda enim hæc omnia commiserunt, qui ante vos incolæ terræ illius fuerunt, ac terra polluta est. [28] Neque terra vos evomet, eùm eam pollueritis, quemadmodum evomuerit gentem quæ ante vos *illic* fuerit. [29] Quicumque admiserint ullam ex abominandis illis rebus, ii homines *talia* facientes è medio populo suo exscindantur. [30] Observabitis quæ observanda docui, neque *quidquam* agetis ex institutis abominandis, quæ ante vos factitata fuerint, neque iis polluemini; ego sum Jehova Deus vester.

XVII. Va-

[22] Præpostera erga mares libido illicita inter vos esto, & detestanda habetor.

[23] Mistio viri aut mulieris, cum pecude, nefaria censetor.

[24] Omnibus hisce illicitis, aut sceleratis nuptiis, nefandisque libidinibus se se contaminarunt gentes, quas agris, quibus vos donabo, ejiciam; sed talia inter vos illicita, atque inaudita sunto. [25] Chananæi tot sceleribus cooperti sunt, ut indigni prorsus sint qui agros, quos hactenus occuparunt, in posterum habitent, proptereàque eos Deus, ex avitis sedibus, coram vobis, sit exturbaturus. [26. 27. 28.] Vos verò leges à Deo latas, ejusque jura observatote, & tum demum securi in agris, quos occupaveritis, vivite; sin verò gentes expulsas imitari malueritis, similes pœnas à Deo vobis imminere scitote. [29] Quisquis ergo ex modò vetitis ullam rem admiserit, ei capital esto. [30] A moribus earum gentium abhorreto, & sola Dei Israelis instituta sequitor.

P' A-

LXX. Int. μολὸχ 2. Reg. XXII, 10. Nam in hoc Libro vertunt ἄρχοντι, malè sine dubio, cùm מלך sit nomen proprium Dei Hammonitarum, 1. Reg. XI, 7. de quo varia collegit *Joan. Seldenus* de Diis Syris, Synt. I. Cap. VI. Post verbum העביר subaudiendum באש baesch *per ignem*, quod exprimitur Deut. XVIII, vers. 10. & alibi. Comburebantur adolescentes & puellæ, in honorem Molechi. Hoc cum in animum non revocarent LXX. Int. pro העביר *hahabir*, legerunt העביד *hahabid*, hoc est, *ad serviendum*; nam verterunt λατρεύειν ἄρχοντι, & Vulg. similiter, *ut consecretur Idolo Moloch*. Legit tamen & Samarita להעביד *lehahabid*; sed videtur esse emendatio, aut potiùs ψευδιόρθωσις. Rabbini, qui nullam Historiæ vicinarum gentium cognitionem Legis suæ studio adjungunt, volunt liberos Hammonitarum fuisse dumtaxat igne lustratos, non combustos, quod nimis crudele videbatur; sed verè ab iis gentibus mactatos fuisse liberos liquet ex 2. Paral. XXVIII, 4. Jer. VII, 31. coll, cum XXXII, 35. XIX, 5. Ps. CVI, 37, 38. Ezek. XVI, 20, 21. & Phœnices solitos esse crudelia hæc Sacra facere totius Antiquitatis testimoniis constat, ut ostenderunt *Seldenus* & *Andr. Beyerus*, qui additamenta ad *Seldenum* congessit. Vide & quæ observavimus ad Gen. XXII, 2.

Joan. Spencerus, qui de hac Lege prolixè egit in Opere de Leg. Mos. Rit. Lib. II. c. 10. postquàm ostendit re ipsâ victimas humanas à Syris fuisse mactatas; attamen lustrationem per ignem intelligi censet, post LXX. Int. hîc & Deut. XVII, 10. Sed leves sunt ejus rationes. I. Auctoritas LXX. Int. falsâ lectione nititur, ut diximus. II. Repetitionem Legis hîc & Cap. XX. non potuit mirari, cùm illic repetatur, ut addatur ei pœna; quemadmodum aliis, quæ illic leguntur. III. Quamvis esset in usu, apud Idololatras, lustratio per ignem, attamen *transire per ignem*, phrasis est Scripturæ, quâ consumtio victimæ constanter significatur, ut ex collatione locorum adlatorum liquet. IV. Benignior interpretatio, quæ his verbis tribuitur, ex mitiore ingenio Interpretum nata est; quod non satis expendit, quàm crudelis semper fuerit superstitio; neque ullo idoneo auctore, ex Antiquitate, ea opinio fulcitur. V. Quòd hîc pœna nulla addatur, ut nec Deut. XVIII, 10. non ostendit aliam esse Legem ab ea quæ exstat infrà Cap. XX. alioqui novas oporteret esse omnes leges, quibus illic adduntur pœnæ alibi præteritæ, quod tamen falsum esse animadvertet qui id Caput leget, & cum parallelis locis conferet. VI. *Transire per ignem* 2. Reg. XVI, vers. 6. temerè negatur significare comburere, quòd Hezekias filius Achazi, qui dicitur *filium transire fecisse per ignem*, patri successerit; nam nihil vetat Achazo alios filios fuisse. Ac sanè ita rem habuisse ostendit Historicus Sacer 2. Paral. Cap. XXVIII, 3. ubi de hoc Rege, verbis nequaquam ambiguis: ויבער בניו באש *combussit filios suos* (hoc est, aliquem ex filiis) *in igne*. Crediderim ego molliorem phrasin העביר באש *traducere per ignem*, pro בער *comburere*, inventam esse ab impiis Sacerdotibus, ut rem horrendam verbis saltem mollirent.

Neque pollues nomen Dei tui] Polluebatur nomen Dei, cùm ii, qui de nomine Dei adpellabantur *populus Jehovæ*, immolabantur Molocho.

22. *Cum masculo* &c.] Asiatici, & Europæi populi, mirum in modum, nefandæ huic Veneri olim dediti erant, ut ex universa Antiquitate liquet. Sunt tamen nonnullæ Gentes ceterarum numero eximendæ. *Bardesanes* Syrus, apud Eusebium Præp. Evang. Lib. VI. c. 10. Ἀπὸ Εὐφράτου ποταμοῦ καὶ μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ἐπὶ ἀνατολὰς — ὁ ὡς ἀρσενοκοίτης λοιδορούμενος, ἑαυτὸν ἐκδικεῖ μέχρι καὶ φόνου· παρ' Ἕλλησι δὲ καὶ οἱ σοφοὶ ἐρωμένους ἔχοντες οὐ ψέγονται. ἐν τῇ αὐτῇ ἀνατολῇ ὑβριζόμενοι, ἐὰν γνωσθῶσιν, ὑπὸ ἀδελφῶν ἢ πα-

XVII. Variæ leges repetitæ ac novæ, de parentum honore, de feriis, idolis, salutaribus Sacris, spicilegio & racematione, furto, mendacio, jurejurando, fraude, malitia, æquitate in judicio, amore proximi, generum diversorum mistura, concubitu cum serva, fructu illicito, sanguine, divinationibus, tonsura, incisionibus carnis, prostibulis, honore senum, peregrinis, ponderibus & mensuris.

1. ALLOQUUTUS est Jehova Mosem, his verbis; 2. alloquere omnem cœtum Israëlitarum, eísque dicito: Sancti eritis, quia ego Jehova, Deus vester, sanctus sum. CAPUT XIX.

3. Quisque matrem suam & patrem suum revereatur.
Ferias meas servabitis, ego enim Jehova Deus vester.

4. Ne

PARAPHRASIS.

1. VARIAS quoque leges, ex iis quæ antea latæ fuerant, repetiit Moses, Deo jubente; 2. ut Hebræos ad sanctimoniam Deo gratam, adeóque naturæ ejus consentaneam, adduceret. 3. In memoriam itaque Israelitis revocare jussus est Leges de honore parentibus debito; de observa-

[illegible] ἢ συγγενῶν φονεύονται, καὶ ταφῆς [illegible] ἀξιοῦνται: *Ab Euphrate fluvio ad Oceanum usque, Orientem versùs — quibus mascula Venus objicitur, ii se ipsos ad mortem usque plectunt. Apud Græcos verò, sapientes ipsi habentes suos amasios non vituperantur. In eodem Oriente, quibus oblatum stuprum fuerit, ii compertâ re à fratribus, aut parentibus, aut cognatis occiduntur, & publici funeris honore indigni censentur.* Postea tamen, apud Persarum Reges, *Bagoæ* fuere, pueri patientiæ muliebris.

23. *Cum nulla pecude*] Hoc quoque scelere inquinati erant Ægyptii, ut ostendimus ad Cap. XVII, 7.

Concumbes] *Dabis concubitum tuum.*

Permistio] תבל *thebel*, quod à בלל balal *miscuit*. LXX. Intt. μυσαρὸν γάρ ἐστι, Vulg. *Scelus est*. Samarita רגז ragaz, *indignatio*. Potestatem voci subjectam non expresserunt; vox enim est nefariæ copulationi propria, non generale nomen cujusvis sceleris. Vide infrà Cap. XX, 12. Esai X, 26. Alibi non exstat.

25. *Polluta est terra*] Hæ miræ sunt figuræ, solum enim veluti pollutum incolarum sceleribus habetur, quasi ea pati non debuisset, ideóque plecti dicitur; qua de causa, incolas pristinos, qui sibi pœnas illas contraxerunt, dicitur evomere, seu expellere. Sed ejusmodi stylo summa Chananæorum nequitia indicatur, à quibus res ipsæ inanimatæ quasi abhorrere dicuntur, nedum ut ab hominibus ferri deberent. Nec raræ sunt ejusmodi [illegible] in Scriptura. Sic infrà Cap. XXVI, 34. *Delectabitur terra*, inquit Moses, *feriis suis*. 2. Reg. III, 19. *Omnem bonum agrum* תכאיבו *dolore adficietis lapidibus*. Vide & Job. XXXI, 38. Ps. LXV, 13, 14. &, si necesse est, quæ collegit *Sal. Glassius* Rhet. Sac. Tr. I. c. 9.

Pœnas ejus delicti repetii] ואפקד עונה עליה & *visitavi delictum ejus in eam*. Vide not. ad Gen. Cap. XXI, 1.

26. *Abominandis rebus*] תועבות *thohebotb*, quæ vox significabat, apud Hebræos, omnia à quibus abhorrebant, aut abhorrere debebant, seu levia essent, seu gravia, ut observavimus ad Cap. XI, 43. & Gen. XLIII, 32. Omnia etiam, quæ antea memorata, non sunt æquè gravia.

27. *Abominanda hæc omnia*] Significanter *omnia* dicuntur, nonnulla enim usque adeò iram Dei movere non potuissent, ut deleret integras Gentes. Exempli causâ, ducere duas sorores simul, aut amitam, solebant etiam pii inter Hebræos; ut Jacobi & Hamrami exemplis constat, quibus propterea Deus numquam indignatus est. Vide & quæ hac de re habet *Joan. Seldenus* de Jure N. & G. Lib. V. c. 11.

Incolæ terræ] *Homines terræ qui ante vos.*

29. *E medio populo*] *E medio populi*; è medio tollantur, ut loquuntur Latini, hoc est, occidantur. Vide Cap. XX.

30. *Quæ observanda docui*] משמרתי mischmarthi, *observationem meam.*

COMMENTARIUS

IN CAPUT XIX.

2. Q*Uia ego Jehova*] Latini dicerent obliquè, *quia ego sum illorum Deus* &c. Sed in compendiosa Hebræorum ratione narrandi, aliquando ita Moses loquitur, quasi personam Dei ageret. Vide Exod. XVIII, 6. & ad versum 3. Cap. sequentis Levitici.

3. *Quisque matrem* &c.] Vide not. ad Exod. XX, 12. Hîc mater præponitur patri, illic pater matri, quia ordo passim negligitur, ubi servari nihil interest. Hoc præceptum meritò sæpiùs repetitur, ob divortia, quibus facilè fieri poterat ut liberi matrem, quam malè à patre haberi videbant, aut à qua repudiata educati non fuerant, spernerent.

Ferias meas] שבתותי, quod potest etiam verti *Sabbatha mea*; de quorum observatione, diximus ad Decalogum.

4. *Inania numina*] אלילים *elilim*. Sic vocantur ab אליל *nihil*, quia inania sunt nomina; cùm nulla multorum, qui Dii falsò creduntur, in homines sit potestas, quales sunt Angeli, & homines mortui. Sic Job. XIII, 4. רפאי אליל *medici*

4. Ne convertatis vos ad inania *Numina*, neque vobis Deos fusiles faciatis; sum enim Jehova Deus vester.
5. Cùm salutaria sacra Jehovæ facietis, ea ut favorem vobis concilietis mactabitis.
6. Die quo sacra feceritis comedetur *victima*, & postridie; sed quod superfuerit, ad tertium usque diem, igne cremabitur. 7. Si quid comestum fuerit die tertio, fœtidum hoc erit *sacrum*, acceptum non erit. 8. Qui id comederit feret delicti sui pœnas, quia

vatione feriarum Deo sacrarum; 4 de fugienda Idololatria, cùm in fictis Numinibus colendis, tum in simulacris adorandis; 5 *ad* 9. de salutaribus Sacris soli Deo Israëlis faciendis, comedendisque certo tempore, denunciata secus facientibus mortis pœnâ.
9. Hanc verò Legem adjecit Moses: cùm seges metetur, aliqua particula non demessa in extremo agro,

dici nihili dicuntur quorum inania sunt medicamenta. Vide & Esai. XI, 10. Jerem. XIV, 14. Interdum etiam adorata sunt Numina, quæ οὐδὲν ἐστιν ἐν κόσμῳ, ut loquitur Paulus 1. Cor. VIII, 4. ut Dii præsides urbium, templorum, lucorum, regionum &c. qui nulli erant, neque umquam fuerant.

Deos fusiles] *Deos fusionis.* Vide not. in Exod. XX, 4.

5. *Salutaria sacra* &c.] *Cùm mactabitis victimam salutum.*

Ut favorem vobis concilietis] לרצנכם lirtsonchem, *ad favorem vestrum.* Vide not. ad Exod. C. XXVIII, 38.

6. *Die quo Sacra*] Vide not. ad Cap. VII, 16. Rationem hujus legis illic adlatam illustrabis, hisce *Epicharmi* verbis:

——— A. ἐκ μὲν θυσίας
θοίνη, ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο. B. Χαρίεν, ὥς γ' ἐμοί.
A. Ἐξ πόσιος δὲ κῶμος, ἐκ κώμου δ' ἐγένετο θυανία,
Ἐκ δὲ θυανίας δίκα 'γένετ', ἐκ δίκας δὲ καταδίκα,
Ἐκ δὲ καταδίκας πέδαι τε, καὶ σφακελὸς, καὶ ζαμία.

Hoc est, interprete *H. Grotio*:

——— A. *Ex Sacro convivium,*
Ex convivio potatio nata est. B. *Factum gaudeo.*
A. *Ex potatione lusus, ex lusu bacchatio,*
Ex bacchatione lis, ex lite condemnatio,
Ex damnatione mulcta, vincla, sideratio.

8. *Profanaverit*] Instar profani cibi, qui ad sustentandam familiam adservatur, habuerit. Vide ad locum laudatum.

9. *Non absolvetis metere*] Rabbinica hac de re scita lege apud *Joan. Seldenum*, de Jure N. & G. Lib. VI. c. 6.

10. *Decidua grana*] פרט *phereth.* LXX. Intt. ῥῶγας, id est, *grana decidentia*, ut habet Vulgatus. Apud Chaldæos פרט *phrat* est *particulatim aliquid agere*, adeóque פרט est acinus, qui seorsim decidit.

Pauperi & peregrino] Spicilegii singulare exstat exemplum, in historia Ruthæ. Peregrini conjunguntur cum pauperibus, quia fundos possidere, inter Hebræos, non poterant, adeóque sæpe pauperes erant.

11. *Non furabimini*] Vide not. ad Exod. C. XX, 15.

Mendacio decipietis &c.] Vide not. in Exod. XX, 16.

Proximum] *Quisque proximum.*

12. *Non jurabitis*] Vide not. ad Exod. XX, 7.

Profanabitis] *Profanabis nomen Dei tui.*

13. *Non facies vim*] Vide not. ad Cap. V, 2.

Non pernoctabit] Præsentem semper mercedem pactam ei solves, si ita cupiat. Vide Deut. XIV, 15. Ejusmodi homines, qui de die in diem vivunt, nihil sæpe habent in futurum repositum, ideóque præsenti mercede sunt sustentandi. Vide & Jac. V, 4. & ad eum locum Interpretes.

14. *Non malè precaberis surdo*] לא תקלל *lo thekalel*, quod posset etiam verti *non malè dices*, hoc est, non dices convicia. Sic Vulg. & LXX. Intt. κακῶς ἐρεῖς. Quamvis proprio sensu rectè intelligatur hoc præceptum, hîc & Deut. XXVII, 18. attamen videtur esse παροιμία; quâ significatur non esse ei malefaciendum, qui sibi ab injuria cavere non potest, qualis est surdus, si ei quis convicietur submissâ voce, aut cæcus cui offendiculum objicitur. Sic videtur intellexisse *Josephus* Ant. Jud. Lib. IV. cap. 8. ubi ita hoc monitum exprimit: μηδὲ βλασφημείτω τις τὸν ἀπόντα, καὶ τὸν ἐνεόν, *nemo convitietur absenti & muto.* Adfinis sensûs Græci proverbium habuerunt, cujus meminit *Suidas*, τὸν κωφὸν πέρδεις, *surdum oppedis*. Eò respicere videtur *Homerus* Iliad. Ω. v. 54. ubi Apollo de Achille, qui cadaver Hectoris raptabat circa Trojam:

Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων,
Surdam terram contumeliis adficit furens.

Huc pertinent omnes injuriæ, quæ, quia clam fiunt, repelli non possunt; de quibus pulchrè *Cicero* de Officiis Lib. III. c. 8. *Satis enim nobis (si modò in Philosophia aliquid profecimus) persuasum esse debet, si omnes Deos, hominésque celare possimus, nihil tamen avarè, nihil injustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum.*

Sed timebis Deum tuum] Qui quod ignorant homines videt, & ulcisci potest.

15. *Non habebis rationem* &c.] Vide not. ad Exod. XXIII, 3. Est in Hebræo, *non tolles faciem.*

Honore prosequeris] *Honorabis faciem.*

16. *Detractor*] רכיל *rachil.* LXX. Intt. vertunt ἐν δόλῳ, Vulg. *criminator.* Onkelos קיצרין quod idem est. Alii, ut LXX. Intt. *calumniam* vertunt, & subaudiunt ב, ac sanè Ezek. XXII, v. 9. אנשי רכיל dicuntur *calumniatores.* Videtur intelligi *detractor*, qui datâ operâ cursitat, ut proximum infamet, cùm ferè cum הלך *ivit* conjungatur. *Theophrastus* in λογοποιοῦντος Charactere, ait eum à se fictum nuncium πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει περιέχειν λέγοντα, *ad omnes qui sunt in urbe currere dicturum.*

Non

quia rem Jehovæ sacram profanaverit, is homo ex populis suis exscindetur.
9. Cùm metetis messem terræ vestræ, non absolvetis metere extremitatem agri vestri,
neque spicilegium messis vestræ colligetis. 10. Non racemabis vineam tuam, ne-
que decidua grana vineæ tuæ colliges; pauperi & peregrino ea relinques; ego sum
Jehova Deus vester.
11. Non furabimini, neque negabitis *depositum*, neque mendacio proximum de-
ci-

agro, datâ operâ, relinquitor, neque ab agri domino spicilegium colligitor. 10. In vindemiis, neque racemato, neque decidua grana tollito. Hæc pauperibus & peregrinis relinquito, Deúmque qui quod promisit, aut minatus est, re ipsâ efficit, benignitatis ejuscemodi rationem habiturum scito. 11. Tum Moses omnia furta, negationem depositi, fraudem quamlibet, 12. perjurium, 13. & vim

Non stabis ad cædem] *Ad sanguinem.* Hoc est, non stabis ad Tribunal Judicum, ut ex testimonio tuo, falso, nimirum, morti damnetur proximus tuus. Superiora persuadent hunc esse sensum horum verborum; ut in antecedentibus vetentur Israëlitæ clam de proximo falsos rumores serere, hîc verò palam calumniis, seu falso testimonio caput ejus oppugnare. עמד est *in judicio stare.* Esai. L, 8. נעמדה *stemus unà, quis mihi litem scribet? accedat ad me.* Vid. & Psalm. I, 5. Conjunctum cum præpositione על est *oppugnare* 2 Sam I, 9. Dan. VIII, 25. Hæc cùm aperta sit & commoda sententia, Rabbini tamen existimant hac Lege doceri, proximum contra periculum imminens, ita defendendum, ut non solum è flumine, puteo, igne, alióve vitæ periculo, quoad potest fieri, eripiatur; sed etiam ab occisuro, aut qui necandi animo eum persequeretur, liberetur, ut sit sensus, *non stabis immotus, ubi sanguis, nisi suppetias feras, effundendus erit.* Sed nullum ejusmodi loquutionis simile profertur exemplum. Vide tamen quæ de eo habet *Joan. Seldenus* de Jure N. & G. Lib. IV. c. 3.

Odio non habebis fratrem tuum, in animo tuo] Hoc est, ne simultatem clam foveas, quâ re verâ nihil est exitialius. *Seneca* de Ira Lib. I. c. 4. inter irarum species: *Quædam*, inquit, *in verborum dictorúmque amaritudinem effusæ, quædam ultra querelas & aversationem non exeunt; quædam altæ, gravésque sunt & introrsus versæ.* Hoc postremum iræ genus vetat Moses, quod est longè pessimum. Vide quæ collegit, ad eum *Senecæ* locum, *Just. Lipsius.* Hoc iræ genere pejus nullum esse intelligent, qui & irati animum, & mala quæ hinc sequuntur expendent. Non potest ejusmodi κότον, ut Græci loquuntur, diu servare, nisi qui sit immisericors, & ultionis præter modum cupidus. Ejusmodi erat Tiberius Imp. qui quæ displicebant *in præsens civiliter habebat, sed in animo revolvente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoriâ valebat*, ut docet *Tacitus* Ann. Lib. IV. c. 21. Apud Hebræos, qui primus regnavit, Saül non multùm ab ea indole aberat, ut liquet ex ejus in Davidem odio. Tales sunt *Regum* iræ, si *Homerum* audimus,

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ,
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ,
Ἐν στήθεσσιν ἑοῖσι.

Potentior enim Rex quando indignatur viro inferiori, etiamsi ipso die iram concoxerit, attamen & postea retinet simultatem, in pectore suo, donec quod vult perfecerit. Iliad. A. v. 80. Mala, quæ ex simultate nascuntur, eo sunt majora, quo est subitâ irâ perennior, & quò minùs caveri possunt. *Aperta odia, armáque palam depelli* observavit Tacitus, *fraudem & dolum obscura, eóque inevitabilia.* Hist. Lib. IV. c. 24.

Proximum tuum corripies] *Corripiendo corripies*; hoc est, si quam injuriam tibi fecerit, apertè quereris, eo ipso tempore, apud ipsum, aut alios; non dissimulabis iram, commodiore tempore, ad ei nocendum, erupturam. Tiberius initio principatûs, cùm Haterius & Scaurus sententias in Senatu dixissent, quibus læsum se putabat, *in Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabiliùs irascebatur, silentio transmisit.* Ann. Lib. I. c. 13. Simplicioris multò est animi, & minùs nocituri præ se ferre quod sentias, & erumpere illico in querelas. *Seneca* de Ira Lib. II. c. 16. *Simplicissimi omnium videntur iracundi, fraudulentis enim & versutis comparantur; & simplices videntur, quia expositi sunt.* *Tacitus* de Agrippa Socero Cap. XXII. *Acerbior in conviciis narrabatur, ut bonis comis, ita adversus malos injucundus. Ceterùm ex iracundia nihil supererat, secretum & silentium ejus non timeres, honestius putabat offendere quàm odisse.* Legislator quidem Hebræorum hîc non jubet offendere, sed mavult iram totam effundi, quàm reponi. Ad hoc præceptum videtur respicere David Ps. IV, 5. ut ad eum locum ostendemus.

Neque patieris incumbere ei peccatum] לא תשא עליו חטא *non feres super eo peccatum*, hoc est, eo liberè objurgato, cùm te injuriâ adfecerit, efficies ut damnum tibi illatum reparet; nam peccatum *super eo* est, qui id non fecit quod debet, ut proximo læso satisfaciat. נשא interdum significat *pati*, ut Job. XXI, 3. שאוני saouni *ferte me, & loquar*, hoc est, patiamini me loqui. Peccatum autem quasi onus hîc consideratur, quod delinquenti incumbit, & quo se exonerat illatum damnum reparando. Simili phrasi Judæi Christum ad crucem postulantes dicebant, *sit sanguis ejus supra nos* (עלינו) & *supra liberos nostros* על בנינו Matth. XXVII, 25. Quæ phrasis est petita ex hujus libri Cap. XX, 9. ubi vide not.

LXX. Intt. habent οὐ λήψῃ δι' αὐτὸν ἁμαρτίαν, & Vulg. eodem sensu: *ne habeas super illo peccatum.* Sic etiam alii, sed hic sensus vix ullum nexum cum superioribus habet.

18. *Non sumes ultionem, neque memor eris injuriæ*] לא תקם ולא תטר את בני עמך *non ulcisceris, neque servabis filios populi tui.* Utrumque ver-

cipietis. 12. Non jurabitis nomen meum, in rem falsam, nec profanabitis nomen Dei vestri; ego sum Jehova.

13. Non facies vim proximo tuo, neque eum deprædaberis ; non pernoctabit *pretium* operis mercenarii tecum, ad matutinum usque tempus.

14. Non malè precaberis surdo, neque ante cæcum offendiculum pones, sed timebis Deum tuum; ego sum Jehova.

15. Non

vim omnem vetuit, indigentique mercenario mercedem quàm primùm persolvendam esse docuit.

14. Vetuit quoque ne iis potissimùm injuria fieret, qui ab ea sibi cavere non possunt; ut si quis surdo malè precetur, & ante cæci pedes offendiculum ponat. Quamvis enim, inquit, hominum ultio metuenda semper non sit, at Dei omnia videntis judicium timeto.

15. Judicibus etiam Moses iterum præcepta dedit de justitia ex legibus, nullâ habitâ personarum ratione, administranda ; ut neque tenuiorum favor, contra potentiores, seditiosè captaretur; neque in gratiam divitum, justâ causâ pauperes caderent.

16. Has quoque Leges ferendas, hæc monita Hebræis

verbum habet eumdem accusativum , quod Latinè non licuit. נטר propriè quidem est *servare*, ut נצר , sed & aliquando est *servare memoriam* peccati, vel injuriæ , ut Ps. CIII, 9. Nah. I, 2. Hinc LXX. Intt. *οὐ μηνιεῖς non irasceris diu*. Vetatur ultio extemporanea , & ultio in commodam occasionem dilata , quæ alterâ pejor est , ut antea diximus. Rectè *Hug. Grotius* addit *extra casus permissos*, ut si quis homicida extra Asyli fines deprehenderetur. Vide Num. XXXV, 27.

Amabis proximum tuum] Hoc est, popularem , ut ex superioribus verbis colligere est , aut peregrinum Judaïcam Religionem amplexum , qui erat eodem loco habendus ac Israëlita , ut docet Legislator vers. 34.

19. *Pecudes vestras non curabitis coire diversorum generum*] בהמתך לא תרביע כלאים , *pecus tuum non facies cubare Chilajim*. LXX. Intt. *οὐ κατοχεύσεις ἑτεροζύγῳ* , Vulg. *non facies coire cum alterius generis animantibus*. Ita omnes Judæi veteres & recentiores , ut & reliqui Interpretes. Sed ante excitatum in Europa Æthiopicæ Linguæ studium , ignota erat vocis origo *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 22. primus observavit כלא *chaleo* in Æthiopica Lingua significare *alium* , & כלא *chelee* esse *duo* ; quam radicem , in prisca Lingua Hebraïca, usitatam fuisse credibile est. Vir summus ex Judæis & Christianis Intt. tres causas hujus Legis profert. Prima est , quòd hæc copulatio sit contra naturam ; altera, ut deterrerentur homines ab illicito & promiscuo concubitu ; tertia denique , ut monerentur Hebræi , ne connubia cum aliis gentibus miscerent. Verùm has rationes oppugnat *Joan. Spencerus* de Leg. Mos. Ritual. Lib. II. c. 20 Ad primam quidem quod adtinet , ait diversorum generum commistionem , mori quidem , sed non legi naturæ adversari ; cùm nullam speciem destruat , neque vim ullam animalium naturæ inferat. Duas alias confutari, eò quòd rebus claris Legibus jam vetitis non necesse fuit , obscurâ Lege , interdicere. At hæc ejus responsio non satisfacit, cùm constet , multis aliis exemplis, præter præcepta claris verbis concepta , alia à Mose edita fuisse per Symbola , quibus eadem vetaret , aut juberet. Totus certè cultus publicus Populi Hebræi , si preces , laudes , peccatorúmque confessiones abstuleris , fuit Symbolicus , & significavit res ex claris præceptis notissimas. Disertis verbis Moses jubet Deum & proximum amari , eáque generalia præcepta multis singularibus exemplis passim exponit , & qui hæc observarint Deo gratos fore docet , verbis nullâ obscuritate laborantibus ; attamen quid sibi volunt aliud ablutiones , pollutorum à Sacris amotio, sacrificiáque variorum generum quæ Israëlitæ Deo offerre jubentur ? Certè nisi sint Symbola eorum , quæ Deo & proximo debemus , nihil est inanius , & superstitiosius ; ut docent Prophetæ. Vide Ps. XL, vers. 6. LI, vers. 18. &c.

Vult *Spencerus* vetari dumtaxat Judæos , ne artem adhiberent ut asininum & bucerum genus miscerent, ob legem quæ exstat Deut. XXII, 10. Verùm ad eam legem eum confutabimus. Existimat autem ille Deum vetuisse ne animalia illa miscerentur 1. ut cultum Veneris & Priapi suggillaret, in quorum honorem conjunctiones illas impuras nonnulli procurabant; sed nullum argumentum ex Veteribus profert, quo id moris fuisse ostendat: 2. Ne Israëlitæ quidquam inhonesti facerent , & Gentibus ex Chananæa expellendis similes fierent; at non magis est inhonestum jungere asinum equæ, quàm ejusdem generis animalia: 3. Ne Judæi ritu illo, se Dæmonis beneficio terrám colere, ejúsque favorem ambire viderentur ; verùm probandum fuit in Cacodæmonis honorem talia esse facta: 4. Quòd Idololatræ , ut ex *Gulielmo Parisiensi* probat, solerent sub certis constellationibus conjungere animalia diversorum generum; sed quod à nescio quo ille *Guilielmus* sumsit pro comperto, tacente universâ Antiquitate, haberi nequit.

Itaque malim hanc Symbolicam legem habere, quâ nefandi concubitus, & connubia cum Idololatris vetentur. Nec quidquam, quod alicujus sit momenti , objici posse videtur præter hæc duo. Unum est Hebræis frequenti in usu & magno in pretio fuisse mulos, ut liquet ex 2 Sam. XIII, 29. 1 Reg. I, 33. X, 25. 1. Par. XII, 40. Ps. XXXII, 9. Si vetita fuit conjunctio equini & asinini generis , videntur rara debuisse esse animalia, quæ ex ea nascebantur. Sed quamvis non liceret Hebræis curare admissuram horum animalium, ob rationes adlatas, potuerunt mulis à vicinis Gentibus emtis uti. Nec Symbolicum hujusmodi interdictum necesse est ita urgeri, ut non modò illicita esset admissuræ cura, sed etiam cavere debuerint Judæi ab usu animalium inde progenitorum; nam Legislatoris animus fuit dumtaxat id impedire quod diximus, nihil aliud; atque hanc in rem satis fuit vetare *ἑτερόζυγα* animalia ab Hebræis admitti.

Ubi

15. Non committetis iniquitatem in judicio, non habebis rationem tenuis, neque honore prosequeris divitem; justè judicabis proximum tuum.
16. Non ibis detractor, inter populares tuos; non stabis ad cædem proximi tui; ego sum Jehova.
17. Odio non habebis fratrem tuum, in animo tuo; *sed* proximum tuum corripies, neque patieris incumbere ei peccatum.

18. Non

bræis tradenda à Deo accepit Moses. Popularium tuorum famæ, ait Deus, ne detrahito, néve falso testimonio ullius caput oppugnato; ego enim is sum Deus, cujus promissiones & minæ irritæ non erunt.

17. Simultatem, ob injuriam à populari acceptam, in animo tuo ne alito; ex tempore potius queritor, nec eum peccatum suum ignorare, ut postea eò acriùs ulciscaris, patitor.

18. Ultionem de eo ne sumito, neque olim injuriæ tibi ab eo illatæ memor esto; contrà eum instar tui amato, méque, ut præmio obsequentes certissimè donabo, ita legum mearum spretores puniturum scito.

19. Jura

Ubi nihil est naturâ suâ malum, id dumtaxat, quo disertè interdicitur, urgeri potest; alioqui latissimus pateret superstitioni campus. Exempli causâ, quia nonnulla animalia immunda pronunciantur, posset Legis interpres superstitiosus colligere omnem eorum usum esse illicitum, quod tamen ex Lege Mosaïca collectum numquam fuisse manifestum est.

Alterum quod objici possit iis quæ diximus, de rationibus ob qua admissio diversorum generum animalium vetatur, in hoc situm est, quòd nusquam Moses Symbolicam hanc Jurisprudentiam interpretetur, nec verisimile sit veteres Hebræos, crassioris indolis, ænigmaticam vetandi rationem intelligere potuisse. Fateor hanc objectionem majoris esse momenti, sed constat Orientales Symbolicis præceptis multùm esse usos, ut diximus in notis ad Gen. XXXV, 24. Ægyptios etiam (quamvis incertum sit hujus instituti initium, & innumera inania ac falsa postea admista fuerint, ab iis qui pro arbitrio veteres eorum sculpturas interpretati sunt) certum est Symbolicis præceptis varia significasse. Multa futilia habet *Plutarchus* in Libro de Iside & Osiride, attamen omnia prorsus rejicere noluerim. Multa quoque hac de re digna lectu habet *Clemens Alexandrinus* Strom. Lib. II. & V. Hinc *Pythagoras* sua Symbola hausit, qualia, *Jugum ne transilias*, *in Chœnice ne sedeas*, *Onus simul tollendum non ponendum*, *Hirundines familiares ne habeto* &c. Quæ integro libro exposuit *Lil. Greg. Gyraldus*; & de quibus etiam *Joan. Schefferus* de Nat. & Const. Philosophiæ Italicæ Capp. V, X, & XIII. Quæ cùm ita sint, non absurdè conjicere posse nobis videmur Hebræos, aliquatenus ei rei adsuetos, intellexisse Symbola Mosis. Nec opus erat singula exponi, cùm jam intelligerentur, & doctrina, quæ sub iis latebat, clarè alibi exposita esset. Hæc præcepta jam intellectam in animum Hebræis doctrinam revocabant, cujus fortè essent obliti, nisi quotidiano usu admoniti fuissent. Antehac etiam præceptum de abstinentia à sanguine Symbolicum esse ostendimus, & alia in sequentibus occurrent; ut quæ de bove triturante, & de avibus quæ cum matre capi non debere dicuntur, quod suis locis ostendemus.

Agrum tuum non seres diverso genere] Hæc & sequentia verba superioribus videntur esse prorsus ἰσοδύναμα, quod ad Symbolicam significationem pertinet. Aliæ omnes rationes frigidæ sunt, aut falsæ, aut nullo idoneo auctore firmatæ. Qui volunt Deum lucri cupiditatem damnare, deberent probare majus lucrum esse miscere semina, quàm uno semine agrum conserere. Qui terram nimis exhauriri eo modo serendi aiunt, fabulas etiam narrant, quotidianâ experientiâ confutandas. Qui ducent plantas diversas sibi invicem nocere, ideóque earum mistionem vetari, id docent quod interdum verum, interdum falsum est, ut norunt agricolæ. Itaque has, & alias rationes hujus interdicti minùs verisimiles, meritò rejicit *Joan. Spencerus* Lib. II. cap 18.

Existimat ille hanc Legem oppositam esse consuetudini nonnullorum Idololatrarum, qui semina mista variis Numinibus consecrarent, & uberiores segetes progenerari propterea putarent. Hanc in rem unus profertur *Maimonides*, qui in libro qui vocatur העבודה הנבטית *agricultura Nabatæorum*, legit *consuevisse Zabios simul serere hordeum & uvas passas, existimantes non bonam futuram vineam, nisi hoc modo fieret*. Mor. Nebochim. Par. 3. C. XXXVII. Conjicit Rabbinus fecisse hoc Zabios; quòd duo falsa Numina, qualia Ceres & Bacchus, simul honore prosequerentur. Sed apud omnes Gentes, ubi vites coluntur, hoc solet fieri; quòd terra quæ densas vites non satis læto succo aleret, persæpe raras facilè alat, & præterea hordeo aut alii semini locum inter vitium ordines præbeat. Superstitio nulla huic rei, sed terrarum ingenia originem dedere. Subruto hoc fundamento, omnes conjecturæ *Joan. Spenceri* huic superstructæ unà corruunt. Opinioni suæ præsidia quærere nititur ex Deut. XXII, vers. 9. sed ficulnea esse illic ostendemus.

Itaque nihil melius hîc occurrit, quàm ut dicamus Symbolum esse hæc verba, quo Hebræis alienigenarum Idololatrarum commercia arctiora vitanda esse significat Moses; quæ maximi momenti Lex fuit. Fortè etiam habuere hæc dicta quiddam παροιμιῶδες, quod ex usu Linguæ notissimum erat.

Diverso filorum genere] שעטנז *schabatnez*. Quid hæc vox sibi velit docet Moses Deut. XXII, 11. ubi eâ prolatâ addit: צמר ופשתים יחדו *lanâ & lino simul*, ut intelligamus significari vestem, cujus stamen esset lineum, subtemen laneum, aut vice versâ. Itaque de sensu satis constat, de origine vocis certant Interpretes. *Sam. Bochartus* existimat esse compositam ex prisca radice שעט, quæ idem apud Hebræos signi-

18. Non sumes ultionem, neque memor eris *injuriæ* popularium tuorum, amabis enim proximum tuum, instar tui; ego sum Jehova.

19. Instituta mea servabitis, pecudes vestras non curabitis coïre diversorum generum. Agrum tuum non seres, diverso genere *frugum*; neque vestis diverso filorum genera contexta tibi imponetur.

20. Qnando vir cubuerit cum muliere concubitu seminis, eáque ancilla & desponsa viro fuerit, à quo non fuerit redemta aut libertate donata; erit quidem animadversio, sed non morientur, quia non fuerit manumissa. 21. Is vir adducet victimam suam pro noxa, ad ostium tabernaculi conventûs, arietem, nimirum, pro noxa.

19. Jura à me instituta, sine aliarum legum mistura observato; quod ne oblivioni mandes Symbolicis hisce Legibus, quotidiani usûs, in memoriam revocato. Ne animalia diversorum generum coïre curato; ne vario genere frugum unum agrum serito; ne vestem lino & lanâ contextam gerito.

20. Si quis cubuerit cum muliere serva, desponsa alii viro, sed nondum manumissa, Magistratus quidem, prout videbitur, animadvertito, sed pœnas morte, ut fieret si libera esset mulier, ne luunto. 21. Vir præterea arietem pro noxa ad Tabernaculum adducito, 22. eóque rite mactato à Sacerdote expiator.

23. Cùm

significarit ac apud Arabas שטש aut שעטש *sata*, hoc est, *miscere*, & נז *nez*, hoc est, textum. Hieroz. Part. II. Lib. II. c. 45. Vir doctus qui *Josephum* Oxonii edere cœperat, vult esse idem ac quod Arabibus dicitur תשביץ *taschbiz* & תשניץ *taschnits*, hoc est, *opus implexum*, seu *filis contortis varium*; existimáque non modò pannum lino & lanâ mistum intelligi, sed quibusvis aliis variorum generum filis. Utitur lectione Samaritici Codicis שעבטנז *schabatniz*, ad suam conjecturam confirmandam. Fortè nec absurdè conjecerit, qui ita vocem resolvat שעטנז בגד שעטה נז צמר או פשתים *pannus qui tegit filum*, (id est, stamen) *laneum vel lineum*, alio nimirum fili genere, ut si stamen sit lineum & tegatur subtemine laneo. Hinc LXX. Intt. κίβδηλον verterunt, quod propriè dicitur de nummo subærato, ubi æs argenteâ laminâ tectum est.

Joan. Spencerus, ex suo *Maimonide*, contendit Zabios ejusmodi vestibus mistis olim usos; quod nolim negare, quandoquidem innumeræ aliæ Gentes id genus vestes gesserunt. Sed superstitionem cum ejusmodi vestibus fuisse conjunctam, neque Rabbinus Ægyptius, neque Theologus Cantabrigiensis ullis rationibus ostenderunt. Vide opus de Leg. Mos. Ritual. Lib. II. c. 21.

Malim hîc quoque ad Symbolum confugere, & dicere idem vetari ac superioribus. Atque hoc confirmatur, non modò ex natura rei, quæ per se neque laudis, neque vituperii capax est; sed etiam ex usu Pontificis Maximi, qui vestes lanâ, lino & auro mistas gerebat. Quo factum est ut hanc Legem ita efferret *Josephus* Lib. IV. c. 8. Μηδεὶς δ' ἐξ ὑμῶν κλωστὴν ἐξ ἐρέας καὶ λίνου στολὴν φορείτω, τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδεδεῖχθαι: *nemo ex vobis textam lanâ & lino stolam gerat, solis enim sacerdotibus est concessa.* At Hebræo Sacerdoti dicam scribit *Sam. Bochartus*, falsúmque hoc esse ait, quòd hîc & Deut. XXII. ceterorum numero non eximantur Sacerdotes. Sed solvuntur hac Lege, eo ipso quòd ex lino & lana texi jubentur vestes Pontificis Max. & cingula omnium Sacerdotum Exod. Cap. XXVIII. *Hyacinthus* enim, *purpura* & *coccus* erant fila lanea iis coloribus tincta, quibus addebatur byssus, ut varia textura fieret Profert præterea vir summus Ezek. XLIV, 17. *Non adscendet super eos* (nempe, Sacerdotes) *lana, cum ministrabunt in portis interioris atrii.* Verùm ibi sermo est de gregariis Sacerdotibus, qui lineis vestibus erant induti, si cingulum excipias. Denique recentiores omnes Judæi Josepho adsentiuntur. Vide Oxoniensem Ed. priorum Librorum *Josephi*. p. 289.

20. *Desponsa*] נחרפת *nehherepheth*, LXX. διαπεφυλαγμένη, Vulg. *nubilis* Onkelos: אחידא, *desponsata.* Samarita: מרחנה, quod idem est, & sic recentiores. Confer hunc locum cum Deut. XXII, 29, 24.

Animadversio] בקרת תהיה *bikkereth thihjeh*, hoc est, judices in rem inquirent, & plectent hoc peccatum. LXX. Intt. habent ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτοῖς, Vulg *vapulabunt ambo.* Post תהיה addit Samarita לו lo, *ei.* Flagellationem Rabbini interpretantur.

Non morientur] Quod supplicium erat illati stupri liberæ mulieri desponsæ alii, Deut. XXII, vers. 23, 24. Jus hac de re Rabbinicum habet *Joan. Seldenus* Lib. de Jure N. & G. V. c. 12. Hoc potissimùm in eo animadversione dignum, quod censent agi de serva peregrina, quæ Judaïsmum amplexa esset, non de Hebræa ad tempus serviente.

23. *Fructum ejus quasi præputium* &c.] ערלתם ערלתו את פריו *præputium habebitis præputium ejus, fructum ejus.* Hoc est, per tres annos à fructu arboris à vobis plantatæ abstinebitis, ut hominis præputiati familiaritate abstinetis. Sensum hunc esse sequentia ostendunt. LXX. tamen Intt. habent περικαθαριεῖτε τὴν ἀκαθαρσίαν αὐτοῦ, Vulg. *auferetis præputia eorum*, quæ versio recta esset, si legeretur מלתם *circumcidetis.* Ratio hujus legis, omissis *Maimonidæ* Zabiis, hæc videtur esse, quòd cum Deus vellet primitias sibi fructuum, ut animalium offerri; nollétque fructus trium primorum annorum, quia tenuïores sunt & pauciores, sibi consecrari, primitias in quartum annum distulerit, quo grandiores & copiosiores sunt fructus. Vide quæ ex *R. Levi*, & *Mose Nachmanide* habet J. H. *Hottingerus* ad Leg. CCXX. Mirum est *Josephum* rem tam facilem conjectu non vidisse, aut maluisse dicere βιάζεσθαι τὴν φύσιν ἀώρως *naturæ vim inferri ante tempus*, quæ enim vis infertur naturæ, si fructus quos arbos protulit colligas? Nulla prorsus, sed quia præstan-

noxa. 22. Eum expiabit sacerdos ariete pro noxa, coram Jehova, ob peccatum quod admiserit, & ejus veniam consequetur.

23. Postquàm perveneritis ad eam terram, *quam dixi*, & quamvis frugiferam arborem plantaveritis, fructum ejus quasi præputium habebitis; tres anni erunt vobis præputiati, *quibus* non comedetur. 24. Quarto verò anno, omnis fructus erit sacer, *absumendus* in conviviis *in honorem* Jehovæ. 25. At anno quinto, comedetis fructum ejus; ut pergat vobis proventum suum dare: Ego sum Jehova, Deus vester.

26. Non comedetis cum sanguine.

Non

23. Cùm ingressi fueritis terram, quâ vos donabo, atque in ea arbores frugiferas plantaveritis, fructus, quos per triennium ferent, ne adtinguntor. 24. Qui verò quarto anno provenient Deo sacri sunto, atque ad Tabernaculum comeduntor. 25. Anno demum quinto, arborum fructum domi comedere liceto. Ego enim sum Deus vester, cui primitias omnium fructuum ex præstantissimis, in suo cujusque genere, solvere debetis.

26. Cum sanguine carnem ne comedito.

Nul-

stantissima quæque, in suo genere, Deo debebant offerri, rejecti sunt illi primi fructus parum salubres, & minores; at interea interdicti hominibus, ne ipsi primitias suorum fructuum, neglecto Dei jure, collegisse viderentur.

Tres anni erunt vobis præputiati] Hoc est, arbores, per tres annos. Si quod ait *Maimonides* Duct. Dub. Part. III. C. 37. verum esset, nempe, Deum hîc moribus Zabiorum adversari; dicendum fuisset hîc non imitandos vicinos qui primos fructus suis Idolis offerrent, sed negligendos.

24. *Erit sacer, absumendus in conviviis in honorem Jehovæ*] קדש הלולים ליהוה kodesch hilloulim lihavo *sanctitas conviviis Jehovæ*. LXX. Intt. αἰνετὸς τῷ κυρίῳ, Vulg. *laudabilis Domino*. Subaudi verbum להיות *ut sit ad convivia* celebranda *Jehovæ*. Convivia sic dicta sunt à laudibus Dei, quæ in iis celebrabantur. Vide Jud. IX, 27. Significat Moses hosce fructus esse ferendos in locum, in quo Deus Tabernaculum suum statuisset, ut illic cum laudibus & gratiarum actione comederentur. *Josephus* de hisce fructibus Lib. IV. cap. 8. Τῷ δὲ τετάρτῳ τρυγάτω πᾶν τὸ βλάστημα, τότε γὰρ ὥριμον εἶναι. καὶ συναγαγὼν εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν κομιζέτω· καὶ σὺν τῇ δεκάτῃ τοῦ ἄλλου καρποῦ μετὰ τῶν φίλων εὐωχούμενος ἀναλισκέτω, καὶ μετ᾽ ὀρφανῶν καὶ χηρευουσῶν γυναικῶν: *quarto anno colligat quidquid natum erit, collectúmque in sanctam urbem deferto, & cum decima alius fructûs cum amicis convivans absumito, ehmque orphanis & viduis*. Apud Thalmudicos הלול est *carmen*, & *convivium nuptiale*, & ad posteriorem sensum videtur accessisse *Josephus*, qui *convivium* interpretatur, & quidem rectè.

25. *Ut pergat vobis fructum dare*] Hæc verba non sunt ad proximè antecedentia referenda, sed ad v. 24.

Ego sum Jehova] Qui faciam quod promisi, nec minas irritas esse sinam. Vide ad Exod. VI, 3.

26. *Non comedetis cum sanguine*] על הדם *hal baddam*. LXX. Intt. legerunt ההרים *harim*, montes, ut rectè conjecit *J. Drusius*, vertunt enim ἐπὶ τῶν ὀρέων. Miror hoc non vidisse *Hug. Grotium*, qui ex hac interpretatione conjecit דם apud Ægyptios aliud significasse, nempe, aut *montem* aut *solarium*. Prius falsum, nec minùs posterius, quod ideò conjecit vir magnus, quia nescio quis Interpres Græcus dicitur vertisse ἐπὶ τοῦ δώματος; sed rectè iterum conjicit *Drusius*, post *Nobilium*, scribendum fuisse ἐπὶ τοῦ αἵματος. Quamvis non sit ineptus versionis τῶν LXX. sensus, malim omnes alios Codices sequi, ex quorum lectione non deterior nascitur sententia. Scio *Joan. Spencerum* negare LXX. Intt. & *Aquilam* aliter ac nos legisse, aut esse emendandos, & ad eumdem ritum Idololatrarum quo *ad sanguinem convivabantur* respexisse, Vid. Lib. II. C. XI. Sect. 3. de Leg. Rit. Sed nec mihi, nec Criticis persuadebit, ut Lector facilè intelliget.

Existimat ille Deum oppugnare hic ritum Zabiorum, qui, ut auctor est *Maimonides*, sanguine in fossam effuso in honorem Dæmonis, circum convivabantur, *Mor. Neb.* Lib. III. c. 46. Quod vir doctissimus aliorum Rabbinorum testimoniis firmat. Sed vehementer vereor ne Maimonides aliique Recutiti Magistri descripserint nobis hunc ritum, non prout fuit, sed ut exponerent phrasin על הדם *hal baddam*, quam *ad sanguinem* perperam exponunt. Solent illi historias fingere, ex locis Scripturæ perperam intellectis, ut norunt omnes qui eorum libros evolverunt.

Constat quidem antiquissimos Græcos solitos esse sanguine fossas implere, ut Manes evocarent, eorúmque ope futura cognoscerent, quod docet *Homerus* Odyss. Λ. Sed non convivabantur in ejusmodi Sacris. Igitur quamvis sequentia verba videantur favere viro eruditissimo, qui Sacra magica hîc respici censet; malim negare initium versûs cum fine connecti oportere, quàm ad ejus expositionem confugere, Rabbinorum solâ fide nixam.

Crediderim hîc Hebræos vetari comedere carnes, in quibus est etiamnum sanguis, qualis est caro suffocata, de qua etiam exstat Lex sup. Cap. XVII, 13. Rationem hujus opinionis ceteris præferendæ, cùm de re ipsa aliunde constet, in phrasi qua utitur hîc Moses, gravissimam habemus, contrà quam putabat *Spencerus*. Nimirum אכל על non significat *comedere ad*, ut ille opinabatur, sed *comedere cum*, & אכל על הדם non est *comedere ad sanguinem*, sed cum sanguine, ut manifestò probabimus. I. Non nego quidem frequentissimam significationem præpositionis על esse *ad*, *prope*; sed nemo nescit harum præpositionum significationes apud Hebræos plurimas esse, ut perspicuè ostendit luculento opere *Chr. Noldius*. Hic

num,

Non augurabimini, neque auſpicabimini.

27. Non tondebitis in orbem extremitatem capitis veſtri, neque barbæ veſtræ extremitatem radetis.

28. Inciſionem, mortui gratiâ, non facietis in carne veſtra; ſcripturam impreſſam non ponetis in vobis; ego ſum Jehova.

29. Ne

Nullo divinationis genere utitor.

27. Ne inſtar finitimorum, ſuperſtitioſa de cauſa, cæſariem in orbem tondeto, aut barbam circumquaque radito.

28. Funeris causâ, carnem tuam, ut illi ſolent, ne incidito, neque ullis ſtigmatibus ſuperſtitioſis te polluito. Ego enim ſum Jehova, qui te mihi ſoli conſecratum volui, & ſingularia jura tibi trado.

29. Ne

num. 9. ad hanc particulam, probavit non rarò על debere verti *cum*; ſed exempla ſeligemus, quæ maximè ad hunc Moſis locum faciunt. Sic Exod. XII, 8. *Comedent carnem igne toſtam, hac ipsâ nocte, eáque cum panibus azymis & herbis amaris veſcentur*, על מרורים יאכלוהו. Verſu ſequente: *Cum cruribus & viſceribus* על כרעיו ועל קרבו. Num. IX, 11. *Cum* (על) *azymis, herbiſque amaris eum comedent.* LXX. Intt. verterunt ἐπὶ, aut σὺν, Vulgatus, *cum*, & ita vertendum fuiſſe nemo dubitarit. II. Sed eſt locus inſignis 1. Sam. XIV, 32. ubi populus Hebræus, poſtquàm diu perſequutus eſſet Philiſthæos, pecudéſque multas abegiſſet, comediſſe dicitur *cum ſanguine*. Verba Hiſtorici Sacri ſunt: *Eo die cædentes ſequuti ſunt Philiſthæos, à Michmaſo ad Ajalonem, populus verò valde feſſus erat. Prædam congeſſit, cepitque oves, capras, boves, & juvencos, mactavitque in terra, & comedit populus* על הדם *cum ſanguine.* Præ feſtinatione, nimirum, pecudes ictibus ad terram adfligebant, membratim diſſecabant, nec ſatis effuſo ſanguine earum carnes coquebant & comedebant. Hinc LXX. Intt. & Vulg. verterunt σὺν τῷ αἵματι *cum ſanguine.* Tum verò nonnulli Legis obſervantiores *nunciarunt Saüli populum deliquiſſe in Jehovam comedendo.* Saül autem *dixit: peccaſtis, devolvite hodie ad me lapidem magnum, & præterea, diſcurrite, ait, inter populum, & dicite admoveant mihi quiſque bovem ſuum, ovémque aut capram, & mactabitis in hoc, comedetiſque; neque peccabitis in Jehovam, comedendo* אל הדם *cum ſanguine*; quod factum poſtea narratur. Nempe, ad eum lapidem aderant viri legis periti, qui curarent ſingulas pecudes ita jugulari, ut totus ſanguis efflueret, quod alioqui non curaverat populus. Eſt quidem poſtremo loco אל, quod ſignificat etiam *ad*; ſed paſſim cum על confunditur, nec minùs frequenter ſignificat *cum*, ut oſtendit *Noldius.* Ac ſanè hîc LXX. Intt. & Vulgatus verterunt σὺν, *cum.* Vide Num. XXV, 1, Joſ. XI, 19.

Scio *Spencerum* nullum non movere lapidem, ut oſtendat hunc Samuelis locum, ita eſſe intelligendum, ut populus peccaſſe dicatur, quòd *propè ſanguinem* effuſum comederet; Saülémque id impediiſſe jubendo mactari omnes pecudes ad unum lapidem. Sed cùm lapis ille eſſet in caſtris, non procul à tentorio Regis, hoc non obſtitiſſet quominùs populus circumquaque tendens, *ad ſanguinem* convivatus eſſet. Negat vir eruditiſſimus impediiſſe Saülem, quominùs populus, ſi vellet, carnem *cum ſanguine* comederet; verùm contrarium ex ipſa re liquet, nam ſanguine diligenter effuſo ad unum locum, ad quem aderant qui, juſſu Regis, hoc curarent, veſci non potuit populus. LXX. quidem Intt. Ezek. XXXIII, verſ. 25. ubi hæc ipſa phraſis legitur, על verterunt ἐπὶ, ſed liquet σὺν & ἐπὶ eos habuiſſe quaſi ſynonyma ex Exod. XII, 8, 9.

Coronidis loco addemus verba Legis Deut. XII, 23. ubi eadem res his verbis exprimitur: *Conſtanter in eo perſta ne ſanguinem edas, nam ſanguis eſt anima; non comedes autem animam, cum* (עם him) *carne.* Perſpicuum eſt עם illic eodem loco eſſe, ac in verbis Levitici על. Denique cùm ſæpiùs repetatur hæc Lex, & ſæpiùs addatur ratio, quam verbis Moſis extulimus, nuſquam dicuntur Gentes Hebræis vicinæ ſanguine in magica Sacra abuſæ, quæ longè graviſſima fuiſſet cauſa ferendæ hujus Legis.

Non augurabimini] לא תנחשו *lo thenabbeſchou.* LXX. Intt. οὐκ οἰωνιεῖσθε, Vulg. *non augurabimini.* Vide quæ de hac voce notavimus ad Gen. III, 1. נחש quodlibet divinandi genus videtur complecti, quamvis ὀφιομαντείαν propriè ſignificet; ut οἰωνίζεσθαι & *augurari*, apud Græcos & Latinos, primariâ ſignificatione conjecturas ex avium garritu aut volatu capere ſignificant, deinde ad quamvis divinationem tranſlata ſunt. Vide *Maimonidem* de Idol. Capp. VI, & XI. & ad eum notas *Dionyſii Voſſii.*

Neque auſpicabimini] לא תעננו *lo thebonenou.* LXX. Intt. ὀρνιθοσκοπήσεσθε, Vulg. *ſomnia* (fortè legendum *omina*, quia ſequitur paſſim LXX. Intt.) *non obſervabitis.* Conſtat quidem hanc eſſe divinationis ſpeciem, ſed quæ ſit non ſatis liquet. Derivant Eruditi veriſimillimè ab עין hajin *oculus*, aut potiùs à radice ען *honn*, quæ inter alia *ſpeculari, eminus proſpicere*, apud Arabas, ſignificat; quod faciebant divini, qui מעננים *mehonenim* dicuntur. Apoteleſmaticæ Aſtrologiæ, quæ ſita eſt in obſervatione aſtrorum, deditiſſimos fuiſſe Orientales nemo neſcit. *Herodotus* Lib. II. c. 82. Καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐστι ἐξευρημένα, μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστί, καὶ τῇ ἕκαστος ἡμέρῃ γενόμενος, ὁτέοισι ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει, καὶ ὁκοῖός τις ἔσται: *alia inſuper ſunt ab Ægyptiis excogitata, quis menſis diéſve cujus Deorum ſit, & quo quis die genitus qualia ſortietur, & quam mortem obibit & qualis erit.* Similia *Diodorus* Lib. I. De Chaldæis res eſt notiſſima. Vide *Thom. Stanleji* Hiſt. Philoſ. Or. Lib. I. Sect. 2. Hoc genus divinationis reſpicit Jer. X, 2. ubi vetat Hebræos *ſignis cœli terreri*, quemadmodum iis terrebantur vicinæ Gentes.

27. *Non tondebitis in orbem*] Nemo non obſervavit reſpici hîc Arabum morem, de quo *Herodotus* Lib. III. c. 8. Καὶ τῶν τριχῶν τὴν κου-ρὴν

29. Ne polluas filiam tuam, eam prostituendo; neque polluatur terra, & nefandis facinoribus impleatur.

30. Sabbatha mea observabitis, & facrarium meum reverebimini; ego sum Jehova.

31. Ne

29. Ne in honorem falsi Numinis filiam tuam corpore mereri cogito, néve ullo simili facinore terram Deo tuo consecratam contaminato.

30. Sabbatha mea religiosè observato, meúmque Tabernaculum castè adito; ego enim is sum Deus, qui quod minatus aut pollicitus fuero certissimè exsequar.

31. Ne

τὴν κείρεσθαί φασι, κατάπερ αὐτὸν τὸν Διόνυσον κεκάρθαι· κείρονται δὲ ὑποτρόχαλα, περιξυρῶντες τοὺς κροτάφους: *aiunt tonsuram crinium suorum esse, qualis erat ipsius Dionysi. Tondentur autem in orbem tempora subradentes.* Idem scriptor simile quid habet de Macis (Libyæ, non Arabiæ, ut perperam scripsit nonnemo, populis) *Melpomene*, seu Lib. IV. C. 175. *Chœrilus* Poëta vetus describens Solymos, ex Phœnicibus ortos, quippe qui Phœnicià Linguâ, ut ait, utebantur, testatur eos sic adtonsos fuisse, apud *Josephum* Lib. I. contra *Apionem*.

Αὐχμάλεοι κορυφὰς, τροχοκουράδες.

Squallentes verticibus, in orbem adtonsi. Idem quoque liquet ex Jeremiæ duobus locis. Primus est Cap. IX, 25 & 26. *Ecce dies veniunt, inquit Jehova, quibus pœnas repetam ab omni circumciso cum præputio* (nempe, cordis) *ab Ægyptiis, à Judæis, ab Idumæis, ab Hammonitis, à Moabitis, & ab omnibus quibus adtonsa est extremitas* קצוצי פאה *qui habitant in deserto.* Alter est Cap. XXV, 23. *Dedan, Thema, & Buz, & omnes quibus adtonsa est extremitas.* Subjicit postea Reges Arabiæ. Scio quidem aliter à nonnullis intelligi Jeremiam, sed si conferantur ejus verba cum *Mose* & *Herodoto*, dubium non erit quin ita intelligendus sit, ut diximus. Hoc cùm ita sit, videtur Deus vetuisse Hebræis, ne ita adtonderent capillos, ut ne similes essent Arabibus; qui se imitari hac in re dicebant suum *Urotal*, hoc est, interprete *Bocharto*, ערטויל *bartawil*, id est, juvenem decorum, ut vocabant Arabes Numen, quod *Dionysum* adpellat Herodotus, ut ipse docet.

At *Joan. Spencerus* Lib. II. c. 12. Operis *mihi sæpe vocati ad partes*, existimat non tonsuram ordinariam Arabum vetari, sed tonsuram quæ in funeribus fiebat, ob sequentem legem. Verùm necesse non est huic legi nexum esse cum sequente, neque probare potuit vir doctus Hebræorum vicinos ejusmodi tonsuram in orbem adhibuisse, in funebribus ritibus. Orientales in luctu caput prorsus radebant, ut nec cæsariei, nec barbæ pilus ullus maneret. Vide Esai. XV, 2. Jerem. XLI, 5. XLVII, 5. XLVIII, 37. Tonsura verò in orbem ornamenti, non luctûs causâ, fiebat. Moses & Jeremias cum *Herodoto* collati multò majoris ponderis sunt, quàm leves conjecturæ, quibus præter modum vir eruditus indulget. Nunc singula verba Legis expendemus.

Tondebitis in orbem] לא תקפו *lo thakkiphou*, hoc est, *circuibitis in orbem*, nempe, tondendo. *Aquila* habuit οὐ περικυκλώσετε, *Theodotion* οὐ κυκλώσετε, *Symmachus* περιξυρήσετε κύκλῳ, Vulg. *In rotundum adtondebitis.*

Extremitatem] פאת *pheath*. *Aquila* τὸ κλίμα, *Theodotion* vocem ipsam retinuit, *Symmachus* τὴν ἀπόροψιν. Propriè פאה *extremitatem*, seu *latus* sit, seu *angulus*, significat, ut ostenderunt Lexicographi, & inter alios quidem *Joan. Coccejus*. Hoc in loco, alii *tempora*, alii *sinciput* intelligunt; seu cæsariem, quæ ad ea loca capitis porrigitur. Ut *tempora* intelligerentur, voce duali, aut plurali utendum fuisset; crines verò versùs mediam frontem porrecti si interpreteris, quæretur quid sit *eos crines in orbem tondere*? Itaque interpretati sumus *extremitatem*, quia intelligitur ejusmodi tonsura, quâ crines in orbem, & quidem ad cutem, circa totum caput tondeantur. Hoc ipsum intellexisse videtur Aquila voce κλίμα, quæ *devexam* capitis *partem* sonat. Hoc intellexere LXX. Intt. qui verterunt: οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, nam σισόη vocatur ejusmodi tonsura, quâ cæsaries in orbem circa caput ad cutem tondetur, ut solum cranium, aut sola cranii superior pars sit crinibus tecta. Hoc docuerat *Hesychius*, sed ejus verba corrupta sunt, habet enim, in *Ed. Aldi*, σισόκημα, ἰσιὰ Φασηλῖται, ut legitur etiam apud *Phavorinum*. Legendum autem est, Σισόη, περὶ ὁποῖα Φασηλῖται, hoc est, *tonsura, qualis Phaselitarum.* Nimirum *Phaselitas* & *Solymos*, propter viciniam, confundit doctissimus Grammaticus; nam Solymorum erat ea cæsaries, ut discimus ex *Chœrili* adlato versu, in quo τροχοκουράδες vocantur. Hæc sunt ejus integra verba:

Τῶν δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες,
Ὤικεν δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι, πλατέῃ ἐνὶ λίμνῃ,
Αὐχμάλεοι κορυφὰς, τροχοκουράδες.

Post transibat hominum genus mirum visu, linguam Phœnicum ab ore emittens; habitat autem in montibus Solymis, ad latum stagnum, squallens vertice, & in orbem adtonsum. De hisce populis vide *Sam. Bochartum* in *Chanahanis* Lib. I. c. 6. Scio alias esse sententias de voce σισόη, sed quas ipsa Mosis verba confutant. His scriptis, vidi *Dan. Heinsium* non multò aliter emendasse *Hesychium* in suo Aristarcho Sacro p. 749. sed fallitur in eo quod putat σισόην esse plexum crinium. Si quæratur vocis σισόη origo, non crediderim esse vocem ab Hellenistis Judæis confictam ex ציצית *tsitsith*, sed ea vulgò Syros & Alexandrinos Græcè loquentes usos esse; quòd crines reliqui in summa cranii parte, Syriacâ linguâ, dicerentur ציצא *tsitso*, unde Græcâ terminatione additâ fit σισόη. Apud Hebræos, vocabatur ea pars cæsariei ציצית *tsitsith*, ut liquet ex Ezek. Cap. VIII, 3. ubi Propheta: *& misit similitudinem manûs, & adprehendit me* בציצית btsitsith *sisoâ capitis mei, & sustulit me spi-*

31. Ne convertamini ad fatidicos ſpiritus, aut præſcios inquiratis, ut iis polluamini; ego ſum Jehova Deus veſter.
32. Coram canitie ſurges, honorabis vultum ſenis, & revereberis Deum tuum; ego ſum Jehova.
33. Cùm peregrinabitur vobiſcum, in terra veſtra, peregrinus, eum non opprimetis. 34. Inſtar indigenæ ex vobis, peregrinus vobiſcum peregrinans vobis erit. Eum

31. Ne eos qui fatidicos ſpiritus habere ſe profitentur, ullúmve aliud divinorum genus conſulito, eorúmve ſuperſtitionibus pravis te inquinato. Ego enim ſum Deus tuus, quem ſolum conſulendum eſſe ſcito.

32. Senibus juvenes honorem præbento, néve eorum infirmitatem ſpernunto; ego enim infirmiorum omnium, contra jus & fas ſpretorum, cauſam ſuſcepturum me eſſe denuncio.

33. Peregrinum, ut jam edixi, ne opprimito.

34. Jus

ſpiritus inter terram & cœlum. LXX. rectè verterunt ἀνέλαβέ με τῆς κορυφῆς μου, *vertice meo*, hoc eſt, crinibus verticis.

Capitis veſtri] Hoc eſt, cæſariei quæ inhæret capiti.

Barbæ veſtræ extremitatem] Fortè Arabes circumquaque barbam radebant, ut tantùm media pars intacta maneret. Sunt & hodie variæ Gentes in Oriente, quæ nullam habent barbam, præter myſtacem, & quæ in mento eſt, ut Perſæ. Eæ autem Gentes, quæ vulgò raſam circumquaque barbam habebant, in luctu quidquid ejus ſupererat tondebant, ut liquet ex locis adlatis, ubi de cæſarie egimus.

Radetis] תשחיתו *thaſchhhithou*, hoc eſt, penibus delebitis.

28. *Inciſionem mortui gratiâ*] שרט לנפש ſcheret lnephesch, *in animam*; ſed *anima* pro mortuo non infrequenter occurrit. Ideò Vulgatus *ſuper mortuo*, Onkelos על מית *hal mith*. Vide Deut. XIV, 2. Conſtat & ex aliis locis Scripturæ, in funeribus, & calamitate publica, homines uſque adeò inſaniiſſe, ut corpus ſuum variis in locis inciderent. Sic Jerem. XVI, 6. *Morientur magni & parvi, in hac terra, non ſepelientur, eos non plangent, propter eos neque inciſio fiet, neque inducetur calvitium.* Vide ejuſdem Prophetæ Cap. XLI, 5. XLVII, 5. XLVIII, 37. Lege & quæ collegit *Joan. Spencerus* Lib. II. c. 13. hac de re. Putat ille inciſiones vetari, non modò ob rei abſurditatem, ſed quòd religioſus eſſet ritus. Probat ſanè in Sacris uſitatum fuiſſe, ut Sacerdotes brachia inciderent, ut liquet ex 1. Reg. XVIII, 28. verùm hoc hîc reſpici non crediderim. Alia enim ratio eſt funeris, alia ſacrificii. Vide tamen quæ hanc in rem habet.

Scripturam impreſſam] כתבת קעקע *chthebeth kahkah*. LXX. Intt. γράμματα στικτά, *Hieronymus* unâ voce, *ſtigmata*. *Onkelos habet* רושמין חריתין *ſtigmata ſculpta*, *Samarita* כתבים קבעים *ſcripturas inſculptas*. Eruditè oſtendit *Joan. Spencerus* Lib. II. c. 14. varium fuiſſe apud Veteres ſtigmatum uſum; verùm ea ſola reſpici videntur, quæ ad Idololatriam pertinebant. Horum meminit Scriptor libelli de Dea Syria, ſub finem, ubi de iis qui ad Deæ templum Sacra facturi ibant: στίζονται πάντες οἱ μὲν ἐς καρπὰς, οἱ δὲ ἐς αὐχένας· καὶ ἀπὸ τοῦδε ἅπαντες Ἀσσύριοι στιγματοφορέουσι: *omnibus autem notæ inuruntur, aliis in vola, aliis in cervice; atque inde eſt quòd Aſſyrii cuncti notas inuſtas gerunt.* Has egregiè deſcripſit *Prudentius* περὶ στεφανῶν Hym. X. ſub finem, cujus verba propterea proferemus:

Quid cùm ſacrandus accipit ſphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere, útque igniverint,
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmavit, hanc ſic conſecratam prædicant.

Nimirum, hiſce characteribus ſe quaſi ſervos ejus Numinis profitebantur, cujus ſingularem characterem gerebant. Sic *Ptolemæus Philopator* juſſit Judæos, qui ad Idola defecerant, ἀπογραφομένους χαράττεσθαι καὶ διὰ πυρὸς εἰς τὸ σῶμα παρασήμῳ Διονύσου κισσοφύλλῳ, *deſcriptos ſignari igne in corpore, inſigni Bacchi hederæ folio.* Macchab. Lib. III. non procul ab initio. Deus in ſui honorem tale quid noluit fieri, quippe cujus σφραγὶς erat circumciſio, & multò minùs in honorem falſorum Deorum. Has editis legis rationibus, non opus erat *Spencerum* ad alias confugere; ſed videtur numero, non minùs ac pondere, delectatus.

Ego ſum Jehova] Addunt LXX. Intt. ὁ Θεὸς ὑμῶν, quod exiſtimat *Spencerus* olim in Hebræo Codice exſtitiſſe. Sed cum in Samaritico non exſtet, & ipſa vox יהוה hoc complectatur, nulla additione opus eſt. Ac ſanè in hiſce Legibus, modò ſine ea additione legimus, *Ego ſum Jehova*, modò additur *Deus veſter.*

29. *Ne polluas filiam*] Meritò hanc Legem intelligit vir eruditus Lib. II. c. 22. de meretricibus in honorem Dei alicujus conſecratis, aut puellis eadem de cauſa ſtuprum pati coactis. Alioqui parentes noluiſſent filias ſuas proſtituere. Vide de more Phœnicum not. ad Exod. C. XXXIV, 15. Rabbini omnem fornicationem hîc ſignificari volunt, ſi agatur de Iſraëlitide. Vide *Joan. Seldenum* de Jure N. & G. Lib. VI. cap. 4 & 12. & not. ad Deut. XXIII, 18.

Nefandis facinoribus] זמה *zimmah*. LXX. Intt. ἀνομίαν vertunt, Vulg. *piaculum*. Gravioris ſceleris nomen eſt.

30. *Sabbatha mea*] Quibus liquet à vobis Deum coli, qui ſeptem diebus omnia creavit. Vide not. ad Exod. XXXI, 17.

Sacrarium meum reverebimini] Hoc eſt, ad Sacrarium polluti non venietis. Vide not. ad Cap. XII, 4.

31. *Ne convertamini ad fatidicos ſpiritus*] אבות *oboth*. LXX. Intt. οὐκ ἐπακολουθήσετε ἐγγαστριμύθοις, Vulg. *ne declinetis ad Magos*. Samarita עובית quæ eſt ipſa vox Hebraïca, niſi quod pro א eſt ע, quod frequens eſt in Samaritarum Chaldaïſmo; Onkelos בדין biddin *hariolos*. Verum hæ ſunt meræ conjecturæ, quæ neque ex Scripturæ ulla hiſtoria, neque ex vocis poteſta-

Eum vestri instar amabitis, quia in terra Ægyptia peregrini fuistis; ego sum Jehova Deus vester.

35. Non committetis fraudem in judicio, in dimensione, in pondere, aut in mensura. 36. Statera justa, pondera justa, Epha justa, & Hin justus vobis erunt; ego sum Jehova Deus vester, qui vos ex Ægypto eduxi. 37. Observabitis omnia mea instituta, & omnia mea jura sequemini; ego sum Jehova.

XVIII. Su-

34. Jus illi, non aliter ac Jacobi sanguine oriundo, dicito, tuisque instar amato, memor te fuisse in Ægypto peregrinum. Hujus enim quoque innocentiam mihi curæ futuram esse scito.

35. 36. In judicio nulla fraus committitor, mensuræ solidorum & liquidorum, & pondera semper æqualia sunto. Hæc juberi ab eo Deo, qui te ex Ægyptiaca servitute liberavit, promissaque & minas semper exsequitur, memento. 37. Itaque omnia mea jura, atque instituta diligenter observato.

P A-

testate deductæ sunt. Itaque videndum annon possimus feliciùs, utriusque ejus rei consideratione adhibitâ, conjicere. Nos אוב putamus esse *Spiritum* malum, qui certis artibus eliciebatur; ut evocaret mortuorum manes, qui prædicerent quæ ab eis petebantur. Mulier, quæ eam artem tenebat, propterea בעלת אוב bahalath ob, *domina ob*, seu *habens ob* vocatur 1. Sam. XXVIII, 7. Itaque ipsa propriè אוב *ob* non poterat vocari. Hinc eam adloquens Saül non dicit tantùm, *divina mihi*, sed *divina mihi per ob* באוב, *& fac mihi adscendere quem tibi dixero*; hoc est, potestate ejus Spiritûs, quem elicere potes, evoca mihi animum ejus quem tibi significavero. Postea Historicus Sacer nos docet evocatos fuisse, aut visos evocari Samuëlis manes, arte ejus mulieris, & simulacrum Prophetæ ex terra adscendisse. Hoc quoque confirmat Esaias Cap. XXIX, 4. ubi adflictas Jerosolimitanorum opes describens; *è terra*, inquit, *loqueris, atque è pulvere, humilis erit tua oratio; erit quasi Ob* באוב *vox tua, atque è pulvere sermo tuus murmurabit*; unde colligere est, aliquando evocatorum manium voces è terra auditas, adeóque בעלת אוב *bahalath ob* fuisse ἐγγαστρίμυθοι, quod & alter locus ex eodem Propheta manifestò ostendit. Exstat Cap. VIII, 19. *Quare*, inquit, *vobis dixerunt, sciscitate* אובות oboth, *spiritus fatidicos, & divinos qui murmurant & susurrant? Annon populus Deum suum sciscitabitur?* Quare *pro viventibus ad mortuos* itis? Necyomantis vide præclaram descriptionem apud *Lucanum*. Lib. VI. Videtur autem אוב propriè spiritum significare, cujus significationis supersunt vestigia in Lingua Arabica, in qua אובן *aubon*, sive *aub* cum *Be nunnato*, *ventum* significat. Hinc אובות sunt apud Jobum *utres*, qui *vento* solent inflari, Cap. XXXII, 19. Fortè & postea אובות *oboth* dictæ sunt, compendio quodam sermonis, quæ propriè בעלות אובות *dominæ oborum*, seu spirituum dicendæ fuissent.

Præscios] ידענים *jidhonim*, à ידע *scivit*, quòd se hominibus ignota scire profiterentur.

32. *Coram canitie*] Hoc est, homine cano. Onkelos, ex Thalmudicorum sententia: *Coram eo qui doctus est in Lege surges, & honorabis faciem senis*, quasi, nempe, זקן *zaken* nomen sit generis cujusdam hominum, non verò ætatis. Ita & *Philo* & alii, quorum suffragia vide apud *Joan. Seldenum* de *Synedriis Judæorum* Lib. I. c. 14. Malim de ætate intelligere, ut Moses egregium Ægyptiorum institutum confirmet, de quo *Herodotus* Lib. II. c. 80. his verbis: Συμφέρονται ϗ τόδε ἄλλο Αἰγύπτιοι Ἑλλήνων μούνοισι Λακεδαιμονίοισι. οἱ νεώτεροι αὐτῶν τοῖσι πρεσβυτέροισι συντυγχάνοντες εἴκουσι τῆς ὁδοῦ, ϗ ἐκτράπονται, ϗ ἐπιοῦσι ἐξ ἕδρης ΥΠΑΝΙΣΤΕΑΤΑΙ: *congruunt præterea in hoc cum solis Græcorum Lacedæmonibus Ægyptii, quòd minores majoribus natu obvii cedunt de via, ac deflectunt, advenientibúsque è sedili* ADSURGUNT.

Revereberis Deum tuum] Hoc est, senili infirmitati, quòd superior sis viribus, non illudes; sed timebis Deum, qui eorum ultor est qui se defendere non possunt.

33. *Peregrinus*] Religionem vestram amplexus, ut alibi semper. Vide not. ad Exod. C. XII, 19.

35. *In dimensione*] Eorum quæ pede, aut ulnâ mensurantur, ut pannus, aliáque similia. Habet Moses hîc מדה *middah*.

In mensura] Cavâ, nimirum, quâ sicca, ut legumina, & liquores, ut vinum, oleum, lac &c. metiri soletis. Est משורה *mschourah*.

36. *Statera justa*] *Justitiæ*.

Pondera justa] *Lapides justitiæ*, quòd cæsis lapidibus ponderum loco uterentur.

XVIII. *Superiores aliquot leges pœnis sancit Deus, Hebræósque ad obsequium sibi præbendum hortatur.*

CAPUT XX. 1. ALLOQUUTUS quoque est Jehova Mosem, his verbis: 2. dices etiam Israëlitis: quicumque ex Israëlitis, aut ex peregrinis in Israële peregrinantibus, dederit ex prole sua Molecho, morte pœnas luet. Populus terræ eum lapidibus obruet. 3. Ego in eum hominem iram meam convertam, atque ex suo populo eum exscindam, quia ex prole sua dederit Molecho, ut sacratium meum profanaret, & sanctum nomen meum pollueret. 4. Quod si populus regionis conniveat erga virum illum, cùm dederit ex prole sua Molecho, ut ne eum interficiat; 5. ego verò itam meam in eum & in ejus familiam convertam, eúmque & omnes impuro cultu *alienum Numen* post eum colentes, qui impurè Molechum coluerint, ex populis suis exscindam. 6. Qui se converterit ad spiritus *fatidicos* & præscios, ut post eos impuro cultu *aliena Numina* prosequatur, in eum etiam hominem convertam iram meam, eúmque exscindam ex populo suo. 7. Sanctimoniæ studebitis & eritis sancti, nam sum Jehova Deus vester. 8. Servabitis mea instituta, eáque facietis; *nam* sum Jehova, qui vos sanctos esse jubeo.

9. Quicumque patri suo, aut matri suæ malè precatus fuerit, morte adficietur; patri & matri imprecatus erit, cædis ejus *causa* in ipso *erit*.

10. Vir qui adulterium commiserit cum uxore alius viri, adulter qui mœchatus fuerit cum uxore proximi sui & adultera morte adficientur.

11. Vir qui cubuerit cum uxore patris sui, nuditatem patris retexerit, ambo morte adficientur, cædis eorum *causa* in ipsis *erit*.

12. Vir qui cubuerit cum nuru sua, *ipse & nurus*, ambo morte adficientur, incestum enim admiserint, *causa* cædis eorum in ipsis erit.

13. Vir

PARAPHRASIS.

1. LEGIBUS nonnullis latis pœnas addidit Deus delinquentibus infligendas, quas, audiente Mose, his verbis extulit: 2. Si quis ex Israelitis aut peregrinis, in Israelitico agro degentibus, & Hebræorum Religionem amplexis, liberos suos Sacerdotibus Molechi, in honorem ejus adolendos, tradiderit, capital esto; populus eum lapidibus obruito. 3. Si hoc ejus facinus popularibus ejus ignotum sit, ne tamen propterea impunè se abiturum esse sperato; ego enim, quandoquidem tabernaculum, noménque meum ita spreverit, eum è medio tollam. 4. Si verò contigerit populum Hebræum, quamvis probè factum ejus norit, de eo pœnas, quas dixi, sumere nolle, 5. nec eum hominem, nec eos qui eum imitati fuerint ampliùs in vivis esse patiar. 6. Quicumque sagas aut hariolos, alienis Diis sacra facientes, consuluerit, & eorum idololatriâ se inquinarit; eum similes mihi pœnas, quamvis vindictam hominum effugerit, daturum esse scito. 7. Sanctioribus moribus, quandoquidem is est Deus tuus, qui quod facturum se prædixit semper exsequitur, 8. reliquis omnibus Gentibus esto, atque ex meis institutis vivito.

9. Quicumque parentibus malè precatus fuerit, si eum accusent parentes coram populo, capital esto.

10. Adulterium quisquis commiserit, seu vir, seu fœmina, capital esto.

11. Quis-

COMMENTARIUS

In Caput XX.

2. DEderit Molecho] Comburendam. Vide not. ad Cap. XVIII. Hîc pœnas variarum Legem antea propositarum profert Moses.

Morte pœnas luet] מות יומת moth joumath, *morte adficietur.*

Lapidibus obruet] Quæ erat, post vivicomburium, gravissima pœna. Hîc autem erant & Idololatria & Homicidium.

3. *Iram meam convertam*] *Ponam faciem meam in virum.* Vide not. ad Cap. XVII, 10. Quamvis Moses hæc dicere jubeatur Israelitis, Deus ipse, more Hebraïco, loquens veluti ore Mosis inducitur. Vide ad v. 2. superioris Capitis. Hæc videntur intelligenda de peccato ignoto, aut cujus ille convinci nequeat.

Profanaret] Polluebatur enim Sacrarium eorum peccatis, inter quos statutum erat. Vide Cap. XVI, 18. Sanctè verò habebatur, si qui circa degebant Deo obsequentes essent.

Sanctum nomen meum] *Nomen sanctitatis meæ.* Vide not. ad Cap. XVIII, 20.

4. *Conniveat*] *Abscondat oculos suos ab eo viro*; hoc est, simulet se nescire quid fecerit, nolitque quæstionem hac de re haberi.

5. *Impuro cultu*] *Fornicantes post* &c.

6. *Ad spiritus fatidicos*] Vide not. ad Cap. XIX, 31.

7. *Eritis Sancti*] התקדשתם *hithkaddaschthem* Samaritæ habent: והייתם קדשים ut LXX. ἔσεσθε ἅγιοι.

8. *Sanctos esse jubeo*] מקדישכם *makdischchem.*

Ea

13. Vir qui concubuetit cum masculo, concubitu mulieris, *ipse & cynædus* rem de-
testandam admiserint; ambo morte adficientur, in ipsis erit *causa* eorum cædis.
14. Vit qui duxerit mulierem & matrem ejus, nefas admiserit, eum & illas igne
comburent, neque inter vos nefas etit.
15. Vit qui concubuerit cum pecude morte adficietur, & ipsam etiam pecudem
occidetis.
16. Mulierem quæ accesserit ad ullam pecudem, ad concumbendum cum ea, occi-
des, & pecudem etiam; *ambo* morte adficientur, cædis eorum *causa* in iis erit.
17. Vit qui duxerit sororem suam filiam patris sui, aut filiam matris suæ, viderit-
que nuditatem ejus mulietis, & ipsa nuditatem ejus viri, crimen probrosum admise-
rit, exscindentur coram popularibus suis, retexit ille nuditatem sotoris suæ, pœnas
peccati sui feret.
18. Vir qui cubuerit cum muliere *menstruo fluxu* languida, retexerit ejus nudita-
tem, nudarit ejus venam, & ipsa revelarit venam sanguinis sui, *admiserit nefas*, & am-
bo ex populo suo exscindentur.
19. Nuditatem sororis matris tuæ, aut nuditatem sororis patris tui non reteges; qui
carnem ejus retexerit, *ipse & illa* peccati pœnas ferent. 20. Vit qui concubuerit cum
amita sua, nuditatem patrui sui retexerit, ambo pœuas peccati sui luent, orbi mo-
rientur.
21. Vit qui duxerit uxorem fratris sui, fœditatem admisetit, fratris sui nudita-
tem retexetit, *ambo* orbi erunt. 22. Observabitis omnia mea instituta & omnia
mea jura, eáque facietis; neque evomet vos ea terra, in quam vos intromissurus
sum, ut in ea habitetis. 23. Neque instituta gentium, quas è conspectu vestro ex-
pellam, sequemini; hæc omnia enim cùm fecissent, eatum sum pertæsus.
24. *Hoc* vobis dico: possidebitis earum tetram, eam ego vobis possidendam da-
bo,

11. Quisquis cum ea, quæ patris soi uxor fuit, concubuerit, ei & mulieri capital esto.
12. Quisquis cum ea, quæ fuit ourus sua, concubuerit, unà cum muliere capite pœnas luito.
13. Si quis Pæderastes aut Cynædus uefandi concubitûs arguatur, utrique capital esto.
14. Si quis cum filia & matre nuptias coutraxerit, & ipse & mulieres igne comburuntor, neque populus Hebræus uefas hoc in agro suo impunè committi patitor.
15. 16. Si vir, aut mulier cum pecude rem habuerit, capital esto, simûlque brutum occiditor.
17. Si frater & soror utroque parente eodem, aut alterutro nati, coierint, pœnas uterque morte luito.
18. Vir qui rem habuerit cum muliere, dum immunditie menstruâ laboraret, unà cum muliere morte adficitor.

19. Qui cum sorore alterutrius parentis concubuerit, unà cum illa, morte pœnas luito. 20. Qui verò eam, quæ patrui, aut avunculi uxor fuit, duxerit, se sine ullis ex eo matrimonio liberis fato functurum esse scito.
21. Qui fratriam repodiatam, fratre vivente, aut post mortem fratris, prole ooo destituti, duxerit, is similes pœnas à Deo exspectato. 22. Jura hæc omnia & præcepta à Deo tradita observato, securúsque in agris, quibus te donaverit, vivito. 23. Instituta Gentium ex iis expellendarum oe sequitot, propterea enios à Deo ex avitis prædiis deturbantur.
24. Fertilissimam terram, observatis legibus divinitus traditis, incolito, téque ea de causa ut à ceteris populis seorsim viveres, sejunctum esse à Deo scito. 25. Ne iis misceri posses, discrimen inter animalia munda & immunda constituit, quæ illi con-

Ea sæpe est vis conjugationis Hiphil, quæ non modò actionem sed & imperium significat. Vide Sup. XIV, 41. Durum esset dicere *estote sancti, nam vos ego sanctos facio.* Posset etiam verti *consecravi*, & tum subaudiendum esset לי *mihi.*

9. *Patri suo* &c.] Vide uot. ad Exod. XXI, v. 17.

Cædis ejus causa] דמיו damau *sanguines ejus*, passim דמים *cædem* souat. Sed quis intellexisset, *cædes erit in ea?* Itaque sensus Hebraïsmi, cùm non dubius esset, fuit exponendus; sic LXX. Iott. ἔνοχοί εἰσι, *reus est.* Oukelos קטלא חיב *mortis reus.* Vulg. *sanguis ejus super eo erit.* Hoc est, nou poterit queri se morti injustè damnari, aut odio aliorum ad supplicium duci, ipse causa erit suæ necis.

In ipso] בו *bo*, Ezekiel in simili phrasi habet עליו *balau*, super eo. Cap. XXXIII, 4, 8.

10. *Qui adulterium*] Vide uot. ad Exod. C. XX.

11. *Cum uxore patris*] Quæ fuerit uxor, seu repudiata sit, aut vidua; nam alioqui sub adulterio hoc crimen cootioetur. Idem, circa sequens caput hujus legis, observandum.

12. *Incestum*] תבל thebel, *mistionem*; miscuit eos qui sine scelere non possunt misceri. Vide uot. ad Cap. XVIII, 23.

14. *Igne comburent*] Est gravissima pœna, si viventi infligatur. Ac sanè atrox est hoc scelos, sed mirum in sequenti commate, ubi de ctimine non minore sermo est, *mortem* dumtaxat reo denunciari, si verum est Rabbinicum axioma: קל מיתה האמורה בתורה סתם אינה אלא חנק *vox mors posita in lege absolutè nihil est nisi strangulatio.* Æquè enim gravi ctimini pœna æqoè gravis erat statuenda. Nescio annou etiam gravius scelus sit coucumbere cum bruto. Certè

bo, terram lacte & melle fluentem. Ego sum Jehova Deus vester, qui vos à populis *ceteris* sejunxi. ²⁵· Distinguetis pecudem mundam ab immunda, mundam avem ab immunda, neque abominatione contaminabitis animas vestras pecude, aut ave, ullóque *animali* quod in terra repet, quæ vobis distinxi *ab aliis*, quasi immunda. ²⁶· Eritis mihi puri, ego enim Jehova purus sum, & vos à populis sejunxi, ut mihi sitis *peculiares*.

²⁷· Vir aut mulier in quibus erit spiritus *fatidicus*, aut præscius, morte adficientur, lapidibus eos obruent, cædis eorum *causa* in illis *erit*.

XIX. Le-

confundere solent; itaque eorum conviviis ne adesto, néve ullâ ratione immundam carnem degustato. ²⁶· Quandoquidem Deus ejus puritatis observantem te esse vult, & sejunctum ab aliis populis, innumeris sceleribus contaminatis, vitam agere, purus esto, & seorsim agitatu.

²⁷· Quisquis se spiritum fatidicum habere profitebitur, & divinandi artem exercebit, seu vir, seu mulier sit, ei capital esto.

P A-

tè multis videbitur. At parum certum est axioma Rabbinicum, nec sibi ipsi satis constant; nam ad versum sequentem *Jonathan* habet hominem debere mori באטלות אבנין *lapidatione*. Sic autem cremationis supplicium describunt: *Damnatum fimo immergunt usque ad genua. Linteum postea durum molli involvunt, quod collo ejus circumponitur, & à duobus testibus ejus hinc atque inde trahitur, usque dum os dehiscat. Tunc instillant stannum & plumbum, & similia, quæ in os illius liquida descendunt, & viscera ejus comburunt.* Ita *R. Levis Barcinonensis*, & alii; quod tamen supplicium vix potest שריפה *combustio* vocari. Vehementer dubito an ejusmodi supplicium esset, apud veteres Hebræos.

15. *Morte adficietur*] Vide not. ad antecedentem versum.

Ipsam etiam pecudem] Ut major flagitii hujus ostendatur detestatio, non quòd brutum sit pœnæ capax. Vide not. ad Exod. XXI, 28. & quæ prolixè habet, hac de re, *Joan. Seldenus* de Jure N. & G. Lib. I. cap. 4. *Jonathan* hîc de bruto: תקטלון בקלפי *occidetis id fustibus.* Alii utrumque lapidibus obrutum volunt.

17. *Crimen probrosum*] חסד *bhesed*, quod *benignitatam* ut plurimum sonat. At LXX. Intt. ὄνειδος habent, Vulg. *rem nefariam.* Onkelos קלנא *ignominia*, *Jonathan* גנ״י *turpitudo.* At Thalmudici solito sensu interpretantur, & ita intelligunt, quasi tacitæ objectioni occurreret Deus, in hanc sententiam; ne objeceris Adami liberos connubia miscuisse, erat enim חסד eo tempore, hoc est, indulgentiâ tolerabatur, ut genus humanum propagaretur, nunc verò non amplius licet. Verùm longè petita, & contorta est ea interpretatio, de qua vide *Joan. Seldenum* de J. N. & G. Lib. V. c. 8. Credibilius est חסד, si modò sanus sit locus, esse inter eas voces quæ, apud Hebræos, contraria significant, ut ברך, *benedicere*, quod in *Pihel* est *maledicere*, חטא *peccare* in *Kal*, in Pihel *expiare.* Frequens est sequior significatio & radicis חסד *bhasad*, & derivatorum ejus, apud Chaldæos & Syros.

Exscindentur] Occidentur.

Coràm popularibus suis] *In oculis filiorum populi sui.*

18. *Venam*] מקור *makor*, quod propriè *fontem sonat*, sed *venam* videtur hîc significare, quæ est fons sanguinis. Hiant, scilicet, eo tempore venæ, ex quibus sanguis erumpit. LXX. Intt. prius verterunt πηγὴν, posterius ῥύσιν.

Admiserit nefas] Quasi, nempe, legeretur זמה היא *zimmah hi*, quod alibi expressum hîc manifestò subaudiendum est.

20. *Orbi morientur*] ערירים *baririm* ἄτεκνοι, ut habent LXX. Intt. Sic & alii, ac sanè is est sensus vocis Gen. XV, 2. At hîc mirum est Deum pœnam à se solo infligendam hisce nuptiis minitari, cùm cetera illicita connubia Magistratibus plectenda mandarit. Mirum etiam est pœnæ genus, quo factum ut Intt. in varias iverint sententias. Rabbini observant, si quis cum uxore patrui, vivo patruo, coëat, utrumque strangulari; sed hoc est propriè adulterium, eáque adulterii pœna. At verò, iisdem judicibus, אחר מות דודו במזיד חייב כרת *post mortem patrui ejus, in superbia eum ea concumbens reus est exscisionis*; nempe, si res homines fugiat, à Deo ipso infligendæ: ואם יש עדים לוקה *si sint testes, flagellatur.* Vide *J. H. Hottingerum* ad Leg. CC. Alii volunt illico occidendos fuisse à Judicibus, antequàm possent habere liberos; sed si hoc ignoraretur, quid fieri oportebat? Quis credat mulierem gravidam, ante partum, occisam? Alii spurios habitum iri liberos ex eo matrimonio natos. Sic Scholiastes Vaticanus: οὐ λογισθήσεται τὸ σπέρμα αὐτῶν εἰς τέκνα. Sed ejusmodi pœnæ nulla alibi mentio. Malim dicere Deum hic minari pœnam sterilitatis, & mitiore hac pœnâ honori Mosis & Aharonis consuluisse; erant enim nati ex matrimonio, quod Hamramus cum Amita Jokabeda contraxerat. Exod. VI, vers. 20.

Fœditatem admiserit] נדה היא niddah hi, *fœditas hæc.* Vide not. ad Cap. XII, 2.

Orbi erunt] Pro יהיו erunt, Samaritæ hîc quoque habent ימותו morientur, ut LXX. Intt. ἀποθανοῦνται. Pœna mitior, ut in superiore Capite Legis, eò quòd fratria non semper illicita fratri censeretur; quandoquidem mortuo, sine liberis, fratre, levir prolem ei progenerare jubebatur, ut docet Moses Deut. XXV, 5. Intelligenda autem sunt hæc verba de fratria repudiata, quamvis vivat qui vir ejus fuit; aut post mortem ejus, si liberos reliquit. Nam si frater concubuisset cum uxore fratris, non dissoluto matrimonio, adulterium fuit morte plectendum. Attamen Rabbini aliam pœnam statuunt;

שוכב

XIX. *Leges de Sacerdotum luctu, conjugiis, filiabus, & posteris Aharonis quibus Sacerdotali munere fungi non licuit.*

1. DIxit quoque Deus Mosi: dic sacerdotibus Aharonis filiis: propter mortuum, inter populares suos, non polluet se *Sacerdos*; 2. nisi ob conjunctos proximâ consanguinitate, matris, patris, filii, filiæ & fratris causâ. 3. Contaminabitur etiam ob sororem virginem, quæ ei proxima est, nec dum viro CAPUT XXI.

PARAPHRASIS.

1. HAs quoque Leges, ad Sacerdotes pertinentes, Moses, Deo jubente, tulit. Sacerdotes, funeris causâ, ne polluuntor; 2. nisi si eorum parentes, liberi aut fratres mortui sint, 3. aut etiam

שוכב את אשת אחיו חייב כרת אם מזיד *concumbens cum uxore fratris sui reus est exscisionis, si superbè fecit.* Verba sunt *R. Levis* ad Leg. CCII. Sic & *Josephus Francus*: *Que nadie cometa incesto con la muger de su hermano, so pena de morir ambos garrotados; pero despues de muerto dexando generacion, padeceran ambos tajamento de alma.* Sed præter hoc ad verba textûs, ut ea liberiùs vertit: *moriran sin successiõ*, adnotat: *antes de padecer la punicion de taiamento de alma, la qual no le puede faliar, segun lo ha decretado la S. S. en Cap. XVIII.*

22. *Intromissurus*] מביא mebi, *intromittens.* De re proximè futura, ut Gen. Cap. VI, 17. & vers. seq.

23. *Sequemini statuta*] *Ibitis in statutis.*

Expellam] משלח *mschalleahh*, emittens, vide v. antecedentem.

Earum sum pertæsus] ואקץ בם *veakouts bam.* Non potui ampliùs ferre ut fertilem regionem securè incolerent. Vide 1. Reg. XI, 25.

24. *Hoc vobis dico*] ואמר לכם & *dicens vobis.*

Terram lacte & melle fluentem] Vide not. ad Exod. Cap. III, 8.

Sejunxi. 25. *Distinguetis* &c.] Hinc colligere est discrimen animalium eo potissimùm fine institutum, ut Israëlitæ seorsim ab aliis Gentibus agitarent, de qua re diximus ad Cap. XI. initium.

Abominatione contaminabitis] תשקצו *theschakketsou.* Vide not. ad Cap. XI, 43.

Quasi immunda] לטמא ltamme, *in immundum*, id est, ut sit immundum.

26. *Puri*] קדשים *kdoschim.* Vide not. ad Cap. XI, 44.

27. *Spiritus faticidus*] Vide not. ad Cap. XIX, vers. 31.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXI.

1. P*Ropter mortuum*] לנפש lnephesch, *in animam*, quod frequenter pro cadavere sumitur.

Polluet se] Adsidendo cadaveri, aut id contrectando. Similia apud Ethnicos credita, quæ cùm animis Hebræorum altiùs insedissent, se se eis adcommodavit Legislator. *Porphyrius*, in Epist. ad Anebonem Prophetam Ægyptium, meritò quærebat τί γὰρ δήποτε νεκροῦ μὲν ἀθιγῆ δεῖ εἶναι τὸν ἐπόπτην, διὰ δὲ νεκρῶν ζώων τὰ πολλὰ αἱ θεαγωγίαι ἐπιτελοῦνται; *quare oporteat*, ex Ægyptiorum, nempe, disciplina, *Epoptam cadaver non adtingere, cùm mortuis animalibus in Deorum evocationibus pleraque peragantur?* Neque hoc solvere potest *Jamblichus*, Sect. VI. c. 1. de Myster. inepta enim sunt quæ reponit. Inanis quoque esset labor eorum, qui vellent harum consuetudinum originem quærere; in tanta veterum monumentorum, quod adtinet ad Orientis opiniones & mores, jactura. Fortè primùm immundum judicatum est cadaver humanum, quòd sæpe fœteat, præsertim in calidiore cœlo; inde qui munditiem præ ceteris, Symbolica de ratione, sectabantur, ab ejus contactu abstinuerunt, imò & visu funestatos se esse existimarunt. Fortè hoc institutum, ut à cæde alieniores fierent homines, cùm cadaveris humani tactum, imò & interdum conspectum, pollutionis esse causam viderent. Si enim hisce homines impurabantur, quanto magis cæde? Sed nihil definimus.

Vetantur autem hìc se promiscuis funeribus Sacerdotes funestare, quia à funestatis obiri sacra munia nequivissent; adeóque potuisset contingere, pollutis Sacerdotibus, sacrificia quotidiana, aliáque intermitti. Multæ aliæ Gentes similia senserunt, nec funeribus sine pollutione adesse se posse ratæ sunt; quo fiebat, ut aliquamdiu à Templis postea abstinerent. Auctor Libelli *de Dea Syria*, de Sacerdotibus Deæ: Ἐὰν ἀποθάνῃ Γάλλος, οἱ ἑταῖροί μιν ἀείροντες, ἐς τὰ προάστεια φέρουσι. θέμενοι δὲ αὐτὸν — τάδε πρήξαντες ὀπίσω ἀπονοστέουσι. Φυλάξαντες δὲ ἑπτὰ ἡμερέων ἀριθμὸν, οὕτω ἐς τὸ ἱρὸν ἐσέρχονται. πρὸ δὲ τουτέων ἢν ἐσέλθωσι οὐχ ὅσια ποιέουσι: *si moriatur Gallus, socii eum tollentes in suburbia* (Hierapoleos) *ferunt, eóque posito — his factis redeunt. Observato dein septem dierum numero, sic templum ingrediuntur; ante quos si ingrediantur, nefas faciunt.* Apud eumdem hæc sequuntur verba: Νόμοισι δὲ ἐς ταῦτα χρέωνται τοιοῖσιν. ἢν μέν τις αὐτέων νέκυν ἴδηται, ἐκείνην τὴν ἡμέρην ἐς τὸ ἱρὸν οὐκ ἀπικνέεται· τῇ ἑτέρῃ δὲ καθήρας ἑωυτὸν, ἐσέρχεται. αὐτῶν δὲ τῶν οἰκηίων τοῦ νέκυος ἕκαστοι φυλάξαντες ἀριθμὸν ἡμερέων τριήκοντα, καὶ τὰς κεφαλὰς ξυράμενοι, ἐσέρχονται. πρὶν δὲ τάδε ποιῆσαι, οὔ σφισιν ἐσιέναι ὅσιον: *His autem ad hæc legibus utuntur. Si quis ipsorum cadaver aliquod adspexerit, illo die ad templum non accedit, sed postero purgatus ingreditur. Eorum autem, qui* ex

viro fuit *nupta*. 4. Immundus non fiet, inter populares suos, ut polluatur maritus. 5. Non inducent calvitiem capiti suo, neque barbæ extremitatem radent, neque incisionem in carne sua facient. 6. Sacri erunt Deo suo, neque profanabunt nomen Dei sui; quandoquidem oblationes igne absumendas Jehovæ, cibum Dei, offerentes erunt puri.

7. Mulierem meretricem, aut vitiatam non ducent, neque mulierem à viro suo repudiatam, quia sacri sunt Deo suo. 8. Sacerdotem sacrum habebis, quia cibum Dei

etiam sorores virgines. 4. At propter uxorem, ne funestantor. 5. Ne in funere, cujus causâ pollui eis licebit, caput, aut barbam radunto, aut carnem suam incidunto. 6. Sacros se Deo esse, & nonnisi ab hominibus munditiei studiosis Sacra fieri oportere intelligunto; ideóque, susceptis temerè pollutionibus, rem divinam ne profananto.

7. Mulierem quæ corpore quæstum fecerit, aut cui vitium oblatum sit, aut quæ ab alio repudiata fuerit, ne ducunto, sed se sacros Deo esse recordan-

ex familia mortui sunt, unusquisque nonnisi post trigesimum diem rasóque capite ingreditur. Priusquam autem hæc fecerint, illis jus non est introire. Similes opiniones, apud Græcos & Romanos, fuere, ut constat ex iis quæ à viris doctis sunt collecta. Vide *Hug. Grotium* ad vers. 10. hujus Capitis, & *J. Lomejerum* Lib. de Lustrationibus Cap. XVI. Nos hîc Orientalium mores dumtaxat spectamus, nec ad Occidentales confugimus, nisi ubi nobis ex Oriente desunt exempla.

Sacerdos] Hîc nominativus manifestò, cum Vulg. Interprete, supplendus, & de gregario Sacerdote intelligendus; ut liquet ex vers. 10. ubi contraria de Pontifice Maximo habentur.

2. *Conjunctos proximâ consanguinitate*] *Carnem propinquam ei. Caro* vocantur consanguinei & adfines proximi, Cap. XVIII. LXX. Intt. *ἐν τῷ οἰκείῳ τῷ ἔγγιστα αὐτῶν*, Vulg. *in consanguineis & propinquis. Onkelos :* לקריביה דקריב ליה *propinquis, qui sunt ei propinqui.* At Jonathan לאנתתא דקריבא לגופיה *uxori quæ proxima corpori ejus*, & sic recentiores Rabbini, sed malè. Vide ad vers. 4.

3. *Ob sororem virginem*] Quæ etiamnum in paterna domo fuerit, & cujus funus debebit curare; si verò nupta fuerit, munus hoc ad virum ejus pertinebit.

4. *Immundus non fiet* &c.] לא יטמא בעל בעמיו להחלו *lo jittamu bahal behammau lehehhallo.* Ad verbum vertimus, nec videtur aliud velle Legislator, nisi Sacerdotem non pollutum iri, cùm erit maritus, propter uxorem suam. Verba hæc alium sensum non capiunt, cùm antea sex tantùm personæ enumerentur, quorum funere pollui non licebat Sacerdotes; mater, pater, filius, filia, frater & soror virgo. Scio quidem Rabbinos intelligere שארו *schero* vers. 2. *carnem ejus* de uxore; sed ea vox generalis est adpellatio, quâ continentur sex quæ postea memorantur personæ, ut adparet vel ex ipsa loquutione: *nisi ob carnem propinquam ei* לאמו *leimmo*; si enim uxor illis verbis significaretur, dicendum fuisset ולאמו *& matrem.* Sic intellexerunt LXX. Intt. Vulgatus & Onkelos, quorum auctoritas, cum ratione conjuncta, multò majoris est apud nos ponderis, inani traditione Rabbinorum recentiorum. Quæ cùm ita sint, mirum est usque adeò æstuasse Intt. οἱ LXX. in hoc loco pro בעל habent *ἐξάπινα subito*; Vulgatus, *in principe populi sui.* Onkelos, רבא rabba, *princeps.* Jonathan, *maritus pro uxore sua, nisi cùm legitima illi fuerit.* Vide quæ habet *Lud. Cappellus*, in notis Criticis ad hunc locum. Nobis satis est invenisse sensum verborum Mosis, alii Translationum verba, si lubeat, interpretentur.

Confirmatur hæc nostra expositio loco Ezek. XLIV, 25. ubi pro sex memoratis dumtaxat polluere se debere Sacerdotes dicuntur, omissâ uxore. At ex eodem Propheta alii contrarium probare nituntur, eò quòd, quamvis Sacerdos esset, vetetur uxorem lugere, veluti aliquid insolitum facturus, Cap. XXIV, 16, 17, 18. At hoc inusitatum esse potuit in Captivitate, ubi Sacerdotes, omni muneris functione destituti, funere & luctu se se poterant polluere, ut ceteri Israëlitæ. Sola enim ratio, ob quam vetitum iis erat promiscuo funere pollui, videtur fuisse ne Sacra funestarentur, aut intermitterentur; quæ ratio, in Captivitate, nullius erat ponderis, cùm Sacra ab iis nulla fierent.

Itaque Sacerdotibus, funere uxoris, pollui non licuit, apud Hebræos, ut nec apud Romanos. Auctor est *Plutarchus* in Sulla, cùm decimam bonorum Herculi consecraret Sulla & epulum præberet populo, eum ne funestaretur uxorem dimisisse. *Διὰ μέσου δὲ τῆς θοίνης πολυημέρου γινομένης, ἀπέθνησκεν ἡ Μετέλλα νόσῳ· καὶ τῶν ἱερέων τὸν Σύλλαν οὐκ ἐώντων αὐτῇ προσελθεῖν, οὐδὲ τὴν οἰκίαν τῷ κήδει μιανθῆναι, γραψάμενος διάλυσιν τοῦ γάμου πρὸς αὐτὴν ὁ Σύλλας, ἔτι ζῶσαν ἐκέλευσεν εἰς ἑτέραν οἰκίαν μετακομισθῆναι. Medio hoc epulo, quod multorum fuerit dierum, decessit ex morbo Metella. Quia verò vetuerunt Sacerdotes illum eum adire, vel funere domum ejus pollui, misit ei libellum repudii Sylla, jussitque spirantem adhuc in aliud domicilium transferri.*

5. *Non inducent calvitiem*] Ut solebant vicinæ Gentes in luctu, exceptis Ægyptiis, qui semper tonsi erant, promittebántque capillum in luctu. *Herodotus* Lib. II. c. 36. *Οἱ ἱρέες τῶν θεῶν τῇ μὲν ἄλλῃ κομέουσι* (ut apud Hebræos, apud quos si non promissi, saltem non rasi erant capilli) *ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ξυρῶνται. τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι νόμος ἅμα κήδεϊ κεκάρθαι τὰς κεφαλὰς, τοὺς μάλιστα ἱκνέεται. Αἰγύπτιοι δὲ ὑπὸ τοὺς θανάτους ἀνεῖσι τὰς τρίχας αὔξεσθαι τάς τε ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ γενείῳ, τέως ἐξυρημένοι: Deorum sacerdotes alibi comati sunt, in Ægypto derasi. Apud alios homines more receptum est, ut in luctu statim capita tondeantur, ab iis quos potissimùm is attingit; at Ægyptii, in morte suorum, sinunt capitis barbæque pilos crescere, cùm alioquin antea tonsi fuerint.* Vide notat. ad Cap. XIX, 27.

6. *Pro-*

Dei tui offert, facer tibi erit; quia fanctus fum ego Jehova, qui vos facros *mihi* effe jubeo.

9. Filia facerdotis, cùm cœperit fcortari, patrem fuum polluet; *ideóque* igne comburetur.

10. Sacerdos fratribus major, in cujus caput effufum fuerit oleum unctionis, & qui fuerit inftructus poteftate induendarum veftium, caput fuum non nudabit, neque veftes fuas lacerabit. 11. Ad nullum cadaver veniet, ne patris quidem & matris

dantor, 8. quandoquidem rem divinam facere folent; ideóque Deo eam fanctimoniam poftulanti, puros & mundos fe fe præftanto.

9. Filia Sacerdotis, quæ fcortata fuerit, patrem fuum dehoneftaffe intelligitor, & igne pœnam luito. Hæ leges circa funera, matrimonia, filiafque inferioris ordinis Sacerdotum, funto.

10. Pontifex verò Maximus, oleo facro inunctus, & veftes fplendidiores ceteris induens, majoris puritatis ftudiofus efto. Tiaram è capite, privati luctûs causâ, ut id pulvere confpergat, ne abjicito, neque umquam Veftes Sacras ob funus lacerato. 11. Ne

6. *Profanabunt*] Aut *polluent*, funeftati, nimirum, ad ejus altare accedentes.

Cibum Dei fui] לחם *lebhem.* Vide not. ad Cap. III, 11. *Hieronymus*, & *panes*, quòd intellexerit de panibus Deo adpofitis; fed copula nulla eft in Hebræis Codicibus, & לחם quemvis cibum fignificat. LXX. Intt. habent δῶρα, & Oukelos קרבן *korban*, ut vitarent phrafin Ethnicam, quâ facrificia *cibus Deorum* dicebantur. *Homerus* Jovem de altari fuo ad Trojam ita loquentem inducit, Iliad. Δ. verf. 48.

Οὐ γάρ μοι ποτὲ βωμὸς ἐδεύετο ΔΑΙΤΟΣ *ἐΐσης,*
Λοιβῆς τε, κνίσσης τε. τὸ γὰρ λάχομεν γέρας ἡμεῖς.

Neque enim mihi umquam altare carebat convivio idoneo, libatione, nidoréque, hunc enim honorem nos confequuti fumus.

Erunt puri] קדש kodefch *fanctitas*, hoc eft, ἁγνοὶ, fine pollutione. Vide not. ad Cap. XI, verf. 44.

7. *Vitiatam*] חללה hhalalah, *profanatam*, βεβηλωμένην, ut habent LXX. Intt. Meretrix זנה *zonah* dicitur, quæ corpore quæftum facit, ut & קדשה *kdefchah*; חללה verò, feu *profanata*, cui vitium illatum eft, etiamfi nequaquam proftitit. Ita interpretatur *Jofephus* Lib. III. c. 12. *Γαμεῖν τὰς ἡταιρευκυίας ἐκώλυσε vetuit* (nempe, Sacerdotes) *ducere mulieres quæ proftitiffent*, hoc eft, זנות. Addit: *μήτε δούλην, μήτ' αἰχμάλωτον γαμεῖν αὐτοὺς κεκώλυκε,* (non *κεκώλυκα*) *καὶ τὰς ἐκ καπηλείας καὶ τοῦ πανδοκεύειν πεπορισμένας τὸν βίον, μηδὲ τὰς τῶν συνοίκων ἀνδρῶν ἐφ' αἷς δηποτοῦν αἰτίαις ἀπηλλαγμένας: nec fervam, nec captivam ducere iis permifit, nec quæ ex caupona, aut hofpitio publico vitam fuftentaffent, neque eas quæ à prioribus viris, quæcumque tandem effet caufa, repudiatæ fuiffent.* Has omnes fpecies videtur complecti vox חללה *hhalalah*, & fignificare virginitate imminutam, aut quam quis poffet non immeritò talem fufpicari. חלל Gen. XLIX, verf. 3. de Rubene, qui cum concubina patris concubuerat, adhibetur. *Jonathan* tamen aliter intellexit, habet enim: *Mulier errantem in fcortatione* ואתת ילדא מן פסוליא & *natam ex concubitu nefando, non accipietis, neque mulierem, quæ dimiffa eft five à marito, five à mariti fratre, non accipient.* Placita hac de re Thalmudicorum vide apud *Joan. Seldenum* de Ux. Heb. Lib. I. c. 7. & de Succeff. in Pontif. Lib. II. c. 2.

Sacri funt] Heb. mutato numero, *facer eft* קדוש הוא.

8. *Sacrum habebis*] קדשתו *kiddafchtho*, fanctificabis eum; hoc eft, ita Deo confecratum habebis, ut mifceri connubio cum aliquâ ratione pollutis non fis paffurus.

Sanctus fum] קדוש *kadofch*, hoc eft, ejus puritatis amans, cujus homines mihi confecratos obfervantes effe volo. Vide not. ad Cap. XI, 44.

9. *Cum cœperit fcortari* &c.] Duo hîc addunt Rabbini; nimirum, intelligunt de defponfa, eáque in ædibus paternis etiamnum habitante. Sic Jonathan: *Filia viri facerdotis* מארסא *defponfa, quando profanaverit corpus fuum, errando in fcortationibus, quamdiu eft domi patris fui.* Ita & alii Recutiti. Sed, Mofe tacente, fufpecta funt illa additamenta. Vide *Joan. Seldenum* de Ux. Heb. Lib. I. c. 16.

10. *Inftructus poteftate*] *Impleverit manum fuam.*

Non nudabit] יפרע *jiphrah*, hoc eft, non modò non tondebit crines, luctûs causâ, quod illicitum erat etiam reliquis Ifraëlitis; fed ne cidarin quidem abjiciet, ut cæfariem pulvere adfpergat, ut in luctu folebat fieri, ut diximus ad Cap. X, 6. Hoc licitum fuit aliis Sacerdotibus, in funere eorum, quos lugere iis licebat. LXX. Intt. habent hîc quoque ἀποκιδαρώσει, & Vulg. *difcooperiet caput.* Alius Græcus, οὐκ ἀπομιτρώσει. At Onkelos: לא ירבי פירוע *non alet cæfariem*, & fic alii Rabbini. Falluntur, ut manifeftum eft ex loco Ezek. Cap. XXIV, 17. ubi Deus ita Ezekielem Sacerdotem adloquitur: *mortuorum luctum ne celebrato, tiaram tuam fupra te ligato, calceos in pedibus tuis ponito*; unde liquet in luctu abjectam fuiffe tiaram.

Neque veftes fuas] Hoc eft, ut rectè obfervavit *Hug. Grotius*, in funere, quem vide ad Matth. XXVI, 65. Adde quæ habemus ad Gen. XXXVII, 29. Alioquin, in luctu publico, non videtur illicitum hoc fuiffe. Attamen vix crediderim umquam veftes facras lacerare Pontifici Maximo licuiffe. Vide & ad locum Matthæi *Henr. Hammondum.*

11. *Ad nullum cadaver*] *Ad omnes animas non veniet.* Vide not. ad verf. 10.

12. *E Sacrario non egredietur*] Funeris, nempe, causâ. Rabbini intelligendum effe hoc volunt, בשעת עבודה *tempore cultûs.* Vide quæ collegit *J. H. Hottingerus* ad Leg. CLVII. Verùm hoc fpectari non videtur, fed tantùm vetari Pontifex Maximus exire Sacrario, luctûs

tris causâ polluetur. 12. E sacrario non egredietur, neque polluetur sacratium Dei ejus, quia diadema olei unctionis Dei ejus super eo est; ego sum Jehova.

13. Hic uxorem virginem ducet; 14. nullam viduam, repudiatam, vitiatam, meretricem; sed virginem ex popularibus suis uxorem ducet. 15. Non profanabit prolem suam, inter populares suos; quia ego sum Jehova, qui eum consecravi.

16. Alloquutus etiam est Jehova Mosem his verbis: 17. alloquere Aharonem dicens; vir è tua sobole, in *futuras* ejus ætates, cui fuerit vitium, ne accedat ad offerendum cibum Dei sui. 18. Neque enim cui inerit vitium accedet, sive sit cæcus, sive claudus, sive mutilus, sive aliquâ redundantiâ insignis, 19. aut cui fuerit

11. Ne parentum quidem causâ, funestator. 12. A Sacrario numquam procul abito, ne fortè pollutus eo regressus id polluat. Se oleo & diademate sacro peculiari ratione Deo consecratum esse recordator, adeóque majorem sanctimoniam sectari se oportere intelligito.

13. 14. Hic nullam uxorem, nisi virginem ducito, eàmque præterea Israëlitico sanguine ortam esse oportere scito. 15. Hominis Deo sanctissimis ritibus consecrati, sanguinem, contracto cum peregrina matrimonio, contaminari non oportere scito.

16. 17. De Sacerdotum verò vitiis, Mosem has Leges ferre jussit Deus. 18. Cuicumque Sacerdoti inerit vitium, ex iis quæ memorabo, is ad Sacra facienda ne accedito. Qui fuerit aut cæcus, aut clau-

causâ; exeundo enim, etiam cultûs tempore, non pollueret Sacrarium, sed si morte suorum funestatus & pollutus regrederetur.

Diadema unctionis] נזר שמן משחה nezer schemen mischhhath, *diadema olei unctionis*, hoc est, diadema laminâ aureâ ornatum, de quo Exod. XXIV, 6. & conjunctum cum oleo sacræ unctionis; quia cùm id diadema primùm imponebatur Pontifici Maximo, inungebatur. Cùm funere, aut mortui contactu homines polluì crederentur, fierique inepti Sacrorum ritibus eo tempore celebrandis; Pontifici Maximo, qui peculiari ratione Deo consecratus erat, cavendum diligenter fuit ne eo modo pollueretur, adeóque Sacris adesse non posset.

13. *Uxorem virginem*] *In ejus virginitate.* Alii Sacerdotes viduam poterant ducere. Vide v. 7. *Josephus* loco laudato: τῷ ἀρχιερεῖ μέντοι ἤδη τεθνηκότος ἀνδρὸς ἐξῄρει γαμεῖν γυναῖκα, τοῦτο τοῖς ἄλλοις ἱερεῦσι συγχωρῶν. μόνην δ' αὐτῷ δίδωκε γαμεῖν παρθένον, καὶ ταύτην φυλάττειν: *Pontificem Maximum, ne mortui quidem uxorem ducere voluit, hoc tamen aliis sacerdotibus permittens. Solam permisit ei ducere virginem & eam servare.* Hæc tamen *Hugo Grotius* de quovis Sacerdote intelligenda vult, ob locum Ezekiel XLIV, 22. ubi Sacerdotes quivis vetantur viduas ducere, nisi quæ Sacerdotum essent viduæ. Quare connectenda hæc putat cum initio Capitis, ut quæ de Pont. Maximo dici cœpere commate 10. sumantur παρενθετικῶς, redeátque unde digressa erat oratio. Verùm hoc durum est, & aliò præstat confugere, ut Ezekielem cum Mose conciliemus; qua de re tempus erit agendi, cùm ad eum Prophetam devenerimus.

15. *Meretricem*] Ante vocem זנה zonah, videtur subaudienda conjunctio ו, quæ tribus superioribus vocibus præfigitur; nam זנה & חללה *vitiata* distinguuntur, ut modò vidimus. Exstat in Samaritico Codice, & expressa est à LXX. Intt. Sequitur *ex illis non sumet*, sed hæc verba satis expressimus.

Virginem ex popularibus suis] Similem legem, apud Athenienses, fuisse ex *Demosthene* ostendit *Hug. Grotius*, putátque à Phœnicibus ad Athenienses hanc & similes venisse, ab Hebræis verò ad Phœnices fuisse derivatam. Malim ab Ægyptiis rectà deducere, à quibus plurima in Atticam tulit *Cecrops*.

Non profanabit] Non miscebit cum peregrino sanguine, ut alii quibus captivas ducere licebat. Hoc fuisset prolem sacerdotalem viliorem facere, adeóque profanare. Vide placita Rabbinorum, apud *Joan. Seldenum*, de Success. in Pontific. Lib. II. c. 2.

17. *Cui fuerit vitium*] Ne vitio Sacerdotis, vulgo vilior cultus divinus fieret; ita enim comparatum est plebis ingenium, ut si spreverit Sacerdotem, spernat etiam divinum cultum à Sacerdote administratum. Solet autem plebs deformitate insignes aspernari, quantæcumque sint iis animi dotes; quippe quæ rebus quæ oculis subjiciuntur magis adficitur, quàm iis quæ solâ mente intelliguntur, quas etiam vix satis novit. Hinc Lex fuit Athenis θαλλοφόρους τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγεσθαι: *Senes Minervæ oleæ ramum Panathenæis gestantes formosos eligi.* Exstat apud *Xenophontem*, in Symposio. Altera apud eosdem lex fuit, quâ integro corpore Sacerdotes esse oportebat, ut docet Auctor *Etymologici Magni* in voce ΑΦΕΛΗΣ, quam ita exponit: ὁ ὑγιὴς τὸ σῶμα, καὶ ὁλόκληρος. οὕτω παρὰ Ἀθηναίοις: *sanus corpore, & integer. Sic apud Athenienses.* Deinde: οἱ βασιλεῖς, inquit, καὶ οἱ ἱερεῖς ἐδοκιμάζοντο Ἀθήνηθεν, εἰ ἀφελεῖς καὶ ὁλόκληροι: *Reges* (sacrorum causâ creati) *& sacerdotes examinabantur Athenis, num sani essent, & integro corpore.* Hinc intelligendus *Josephus* Lib. III. c. 10. Ed. Genev. aut. 12. Oxoniensis, ubi ait Historicus Deum jussisse Sacerdotes ἀφελεῖς εἶναι πᾶσαν ἀφέλειαν, hoc est, *sano prorsus corpore esse.* Quibus illico opponit τοὺς μὴ ὁλοκλήρους. Quod ideò monemus, quia nec *Sig. Gelenius*, nec alii Intt. *Josephum* intellexerunt. Vide & *Hesychium*, in voce ἀφελές.

18. *Mutilus*] חרם *hharoum*. LXX. Intt. κολοβόριν, *naso mutilus*; Vulg. *naso parvo vel grandi*: Samariticus סטיר *satir*, quod *mutilum* interpretantur; Jonathan דלקי בחוטמיה *dlaki bhhotemeh*, percussus in naribus suis; Thalmudici *simum* esse volunt. Vide *Joan. Seldenum* de Success. in Pont. Lib. II. c. 5. Nos *mutilum* maluimus vertere, quòd חרם Arabicè, inter alias significationes, sonet *resecare*, *amputare*.

Aliqua redundantiâ insignis] שרוע *scharouah*. LXX.

rit pes fractus, aut manus fracta, 20. aut gibbosus, aut gracilior æquo, aut vitiato oculo, aut scabie vel impetigine laborans, aut cui testis adtritus fuerit. 21. Quicumque vitio laborabit, ex sobole Aharonis sacerdotis, non accedet ad offerendas oblationes igne absumendas Jehovæ; vitium *cùm* ei *erit*, ad offerendum cibum Dei sui, non accedet. 22. Cibum tamen Dei sui, ex sacrosanctis, aut sacris comedet. 23. Sed ad siparium non veniet, neque accedet ad altare, quia in eo erit vitium; neque profanabit res mihi consecratas, sum enim Jehova, qui vos *mihi* sacros esse jubeo. 24. Moses verò alloquutus est Aharonem, ejúsque filios, & omnes Israëlitas, *quibus Dei mandata exposuit.*

XX. Le-

claudus, aut aliquâ parte mutilus, aut insignis redundantiâ quapiam, 19. aut fracto crure, vel brachio, 20. aut gibbosus, aut nimis macilentus, aut vitiosis oculis, aut scabie vel impetigine quavis laborans, aut spado, 21. Sacra Deo ne facito. 22. Attamen partem suam sacrorum ciborum ab aliis Sacerdotibus accipito, iisque vescitor. 23. At Sacrorum causâ, ad altare ne venito, néve Tabernaculum ingreditor. Deum Sacra sua reverentissimè haberi, nec populo, ob deformitatem Sacerdotum, ludibrio esse velle intelligito. 24. Moses has Leges, audientibus Sacerdotibus & populi Hebræi proceribus, à Deo acceptas, & scripto consignatas recitavit.

P A-

LXX. Intt. ὠτότμητος *habens aurem sectam.* Vulg. *torto naso.* Jonathan, *cui luxatum est femur.* Redundantiam significari hac voce putamus, cùm quòd videatur opponi voci חרום quæ *mutilum* significat; tum quòd varia derivata Arabicæ radicis שרע *sekaraba*, res prælongas denotent, ut שארעה scharhatou *longa hasta*, שראעיה schrahijatou *longo collo camela* &c. Neque hanc vocem, ac priorem ad vultum dumtaxat, aut nasum pertinere, sed & ad quodvis membrum mutilum, aut redundantiâ laborans censuerim. Vide *Sam. Bochartum* Hieroz. P. 1. Lib. 2. c. 46. quem, superioribus scriptis, similia sentire deprehendimus.

19. *Cui fuerit pes fractus*] *Fractio pedis, aut fractio manus.* Ad mactandas victimas, aliáque in Sacris administranda, dexteritate & viribus opus fuit; quibus præditi non sunt, quibus fracta fuerunt brachia, aut crura.

20. *Gibbosus*] גבן *gibben.* LXX. Intt. κυρτὸς, Vulg. *gibbus.* Onkelos גבין *gbin*, Samarita גבי *gbi*, quæ voces gibbosum sonant, unde Ps. LXVIII, 16, 17. הר גבננים *mons gibbosus.* At alii Chaldæi: דגבינוי חפיין עינוי *cujus palpebræ tegunt oculos*, quod obscurum est.

Gracilior æquo] דק *dak.* LXX. Intt. ἔφηλος *qui habet maculas, seu ἐφηλίδας in facie.* Vulg. *lippus* (quasi legisset רך *rach*) Onkelos חוקא, Samarita ננס *nanus.* Alii Chaldæi דלית ליה שער בגביני: *cui non sunt pili in palpebris.* Sed cùm constet דק *dak* esse *tenuem* & *macilentum*, præstat intelligere hominem tantæ gracilitatis, ut propterea deformis sit, aut infirmis viribus.

Vitiato oculo] תבלל בעיני *thbaloul behenو.* LXX. Intt. πτίλος τοὺς ὀφθαλμοὺς, hoc est, ut habet Hieronymus, *albuginem habens in oculo.* Onkelos חליז, Samarita מגלר, alii Chaldæi חילזון, *suffusionem*, interpretantur.

Scabie] גרב *garab.* LXX. Intt. ψώρα ἀγρία, quod est scabiei molestissimum genus; Vulg. *jugem habens scabiem*; Onkelos גרבן; Samarita servat vocem Hebraïcam; Jonathan: דמלי חרסין יבשין *qui plenus est scabie siccâ.* Radix, apud Syros & Arabas, *scabiosum* esse sonat.

Impetigine] ילפת *jallepheth.* LXX. Intt. λειχὴν, Vulg. *impetigo.* Onkelos חזזן *hhazazan*, Samarita חזזי *hazazi*, quæ eodem modo vertuntur. Jonathan verò: חזיתא מצריתא *impetigo Ægyptiaca.* Ac sanè impetiginis genus in facie, quod λειχὴν dicebatur Græcè, Ægyptiacus erat morbus, ut docet *Plinius* Lib. XXVI. c. 1. ubi eum ita describit: *Gravissimum ex his Lichenas adpellavere, Græco nomine; Latinè, quoniam à mento ferè oriebatur, joculari primùm lasciviâ, mox & usurpato vocabulo, mentagram; occupantem in multis totos undique vultus, oculis tantùm immunibus, descendentem verò & in colla, pectúsque ac manus, fœdo cutis furfure.* Vide & sequentia.

Testiculus adtritus fuit] מרוח אשך *mroahh eschech.* LXX. Intt. μόνορχις, Vulg. *herniosus.* Alii plerique consentiunt cum LXX. Intt. Magistri qui ne memorata quidem à Mose vitia quæ sint satis intelligunt, hoc tamen in negotio mirè, pro more suo, diligentiam suam venditant, & multò plura vitia hisce addunt, quæ vide apud *Joan. Seldenum* de Succeff. in Pont. Lib. II. c. 5.

22. *Ex sacrosanctis*] *Ex sanctitatibus sanctitatum.* Quales erant artus victimæ, panes adpositi, donarium farreum, quæ solis Sacerdotibus, in loco sancto, comedere licebat. Vide Sup. Capp. II, & VII.

Sacris] *Sanctitatibus*, hoc est, ex rebus, consecratis quidem, sed quas alii præter Sacerdotes, in loco puro quidem, sed non sacro, comedere poterant; ut decimas, primitias &c.

23. *Ad siparium*] Hoc est, Tabernaculum non ingredietur, ut quæ illic extra siparium Adyti facienda sunt administret.

Neque profanabit] Postquàm semel à Legislatore designati sunt homines, quibus solis ad altare accedere liceret; ceteri omnes in quibus ea non sunt, quæ postulant Leges, ut eo ministerio fungantur, altare profanare censentur, si ad id accedant, hoc est, instar rei profanæ habere. Hæ pollutiones pendent ex Legislatoris arbitrio; qui tamen ingenio se populi Hebræi adtemperavit.

Res mihi consecratas] מקדשי *sacraria mea*, Tabernaculum & altare, supellectiliáque quæ ad hæc pertinebant; alioqui quibusvis oblationibus vesci poterant, etiam sanctissimis; unde colligere est, non Sacrorum sanctitati, sed fastidiosis oculis imperitæ plebis hac Lege consultum fuisse.

24. *Al-*

fecratis, funt enim cibus ejus. [8] Cadaver & difcerptam pecudem, ut fe iis polluat, non comedet; ego fum Jehova. [9] Quod obfervari jubeo obfervabunt, neque pœnas peccati luent, aut in eo morientur, quòd eum *cibum* polluerint; ego fum Jehova, qui eos puros effe jubeo.

[10] Nullus alienus comedet rem confecratam, ne inquilinus quidem, aut mercenarius facerdotis. [11] Sed quem facerdos pecuniâ fuâ adquifiverit, is comedet, ut & qui domi ejus natus fuerit; hi pane ejus vefcentur. [12] Filia verò facerdotis, quæ nupta erit viro *à facerdotali profapia* alieno, rerum confecratarum oblatione elata non vefcetur. [13] Sed cùm filia facerdotis fuerit vidua, aut repudiata, nec erit ei foboles, & reverfa fuerit domum patris fui, ut in adolefcentia fua, cibo patris fui vefcetur, quamvis nullus alienus eum fit comefturus.

[14] Qui verò *alienus à facerdotali profapia* comederit rem facram, per errorem, addet quintam partem & reddet facerdoti rem confecratam. [15] Neque profanabunt Ifraëlitæ res facras, quas fuftulerint Jehovæ; [16] aut fibi pœnam noxæ contrahent, comedendo res fuas facras; fum enim Jehova, qui eos fanĉtos effe jubeo.

[17] Alloquutus etiam eft Jehova Mofem his verbis: [18] alloquere Aharonem, ejúfque filios & omnes Ifraëlitas, iifque dicito: quicumque ex domo Ifraëlis, vel ex peregrinis, qui in Ifraële erunt, offeret oblationem ex voto quovis, aut fpontaneo

cibum facrum polluentes morte pœnas luant. Puritatis ergo, quam eis commendatam vult Deus, ftudiofi funto.

[10] Ex rebus Deo confecratis, atque in ufum Sacerdotum cedentibus, peregrinus ullus, quamvis fit inquilinus, aut mercenarius in ædibus Sacerdotis, ne comedito. [11] At fervus ære Sacerdotis emtus, aut domi ejus natus, cibo quo vefci folebit Sacerdos, in ædibus fuis, vefcitor. [12] Filia tamen Sacerdotis viro ex aliena familia collocata, cibum facrum, ex oblationibus elatis, dum apud virum erit, ne comedito. [13] Sed cùm fuerit vidua, aut repudiata, ac fine fobole, adeóque domum paternam reverfa in ea vivet, ut antequàm nuptui daretur, tum ei cibo facro vefci licetu.

[14] Si quis ex facerdotali profapia non oriundus comederit rem in ufum Sacerdotum lege confecratam, cùm eam ejufmodi effe nefciret, tantumdem Sacerdoti reftituito, & præterea quintam partem addito. [15] Igitur rebus ad altare elatis, & Sacerdotibus datis ne promifcuè Ifraelitæ, quafi cibo communi, vefcuntor; [16] ne pœnas fibi, eâ irreverentiâ, contrahunto, Deumque reverenter Sacra fua haberi velle fciunto.

[17] Juffit etiam Deus Mofem has leges de victimis, quas offerre liceret, Ifraëlitis ferre, [18] Sacerdotibúfque & populo Hebræo audientibus, promulgare. Quifquis Ifraelita, aut Profelytus victimam

conditio mundiorem peregrinum non reddebat, quàm liberum.

12. *Alieno*] *zar*. Sed manifeftum eft intelligi alienum à familia facerdotali, non ab Ifraële. Nam eum peregrinis non mifcebant Sacerdotum filiæ matrimonia.

13. *Nec erit ei foboles*] Tum enim cum liberis vivere eam oporteret.

14. *Rem facram*] Quam jubebatur ad Sacerdotes ferre, ut primitias, partem victimæ &c.

15. *Ifraëlitæ res facras*] *Sanĉtitates Ifraëlitarum*. Verba, perfpicuitatis causâ, invertimus, cùm fenfus hoc neceffariò poftularet.

Quas fuftulerint] תרומות feu oblationes elatæ intelliguntur, quæ ad folos Sacerdotes pertinebant. Vide fuprà Cap. II, 3, 10. &c. Rabbini qui hîc obfervant ante primitias & decimas feparatas, fructus comedi non poffe, in alienum locum hanc Legem conferunt, ut feries oftendit, præterquàm quòd fermo eft de re jam *elata* ad altare.

16. *Sibi pœnam noxæ*] *Faciant fe ferre pœnam noxæ.*

18. *Ex voto quovis*] *Pro omnibus votis fuis, & pro omnibus fpontaneis fuis.*

19. *Ex bucero* &c.] Vide not. ad Cap. I, 2.

20. *Nullam pecudem in qua erit vitium*] Ejufmodi victimæ paffim dicuntur *integræ*, feu תמימים *thmimim*, ut Græci eas τελείας vocant; itaque תמים & אשר אין מום בו *in quo non eft vitium*, unum, idémque eft. Quemadmodum in victimas ea electa funt animalium genera, quæ maximi & frequentiffimi usûs habebantur, ut diximus ad locum modò laudatum; ex eo genere pecudum eæ in victimas feligebantur, quæ nullo vitio laborabant, ut quàm maximus honor Deo haberi videretur. Sperni certè cultus ejus vifus effet, fi pecudes vitio quodam minùs utiles illi oblatæ fuiffent; quafi, nimirum, quod homines afpernabantur id Deo obtuliffent. Sic præftantiffimam fructuum partem offerri fibi Deus juffit. Vide not. ad Cap. III, verf. 3. Fortè poffet & Symbolica addi ratio; nimirum, fignificatum delectu victimarum fuiffe, eos demum homines placere Deo, qui quàm minimis animi vitiis inquinati funt. In jure Pontificio Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum, fimiles fuere Leges, atque examinabantur victimæ, antequàm ad altare ducerentur, ut aliquo vitio laborantes repudiarentur. De Ægyptiis difertè docet *Herodotus* Lib. II. c. 37 & 38. Δίζεται, inquit, ἐπὶ τούτο τεταγμένος τῶν ἱρέων, καὶ ὀρθοῦ ἑστεῶτος τοῦ κτήνεος καὶ ὑπτίου, καὶ τὴν γλῶσσαν ἐξειρύσας εἰ καθαρή, καὶ τὰ ἑξῆς: *explorat facerdotum aliquis ad id conftitutus, pecude cùm ftante & erectâ, tum etiam refupinatâ, linguâ etiam exfertâ infpiciens an pura fit* &c. Apud Græcos & Romanos victimas fine vitio poftulatas oftenderunt eruditi duo Angli, *Rob. Sheringamius* ad Cod. Jomum, Cap. VII. & *Gulielm. Outramus* de Sacrificiis Lib. I. c. 9. ac doctiffimus Gallorum, qui quidem facras litteras tractaverint, *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 46. Paucula eorum obfervatis ade-

taneo animi motu, in holocautoma Jehovæ, 19. ad vobis favorem conciliandum, *erit* masculus sine vitio, ex bucero, ovillo, aut caprino pecore. 20. Nullam *pecudem*, in qua erit vitium, offeretis, neque enim vobis favorem conciliaret. 21. Si quis offeret victimam salutarem Jehovæ, ad solvendum votum, aut in sacrum spontaneum, ex bucero aut ovillo pecore, integra erit, ut favorem *ei* conciliet, nullum erit in ea vitium. 22. *Victimam* cæcam, aut fractam, aut mutilam, aut myrmeciis laborantem, aut scabie, aut impetigine, non offeretis Jehovæ; oblationem igne absumendam ex iis altari Jehovæ imponetis. 23. Tauro verò, aut ovilli vel caprini generis *victimâ*, quæ artum habeat ampliorem, aut contractiorem, in spontaneo sacro facies; sed ad votum accepta non erit. 24. Compressus verò, contusus, avulsus, aut excisus *cui fuerit testiculus*; *eam* non offeretis Jehovæ, neque *eâ* in terra vestra facietis. 25. Sed neque de manu alienigenæ offeretis cibum Deo vestro,

mam offerre voluerit aut votivam, aut spontaneam, quæ in holocautoma Deo adoleatur, 19. ut pacem ejus impetret: eam ex bucero, ovillo aut caprino pecore, masculam & sine vitio eligito. 20. 21. Vitiosam ullam pecudem ne offerto; si offeras, ingratam Deo futuram esse scito. 22. Vitiosæ autem hæ victimæ habentor: cæca, cui fractum est aliquod membrum, mutila, myrmeciis laborans, scabiosa, impetigine adfecta. 23. Quæ artum habebit ampliorem aut contractiorem æquo, ad votum quod adtinet, vitiosa etiam habetor; ad spontaneum verò sacrum, legitima esto. 24. At quæ erit castrata, quocumque modo factum hoc fuerit, apud vos ne offertor. 25. Neque hæc Lex solis Hebræis ferri censetor, ne à peregrinis quidem vitiosam victimam Sacerdos accipito.

26. Has

demus. Apud Athenienses, debebant etiam hostiæ ἐκκεκρίσθαι, unde ἐκκρίτων ἱερείων *delectarum victimarum* meminerat in Axonibus Solon, ut docet *Plutarchus* in ejus vita p. 91. Sed disertiùs *Pollux* in Onom. Lib. I. c. 1. Τὰ δὲ ἀνεπαίτια θύματα, ἱερεῖα, ἄρτια, ἀτόμα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, ἀρτιμελῆ, μὴ κολοβά, μηδὲ ἔμπηρα, μηδὲ ἐκπεπηρωμένα, μηδὲ διάστροφα. Σόλων δὲ τὰ μὴ ἔμπηρα (sic legit rectè *Sam. Petitus*) καὶ ἀφελῆ ὀνόμασε. Ex tot Epithetis, quibus victimas sine vitio describit, rem fuisse inter Græcos frequentissimam colligere est. *Homeri* Scholiastes ad Iliad. A. v 66. ubi Poëta capras Apollini mactandas vocat τελείας: τὴν ἡλικίαν ἤτοι ὁλοκλήρων (malè ἤτοι primæ voci præfigitur) λελωβημένον γὰρ οὐ θύεται· ἀλλ' ὑγιὲς ἐκ τῶν τελειομένων θυσία: *ætate, uni membris, nam vitio laborans non mactatur, sed sanu est sacra rite facientium victima.*

Neque enim vobis favorem conciliaret] Nempe, Dei. Vide de phrasi לרצון יהוה *lratson jihjeh*, notata ad Exod. Cap. XXVIII, 38.

22. *Fractam*] Cui sit fractum membrum.

Mutilam] חרוץ *hharouts*. LXX. Intt. γλωσσότμητοι, Vulg. *cicatricem habens*, Jonathan, *quibus palpebræ aut oculi contusi sunt.* Meliùs Onkelos פסיק & Samarita חריץ, quæ *mutilum* sonant, nam חרץ est *abscindere*. Ita & Ferrarienses, *taiado*. Sic & Athenis κολόβους victimas mactare nefas fuit. *Aristophanes* in Acharnensibus p. 409. Ed. Gen. Act. III. Sc. 3. seu vers. 784.

Δ. Ἀλλ' οὐδὲ θύσιμός ἐστιν αὐτηί. Μ. Σκαιὸς,
Πᾶ δ' οὐχὶ θύσιμός ἐστι; Δ. Κέρκον οὐκ ἔχει.
D. *Verùm hæc sacrificari nequit.* M. *Cedo,*
Qui sacrificari nequeat. D. *Caudam non habet.*

Scholiastes: τὰ γὰρ κόλουρα ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται, καὶ καθόλου ὅπερ ἂν ᾖ μὴ τέλειον καὶ ὑγιὲς οὐ θύεται τοῖς θεοῖς. *Mutila enim in sacrificiis non mactantur, & universè quidquid non est integrum & sanum Diis non offertur.*

Myrmeciis laborantem] יבלת *jabboleth*, secuti sumus τοὺς LXX. qui habent μυρμηκιῶντα. Describitur hic morbus à *Celso* de Medic. Lib. V. c. 28. §. 14. *Myrmecia*, inquit, *vocantur humiliores* (verrucæ) *thymio, duriorésque; quæ radices altiùs exigunt, majorémque dolorem movent, infra lata, supra autem tenuia, minùs sanguinis mittunt; magnitudine vix umquam lupini modum excedunt.* Onkelos habet יבלן *jablan*, quod non est clarius Hebræo; Samarita חבלי *hhabli*, quod æquè obscurum; Jonathan, *cujus oculi percussi sunt, misto albo cum nigro*; Vulg. *papulas habens.* In re planè ignota maluimus sequi antiquissimos Intt. & Rabbini etiam *verrucosam* interpretantur victimam. Ferrarienses, *verrugoso.*

Aut scabie, aut impetigine] De his diximus ad Cap. XXI, 19. Ferrarienses, *Sarnoso o lamparoso*, scabiosam aut scrofulis laborantem.

Quæ artum habet ampliorem.] Heb. שרוע *scharouah*, de qua voce diximus ad Cap. XXI, 18. Sibi constant LXX. Intt. at Vulgatus habet hîc *aure amputata*, cùm Cap. XXI. *nasum tortum* verterit. Onkelos, qui vocem Hebraïcam antea servaverat, habet hîc יתיר *superfluum*, nempe, alicujus membri magnitudine; Samarita contrà צרום *resectam*. Jonathan, *redundantem testiculo*, hoc est, τρίορχιν. Ferrarienses, *sobrado*, ut Onkelos.

Contractiorem] קלוט *kalout*. LXX. Intt. habent κολοβόκερκον *abscissâ caudâ*, ut & Vulg. Onkelos חסיר *defectam*, Samarita גרום *mutilam*, quasi de altero genere mutilationis sermo sit. Ferrarienses *encogido*, contractam. Rectè observavit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 46. hanc vocem priori opponi & Arabicè קלצי *kalassa* esse *parvo corpore præditum*, dicique de cane Melitensi.

In spontaneo] Quòd, nimirum, hoc sacrificii genus non sit debitum, & vitia illa sint omnium minima.

24. *Compressus, contusus, avulsus, aut excisus*] מעוך וכתות ונתוק וכרות LXX. Intt. θλαδίαν καὶ ἐκτεθλιμμένον, καὶ ἐκτομίαν καὶ ἀπεσπασμένον, Vulg. *contritis, vel tusis, vel sectis, ablatisque testi-*

ſtro, ex omnibus iſtis; corruptio enim & vitium illis inſunt, neque acceptæ vobis erunt.

[26.] Alloquutus eſt etiam Jehova Moſem, his verbis: [27.] taurus, agnus aut hædus, cùm nati fuerint, & ſeptem dies ſub matre *egerint*, à die octavo ac deinceps acceptæ erunt *victimæ* in oblationem igne abſumendam Jehovæ. [28.] Vaccam, aut capram, vel ovem, ipſam & ejus catulum, non mactabis uno die. [29.] Si mactaveritis victimam celebrationis Jehovæ; ad favorem vobis conciliandum, *eam* mactabitis. [30.] Die illo comedetur, nihil ex illa ad matutinum tempus ſervabitis; ego ſum Jehova. [31.] Obſervabitis præcepta mea, eáque facietis; ego ſum Jehova. [32.] Non profanabitis nomen ſanctitatis meæ, ſed ſanctus habebor inter Iſraëlitas; ego ſum Jehova, qui vos ſanctos eſſe jubeo, [33.] atque ex terra Ægyptia eduxi, ut ſim vobis Deus; ego ſum Jehova.

XXI. Le-

[26.] Has etiam de victimis leges à Deo ferendas accepit Moſes. [27.] Nullam victimam, niſi quæ ſit minimùm octo dies nata, mactato. [28.] Matrem & prolem ejus, eodem die, ne offerto. [29.] Si victima mactetur ad celebranda Dei beneficia, pacémque ejus petendam, [30.] ipſo die quo mactabitur comeditor, nulla ejus pars in poſterum diem, ne Sacra in nimis longa convivia mutentur, ſervator. Hæc ſibi ab eo Deo præcipi, cujus promiſſiones & minæ irritæ non ſunt, Iſraelitæ recordantor, [31.] proptereáque has ejus leges ſummâ diligentiâ obſervanto. [32.] [33.] Sacra Dei Iſraelis reverentiſſimè habentor, omnéſque eum eſſe Deum, qui rata facit quæ dixit, populúmque Hebræum ex Ægypto eduxit, ut ei benefaceret, & viciſſim ab eo coleretur, in animum revocanto.

P A-

teſticulis. Videtur, ut obſervavit vir ſummus, mutatus eſſe ordo in Græcis vocibus. Hiſce autem modis caſtrantur agni, ut fiant verveces, quemadmodum ex *Ariſtotele* & *Columella* obſervavit.

Eâ in terra veſtra non facietis] Vulg. habet, *in terra veſtra hoc omnino ne faciatis*; quod poteſt ita intelligi, ut vetentur Iſraëlitæ ulla animalia caſtrare, atque ita hunc locum interpretantur Judæi. *Jonathan*: בארעכון לא תסרסון *in terra veſtra non caſtrabitis.* Sic quoque *Joſephus* Ant. Lib. IV. cap. 8. *μὴ ἐξέϛω ποιεῖν ἐκτομίας μήτε ἀνθρώπους, μήτε τῶν ἄλλων ζώων*: *caſtrare nec homines liceat, nec ullum aliud animal.* Vide & quæ hac de re collegit *Joan. Seldenus* de J. N. & G. Lib. VII. c. 3. At quo modo ſine periculo poſſent tauris integris uti in agricultura, aliiſque operibus, vix intelligere eſt. Certè verba Moſis aliter verti cùm queant, maluimus ea interpretari, ut fecimus.

25. *Neque de manu alienigenæ*] Licebat quidem victimas ab alienigenis ad Tabernaculum aut Templum ductas, mactare & offerre; ſed oportebat eas æquè eſſe ſine vitio, ac Iſraëlitarum victimas. Sunt qui velint omnes victimas Ethnicorum fuiſſe rejectas, ſed pretium tantùm acceptum. At eos confutat *Joan. Seldenus* de Jure N. & G. Lib. III. c. 7.

Acceptæ vobis erunt] Eas recuſabitis offerre. Debebant peregrini pati à Sacerdotibus ritum patrium obſervari. Sic *Alexander* Macedo, apud *Joſephum*, ſub finem Lib. XI. Ant. Judaïcarum *ἀνελθὼν ἐπὶ τὸ ἱερὸν θύει τῷ θεῷ κατὰ τὴν τῶν ἱερέων ὑφήγησιν*, *cùm adſcendiſſet in templum ſacra fecit Deo, ex Sacerdotis præſcripto*, non Macedonico ritu.

27. *A die octavo*] Rationem reddidimus ad Exod. Cap. XXII, 30.

28. *Non mactabitis uno die*] Species quædam crudelitatis erat occidere matrem cum catulo, unde proverbialis loquutio quæ extat Gen. XXXII, 11. *matrem ſuper liberis occidere*, ubi vide notata. Quod Deus in brutis fieri nolebat, id potiore jure in hominibus admitti vetabat. Miſericordiam hîc Symbolicè commendari vidit *Jonathan*, qui habet hoc in loco: עמי בני ישראל היכמא דאבונן רחמן בשמיא כן תהון רחמנין בארעא: *popule mi, Iſraëlitæ, ut pater noſter miſericors eſt in cœlo: ita ſitis miſericordes in terra; bovem aut ovem unà cum ſuo fœtu non mactabitis, eodem die.*

29. *Victimam celebrationis*] Vide ad Cap. VII, verſ. 12.

30. *Die illo comedetur*] Vide not. ad Cap. VII, 17. & XIX, 6.

32. *Sanctus habebor*] נקרשתי *nikdaſchthi*, ſanctificabor.

COM-

XXI. *Leges de quinque anniverſariis feſtis, Paſchate, feſto Primitiarum, feſto Buccinarum, die Expiationum, & feſto Tabernaculorum.*

CAPUT XXIII. 1. ALloquutus eſt Jehova Moſem, his verbis: 2. alloquere Iſraëlitas, iiſque dicito: hi ſunt conventus Jehovæ, quos convocationes ſacras vocabitis, hi, *inquam*, conventus. 3. Sex diebus operi incumbetis, ſeptimo verò erunt Sabbathi feriæ, & convocatio ſacra, nullum opus facietis, feriæ per omnes habitationes veſtras erunt Jehovæ.

4. Hi ſunt autem conventus Jehovæ, ac convocationes ſacræ, quas ſuis temporibus indicetis. 5. Menſe primo, decimo quarto die menſis, inter duas veſperas *erit* Paſcha Jehovæ. 6. Decimo quinto die hujus menſis, feſtum erit Azymorum Jehovæ; per ſeptem dies, azymis veſcemini. 7. Die primo, vobis erit convocatio ſacra, nullum ſervile opus facietis. 8. Per ſeptem dies, oblationem igne abſumendam offeretis

PARAPHRASIS.

1. DE diebus feſtis, feriatiſque, per totum annum, has Leges quas Iſraëlitis ferret à Deo accepit Moſes. 2. Hi feſti feriatique conventus, per totum annum, apud populum Hebræum, ſunto. 3. Sex quidem Hebdomadis diebus, niſi quæ feriæ extra ordinem incidant, operi incumbere liceto; ſeptimo verò, feſtus conventus & feriæ, in honorem cœli & terræ Creatoris, ubicumque erunt Hebræi, celebrantor.

4. At hi conventus anniverſarii, feriæque prætereà ſtatis temporibus indicuntor. 5. Decimo quarto die menſis primi, paullò ante ſolis occaſum, Paſchale feſtum inchoator. 6. A die ſequente, ſeu decimo quinto, per ſeptiduum azymis panibus univerſus populus Hebræus veſcitor. 7. Eodem die conventus ſacer & feriæ ſunto. 8. Per ſeptem dies continuos, extraordinariæ victimæ, alibi indicandæ, præter quotidiana Sacra, mactan-

COMMENTARIUS

In CAPUT XXIII.

2. HI ſunt conventus] מועדי *mobade*, hoc eſt, πανηγύρεις, conventus certo tempore indicti.

Convocationes ſacras] Poterant enim eſſe מועדים alia de cauſa, ut ſi Reges ad dictam diem adeſſe exercitum juberent, certo loco. Vide not. ad Exod. C. XX, 8.

4. *Suis temporibus*] במועדם *bmobadam*, ſumitur pro tempore, antea pro conventu. Frequens hoc eſt Scripturæ, ut eadem vox gemino ſenſu in una periodo occurrat. Vide not. ad Gen. XXXII, verſ. 21.

Indicetis] *Vocabitis*, indictione.

5. *Menſe primo* &c.] De Paſchate diximus ad Exod. Cap. XII. Quamvis jam ſæpe ejus meminerit Moſes, denuo paucis id commemorat, ut veluti in brevi tabula haberent hîc Hebræi Feſtorum omnium indicem.

8. *Oblationem igne abſumendam*] Præter quotidiana holocautomata, alia erant per ſeptiduum offerenda, de quibus Moſes Num. XXVIII, 19. *& ſeqq.* Mirum eſſet uno loco non exſtare plenam deſcriptionem Paſchalis feſti, & dierum ſequentium; niſi paſſim, in hiſce Legibus, quæ ad unam rem pertinent variis in locis ſparſa eſſent, ac veluti diſcerpta, quod & alibi obſervavimus. Vid. ad Exod. XXI, 15.

16. *Meſſuri eritis*] קצרתם *ktſarthem*, hoc eſt, incipietis falcem ſegetibus immittere, ut oſtendit ipſe Moſes Deut. XVI, 9. Ante oblatum Gomerum, non licebat metere, ut docet *Joſephus* Ant. Jud. Lib. III. c. 10. Malè ergo *Hieronymus*, *meſſueritis ſegetem*, & incommodè LXX. Intt. θερίζητε.

Gomerum] Hordeorum, nempe, quæ eo tempore matura ſunt, ut diximus ad Exod. Cap. IX, 32. Eſt decima pars Ephæ, ut docet Moſes Exod. XVI, 36. continebátque circiter ſex libras Romanas hordei. Vide *Ed. Bernardum* de Pond. & Menſ. Lib. I. §. 26. Hoc autem modo offerebatur, tempore *Joſephi*, ut ipſe loco laudato ait: φρύξαντες τῶν σταχύων τὸ δράγμα καὶ πτίσαντες, καὶ καθαρὰς πρὸς ἄλεσιν τὰς κριθὰς ποιήσαντες, τῷ βωμῷ ἀσσάρωνα προσάγουσι τῷ θεῷ, καὶ μίαν ἐξ αὐτοῦ δράκα ἐπιβαλόντες, τὸ λοιπὸν ἀφιᾶσιν εἰς χρῆσιν τοῖς ἱερεῦσι. καὶ τότε λοιπὸν δημοσίᾳ ἔξεστι πᾶσι καὶ ἰδίᾳ θερίζειν: *poſtquàm manipulum ſpicarum torruerunt, & pinſuerunt, aceribúſque & glumis repurgarunt, Aſſaronem* (hoc eſt, decimam partem Ephæ, ſeu Gomerum) *ad altare Deo offerunt. Tum pugillum unum ex eo injicientes, reliquum Sacerdotibus in uſum concedunt, & deinceps publicè & privatim omnibus licet metere.*

Primitias meſſis veſtræ] Et omnis meſſis, quia nihil ante hordeum metebatur, & potiſſimùm ipſius hordei; nam poſtea primitiæ ex tritico etiam offerebantur verſ. 17. Apud plurimas Gentes, primitias Deo oblatas res eſt notiſſima, & probavit, poſt alios, *Joan. Spencerus* de Leg. Moſis Rit. Lib. III. c. 9. A quibus primùm ſolutæ ſint non ſatis conſtat, nam quod nonnulli primitias à liberis Adami Deo oblatas ex Gen. IV, 3. colligunt, id parum firmum eſt. Videntur tamen, ab antiquiſſimis temporibus, homines aut ſponte ſuâ, aut Dei juſſu, quod malim, obtuliſſe primitias; quaſi Symbolum

tis Jehovæ; die verò ſeptimo, erit convocatio ſacra, nullum *eo* opus ſervile facietis.

9. Alloquutus eſt etiam Jehova Moſem, dicens: 10. alloquere Iſraëlitas, iiſque dicito: cùm ingreſſi fueritis terram, quâ ego vos dono, ejúſque ſegetes meſſuri eritis, tum adferetis Gomerum, primitias meſſis veſtræ, ad ſacerdotem. 11. Agitabit Gomerum, coram Jehova, ut favorem vobis *ejus* conciliet, & quidem poſtridie feriarum. 12. Quo die autem agitabitis Gomerum, agno integro anniculo holocautoma Jehovæ offeretis, 13. & donarium *farreum*, duas decimas *Ephæ* olea miſtas, in oblationem igne abſumendam Jehovæ, & odorem placamenti, ac libamen vini, quartam Hinis partem. 14. *Ex hornis ſegetibus* panem, aut toſtas, viridéſve ſpicas non comedetis, ad hunc uſque diem, donec oblationem Dei veſtri obtuleritis; inſtitutum hoc erit æternum, in *futuras* veſtras ætates, per omnes habitationes veſtras.

15. Numerabitis autem à poſtero die feriarum, à die quo Gomerum agitationis adtuleritis, & ſeptem quidem integræ hebdomades erunt. 16. Ad poſterum diem hebdomadis ſeptimæ, numerabitis quinquaginta dies, & novum donarium *farreum* Jehovæ

tantor; ſeptimóque iterum feriæ celebrantor.

9. 10. Addidit etiam Moſes, Deo jubente: Cùm terræ Chananææ agri populo Hebræo diviſi fuerint, & ſatas à ſe ſegetes demeſſurus erit; antequàm meſſi hordeaceæ falcem quiſquam immittar, Gomerum, totius meſſis primitias, ad Sacerdotem ferri curato; 11. iſque id Deo agitando, ut pacem ejus impetret, ſecundo die feſti Azymorum, offerto. 12. Eo die, præter ſolitas victimas, agnus anniculus holocautoma Jehovæ mactator. 13. Aſſarones duo ſimilæ oleo miſtæ, ut ſimul adoleantur, & quarta pars Hinis vini adjicitor. 14. Antequàm hæ primitiæ Deo oblatæ & Sacra rite facta ſint, panem, polentamve, aut pultem ex hornis ſegetibus comedere nefas eſto. Æterna hæc Lex, per omnes veſtras habitationes, habetor.

15. Ab eodem ſecundo Azymorum die initio facto, ſeptem integræ dierum Hebdomades numerantor. 17. Iis exactis, quinquageſimo die, pri-

lum quo ſe & fruges omnes ſuas divinæ beneficentiæ debere, & gratum erga Numen animum profiterentur. Cùm hic eſſet ſimpliciſſimus & facillimus ritus, ab humani generis γεναρχαις, quicumque ſint, videtur ad plurimos poſterorum, per terrarum orbem ſparſos, perveniſſe. Itaque hunc morem, neque Hebræos Ægyptiis, neque Ægyptios Hebræis acceptum referre debuiſſe crediderim, ſed utroſque progenitoribus ſuis. Sic victimarum oblationem videtur uterque populus à Noacho derivaſſe, & alia fortè multa ex æquo indidem traxit. At temporis lapſu, & Legiſlatorum voluntate, variarunt ritus.

Ægyptii frugum primitias conſecrabant Iſidi, ut auctor eſt *Diodorus* Biblioth. Lib. I. p. 13. Ed. Rhod. Hanc aiebant inveniſſe tritici & hordei uſum, cujus rei indicium proferebant τὸ τηρούμενον παρ' αὐτοῖς ἐξ ἀρχαίων νόμιμον, *ſervatam apud ſe ab antiquis temporibus conſuetudinem.* Subjicit *Diodorus:* ἔτι γὰρ καὶ νῦν, κατὰ τὸν θερισμὸν, τοὺς πρώτους ἀμηθέντας στάχυς θέντας τοὺς ἀνθρώπους, κόπτεσθαι πλησίον τοῦ δράγματος, καὶ τὴν Ἶσιν ἀνακαλεῖσθαι: *nam etiamnum hodie, meſſis tempore, homines oblatis primis ſpicis demeſſis, juxta manipulos plangere, & Iſidem invocare* Apud Hebræos verò pars aliqua primitiarum frugum in altari adolebatur, ſed longè maxima in uſum Sacerdotum cedebat. Atque hac in re non ſpernendum habebant reditum, ut res ipſa oſtendit, & ipſi obſervarunt Judæi. Vide *Philonem* initio Lib. *de Præmiis Sacerdotum*, ubi memoratâ Lege de Primitiis: πολυανθρωποτάτου δὲ ἔθνους, inquit, ἀναγκαῖον ἐστὶ καὶ τὰς ἀπαρχὰς ἀφθόνους, ὡς καὶ τὸν ἀπορώτατον τῶν ἱερέων, ἕνεκα περιουσίας τροφῶν, εὐπορώτατον δοκεῖν εἶναι: *cùm populoſiſſima ſit gens, neceſſe eſt primitias quoque multas eſſe, adeò ut pauperrimus etiam Sacerdotum, ob alimentorum copiam ditiſſimus eſſe videatur.* Atque hunc potiſſimùm in finem, videtur Legiſlator vetus primitiarum Deo offerendarum inſtitutum confirmaſſe.

11. *Agitabit Gomerum*] הניף heniph. Vide not. in Exod. C. XXIX, 24.

Ut favorem vobis conciliet] לרצונכם lirtſounchem, *ad favorem veſtrum.*

Poſtridie feriarum] שבת ſchabbath hîc, & in ſequentibus vertimus *ferias*; quia non neceſſe erat ſecundum diem feſti Azymorum eſſe diem Sabbathi; ſed eo oportebat Hebræos feriari, ut in antecedentibus docet Moſes, non aliter ac Sabbatho. Vide v. 7. Hinc LXX. Intt. ἐπαύριον τῆς πρώτης, *poſtridie primi*, nimirum, diei Azymorum, & Onkelos מבתר יומא טבא *poſt diem bonum.* Ferrarienſes *de la holgança*, quietis. *Joſephus* etiam diſertè Lib. III. c. 10. τῇ δὲ δευτέρᾳ τῶν ἀζύμων ἡμέρᾳ (ἕκτη δ' ἐστὶν αὕτη καὶ δεκάτη) τῶν καρπῶν ὡς ἐθέρισαν, οὐ γὰρ ἥψαντο πρότερον αὐτῶν, μεταλαμβάνουσι: *ſecundo azymorum die (eſt is decimus ſextus* menſis Abibi) *fructibus quos meſſuerunt, non enim priùs eos attigerunt, fruuntur.* Sic & Thalmudici. *Karaitæ* verò, qui contrarium cenſuerunt, falluntur, decepti ambiguitate vocis שבת, quæ modò diem illum ſeptimum feriarum in orbis creationis memoriam inſtitutum, modò quemvis feriarum diem ſonat.

12. *Agno integro anniculo*] Præter ea quæ dicuntur Num. XXVIII, 29. aut idem qui illic memoratur.

13. *Duas decimas*] In holocautoma quotidianum erat tantùm Aſſaron unus, ſed tantumdem vini ac in hunc agnum. Vide Exod. XXIX, 40. & confer locum Numerorum.

14. *Ex hornis ſegetibus*] Hæc verba ſupplenda

væ offeretis. 17. Ex omnibus habitationibus veſtris, offeretis duos panes agitationis. Duæ decimæ partes *Ephæ* ſimilæ erunt, & coquentur quidem primitiæ Jehovæ *cum* fermento. 18. Præter panem, offeretis ſeptem agnos integros, anniculos, juvencúmque unum & arietes duos, *qui* holocautoma erunt Jehovæ; & eorum donaria *farrea* ac libamina oblationes erunt igne abſumendæ, in odorem placamenti Jehovæ. 19. Facietis etiam hirco uno pro peccato, & duobus agnis anniculis, quaſi ſalutaribus victimis. 20. Hos agitabit ſacerdos, præter panes primitiarum, agitatione coram Jehova; *& hi*, cum duobus agnis, ſacri erunt Jehovæ, *adeóque* ſácerdotis. 21. Hoc autem ipſo die, indicabitis convocationem ſacram, *atque hæc* erit vobis, nec ullum ſervile opus facietis. Inſtitutum hoc ſit perpetuum, per omnes habitationes veſtras, in *futuras* veſtras ætates.

22. Cùm metetis ſegetes terræ veſtræ, non abſolvetis metere extremitatem agri veſtri, neque ſpicilegium meſſis veſtræ colligetis; pauperi & peregrino hæc relinquetis. Ego ſum Jehova Deus veſter.

23. Alloquutus quoque eſt Jehova Moſem, his verbis: 24. Alloquere Iſraëlitas, dicens: menſe ſeptimo, primo *die* menſis, erunt vobis feriæ, celebratio clangoris, *&*

primitiæ triticeæ meſſis offeruntor. 17. Pro univerſa Hebræorum terra, duo Aſſarones farinæ, ex homo tritico confectæ, cum fermento depſuntor, atque in duos panes coquuntor; qui ad Dei altare agitati in uſum Sacerdotum ceduntο. 18. Præterea eodem die, ſeptem agni anniculi, juvencus unus & anetes duo, ſine vitio, holocautoma, unà cum ſolito farre & libaminibus, Deo adolentor. 19. Hircus victima pro peccatis populi, & duo agni anniculi, ſalutares victimæ, adduntor. 20. Horum proficiæ, flammæ altaris datis viſceribus ſolitis, unà cum panibus primitiarum, ad altare elatione conſecratæ, in uſum Sacerdotum cedunto. 21. Eo autem die, per omnes habitationes veſtras, in perpetuum feriæ celebrantor.

22. Ex occaſione primitiarum, Moſes Leges de relinquendis datâ operâ aliquot in extremo agro ſpicis, & ſpicilegio pauperibus & peregrinis concedendo iteravit.

23. Tum ad ferias regreſſus, has Leges à Deo ac-

da fuerunt, ne videretur omnis uſus panis ante hunc diem vetari.

Toſtus, viridéſve ſpicas] קלי וכרמל *kuli vecharmel.* LXX. Intt. neglectâ conjunctione, πεφρυγμένα χίδρα νέα *frictas ſpicas novas*; Vulgatus, *polentam & pultes.* קלי *kali*, ut liquet ex hoc loco, propriè eſt toſtum hordeum, ſeu, ut habetur ſuprà Cap. II, 14. אביב קלוי באש *ſpicu igne toſtu.* Hoc videtur factum eùm ut faciliùs excuterentur acera & gluma, quæ pertinaciùs hordeo adhærent, tum etiam ut ei ſapor conciliaretur. In avena, variis in Europæ regionibus, fieri hoc etiamnum ſolet. *Polentum* vertit *Hieronymus*, quòd hordeo toſto fieri *polenta* ſoleret. Hæc ſunt *Plinii* verba de Hordeo. Lib. XVIII. c. 7. *Antiquiſſimum in cibis hordeum, ſicut Athenienſium ritu Menandro auctore adparet, & gladiatorum cognomine, qui hordearii vocabantur. Polentam quoque Græci non aliunde præferunt. Pluribus fit hæc modis. Græci perfuſum aquâ hordeum ſiccant nocte unâ ac poſtero die frigunt, deinde molis frungunt. Sunt qui vehementiùs toſtum rurſus exiguâ aquâ adſpergant & ſiccent priuſquàm molant* &c. Vide & *Servium* ad Æneid. I, 183. ubi rectè monet toſtas fruges, ut faciliùs pinſerentur; antiquis enim temporibus molis carebant. כרמל *viridem ſpicum* vertimus, ut Sup. Cap. II, 14. Ac ſanè *Plinius*, in proximè ſequentibus verbis, *alii verò*, inquit, *virentibus ſpicis decuſſum hordeum recens purgant, madidúmque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac ſiccatum ſole rurſus tundunt, & purgatum molunt.* Hinc poſtea fiebat *pultis.* Pulte antiquiſſimi Romani, non pane, diu vixerant, ut idem docet Cap. ſequenti.

15. *Feriarum*] שבת *ſchabbath.* Vide ad v. 11.

Septem integræ Hebdomades] שבתות *ſchubbathoth*, LXX. Intt. ἑβδομάδας ut & Vulg. Onkelos etiam שבוען *hebdomadas.* Ita vocantur, quia in omnibus hebdomadibus unum erat Sabbathum. Hinc in Evangeliis σάββατα pro *Hebdomade.* Vide Intt. ad Matth. XXVIII; 1.

16. *Hebdomadis ſeptimæ*] השבת השביעית *Subbathi ſeptimi*, ſed non ſignificari *Sabbathum* propriè dictum liquet ex iis quæ diximus ad verſ. 11. At propter hæc verba, malè intellecta, Caraïtæ & Samaritæ à poſtero die Sabbathi qui proximè Paſchalem diem ſequitur, niſi Paſcha in ipſum Sabbathum inciderit, incipiunt numerare ſeptem hebdomadas; quibus elapſis, primo die octavæ hebdomadis Pentecoſten celebrant; contrà quàm Rabbanitæ ſolent, qui, ut diximus, à ſecundo die Azymorum numerant. Vide viri eruditi adnotata, ad *Joſephi* Lib. III. c. 10.

Quinquaginta dies] Unde πεντηκοστὴ Græcè id feſtum dicebatur, quod quinquageſimo die à ſecundo Azymorum celebraretur.

Novum donarium farreum] *Ex tritico*, nimirum, antequàm id comedere ſuſtinerent, ut in hordeo faciebant. Sed tum meſſuiſſe videutur. Vide not. ad Exod. XXIII, 16.

17. *Ex omnibus habitationibus*] Omnis Iſraëlitici agri, ſeu Chananææ nomine; ut in exiguis primitiis *tota conſecraretur maſſa*, ſeu tota Deo accepta referretur.

Cum fermento] Contrà quàm fieri ſolebat in aliis placentis, quæ Deo offerebantur, atque in pane Paſchali. Nimirum, hæ primitiæ erant Symbolum panis fermentati, quo vulgò uti ſolebant Iſraëlitæ.

20. *Adeóque Sacerdotis*] Salutarium Sacrorum, pro privatis, Sacerdos habebat tantùm pectus & ar-

& convocatio sacra. 25. Nullum opus servile facietis, sed offeretis oblationem igne absumendam Jehovæ.

26. Præterea alloquutus est Jehova Mosem, his verbis: 27. Decimus etiam dies mensis hujus septimi, expiationum dies, eóque sacra convocatio vobis erit. Adfligetis animas vestras, & oblationem igne absumendam Jehovæ offeretis. 28. Hoc die nullum opus facietis, est enim dies expiationum, ut coram Jehova Deo vestro expiemini. 29. Quicumque hoc die se se non adflictarit, is homo è populo suo tolletur. 31. Nullum opus facietis, institutum hoc perpetuum, in *futuras* ætates & per omnes habitationes vestras erit. 32. Feriæ Sabbbathi hæ vobis erunt, & adflictabitis animas vestras nono *die* mensis vesperi, à vespera ad vesperam ferias Sabbathi observabitis.

33. Tum alloquutus est Jehova Mosem dicens: 34. alloquere Israëlitas his verbis: decimo quinto die mensis hujus septimi, festum Tabernaculorum frondeorum erit, per septem dies, Jehovæ. 35. Primo die erit convocatio sacra, nullum *eo* opus servile facietis. 36. Per septem dies offeretis oblationem Jehovæ igne absumendam; octavo autem vobis erit convocatio sacra, offeretis Jehovæ igne absumendam oblationem; clausula hæc *erit*, nec ullum servile opus facietis.

37. Hi

acceptas promulgavit. 24. Primo die anni civilis, qui mense septimo anni sacri inchoatur, per totam Israëlitidem terram tubæ clangunto, conventúsque festus, 25. & feriæ, certis mactatis victimis, celebrantor.

26. Aliis diebus ejusdem mensis septimi, ferias agitari jussit Deus, per Mosem, qui hanc ea de re legem tulit. 27. Decimo die mensis septimi, quo sollemnibus Sacris expiabitur populus Hebræus, sacer conventus esto, jejunium celebrator, certæque victimæ, alibi memoratæ, offeruntor. 28 *ad* 32. Hoc piaculari die, feriæ sanctissimæ, quales sunt feriæ Sabbathi, aguntor, unà cum jejunio, per omnes Hebræorum agros; jejuniúmque à vespertino tempore noni diei, ad vespertinum decimi, observator.

33. 34. Quindecimo verò die & septem sequentibus, festum Tabernaculorum frondeorum, in honorem Dei, celebrator. 35. Primo hujus septidui die, conventus sacer & feriæ sunto. 36. Per septem

armum dextrum, ut docet Moses Levit. Cap. VII, 24. Prosiciis altari impositis, cetera erant ejus qui victimam adduxerat. At Salutaria Sacra, pro toto populo, erant *sacrosancta*, adeóque à solis Sacerdotibus comedenda, ut reliqua omnia quæ vocantur קדש קדשים *sanctitas sanctitatum*.

22. *Cùm metetis*] Hæc lex alibi jam tradita, ex occasione festorum superiorum repetitur. Vide not. ad Cap. XIX, 9.

24. *Feriæ*] שבתון *schabbathon*. Vide ad vers. 11. LXX. rectè ἀνάπαυσιν, Vulgatus *Sabbathum*, incommodè.

Celebratio clangoris] זכרון תרועה *ziccharon throuhah*. LXX. μνημόσυνον σαλπίγγων, Vulg. *memoriale clangentibus tubis*. הזכיר in *Hiphil*, est non tantùm *commemorare*, sed celebrare; hoc est, laudando commemorare, ut in hac phrasi הזכיר שם יהוה *hizchir schem Jehovah*, commemorare nomen Jehovæ, Psalm XX, 8. *Illi currus, illi equos; nos vero nomen Jehovæ Dei nostri commemorabamus*; id est, jactabant curros & equos, nos Deum extollebamus. Vide & Esai. XXVI, 13. LXII, 6. & Psalm XXXVIII, 1. LXX, 1. Ea de causa זכרון *ziccharon* vertimus hîc celebrationem, cùm festo nullius peculiaris Dei beneficii celebraretur memoria, sed propter omnia laudaretur. תרועה *clangorem* vertimus, quòd sermo sit de tubarum sonitu, quia solebat initio cujusque mensis, sed sollemniùs initio primi mensis anni Civilis audiri. Vide Num. X, 10. Psalm. LXXXI, 3. Illo tubæ sonitu celebratum esse Deum Opt. Max. nos docet Psaltes Ps. CL, 3. *laudate eum clangore tubæ.* Notum est eum mensem, qui septimus fuit post institutum Pascha, fuisse antea primum, & postea etiam quasi primum habitum in anno Civili. Vide not. ad Exod. XII, 2.

25. *Offeretis oblationem*] Qualis esset docet Moses Num. XXIV, 2. & seqq.

26. *Dies expiationis*] Ejus diei ritus describuntur Cap. XVI.

32. *Feriæ Sabbathi*] שבת שבתון *schabbath schabbathon*; hoc est, sanctissimæ feriæ, quales sunt diei Sabbathi.

Nono die mensis &c.] Finis noni diei erat occasus solis, à quo decimus incipiebat.

34. *Tabernaculorum frondeorum*] סכות *succhoth*. Tabernacula aulæis vel ciliciis constantia propriè dicuntur אהלים *hoalim*; ex asseribus, tabulísque compaginata משכנות *mischchanoth*; quæ verò constabant frondibus סכות *succhoth*. Hinc leonis latibulum inter virgulta סך *soch* vocatur Psalm. X, 9. Jer. XXV, 38. Sic Jon. IV, 5. סכה *succhah* dicitur tugurium, quod postea texit קיקיון *kikajon*. Unâ etiam voce dicitur Græcis σκηνὴ, unde hoc festum vocatur σκηνοπηγία. Sed ut σκηνὴ non semper frondeum tabernaculum, apud Græcos, sonat: ita nec Hebraïcarum vocum discrimen perpetuò observatur. Vide not. ad Exod. XXVI, 7. Hoc festum dicitur etiam collectionis Exod. XXIII, 16. quòd collecto proventu terræ ageretur, ut observat Legislator infrà vers. 39. Videtur institutum esse ut gratiæ Deo agerentur, ob anni fertilitatem, simúlque ut renovaretur memoria Ægyptiacæ liberationis, sicut docet Moses vers. 4. Sollemni hilaritate celebrabatur, quo factum ut *Plutarchus* crediderit in honorem Bacchi celebratum fuisse. Vide *Symp. Quæst.* Lib. IV. Q. 5. Ritus à Thalmudicis me-

37. Hi ſunt ſtati conventus Jehovæ, quibus indicabitis convocationes ſacras, ut offe-
ratur Jehovæ oblatio igne abſumenda, holocautoma, donarium *farreum*, victima *ſalu-
taris*, & libamina, pro ritu uniuſcujuſque diei; 38. præter Sabbatha Jehovæ, præter
alia donaria veſtra, omnia vota, & omnes veſtras ſpontaneas oblationes, quas Jeho-
væ tribuetis.
39. Decimo quinto die menſis ſeptimi, poſtquàm proventum terræ collegeritis,
feſtum Jehovæ celebrabitis, per ſeptem dies; die primo, & die octavo erunt fe-
riæ. 40. Sumetis vobis die primo fructum arborum pulcrarum, ramos palmarum,
fron-

tem eoſdem dies, præter quotidiana Sacra, cer-
tæ victimæ, poſtea deſignandæ, offeruntor. Oc-
tavo verò iterum conventus feſtus habetor, fe-
riæque agitantor, atque ita feſtivitas clauditor.
(*Verſuum* 37 *&* 38 *paraphraſin vide poſt* 43.) 39. Col-
lectis fructibus, ad gratias Deo agendas, feſtum
hoc celebrator. 40. Ramos Perſearum & Palma-
rum geſtandos parato ante diem primum, Sali-
gniſque & umbroſarum aliarum arborum frondi-
bus Tabernacula tibi tegito, & octo dies hilarè,
in Dei honorem, agito. 41. Quotannis, eodem
tempore, hoc feſtum celebrator, 42. omnéſque
Iſraëlitæ ſub Tabernacullis frondeis agunto. 43. Præ-
ter gratiarum actionem, ob collectos anni fructus,
iis

memoratos ſtudioſè collegit vir eruditus ad *Joſephi* Ant. Lib. III. c. 13. Apud antiquiſſimos Græcos tempus illud maximè intra annum feſtum erat. *Horatius* Lib. II. Ep. ad Auguſtum v. 139.

Agricolæ priſci fortes, parvóque beati,
Condita poſt frumenta, levantes tempore feſto
Corpora & ipſum animum, ſpe finis dura ferentem,
Cum ſociis operum, & pueris, & conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.

Ad quem locum vide Interpretes.

36. *Clauſula*] עצרת *hatsereth* LXX. Intt. verterunt ἐξόδιον, quaſi *exitum feſti*. Ac ſanè עצר hatsâr, *claudere*, ſeu *coërcere* ambitu ſuo ſonat, atque hîc dies claudebat feſtum. At *Hieronymus*, *eſt cœtus atque collectæ*. Onkelos, קדם יהוה כנישין תהון: *coram Jehova congregati eritis*, Jonathan: תהון לצלאה קדם יהוה *congregati eritis ad orandum coram Jehova pluviam*. Nolim negare *congregationem* hac voce ſignificari, & ipſi LXX. Intt. σύνοδον & πανήγυριν alicubi vertunt. Attamen maluimus hîc vertere feſti *clauſulam*, quia de ultimo die feſti ſermo eſt. Alioqui non minùs de primo die feſti ea vox uſurpari potuiſſet, ſi *congregationem* hîc ſignificaſſet. Eadem de cauſa, Pentecoſte videtur dicta à Judæis עצרתא *hatſartha*, quòd *clauderet* calculum ſeptem hebdomadum, à ſecundo Azymorum die numeratarum. *Joſephus* Ant. Iud. Lib. III. c. 10. Ἑβδόμης δ' ἑβδομάδος διαγεγενημένης μετὰ ταύτην τὴν θυσίαν, αὗται δ' εἰσὶν αἱ τῶν ἑβδομάδων ἡμέραι τεσσαράκοντα ἐννέα, τῇ πεντηκοστῇ ἣν Ἑβραῖοι ἀσαρθὰ καλοῦσι, σημαίνει δὲ τοῦτο πεντηκοστήν, προσάγουσι τῷ Θεῷ ἄρτον κτλ. τὰ ἑξῆς: *ſeptimâ hebdomade præterita, poſt hoc ſacrificium (ſunt autem hebdomadum dies quadraginta novem) quinquageſimo die, quod vocant Hebræi* Aſartha, *ſignificat hoc Pentecoſten, offerunt Deo panem* &c. Non videtur *Joſephus* credidiſſe יום החמישים *diem quinquageſimum* & עצרתא *hatſartha* idem ſignificare; ſed diem, qui *Pentecoſte* vocabatur, dici ſolitum עצרתא, nempe, κατ' ἐξοχὴν, quòd clauderet calculum illum quadraginta novem dierum.

Alii hac voce etiam *ferias* ſignificari volunt, לפי שעצור מלאכה, quia *vetitum erat omne opus*; ſed feriæ ſolent dici שבת aut שבתון, ut hoc ipſo Capite vidimus, & primo die feriæ æquè erant obſervandæ ac ultimo. Vide & verſ. 39. Adde quòd Pentecoſtes die arctiores non erant feriæ, quam feriatis aliis diebus; qui tamen præ ceteris dicebatur, ut oſtendimus, עצרתא. Eædem rationes confutant conjecturam *Hug. Grotii* qui *retentionem* vertit, quòd populus ad ultimum Scenopegiæ diem retinerentur.

37. *Victima ſalutaris*] זבח *zebabh*, vide not. ad Exod. XX, 24.

39. *Decimo quinto* &c.] Pleniùs deſcribitur feſtum, verſibus 24. & ſeqq. ad 36. memoratum. Si ordo, in hiſce libris, ſervaretur, hæc verba fuiſſent verſ. 36. ſubjicienda, commata verò 37 & 38. ad finem Capitis, ante 44. rejicienda. Sed ordinem, a Rhetoribus Græcis & Latinis uſque adeò laudatum, paſſim Scriptores Hebræi negligunt, & trajectionibus ejuſcemodi referti ſunt. Hinc naſcuntur repetitiones & obſcuritas, ſed illas rudis ſcribendi antiquitas flocci fecit.

40. *Sumetis vobis die primo*] Hoc eſt, ante diem primum; quo, cùm eſſet feriatus, non licebat iis decerpere frondes, & ramos, ſeu ad geſtandum, ſeu ad Scenas faciendas. Vid. Exod. XII, 15. & Gen. II, 2.

Arborum pulchrarum] עץ הדר *hets hadar*, arboris decoris. LXX. Intt. καρπὸν ξύλου ὡραῖον, Lat. *fructus arboris pulcherrimæ*. Videntur intelligi fructus ſelecti ex iis, quos præſtantiſſimæ arbores, eo tempore anni, proferunt in Judæa; quos geſtare & comedere jubebantur eo feſto, quo gratiæ agebantur Deo, ob collectionem autumnalium fructuum. Uſus Judæorum de *malis citriis* interpretatur verba Legiſlatoris. Hinc Onkelos habet פירי אילנא אתרוגין *fructus arborum citriarum*. Sic & *Joſephus* Ant. Lib. III. c. 10. Κελεύει — ὁλοκαυτεῖν τε καὶ θύειν τῷ Θεῷ τότε χαριστήρια, φέροντας ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνην μυρσίνης, καὶ ἰτέας σὺν κράδῃ φοίνικος πεποιημένην, τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσέας προσόντος: *jubet holocautomata offerre, & ſacra in gratiarum actionem facere Deo ferentes manibus ramos myrti & ſalicis, cum ramo palmæ ita parato ut ex eo pendeant mala perſea*, hoc eſt, cittia. Faſciculos, quos εἰρεσιώνας vocat *Joſephus* Atticâ voce, Rabbini ſimiliter confectos fuiſſe tradunt.

Frondémque arborum denſarum] ענף עץ עבות *hanaph hets haboth*. LXX. Intt. κλάδους ξύλου δασεῖς,

frondémque arborum densarum, & salicum torrentis, & hilarè coram Jehova Deo vestro, per septem dies, agetis. 41. Festum hoc Jehovæ quotannis septem diebus celebrabitis; instituto perpetuo, in futuras ætates vestras, septimo mense, hoc agitabitis. 42. In tabernaculis frondeis per septiduum habitabitis; omnes indigenæ in Israële in ejusmodi tabernaculis frondeis habitabunt; 43. ut sciant *futuræ* vestræ ætates me effecisse, ut in frondeis tabernaculis habitarent, cùm eos ex Ægypto educerem. Ego sum Jehova Deus vester. 44. Moses autem stata festa Jehovæ Israëlitis exposuit.

XXII. Le-

iis ritibus memoria Ægyptiacæ liberationis, quâ factum est ut populus Hebræus sub frondeis Tabernaculis esset, in perpetuum colitor. Hæc à Deo, cujus nec promissiones, nec minæ inanes sunt, & qui Israelitas maximis beneficiis cumulavit, juberi omnes sciunto.

37. Hi erunt conventus festi, atque hæ feriæ, quarum, inter Hebræos, anniversaria celebratio esto; singulisque diebus Sacra ex lege funto. 38. Nec eo minùs Sabbathorum feriæ solitæ celebrantor, Sacraque reliqua omnia spontanea, votiva, & lege jussa rite persolvuntor. 44. Hæc stata festa Moses, audiente populo Hebræo, promulgavit.

P A-

ωτῆς, hoc est, ut habet Vulg. *ramos ligni densarum frondium.* Umbrosæ intelliguntur arbores, quarum frondibus tegenda erant tuguria. *Myrtum* ita describi nonnulli volunt, quòd implicitos habeat ramos; ac sanè Judæi ramos myrteos gestabant, ut ex laudatis *Josephi* verbis adparet. Oukelos habet etiam הדסין *hadassin*, hoc est, myrtos. Malim tamen frondes intelligere, quibus major efficeretur umbra; & tegendis tabernaculis frondes hasce decerptas fuisse, non gerendi causâ. Ramos partim manibus gestatos, partim adhibitos ab tabernacula facienda diximus; ut Judæorum consuetudinem cum Scriptura conciliaremus, quamvis ipsi Rabbini suum לולב *loulab* hinc dumtaxat factum censeant. Sed sententia nostra clarè confirmatur loco Nehem. VIII, 15. ubi proceres Judæorum ita populum Hebræum hortantur, ad celebrandum festum Tabernaculorum: *exite in montem, & adferte folia oleæ, folia arborum oleosarum, folia myrti, folia palmarum, folia arborum densarum ad facienda tabernacula, sicut scriptum est.* Scio *Abarbanelem* niti hanc refutare sententiam, sed rationibus profectò nihili utitur; ut passim solet homo Philosophus, sed nulla Critices cognitione tinctus. Observarunt viri docti Karaïtas, quorum libros videre non licuit, rejicere τὸ לולב *loulab*, quasi consuetudinem Lege non nixam, nec fortasse ineptè. Vide *Joan. Meyeri*, viri eruditi in Rabbinicis, Dissert. de Festis Judæorum Cap. XII.

Hilarè agetis] *Lætabimini.* Observat *Strabo* Lib. X. κοινὸν τοῦτο καὶ τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν βαρβάρων εἶναι, τὸ τὰς ἱεροποιΐας μετ᾽ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι, *commune hoc Græcorum & Barbarorum esse, ut sacra faciant inter relaxationem festivam.* Cujus rei causas reddit, quæ apud eum leguntur. Crediderim ego Ægyptios, qui primi festivas πανηγύρεις instituerunt, cum hilaritate has voluisse celebrari, ut plebem potissimùm Religioni addictiorem haberent. Nullâ enim re magis capitur plebs, quàm ejusmodi hilaritatibus publicis; & quod libenter facit, id constanter quoque observat. Itaque Hebræis, jam ei rei adsuetis, concessit Deus ut publica hæc, aliáque hilaria celebrarent, in loco in quo futurum esset Tabernaculum.

Strabo, postquàm ostendit variis modis Sacra fieri, & festa celebrari, Bacchúmque, Apollinem, Cererem & Musas nominavit, addit: δενδροφορίαι τε καὶ χορεῖαι, καὶ τελεταὶ κοιναὶ τῶν θεῶν εἰσὶ τούτων, *ramorum gestationes & choreæ & mysteria hisce diis sunt communia.* Ac sanè Athenis celebrabantur Ὠσχοφόρια in honorem Minervæ, in quibus ferebantur ὦσχοι, hoc est, τὰ μετὰ τῶν βοτρύων κλήματα *palmites cum racemis*, ut loquitur *Suidas.* Vide eumdem in Εἰρεσιώνη, & quæ *Plutarchus* hac de re habet, in Theseo, p. 10.

43. *Ut in frondeis tabernaculis*] Cùm enim nondum sibi comparassent cilicina tentoria, aut aliâ materiâ constantiâ, sub frondeis tabernaculis egerunt; & fortè locus, in quo primùm castra posuerunt Israëlitæ abeuntes, propterea סכות *succhoth* dictus est. Vide Exod. XII, 37.

44. *Exposuit*] ידבר jedabber, *loquutus est*, aut *dixit.*

COM-

XXII. *Leges de oleo, ab Hebræis in lucernas Tabernaculi, conferendo; de panibus adpositis singulis Sabbathis renovandis; de blasphemia, de homicidio, de noxia.*

CAPUT XXIV. 1. ALLOQUUTUS pariter est Jehova Mosem, his verbis: 2. jube Israëlitas sumere tibi olivum purum, tusione expressum, in candelabri usum, ut lucernæ perpetuæ accendantur. 3. Extra velum *arcæ* testimonii, in Tentorio conventûs, lucernas coram Jehova semper aptabit Aharon, à vespertino tempore ad matutinum, perpetuo in futuras ætates vestras instituto. 4. In candelabro *tabernaculo* illucente, semper aptabit lucernas, coram Jehova.

5. Sumes similam, eámque in duodecim placentas coques; duarum decimarum *Ephæ* singulæ erunt placentæ. 6. Tum eas *ita* strues, ut duæ sint strues, & strues sit senarum, in mensa munda, coram Jehova. 7. Strui impones thus mundum, & erit, supra panem, suffitus igne absumendus Jehovæ. 8. Singulis diebus Sabbathi struent eum *panem* perpetuò coram Jehova, ab Israëlitis, fœdere æterno, *adponendum*. 9. Erit autem Aharonis, ejúsque filiorum, *qui* eum comedent in loco sancto, nam res est sacrosancta, ad eum *filiósque ejus* pertinens, instituto perpetuo, ex oblationibus Jehovæ igne absumendis.

10. Egressus est autem filius mulieris Israëlitidis, & viri Ægyptii, in medio Israële

PARAPHRASIS.

1. HAs quoque Leges Deus per Mosem Israëlitis tulit. 2. Hebræi purissimum olivum, quod lucernis Candelabri singulis noctibus in Tabernaculo alendis sufficiat, conferunto. 3. 4. Has Sacerdotes quotidie, vespertino tempore, ut ad diem usque luceant, aptanto atque accendunto, perpetuáque ea cura esto.

5. Ad mensam auream in Tabernaculo, panibus perpetuò Deo adpositis, instruendam, similam Sacerdos depsito, duodecimque panes conficito, quorum singulis duo farinæ Assarones insumuntor. 6. Cocti ita mensæ imponuntur, ut duæ dumtaxat sint eorum strues, senorum panum singulæ. 7. Utrique strui lancem auream thure mundo, ad suffiendum Tabernaculum, plenam imponito. 8. Eos panes, ex collatitia Israëlitarum simila conficiendos, singulis Sabbathis novos, prioribus ablatis, Sacerdotes substituunto. 9. Ablati in Sacerdotum usum cedunto, qui iis, quippe sacrosanctis, in loco sacro vescuntor, perpetuumque hoc institutum esto.

10. Dum Moses his Legibus promulgandis occuparetur, contigit virum ex Ægyptio & Israëlitide natum, cum Hebræo rixari. 11. Tum verò Ægyptii filius irâ furens Deo Israëlis, ejus nomine prolato,

COMMENTARIUS

In CAPUT XXIV.

2. S*Umere tibi*] *Et sumant tibi*, nimirum, dandum. Vide Gen. XV, 9.

Tusione expressum] כתית *chathith*. Vide not. ad Exod. XXVII, 20.

Ut lucernæ perpetuæ &c.] *Lucerna perpetua*. Vide ad Exodi locum laudatum.

4. *Illucente*] הטהרה *tehora*. Vide not. ad Exod. XXXV, 8.

5. *Duarum decimarum*] Erant ingentes panes, cùm sex libræ farinæ minimùm in iis formandis absumerentur.

6. *Ut duæ sint strues*] שתים מערכות *schtajim maharachoth*, LXX. δύο θέματα, ἓξ ἄρτους τὸ ἓν θέμα. Vulg. *senos altrimsecus*. Alioqui & tanti panes non potuissent poni in mensa duorum cubitorum.

Mundam] Non crediderim spectari puritatem auri, quo erat obducta; sed quòd nihil huic mensæ imponeretur, præter panes & thus, adeóque semper munda esset. Altare aureum constabat quidem etiam purissimo auro, sed sanguis, quo cornua ejus oblinebantur, impediebat quominùs niteret. At mensæ nihil imponebatur, quo auri splendor corrumpi posset.

7. *Supra panem*] ללחם *lallechem*.

Suffitus] *In suffitum* לאזכרה *leazcharah*. Vide not. in Cap. II, 2.

8. *Singulis diebus Sabbathi*] *Die Sabbathi, die Sabbathi*.

9. *Erit Aharonis*] Panis qui auferetur, ut recens substituatur.

10. *Et viri*] *Et ille filius viri* &c.

11. *Protulit*] ויקב *vajjikkob*. נקב est disertè exprimere Num. I, 17. & alibi. LXX. ἐπονομάσας. Vulg. *blasphemavit*, sensûs ratione habitâ, non propriæ vocis significationis.

Nomen Jehovæ] השם *hasschem*, subauditur vox יהוה *jehovah*, quæ reverentiæ causâ, quòd de blasphemia agatur, videtur omitti. Hoc enim est nomen proprium, quo verum Numen se voluit, inter Hebræos, à fictis distingui.

Imprecatus est] יקלל *jekallel*. Aut malè precatus est, aut conviciatus. Potuit Semi-Ægyptius Deo Israëlis malè precari, optando cultum ejus ab Hebræo populo deseri, neminem ejus Numen agnoscere &c. Quamquam enim furiosæ ejusmodi imprecationes Deo nocere nequeunt,

raële *viventis;* isque Israëlitidis filius & vir Israëlita in castris rixati sunt. 11. Tum
protulit filius Israëlitidis nomen *Jehovæ* , & imprecatus est ; *quo audito, Israëlitæ*
eum ad Mosem duxerunt. Nomen autem matri ejus erat Selomithæ, filiæ Dibris,
Tribûs Danis. 12. Eum reliquerunt in custodia, ut sibi exponeretur *quid*, ex ore
Jehovæ , *ei facere oportere.* 13. Alloquutus autem est Jehova Mosem his verbis:
14. hominem, qui imprecatus est, jube castris educi, omnésque qui *imprecantem* au-
dierunt capiti ejus nitendo manus imponant, & lapidibus eum obruat omnis cœ-
tus. 15. Tum Israëlitas alloqueris, dicens, quicumque Magistratibus suis impre-
catus fuerit, peccati pœnas ferat; 16. & quicumque protulerit nomen Jehovæ mor-
te adficiatur, lapidibus eum obruat universus cœtus, seu peregrinus sit , seu indi-
gena; quia protulerit nomen *Dei*, morte pœnas det.
17. Qui hominem quemvis occiderit, morte adficietur. 18. Qui occiderit pecu-
dem eam restituet , animám*que* pro anima *dabit.* 19. Qui vitium proximo intule-
rit, aut fecerit, sic ei fiet. 20. Fractura *erit* pro fractura, oculus pro oculo, dens
pro dente ; ei qui vitium intulerit homini, simile inferetur. 21. Cædens brutum
id rependet, hominem cædens morte adficietur. 22. Unum vobis jus erit, ut pe-
regrino, sic indigenæ, nam ego sum Jehova Deus vester.
23. Alloquutus autem est Moses Israëlitas , atque eduxerunt hominem impreca-
tum extra castra, eúmque lapidibus obruerunt, & quemadmodum Mosem jusserat
Jehova fecerunt.

XXIII. Le-

to, imprecari ac malè dicere cœpit. Quo audito, Israëlitæ qui aderant correptum illico ad Mosem duxerunt, ut sceleratarum imprecationum pœnas lueret. Matri ejus Selomithæ nomen erat , eíque mulieri pater Dibris, è Danis Tribu fuerat. 12. Cùm autem Deus blasphemiæ nondum certas pœnas constituisset, Moses hominem custodiri jussit ; donec Deum ea de re consuluisset, responsumque ex Adyto accepisset. 13. Respondit verò Deus 14. educendum esse è castris, & postquàm testes capiti ejus manus imposuissent, ut significarent hunc reum esse blasphemiæ, & suâ sibi culpâ supplicium contraxisse, lapidibus à toto populo Hebræo esse obruendum. 15. Ex ea occasione, hanc legem promulgari Israëlitis jussit Deus : Quicumque Magistratibus malè precatus fuerit, pro eorum arbitrio pœnas luito; 16. quicumque verò idem scelus erga Deum admiserit, seu ab Hebræis originem ducat , seu peregrinus sit, lapidibus blasphemiæ causâ obruitor.

17. Ex occasine etiam ejusdem rixæ, Moses Leges repetiit, de homicidio capite luendo, de occisæ pecudis restitutione, 19. 20. 21. denique de pœna noxæ æquanda; 22. monuitque eadem jura indigenis & peregrinis, circa ejusmodi leges, futura; & Deum, æqui & iniqui judicem, non frustra pœnis illis leges suas sanxisse.

23. Tum Israëlitæ blasphemum castris eductum lapidibus obruerunt, adeóque Mosi dicto audientes fuerunt.

P A-

queunt, quamvis implerentur ; attamen indicia sunt animi impietate insanientis , & quidvis tentaturi , ut homines à Dei cultu avocet. Potuit & conviciari , spernendo ejus Numen , résque ab eo gestas. Ejusmodi sunt contumeliæ Pharahonis Exod. V, 2. & Rabsakis 2. Reg. XVIII, 33. Deorum suorum reverentiores non erant veteres Ægyptii , quàm Græci antiquissimi , qui aliquando contumeliosissimè de Diis loquebantur , ut liquet ex variis *Homeri* locis. Sic Iliad. Γ. vers. 365. Menelaus cùm fregisset ensem , percussâ Paridis galeâ , in hæc verba erumpit :

Ζεῦ πάτερ , ὄτις σεῖο Θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.

Jupiter pater , non est alius Deus, qui sis te exitialior. Vide & quæ dicit Helena Veneri eodem libro, vers. 599. & seqq.

Δαιμονίη , τί με ταῦτα λιλαίεαι ἠπεροπεύειν ;

Infelix cur me tantopere cupis fallere? &c. nam & malè dicit & imprecatur Deæ. Sic & Daphnis , apud *Theocritum* Eidyll. I. eamdem Deam conviciis proscindit. Multa similia , apud antiquissimos Scriptores , leguntur. Hinc natæ illæ minæ , quibus Ægyptii in Sacris interdum utebantur erga Deos , de quibus *Porphyrius* , in Epist. ad *Anebonem.* Mirum ergo non videbitur hominem ab Ægyptio genitum , usque adeò insaniisse , ut Deo Israëlis malè diceret. Magistri quænam ei rixa cum Israëlita fuerit , & quare blasphemarit norant , si illis credimus. Vide Historiam apud *Joan. Seldenum*, De Synedriis Judæor. Lib. II. Cap. I. Potest & adiri de Jure N. & G. Lib. II. c. 10, 11, 12. ab iis qui Rabbinicam doctrinam de blasphemia cognoscere avebunt.

12. *Ut iis exponeretur*] לפרש להם *liphrosch lahem* ; Mose , nimirum , Deum consulente. Nondum certa pœna blasphemis erat tunc temporis constituta.

Ex ore] על פי *hal phi* , hoc est , quâ pœnâ eum adfici juberet Deus. Vide not. ad Gen. XLI, 40.

14. *Jube castris educi*] הוצא hotse , *fac egredi.*

Capiti ejus nitendo] Ut hoc ritu significent dignum esse hominem , in cujus caput imprecationes quas protulit recidant , aut reum esse & suo scelere perire. *Maimonides* de Idol. Cap. II. §. 14. *Omnes testes* , inquit , *& judices* (quod tamen non habet Moses) *nitentes manus suas imponebant singuli & dicebant ei* דמך בראשך שאתה גרמת לך *sanguis tuus in caput tuum , tu enim hoc conscivisti tibi.* Pœnas blasphemi ita describit *Josephus* Lib. IV. c. 8. ὁ βλασφη-

μήσας

XXIII. Leges de terræ Chananææ Sabbathiſmo , de Jubilæo nono & quadrageſimo quoque anno celebrando, de venditionibus , emtionibus & redemtionibus , prout propior aut remotior futurus erat Jubilæus.

CAPUT XXV. 1. PRÆTEREA alloquutus eſt Jehova Moſem in monte Sinaï , his verbis :
2. alloquere Iſraëlitas, iiſque dicito: cùm terram, quâ ego vos dono , in-
greſſi fueritis , tum ea terra Sabbathum aget Jehovæ. 3. Sex annis feres
agrum tuum, ſex annis putabis vineam tuam, eórumque proventum colliges; 4. ſed
ſeptimo anno, terræ erunt feriæ Sabbathi, Sabbathi Jehovæ; agrum tuum *eo anno*
non feres, neque vineam putabis. 5. Meſſem ſponte natam non metes, nec uvas
vineæ non putatæ vindemiabis , feriatus hic annus terræ erit. 6. Erit Sabbathum
terræ vobis, ut ejus *ſpontaneo proventu* veſcamini , tu, ſervus tuus , ancilla tua ,
mer-

PARAPHRASIS.

1. ANTEQUAM ex Sinaïtica ſolitudine caſtra Hebræi moverent, has leges de anno Sabbathico & Jubilæo ferre Moſem juſſit Deus. 2. Cùm terram Chananæam ingreſſi fueritis, ea, veſtri inſtar, Sabbatha quoque ſua, in Creationis omnium rerum memoriam, agito. 3. Poſtquàm per ſex annos vineas & agros colueritis , eorúmque fructus collegeritis, 4. ſeptimo anno terra quieſcito, néve ager feritor, néve vinea putator. 5. Quod ſine cultura natum fuerit, ex agro ac vinea, ne metito ac vindemiato. Terra hoc anno feriator. 6. Fructibus ejus omnes promiſcuè pro arbitrio veſcuntor, ſervi, mercenarii, peregrini eos, æquè ac domini, colligunto. 7. Pecudes & feræ gramine, aliiſque fructibus liberè fruuntor.

8. Præter ſingulos annos Sabbathicos , quibus quieſcet

μένας θεὸν καταλιθωθεὶς κρεμάσθω δι' ἡμέρας , καὶ ἀτίμως καὶ ἀφανῶς θαπτέσθω : qui blaſphemarit Deum , lapidibus obrutus pendeat per diem , ac , ſine honore , clam ſepeliatur.

15. *Magiſtratibus ſuis*] לאלהיו *Diis ſuis*, ſed Magiſtratus intelligi ſequentia verba oſtendunt. Vide Exod. XXII, 28. Junguntur hîc humanæ Poteſtates Deo , ob communionem nominis אלהים , útque oſtendat Legiſlator , ſi ob maledicentiam erga Magiſtratus pœnas luere oporteret homines ; potiore jure plectendos qui ei, qui excellentiſſimo ſenſu אלהים dicitur , conviciati eſſent.

15. *Peccati pœnas feret*] Quas videbitur ipſis Magiſtratibus luere eum oportere. Verbera exponunt Magiſtri. Vide J. H. *Hottingerum* ad Legg. LXXV. & LXXVII. ubi inanes eorum argutiæ , de nomine aut Epitheto Dei in maledicendo adhibito.

16. *Protulerit nomen Jehovæ*] נקב שם יהוה *nokeb ſchem Jehova* , ſubaudiendum ומקלל & *maledicens* , ex verſ. ſuperiore , & 11. Nomine Jehovæ non intelligitur ſonus vocis יהוה, qui non eſt ſanctior aliis , quidquid nugentur Rabbini ; ſed quævis deſcriptio Dei Iſraëlis , æquè enim reus eſt qui *Creatori cœli & terræ* malè dixerit , aut *Servatori Iſraëlis* , quàm qui voce יהוה uſus fuerit. Crimen non eſt ſitum in ſono , ſed in animi impietate , quæ multiplicibus ſonis ſe prodit. *Maimonides* in Lib. de Idololatria Cap. II. §. 10. reum lapidationis eſſe negat , qui Deo conviciatus non protulerit nomen יהוה aut ארני , aut ſaltem nomen quod deleri ſcribendo, ſi fortè perperam ſcriptum ſit, non ſolet; qualia אלהים, אלה, אהיה , צבאות & שרי , quaſi verò illa ſint ſanctiora, quàm ſi quis dicat *Creatorem cœli & terræ* ! aut *quem Hebræi adorant* !

17. *Qui hominem quemvis occiderit*] *Percuſſit omnem animam hominis.* Lex legitur etiam Exod. XXI, 12. Deut. XIX, 21. Ex occaſione rixæ repeti hîc videtur.

18. *Qui occiderit pecudem* &c.] *Percuſſerit animam pecudis.*

19. *Qui intulerit vitium*] מום *mum* , luxaverit , mutilaverit membrum &c. Vide not. ad Exod. C. XXI, 24.

20. *Fractura* &c.] Vide ad Exodi locum.

22. *Unum vobis jus*] Circa homicidium. Sic & Exod. XII, 49. Sup. XIX, 33, 34. Rabbini tamen in cauſa homicidii diſcrimen ſtatuunt , de quo vide *Joan. Seldenum* de Jure N. & G. Lib. IV. c. 1.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXV.

2. CUm terram &c.] Ad terram ſolam Chananæam volunt hæc pertinuiſſe Hebræi; nec ſanè alibi poterant impedire , quominùs coloni ſeptimo anno terram colerent. Vide R. *Levin.* ad Leg. LXIX.

Sabbathum aget &c.] שבתה שבת *ſchabetha ſchabbath.* Hoc eſt , quieſcet , ut homines die Sabbathi ſolent.

3. *Eorum proventum*] *Ejus proventum* , ſed ad proventum agri , æquè ac vineæ , referendum, quamvis genus & numerus obſtent.

4. *Septimo anno terræ* &c.] Quemadmodum fuit Sabbathum exactis ſex diebus obſervandum, feriis ſingulis dierum hebdomadibus redeuntibus ; ut ſignificaret populus Hebræus ſe eum Deum colere , qui ſex diebus omnia creavit : ita quoque exacto ſexennio , oportuit ſolum Deo ſacrum ferias agere , ut omnes intelligerent ſolum illud eſſe conſecratum eidem Numini, quippe ab eo Iſraëlitis datum , ut in eo coleretur , neque unquam creationis exſtingueretur memoria. Certè id dogma tanti eſt momen-

mercenarius tuus, inquilinus tuus, & qui tecum peregrinantur. 7. Pecudibus item & feris, quæ erunt in regione tua, erit ejus proventus, ut eo vescantur.

8. Numerabis etiam tibi septem annorum Sabbatha, *seu* septies septenos annos, & erit tibi tempus septem Sabbathorum annorum, novem & quadraginta anni. 9. Peragrari curabitis *terram vestram* clangente tubâ; mense septimo, decimo die mensis, die expiationis, clangente tubâ omnem terram vestram peragrari jubebitis. 10. Annum quinquagesimum sacrum habebitis, omnibúsque terræ incolis libertatem proclamabitis; Jubilæus hic vobis erit, & *eo* quisque in possessionem suam, familiámque redibitis. 11. Hic est Jubilæus, isque vobis erit annus quinquagesimus; *terram* non seretis, neque metetis sponte nascentia, neque uvas ex non putata vite natas vindemiabitis. 12. Jubilæus est, sacer vobis erit, atque ex agro *sponte* provenientibus vescemini.

13. Anno hoc Jubilæo, revertemini quisque in possessionem suam. 14. Si quid vendas proximo tuo, aut è manu ejus adquiras, ne alter alterum opprimat. 15. Pro numero annorum, post Jubilæum, emes à proximo tuo, & pro annorum pro-

quiescet terra, & servi Hebræi libertatem recuperabunt, septimum quemque Sabbathicum, seu quadragesimum nonum observato. 9. Hoc anno, & initio quidem anni civilis, sive anni sacri mensis septimi decimo die, quo sollemnibus ritibus expiabuntur omnes Israëlitæ, tubæ per totam populi Hebræi ditionem clangunto. 10. Annus hic sacer habetor, nec servi dumtaxat Hebræi in familiam, sed etiam in prædia, redeunto. 11. 12. Hoc tamen anno, qui à tuba clangente Jubilæus dicetur, non magis quàm ceteris Sabbathicis, agros, licèt in eos redeas, colito. Sponte etiam hoc anno nascentia, in agris & vinetis, similiter publica sunto.

13. Anno Jubilæo, omnes qui avitos fundos vendiderint, in eos revertuntor. 14. Si quæ ergo pars fundorum vendatur, nemo eam in perpetuum à se vendi, aut emi existimato. 15. Proventus dumtaxat

menti, ad Religionem sartam tectam servandam, ut eo sublato nulla sit ampliùs futura. Itaque non mirum Deum non modò Sabbathismum dierum, sed etiam annorum, & hebdomadum annorum instituisse, in eam rem, quamvis & alii etiam sint harum legum fines. Eleganter R. *Levis :* משרשי המצוה לקבוע בלבבנו ולצייר ציור חזק במחשבותנו ענין חדוש העולם וגו׳ : *Ex radicibus hujus præcepti est ut infigas cordibus nostris, & forti imaginatione cogitationibus nostris imprimat negotium creationis mundi.* — *Ut igitur amoveret, evelleret & eradicaret è cogitationibus nostris æternitatem mundi, quam credunt Infideles, utque destruerentur omnes anguli ejus, & muri ejus rumperentur, cogimur excipere aliquid ab omnibus temporibus nostris, diem à diebus, & annum ab annis.*

5. *Messem sponte natam*] ספיח קצירך *sphiahh ksirchа*, αὐτόματα, ut habent LXX. Intt. hoc est, quæ ex granis deciduis oriuntur; nihil enim sine semine nascitur, sed plurima sine humana cura. Samaritæ, ut LXX. Intt. legunt plurali numero ספחי *siphhhe.*

Vineæ non putatæ] נזירך *nzircha.* LXX. Intt. τοῦ ἁγιάσματός σου, quia, nimirum, Naziræi erant Deo consecrati. Vulg. *primitiarum*, malè. Onkelos שבקך *relictionis tuæ*, Jonathan רדופיכון *posteriores vestras*, sed vis vocis non exprimitur. Samarita כלילך *chlilicha* coronæ tuæ. Ita etiam vertit נזיר Gen. XLIX, 26. quia נזר *nezer* diadema sonat. At vetus Scholiastes Vaticanus monet Samariticum vertisse τῶν χέρσων *incultarum terrarum.* Nescio quare ita verterit, nec placet quod infelix conjector *Ed. Castellus* habet in Lex. Heptagl. Res ipsa ostendit Mosem intellexisse hac voce vineam, nam quemadmodum vocat meti ספיח קציר *proventum spontaneum segetis* : sic negat colligi oportere ענבי נזיר *racemos*, cujus rei? nempe, *vineæ*, ejúsque non putatæ. Vocat autem נזיר *nzir* vineam *non putatam*, translatione à Naziræo ductâ, cujus per Naziræatûs tempus ut cæsaries non tondebatur: sic palmites, qui sunt comæ vitis, septimo anno non putabantur. Non exstat quidem alibi hæc Metaphora, sed ab Hebraïcæ Linguæ ingenio non est aliena, in qua vinum *sanguis uvæ* dicitur, Deut. XXXII, 14. Apud Poëtas Latinos frequens est. *Virgilius* in Culice, de homine sub vitis umbra quiescente,

——— viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter COMA *velat amictu.*

Vide *Fr. Taubmannum* ad eum versum, qui est 74. ubi satis exemplorum. Adde tamen hoc ex *Propertio* Lib. II. Eleg. XV.

Illic assiduè tauros spectabis arantes,
Et vitem doctam ponere falce COMAS.

Feriatus annus] *Annus feriarum.*

6. *Vescamini, tu, servus* &c.] Unicuique ex cujusvis agro colligere licebat. Atque hic alter finis anni Sabbathici videtur fuisse, ut pauperiores spontaneis terræ fructibus vescerentur. Agri quidem non sati non multùm proferunt, sed vites non putatæ eo anno ingentem sæpe copiam uvarum emittunt, unde pauperiores vinum sibi parare potuerunt.

7. *Pecudibus*] Quia vix poterat tanta copia fœni adservari, ut in biennium sufficeret; quippe quod facilè corrumpitur nimis diu servatum, nec pecudibus salubre est.

8. *Sabbatha*] Hoc est, *hebdomadas.* Vide not. ad Cap. XXIII, 15.

Septies septenos annos] *Septem annos, septem vicibus*, hoc est, quadraginta novem.

Tempus] *Dies.*

9. *Peragrari curabitis terram vestram clan-*

 gen-

proventûs numero tibi vendet. 16. Pro multitudine annorum, augebis pretium ejus; pro paucitate annorum, minues; vendit enim ille tibi numerum proventuum. 17. Alter alterum non opprimetis, sed Dei vestri timentes eritis, sum enim Jehova Deus vester. 18. Instituta mea facietis, jura mea observabitis & exsequemini; ac securi eam terram incoletis. 19. Edet terra fructum suum, ad saturitatem comedetis, tutóque eam habitabitis.

20. Si dicatis, quid comedemus anno septimo, quandoquidem non seremus, neque colligemus ptoventum nostrum? 21. Dabo vobis benedictionem meam anno sexto, & proventum trium annorum proferet. 22. Seretis anno octavo, atque vetere proventu vescemini; ad annum nonum, donec proventus ejus provenerit, veterem comedetis.

23. Terra mancupio non vendetur, quia mea est, vósque peregrini, & inquilini apud me. 24. In omni solo possessionis vestræ, redemtionem terræ date. 25. Si ad inopiam redactus fuerit frater tuus, vendideritque aliquantum ex prædio suo, ve-

taxat annorum, ad Jubilæum usque, venduntor; 16. pretiumque, pro eorum annorum numero, majus aut minus esto. 17. Nemo gratiâ atque opibus fretus alienarionem fundorum paternorum ab alio extorqueto; omnes Deum, pauperiorum & infirmiorum ultorem, si homines non metuant, reverentor. 18. 19. Jura divinitus instituta religiosè observantor; atque hac demum lege, Hebræi securam prædiorum suorum possessionem, fertilitatemque se à Deo agrorum domino & divisore, consequuturos speranto.

20. Ne propter anni cujusque septimi Sabbathismum, annonæ penuria timetor. 21. Quisquis Deum, qui omnia sex diebus creavit, reveritus agros eo non coluerit; anno sexto proventum, in triennium victum suppeditaturum, à divina Providentia exspectato. 22. Seret quidem ille dumtaxat anno octavo, at sexti anni proventum tam copiosum futurum, ut ad messem noni eo sustentari facilè queat, certò scito.

23. Terræ, quæ Hebræis dividetur, dominium penès Deum semper esto; colonique ejus ii, quibus divisa fuerit, eorumque posteri habentor. 24. Itaque partem fundi venditam redimere omnibus li-

gente tubâ] *Facies transire tubam clangoris.*

Decimo die mensis] Hic mensis primus fuit anni Civilis, à quo propterea initium anni Jubilæi desumebantur. Vide not. ad Exod. XII, 2. Verùm initium factum est non à primo die mensis, sed à decimo, aut undecimo; nam quandoquidem tubâ significabatur annus Jubilæus, initium ejus post eam demum significationem fieri poterat.

10. *Annum quinquagesimum*] De horum verborum sensu gravis est, inter Interpretes, controversia. Alii enim ipsum *quiquagesimum* annum, excluso antecedente Jubilæo, signari aiunt, ut, si Jubilæus fuisset annus 1600, Jubilæus alter incidisset in annum 1650. Alii verò *quinquagesimum* annum dici Jubilæum, quòd numeretur antecedens Jubilæus, ita ut si annum 1600 Jubilæum habuissemus, alter fuisset annus 1649. hoc est, idem ac septimus Sabbathicus.

Priores adferunt hæc Mosis verba, in quibus disertè *quinquagesimus* annus Jubilæus fore dicitur. Reponunt quidem alii initium computationis ab anno antecedente Jubilæo fieri oportere; sed tria obstant quominùs in hac responsione alii adquiescant. Unum est quòd in primo Jubilæo locus huic observationi esse non possit, quandoquidem ante eum nullus alius fuit, qui calculo clauderetur. Alterum est quod Moses ait terram eo anno neque serendam, neque metendam esse, quod necessarium non erat dictu, si hic annus Sabbathicus fuit, cùm Lex superior hoc habeat. Tertium verò, quòd hîc non absimilis adhibeatur phrasis ac quæ anteà occurrit, ubi de *Pentecostes* festo sermo erat, adeóque eodem modo intelligenda, Cap. XXIII, 15. Quemadmodum enim numeratis *septem hebdomadibus dierum*, festum illic indicitur in *quinquagesimum*, non in ultimum septem hebdomadum: ita hîc elapsis septem annorum hebdomadibus, non ultimus earum hebdomadum annus; sed quinquagesimus festus sit oportet. In hac sententia fuit, ut putant, *Philo*, qui περὶ φιλανθρωπίας pag. 544. Ed. Gen. ὅσα περὶ τοῦ πεντηκοστοῦ ἐνιαυτοῦ διατέτακται πάσαν ὑπερβάλλει φιλανθρωπίαν, *quæ sunt de quinquagesimo anno statuta, omnem superare humanitatem* ait. Idem sub finem Lib. de Decalogo, vocat Jubilæum annum πεντηκοστὸν ἔτος. Accedit & *Josephi* auctoritas, qui Lib. III. c. 12. ait Mosem jussisse ποιεῖν καὶ τοῦτο, μετ᾽ ἑβδόμην ἐτῶν ἑβδομάδα. ταῦτα πεντήκοντα μέν ἐστιν ἔτη τὰ πάντα. καλεῖται δὲ ὑπὸ Ἑβραίων ὁ πεντηκοστὸς ἐνιαυτὸς ἰώβηλος: *hoc etiam facere* (terram incultam relinquere) *post septimam annorum hebdomadem. Hi sunt omnino quinquaginta anni. Vocatur autem Hebræis quinquagesimus annus Jobelus.* Sic & *Thalmudici* in Codice ערכין, & *Maimonides* in שמיטה ויובל, aliique Judæi, exceptis paucutis *Gemaristis*.

Attamen graves sunt aliis rationes dissentiendi, & ante omnia quidem observant *quinquagesimum* dici posse annum, qui quadragesimus nonus sit, si propriè loquamur. *Nam & persæpe popularis usus*, ait *Pet. Cunæus* de Rep. Heb. Lib. I. c. 6. *quem penès norma, visque omnis & arbitrium loquendi est, Septimanam* Octiduum *adpellat, & olim maximi scriptores passim* Olympiadem, *quæ quatuor annorum spatium continet, Quinquennium vocavere.* Hinc *Aristophanes* Pluto Act. II. S. 5. seu vers. 584. de agone Olympico:

Ἵνα τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἀεὶ δι᾽ ἔτους ΠΕΜΠΤΟΥ
ξυναγείρῃ

Ubi Græcos omnes semper anno quinto congregat.

Addi-

veniet redemtor ejus propinquus, & à fratre suo rem venditam redimet. 26. Si is
cui non erit redemtor conficere potuerit, nactúsque fuerit quod redemtioni ejus sit
satis, 27. computabit venditionis suæ annos, & quod supererit restituet ei cui ven-
diderat, atque in prædium suum redibit. 28. Si verò nactus non fuerit quod sa-
tis sit, ad ei restituendum, res vendita erit in manu emtoris, ad annum usque Ju-
bilæum; atque *hic* egredietur Jubilæo, *ille* verò redibit in prædium.
29. Cùm quispiam vendiderit domum habitationis in urbe mœnibus *cincta*, erit
redemtio, donec effluxeri tannus venditionis; per annum, erit ejus redemtio. 30. Si
verò redemta non fuerit, antequàm annus integer effluxisset, tum domus illa quæ
erit in urbe mœnibus cincta, mancupio emtori cedet, in *futuras* ejus ætates; Ju-
bilæo eâ non egredietur. 31. Domus verò villarum, circa quas non sunt mœnia,
instar agri terræ reputabuntur; redemtio erit ei *qui vendiderit*, *emtor* verò Jubilæo
egredietur.
32. Sed *in* urbibus Levitarum, domuum urbium quas possidebunt æterna erit Le-
vitis

liceto. 25. Si quis paupertate adactus fundi pater-
ni partem vendiderit, tribulibus consanguineis
ejus, si sint qui pecuniam reddere queant, quan-
documque voluerint, redemtio esto. 26. Ipsi etiam
venditori, si postea satis pecuniæ possit corrade-
re, ut pretium conficiat, redimere liceto; 27. sed
annorum, qui ad Jubilæum supererunt, ratio ha-
betor; solósque eorum annorum proventus redimi-
to, & in prædium revertitor. 28. Sin verò neque
ipse, neque tribulis consanguineus ejus id redeme-
rint, emtor ad Jubilæum usque proventu fruitor,
ac tum demum fundo paterno pristino domino ce-
dito.

29. Ad domos verò quod adtinet, intra urbium
mœnia sitas, eas in perpetuum alienare liceto; at-
tamen pristino possessori, per totum annum, qui
à venditione primus elabetur, redemtionis jus esto.
30. Sin verò intra id tempus domus non redimatur,
emtori mancupio possidenda in posterum cedito,
nec ille Jubilæo eâ egredi cogitor. 31. At domuum,
extra urbium mœnia, in villis sitarum, eadem con-
ditio atque agrorum esto.
32. Levitis redimendarum domuum suarum, in
urbibus iis adtributis sitarum, æternum jus esto.
33. Qui ab Levita domum emerit, nisi prius redi-
ma-

Addimus non infrequentis hoc esse in Scriptura usûs. Sic rerum creatio absoluta dicitur Gen. II, 2. *septimo die*, quæ sexto absoluta est. Vide & not. ad v. 40. Cap. XXIII. Hinc colligit vir doctissimus, quòd quinquagesimus annus Jubilæus adpellatur, id in neutram partem momenti aliquid habere. *Dionys.* verò *Petavius* in Ration. Temp. Part. 2. Lib. II. c. 7. rem se putat conficere posse hoc modo. Si Sabbathicus à Jubilæo diversus fuisset, non raro contigisset post unam, aut alteram messem, agros otiosos relinqui, cùm tamen Deus septimo demum anno hoc fieri jubeat. Fuerit, exempli causâ, Sabbathicus annus qui Christi 1599, Jubilæus autem insequens annus 1600, fuisset Sabbathicus annus 1648, Jubilæus 1650. Itaque unus tantùm agriculturæ annus post Sabbathicum intercessisset, & biennium futurum esset inter Sabbathicum annum 1697 & Jubilæum 1700. Incredibile autem *Petavio* videtur Mosem disertam ejus rei mentionem non fecisse; debuisset enim dixisse, per sex annos colendos esse agros, nisi fortè intercederet Jubilæus. Non credibilius est nullum tam miræ observationis, in Historiis, exstare vestigium. Præterea, ut observat *Cunæus*, cùm totum hoc sit à præpotente Numinis vi profectum; quòd in Palæstina sextus quisque annus tam uberes proventus dedit, ut septimus, quem agrorum Sabbathismo Lex destinaverat, nullam pareret famem, jam profectò longè majus miraculum fuit cùm duo hujusmodi anni Sabbatharii concurrerent. Itaque quod dicitur v. 21. *Dabo vobis benedictionem meam anno sexto, & proventum trium annorum proferet*, debuisset augeri circa quinquagesimum annum. Non enim trium jam, sed quatuor annorum segetibus, unum illum annum sextum indui necesse foret.

Verissimè hæc *Cunæus*, contrà quàm credidit nonnemo, qui contrarium argumentum ex Mosaïcis verbis ducere se posse existimavit. Calculum obiter inibo, quia hoc quoque Judæos nonnullos impediit. Ponamus ergo Sabbathicum fuisse annum 1690, ab autumno, quo terra inculta remanserit, oportuisset messes anni 1689. aluisse Judæus 1. ad tempus messis anni 1690. quo nulla erat aratio: 2. ad tempus quo meti oportuisset segetes, si satæ fuissent, anno 1691: 3. ab eo tempore ad messes anni 1692. Quòd si Jubilæus incidisset in annum. 1691. anno seriùs messis fuisset, adeóque in quadriennium esse debuisset benedictio.

Si admittamus annos Jubilæos quinquagesimos, turbabitur numeratio annorum Sabbathicorum; neque septimis dumtaxit annis terra quiescet, sed & interdum ter intra octo annos, quando in Hebdomadem incidet annus Jubilæus. Sic si fuisset annus Sabbathicus 1690, Jubilæus verò 1691, tertiùm anno 1697. terra quiesceret. *Maimonides* quidem aliique dixerunt numerari non solitum annum Jubilæum, sed à sequente demum anno novam Hebdomadem cœpisse iniri, ex quo calculo incideret annus Sabbathicus dumtaxat in 1698. Verùm hoc Rabbini, ut solent, divinarunt, ut objectioni satisfacerent; nihil enim ea de re habet Moses, quæ tamen digna erat quæ Legi insereretur, eâ enim concessâ, Sabbathici anni septimi erunt, non verè, sed fictione quadam. Perinde est ac si quis diceret se Sabbatha observare septimo quoque die, licèt septimâ quaque Hebdomade diem intercalaret, cujus rationem nullam haberet. Certè Sabbatharium eum esse negarent Judæi.

Non obstat horum sententiæ quòd primus Jubilæus annus quinquagesimus, numerato prio-

re

vitis redemtio. 33. Qui ex Levitis redemerit, egredietur venditâ sibi domo & ur-
be possessionis ejus, *anno* Jubilæo, quia domus urbium Leviticarum sunt eorum,
inter Israëlitas, possessio. 34. Ager verò suburbanus eorum urbium non vendetur,
hæc enim eorum est perpetua possessio.

35. Si ad paupertatem redactus fuerit frater tuus, ejusque manus tecum nuta-
verit, eum confirmabis, *etiam* peregrinum & inquilinum, & tecum vivet. 36. Usu-
ram aut fœnus ob eo non accipies, timens eris Dei tui, & frater tuus tecum vi-
vet. 37. Pecuniam tuam non dabis ei in usuram, neque victum tuum in fœnus.
38. Ego

matur, eâ anno Jubilæo egreditor; Leviticas
enim domus Levitarum fundos esse scito. 34. A-
gri suburbani Leviticarum urbium eadem ratio
esto.
35. Cùm quispiam in paupertatem delapsus fuerit,
eum populares & tribules, ut inter ipsos vivere
queat, opibus sublevanto. Peregrinos & inquili-
nos eadem beneficentiâ prosequuntor. 36. 37. Si
quid ei mutuò dederint, ejus sortem solam ad se
redire, sine ullo fœnoris genere, curanto. Dei,
qui benignitatem usque adeò commendat, timen-
tes sunto, 38. seque ab eo omnes Ægyptiâ servitu-
te

re Jubilæo dici nequeat, cùm nullus antecesserit; nam is ipse annus, qui antecessit calculum quadraginta novem annorum, numerari potest, quamvis Jubilæus non esset, eo enim iterata fuit Lex de annis Sabbathicis & Jubilæis. Deinde *quinquagesimi anni* adpellatio non est ducta à primo Jubilæo, sed ab omnibus reliquis; qui animo Legislatoris obversabantur, cùm hanc legem tulit.

Quod repetit Moses terram Jubilæo quiescere oportere, id fieri censet *Petavius*, cùm ex ejus consuetudine, qui innumera repetit; tum etiam ne fortè qui agros suos recipiebant anno Jubilæo, crederent eum annum Sabbathicum aliorum numero esse eximendum, quòd in prædia sua redirent, qui eorum fructu indigerent.

Non necesse est esse similitudinem inter calculum Pentecostes, & calculum Jubilæi, cùm nusquam hoc dicat Moses; præterquàm quòd phrasis non est utrobique prorsus eadem, ut loca conferenti liquebit.

Auctoritas porrò Thalmudicorum, antiquorúmque Judæorum, quos laudavimus, exigui est momenti; quia fatentur, post Templum secundum, desiisse Jubilæos observari. Itaque non quod viderant, sed quod conjiciebant ex lectione Mosis referunt. Imò nec ante secundum Templum, nisi in alta pace populi Hebræi observari hoc potuit, quo fortè factum ut rari fuerint Jubilæi. *Josephi* etiam & *Philonis* verba, ut observat *Petavius*, eumdem sensum capiunt ac Mosis ipsius Lex.

Posterior sententia probabilior multò mihi videtur, quam & in Paraphrasi sum sequutus. Adeant harum rerum studiosi *Dionys. Petavium* de Doctr. Temp. Lib. IX. c. 27. ubi copiosiùs hac de re. *Josephus* etiam *Scaliger* in Opere de *Emend. Temp.* & in notis ad *Eusebium*, non semel 49 annum Jubilæum fuisse adfirmat. Vide & *Seth. Calvisium in Isag. Chron.* Capp. XXV.

Terræ incolis &c.] Hoc est, Hebræis, qui agros à Majoribus suis acceperint.

Libertatem] Hoc clariùs exponetur inferiùs.

Jubilæus hic vobis erit] יובל היא *jobel hi.* LXX. Intt. ἐνιαυτὸς ἀφέσεως σημασία ἔςαι ὑμῖν. In sequentibus יובל simpliciter ἄφεσιν vertunt. Deduxerunt, nimirum, à verbo יבל quod interdum *reducere* sonat, ut Jerem. XXXI, 9. Eamdem originem videtur respexisse *Josephus*, qui habet loco laudato: καλεῖται δὲ ὑπὸ Ἑβραίων ὁ πεντηκοστὸς ἐνιαυτὸς ἰώβηλος *vocatur ab Hebræis quinquagesimus annus Jobelus*, & paullò post: ἐλευθερίαν δὲ σημαίνει τοὔνομα, *libertatem significat nomen.* Quia autem, ut Rabbini aiunt, arietinâ tubâ canebant ad significandum Jubilæum, nonnulli volunt ejusmodi tubam יובל *jobel* dictam.

Alii contrà, apud Arabas, יובל aiunt esse arietem. Chaldæus Int. Jos. VI, 5. קרן יובל *cornu jobel*, interpretatur קרן דכרא *cornu arietis*, & sic vulgò Judæi. Sed eos confutat *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 43. Itaque quidquid dicunt de cornibus arietinis, hanc in rem adhibitis, unde annus nomen traxerit, inane est. At non verisimilius est יובל dictam esse *tubam* ab anno Jubilæo, cùm antequàm esset institutus is annus, aut saltem umquam celebratus, ea vox hoc sensu usurparetur, ut adparet ex Exod. XIX, 13.

Crediderim radicem יבל significasse, apud antiquissimos Hebræos, *clangere tuba*, aut quid simile; unde factum sit nomen *Jubalis*, qui citharam & organa invenit. Nomina enim eorum Patriarcharum deducta erant plerumque ex iis quæ invenerant, aut fecerant. Vide not. ad Gen. IV, 22. & *Dissert. de Lingua Heb.* §. 2. Hinc potuit quoque יובל *tuba* derivari. Quid si & ipsum hoc verbum exstare hoc sensu dicamus in Scriptura, ut יובל sit participium Benoni? Certè nullus locus, eorum in quibus occurrit, hanc significationem respuit. Exod. XIX, 13. במשך היבל *cùm tractim canet is qui clangit* (tubam tamen ex recepta sententia vertimus) *adscendent ad montem.* Jos. VI, 4. *septem Sacerdotes ferent septem buccinas* היובלים *clangentes* (nempe, Sacerdotes) *coram arca.* &c.

5. *Et quando tractim canet cornu* היובל *clangens.* Vide & vers. 6, 7, 13. Scio Massorethas punctasse שׁוֹפְרוֹת non שׁוֹפָרוֹת, ut sit in statu constructo, sed ea in re falli potuerunt, dum construendam hanc vocem cum sequenti crediderunt. Attamen malumus receptam sententiam sequi, quâ יובל *tubam* sonare creditur; quamquam arietinam esse non putamus. Certè tubæ sonitus, qui ex jugo Sinaïs exaudiebatur, multò major fuisse videtur quàm qui ex cornu arietino prodit; at יובל ac שופר, in ea historia, miscentur.

Quisque in possessionem] *Revertemini quisque.* Sed idem verbum repetitur in fine versûs. Hic vide-

38. Ego sum Jehova Deus vester, qui vos ex Ægypto eduxi, ut vos Chananæâ
terrâ donarem, essémque vobis Deus.
39. Cùm ad paupertatem redactus erit frater tuus, *qui* tecum *est*, & venditus ti-
bi fuerit, eum tibi mancipii instar servire non coges. 40. Mercenarii, *aut* inquili-
ni instar, tecum erit; ad annum *dumtaxat* Jubilæum, tibi serviet. 41. Egredietur
à te cum liberis, & ad familiam suam reversus in possessionem majorum suorum
redibit. 42. Sunt enim illi servi mei, quos ex Ægypto eduxi; non vendentur ven-
ditione mancipii. 43. Non exercebis in eum sævum imperium, sed Dei tui ti-
mens

te liberatos, ut agros Chananæorum ex æquo sortirentur, & omnes beneficentiæ ejus participes essent, recordantor.
39. Si quis Hebræus paupertate adactus se vendiderit, is mancipii instar servire ne cogitor. 40. Mercenarii, aut inquilini loco hero suo esto, neque ul-
tra Jubilæum in servitute vivito. 41. Cùm liberis ex uxore, quam antea duxerat, susceptis, eo anno liber exito, atque in familiam, prædiàque avita regreditor. 42. Hebræi solius Dei, qui eos Ægyptiacæ servituti eripuit, nullius hominis, mancipia habentor. 43. Mansuetè heri, communium sacro-
rum

videmus quis Jubilæi finis fuerit, quo homines in libertatem redibant, & prædia recuperabant. Hac, nimirum, lege cavit Deus, ne ii qui nullâ aliâ re ceteros populares superabant, nisi divitiis, paullatim pauperiores libertate & facultatibus præsertim omnibus spoliarent; quæ duo maxima mala Remp. Hebræorum pessumdare potuissent, aut in periculum adducere, in quod sæpe propterea adducta est Resp. Romana. Gravissimas enim seditiones in ea duo hæc concitarunt; quòd debitores, si solvendo non essent, in vincula à creditoribus raperentur, & quòd ditiores paullatim pauperiorum coëmtis agris, latifundiis suis omnia complecterentur. Hinc flagitatæ tanto ardore à plebe *Novæ Tabulæ*, *Legésque Agrariæ* tanto cum plausu exceptæ. Vide *Livium* IV, 48. VI, 15, 34. & alibi. Apud eumdem Lib. XXXII. c. 38. Nabis, ut Argivos falleret, *Concione advocatâ, rogationem promulgavit, unam de tabulis novis, alteram de agro viritim dividendo, duas faces novantibus res, ad plebem in optimates accendendam.*

Hujusmodi malis obviam ire conati sunt nonnulli Legislatores, iisdem aut similibus artibus, ac Moses. *Aristoteles* Politicorum Lib. II. c. 7. Διότι ἔχει τινὰ δύναμιν εἰς τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν ἡ τῆς οὐσίας ὁμαλότης, καὶ τῶν πάλαι τινὲς φαίνονται διεγνωκότες, οἷον καὶ Σόλων ἐνομοθέτησεν, καὶ παρ' ἄλλοις ἐστὶ νόμος, ὃς κωλύει κτᾶσθαι γῆν ὁπόσην ἂν βούληταί τις: *bonorum æqualitatem vim habere aliquam ad societatem civilem nonnulli è veteribus videntur intellexisse; cujusmodi & Solon legem tulit, & apud alios lex est, quæ vetat tantùm agri comparare, quantùm quisque velit.* Ὁμοίως δὲ καὶ τὴν οὐσίαν πωλεῖν οἱ νόμοι κωλύουσιν, ὥσπερ ἐν Λοκροῖς νόμος ἐστὶ μὴ πωλεῖν, ἐὰν μὴ φανερὰν ἀτυχίαν δείξῃ συμβεβηκυῖαν· ἔτι δὲ καὶ τοὺς παλαιοὺς κλήρους διασώζειν: *Similiter rem suam familiarem vendere Leges vetant, ut apud Locros Lex est, non vendere, nisi qui vendit ostendat calamitatem sibi contigisse. Præterea Lex jubet patrimonia antiqua, quæ sortitione obvenerunt, servare.* Idem Lib. VI. c. 4. postquàm dixit, apud populum agriculturæ studiosum, statuendum esse Legibus agri modum, quem singulis possidere liceat, addit: ἦν δὲ τό γε ἀρχαῖον ἐν πολλαῖς πόλεσι νενομοθετημένον, μηδὲ πωλεῖν ἐξεῖναι τοὺς πρώτους κλήρους· ἔστι δὲ καὶ ὃν λέγουσιν Ὀξύλου νόμον εἶναι τοιοῦτόν τι δυνάμενος, τὸ μὴ δανείζειν εἴς τι μέρος τῆς ὑπαρχούσης ἑκάστῳ γῆς: *in multis civitatibus lege constitutum erat, ne cui liceret possessiones antiquas, quæ primæ sorte obtigissent, vendere. Est & ea, quam Oxyli legem esse dicunt, talem quamdam vim habens; ut ne quis pecuniam alteri mutuam daret, parte aliquâ agri seu fundi, quem quisque habeat, ab eo pignori acceptâ.* Mosem autem obviam ire voluisse hominum avaritiæ, hac Lege, vidit etiam *Philo*; cujus paucula verba addemus ex libro περὶ φιλανθρωπίας. Sic ergo ille de anno Jubilæo: ἐπιτελοῦνται μὲν γὰρ ἃ καὶ τῷ ἑβδόμῳ, προσείληφε δέ τινα μείζονα, λῆψιν τῶν ἰδίων κτημάτων, ἃ διὰ καιροὺς ἀβουλήτους παρεχώρησαν ἑτέροις. οὔτε γὰρ τὴν κτῆσιν ἔχειν τὴν ἀλλοτρίαν ἐφίησι, τὰς εἰς πλεονεξίαν ἐπιφράττων ὁδοὺς, ἵνα τε σφάλλῃ τὴν ἐπίβουλον καὶ πάντων κακῶν αἰτίαν ἐπιθυμίαν· οὔτε τοὺς κληρούχους εἰς ἅπαν ᾤετο χρῆναι τῶν οἰκείων ἀποστερεῖσθαι, πενίας διδόντας δίκας, ἣν κολάζεσθαι μὲν οὐ θέμις, ἐλεεῖσθαι δ' ἀναγκαῖον: *Fiunt tunc eadem, quæ anno septimo, & alia majora, accedunt, scilicet, receptio prædiorum, quæ propter difficilia tempora concesserunt aliis. Neque enim possessionem alienorum permittit, sepiens vias in avaritiam tendentes, ut cohibeat insidiatricem & omnium malorum causam cupiditatem; neque eos quibus fundi sorte obtigerunt, judicavit in omne tempus spoliari facultatibus oportere, pœnas luentes ob paupertatem, quam non licet punire, imò necesse est miserari.* Addere debuisset periculosissimam esse Reipublicæ, præsertim qualis erat Hebræorum, apud quos in nullo pretio erant artes mechanicæ, ingentem pauperum agricolarum multitudinem; ἔργον γὰρ μὴ νεωτεροποιοὺς εἶναι τοιούτους, *difficile enim est ejusmodi homines res novas non moliri*, ut rectè docet *Aristoteles* Lib. II. c. 7. Politicorum.

Familiámque] Anno Relaxationis, sive septimo, redibant quidem servi Hebræi in familiam, sed possessiones non recuperabant; quo fiebat ut in servitutem, ob paupertatem, iterum se addicerent ad Jubilæum usque. At annus Jubilæus non modò libertatem servis Hebræis, sed etiam facultates quibus sustentarentur reddebat. Hoc quoque maximi erat momenti, ad Reipublicæ tranquillitatem sartam tectam conservandam; cui turbandæ nihil erat aptius ingenti copiâ servorum, qui liberi nati solâ inopiâ in servitutem delapsi erant. Ingenus enim homines, in conditione servili, spiritus liberos gerebant, & invitissimi serviebant. Servilia bella Romanorum rem extra omnem du-

mens eris. 44. Servus tuus, & serva tua erunt ex gentibus, quæ sunt circa vos; ex his servos & ancillas emetis. 45. Ex filiis etiam inquilinorum, inter vos peregrinantium, emetis *servos*; éque eorum familiis, quæ erunt vobiscum, quas genuerint in terra vestra; & à vobis possidebuntur *in perpetuum*. 46. Hos hereditate relinquetis liberis vestris post vos, ut iis in possessionem perpetuam cedant. Hos servilem in modum habebitis; sed in fratres vestros Israëlitas, alter in alterum, sæva imperia non exereebitis.

47. Si *opes* adeptus sit peregrinus, seu inquilinus, *qui* tecum *est*, & ad paupertatem redactus fuerit frater tuus, qui est cum illo, & se vendiderit peregrino, qui tecum est, aut ejus stirpi, *ex* peregrini familia; 48. postquàm se vendiderit, redemtio ei erit; unus ex fratribus ejus eum redimet, aut consanguineus quispiam ex ejus fami-

rum memores, se cum iis gerunto. 44. Mancipia verò utriusque sexûs ex finitimis Gentibus, 45. peregrinisque in Israelitico agro viventibus emere, atque in perpetua servitute habere liceto. 46. Hi heredibus relinquuntor, cum aliis facultatibus; hi servilem in modum habentor; at herilia imperia in populares, in certum tempus servientes, ne exercentor.

47. Si contigerit ditiori peregrino, aut ex peregrini prosapia oriundo pauperem Hebræum vendi, 48. Hebræo ante annum Sabbathicum redemtionis jus esto, atque à consanguineis, cum videbitur, redimitor. 49. Tribulibus ejus, proximâ consanguinitate conjunctis, ut patruo, aut patrui filio, aut ipsi, si redemtionis pretium conficere possit, id jjuris esto. 50. Annorum qui supererunt ad

dubitationis aleam ponunt. *Bellum servile*, ut hoc solo exemplo utamur, ex Epit. Liviana, Lib. LVI. *in Sicilia ortum cùm opprimi à Prætoribus non potuisset, C. Fulvio Consuli mandatum est. Hujus belli initium fuit Eunus servus, natione Syrus, qui contractâ agrestium servorum* (quales erant Hebræorum servi, pastores, aut agricolæ) *manu & solutis ergastulis, justi exercitûs numerum implevit. Cleon quoque alter servus ad septuaginta millia servorum contraxit, & copiis junctis contra Populum Romanum exercitúmque ejus bellum sæpenumero gesserunt.* Siculi tantam servorum copiam coemerant, & aluerant, quòd cùm plurimi essent pecuarii aut agricolæ, ut Hebræi, horum operâ ad colendos agros, curandúmque pecus indigebant; quod etiam Hebræis contigisset, nisi modus agri, & servitutis apud eos definitus fuisset. Vide *Appianum Alexandrinum* Bellorum Civil. Lib. I. Hinc liquet quàm sapienter institutus sit, apud Hebræos, annos Jubilæus.

11. *Non feretis* &c.] Quod esset annus Sabbathicus, ut rectè ii censent, qui repeti hoc volunt ne eum annum Sabbathicum, quo prædia sua recuparabant, ceterorum Legi exemtum existimarent, propter inopiam eorum qui in prædia redibant. Alii verò, ut diximus, præter Sabbathicum quadragesimum nonum, quievisse terram quinquagesimo perperam censent. Vide ad vers. superiorem.

15. *Post Jubilæum*] Aut ante Jubilæum, quod idem est, inibantur enim anni non Sabbathici, qui ad Jubilæum supererant.

17. *Alter alterum non opprimetis*] Non spoliabitis in perpetuum fundo avito. Quod voluit facere Achabus Nabotho, 1. Reg. XXI, 2.

20. *Quandoquidem*] הן heu *ecce*. Vide not. ad Cap. XIII, 5.

21. *Dabo vobis benedictionem meam*] צותי את ברכתי לכם *præcipiam benedictionem meam vobis*, hoc est, aut *dabo*, aut *mittam*; quorum hoc habent LXX. Intt. illud *Hieronymus*. Vide & Deut. XXVIII, vers. 8. Psalm. XLIV, vers. 5. LXVIII, vers. 29. LXXI, 3. CXXXIII, 3.

Trium annorum] Ut possit alere dominum 1. à messe anni sexti ad tempus messis septimi, 2. ab hoc tempore ad tempus messis anni octavi, 3. denique ab ea tempestate ad messem noni. Unde manifestò liquet hæc non pertinere ad Jubilæum, ut nonnulli voluerunt. Quòd autem Judæi non sererent septimo anno, magni beneficii loco petierunt ab Alexandro *τὸ ἕβδομον ἔτος ἀνείσφορον εἶναι septimum annum esse sine tributo*, ut docet *Josephus* Lib. XI. cap. 8.

Nec putandum est Deum nimiam ab incredulis Hebræis, fiduciam in Providentia sua reponi postulasse, concessâ, septimo quoque anno, agris quiete, aut solo nocuisse; pauca enim enim sunt *terrena*, ut *Columellæ* voce utar, quæ non plus semel intra septennii ambitum quiescere oporteat; cùm multa etiam sint novalia, quæ vicibus seri & quiescere necesse est, nisi cultor sementem suam perdere velit. Itaque non erat quod desperarent agricolæ Hebræi de victu necessario, accedente præsertim divino favore. Nec vetabat Deus novalibus quietem necessariò concedendam in septimum annum rejici, aut etiam ex antecedentium annorum copia fruges servari, quibus Sabbathico anno & sequente se sustentarent.

Mancupio] לצמיתות lismithouth, *in excisionem*, hoc est, in perpetuum.

25. *Redemtionem terræ date*] Ante Jubilæum, eo enim non redimebantur prædia, sed gratis recipiebantur.

Veniet redemtor] Hoc est, proximâ consanguinitate conjuncto licebit, si velit, redimere agros consanguinei, ne eorum fructibus alius tribûs homo fruatur ad Jubilæum usque.

26. *Conficere potuerit*] *Consequuta sit ejus manus.*

27. *Quod supererit*] עודף *hodeph*. Vide not. in Exod. XXVI, v. 12. Intelligitur pretium proventuum, ad Jubilæum usque, demtis sumtibus ad colendum prædium necessariis.

28. *Res vendita*] ממכרו mcharo, *venditio ejus*.

Emtoris] קנה *kone*, quod & *possessoris* potest ver-

milia; vel si *pretium* ipse naneisei potuerit, se redimet. 50. Computabit cum emtore suo ab anno quo se vendiderit, usque ad annum Jubilæum, & pretium venditionis ejus erit pro annorum numero; erit cum eo, quasi mercenarius, per *certum* tempus. 51. Si multi adhue anni supersint, pro iis restituet redemtionem suam, ex emtionis suæ pretio. 52. Si verò pauci supersint anni ad annum Jubilæum, computabit ei pro annis, & redemtionem suam restituet. 53. Erit cum eo quasi meteenarius in singulos annos conductus, neque coram te sævum imperium in eum exereebit. 54. Sin verò se non redemerit intra eos annos, at anno Jubilæo ipse & liberi egredientur. 55. Sunt enim Israëlitæ mihi servi, sunt servi mei, quos eduxi ex terra Ægyptia; ego sum Jehova Deus vester.

XXIV. Le-

ad Sabbathicum annum; aut Jubilæum; ratio dumtaxat in redemtione habetor; atque interea dum septimus annus venerit, mercenarii instar bero suo esto. 51. 52. Pro numero annorum, ad annum libertatis reliquorum, redemtionis pretium majus aut minus solvito. 53. Interea, ut dictum, quasi mercenarius, qui in certum tempus operam suam locasset, babetor; nec peregrino servi loco eum habere lieeto. 54. Sin verò Sabbathico anno servitute exire noluerit, neque se alio tempote redemerit; at anno saltem Jubilæo, ipse & soboles, ex uxore priùs ducta suscepta, egrediuntor. 55. Mancipia Dei esse, nullius alius, intelliguntor. Omnes se à Deo liberatos, ex Ægyptiaca servitute, & eo quidem Deo, cujus irrita non sunt verba, recordantor.

P A-

verti, quâ voce significabitur *Usufructuarius*.

29. *Per annum*] ימים *jamim*, dies, quod frequenter annum sonat.

30. *Antequàm*] עד had, *donec*, quod idem est, sed clarius erat antequàm.

Urbe mœnibus cincta] אשר לו׳ חמה, *cui murus*, manifestum enim est *Keri* hîc esse præferendum τῷ *Chethib*, quod habet לא. Samaritæ *Keri* in textu habent. Hinc liquet עיר fuisse communis generis, nisi sit legendum לה *lah* ei.

Mancupio cedet] קם לצמיתות *stabit in excisionem*. Alia ratio fuit domuum urbanarum, alia rusticarum; quòd hæ ad colendos agros essent necessariæ, illis possent carere rustici homines & agriculturæ dediti.

32. *Æterna erit redemtio*] Nullo tempore coërcita; sed per totos quadraginta octo annos, libera erit redimendi facultas. Hinc etiam liquet עלם significare propriè non *æternitatem*, sed omne tempus, quo res quæpiam durare solet. Vide & not. ad Exod. XXI, 6. Levitarum autem domus ceterarum sorti eximuntur, quòd exigua illi haberent, eáque suburbana prædia. Vide Num. XXXV, 4.

33. *Qui ex Levitis*] Hoc est, Levita qui redemerit domum alterius Levitæ. Tribuli licebat servare domum Tribulis sui ad Jubilæum; quòd non esset redemtoris melior conditio, in Populo Hebræo, ac ejus qui vendiderat, cùm uterque esset Levita. Sed aliis, qui majora prædia sortiti fuerant, non licebat ad Jubilæum usque habere Levitarum domos, invitis Levitis.

34. *Non vendetur*] Alii, quibus latifundia obtigerant, poterant partem agrorum vendere, sine nimio incommodo; sed agellis Levitæ carere nequibant, & ne eos extremâ necessitate adacti venderent aliâ Lege cautum erat, quâ cibaria iis ex parte saltem providerat Legislator. Vide Num. XVIII, 21.

35. *Manus tecum nutaverit*] Hoc est, non potuerit labore suo agros colere, & victum sibi parare.

36. *Usuram aut fœnus*] נשך ותרבית *neschech vetharbith*. LXX. Intt. τόκον οὐδὲ ἐπὶ πλήθει. Vulg. *usuras ab eo, nec ampliùs quàm dedisti*. Si hæ voces in versu sequenti propriè usurpantur, נשך pecuniæ usuram, תרבית augmentum ex fructibus mutuis datis, & majore copiâ recipiendis significabit. At Deut. XXIII, 19. נשך de utroque dicitur. Thalmudici ita harum vocum significationem distinguunt. Vide *Joan. Buxtorfium* in Lex. Rabbin. Hoc dumtaxat constat נשך *neschech* dici à *mordendo*, תרבית aut מרבית ab *augendo*. Fortè prius fuit fœnus, quod certis pensionibus solvebatur, posterius fructus qui majore copiâ, post collectionem, ex pacto reddebantur, quàm antea accepti fuerant: ut si pro tribus modiis, ante messem acceptis, quatuor redderentur post messem.

Tecum vivet] Hoc est, ad extremam mendicitatem non adigetur, sed suo labore, aut suis fructibus saltem victitare poterit. De usura vide not. ad Exod. XXII, 25.

39. *Venditus tibi fueris*] נמכר לך *nimchar lach*, quod potest etiam verti *vendideris se tibi*. Ejusmodi venditio civis Hebræi propriè erat venditio operæ, non corporis, ut sequentia docent. Vide not. ad Exod. C. XXI, 2. & seq. unde hæc sunt exponenda. Apud Ægyptios, inter quos licitæ erant usuræ; non licebat tamen corpus liberum vendere, ut docet *Diodorus Siculus* Lib. I. p. 71. Bocchoris, qui Ægyptiis Leges de commercio tulerat, ἐκώλυσε διὰ τῶν τόκων τὸ κεφάλαιον πλεῖον ποιεῖν ἢ διπλάσιον· τῶν δὲ ὀφειλόντων τὴν ἔκπραξιν τῶν δανείων ἐκ τῆς οὐσίας μόνον ἐποιήσατο, τὸ δὲ σῶμα κατ' οὐδένα τρόπον εἴασεν ὑπάρχειν ἀγώγιμον, ἡγούμενος δεῖν εἶναι τὰς μὲν κτήσεις τῶν ἐργασαμένων, ἢ παρὰ κυρίου ἐν δωρεαῖς λαβόντων· τὰ δὲ σώματα τῶν πόλεων, ἵνα τὰς καθηκούσας λειτουργίας ἔχωσιν αἱ πόλεις καὶ κατὰ πόλεμον καὶ κατ' εἰρήνην: *ultra duplum per usuram augeri sortem vetabat, & usuras de facultatibus dumtaxat obæratorum exigere, sed corpus in nexum duci nullo modo patiebatur; bona illorum arbitratus esse, qui vel labore ea comparassent, vel dono à domino accepissent; sed corpora civitatibus deberi, quibus ad publica belli, pacisque munia utantur*. Idem ferè obtinebat Moses, cùm

anno

XXIV. Leges de Idolis non colendis, de observando Sabbatho, de reverentia Tabernaculo exhibenda, ceterásque leges suas promissis & minis sancit Deus,

CAPUT XXVI. 1. NON facietis vobis Idola, sculptile simulacrum, statuámve vobis non erigetis, lapidem adspiciendum non ponetis in terra vestra, ut ea adoretis; sum enim Jehova Deus vester. 2. Sabbatha mea observabitis, & sacrarium revere-bimini; ego sum Jehova.

3. Si ex institutis meis incesseritis, præceptáque observaritis & feceritis, 4. dabo vo-

PARAPHRASIS.

1. NULLA simulacra falsorum Deorum, seu in certam figuram efficta, seu rudi lapide constantia, ut colantur, in Hebræorum solo statuuntor. Deum Israëlis, cujus inanes non sunt minæ, scelus hoc impune esse non passurum omnes sciunto. 2. Septimi cujusque diei, aliorúmque feriæ omnes, à Deo institutæ, sanctè observantor; Sacrariúmque Dei reverenter habetor.

3. Si moribus suis divinas leges expresserint Hebræi; 4. pluvias tempestivas agros fœcundaturas, & copiosissimum fructuum omnium proventum à Deo exspectanto. 5. Triturandis frugibus, à messis tempore ad vindemias; colligendis verò racemis, ad sationis tempus, ob summam agrorum, & vi-

anno relaxationis, & Jubilæo, tum vetando omne fœnus.

Mancipii instar servire non coges] לא תעבד בו עבדת עבד *lo thababod bo babodath bebed*, non servies in eo servitutem servi. Fortè meliùs legeretur לו תעביד *thababid* (in Hiphil) *lo*, hoc est, *servire facies ei*, vel si mavis אתו otho, *eum*. LXX. Intt. δουλεύσει σοι, quasi legisset יעבד לך *jababod lcha*.

41. *Egredietur à te cum liberis* &c.] Vide Exod. XXI, 3. & not.

43. *Dei tui timens eris*] Si homines non verearis, qui à te rationem tristioris imperii non exigent; at Deum fandi & nefandi memorem reverearis. Vide Gen. L, 19.

44. *Ex gentibus quæ sunt circa vos*] Syris, exempli causâ, apud quos venales erant innumeri servi. Vide not. ad Gen. XXXII, 5.

45. *Possidebuntur in perpetuum*] *Erunt vobis* לאחזה *in possessionem*; propriè enim non possidentur à nobis ea, quibus ad tempus fruimur.

Si opes adeptus sit] *Si adsequuta fuerit manus peregrini.* Subauditur רכוש *rechousch*, aut quid simile, quod divitias sonet.

49. *Consanguineus quispiam*] משאר בשרו *ex carne carnis ejus.* Vide not. ad Cap. XVIII, vers. 6.

Si pretium ipse nancisci] *Adsequuta fuerit manus ejus.* Athenis, ubi mollissima erat servitus, hoc quoque mancipiis licuit, ἑαυτοὺς ἐλευθερῶσαι ἀργύριον καταβαλόντας δεσπότῃ, *libertatem consequi, adnumeratâ hero pecuniâ.* Vide *Sam. Petitum*, ad Leg. Atticas, p. 179.

50. *Quasi mercenarius per certum tempus*] *Ut diebus mercenarii.*

53. *In singulos annos*] *Anno in annum.*

Coram te] *In oculis suis.*

Sævum imperium exercebit] *Dominabitur ei in sævitia* בפרך. Vide Exod. I, 13.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXVI.

1. I*Dola*] אלילים *elilim.* Vide not. ad Cap. XIX, 4.

Statuam] מצבה *matsebah.* Quod aut signum sculptoris arte factum, aut rudem lapidem erectum significat. Vide ad Gen. XXVIII, 18.

Lapidem adspiciendum] אבן משכית eben masochith, *lapidem adspectûs*; nam סכה, apud Chaldæos & Syros, est *adspicere.* Intelligitur non simulacrum arte statuariâ effictum, sed lapis aut rudis, aut in figuram conicam vel similem sectus, quales colebantur à Syris, ut ostendimus ad Genes. XXVIII, 18. Huc respexisse videntur LXX. Intt. qui habent λίθον σκοπὸν, *lapidem speculatorem*, aut *inspectorem*; quòd ejusmodi lapides consecrati essent θεοῖς τῆς χώρας σκοποῖς *diis regionis inspectoribus*, seu *præsidibus.* Sic *Pindarus*, Olympionic. Od. VI. vocat Apollinem Δάλου θεοδμάτας σκοπὸν *Deli divinitus conditæ præsidem.* In locis autem altis, ejusmodi lapides collocabantur, ut procul cernerentur, quo factum ut plures essent in monte Libano, quod ostendimus ad locum Geneseos laudatum. Hæc causa etiam adpellationis, *lapis adspectûs.* Qui *lapidem pictum* vertunt, neque exemplum proferunt *lapidis picti*, neque nituntur propriâ vocis potestate. *Lapis insignis* Vulgati Int. accedit ad veram significationem, erant enim hi lapides insignes. Samariticus Int. habet אבן מחגגרה *lapidem indicantem*, quibus videtur significare lapides oracula fundentes, qualia ferebantur esse *Bætulia* Syrorum, sed hoc nimiùm à propria vocis notione remotum. Apud Ægyptios etiam erant ejusmodi lapides conspicui, ut docet *Strabo* his verbis, Lib. XVII. ubi de via Syenâ Philas tendente: παρ' ὅλην γὰρ τὴν ὁδὸν ἦν ἰδεῖν ἑκατέρωθεν πολλαχοῦ, ὥσπερ ἑρμαῖα, πέτρον ὑλίβατον στρογγύλον, λεῖον ἱκανῶς, ἐγγὺς σφαιροειδῆ, τοῦ μέλανος καὶ σκληροῦ λίθου, ἐξ οὗ αἱ θυΐαι γίνονται, ἐπὶ πέτρῳ κείμενον μείζονι, καὶ ἐπ' ἐκείνῳ πάλιν ἄλλον· ἔστι δ' ὅτε αὐτοὶ καθ'

vobis pluvias veſtras tempore ſuo , terra edet ſuum proventum, arbor agri fructum
ſuum feret. 5. Adtinget apud vos trituratio vindemiam , vindemia adtinget ſatio-
nem, & panem veſtrum ad ſatietatem comedetis, ſecurique terram veſtram incole-
tis. 6. Pacem in ea terra dabo, cubitum ibitis neque quiſquam vos terrebit, ne am-
pliùs ſit in ea mala fera efficiam, neque per eam gladius tranſibit. 7. Perſequemini
hoſtes veſtros, & ante vos gladio concident. 8. Quinque ex vobis centenos perſe-
quentur, & centum ex vobis decies millenos, gladio cadentes ante vos. 9. Me con-
vertam ad vos , augebo vos & multiplicabo, & fœdus meum vobiſcum confirmabo.
10. Comedetis *proventum* veterem *in apothecis* inveteratum, & veterem propter novum
deprometis. 11. Tabernaculum meum in medio veſtri ponam, neque vos anima mea
faſti-

vinearum fertilitatem, erunt occupati. Omnis generis victuum copiâ abundabunt, & ſine hoſtium metu ea fruentur. 6. Altam dabit iis Deus pacem, neque ullo hoſtili tumultu publica tranquillitas turbabitur, feræ ipſæ abigentur, infeſtus nullus exercitus eorum agros, interfectis colonis, populabitur. 7. Si quando bellum gerant, hoſtiles copias cædent, 8. quamquam hoſtibus numero impares, & magnos vicinorum exercitus perpauci Hebræi fugabunt. 9. Deus numeroſam ſibi parentibus ſobolem largietur, & promiſſa omnia eorum Majoribus edita implebit. 10. Fruges in plures annos, in borreis repoſitas, habebunt, tantumque earum numerum quotannis ex meſſibus ſuis conficient, ut novis excipiendis defuturæ ſint apothecæ. 11. Deus iis præſens aderit, nec eos perpetuo tueri dedigna-

καθ' αὐτὴς ἔκειντο οἱ πέτροι· ἦν δ' ὁ μὲν μέγιστος τὴν διάμετρον ποδῶν οὐκ ἐλαττόνων ἢ δώδεκα, ἅπαντες δὲ μείζους ἢ ἡμίσεις τούτων : per totam viam, videre licebat utrimque, multis in locis, quaſi Mercuriales tumulos, lapidem altum, rotundum, læve, propemodum ſphæricum, ex nigro & duro ſaxo, ex quo mortaria fiunt, majori ſaxo impoſitum, ac rurſum ſuper eo alium. Nonnulli etiam ſeorſim jacebant. Maximi diameter erat non minor pedibus duodecim, omnes verò hujus dimidio majores erant. Hi verè poterant diei אבני מסכית *lapides adſpectûs.*

2. *Sabbatha mea obſervabitis* &c.] Hæc verba habuimus ſuprà Cap. XIX, 30.

4. *Pluvias veſtras tempore ſuo*] Vide & Deut. XXVIII, 12. Habet Moſes *pluvias veſtras* גשמכם, propter ſummam utilitatem, quæ ex iis ad homines redit. *Noſtra* enim ſæpe vocantur quæ nobis apta nata ſunt, & proſunt; ut *panis noſter*, in Oratione Dominica. Hæc autem ſunt de univerſo populo intelligenda, non de ſingulis; neque enim putandum eſt in agrum viri pii ac religioſi pluviam decidiſſe tempeſtivam, dum malorum vicinorum agri arerent; aut hos immodico imbre maduiſſe, dum ſerenum illi eſſet cœlum. Sed ſi univerſus Hebræus populus, aut maxima ejus pars, quæ pro toto habetur, divinis Legibus paruiſſet; dubium non eſt quin Deus hoc promiſſum impleturus fuiſſet. Idem de ceteris promiſſis ſtatuendum videtur; quod ſemel obſervaſſe ſatis erit.

5. *Adtinget trituratio vindemiam*] Hoc eſt, maxima vobis erit ſegetum copia, ut nullum ſuperſit vobis tempus vacuum, cùm eas triturabitis poſt meſſem, ad vindemiæ tempus. Cùm frugum ſterilitas eſt, brevi tempore triturantur.

Ad ſatietatem comedetis] Hoc eſt, habebitis quo ſatiemini.

6. *Cubitum ibitis* &c.] Hoſtium metus vos non coget excubias agere, nec eorum adventus ſubitò ex ſomno excitabit, ad fugam, aut arma capienda. Dici de Iſraëlitico ſolo potuiſſet, dum divinæ leges obſervabantur:

Hic ſecura quies, & neſcia fallere vita.

8. *Quinque centenos* &c.] Proverbium eſt quo pauci pluribus ſuperiores fore ſignificantur, ob immiſſum divinius terrorem iis qui plures erunt. Vide Joſ. XXIII, 10.

9. *Me convertam*] Deus *vultum* ad eos *convertere* dicitur quibus favet. Vide Num. VI, 26. Haud abſimiliter *averſos*, & *reſpicientes* Deos dixerunt Romani, metaphoris à rebus humanis petitis; cujus rei exempla, apud *Plautum* & *Virgilium*.

10. *Veterem propter novum*] Hoc eſt, *vincent borrea meſſes.* Non ſatis erit Apothecarum & horreorum, ut veteres & recentes fructus omnes ſervare poſſis, donec iis indigeas.

11. *Tabernaculum ponam*] Non videtur adludere ad Tabernaculum Conventûs, ſed phraſi uti deſumta ex Scenitarum moribus, qui diutiſſimè tendebant in locis quæ amœniſſima videbantur, adeóque maximè omnium placebant. Vide not. ad Gen. IV, 20.

12. *Ero vobis in Deum* &c.] Vide notat. ad Gen. XVII, 7.

13. *Vectes jugi veſtri*] Gravibus vectibus onerantur juvenci, quibus fit ut depreſſiorem gerant cervicem. LXX. Intt. δεσμὸν, Vulg. *catenas* vertit, malè. Vide 1. Paral. XV, 15. & Jer. XXVIII, 10. Latini etiam paſſim imperium vocant *jugum*.

Erecti] קוממיות *kommemijouth*, ut juvenci qui numquam jugum ſubiere, aut id excuſſere. LXX. Intt. ſenſum expreſſere his verbis μετὰ παῤῥησίας, & Onkelos בחירותא *in libertate*.

16. *Pœnas de vobis ſumam*] *Viſitabo ſuper vos terrore* &c.

Phthiſi] שחפת *ſchabbepheth.* LXX. Intt. ψώραν, Vulg. *paupertatem*, ut & ipſi LXX. Deut. XXVIII, 22. Malim morbum intelligere, cùm apud Arabas סחף *ſebbaphon*, phthiſin ſignificet.

Febri ardente] קדחת *kaddabbath.* LXX. Intt. ἴκτερον, Vulg. *ardorem.*

Quæ oculos abſumunt] *Celſus* de Medicina Lib. VI. c. 6. §. 14. *Evenit etiam ut oculi vel ambo, vel ſinguli minores fiant, quàm eſſe naturaliter debeant.* An hoc ad hunc locum Moſis pertineat, viderint Medici, & qui

mor-

fastidiet. 12. Incedam in medio vestri, ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum. 13. Ego sum Jehova Deus vester, qui vos eduxi ex Ægyptiorum solo, ne essetis *ampliùs* illis servi, confregi vectes jugi vestri, atque ut erecti incederetis effeci.

14. Sin verò non audiveritis me, nec feceritis omnia hæc præcepta; 15. si instituta mea repudiaveritis, si jura mea fastidierit anima vestra, ne faceretis omnia mea præcepta, útque fœdus meum frangeretis; 16. ego quoque hæc vobis faciam, pœnas de vobis sumam terrore, phthisi, febri ardente, quæ oculos absumunt, & animo dolorem creant, feretis in cassum sementem vestram, eámque comedent hostes vestri. 17. Iram meam in vos convertam; cædemini in conspectu hostium vestro-

gnabitur, 11. omnibúsque beneficiis populum se purè colentem, præceptorúmque suorum servantem cumulabit. 12. 13. Non est autem quod dubitent, an Deus quæ pollicetur sit impleturus, cùm sit idem ille Deus, qui Ægyptiacæ servituti ereptis, atque in libertatem adsertis, se nihil frustra promittere rebus ipsis demonstravit.

14. 15. Sin verò jura divinitus instituta observare noluerint Hebræi, legésque jussu Dei latas spreverint, contraria omnia sibi eventura esse sciunto. 16. Deus violatarum suarum legum pœnas ab iis repetet, immissis in eos sævis & exitialibus morbis. Si serant, segetes, non ipsi, sed hostiles exercitus metent. 17. Irato Numine, Hebræorum copiæ ab hostibus fugabuntur, cædentúrque, & tanto agentur terrore, ut, nemine sequen-

morbos Ægyptiorum & Syrorum norunt.

17. *Iram meam in vos convertam*] נתתי פני *ponam faciem meam.* Vide ad Cap. XVII, 10.

18. *Septies*] Hoc est, frequentiùs. Vide not. ad Gen. IV, 15.

19. *Pertinaciæ vestræ*] עזכם *huzzechem.* LXX. Intt. verterunt incommodè τὴν ὕβριν τῆς ὑπερηφανίας. Vulg. *superbiam duritiæ*, quem sequuti sumus, propter antecedentia. Ac sanè העז פנים hehez phanim, *confirmare vultum*, est pertinacem se præbere Prov. VII, 13. XXI, 29.

Cœlum vestrum instar ferri &c.] Aër non plures pluvias demittet, quàm si ferreus esset; nec terra majorem proventum feret, quàm si ænea. Vide Deut. XXVIII, 33.

21. *Si mihi contrà iveritis*] תלכו עמי קרי *thelechou bimmi keri.* LXX. Intt. πορεύησθε πλάγιοι *ambulaveritis obliqui.* Rectiùs vertissent, ἀντίοι *adversi.* Vulg. *ex adverso.* קרי pro בקרי bekeri, *in adversum.* Vide vers. 24. & 27. Sic ex radice adfini לקראת likrath, *obviam*, sæpe dicitur de hoste obviam eunte infesto exercitu. Vide Deut. I, 44. Dura est eorum interpretatio, qui *casu* interpretantur. *Onkelos* habet בקשיו *in duritia.* Samarita מרי mri, *inobedienter.*

Septies] Vide ad vers. 18.

22. *Feram agri*] Leones, aliásque feras ex Arabia deserta. Vide 2. Reg. XVII, 25.

Viæ vestræ desolabuntur] Quia pauci iter facere per Chananæam, propter infestas feras, audebunt.

23. *Emendati fueritis*] תוסרו *thivasseron.* LXX. Intt. rectè παιδευθῆτε, hoc est, didiceritis meliores esse, pœnis inflictis.

24. *Septies*] Ut verss. 21, & 18.

25. *In urbes*] Non audebitis manere ruri, sed desertis agris in urbes munitas confugietis, villásque vestras diripiendas hosti relinquetis.

Immittam pestem vobis] Quæ consequi persæpe solet fugam agricolarum, cùm urbes nimio hominum & pecudum numero implentur. Sic cùm Peloponnesii Atticam devastarent, confugientibus in urbem colonis, ingens illa pestis coorta est Athenis, quam describit *Thucides* Lib. II.

In manum hostis vos tradam] Peste & fame imminutos, adeóque impares hostilibus copiis.

Frangam vobis scipionem panis] Quemadmodum qui sine scipione incedere nequit, eo fracto, sedeat, aut jaceat necesse est: ita *fracto*, id est, sublato pane, quo homines sustentantur, mortui concidant oportet. *Panis* autem dicitur *scipio*, quia corpus debilitate alioqui fatiscens sustentat.

Nam quoniam non est, quasi quod SUFFULCIAT *artus*,
Debile fit corpus, languescunt omnia membra,
Brachia, palpebræque cadunt, poplitésque procumbunt.

Quæ sunt verba *Lucretii* Lib. IV. Sic & Ulysses, apud *Homerum* Iliad. Τ. vult Græcos jentare, antequàm prælium ineant, addítque — τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή: *hoc enim robur est & fortitudo.* Simili metaphorâ, Hebræi *panis scipionem* vocant panem, quo *cor fulcitur*; quemadmodum loqui solent, Gen. XVIII, 5. *Frangi is scipio* dicitur, cùm non suppetit panis, ut sequentia Legislatoris verba ostendunt, ubi dicit, *decem mulieres coquent panem in furno uno* &c. quæ inopiam tritici significant. Vide & Ezek. IV, 16. Alii perperam existimant vim nutriendi à Deo pani interdum demi; adeò ut quamvis suppetat frumentum, multusque panis comedatur, & in stomachum demittatur, attamen homines satiari nequeant, quod, ut puto, numquam contigit; quamvis *sæpe accidisse* dicat vir summus *Hierozoici* Part. I. Lib. II. c. 41. Meliùs multò LXX. Intt. ἐν τῷ θλίψαι ὑμᾶς σιτοδείᾳ ἄρτων, *cum vos premam penuriâ panum.*

Comedetis sed non satiabimini] Ut suprà vers. 5. *ad satietatem comedere* non est divinâ potentiâ exiguo cibo satiari, quo alioquin homines, ex consueto ordine naturæ, non satiarentur: ita hîc *comedere & non satiari* non est multùm comedere, sine satietate. Comedere ad satietatem ii dicuntur, quibus non deest cibus, & qui eam copiam ejus deglutiunt, quæ satiare queat: comedere verò non ad satietatem, quibus

vestrorum, vobis dominabuntur qui vos oderunt & fugietis, nemine persequente.
18. Si verò eò usque mihi obsequuti non fueritis, tum pergam vos plectere septies ob peccata vestra. 19. Frangam superbiam pertinaciæ vestræ, cœlúmque vestrum instar ferri, & terram vestram instar æris efficiam. 20. Vires vestræ frustra absumentur, non emittet ea terra proventum suum, neque arbores terræ fructum suum edent. 21. Si mihi contrà iveritis, neque mihi obsequi volueritis; tum verò pergam plagam vobis *impingere*, septies pro peccatis vestris. 22. Mittam in vos feram agri, orbos vos faciet, pecus vestrum exscindet, imminuet vos, & viæ vestræ desolabuntur. 23. Si ne his quidem emendati mihi fueritis, sed mihi contrà eatis, 24. vobis ego etiam contrà ibo, vos ego quoque septies ob peccata vestra per-

quente, sint fugituræ, nec nisi vectigales agros à victore recepturæ. 18. Si ne hæe quidem satis erunt, ut ad meliorem frugem redeant, novis & multiplicibus pœnis feroces animos frangere Deus perget. 19. Neque nubes pluviam demittent in agros, neque agri, siccitate indurati, ullâ arte fœcundari poterunt. 20. Frustra summo labore terra coletur, maxima erit ubique & terræ & arborum sterilitas. 21. In nequitia autem obduratis & alias infliget Deus non unius generis pœnas. 22. Feræ ex Arabia deserta in Hebræorum agros magno numero irrumpentes, & pecudes & homines vorabunt; orbósque & gregibus spoliatos usque adeò terrebunt, ut iter per suam ditionem vulgò, & soli, ut antea, facere ausuri non sint, adeóque desertæ similis sit futura. 23. Si verò pergant divinis

bus non est satis cibi, ut quotidie ad satietatem comedere possint. Nihil aliud hîc quærendum est, ut satis ostendunt superiora verba.

28. *Iratus vobis contra ibo*] *Ibo vobiscum in ira* קרי *contrarietatis*; hoc est, iratus omnia cœpta vestra irrita faciam. LXX. Intt. πορεύσομαι μεθ' ὑμῶν ἐν θυμῷ πλαγίῳ. Vulg. *incedam adversùs vos, in furore contrario.*

Septies] Vide sup. ad vers. 18.

29. *Comedetis carnem filiorum vestrorum*] Hoc contigit in obsidione Samariæ, 2. Reg. VI, 28. & fortè alibi, si ad aliam Historiam respicit Jerem. Lam. IV, 6. Jerosolimæ etiam ultimùm obsessæ simile facinus accidisse auctor est *Josephus* Bell. Jud. Lib. VII. cap. 21. in Græcis.

30. *Edita vestra loca*] במותיכם *bamothechem.* Mos fuit variarum Gentium, in editis potissimùm locis, Sacra facere. De Persis disertè observat *Herodotus* Lib. 1. c. 131. Οἱ δὲ νομίζουσι, inquit, Διὶ μὲν τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν: *moris eis est altissima montium juga adscendentibus Jovi sacra facere.* Sic *Cyrus*, apud *Xenophontem*, Sacra facit Διΐ τε πατρῴῳ καὶ ἡλίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς ἐπὶ τῶν ἄκρων, ὡς Πέρσαι θύουσι, *Jovi patrio & Soli & aliis Diis, in summis montium jugis, qui Persis sacrificandi mos est.* Lib. VIII. p. 233. Vide & *Strabonem* Lib. XV. p. 503. Ed. Casaub. Genev. Videmus & *Homerum* Trojanorum Templa & Altaria in arce, aut in summo Idæ jugo collocare. Sic Jupiter Iliad. X. vers. 170. de Hectore loquitur:

— ὅς μοι πολλὰ βοῶν ἐπὶ μηρί' ἔκηεν
Ἴδης ἐν κορυφῇσι πολυπτύχου, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ἐν πόλει ἀκροτάτῃ.

Qui mihi multa boum femora adolevit, cùm in jugis Idæ vertices multos habentis, tum in summa urbe. Hymnus in Apollinem, qui *Homeri* nomen præfert, juga montium ei quoque Deo persæpe sacra fuisse docet, vers. 144. ubi sic Poëta Deum adloquitur:

Πᾶσαι δὲ σκοπιαί τοι φίλαι, καὶ πρώονες ἄκροι
Ὑψηλῶν ὀρέων.

Omnes enim speculæ caræ & vertices summi altorum montium. Apud Athenienses etiam & Romanos, Templa in arce erant augustissima, ut omnes norunt. Vicini Judæorum in excelsis locis solebant etiam Sacra facere, ut passim docent Scriptores Sacri.

Ædes vestras solis] חמניכם *bhamanechem.* Quid hæc vox propriè significaret ignorabant LXX. Intt. quam hîc verterunt ξύλινα χειροποίητα, alibi εἴδωλα, alibi ὑψηλὰ, alii βδελύγματα, alibi τεμένη. Vulg. *simulacra*, alibi *fana.* Onkelos חנסניכון, quæ vox obscura est. Omnium optima interpretatio videtur esse quæ *Templa Solis* significari statuit. Primùm חמה *bhammah* solem significat Esai. XXIV, 24. à חמם bhamam, *incaluit.* Secundùm, 2. Par. XXXIV, 6. distinguuntur חמנים *bhamanim* à statuis; *destruxerent*, ait Sacer Historicus, *coram eo altaria Bahalorum* & החמנים hahhamanim, *quæ in altum* exstructa *supra ea erant, exscidit; lucosque & sculptas ac conflatas statuas fregit, contrivit ac sparsit in sepulcra eorum, qui iis Sacra faciebant.* Cùm altari simulacrum non imponeretur, nihil aliud intelligi potest, præter Templi parietes circumquaque in altum exstructos. Tertiò, vocem חמנים *bhamanim* vertisse videntur Græci, qui πυραιθεῖα, aut πυρεῖα vocarunt Templa eorum, qui in honorem Solis æternos ignes alebant. *Strabo* Lib. XV. p. 504. Ἐν Καππαδοκίᾳ (πολὺ γάρ ἐστι τὸ τῶν Μάγων φῦλον, οἳ καὶ Πύραιθοι καλοῦνται. πολλὰ δὲ καὶ τῶν Περσικῶν θεῶν ἱερά) — ἔστι δὲ καὶ Πυραιθεῖα, σηκοί τινες ἀξιόλογοι· ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμὸς, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ Μάγοι: *In Cappadocia (etenim magna est ibi Magorum multitudo, & multa Persicorum Deorum Templa) sunt Pyræthcia septa quædam memorabilia. In hisce mediis, est ara, in qua multus est cinis, & inexstinctum ignem alunt Magi. Theodoretus* Lib. V. c. 39. Hist. Eccles. de Persis: πυρεῖα δὲ καλοῦσιν οὗτοι τοῦ πυρὸς τοὺς ναούς· θεὸν γὰρ τὸ πῦρ ὑπειλήφασι: *pyreia vocant templa ignis; ignem enim Deum esse credunt.*

Cadaveribus stercoreorum numinum] Quòd, nimirum, Israëlitæ ad Ægyptiorum imitationem, animalia, quasi Symbolicas Numinum imagines, aluissent. Hæc animalia occisum iri,

percutiam. 25. Adducam in vos gladium ultorem, qui fœdus *violatum* ulciſcetur; in urbes veſtras cogemini; tum immittam peſtem vobis, atque in manum hoſtis vos tradam; 26. dum frangam vobis ſcipionem panis, & decem mulieres coquent panem veſtrum in furno uno, reddéntque panem veſtrum ad pondus, & comedetis, ſed non ſatiabimini. 27. Si ne propterea quidem mihi obſequamini, ſed mihi contrà eatis; 28. tum ego iratus vobis contrà ibo, vóſque ego etiam ſepties ob peccata veſtra puniam. 29. Comedetis carnem filiorum veſtrorum, & carne filiarum veſtrarum veſcemini. 30. Diruam edita veſtra loca, ædes veſtras ſolis exſcindam, cadavera veſtra cadaveribus ſtercoreorum numinum veſtrorum imponam, voſque anima mea faſtidiet. 41. Urbes veſtras in ſolitudinem redigam, devaſtabo ſacraria veſtra, neque odorem placamentorum veſtrorum olfaciam. 32. Depopulabor ego eam terram, & propterea hoſtes veſtri, qui eam incolent, obſtupeſcent. 33. Vos diſpergam per gentes, & poſt vos ſtringam gladium; erit terra veſtra deſolata,

vinis legibus obluctari, 24. Deum ſibi iratum novâ malorum facie ſentient. 25. Hoſtiles copiæ eorum agros ingreſſæ quoſcumque ruri invenient occident, reliquos in urbes munitas cogent, ubi cum peſtilentia conflictabuntur, ac tandem in poteſtatem hoſtium ſe dedant oportebit. 26. Poſtea & altero malo, quod peſtem ſequi ſolet, fame, nimirum, terentur, nec erit quo latranti ſtomacho ſatisfaciant. 27. Si ne tot quidem & tam graves calamitates animos eorum, ad obſequium divinis legibus præbendum, flectere queant; 28. tum verò extrema omnia exſpectent neceſſe eſt. 29. Non modò non habebunt quo ſatientur, ſed tantâ penuriâ laborabunt, ut ſuos ipſi occiſuri ſint liberos, ut eorum carne veſcantur. 30. Editorum locorum, in quibus Sacra facere falſis Diis ſoliti fuerint, cacumina in valles dejicientur; templa Solis ſolo æquabuntur; occiſorum cadavera, cadaveribus ſacrorum animalium miſta, putreſient. 31. Populoſiſſimæ urbes in ſolitudines convertentur, ne Sacrario quidem ſuo Deus parcet, nec ullis amplius Sacris pax ejus impetrabitur. 32. Hoſtes, qui ad terram veteribus colonis deſtitutam incolendam venerint, mirabuntur bello uſque adeò fuiſſe deſo-

iri, & eorum cultores unà cum illis prædicit Deus, ſi quando ad hoc Idololatriæ genus relaberentur. De Animalibus ab Ægyptiis cultis vide not. ad Exod. Cap. XX.

Stercoreorum Numinum] גלוליכם *gillouleche m.* Contumelioſum eſt nomen falſi Numinis, adfine τῷ גלל *galal*, quod *Stercus* ſignificat. Εἴδωλα plerumque vertunt LXX. Intt.

31. *Sacraria veſtra*] Falſorum Deorum, de quibus antea; aut potiùs veri Dei ſacrarium, de quo contemtim loquitur Deus, non dignatus *ſuum* vocare, quod ſceleribus Hebræorum foret pollutum. Eſt Pluralis numerus, pro ſingulari, ut Pſ. LXXIII, 17. LXXIV, 7. ob varia loca diſtincta in Tabernaculo & Templo, quæ omnia erant מקדשים *ſacraria*. Judæi de Synagogis etiam intelligunt, quæ videntur Pſ. LXXIV, 8. מועדי אל mohade el, *conventus Dei* vocari.

Odorem placamentorum non olfaciam] Hoc eſt, non placabor vobis, mihi diſplicebunt ſacrificia veſtra. Vide not. ad Gen. IX, 21.

34 *Feriis ſuis*] שבתתיה *ſchabbethotheba.* Hoc additur, quòd Judæi alienos Deos colentes, Sabbathiſmum anni ſeptimi non obſervarent, ut ex ſequentibus verbis liquet. Eſt hîc proſopopœa, qualem obſervavimus ad Cap. XVIII, 25.

35. *Sabbathis veſtris*] Septimis annis. Vide ad Cap. XXV.

36. *Mollitiem*] מרך *morech.* LXX. Intt. verterunt δειλίαν, *timiditatem*, non διλίαν, ut mendosè in Alexandrino Codice legitur, aut δυλείαν, ut mendoſiùs habet Vaticanus. *Hieronymus*, *pavorem.* Videtur animus mollis intelligi, quo fiet ut in hoſtico ſolo bellum gerere auſuri non ſint. Vix quidquam eſt, apud *Homerum*, frequentius, quàm à Numine fortitudinem, aut timorem hominum animis injici. Unus locus omnium inſtar erit, ex Iliad. P. 175. ubi Glauco timiditatem exprobranti reſpondet Hector:

Οὔτοι ἐγὼν ἔῤῥιγα μάχην, οὐδὲ κτύπον ἵππων,
Ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος αἰγιόχοιο,
Ὅτε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ, καὶ ἀφείλετο νίκην
Ῥηϊδίως· ὅτε δ' αὐτὸς ἐποτρύνῃ μαχέσασθαι.

Non timui ego prælium, neque ſtrepitum equorum, ſed ſemper Jovis ægidem geſtantis potentior eſt animus, qui & virum fortem terret, & auſert victoriam facilè, quando ipſe compellit ad pugnam.

Eo modo quo fugitur gladius] *Fuga gladii* מנסת חרב.

37. *Impingent quaſi gladium fugientes*] *Ut à facie gladii.* Particula מפני *mippbene* fugam ſolet deſcribere, nec potuit aliter exprimi. Hujuſmodi autem eſt tumultus exercitûs in fugam, hoſte ſequente, converſi, ut alii alios trudant. Vide deſcriptionem fugæ Trojanorum à navibus Græcorum Iliados Π. ubi inter alia hæc leguntur.

— ὑπὸ δ' ἄξοσι φῶτες ἔπιπτον
Πρηνέες ἐξ ὀχέων, δίφροι δ' ἀνεκυμβαλίαζον.

Sub axibus viri cadebant proni ex curribus,
Currus autem reſonabant ſubſultantes.

In quo in conſpectu hoſtium ſtetis] תקומה *thkoumah*, hoc eſt, *ſtatio.* Sic מנוחה *mnouhhah* eſt locus quietis, Gen. XLIX, 15. At LXX. Intt. & Vulg. de actione reſiſtendi intellexerunt, habent enim οὐ δυνήσεσθε ἀντιστῆναι, *non audebitis reſiſtere.*

39. *Contabeſcent ob peccata*] בעונם bahavonam, *in peccatis*, quod alii interpretantur, ita

ta, & oppida vestra erunt solitudo. 34. Tunc delectabitur terra feriis suis, quamdiu erit desolata, vósque in hosticum solum *abducti*; tunc, *inquam*, feriabitur terra & feriis suis delectabitur. 35. Quamdiu erit desolata feriabitur, quandoquidem Sabbathis vestris non erit feriata, dum eam incoleretis. 36. Eorum, qui ex vobis supererunt, animis immittam mollitiem, cùm erunt in hostium suorum terris; sonitus folii *vento* impulsi eos persequetur, fugiéntque eo modo quo fugitur gladius, & cadent, nemine persequente. 37. Alii in alios impingent, quasi gladium fugientes, quamquam nemo persequetur; neque vobis locus erit, in quo in conspectu hostium vestrorum stetis. 38. Peribitis inter gentes, & hosticum solum vos absumet.

39. Superstites verò è vobis, in terris hostium vestrorum, contabescent ob peccata sua, & præterea ob peccata majorum suorum tabescent. 40. *Tum* verò confitebuntur peccatum suum, & peccatum majorum suorum, prout perfidè mecum se gesserint, & mihi etiam contrà iverint; 41. *qua de causa* etiam ego iis contrà ivero, eósque in hosti-

solatam. 33. Interea Hebræi superstites in patriam solum redire non ausi, per vicinas Gentes latè spargentur, quò profugere licebit. 34. 35. Eo tempore agri, quibus septimi anni requies, Legibus divinis præcepta, à contumace populo concessa non fuerat, diu feriabuntur. 36. Hebræi, per hostium suorum terras palantes, animos despondebunt, vel minimâ re terrebuntur, & sibi ipsi terrore suo exitium, etiam cessantibus hostibus, creabunt. 37. Tumultus subinde inter eos orientur, quamquam hostiles copiæ aberunt; neque ullo in loco consistere coram iis audebunt, 38. ac tandem erroribus & fugâ omnes pænè absumti in alieno solo deficient.

39. Qui verò tot cladibus, calamitatibúsque superstites extra patriam fuerint, tandem ad animum revocabunt peccata, quæ Majorum exemplo corrupti admiserint, & quæ ipsi avitis sceleribus adjecerint; ac dolore summo adfecti, 40. agnoscent tandem violatas à se, Majoribúsque suis leges divinas, 41. ac propterea innumeris malis, exilióque meritas Deo pœnas luisse. Quamvis digni futuri sint qui planè à Deo, quem tam pertinaciter offenderint, negligantur; attamen si tum de-

in pœnis peccatorum. Similis est phrasis apud Ezek. XXIV, 23. XXXIII, 10. *Tabes* hîc animi summum dolorem, résque adversas sonat, ut in illo *Persii* Sat. III.

Virtutem videant, intabescántque relictâ.

Ob peccata majorum suorum] Hoc est, ob peccata eadem, ac ea quæ Majores eorum admiserunt; quæ ipsi non modò imitati sunt, sed novis sceleribus cumularunt. Hoc voluisse videtur *Oukelos*, qui habet: בחובי אבהתהון בישיא דאחידין בידיהון יתמסון: *propter peccata pessima patrum suorum, quæ adprehenderunt manibus suis, tabescent.* Alioquin ex Lege, filii pro parentibus plecti nequeunt. Vide not. ad Exod. XX.

40. *Peccatum suum, & peccatum majorum suorum*] Hoc est, peccata quæ Majores imitati commiserunt, & præterea quæ Majoribus suis ignota ipsi deliquerunt.

Prout perfidè mecum se gesserint] *In perfidia sua, quam perfidè admiserint in me.*

41. *Si tum*] או אז *o az.* Cùm non sit locus hîc disjunctivæ particulæ *aut*, או vertimus *si*, quomodo eam particulam alibi verti oportere constat, ut 1. Sam. XX, 10. Sic & alii plures Intt. Sed fortè legendum אם *im.*

Abjiciet se] יכנע *jiccbanah*, hoc est, populus Hebræus superbiam exuet, agnoscétque se hæc ob peccata sua commeritum esse, & à Deo solo pendeat. LXX. Intt. ἐντραπήσεται & Vulg. *erubescat*, incommodè. Vide 2. Paral. XXX, 11. XXXII, 26.

Animus incircumcisus] Cùm circumcisio ritus sit Symbolicus, quo cupiditatum amputatio significatur; *animus incircumcisus* dicitur pravis adfectibus impeditus. Vide not. ad Gen. XVII, 11.

Peccatum suum expiabunt] ירצו *jirtson.* Quamvis רצה significet plerumque *probare*, hîc manifestum est significari expiationem. Scholiastes Vaticanus testatur Samariticum habuisse ἱλάσονται *expiabunt.* Interpres certè noster Samariticus habet ירחון, hoc est, expiabunt, nam הריח *olfacere* odorem placamenti est *placari*, in illa Samaritica Dialecto, ut in Hebr. Lingua. Apud Hebræos לרצון sæpe significat *ad favorem*, nempe, Dei obtinendum, ubi de sacrificiis sermo est. Vide not. ad Exod. Cap. XXVIII, 38. Expiatio autem de qua hîc sermo est, non ea est, quæ fieri posset sacrificiis; quæ nec quælibet peccata expiare, nec in alieno solo fieri poterant. Sed pax Dei impetrari potuit toti populo, aut magnæ ejus parti, confessione peccatorum, imploratione misericordiæ divinæ, & morum in melius mutatione. Hinc *Hieronymus*: *orabunt pro impietatibus suis.* Oukelos etiam habet ירעון jirhoun, *placabunt.*

42. *Fœderis mei cum Jacobo*] *Fœderis mei Jacobi* בריתי יעקב. Eadem est constructio, in sequentibus. *Meminisse* dicitur *Fœderis* Deus, cùm promissa sua exsequitur, hominibus id præstantibus quod ex fœderis legibus præstare debent. Vide Exod VI, 5, 6.

43. *Eò dumtaxat quòd jura mea*] יען וביען *jaban oubjaban.* In repetitione particulæ videtur esse ἔμφασις, quâ significat Deus, hac sola de causa, miseros fore Israëlitas, quòd sua mandata observaturi non essent. Vide Ezek. XIII, 10. XXXVI, vers. 3. Prævidebat fortè Legislator fore olim homines qui negarent Divinam Providentiam, & casu ea mala Israëlitis contigisse dicerent. Sic Philisthæorum principes dubitabant an plagæ à Deo Israëlis sibi inflictæ essent casûs, an verò ejus iræ. 1. Samuel. VI, vers. 9. Descri-

hosticum solum abduxero. Si tum *demum* abjiciet se animus eorum incircumcisus, & tum peccatum suum expiabunt; 42. meminero fœderis mei cum Jacobo, fœderis mei cum Isaaco, & fœderis mei cum Abrahamo, & terræ quoque recordabor. 43. Terra ab illis relicta fuerat, & feriis suis delectabatur, dum erat deserta ab iis; at illi peccata sua expiabunt, eò dumtaxat quòd jura mea repudiarint, & instituta mea eorum anima fastidierit. 44. Quamvis fuerint in terra hostium suorum, eos non repudiavero, neque fastidivero, ut eos absumam, utque irritum faciam fœdus meum cum iis; sum enim Jehova eorum Deus. 45. Recordabor in eorum gratiam fœderis, quod cum primis fecero, cùm eos in oculis gentium è terra Ægyptia educerem, ut essem iis Deus; ego sum Jehova.

46. Hæc sunt instituta, jura & leges, quæ statuit Jehova inter se & Israëlitas, in monte Sinaï, per Mosem.

XXV. Le-

demum verè resipuerint, peccatisque suis veniam animitus à Deo petierint, 42. Deus illorum memor, quæ olim Abrahamo, Isaaco & Jacobo de eorum posteris déque terra Chananæa promisit, iterum Hebræis benefacere incipiet. 43. Agri quibus donati fuerant, & qui, iis absentibus, haud illibenter, ut ita dicam, feriati, ob neglectum septimi cujusque anni Sabbathismum, iterum à pristinis colonis exercebuntur; postquàm agnoverint se nulla alia de causa tantas calamitates esse passos, nisi quòd leges divinitus acceptas violassent, seriáque resipiscentiâ Dei pacem impetrarint. 44. Quamvis enim in victorum ditionem translati fuerint, attamen ideò in perpetuum ab iis alienatus Deus non erit & promissa sua planè revocaverit; est enim is Deus, qui nihil frustra pollicetur. 45. Ea implebit quæ eorum majoribus ex Ægypto eductis, spectantibus variis Gentibus, pollicitus est; cùm se iis in perpetuum fauturum dixit, quibus pollicitis, quæ ejus est natura, non potest non stare.

46. Hæc aliáque ad montem Sinaïn Moses, audientibus Israëlitis, promulgavit.

P A-

scribuntur etiam ejusmodi homines Psalm. XIV, 1.

44. *Quamvis fuerit*] אף גם זאת *aph gam zoth*, etiam quoque hoc. LXX. Intt. καὶ οὐδ' ὣς *& ne sic quidem*. Vulg. *Et tamen etiam*. Commodiùs *quamvis* verteris, neque enim sunt numerandæ syllabæ, sed sensûs ratio habenda.

Sum enim Jehova] Qui promissa mea exsequor; inter quæ hoc fuit, Deum, nempe, misererturum Israëlitarum, quotiescumque, mutatis moribus, ad Legis observationem redituri essent. Vide Gen. Cap. XVII. initio.

45. *Primis*] Hoc est, iis qui primi Rempublicam Populi Hebræi conflarunt, & quos eduxi ex Ægypto. Pro ברית ראשונים brith rischonim, *fœdere primorum*, habent LXX. Intt. διαθήκης αὐτῶν τῆς προτέρας, Onkelos verò קים קדמאי kejam kadmae, *fœderis antiquorum*. Ita & Samariticus Interpres. Reverâ *antiqui* hîc sunt *primi*. Ceterùm verti *in eorum gratiam*, להם *lahem*, quod alius vocis sensus esse non posset. *Christ. Noldius* ad 28. significationem præpositionis ל, ostendit sæpe eâ significari propter. Malè ergo transtulerunt Græci Interpretes voculam להם *lahem* post ברית *brith*.

Ut essem iis Deus] Vide not. ad Genes. Cap. XVII, 8.

46. *In monte Sinaï*] Si in legum Mosaïcarum collectione ordo observatus fuisset rerum, aut temporum, hac clausulâ intelligeremus superiores omnes Leges in monte, aut ad montem Sinaïn Mosi traditas fuisse, sequentes verò alibi. At contrarium constat ex Cap. XXVII, 34. & Num. III, 1. aliisque locis.

COM-

XXV. *Leges de redemtione rerum Deo Sacrarum.*

1. ALLOQUUTUS etiam est Jehova Mosem, his verbis: 2. alloquere Israëli- CAPUT XXVII.
tas, iisque dicito: qui seposuerit votum, animas Jehovæ *consecratas redi-
mat*, pro æstimatione tua. 3. Pro masculo, à viginti annos nato, ad
sexaginta annos natum, erit æstimatio tua quinquaginta siclorum argenteornm, pro
sacrarii siclo. 4. Si sit fœmina *vota*, triginta siclorum erit tua æstimatio. 5. Si
verò sit *persona vota*, à quinque annos nata ad viginti annos natam; erit æstima-
tio tua masculi viginti siclorum, fœminæ verò decem. 6. Si verò sit à nata men-
sem *unum*, ad quinque annos natam; erit æstimatio tua masculi quinque argenteo-
rum siclorum, fœminæ verò trium. 7. Si verò sit à nata sexaginta annos, &
suprà, masculi æstimatio tua erit quindecim siclorum, fœminæ verò decem.
8. Si

PARAPHRASIS.

1. HAS Leges, de rerum voto consecratarum redemtione, à Deo accepit Moses, eóque jubente, Israëlitis tulit. 2. Quisquis hominem aut brutum Deo voverit, eáque redimere voluerit, pretium, pro æstimatione Sacerdotis, solvito. 3. Masculus à viginti annos nato, ad sexagesimum annum agentem, quinquaginta Siclis argenteis Sacrarii redimitor. 4. Fœmina verò ejusdem ætatis triginta duntaxat siclis æstimator. 5. Masculorum, à quinto anno ad vigesimum, pretium viginti siclorum esto, fœminarum verò decem. 6. A natis mensem unum ad quintum annum agentes, masculi quidem quinque siclis, fœminæ verò tribus redimuntor. 7. Viri quorum ætas sexagesimum annum superabit quindecim siclis, fœminæ decem æstimantor. 8. Si verò qui vovit pauperior sit, quàm ut eam æstimationem solvat, Sacerdos votum, pro ejus pauperie, æstimato.

9. Si

COMMENTARIUS

In CAPUT XXVII.

2. CONsecratas redimat] Supplevimus hæc verba, ne constructio penderet; nam vix potest à Latinè loquentibus conjungi hoc comma cum sequentibus. Sed sic solent Hebræi, qui sæpe aliter incipiunt phrasin, aliter absolvunt. Vide not. ad Levit. Capp. IV, vers. 2. XI, vers. 5 XXI, vers. 24.

Pro æstimatione tua] בערכך *beberchecha*. Hæc ad Sacerdotes spectant, qui Hebræum populum docere debuerunt quanti æstimarentur res Deo consecratæ, si eas redimere vellet; quamvis ea æstimatio non penderet ab eorum arbitrio, sed Lege, ut videmus, definita esset. Nihil est simplicius: *quisquis voverit, is* בערכך *pro æstimatione tua, ô Sacerdos, animas Jehovæ voto consecratas* יפדה jiphdeh, *redimet*. Vide vers. 8, & 12, & suprà Cap. V, 15. At LXX. habent: *ὅτι τιμὴν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ τῷ Κυρίῳ*, quasi legeretur בערך נפשו ליי *cheberech naphscho libavoh*. Vulg. *spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium*. At Samaritæ non aliter legerunt ac Massorethæ, nec tam varietate lectionis offendisse crediderim LXX. & Vulg. Intt. quàm quòd se phrasi, quam legebant, non satis expedirent.

3. *Pro masculo*] Licuit enim se, aut liberos vovere Deo, hoc est, ministerio earum rerum sacrarum; quæ ab eo, qui devotus erat, curari poterant. Exemplum habemus in Samuëlis matre 1. Sam. I, 11. Si Levita esset, ut Samuël, non modò curare eum oportuit quæ alii solebant Levitæ, si adessent; sed etiam semper Pontifici Maximo præsto esse, ut ex ejus historia colligere est. Si esset ex alia Tribu, ea potuit curare, quæ non illicita erant aliis Tribubus, ut ligna in altaris usum cædere, aquam haurire, aliáque plurima, quæ Sacerdotum aut Levitarum manus necessariò non postulabant. Sed & licuit redimi, si ea opera displiceret, ut ex hac lege constat.

3. *A viginti annos nato* &c.] *A filio viginti annorum*, & sic in sequentibus, notissimo Hebraïsmo.

Erit æstimatio tua] Non ampliùs exigere tibi, ô Sacerdos, licebit, quàm &c. Bis est והיה ערכך & *erit æstimatio tua*, sed Latinè loquenti non opus erat repetitione.

Pro sacrarii Siclo] Vide not. ad Exod. XXX, vers. 13.

8. *Pauperior quàm ut* &c.] מך מערכך *mach meherchecha*, tenuïor tuâ æstimatione.

Prout nancisci poterit] *Ut adsequetur manus ejus*. Ad calcem commatis repetitur, *æstimabit eum sacerdos*.

9. *Ex qua soleant offerre*] יקריבו jakribou, *offerent*. Passim futurum consuetudinem significat, aut etiam actionem lege licitam. Vide Indicem in voce *Futurum*.

10. *Non commutabit pinguem macilentû* &c.] *Bonam in malum* &c. Deus mutationem nullam admittebat; ne, si licita fuisset, pro pingui pecude macilenta daretur, adeóque divina majestas minui oblatione videretur.

Pecus illu vota] והיה הוא & *erit hæc* subintelligitur קדש, quod in sequentibus legitur.

Ea quâ permutata] תמורתו thmouratho *mutatio ejus*.

12. *Bonúmque à malo*] *Inter bonum, & malum*; ita ut bonum pluris æstimet quàm malum, ut si votus fuerit præstantissimus asinus, aut camelus, pluris redimatur, quàm vetus jumentum, & exigui usûs, si modò is qui offert redimere velit.

8. Si verò *vovens* sit pauperior, quàm ut æstimationem tuam solvere possit, eam sistet coram sacerdote, eámque æstimabit sacerdos, prout nancisci vovens poterit.

9. Si sit pecus, ex qua soleant offerre, *erit ea* oblatio Jehovæ; omnia, ex quibus solet dari Jehovæ, sacra *erunt*. 10. Aliam non substituet *vovens*, neque commutabit pinguem macilentâ, aut macilentam pingui. Si pecude pecudem permutaverit, *pecus* illa *vota* & ea quâ permutata fuerit erunt sacræ. 11. Si verò sit quodpiam brutum immundum, ex quo non debeant oblationem offerre Jehovæ, id animal coram sacerdote sistet. 12. Tum id æstimabit sacerdos, bonúmque à malo *secernet*; & prout æstimaveris, ô sacerdos, sic erit. 13. Si redimat, quintam partem addet, præter æstimationem tuam.

14. Si quis consecrarit domum suam Jehovæ, eam æstimabit sacerdos, bonámque à mala *distinguet*, & prout æstimaverit eam sacerdos, sic rata res erit. 15. Si qui consecravit redimat domum suam, addet præterea quintam partem pretii æstimationis tuæ, atque ejus erit.

16. Si verò ex agro prædii sui aliquantum consecrarit quispiam Jehovæ, erit æstimatio tua secundùm sementem, semen Chomeri hordei quinquaginta siclis argenteis *æstimabitur*. 17. Si ab anno Jubilæo consecrabit agrum suum, pro æstimatione tua res rata erit. 18. Si verò post Jubilæum consecraverit agrum, sacerdos computabit ei pretium, pro annis qui supersunt usque ad annum Jubilæum, & *præteritum*

9. Si pecus vota fuerit, ex bucero, caprino aut ovillo genere, ex quibus Sacra Deo fieri solent, ne redimitor. 10. Aliam ejus loco substituere, quæcumque prætexatur causa, ne liceto; si substituta fuerit, & pecus vota, & ejus loco oblata sacræ ambæ sunto. 11. Sin verò immundam pecudem quis Deo voverit, quæ mactari ex Lege non possit, coram Sacerdote ea pecus sistitor, 12. ìsque eam, pro solito ejusmodi pecudis pretio, æstimato, 13. & qui vovit eam redimens præterea quintam pretii partem addito.

14. Si quis domum suam voto consecrarit Deo, eam Sacerdos, pro solito pretio ejusmodi ædium, æstimato; 15. sique vovens eam sibi redimere cupiat, æstimationis pretium solvito, ac præterea quintam partem addito.

16. Si quis agri aviti partem consecrarit, pro semente quæ in eam jacitur æstimator; & ager quidem, in quo Chomerum hordei seri poterit, quinquaginta siclis argenteis in sementes singulas redimitor. 17. Si ab ipso anno Jubilæo quis agrum consecrarit, quadraginta duarum messium pretium solvito. 18. Si verò aliquot anni à Jubilæo effluxerint, pro annis qui ad alterum Jubilæum supersunt, detracto Sabbathicorum & aliorum præterlapsorum pretio, Sacerdos agrum æstimato, 19. eâque summa persolutâ, & quintâ præterea parte additâ, homini agrum suum redimere liceto. 20. At si redimere

Quintam partem addet &c.] Quasi mulctam, ut caveat, ne immundum animal Deo voveat. Rectè conjicere videntur Magistri, qui pretium harum redemtionum insumtum fuisse volunt, ad sartam tectam conservandam Ædem Dei Israëlis, aut in alios usus sacros.

14. *Consecrarit domum*] In usus sacros, adeò ut pretium locationis, aut venditionis, in usum Tabernaculi, aut Templi cederet.

Jehovæ] *Sanctitatem Jehovæ*, ut sit sacra Deo. Sed hoc solum verbum *consecrare* complectitur.

Chomeri hordei] חמר *hhomer* continebat libras Romanas tritici, ex calculo *Ed. Bernardi*, 648, & aliquantò ampliùs. Vide de Mens. & Pond. Lib. I. §. 51. Cave ne confundas cum עמר *homer*, quod *Gomerum* propterea extulimus, quod non multò plusquàm sex libras continebat.

18. *Post Jubilæum*] Hoc est, aliquanto pòst, aut aliquot saltem annis elapsis post Jubilæum.

Præteritum tempus detrahetur] Hoc est, ager qui in quadraginta novem annos, aut potiùs quadraginta duos (sabbathici enim non poterant inter alios numerari) certo pretio venderetur, eo minoris erit pretii, quo plures anni à Jubilæo præterlapsi erunt. Ratio est manifesta, quia, nimirum, solæ messes ad Jubilæum sequentem, quo ager ad dominum rediturus erat, in calculum veniunt.

20. *Alii viro vendiderit*] Qui consecrarat non potuit fructus agri sui vendere, quorum ad Jubilæum usque dominus non fuit; itaque intelligendus est manifestò *Sacerdos*, aut quisquis fuit è Sacerdotum numero Ærario Sacro præfectus. Nominativi subauditi vide simile exemplum vers. 23. Hinc colligere est redimendum fuisse, ante Jubilæum, consecratum agrum, nisi quis vellet eum planè alienari. Videntur agrorum domini hac lege moniti fuisse, ut pecuniam potiùs quàm agros consecrarent; quod & Sacerdotibus fuit commodius, quos agrorum votorum cura à sacris muniis avocare potuisset.

21. *Ager devotus*] שדה החרם schdeh hahherem, *ager devotionis*. Quæ autem erant ita Deo devota, numquam redimi poterant, ut vers. 28. docet Legislator. Apud Arabas חרם *hharama*, inter varia significata, *prohibere*, *vetare* sonat, unde חרימון *hharimon* est *res sacra*, quam nefas est rapere, חרמאתין *hhoromaaton* loca sacra. Similiter hîc חרם significat Hebraicè rem quæ ei est vetita, qui semel eam consecravit, & quæ non potest à Sacerdote alienari, quippe in perpetuum Deo sacra. Est & altera radicis & derivati significatio, de qua ad Deut. VII, 26.

23. *Rationem*] מכסת michsath *numerum*.

Æstimationis suæ] ערכך herchecha *æstimationis tuæ*, sed durum hic erat secunda persona uti.

Dabitque qui vovit] Hoc subaudiendum ut v. 10.

tum tempus detrahetur ex æstimatione tua. 19. Si qui consecravit agrum suum redimat, addet quintam partem pretii æstimationis, & ratum hoc ei erit. 20. Sin verò non redemerit agrum, sed alii viro vendiderit *sacerdos*, non ampliùs redimetur, 21. eritque ager ille, cùm egredietur *emtor* Jubilæo, sacer Jehovæ, ut ager devotus; sacerdotis erit ejus possessio. 22. Si verò agrum quem emerit, qui non sit ex agris quos *in perpetuum* possideat, consecrarit Jehovæ; 23. computabit ei sacerdos rationem æstimationis suæ, usque ad annum Jubilæum, dabitque *qui vovit* æstimationem ejus, die illo, Jehovæ sacram. 24. Anno vero Jubilæo, revertetur ager ad eum à quo emerit, & cujus est *perpetua* terræ possessio. Omnis autem tua æstimatio fiet siclo sacrarii, qui Siclus viginti Gerarum erit.

26. Verumtamen primogenitum in pecudibus, quod quia primogenitum est Jehovæ debetur, nemo consecrabit; seu sit ex bucero, aut caprino, vel ovillo genere; *jam* enim est Jehovæ. 27. Si verò sit ex immundis animalibus, redimet *cujus fuerit*, pro æstimatione tua vendetur.

28. Sed omnem rem devotam, quam quispiam devoverit Jehovæ, ex omnibus quæ ejus sunt, ex hominibus, ex brutis, atque ex agro *perpetuæ* possessionis, non vendetur, neque redimetur; omnis res devota erit sacrosancta Jehovæ. 29. Omnis *persona* devota, quæ devota fuerit ex hominibus, non redimetur, sed morte adficietur.

30. Omnis decima terræ, ex semente terræ, & fructu arborum est Jehovæ, sacra erit

mere nuluerit, Sacerdos alii, si ita videatur, ad Jubilæum vendito, isque ager numquam postea redimitor. 21. Jubilæo verò, emtore ex agro egresso, ager in perpetuum Deo devotus habetur, Sacerdotibusque possidendus cedito. 22. Si quis verò consecrarit agrum, quo ad Jubilæum dumtaxat frui possit, 23. pro annis qui ad Jubilæum supersunt, ex Sacerdotis æstimatione, redemtionis pretium solvito. 24. Anno verò Jubilæo, ager ad veterem dominum redito. 25. Omnium autem redemtionum pretia Siclis Sacrarii, qui viginti Geras æquant, præsenti pecuniâ solvuntor.

26. Primogenita pecudum vota à nemine, cùm solo nascendi ordine jam Dei sint, consecrantor. Quæ ex Lege offerri Deo possunt mactantor. 27. Si immunda pecus vota fuerit, & is qui vovit redimere cupiat, præter æstimationem Sacerdotis quintam pretii partem addito; si redimere noluerit, alii, pro eadem æstimatione, venditor.

28. At res Anathemate devota, quæcumque sit, seu homo, seu pecus, seu ager, neque redimitor, neque venditor, sed sacrosancta habetor. 29. Devoti eo modo hostes, nullo pretio redimuntor, sed internecione delentor.

30. Terræ & arborum fructuum decima pars, in Israëlitico solo, Deo sacra esto. 31. Si quis tamen fructuum

v. 10. neque enim Sacerdos solvebat æstimationem, sed vouens.

25. *Fiet Siclo sacrarii*] Hoc est, solvetur quod erit æstimatum Siclis, qui Sacrarii dicuntur, suntque viginti Gerarum. Vide Exod. XXX, 13. Quod videtur observari, ne, ortâ mutatione pecuniæ, defraudaretur Saerarium.

26. *Quia primogenitum est debetur*] Hebræi, unâ voce, יבכר *jebuccher*, quod nonnisi pluribus exprimi potuit. LXX. habent ἔσται τῷ Κυρίῳ, Vulg. *pertinet ad Dominum*. Sed vim vocis non expresserunt.

27. *Id redimet* &c.] Vide not. in Exod. Cap. XII, 13. & Num. XVIII, 16. & seqq.

28. *Omnem rem devotam*] חרם *hherem*, de qua voce diximus ad v. 21. Qui in vovendo voce נדר *neder* utebantur, poterant id quod voverant redimere; quia ea vox significat votum, quod redimi potest. Contrà si vox חרם *hherem* adhibita fuisset, quæ rem nullo pretio redimendam sonat, non ampliùs erat redemtioni locus. Atque hæc lex sapientissimè lata est, ne irrideri Deus, votis temerè prolatis & revocatis, subinde videretur.

Ex hominibus] Qui, nempe, sint ejus qui devovet. Unde colligit *Lud. Cappellus* in Diss. de Voto Jephthæ licuisse *liberos & servos* morti devovere patri & hero. Verùm *homines* hîc devovendi, si hostes intelligantur, possunt dici eorum præda, qui victorum agros occupaturi eos devovent. Sic Chananæi erant Israëlitarum, postquàm Deus Chananæam his invadendam dedit. Vide not. ad Deut. XXXIII, 7. Itaque non necesse est dicere licuisse *servos*, aut etiam *liberos* heris & patribus devovere; quod non multùm differret ab eorum crudeli consuetudine, quam toties damnat Deus, qui victimas humanas mactabant. Vide quæ dicimus ad Historiam Jephthei Jud. XI, 31.

Sacrosancta Jehovæ] *Sanctitas sanctitatum.* Hoc est, quæ in cultum divinum necessariò insumi debuit, aut cedebat Sacerdotibus. Volunt Magistri, si nomen Dei in devovenda re proferretur, ut si diceretur יהיה חרם לי *erit hherem Jehovæ*, rem debuisse insumi sartæ tectæ conservandæ Ædi Dei; si verò reticeretur nomen Dei, rem cessisse in usum Sacerdotis; sed ejusmodi Rabbinicæ λεπτολογίαι, sola Magistrorum auctoritate nixæ, mihi sunt valde suspectæ.

29. *Omnis persona devota* &c.] Quidquid hîc Magistri dicant, de solis hostibus internecioni devotis videtur agi, quales erant qui devoventur Num. XXI, 2, 3. Hos nullo pretio redimi patiebatur Legislator; ob causas quas dicemus, ubi de devotione Gentium à Deo internecioni damnatarum agemus. Alioqui notissimum est eos, qui ob capitale crimen morti erant, ex Lege, damnati non potuisse redimi; nec opus est Legem singularem ea de re ferri, quod nonnulli Rabbini volunt. Non minùs liquet non licuisse vitam hominis Hebræi & innocui devovere;

erit Jehovæ. 31. Si quis redimat decimam ſuam, quintam præterea partem addet.
32. Omnis decima buceri, ovilli aut caprini generis, *ſeu* omnium *pecudum* quæ ſub
virga tranſeunt decima ſacra erit Jehovæ. 33. Non quæret, *ut fecernat* pinguem à ma-
cilenta, neque permutabit; quod ſi permutarit, ipſa *pecus*, & ea quâ permutata fue-
rit erunt ſacræ, non redimentur.
34. Hæc mandata ſunt, quæ dedit Jehova Moſi, in monte Sinaï, ad Iſraëlitas.

FINIS LEVITICI.

fructuum ſuorum decimas redimere cupierit, liceto; at præter earum pretium, quintam partem ad-
dito. 32. Omnium pecudum buceri, ovilli & caprini generis, decima quæque, quæ naſcetur, Deo
ſacra eſto. 33. Ne aliâ, quæcumque cauſa ſit, permutator; ſi mutata fuerit, & ea quæ debebatur;
& quæ ejus loco ſubſtituta eſt ſacræ Deo ſunto, neque redimuntor.
34. Has quoque Leges, ad Sinain montem, Iſraëlitis ferendas Moſi tradidit Deus.

Paraphraſeos Levitici

FINIS.


vere; ſic enim Leges inimicos inimicis tradidiſſent occidendos, & quidem in honorem Dei, quo nihil abſurdius fingi poteſt. Hac de re confer Anathema in Amalekitas pronunciatum Deut. XXV. cum hiſtoria quæ exſtat 1. Sam. XV.

30. *Omnis decima* &c.] Adi Diſſ. de *Decimis Joan. Seldeni*, ad calcem hujus voluminis Latinè à nobis editam.

32. *Sub virga tranſeunt*] Qui decimaturus erat, ſi Rabbinis credimus, colligebat omnes decimandas pecudes in ſtabulum, curabâtque eas egredi ſingulas, & virgâ numerabat ad decimam, quam rubro colore notabat auferendam. At vereor, ut illa decimandi ratio ſit hinc ficta, ſolent enim Rabbini ex phraſibus Scripturæ hiſtorias & conſuetudines fingere. Fortè hîc שבט *ſchebet* eſt paſtoris pedum, ſub quo tranſire dicuntur pecudes quas paſcit. Hinc habet *Hieronymus*, *ſub paſtoris virga*. Hoc conſtat, præter primogenitas pecudes, decimam quamque, ex iis quæ quotannis naſcebantur, conſecrandam fuiſſe, quæcumque eſſet decimationis ratio.

Commentarii in Leviticum

FINIS.



N U M E R I.

I. Moses Dei jussu agit censum Israëlitarum, exceptis Levitis, quos Tabernaculo præficit.

CAPUT I.

1. PRIMO die mensis secundi, anno secundo, ex quo Ægypto
exierant *Israëlitæ*, in deserto Sinaïs, in Tabernaculo Conven-
tûs, Mosem alloquutus est Jehova, dicens: 2. summam sub-
ducite totius cœtûs Israëlitarum, per eorum familias, patrúm-
que domos, pro numero nominum omnium masculorum, in
sua capita. 3. A viginti annos nato, & suprà, omnes egre-
dientes *in* exercitum, in Israële, pro agminibus suis, tu &
Aharon censebitis.
4. Vobiscum autem erunt singuli viri, in tribum; principes domûs patrum suo-
rum

P A R A P H R A S I S.

1. ANNO secundo, ex quo Israëlitæ Ægypto
egressi fuerant, & primo quidem die Mensis
secundi, quem Hebræi *Ijarem* vocant; cùm adhuc
circa Sinain montem castra haberent Israelitæ, è
Tabernaculo Conventûs, ita Mosem & Aharonem
alloquutus est Deus Israëlis: 2. Censum omnium
virorum Israëlitarum ingenuorum agite, nominá-
que singulorum in tabulis publicis scribite. 3. A
vigesimo dumtaxat anno natis censum incipite, uni-
versamque militarem ætatem censete; ut omnibus
spatia, in quibus tendant, pro numero virorum
quibus singulæ Tribus constabunt, dividatis.
4. Vobis hac in re aderunt singuli viri in singu-
las Tribus, iidémque Tribuum suarum principes,
5. &

C O M M E N T A R I U S

In CAPUT I.

1. PRimo die &c.] Vide Tabulam Chronologicam ad hæc tempora.

In Tabernaculo] Cùm jam erectum esset Tabernaculum, è spatio quod supra Arcam erat inter Cheruborum alas. Vide Exod. Cap. XXV, vers. 12.

2. *Summam subducite*] שאו את ראש *scheou eth rosch*, tollite caput. Sed hìc *caput* pro *summa*, aut numerorum omnium additione manifestò sumitur. Infrà Cap. III, 40. pro hoc, est שא את מספר *tolle numerum*. Mirum est LXX. Intt. vertisse λάβετε ἀρχὴν, *sumite initium*, cùm Cap. IV, 2. verterint rectè κεφάλαιον *summam*. Videtur quidem ea translatio à multis adornata, sed quam nemo totam recensuit & castigavit, ut ultima primis responderent. Scio quid narret *Aristeas*, sed quod ex re ipsa liquet capio, reliquorum fides penes auctorem sit.

Tribus vicibus, Moses censum populi Hebræi habuit. Primo anno; quo ex Ægypto egressus erat, antequàm Tabernaculum fieret, Exod. XXX, 11, 12. XXXVIII, 25, 26. cùm singuli in sacros usus dimidium Siclum contulerunt; deinde secundo anno, de quo censu Moses, hoc in loco; tertiò, postquàm prima illa censorum ætas præterierat Num. XXVI, 64. Mirum est in duobus primis censibus totidem fuisse censos, & nisi circumstantiæ ostenderent duos fuisse census, facilè unum significari crederemus. Temporum enim ordinem non servari, in hisce libris, omnes Interpretes animadverterunt. Confer hunc locum cum Cap. IX, 1. & Exod. XL, 17, 18. cum hujus libri Cap. VII, 1.

Per eorum familias, patrúmque domos.] *Familias* significare interdum latiùs patentem consanguinitatem, seu majores gentes, *domus* verò *patrum* minores familias liquet ex Jos. VII, vers. 14. ubi ita Deus: *accedetis mane, pro tribubus vestris, tribus verò quam ceperit Jehova accedet per familias* (למשפחות) *& familia quam ceperit Jehova accedet per domos* (לבתים) *& domus quam ceperit Jehova viritim accedet.* Sic & Rabbini ראש בית אב *caput domûs patris* vocant Sacerdotem qui familiæ uni minori præerat. Vide *Cod. Joma* Cap. IV, 1. Verùm hoc in Mosis loco, *domus patrum* latiùs patere quàm *familias*, & tribus totas significare suadet; quòd ubique *domus* sit in singulari, ut *familiæ* in plurali, præterquàm quòd Tribuum Principes dicantur *capita domûs patrum* vers. 4, & 44. Sic & vers. 47. מטה אבותם matteh abotham, *Tribus patrum suorum* idem est.

3. *A viginti annos* &c.] Nam ab hac ætate, aut circiter, armis gerendis apti censentur adolescentes. Militarem autem ætatem spectari ostendit quod sequitur, *omnem egredientem in exercitum.*

Et supra] Nonnulli ad sexagesimum dumtaxat annum hoc porrigunt, quòd qui eam ætatem superent bello inepti esse videantur, & ætatis vacatione uti possint.

Omnem egredientem in exercitum] צבא *tsaba* pro לצבא *litsaba*. Qui, nempe, cùm signum canebat, necesse habebant egredi castris in locum à duce signatum. Apud plures Gentes, ut apud Romanos, viri omnes ætatis militaris ad nomina respondere cogebantur; &, si ita videre-

tur

rum erunt. [5] Hæc ergo sunt nomina virorum, qui vobis aderunt: Rubeni Elitsur, filius Sedeüris; [6] Simeoni Selumiel, filius Tsurisaddæi; [7] Judæ Nachson, filius Hamminadabi; [8] Issaschari Nethaneel, filius Tsuharis; [9] Zabuloni Eliabus filius Chelonis; [10] ad filios Josephi quod adtinet, Ephraïmo quidem Elisama, filius Hammihudi; Manassæ verò Gamliel, filius Phedahtsuris; [11] Benjamini Abidan, filius Gidhonis; [12] Dani Achihezer, filius Hammisaddæi. [13] Aseri Phaghiel, filius Hochranis; [14] Gadi Eliasaphus, filius Dehuelis; [15] Nephthali Achira, filius Henanis. [16] Hi è cœtu evocati *sunt*, *ut essent* principes tribuum patrum suorum, *&* capita Chiliadum Israëlis.

[17] Adsumserunt Moses & Aharon viros hosce, nominibus adpellatos, [18] cœtúmque omnem convocarunt, primo die mensis secundi; & professi sunt Israëlitæ natales suos, per familias suas domûs patrum, pro numero nominum, à viginti annos nato, & suprà, in capita sua. [19] Quemadmodum Jehova Mosem jusserat, eos hic censuit, in deserto Sinaïs.

[20] Fuerunt autem posterorum Rubenis, primogeniti Israëlis, pro eorum prole *&* familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum singulorum capitum, masculi omnes à viginti annos nato & suprà, omnes *in* exercitum egredientes, [21] censi è tribu Rubenis, quadraginta sex millia, quingenti.

[22] Posterorum Simeonis, *pro* eorum prole *&* familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum singulorum capitum, omnes masculi à viginti annos nato & suprà, omnes exeuntes *in* exercitum, [23] censi è tribu Simeonis *fuerunt* quinquaginta novem millia, trecenti.

[24] Posterorum Gadis, *pro* eorum prole, *&* familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà, omnes exeuntes *in* exercitum, [25] censi è tribu Gadis, fuerunt quadraginta quinque millia, sexcenti, quinquaginta.

[26] Posterorum Judæ, *pro* eorum prole, *&* familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà, omnes exeuntes *in* exercitum, [27] censi

[5] & è Tribu quidem Rubenis, Elitsur Sedeüris Filius; [6] è Tribu Simeonis, Selumiel Tsurisaddæi F. [7] è Tribu Judæ, Nachson Hamminadabi F. [8] è Tribu Issascharis, Nethaneel Tsuharis F. [9] è Zabulonis Tribu, Eliabus Chelonis F. [10] ex Ephraïmi Tribu, Elisama Hammihudi F. è Manassæ Tribu, Gamliel Phedahtsuris F. [11] è Benjaminis Tribu, Abidan Gidhonis F. [12] è Danis Tribu, Achihezer Hammisaddæi F. [13] ex Aseris Tribu, Phaghiel Hochranis F. [14] è Gadis Tribu, Eliasaphus Dehuelis F. [15] è Nephthalis denique Tribu, Achira Henanis F. [16] Atque hi Tribuum principes, Dei electione, sunt creati.

[17] Tum ad Mosem & Aharonem se contulerunt, ut censui adessent, [18] & primo quidem die secundi mensis, concio Populi Hebræi convocata est. Omnes ingenui Hebræi à vigesimo an-

tur summæ Potestati, ad dictam diem ducì præsto esse, ut eum sequerentur. Hinc intelligere est, qui fieri potuerit, ut tantos exercitus haberent interdum Reges Judæorum, aliíque; quod qui ex nostris moribus, ubi nemo nomen dare militiæ cogitur, æstimant, vix adsequi possunt.

Pro agminibus suis] לצבאתם *ltsibotham*. Vide not. ad Exod. XII, 41.

4. *Singuli viri*] *Vir, vir.*

Principes domûs] *Caput domûs patrum suorum.*

16. *Vocati è cœtu*] *Vocati cœtûs.*

18. *Professi sunt natales suos.*] יתילדו *jithjalledou*. LXX. Intt. in Cod. Vat. *ἐπηξονοῦσαν κατὰ γενέσεις αὐτῶν*, *in tabulas publicas retulerunt per generationes suas.* In Alex. *ἐπεσκέψαντο*, *recensuerunt.* Sic & Vulg. Maluimus, cum aliis Intt. ad ipsos Israëlitas referre, qui apud Mosem, Aharonémque, & cœtus Principes natales suos professi sint.

20. *Pro eorum prole*] לתולדתם *ltholedotham*, quod hîc pro *sobole*, non pro *ætatibus* sumitur.

21. *Censi è tribû Rubenis*] *Censi eorum tribûs Rubenis.* Sic & in cæteris.

22. *Posterorum Simehonis*] *Filiorum Simehonis generationes eorum* &c. Sic & in sequentibus.

24. *Posterorum Gadis*] Gad subjungitur Rubeni & Simehoni, quia ad australem plagam unà cum iis castra metabatur. Vide inf. Cap. II, 10. *&* *seqq.* Itaque LXX. Intt. hunc sine ratione loco moverunt, ut Judam hîc ponerent, & post Benjaminem transtulerunt post vers. 37. In ordine & alibi mutationes magnas faciunt, ut Exod. Cap. XXXVI. & seqq. in iterata descriptione sacræ supellectilis, ne repetitione læderentur Ethnicorum oculi.

28. *Posterorum Issascharis*] Hîc collocantur etiam, propter castrametationis ordinem. Vide Cap. II, 5.

32. *Ad filios Josephi quod adtinet*] לבני *libne*. ל aliquando hanc vim habet. Vide Gen. XXXI, vers. 43.

Posterorum Ephraimi] Præponitur fratri, ob id quod exstat Gen. XLVIII, 19.

44. *Singuli in domum patrum*] Hoc est, in Tribum, ut diximus ad vers. 2. Habent Sama-

si sunt è tribu Judæ, septuaginta quatuor millia, sexcenti.

28. Posterorum Issascharis, *pro* eorum prole, & familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà, omnes exeuntes *in* exercitum, 29. censi è tribu Issascharis, quinquaginta quatuor millia, quadringenti.

30. Posterorum Zabulonis, *pro* eorum prole, & familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà, omnes egredientes *in* exercitum, 31. censi è tribu Zabulonis, quinquaginta septem millia, quadringenti.

32. Ad filios Josephi quod adtinet, posterorum quidem Ephraïmi, *pro* eorum prole, & familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà, omnes egredientes *in* exercitum, 33. censi sunt è tribu Ephraïmi quadraginta millia, quingenti. 34. Posterorum verò Manassæ, *pro* eorum prole, & familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà, omnes egredientes *in* exercitum, 35. censi sunt è tribu Manassæ triginta duo millia, ducenti.

36. Posterorum Benjaminis, *pro* eorum prole, & familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà, omnes egredientes *in* exercitum, 37. censi è tribu Benjaminis fuere triginta quinque millia, quadringenti.

38. Posterorum Danis, *pro* eorum prole, & familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà; omnes egredientes *in* exercitum, 39. censi è tribu Danis fuere sexaginta duo millia septingenti.

40. Posterorum Aseris, *pro* eorum prole, & familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà, omnes egredientes *in* exercitum, 41. censi è tribu Aseris quadraginta millia & mille quingenti.

42. Posterorum Nephthalis, *pro* eorum prole, & familiis domûs patrum, secundùm numerum nominum, à viginti annos nato & suprà, omnes egredientes *in* exercitum, 43. censi è tribu Nephthalis, quinquaginta tria millia, quadringenti.

44. Hi

anno nomina; pro Tribubus & Familiis suis, deinceps dederunt, 19. atque ita census in Sinaitica solitudine à principibus populi, Mose & Aharone clausus est.

20. 21. In Rubenitica Tribu numerati sunt 46500
22. 23. è Simeonitica 59300;
24. 25. è Gaditica 45650;
26. 27. è Judaica 74600;
28. 29. ex Issascharitica 54400;
30. 31. è Zabulonitica 57400;
32. 33. ex Ephraimitica 40500; 34. 35. ex Manassitica 32200;
36. 37. ex Benjamitica 35400;
38. 39. ex Danitica 62700;
40. 41. ex Aseritica 41500
42. 43. ex Nephthalitica, 53400.

44. 45. 46. Ita-

Samaritæ אחד למטה אחד למטה בית אבותם *unus in tribum unam, in tribum domûs patrum eorum.* Sic & LXX. Intt. *εἷς κατὰ φυλὴν μίαν, κατὰ φυλὴν οἴκων πατριῶν.*

45. *Pro domo patrum* &c.] Pro singulis Tribubus. Samaritæ לצבאתם *litsbotham*, & LXX. *κατὰ δυνάμεις αὐτῶν.* Hæc lectio & superior videntur esse παραδιορθώσεις, quod non intelligerent בית אבות *domum patrum* æquè latè hîc patere ac מטה *tribum.* Vid. ad vers. 2.

46. *Quingenti, quinquaginta*] Neglectæ sunt Monades omnes, in singulis calculis, quæ fuerunt supra decadas; imò etiam fortè decades aliquot. Nam vix est credibile in omnibus Tribubus, exceptâ Gaditicâ, fuisse tantùm Chiliadas & Hecatontadas, ne uno quidem viro, aut ne unâ quidem Decade superante. Itaque Decades videntur neglectæ, si pauciores essent quinque, & quæ supra Decadas potuerunt esse Monades. Similis calculi in annis vide exempla Gen. V, 3. & *seqq.*

47. *Levitæ autem* &c.] Infrà Cap. XXVI. ubi est alter census, non numerantur inter alios Levitæ. Vetat hoc Deus vers. 49. Ejus autem rei duplex traditur causa, ut erat census duplex ratio. Si censerentur Israëlitæ, ut hîc, eo animo ut spatium castris ponendis singulis Tribubus à castrorum metatoribus divideretur, non opus erat Levitas censeri; quia spatium vacuum circa Tabernaculum occupaturi erant, inter alias Tribus, ut docemur Capite sequenti. Si verò census institueretur dividendorum agrorum causâ, ut Num. XXVI. censeri non potuit Levitica Tribus, cui agri ut reliquis non sunt divisi. Sunt & qui velint censum hoc in loco institutum, ut iniretur numerus virorum ætatis militaris, eo fine ut sciret Moses quot educere posset milites, si necesse esset; quam in rem non debebant censeri Levitæ, quòd militiæ munerum immunes essent. Vide infrà Cap. XXXI, vers. 4, 5, 30, 37. Ideóque quando censentur Levitæ, numerantur omnes à pueris mensem unum

44. Hi sunt censi, quos numerarunt Moses & Aharon, & principes Israëlis, viri duodecim, quorum singuli in domum patrum suorum fuere. 45. Fuere omnes censi Israëlitarum, pro domo patrum suorum, à viginti annos nato & suprà, omnes exeuntes *in* exercitum ex Israële, 46. in universum tria & sexcenta millia *virorum*, quingenti, quinquaginta. 47. Levitæ autem, pro tribu patrum suorum, non sunt inter eos censi.

48. Alloquutus enim erat Jehova Mosem, his verbis: 49. tu verò Levitas non censebis, neque eorum summam, inter Israëlitas, inibis. 50. Eos præficito tabernaculo testimonii, omnibus ejus supellectilibus, & omnibus quæ ad id pertinent. Illi bajulabunt tabernaculum, omniáque ejus supellectilia, ei inservient, & circa tabernaculum castra ponent. 51. Cùm proficiscetur tabernaculum, id demittent Levitæ; cùm statuetur, id erigent Levitæ, ac alienigena qui *ad id* accesserit morte adficietur. 52. Castra metabuntur autem Israëlitæ, quisque in castris suis, atque ad vexillum suum, juxta sua agmina. 53. Levitæ verò castra ponent circa tabernaculum testimonii, neque ira *Dei* in cœtum Israëlitarum movebitur. Curam gerent Levitæ tabernaculi testimonii. 54. Quæcumque autem jusserat Jehova Mosem, fecerunt Israëlitæ.

II. Lex

44. 45. 46. Itaque ex toto Israële censa sunt 603550 capita libera virilis sexûs, à vigesimo ætatis anno, ad ætatem provectiorem; 47. quamvis Levitæ eo censu comprehensi non fuerint.

48. 49. Vetuerat enim Deus ne Levitæ cum ceteris censerentur, 50. quòd non opus esset eos spatium metari, in quo tenderent; nam cùm Tabernaculo ejúsque supellectilibus præfecti essent, eos circa Tabernaculum tendere oportebat. 51. Deus hos jubebat, cùm nube proficiscendi signum daturus erat, aulæa & tabulas Tabernaculi solvere, supellectiliáque ejus colligere, ut ea bajularent; cùm verò consistendi signum daretur, iterum aulæa, tabuláſque ejus componere, & supellectilia suis locis collocare. Vetabat enim quemquam, à Levitica Tribu alienum, hæc adtingere, propositáque erat aliis sacra tangentibus capitalis pœna, ne temerè Levitarum Deo consecratorum munera à ceteris Tribubus invaderentur. 52. Itaque jussit alios Israëlitas, suis locis, procul à Tabernaculo, tendere quemque ad vexillum suum; 53. Levitas verò in interiore spatio, circa Tabernaculum, castra ponere, ejúsque solos curam gerere; ne profanæ manus sacris rebus irreverenter admotæ iram divinam in totum populum moverent. 54. Atque hæc omnia, prout Mosi à Deo mandata fuerant, exsequutus est Populus Hebræus.

P A-

unum natis, inf. Cap. III, 15. XXVI, 62. Potest hæc ratio superiori addi, sed quia in hoc Cap. & sequente castrametationis ordo describitur, adlatam anteà rationem spectari hìc potissimùm crediderim.

49. *Levitas*] *Levi.*

Summam] ראש rosch, *caput.* Vide ad vers. 2.

50. *Eos præficies*] *Levitas.* Quibus rebus singulæ Levitarum familiæ præfectæ essent postea docet Moses Cap. III.

51. *Demittent*] *Descendere facient*, hoc est, aulæa super imposita demittent, erectásque tabulas ita component, ut ferri queant.

Alienigena] הזר *hazzar*, hoc est, alienus à Levitica Tribu. Vide Levit. Cap. XXII, 10, 12.

Ad vexillum suum] Quatuor erant vexilla, ut ex Cap. sequente liquet, quibus *singulis tres* Tribus erant adtributæ. Pro דגלו diglo, *vexillum suum*, Samaritæ legunt ידו jado *latus suum*, quod emendationem sapit, eámque non necessariam.

53. *Ira Dei in cœtum movebitur*] *Erit excandescentia supra cœtum*; si homines, nempe, Deo nequaquam consecrati res sacras adtingant.

Curam gerent] שמרו את משמרת schameron eth mischmereth, *servabunt servationem*, quæ phrasis sæpe in hoc negotio occurrit, ad significanda omnia quæ Deus observari volebat à Levitis. LXX. ad verbum φυλάξουσι τὴν φυλακὴν, Vulg. *excubabunt in custodiis*, sed non *excubiæ* tantùm significantur, ut ex Cap. III. satis adparet.

COM-

II. *Lex de ordine in castris, in profectionibus, à singulis Tribubus servando.*

1. MOSEM & Aharonem alloquutus est Jehova, his verbis: 2. Quisque ad vexillum suum, juxta signa domûs patrum suorum, castra ponet. Israëlitæ, è regione tentorii conventûs, circumquaque castra metabuntur. CAPUT II.

3. Hi ad anteriorem partem, ortum versùs, castra habebunt: vexillum castrorum Judæ, secundùm sua agmina, & princeps posterorum Judæ Nachson Hamminadabi filius. 4. Exercitus ejus, & censi septuaginta quatuor millia *virorum*, sexcenti. 5. Juxta eum castra metabuntur tribus Issascharis, & Issascharis posterorum princeps Nethaniel Tsuharis filius. 6. Exercitus ejus, & censi quinquaginta quatuor millia *virorum*, quadringenti. 7. Tribus Zabulon, & princeps Zabulonis posterorum Eliabus Chelonis filius. 8. Exercitus ejus, & censi quinquaginta septem millia *virorum*, quadringenti. 9. Omnes censi castrorum Judæ centum octoginta sex millia *virorum*, quadringenti; pro agminibus suis, primi proficiscentur.

10. Vexillum castrorum Rubenis *erit* ad austrum, secundùm sua agmina, & princeps filiorum Rubenis Elitsur Sedeüris filius. 11. Exercitus ejus, & censi quadraginta sex millia *virorum*, quingenti. 12. Juxta eum castra metabuntur tribus Simeonis, & princeps posterorum Simeonis Selumiel Tsurisaddæi filius. 13. Exercitus ejus & censi quinquaginta novem millia *virorum*, trecenti. 14. Tribus Gadis & princeps posterorum Gadis Eliasaphus Rehuëlis filius. 15. Exercitus ejus & censi quadraginta quinque millia *virorum*, sexcenti, quinquaginta. 16. Omnes censi castrorum Rubenis, unum & centum quinquaginta millia *virorum*, quadringenti, quinquaginta, pro agminibus suis, secundi proficiscentur.

17. Pro-

PARAPHRASIS.

1. QUo verò ordine Israëlitas tendere vellet Deus, his verbis Mosi & Aharoni significavit. 2. Ternæ Tribus vexillum unum observabunt, atque ad signa, quæ iis ponentur, tentoria statuent, in spatiis Tabernaculo circumpositis.

3 *ad* 9. Ad orientem castra ponent Tribus Judæ, Issascharis & Zabulonis, quibus præerunt tres principes antea designati. Vexillum verò Judæ Tribus præferet, & spatium occupabit cum aliis duabus, quantum esse oportet ut in eo tendat populus, in quo sunt 186400 viri ætatis militaris; atque signo discessûs dato, hi primi omnium proficiscentur.

10 *ad* 16. Ad austrum erit vexillum Rubenitarum, quos Simeonitæ & Gaditæ sequentur; unàque ad eamdem cœli plagam castra metabuntur 151450 eorum censi, cum familiis suis. Hi castra ad ortum sita proximi sequentur.

17. Post-

COMMENTARIUS

In CAPUT II.

2. AD *vexillum suum, juxta signa*] אל דגלו באותות *el diglo beotkoth*. Quodnam esset discrimen inter דגל *degel* & אות *oth* ignotum est. Videntur fuisse sua signa singulis Tribubus, vexillum verò ternis.

3. *Ad anteriorem partem, ortum versùs*] קדמה מזרחה *kdemah mizrahhah*. Vide not. in Exod. XXVI, 18. XXVII, 9, 13.

Vexillum castrorum Judæ] Habet Jonathan ad hunc versum: *Longitudo castrorum Israël duodecim fit milliarium. Qui autem castra metabantur ad orientalem plagam fuit vexillum castrorum Judæ, per agmina sua, per quatuor milliaria metantia. Vexillum ejus fuit ex serico trium colorum respondentium tribus lapillis, qui erant in pectorali, Simmukæ, Jarokæ, & Barokæ*; & *in eo sculptum erat atque expressum nomen trium Tribuum* (hæc *signa* erant, si Jonathani credimus) *Judæ, Issascharis, & Zabulonis, & in medio ejus scriptum erat, surgat Jehova, & fugient hostes tui è conspectu tuo. Fuit & in eo sculpta figura catuli leonis.* Ex quadruplici Cheruborum figura, ut ex sequentibus adparet, Rabbini hæc commenta duxerunt.

4. *Exercitus ejus & censi*] Hoc est, *seu censi*; grandioris ætatis senes, mulieres & pueri, puellæque, ac servitia multò majorem numerum conficiebant; fortè ad trecenta animarum millia accedebant; certè si quinta pars ætatis militaris, & ingenua statuatur, satis erit. Hinc intelligere est castra Judæ multò majora fuisse, quàm vult *Jonathan*. Idem ad enumerationem & castra reliquarum Tribuum quod adtinet, est animadvertendum.

9. *Castrorum Judæ*] Castra Judæ dicuntur trium Tribuum, quia iis Juda præerat, primogeniti jure à Jacobo donatus. Vide ad Gen. XLIX, 3.

14. *Rehuelis*] רעואל Cap. I, 14. vocatur דעואל *dehuel*. Samaritæ hoc utrobique habent, illud, aut Ῥαγουήλ, utrobique LXX. Intt. De vexillo

 ho-

[17] Proficiſcentur deinde tentorium conventûs, & Levitarum caſtra, in mediis *aliis* caſtris; quemadmodum caſtra poſuerint, ſic proficiſcentur, quiſque loco ſuo, juxta ſua vexilla.

[18] Vexillum caſtrorum Ephraïmi, ſecundùm ejus agmina, ad occidentem erit; & princeps poſterorum Ephraimi Eliſama, Hammihudi filius. [19] Exercitus ejus & cenſi quadraginta millia *virorum*, quingenti. [20] Juxta eum erit tribus Manaſſæ, & princeps poſterorum Manaſſæ Gamliel, Phedahtſuris filius. [21] Exercitus ejus & cenſi triginta duo millia *virorum*, ducenti. [22] Tribus Benjaminis, & princeps poſterorum Benjaminis Abidan, Gidhonis filius. [23] Exercitus ejus & cenſi triginta quinque millia *virorum*, quadringenti. [24] Omnes cenſi caſtrorum Ephraïmi centum octo millia *virorum*, centum, pro ſuis agminibus, tertii proficiſcentur.

[25] Vexillum caſtrorum Danis ad aquilonem *erit*, ſecundùm eorum agmina, & princeps poſterorum Danis Achihezer, Hammiſaddæi filius. [26] Exercitus ejus, & cenſi ſexaginta duo millia *virorum*, ſeptingenti. [27] Caſtra metabuntur juxta eum tribus Aſeris, & princeps Aſeris poſterorum Paghiel, Hochranis filius. [28] Exercitus ejus & cenſi unum & quadraginta millia *virorum*, quingenti. [29] Tum tribus Nephthalis, & Nephthalis poſterorum princeps Achira, Henanis filius. [30] Exercitus ejus & cenſi quinquaginta tria millia *virorum*, quadringenti. [31] Omnes cenſi caſtrorum Danis centum quinquaginta ſeptem millia *virorum*, ſexcenti, poſtremi, juxta ſua vexilla, proficiſcentur.

[32] Hi ſunt cenſi Iſraëlitarum, pro domo patrum ſuorum; & omnes quidem cenſi in caſtris, pro agminibus ſuis, ſexcenta tria millia *virorum*, quingenti, quinquaginta. [33] At Levitæ non ſunt cenſi, inter Iſraëlitas, prout Jehova Moſem juſſerat. [34] Omnia autem fecerunt Iſraëlitæ, prout ea in mandatis Moſi dederat Jehova; ſic caſtra poſuerunt, ſecundùm ſua vexilla; ſic quiſque profectus, pro familia ſua, unà cum patrum domo.

III. Sa-

[17] Poſtquàm illi fuerint profecti, tum verò Levitica Tribus, unà cum Tabernaculo, eamdem viam ingredietur; omnéſque ordine ſuo, pro caſtrorum ſitu, procedent.

[18] *ad* [24] Ad occidentem caſtra habebit Ephraïmi Tribus, ſuúmque vexillum præferet Tribubus Manaſſæ & Benjaminis. Horum ergo cenſi 108100, tertio loco, non numeratis Leviticis caſtris, incedent.

[25] *ad* [31] Ad aquilonem, caſtra habebit Tribus Danitica, ejúſque vexillum ſequentur Aſeritæ & Nephthalitæ, omnes ſimul 157600 cenſos conficientes. Hi agmen claudent.

[32] Is erat numerus capitum liberorum virilis ſexûs ætatíſque militaris, [33] non numeratis, ut diximus, Levitis, quos inter alios cenſuri vetuerat Deus; [34] eóque ordine, caſtra metati, & profecti ſunt in poſterum Iſraëlitæ, per Arabicas ſolitudines.

P A-

horum caſtrorum ita ad verſ. 10. *Jonathan: Vexillum caſtrorum Rubenis ad meridiem caſtra metabuntur per agmina ſua, per quatuor milliaria metanſia. Vexillum autem ejus erat ex ſerico trium colorum, reſpondentium tribus lapillis qui erant in pectorali, Azmorado, Schabzizo, & Sabbalmo. In eo erant exculpta & expreſſa nomina trium Tribuum, Rubenis, Simeonis, Gadis; & in medio ejus ſcriptum erat, audi Iſraël, Jehova Deus noſter, Jehova unus. In eo etiam inſculpta fuit figura cervi. Videbatur quidem in eo inſculpenda figura tauri, verùm Moſes Propheta eam mutavit, ne in memoriam revocaretur illis peccatum vituli.*

18. *Vexillum Caſtrorum Ephraimi*] Similia de hoc habet *Jonathan*, niſi quòd lapilli ſunt *Kancherin*, *Tarkin*, & *Hinbigal*, & inſcriptum erat, *Et nubes Jehovæ ſuper eos interdiu, dum proficiſcerentur ex caſtris*, additâ pueri figurâ.

25. *Vexillum Danis*] Hujus colores tres, ſi *Jonathani* credimus, reſpondebant lapillis qui vocantur *Cherum-jamma*, *Birlevath-balla*, & *Aphanter*. Inſcriptum erat: *Et in caſtris ſuis dicat, revertere Jehova, habita cum gloria tua in medio myriadum Iſraëlis.* Figura verò fuit *ſerpens* חרמן *hhorman*, quod *baſiliſcum* interpretantur. *Aquilam* alii Judæi huic tribuunt, quæ eſt quarta Cheruborum facies.

COM-

III. Sacerdotium Aharonis familiæ collatum. Officia & census Levitarum. Loco primogenitorum Deo consecrantur, & cùm essent primogeniti plures quàm Levitæ, reliqui redimuntur.

CAPUT III.

1. HÆc etat soboles Ahatonis & Mosis, eo tempore quo Jehova Mosem in
monte Sinai alloquutus est. 2. Hæc nomina filiorum Aharonis, Nadab
primogenitus, Abihu, Elehazar & Ithamar. 3. Ea sunt nomina filiorum
Ahatonis, qui sacerdotes uncti fuerunt, & quos *Moses* sacerdotio fungendi potesta-
te instruxerat. 4. Sed Nadabus & Abihuus in conspectu Jehovæ mortui erant, cùm
alienum ignem coram Jehova offerrent, in deserto Sinais, neque filii illis erant;
itaque Elehazar & Ithamar, coram patre Aharone, sacerdotio functi sunt.
5. Alloquutus tum est Jehova Mosem, his verbis: 6. jube aecedere tribum Le-
vis & consistere in conspectu Aharonis sacerdotis, eique *tribules* ministrent. 7. Cu-
tam gerant pro illo & pro toto cœtu, ad tentorium conventûs, ita ut negotia ta-
betnaculi administrent. 8. Custodiant omnia supellectilia tabernaculi conventûs, &
quod curandum est Israëlitis, ut negotia tabernaculi gerantur. 9. Dabis Levitas
Aharoni & ejus filiis; hi ejus erunt, ex Israëlitis dati. 10. Aharonem & filios
his præficies, servabúntque Sacerdotium suum, & alienigena qui accesserit morte
adficietur.
4. Alloquutus etiam est Jehova Mosem, dicens: 12. Ego verò Levitas sumsi
inter Israëlitas, pro omni primogenito, qui primus ex Israëlitis utero editus est;
Levitæ ergo mei erunt. 13. Meus enim est omnis ptimogenitus; eo die quo ceci-
di

PARAPHRASIS.

1. EODAM tempore, quo totum populum Hebræum censeri jussit Deus, seorsim etiam Levitarum census habitus est, & munera variis eorum familiis collata. 2. Nati quidem Aharoni quatuor erant filii, Nadabus, Abihuus, Elehazar & Ithamar, 3. atque uncti omnes Sacerdotes fuerant à Mose; 4. sed Nadabus & Abihuus Deo pœnas morte luerant, quòd profanum ignem Tentorio intulissent, neque filios ullos reliquerant. Itaque Elehazar & Ithamar soli, unà cum patre Aharone, sacerdotio functi sunt.

5. In Sinaitica igitur solitudine, cùm census esset reliquus Hebræus populus, Deus jussit Mosem 6. vocare Levitas ad Tabernaculum, ut coram Aharone se sisterent; 7. 8. 9. tum iis audientibus edici eos posthac Israëlis & Sacerdotum ministros futuros, ut curam gererent Tentorii, ejúsque supellectilium, & Sacerdotibus dicto audientes essent. Sic futurum ut Sacerdotes, aliis negotiis nequaquam impediti, munia sacerdotii sui obire possent, nec alieni à familia Aharonis, quibus capital erat ea munera invadere, ad ea accessuri essent.

11. 12. Dixit etiam Deus Mosi se, pro omnibus Hebræorum primogenitis, cùm inter homines, tum inter bruta, Leviticam Tribum integram cum omni ejus pecore accipere, eámque proinde in posterum sacram futuram. 13. Sibi autem sacros pri-

COMMENTARIUS

In CAPUT III.

1. H*Æc erat soboles Aharonis & Mosis*] Hìc תולדות *tholedoth* dicuntur posteri. Videtur autem præponi Aharon Mosi, ejúsque posteri nominibus adpellari, cùm posterorum Mosis hìc sileantur nomina; quòd Aharonis soboles Sacerdotio sit ornata, cùm Mosis proles inter ceteros Levitas, sine dignitate peculiari, fuerit, ut liquet ex 1. Paral. XXIII, 15. *& seqq.* Si ratio ejus rei quæratur, nihil certi responderi potest, sed amplissima conjecturis patet area. Fortè sacerdotium filiis Mosis negatum est, quòd essent ex peregrina muliere suscepti, nimirum, Madianitide Exod. II, 21.

3. *Quos Moses Sacerdotio* &c.] *Quorum impleverat manum ut sacerdotio fungerentur.* Supplevimus nominativum *Moses.* Vide not. ad Exod. XXVIII, 41.

4. *Cùm alienum ignem*] Vide not. ad Levit. X, 1.

Coram patre] על פני hal phne *ad facies*, hoc est, unà cum Aharone. Vide not. ad Exod. XX, vers. 3.

5. *Et consistere*] *Et facies stare eam*, dum eam mandatis instruis; aut etiam, jubebis eam præsto esse Sacerdotibus, ut iis pareat. Nam *stare* sæpe est *ministrare*, quòd servi stent eoram heris, eorum imperiis exsequendis parati. Vide Deut. XVII, 12. XVIII, 5, 8.

Ministrent] In rebus, nimirum, sacris, si qua in re eorum opera indigeant. Præterea Levitarum familiis certa ministeria imponuntur, in sequentibus vers. 25. & seqq.

8. *Quod curandum*] משמרת *mischmereth*, ut antea. Cùm totus populus curare non posset res sacras, delegandi huic muneri certi homines fuerunt, ut Levitæ, qui & primogenitorum loco sunt substituti, vers. 12.

9. *Dabis*] Ut adjuvent sacerdotes.

Ejus

di omne primogenitum in Ægyptia terra, consecravi mihi omne primogenitum in Israële; ab homine ad brutum meum erit, ego sum Jehova.

14. Præterea alloquutus est Jehova Mosem, in deserto Sinaïs, his verbis: 15. censum agito filiorum Levis, pro domo patrum & familiis eorum; omnem masculum, à mensem *unum* nato, & suprà, censebis. 16. Censum itaque horum, ex mandato Jehovæ, prout jubebatur, egit Moses. 17. Hi autem erant filii Levis, ut nominatim adpellentur, Gerson, Kehath & Merari. 18. Hæc nomina filiorum Gersonis, pro familiis suis, Libni & Simhi. 19. Filii verò Kehathi, pro familiis suis, Hamram, Jitshar, Chebron & Huzziel. 20. Filii denique Meraris, secundùm familias suas, Machli & Musi. Hæ familiæ *sunt* Levitarum, pro domo patrum suorum.

21. Gersoni sunt familia Libnis, & familia Simhis; hæ sunt Gersonitarum familiæ. 22. Censi autem eorum, numerato omni masculo, à mensem unum nato & suprà, septem millia *virorum*, quingenti. 23. Familia Gersonis post tabernaculum castra habuit, ad occidentem. 24. Princeps autem domus patris Gersonitarum erat Eliasaphus, Laëlis filius. 25. Quod curandum est Gersonitis; in tentorio conventûs, *est* tabernaculum, hoc est, tentorium, *seu* operimentum ejus, siparium ostii tentorii conventûs, 26. vela atrii, siparium ostii atrii, quod est, ad tabernaculum & ad altare circumquaque, funésque ejus, ad omnem ejus usum.

27. Kehatho verò *sunt* familia Hamramitarum, familia Jitsharitarum, familia Chebronitarum, & familia Huzzielitarum. Hæ familiæ *sunt* Kehathitarum, 28. *qui* nume-

primogenitos omnes fuisse, ab eo die quo cùm Ægyptiorum primogenitos cæderet, Israeliticis pepercisset; hoc se dudum significasse, nec se quod semel pronunciasset revocare.

14. 15. Tum jussit Mosem censere Levitarum mares, à mensem unum natis ad provectioris ætatis viros. 16. Huic Dei imperio paruit Moses. 17. Erant autem eo tempore tres Leviticæ familiæ, oriundæ ex tribus filiis Levis, GERSONE, KEHATHO & MERARI. 18. *Gersoni* nati erant duo filii *Libnis* & *Simhis*, qui totidem familiarum principes fuere; 19. *Kehatho* verò quatuor *Hamramus*, *Jitshar*, *Chebron* & *Huzziel*, ex quibus quatuor itidem ortæ familiæ; 20. *Merari* denique duo, *Machlis* & *Musis*, quorum etiam posteri supersunt.

21. 22. In duabus Gersonitarum familiis censa sunt masculorum, initio à mensem unum natis facto, 500 capita. 23. Hæ autem familiæ ad occidentem Tabernaculi, pone Adytum, tetenderunt. 24. Earum princeps erat Eliasaphus Laëlis F. 25. eique & gentilibus, cùm castra moverentur, adtributa fuit cura aulæorum, quibus tectum est Tabernaculum, 26. velúmque ostio Atrii oppansum, cum omnibus ejus paxillis & funibus, quorum ope columnæ, ex quibus suspensum est id velum, erectæ sunt.

27. Quatuor verò familiarum Kehathitarum 28. cen-

Ejus erunt] לו *lo*. Samaritæ habent לי li, *mihi* & LXX. Int. μοὶ, sed ita erant Aharonis, ut eo ipso Dei essent.

Dati] *Dati*, *dati*. Hoc est, *dono dati*, ut Cap. XVIII, 6 seu consecrari ut donaria solent. Sic Josua Gabahonitas consecravit, ויתנם & *dedit eos*, ut aquam haurirent & ligna cæderent domui Dei Jos. IX, 22. XXIII, 27. David etiam donavit Levitas aliis, qui vocantur נתינים nthinim, *dati* 1. Paral. IX, 2. Esd. VIII, 17, 20.

10. *Servabunt Sacerdotium*] Hoc est, soli sacerdotale munus obibunt, ne admistis quidem Levitis. Sacerdotum erat, quæcumque pertinebant ad altare administrare, offerre thymiama, & bene precari populo. Vide infrà Cap. XVIII, 7. Deut. XXI, 7. 1. Par. XXIII, 13.

Alienigena] הזר *hazzar*. Qui non erit è sacerdotali prosapia. Vide ad C. I. 51.

Qui accesserit] Ut offerat in altari, sanguinémve ad basin effundat, ut thymiama adoleat &c.

12. *Sumsi pro omni primogenito*] Cùm Deo deberentur omnes primogeniti omnium Tribuum, quòd eos cum Ægyptiorum primogenitis non occidisset, maluit unam Tribum totam sibi consecrari; eáque fuit Levitica Tribus, quæ singulari fervore Deum offensum ulta est, Exod. XXXII, 29. Addunt Samaritæ huic versui: פרויהם יהיו & LXX. λύτρα αὐτῶν ἔσονται.

Inter Israëlitas] *E medio filiorum Israëlis.*

15. *Pro domo patrum*] Hoc est, Tribu Levitica, quæ seorsim, ob allatas ad superius Caput causas, censeri debuit.

A mensem unum nato] Rectè observatum est ab Intt. rationem, ob quam Levitæ censentur à mensem unum natis, petendam esse, ex eo quòd, loco primogenitorum totius Israëlis, à Deo acciperentur; ac proinde censeri deberent ab ea ætate, quâ primogeniti erant redimendi, ut docet Moses Num. XVIII, 16. Sed addere potuissent ne sic quidem Leviticos mares æquasse numerum primogenitorum Israëlitarum, qui multò plures fuissent redimendi, si Levitæ ab anno demum vigesimo censi essent. Vide Cap. IV, 43. & *seqq.*

17. *Ut nominibus adpellentur*] *Nominibus suis.* Vide Genes. XLVI, 11. Exod. VI, 6.

32. *Numerato omni masculo*] *In numero omnis masculi.* Repetitur iterum, *censi eorum.*

24. *Domûs patris*] בית אב *beth ab*, cùm antea semper habeatur בית אבות *domus patrum*; quia superiùs integra Tribus, hîc verò familia significatur.

25. *Quod curandum erat*] משמרת *servatio.*

Tabernaculum] משכן *mischchan*, quod tabulas

merato omni masculo, à mensem *unum* nato & suprà, *erant* octo millia *virorum*, sexcenti, curam gesturi sacrarii. 29. Familiæ autem Kehathitarum castrametatæ sunt ad latus tabernaculi, ad austrum. 30. Princeps domûs patris familiarum Kehathitarum *erat* Elitsaphan, filius Huzzielis. 31. His curanda sunt arca, mensa, candelabrum, altaria, & supellectilia sacrarii, quibus ministrare oportet *sacerdotes*, velum, & quidquid ad ejus usum *pertinet*. 32. Princeps autem principum Levitarum erat Elehazar, filius Aharonis sacerdotis; isque præfectus erat curam gerentibus sacrarii.

33. Merari verò sunt familia Machlitarum, & familia Musitarum. Hæ sunt familiæ Meraritarum, 34. & eorum censi, numerato omni masculo, à mensem *unum* nato & suprà, sex millia *virorum*, ducenti fuêre. 35. Princeps domûs patris familiarum Meraritarum *erat* Tsuriel, Abichaïlis filius. Ad latus tabernaculi, septemtrionem versùs, castra habuerunt. 36. Meraritæ autem præfecti sunt curæ tabularum tabernaculi, asserum transversalium, columnarum, basium ejus, omniúmque ejus supellectilium, & omnium ejus negotiorum. 37. *Commissæ etiam his erant* columnæ atrii circumquaque *ponendæ*, bases earum, paxillique & funes. 38. Castra habebant ad anteriorem partem tabernaculi, ortum versùs. *Ad eamdem etiam* anteriorem tabernaculi conventûs partem, ad orientem, Moses & Aharon, hujúsque filii sacrarii curam gerebant pro Israëlitis, & si quis alienigena accessisset morte adfectus fuisset.

39. Omnes censi Levitarum, quos Moses & Aharon, secundùm familias, censuerunt,

censa sunt 8600 capita, 29. eædémque jussæ, ad australe latus Tabernaculi, castra metari. 30. Princeps earum familiarum erat Elitsaphan Huzzielis F. 31. præfectusque fuit, cùm castra moverentur, unà cum gentilibus, curæ Arcæ, Mensæ aureæ, Candelabri, Altaris utriusque, supellectilium omnium Sacrarii, & Siparii Adyto oppansi. 32. Elehazar autem cùm ceteris omnibus Levitis, tum etiam Kehathitis, quibus commissa erat supellectilium Sacrarii cura, peculiari modo præfectus fuit.

33. Meraritarum denique duarum familiarum 34. censa sunt 6200 capita. 35. Horum princeps fuit Tsuriel Abichaïlis F. qui cum gentilibus ad septemtrionem Tentorii tendere jussus est. 36. His, cùm castra erant movenda, commissa est cura tabularum, asserum transversalium, columnarum, basiúmque, & omnium supellectilium Tabernaculi eodem pertinentium; 37. columnarum item atrii, basium, paxillorúmque & funium, quibus eriguntur. 38. Castra ponere jussi sunt ad anteriorem partem Tabernaculi, quæ ortum spectat; ubi etiam tendunt Moses & Aharon cum filiis, qui Sacrario, cum maxima potestate præfecti sunt; cavéntque ne alienus ullus à sua familia res sacras adtingat, nisi pœnas capite luere velit.

39. Cùm censi essent Levitæ, & summa omnium esset capitum 22300, ex eo numero exemti sunt primogeniti Levitarum & Sacerdotes, qui alio no-

bulas propriè significat, ideóque sequentia, interpretationis loco adduntur, nam ad Meraritas pertinuit cura tabularum, ut docet Moses vers. 26.

Hoc est, tentorium] והאהל *vehaobel*. ו vertimus *hoc est*, quod sæpe significat. Vide *Noldium* sig 27. Deinde אהל *obel* de aulæis Tabernaculi intelleximus. Vide notat. in Exod. XXVI, 14. XL, 19.

Operimentum] Addidimus *seu*, quòd dura esset adpositio, *tentorium operimentum*.

26. *Quod est ad Tabernaculum* &c.] Hoc est, quo cinctum fuit Tabernaculum, & in quo fuit altare. Est abundantia Hebraïca, res enim, hoc omisso, aliter intelligi non potuit.

Funésque ejus.] Opus enim erat funibus ut columnæ erectæ starent, contra vim venti vela inflantis. Paxilli infigebantur terræ, ex quibus revincti funes ad capita columnarum pertinebant, eáque utrimque firmabant. Vide vers. 37.

27. *Hamramitarum*] Hoc est, Mosis posterorum, nam ceteri Hamramitæ fuerunt Sacerdotes, Aharonis, nimirum, filii. Vide 1. Par. XXIII, 13. *& seqq.* Est in singulari *Hamramitæ* העמרמי ut & in aliis Patronymicis.

28. *Curam gesturi sacrarii*] *Servantes servationem sanctitatis.*

31. *Quibus ministrare oportet*] ישרתו *jescharethou*, ministrabunt.

Velum] Nempe, Adyti. Huic voci adjiciunt Samaritæ והכיור וכנו *labrum, & basin ejus*. Quæ oportet certè aut intelligi, aut exprimi.

Quidquid ad ejus usum pertinet] Sacrarii, cujus עבודה habodah, *opus*, dicitur quidquid in eo faciendum est, aut curandum. Samaritæ habent עבודתם & LXX. τὰ ἔργα αὐτῶν.

Præfectus erat] פקדת phkoudath, *præfectura servantium servationem* &c. Subauditur pronomen ו *ejus*, quasi scriptum esset ופקדתו *& præfectura ejus curantes Tabernaculum.*

36. *Præfecti erant curæ*] *Præfectura servationis filiorum Merari.*

37. *Funes*] Curam hanc partiebantur cum Gersonitis V. vers. 26.

38. *Pro Israëlitis*] Vide ad vers. 8.

Alienigena] Vide ad vers. 10.

39. *Et Aharon*] Vox ואהרן est, præter consuetudinem, punctis singulis litteris impositis insignita. Unam esse ex decem vocibus ita notatis in lege observat Massora, & *R. Schelomo* conjicit ideò ei imposita esse puncta, quòd Aharon eo censu numeratus non fuerit. At quare non fuisset? Dixeris fortè, quòd ipse Censoris munere fungeretur. Sed si hoc concedatur, debuerunt & nomini Mosis superaddi puncta; qui cùm non minus Censor fuerit, quàm Aharon, eodem jure cum ceteris Tribubus censeri non debuit; imò minùs quàm fra-

 ter,

runt, ex mandato Jehovæ, omnis, *nempe*, masculus à mensem *unum* nato & suprà, *erant* viginti duo millia *virorum*. 40. Tum dixit Jehova Mosi: censum age primogenitorum omnium masculorum Israëlitarum, à mensem *unum* nato & suprà, & numerum nominum eorum inito. 41. Mihi autem sumes Levitas, (ego sum Jehova) loco omnium primogenitorum inter Israëlitas, & pecudes Levitarum, loco omnium primogenitorum inter pecudes Israëlitarum.

42. Censum egit Moses, quemadmodum jusserat Jehova, omnium primogenitorum, inter Israëlitas. 43. Fuere autem omnes primogeniti masculi, secundum numerum nominum censorum, à mensem *unum* nato & suprà, viginti duo millia *virorum*, ducenti, septuaginta tres. 44. Tum alloquutus est Jehova Mosem, his verbis: accipe Levitas loco omnis primogeniti, inter Israëlitas, & pecudes Levitarum pro eorum pecudibus, meíque erunt Levitæ; ego sum Jehova. 46. *In* redemtionem verò ducentorum septaginta trium, qui ex primogenitis Israëlitarum superant Leviticos, 47. capies quinque siclos in capita, pro siclo sacrarii capies, viginti autem Gerarum est is Siclus. 48. Dabis argentum hoc Aharoni & ejus filiis, *confectum* ex redemtionibus excedentium inter eos. 49. Cepit itaque Moses pretium redemtionis ab iis, qui excedebant Levitarum redemtiones. 50. A primogenitis Israëlitarum accepit hoc pretium Moses, mille trecentos sexaginta quinque sacrarii siclos; 51. idque redemtionum pretium, ex mandato Jehovæ, Aharoni ejusque filiis dedit; prout ipsum jusserat Jehova.

IV. Le-

nomine jam Deo sacri erant, nec aliorum loco consecrari iterum poterant, ut viginti duo millia virorum dumtaxat superfuerint, qui possent esse loco primogenitorum reliquarum Tribuum. 40. Tum etiam Deus jussit Mosem censum inire primogenitorum ceterarum Tribuum, à mensem unum natis ad provectiorem ætatem, 41. ut videret an tot superessent Levitæ, quot esse oportebat, ut primogenitos omnes Israëliticos redimere possent; se enim Levitas eorúmque pecudes, primogenitorum loco accepturum.

42. Paruit Moses, 43. & primogeniti quidem fuerunt in reliquis Tribubus 22273. Itaque 44. cùm Deus vellet Levitarum consecratione redimi eos primogenitos, nec sat magno numero essent, 46. ducentos septuaginta tres primogenitos, qui superabant Levitarum numerum pecuniâ redimi oportuit, 47. & singulis quinque siclorum pretium Deus constituit, 48. summámque hinc confectam Sacerdotibus dari voluit, quibus etiam pretium redemtionis omnium primogenitorum deinceps adtribuit. 49. 50. Itaque Moses pro 273 primogenitis acceptos à Populo 1365 siclos 51. Sacerdotibus, prout jusserat Deus, numeravit.

P A-

ter, cùm Deo, seu ministerio rerum sacrarum, post constitutos Sacerdotes, consecratus non fuerit, ut imperanti Aharoni pareret. Malim conjicere puncta hæc notata fuisse, quòd *punctatori*, quisquis ille fuerit, vox hæc abesse debere videretur; quia antea solus Moses Levitas censere jussus est, & censuisse dicitur versſ. 14, 16. Ac sanè vox *Aharon* abest à Samaritico Codice, eadem, ut videtur, de ratione; nam LXX. Intt. & Vulgatus, ceterique Intt. eam legerunt. Præstat verò eam legere, quòd videatur Aharon Tribûs suæ princeps adfuisse Mosi, ut in ceteris Tribubus censendis singularum principes. Nec quidquam obstat quod antea non additur nomen Aharonis versſ. 14 & 16. nam non est tanta in Mosaïco stylo ἀκρίβεια, ut omnia suo loco dicantur; cùm sæpe ex sequentibus colligantur circumstantiæ in antecedentibus omissæ. Vide not. ad Genes. XIV, 24. XX, 17.

41. *Mihi autem sumes*] Vide ad versum 12. Hinc colligimus, cùm lex de redimendis primogenitis ferretur, non fuisse redemtos eos ipso tempore.

43. *Viginti tria millia*] Erant, ex hoc calculo, Levitarum 22000. Israëlitarum verò 22273, qui superabant proinde Levitarum numerum ducentis septuaginta tribus viris. Ideóque hi sunt pecuniâ redemti, ut in sequentibus docet Moses. Verùm hîc occurrit nodus solvendus, nimirum, ex summis trium familiarum Leviticarum antea traditis conficitur numerus, non 22000. ut hîc habetur, sed 22300. Itaque videbantur nulli debuisse redimi ex Israëlitis primogenitis, cùm superarentur à Leviticis masculis viginti septem capitibus. Respondent Interpretes, in Levitica Tribu, trecentos fuisse primogenitos, aut Sacerdotes, qui singulari jure Deo jam sacri erant, ac proinde aliorum λύτρα esse non poterant; ut ii ex Levitis, qui redimendis Israëliticis primogenitis apti erant numero pauciores fuerint, quàm primogeniti reliquarum Tribuum. Quæ responsio cùm videatur verisimillima, observanda est Mosis, adeóque Hebræorum consuetudo, qui idem sæpiùs repetunt sine necessitate, aliáque interea quæ reticent adtento Lectori supplenda permittunt. Sic cùm ter dicatur Deus Levitas, pro ceterarum Tribuum primogenitis, accipere; nempe, versſ. 12, 41, & 44. nusquam monet Moses Levitarum primogenitos tribulium numero eximendos esse, quod tamen à quovis illico non intelligeretur.

Hoc cùm non satis ad animum revocarent viri docti, maluerunt suspicari mendum in superiores numeros irrepsisse. Itaque versu 28. ubi Kehathitarum numerus fuisse dicitur *octies mille* שש מאות *schesch meoth*, sexcenti, ל excidisse censent, & legendum שלש מאות *schlosch meoth*, trecenti. Quæ conjectura si vera esset, nul-

IV. *Levitarum Tabernaculum curantium ætas & ministeria.*

CAPUT IV.

1. ALLOQUUTUS etiam Jehova Mosem & Aharonem, dicens: 2. Subducite summam Kehathitarum ex Levitis, pro suis familiis, & domo patrum. 3. A triginta annos nato & suprà, ad quinquaginta annos natum, omnes in agmen venient, ut circa tentorium conventûs munere fungantur.

4. Hoc autem erit munus Kehathitarum, circa tentorium conventûs, *&* sanctissimum *Adytum*. 5. Cùm castra movebuntur, venient Aharon ejúsque filii, & demittent velum operiens *Adytum*, eóque arcam testimonii tegent, 6. imponent ei tegumentum pellis hysginæ, extendent desuper vestem totam hyacinthinam, & component ejus vectes. 7. Supra mensam *panis adpositi* faciei, extendent vestem hyacinthinam, ei imponent scutellas, lances, cyathos, & pateras libaminis; panis etiam perpetuus supra eam erit. 8. Supra hæc extendent vestem coccineam, tegéntque hanc integumento pelliceo hysgino, & vectes component. 9. Tum capient vestem hyacinthinam, tegéntque candelabrum & ejus lucernas, emunctoria, vascula, & omnia ejus supellectilia integumento pellis hysginæ, quod in ferculo collocabunt. 11. Supra altare aureum expandent vestem hyacinthinam, eámque tegent integumento pellis hysginæ, & vectes ejus component. 12. Tum sument omnia supellectilia *ministerii*, quibus solent in sacrario ministrare, ea imponent hyacinthinæ vesti, tegéntque hysginæ pellis integumento, & imponent ferculo. 13. Postea amovebunt cineres altaris *ænei*, & supra hoc ex-

PARAPHRASIS.

1. JUSSIT præterea Deus Mosem & Aharonem censere Levitarum familias, 2. & primùm quidem Kehathitas, 3. ut scirent quot essent inter eos qui triginta annos uati essent, aut provectiore ætate, eósque ministeriis circa Tabernaculum, cùm castra moverentur, obeundis consecrarent.

4. Hæc autem ministeria iis Deus adtribuit, cùm castra movenda foreut, ut bajularent Sacrarii supellectilia, & altare æneum. 5. Sed antequàm manum admoverent rebus sacris, voluit Deus Sacerdotes solos ingredi Sacrarium, demittere siparium Adyti, eóque Arcam tegere, 6. præteréaque duo integumenta, alterum hysgiuum, alterum hyacinthinum super imponere, & vectes ita parare, ut nihil superesset Kehathitis faciendum, nisi ut iis humeros subjicerent. 7. Similiter mensæ aureæ à Sacerdotibus imponi jussit hyacinthinam vestem, tum panes in ea adponi solitos, & vascula omnia aurea, quibus in sacris uti solebant; 8. hisque injici duas alias vestes unam coccineam, alteram hysginam, ac tandem vectes componi. 9. Mandavit etiam ab iisdem tegi Candelabrum, cum omnibus ejus vasibus, 10. deinde ea ita involuta imponi ferculo pelle hysgiuâ tecto, & sic bajulari. 11. Altare aureum jussit pariter byacinthinâ veste, cui hysgina alia injiceretur, velari, & vectes ejus parari, ut in humeros illico tolli posset. 12. Oportet quoque, ita Deo jubeute, omnia reliqua sacrarii supellectilia hyacinthinæ vesti imponi, hysgiuáque tegi, & simul omnia in ferculum à Kehathitis bajulandum injici. 13. Postea Sacerdotes jussi sunt cineres & ignem altaris æuei amovere, purpureámque vestem su-

nulla hîc esset difficultas; sed contradicuut omues Codices, & potest aliter uodus solvi, ut modò dicebamus.

46. *In redemtionem*] את פדויי *eth phdouje*, *redemtiones.*

47. *Capies*] *Et capies* ולקחת, sed *Vau* manifestò abundat, ut passim.

Quinque siclos] *Quinque, quinque.* Hae summâ æstimabatur masculus, votus aute quintum ætatis annum, & minima omnium fuit. Vide Levit. XXVII, 6.

Viginti autem gerarum] Vide not. iu Exod. XXX, 13.

48. *Dabis argentum hoc Aharoni*] Fuit hoc tributum, quod pro masculis primogenitis Sacerdotibus solvebatur. *Philo* iu Lib. *de præmiis Sacerdotum*, p.643. hoc quoque commemorat, non spernendum reditum in numerosa gente. Vid. Cap. XVIII, 25.

50. *Sacrarii Siclus*] *In siclo Sacrarii.*

51. *Ipsum*] *Mosem.* Bis repeti videtur jussu Dei hoc esse factum, ne Israelitæ quererentur Aharonem tributa à se, regio more, exigere.

COMMENTARIUS

Iu CAPUT IV.

2. S*Ubducite summam*] Eorum qui trigesimum ætatis annum superarent.

3. *A triginta annos nato*] Infrà Cap. VIII, 25. *à viginti quinque annis* ministrare oportuisse Levitas docet Legislator. Ut eum secum in concordiam redigerent, LXX. Intt. hoc loco, ut Cap. VIII. habent ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν, Sed sæpiùs hic tricesimus annus repetitur, Codexque Samariticus & Veteres omnes alii Intt. conseutiunt cum Massorethico Codice; & cùm uulla iis fuerit variandi ratio, Græcis fuit satis gravis aliquid mutandi; ue Moses à se dissentire videretur. Itaque conjecturâ eos usos esse putamus, quamvis aliter legerent iu suo Codice. Sunt qui velint, post *Maimonidem*, Levitas à vigesimo quiuto ætatis anno edoctos fuisse, per quiuquennium, quæ essent Levitarum ministeria, atque elapso demum quinquennio, ad ipsa ministeria fuisse admissos. Probabilius est quod

extendent vestem purpuream, 14. cui imponent omnia vasa, quibus super eo ministrare solebunt, *ignis* receptacula, fuscinas, palas, pateras, omnia denique altaris supellectilia. Supra hæc expandent integumentum pellis hysginæ, vectésque ejus ponent. 15. Postquàm autem absolverint Aharon ejúsque filii tegere sacrarium, & omnia sacrarii supellectilia, cùm castra movebuntur; tum demum venient Kehathitæ, ad ea bajulanda, neque tangent rem sacram, ne moriantur. Atque hoc erit onus Kehathitharum, in tabernaculo conventûs. 16. Elehazari verò Aharonis filio *erit* præfectura olei candelabri, suffitûs aromatum, donarii *farrei* jugis, olei unctionis; præfectura denique totius tabernaculi, & omnium quæ in eo sunt, in sacrario, & in ejus supellectilibus.

17. Alloquutus est autem Jehova Mosem & Aharonem, dicens: 18. ne stirpem familiarum Kehathitarum ex Levitis exscindi patiamini. 19. Hoc ergo eis facietis, & vivent, neque morientur. Cùm accedent ad res sanctissimas, venient Aharon & filii ejus, singulósque operi suo, & ad onus suum admovebunt. 20. Non ingredientur ut videant quando res sanctæ velantur, ne moriantur.

21. Alloquutus est etiam Jehova Mosem, his verbis: 22. Subducito quoque summam Gersonitarum, pro domo patrum, familiisque eorum. 23. A triginta annos nato & suprà, ad quinquaginta annos natum, eos censebis, omnem, nimirum, venientem in agmen, ad tabernaculi conventûs negotia gerenda. 24. Hoc negotii erit familiis Gersonitarum, quod gerant, *hoc* onus *quod bajulent*. 25. Ferent aulæa tabernaculi, hoc est, tentorium conventûs, *seu* ejus integumentum, & integumentum hysgi-

superinjicere, 14. & huic imponi instrumenta omnia quibus ad altare solerent uti, tum hæc tegere pelle hysginâ, & vectes annulis immittere. 15. Sacris supellectilibus ita convasatis & tectis à Sacerdotibus, oportet Kehathitas ad ea bajulanda venire; neque rem ullam sacram, præter vectes, tangere. Ex quo Deus has leges tulit, hoc fuit onus Kehathitarum, quotiescumque castra deinde mota sunt. 16. His præfectus fuit Elehazar Aharonis filius, totiúsque Tabernaculi ei commissa est cura, sed præsertim olei, quod lucernis sacris adfunderetur, suffitûs aromatici in Tabernaculo adolendi, similæ quæ cum agnis quotidiani sacrificii offertur, oleíque quo Pontifex Maximus inungendus est.

17. His ita constitutis, Deus Mosem & Aharonem jussit, 18. diligenter monere Kehathitas reverenter ad res sacras accederent, ne à spreto Numine universa eorum familia deleretur. 19. Ut ergo vitæ suæ consulerent, jussi sunt dicto audientes esse Sacerdotibus, qui quomodo sacra essent bajulanda eos edocerent & singulis suum onus adtribuerent. 20. Ceterùm vetiti sunt ad Sacrarium se conferre, antequàm stragulis vestibus tecta essent sacra supellectilia; ne si nudata adspicerent, Deo nimiæ curiositatis morte pœnas darent.

21. 22. 23. Jus-

quod conjecit *Chazkuni*, Levitas vigesimo quinto anno ad leviora quidem admissos ministeria, quale erat observare ne quis alienus manum rebus sacris admoveret; sed non ante trigesimum, res sacras bajulasse. Attamen, si ita se res habuit, legem disertè hæc distinguere oportuit, quod nusquam fit; nec credibile est præcepta duo diversa synonymis planè verbis, additis dumtaxat variis ætatibus, exprimi. Hîc enim habetur: *A triginta annos nato & suprà, ad quinquaginta annos natum, omnes in agmen* (לצבא) *venient ut fungantur munere* (לעשות מלאכה) *in tentorio conventus*; Capite verò VIII, 24. *à nato viginti quinque annos & suprà, venient in agmen coëuntium ad tentorii conventûs negotia gerenda*, לצבא צבא בעבדת מועד. Mihi credibilius videtur utrobique scriptum à Mose fuisse aut חמש ועשרים *viginti quinque*, ut conjecerunt LXX. Intt. aut potiùs שלושים *triginta*, ob rationes adlatas. Nihil tamen in ipso Contextu mutaverim.

In agmen venient] לצבא *lattsaba*, quod significat agmen Levitarum circa Tentorium versantium, ut his muneribus fungerentur, quando discedendum aut subsistendum erat. Vide ad Exod. XXXVIII, 8.

Circa tentorium] באהל *in tentorio. Circa* vertimus, quia non ingrediebantur tentorium, quod solis Sacerdotibus licuit. Potuit etiam verti *ad Tentorium*, eodem sensu. Nam hæc est haud infrequens præpositionis ב significatio, ut Jos. XXIV, 26. Jud. VI, 35. & aliis in locis, quæ collegit *Ch. Noldius* signific. 3.

4. *Circa tabernaculum*] Vide ad vers. 3.

Sanctissimum adytum] *Sanctitatem sanctitatum*, quod potest etiam de sanctissimis supellectibus quibusvis intelligi, quæ bajulabantur à Kehathitis.

5. *Operiens adytum*] מסך *massach*, operimenti.

Pellis hysginæ] Vide ad Exod. XXV, 5.

Totam hyacinthinam] Solâ hyacinthinâ lanâ contextam. Hæ vestes videntur significari Exod. XXXI, 10. Vid. de Hyacinthino colore Ib. ad C. XXV, 4.

Component] שמו *sckamou*. Nam immittebant vectes annulis Arcæ, ex quibus nunquam extrahebantur, ut docet Moses Exod. XXV, 15. Sed Hebræi carent verbis compositis, quo fit ut שום *ponere & componere* significet. Vide & Lev. XXIV, 6. ubi vertimus *struere*, quia sermo est de panibus in mensa sacra certo ordine ponendis. Parabant autem Sacerdotes Arcam, ita ut Kehathitis nihil superesset agendum, nisi ut eam in humeros tollerent.

7. *Panis adpositi faciei*] Supplevimus לחם *lehhem*, qui solet passim vocari לחם פנים *panis faciei*. Vide not. ad Exod. XXXV, 30.

8. *Com-*

ginum, quod desuper imponitur, velum ostii tentorii conventûs, 26. vela atrii & siparium ostii atrii, quod est ad tabernaculum & ad altare circumquaque, eorum funes, & omnia supellectilia quæ iis inserviunt. Quidquid circa hæc oportet fieri, illi facient. 27. Ex mandatis Aharonis ejusque filiorum pendebit omne munus Gersonitarum, ad omnia eorum onera, omniáque ministeria quod adtinet; & recensebitis iis diligenter omnia eorum onera. 28. Hoc munus est familiarum Gersonitarum, circa tentorium conventûs; eorúmque *hæc* cura erit, *qui sunt* in manu Ithamaris, filii Aharonis sacerdotis.

29. Filiorum Meraris, pro familiis eorum & domo patrum, censum ages. 30. A triginta annos nato & suprà, ad quinquaginta annos natum, eos censebis, omnem, *nimirum*, venientem in agmen, ad tabernaculi conventûs negotia gerenda. 31. Hæc erit pars oneris eorum curæ commissa, pro eorum ministerio circa tentorium conventûs: tabulæ tabernaculi, transversarii ejus asseres, columnæ & bases ejus; 32. columnæ item atrii circumquaque, earúmque bases, paxilli & funes, pro omnibus earum supellectilibus, & omnibus iis inservientibus. Nominatim recensebitis supellectilia, *quæ conficient* partem oneris curæ eorum commissam. 33. Hoc munus est familiarum Meraritarum, pro omni eorum ministerio circa tentorium conventûs; in manu Ithamaris, Aharonis sacerdotis filii.

34. Moses & Aharon, principésque cœtûs censum egerunt Kehathitarum, secundùm familias eorum & domum patrum. 35. A nato triginta annos & suprà, usque ad quinquaginta annos natum, omnes venientes in agmen, ad ministrandum circa tentorium con-

22. 23. Jussus quoque est Moses censum agere Gersonitarum, à triginta annos natis ad quinquaginta annos natos, 24. 25. iisque bajulanda adtribuere interiora & exteriora Tabernaculi aulæa, siparium quo ejus ostium clauditur, 26. vela quibus atrium cinctum est, & siparium ostio ejus oppositum, ac funes, quibus ea vela colliguntur; horumque omnium in itinere, quando castra moverentur, curam gerere jussi sunt. 27. His quoque præcepit Moses, jussu Dei, ut Aharoni, filiisque ejus, in munerum sacrorum functionibus, parerent; 28. & potissimùm quidem Ithamari, qui iis singulari jure præfectus est.

29. 30. Similia mandata, de censendis Meraritis, à Deo accepit Moses, 31. & iis quidem commissa est cura tabularum, asserum, columnarum & basium Tabernaculi; 32. columnarum item Atrii, basium, paxillorum, funium, & omnium supellectilium ad eas pertinentium. Jussus est à Deo Moses omnia, iis audientibus, recensere, quæ eorum fidei commissa sunt, 33. ut probè quid muneris sui esset intelligerent. His quoque præfectus est Ithamar, quemadmodum Gersonitis.

34 ad

8. *Component*] Vide ad vers. 6.

13. *Ferculo*] מוט *moth*, quod propriè *vectem*, aut *perticam* significat, aut quid simile. Vide not. ad Levit. XXVI, 13. Verùm hîc significare videtur *ferculum* duobus vectibus, transversisque baculis constans, aut simile; tale enim debuit esse instrumentum, cui imponebantur ea quæ על המוט *hal hammot* imposita esse dicuntur, & quod ferebatur humeris duorum hominum. Potuissemus vertere *feretrum*, sed *ferculum* erat vox usitata in sacris, apud Romanos, ad significandam ligneam machinam, cui imponebantur signa Deorum, aliáque. LXX. Intt. ἀναφορεῖς verterunt, Vulg. *vectes*, sed cùm sit in singulari numero, non idem quod בדים *baddim*, sed ferculum potiùs sonare videtur, Græcè dixeris ἀνάφορον.

14. *Ministrare solebunt*] *Ministrabunt*. Ex hoc, superiore & sequente versu, colligere est ex quo tempore primùm in Mosaïco altari accensus est ignis, non fuisse semper in eo nutritum; amoveri enim debuit ignis, ut altare veste tegeretur, quod factum quoties ab eo tempore castra moverunt Israëlitæ. Itaque Lex, de perpetuo igne in altari alendo, intelligi debere videtur de omni tempore, quo altare in uno loco maneret. Sed ignis sacer potuit in foculis aliò transferri, ubi iterum altari imponebatur. Alioquin oportuisset, aut profano igne uti, aut novum è cœlo exspectare. Vide not. ad Levit. X, 13. Fini hujus versûs adnectunt Samaritæ hæc verba: ולקחו בגד ארגמן וכסו את הכיור ואת כנו ונתנו אתם אל מכסה עור תחש ונתנו על המוט, hoc est, verbis LXX. Intt. qui hoc quoque habent: καὶ λήψονται ἱμάτιον πορφυροῦν καὶ συγκαλύψουσι τὸν λουτῆρα, καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ, καὶ ἐμβαλοῦσιν αὐτὸ εἰς κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπὶ ἀναφορεῖς. Nec sanè videtur omissum labrum.

Ignis receptacula &c.] Hæc pannum subjectum depressisse videntur, in cavam altaris partem, in quam pondere suo vergebant.

15. *Postquam absolverit*] *Et absolvet.*

Rem sacram] *Sanctitatem*, exceptis vectibus,

16. *Erit præfectura*] Hoc est, ipse & Sacerdotes hæc ferent, ut sibi peculiariter commissa.

Donarii farrei jugis] Hoc est, similæ, quam oportuit cum duobus agnis quotidie offerri. Vide Cap. XXXIII, 1.

18. *Stirpem*] שבט *schebeth*, quod propriè *ramum* sonat, deinde transfertur ad partem gentis cujuspiam significandam; quales erant posteri filiorum Jacobi, qui totidem *ramos* Israëliticæ gentis conficiebant. Hîc verò etiam arctiore sensu intelligitur de minore familia. *Stirpem* vertimus, adfini metaphorâ, cùm aliter rem Latinè exprimere non liceret. Alibi quidem *Tribum* vertere solemus, sed quia vox hæc unam dumtaxat ex duodecim majoribus populi Hebræi signare solet, ea uti hîc noluimus.

Ex-

conventûs *censuerunt*; 36. fueruntque censi, pro familiis suis, duo millia *virorum*, septingenti, quinquaginta. 37. Hi fuere censi ex familiis Kehathitarum, omnes ministrantes ad tentorium conventûs, quos censuere Moses & Aharon, ex mandato Jehovæ, per Mosem *edito*.

38. Censi verò Gersonitarum, pro familiis suis & domo patrum, 39. à triginta annos nato & suprà, ad quinquaginta annos natum, omnes venientes in agmen, ad ministrandum ad tentorium conventûs; 40. censi, inquam, eorum, pro familiis suis & domo patrum, fuerunt duo milla *virorum*, sexcenti, triginta. 41. Hi sunt censi familiarum Gersonitarum, omnes ministrantes ad tentorium conventûs; quos, ex mandato Jehovæ, censuerunt Moses & Aharon.

42. Censi autem familiarum Meraritarum, pro familiis suis & domo patrum; 43. à triginta annos nato & suprà, ad quinquaginta annos natum, omnes venientes in agmen, ad ministrandum ad tentorium conventûs; 44. fuerunt, pro familiis suis tria millia, ducenti. 45. Hi fuere censi familiarum Meraritarum, quos ex mandato Jehovæ, pet Mosem *edito*, Moses & Aharon censuere.

46. Omnes censi Levitarum, quos censuerunt Moses & Aharon, principésque Israëlis, pro familiis suis & domo patrum; 47. à triginta annos nato & suprà, ad quinquaginta annos natum, venientes ut fungantut ministerio, & officio *bajulandi* oneris, ad tentorium conventûs; 48. *Omnes, inquam*, censi eorum fuerunt octo millia, quingenti, octoginta. 49. *Aharon autem, & Moses*, ex mandato Jehovæ pet Mosem *edito*, eos censuerunt, singulos pro ministerio, & onere suo; *hique* eorum *sunt* censi, prout Mosem jusserat Jehova.

V. Le-

[44] *ad* 37. Sunt autem censi à Mose & Aharone, prout jusserat Deus, ex familiis Kehathitarum, duo millia virorum, septingenti, quinquaginta, eâ ætate quâ eos esse oportebat, qui res sacras curarent.

[45] *ad* 41. Gersonitarum verò fuere censi duo millia, sexcenti, triginta.

[46] *ad* 45. Meraritæ denique fuerunt ter mille, ducenti, quibus sacrorum supellectilium committi posset cura.

[47] *ad* 48. Itaque Levitarum, à triginta annos natis ad quinquaginta annos natos, censi fuerunt octies mille, quingenti, octoginta; 49. censumque eorum Moses & Aharon clauserunt, & singulis eorum Familiis, Dei jussu, ministeria adtribuerunt.

P A-

Exscindi patiamini] תכריתו thachrithou, *exscindi faciatis*; nimirum, eam non docendo quàm reverenter res sanctissimæ tractari debeant; qua in re si peccatum admiserint, à divina justitia delebuntur. Non vetantur Moses & Aharon *efficere* ut è medio tollerentur tribules sui, neque enim tam malus animus in eos cadere poterat, ut datâ operâ consangnineos iræ divinæ objicerent. Sed vetantur id *pati*, negligentiâ suâ; aut potiùs jubentur diligenter cavere, ne contingat. Nempe, apud Hebræos, verba agentia sæpe habent sinendi significationem. Vide *Hug. Grotium* ad Joan. VI, 32.

19. *Vivent, neque morientur*] Est abundantia quædam in sermone Hebræorum, quâ non modò adfirmant quod volunt, sed contrarium etiam negant. Vide Deut. XXXIII, 6. & Virum summum modò laudatum ad Joan. I, 2. Ceterùm hîc Deus minatur mortem iis, quibus non licebat, res sanctissimas adrectantibus; quia sine summa Numinis reverentia, Religio stare non poterat; nec ea reverentia, si vulgò liceret sacra tangere, integra esse potuit, prout erant eorum temporum mores. Hinc tantæ clades Arcam irreverenter tractantibus immissæ 1 Sam. VI, 19. Notum est in Eleusiniis Mysteriis solos *Epoptas* in Adytum admissos. Qua de re vide *Joan. Meursii Eleusinia*.

Ad res sanctissimas] את הקדש קדשים *sanctitatem sanctitatum*. Pro את Samaritæ habent אל *el*, quod fortè melius.

20. *Res sanctæ velantur*] כבלע את הקדש cheballah eth hakkodesch, *cùm absorbent sanctitatem*. Quæ *absorbentur* oculos fugiunt, ideò *absorbere* pro tegere hîc occurrit. Hinc Onkelos כד מכסן *quando teguntur*, *priusquàm involvantur*. LXX. verò Intt. habent ἐξάπινα *subitò*, nescio quare.

23. *Ad tabernaculi conventûs negotia gerenda*] לעבד עבדה באהל מועד *ad ministrandum ministerium in tabernaculo conventûs*, aut *ad gerendum negotium*.

24. *Quod gerant, hoc onus* &c.] לעבד ולמשא *lababod oulmabscha*, ad faciendum & ad onus.

25. *Hoc est, tentorium conventûs, seu ejus integumentum.*] *Et tentorium conventûs integumentum ejus.* אהל hîc significat aulæa. Similis phrasis occurrit suprà Cap. III, 25. ubi vide not. De variis Tabernaculis integumentis, vide Exod. C. XXVI.

26. *Oportet fieri*] יעשה jehasche, *fiet*.

27. *Ex mandatis Aharonis*] *Ad os Aharonis & filiorum ejus erit omne opus filiorum Gerson* &c. Hoc est, nihil facient, injussu Sacerdotum, seu eorum imperia exspectabunt.

Ad omnia eorum opera] *Ad omne onus & omne opus.*

Recensebitis iis diligenter] פקדתם עליהם במשמרת phkadihem halchem bmischmereth, *recensebitis ad eos in observatione*. LXX. ἐπισκέψῃ αὐτοὺς ἐξ ὀνόματος, aut ὀνομάτων, ut habet Alexandrinus Codex. Legerunt aut legendum censuerunt בשמות *beschemoth*, ut vers. 32. Sed repugnant Codd. Samariticus & Judaïcus, & præ-

V. Leges de immundis è castris ejiciendis, de furti restitutione, déque zelotypia viri erga uxorem, cui aqua amara bibenda porrigitur.

1. ALLOQUUTUS etiam est Jehova Mosem, his verbis: 2. Præcipe Israëlitis emittant castris omnem leprosum, omnem profusione laborantem, omnémque immundum, propter cadaver. 3. Cùm masculos, tum fœminas emittetis castris; emittetis, *inquam*, eos, neque polluent sua castra, in quibus mediis ego habito. 4. Sic autem fecerunt Israëlitæ, eos castris emiserunt; quemadmodum dixerat Jehova Mosi, sic Israëlitæ fecerunt. CAPUT V.

5. Alloquutus est Jehova Mosem, his verbis: 6. Dic Israëlitis: vir aut fœmina qui peccatum quodpiam, quo homines in Jehovam delinquunt, admiserint, adeò ut illi noxæ rei facti sint, 7. peccatum suum quod admiserint confitebuntur, restituéntque ei cui nocuerint ipsam noxam, & quintam partem præterea addent. 8. Si autem nemo sit, qui rem sibi vindicet, ut ei noxa restituatur, Jehovæ reddetur, *seu* sacerdoti, præter arietem piacularem, quo reus expiabitur. 9. Omnis oblatio elata omnium rerum consecratarum ab Israëlitis, quam offerent sacerdoti, ejus erit; quod quivis dederit sacerdoti, ejus erit.

11. Alloquutus est Jehova Mosem, dicens: 12. alloquere Israëlitas, eisque dicito: Si viri cujuspiam uxor *aliò* deflexerit, atque in eum deliquerit, 13. ita ut vir

PARAPHRASIS.

1. DE pollutis hanc Legem, Deo jubente, promulgavit Moses: 2. Omnis leprosus, profusione seminis laborans, pollutúsve cadavere; 3. seu vir sit, seu mulier; castris egreditor, neque septum, intra quod Deus Tabernaculum suum statuit, polluito. 4. Cui legi illico, emissis omnibus pollutionibus illis laborantibus, paruerunt Hebræi.

5. DE delicti ignoti confessione, præter eam quæ exstat *Levit.* C. VI. hæc quoque Lex, Dei jussu, à Mose lata est. 6. Quisquis, contra leges à Deo latas, quempiam defraudarit, ita ut cum eo lege agi non posset, si eum fraudis suæ pœnituerit, 7. ante omnia delictum suum palam confitetor, rémque ipsam quâ alium defraudarit restituito, & quintam pretii ejus partem præterea solvito. 8. Si autem nemo supersit, qui jus sibi aliquod in eam rem vindicare possit, eam Sacerdoti restituito, arietéque pro noxa mactato, expiator. 9. 10. Sic & omnes oblationes elatæ, neque igne altaris absumtæ, quæ ab Hebræis consecrabuntur, Sacerdotum sunto.

11. DE Zelotypia hæc à Mose lex, à Deo accepta,

præterea si legendum esset *in nominibus*, non ad homines, sed ad vasa referri hoc deberet, ut ostendit phrasis & vers. 32. Vulg. sensum dumtaxat expressit, ita tamen ut lectionem LXX. Intt. probavisse videatur, habet enim, *& sciens singuli cui debeant oneri mancipari.* משמרת *mischmereth*, in hoc Capite, sæpiùs *curam* aut *curationem* sonat; itaque במשמרת rectè verti potest *cum cura*, seu diligenter.

28. *In manu Ithamaris*] Erat, nempe, hisce præfectus Ithamar, ut Elehazar Kehathitis. Ideò *in ejus manu* esse dicuntur, hoc est, in ejus potestate. Vide 1. Par. XXIV, 19. & *Ch. Noldium* ad sign. 9.

31. *Pars oneris eorum curæ commissa*] *Observatio oneris eorum.*

33. *In manu*] Vide ad vers. 28.

44. *Tria millia* &c.] Quamvis Meraritæ omnes simul censi pauciores essent Gersonitis & Kehathitis, attamen plures erant Meraritæ provectioris ætatis, quàm in aliis Levitarum familiis, ubi erant plures pueri & adolescentes.

46. *Levitarum*] *Quos censuit Moses Levitas.*

47. *Ut fungantur ministerio*] לעבר עברת עבודה ועבדת משא, *ad operandum opus, operis, & opus oneris*; hoc est, ut faciant quæ sunt facienda, & bajulent quæ sunt bajulanda, prout à Sacerdotibus jubebuntur. Hinc, ut ex innumeris aliis locis, colligere est Hebræos earumdem vocum concursum, & quidem vario sensu, non refugere.

29. *Prout*] אשר *ascher*, quod est pro כאשר chaascher, *prout*, ut habent Samaritæ. Vide Exod. XXXIV, 18.

COMMENTARIUS

In CAPUT V.

2. E*Mittant castris*] Diximus ad Levit. Cap. XVII, v. 3. castra in tres partes distingui, in eam in qua erat Tabernaculum, in castra Levitica, & in castra Israëlis. Nunc quæritur, an tria genera pollutorum, quæ hîc memorantur, tribus hisce castris deberent excludi ex æquo; an verò discrimen aliquod in exclusione sit statuendum, & quale illud sit. Ut pares non erant hæ pollutiones, aliis in rebus: sic fortè pollutorum separatio eadem non fuit. Major erat pollutio leprosi, quàm aliorum, & pluribus ritibus expiabatur, ut liquet ex collatione locorum, quibus de horum immundorum purificatione sermo est. Vide Levit. Capp XIV & XV. & Num. XIX. Itaque de singulis videndum.

vir *alius* cum ea concubitu seminis concubuerit, hæc autem fugerit oculos mariti, celatáque fuerit; & *quamvis sit* illa polluta, nullus fuerit testis in eam, neque deprehensa sit; 14. sed illum invaserit spiritus zelotypiæ, & eo adfectu ergo eam laboret, ac *reverâ* polluta fuerit; vel etiam zelotypiæ spiritus eum invaserit, eóque adfectu erga eam laboret, nec tamen fuerit polluta; 15. is vir uxorem suam ducet ad sacerdotem, & adferet ejus oblationem cum ea, decimam Ephæ farinæ hordeaceæ, cui non adfundet oleum, neque imponet thus; quia est donatium zelotypiæ, donarium in memoriam *oblatum*, & quod sceleris memoriam revocat. 16. Tum eam jubebit accedere sacerdos, atque coram Jehova sistet; 17. dein sumet aquam sacram in vase testaceo, & aliquantùm ex pulvere, qui erit in solo tabernaculi, ídque in aquam injiciet. 18. Sistet mulierem coram Jehova, nudabit ejus

cepta, Israëlitis promulgata est. 12. 13. Si cujuspiam uxor adulterium commiserit, neque tamen deprehensa sit, aut testibus argui possit, 14. sed vir gravi suspicione permotus zelotypiâ laborare propterea cœperit; aut etiam quamvis uxor insons sit, attamen vir eam deliquisse vehementer suspicetur, 15. neque eam dimittere velit; ei viro uxorem suam ad Sacerdotem, ad Tabernaculum agentem, ut exploretur mulieris innocentia, ducere liceto. Simul Assaronem farinæ hordeaceæ, sine oleo & thure, adferto; donariúmque hoc hordeaceum, non ad pacem Dei impetrandam, aut gratias ei agendas, sed ad explorandum an mulier pudica sit, nécne, offerri intelligitor. 16. 17. Præsente muliere, Sacerdos in vasculo testaceo aquam è labro Sacro adferto, & aliquantu-

Omnem leprosum] Jam edita Lex hac de re erat, sed nondum exsequutioni mandata, antequàm castrorum ordo constitutus esset, nec sanè potuisset antea observari. Vide Levit. XIII, 46. Rabbini volunt castra hîc intelligi, quæ vocant מחנה שכינה *castra habitationis Dei*; sed locus Levitici modò laudatus ostendit leprosum etiam castris Israëlis exclusum. Idem quoque liquet ex Nnm. XII, 15, 16.

Hinc colligere est, iis, qui erant in castris Leprâ adfecti, non leve incommodum fuisse creatum; dum cogerentur seorsim à suis, in deserta solitudine, tendere, & motis castris seorsim iter facere. Dura hæc fuit lex & leprosis & leprosorum propinquis, ut parentibus, uxoribus, liberis, fratribus &c. quibus non licuit unà vivere, & mutuo auxilio frui, sine perpetuis lustrationibus. Sed videtur Legislator impedire voluisse, ne serperet fœdissimus morbus, & totius Populi salus præferri debuit privatis familiarum adfectibus. Attamen cùm homines soleant privatos adfectus, præsertim si ex ipsa humanitate fluere videantur, bono communi anteferre, & fugere molestias quantùm possunt; credibile est sæpe hanc Legem fuisse violatam. Idem etiam de sequentibus pollutionibus judicium ferri posse videtur; quo fiebat ut homines aut parum religiosi fierent, aut in perpetuo mortis metu vitam agitarent, quia peccatis ejusmodi à scientibus & prudentibus admissis nulla à Deo imponuntur piacula, nulla promittitur non expiatis venia. Eò respicere videtur Apostolus ad Hebræos Cap. II, 15.

Profusione laborantem] Seminis, nimirum, de qua ad Levit. Cap. XV. Quæritur de hisce, ex quibus castris exire eos oporteret? Magno consensu, respondent Intt. ex castris Dei. Sed tria obstant, quominùs iis adsentiamur. Primum est, quòd nullus satis perspicuus proferatur locus, ubi מחנה significet solum Atrium, seu spatium quod ejus velis cingebatur. Alterum, quia ejusmodi polluti jubentur *emitti* (תשלחו *emittetis*, ait Lex) nimirum, ex loco in quo erant; qui non est alius quàm singulorum tentoria, & castra vicina, non verò Atrium quod vetabantur ingredi, Levit. XV, 31. Vide v. 3, & 4. Tertium, quòd cùm variis pollutionibus unâ sanctione, *emittetis castris*, imponatur veluti pœna; credibile non sit aliter intelligi oportere eamdem vocem, hoc uno in loco, prout ad diversas pollutiones refertur. Numquam certè exemplum ejusmodi ambiguitatis, planè singularis, observare mihi licuit. At hoc erat durum. Fateor, sed ideò lex dicitur *jugum intolerabile*; quod Rabbinicis figmentis levius facere frustra nituntur Judæi. Sed hæc etiam recentiora commenta esse postea videbimus.

Immundum propter cadaver] *Propter animam*, ut si quis cadaver sepeliendum extulisset. De hoc immunditiei genere, copiosiùs Cap. XIX. Volunt etiam Interpretes hos exclusos tantùm castris Dei, seu Atrio; sed rationes modò adlatæ contrarium evincunt. Hi polluti, non minùs quàm ceteri, quod tangebant polluere censebantur, ut liquet ex Cap. XIX, 22. atque hæc fuit causa ob quam secedere jubebantur.

Ne hæc nova videantur, obstabit auctoritas *Josephi*, qui Lib. III. Ant. Jud. Cap. XI. ita loquitur, de hisce pollutionibus: *Ἀπήλασε δὲ τῆς πόλεως καὶ τοὺς λέπρᾳ τὰ σώματα κακωθέντας, καὶ τοὺς περὶ τὴν γονὴν ῥεομένους — Ὁμοίως καὶ τοῖς κηδεύσασι νεκρὸν μετὰ τοσαύτας ἡμέρας (δηλονότι ἑπτὰ) νόμιμον τὸ ἐνδημεῖν*: *expulit autem ex urbe* (quæ castris successit) *eos quorum corpora leprâ laborabant, & semine defluentes — Similiter iis qui funus mortui curassent, post totidem dies* (septem) *licet inter populum versari. Josephi* autem auctoritas, qui stante Republica vixit, cum rationibus Grammaticis conjuncta, maximi apud omnes debet esse ponderis, quamvis sola elevari possit. Attamen, ne quid dissimulem, cùm tot myriadum ingentia essent castra; hoc est, spatia quibus tentoriorum ordines continebantur, nec facile esset iis egredi, extráque ea tendere familiis pollutis; crediderim juxta singulatum Tribuum castra, vacui aliquid relictum, quod *extra castra* esse censebatur, quòd esset extra ordines tentoriorum.

3. *Cùm masculos, tum fœminas* &c.]

Sua castra] Hæc non sunt castra Dei, propriè

ejus caput, manibúsque ejus imponet donarium, *in* memoriam *sceleris*, seu donarium zelotypiæ; in manu verò sacerdotis erit aqua amara maledictionem inferens.
19. Tum adjurabit eam sacerdos, dicétque mulieri: si nullus *alius* vir concubuit tecum, neque *aliò* deflexisti *ad* immunditiam à viro tuo, immunis esto effectûs aquæ hujus amaræ. 20. Sin verò *aliò* deflexisti à viro tuo, & polluta es, ac tecum concubuit vir *alius*, præter tuum. 21. Hîc sacerdos adjurabit mulierem jurejurando exsecrationis, eíque dicet: statuat te Jehova in exsecrationis & perjurii *exemplum*, in medio populo tuo, faciendo ut femur tuum cadat, & venter tuus intumescat.
22. Eat aqua hæc amara in viscera tua, ad inflandum ventrem *tuum*, efficiendúmque ut femur tuum cadat. Dicet verò mulier; amen, amen.
23. Has maledictiones scribet sacerdos in libello, eásque ad aquam amaram delebit;

tulum pulveris, è Tabernaculi solo, injicito. 18. Tum eam ad altare propiùs accedere jubeto, hordeaceúmque donarium, dum aquam illam ipse manu gerit, in manibus mulieris ponito, idque non divinæ paci impetrandæ, sed sceleri retegendo inservito. 19. Diras deinde exsecrationes, conceptis hisce verbis, Sacerdos pronunciato: ô mulier, si pudica es, horrendi hujus aquæ effectûs immunis esto; 20. Sin verò adulterium commisisti, 21. 22. exemplum pœnæ divinitus, ob adulterium & perjurium, immissæ popularibus tuis præbeto; venter tuus epotâ hac aquâ intumescito, & tabefactum femur à reliquo corpore avellitor. Mulier verò respondeto: ratas istas tuas preces faxit Deus!

24. Has diras ita pronunciatas in membrana Sacer-

priè dicta, sed Israëlitica, in quorum medio spatio erat Tabernaculum Conventûs. *Josephus Francus* suos sequutus habet, *suos Sacros reales*, id est, sua Sacra castra, sed hujus phraseos exemplum nullum profertur.

6. *In Jehovam delinquunt*] למעל מעל *limhol mahal*. Vide not. ad Levit. VI, 2. Peccata, quibus homines, contra jus & fas, lædebantur, meritò dicuntur esse delicta erga Deum, quòd promisissent Israëlitæ se leges Dei observaturos, idque non semel. Vide Exod. Capp. XIX, vers. 8. XXIV, 3.

Adeò ut illi noxæ rei facti sint] ואשמה veaschemah *anima illa*.

7. *Peccatum suum confitebuntur*] Est novum caput Legis, quam habuimus Levit. VI, vers. 5. & seqq. & quod ab ea differt, quòd hîc statuat Deus quid fieri oporteat, si læsus obierit, neque ullum reliquerit, qui jus ejus sibi vindicare possit. Vide quæ illic notavimus.

Ipsam noxam] אשמו בראשו *aschamo broscho*, noxam in capite suo; hoc est, ipsam rem, quâ alium defraudavit.

8. *Qui rem sibi vindicet*] גאל *goel*, scilicet, heres, qui in omnia jura mortui successerit.

Seu Sacerdoti] Supplevimus *seu*, quia duo dativi, à Latinè loquente, non poterant conjungi. Posset etiam verti *ut sit sacerdotis*. Vide Levit. XXVII, 22.

9. *Omnis oblatio*] Vide Num. C. XVIII, 8.

Rerum consecratarum ab Israëlitis] *Sanctitatum filii Israëlis*. Sic & vers. seq.

12. *Aliò deflexerit*] תשטה *thischteh*, quæ vox honestè adulterium exprimit, quòd ejusmodi mulier soleat *deflectere* in locum remotiorem, ut flagitium clam committat. Hinc Thalmudici hanc mulierem סוטה *sotah* vocant, de qua exstat integer Thalmudis liber, quem amplissimis commentariis illustravit vir eruditiss. *Joan. Christ. Wagenseilius*.

Deliquerit] מעלה *mahelah*, conjugalem fidem fefellerit. Vide ad Levit. VI, 2.

13. *Ita ut*] *Et cubuerit*.

Concubitu seminis] Mariti munere defunctus sit.

Nullus fuerit testis] Si enim testibus res probari poterat, morte pœnas luebat adultera, Levit. XX, 10.

14. *Illum invaserit*] *Et transierit super eum*. Metaphora ducta à vento, qui super eos transit quos adflat. Vide Ps. CIII, 15, 16. sed Latinè servari non potuit.

Spiritus zelotypiæ] Hoc est, adfectus zelotypiæ. Sic loquuntur Hebræi. Vide Esai. XI, 2. Ita & in scriptis Pauli *spiritus servitutis*, *spiritus timoris*, *spiritus mansuetudinis* &c. Vide Rom. VIII, 14. & *Hug. Grotium* ad eum locum.

Eo adfectu erga eum laboret] וקנא את אשתו *vekinne eth ischtho*. LXX. *ζηλώσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ*, quod Latinè exprimi nequit, Gallicè commodissimè: *qu'il soit jaloux de sa femme*. Oportebat, sine dubio, graves esse zelotypiæ rationes, ut eo dedecore, eáque molestia adfici posset mulier. Ac sanè multa Thalmudici de hisce, quæ non adtingemus.

15. *Decimam Ephæ*] Vide not. ad Exod. Cap. XVI, 36. Cùm in aliis omnibus oblationibus triticea farina adhiberetur, in hac vilior erat, quòd Dei pacem non invocarent.

Zelotypiæ] קנאת knaoth, *zelotypiarum*.

Non adfundet oleum] In oblatione pro peccato, nec oleum, nec thus erat. Levit. V, 11.

Donarium in memoriam] מנחת זכרון minhhath ziccharon, *donarium memoriæ*. Ita videtur dici quòd hæc oblatio nec piacularis, nec eucharistica esset; si enim mulier adulterium commisisset, nullum erat ei lege præscriptum piaculum; si innocens erat, piaculari, aut eucharistica oblatione non indiguit. Ac sanè nulla expiatio fiebat, sine sanguine. Vide Levit. Cap. XVI, 3. Heb. IX, 7.

Quod sceleris memoriam] Nempe, Deo qui quasi ultor sceleris hujus invocatur; si rea sit mulier.

17. *Aquam sanctam*] Ex labro, nempe, in quo Sacerdotes se abluebant.

In solo] בקרקע *bkarkah*. *Solum* maluimus quàm *pavimentum*, quòd nusquam Tabernaculum dicatur lapidibus, aut aliâ re constratum fuisse.

lebit; [24] deinde aquam illam amaram, maledictionem inducentem, bibendam ei tradet, atque in eam ingredietur aqua amara maledictionem inferens. [25] Sumet autem sacerdos è manu mulieris donarium zelotypiæ, idque donarium coram Jehova agitabit, & in altari offeret. [26] Pugillum capiet ex donario, qui sit ejus suffitus, eum in altari adolebit, & postea aquam illam mulieri bibendam dabit. [27] Postquàm bibendam ei dederit aquam, si polluta fuerit, & in virum deliquerit, aquâ amarâ maledictionem inferente in eam ingressâ, intumescet ejus venter, ca-

cerdos scribito, & è vestigio, antequàm sicca sit scriptura, eam aquâ amarâ, ita ut atramentum dilutum in vas defluat, deleto. [24. 25. 26.] Tum donarium hordeaceum à muliere recipito, id ad altare agitato, pugillúmque farinæ ex eo sumtum in flammam porricito. Hoc peracto, aquam illam diris imprecationibus consecratam à muliere ebibi curato. [27] Si adulterium commiserit, aqua diras secum in eam trahet, intumescet ejus venter, tabefactum concidet femur, eritque ea mulier

18. *Sistet mulierem coram Jehova*] Propiùs accedere jubebit ad altare.

Nudabit ejus caput] Detracto velo, quo caput solebant tegere mulieres. Vide not. ad Gen. XXIV, 65. Sic *Josephus* Ant. Jud. Lib. III. c. 10. τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἀφελὼν *sublato capitis velamine*. Multa alia habent Rabbini in *Sota*, quæ non adtingentur à nobis, cùm ad Mosem nihil faciant.

Aquæ amaræ maledictionem inferentes] מי המרים המאררים *me hammarim hamarerim*, aquæ amarorum maledicentium; sed videtur מי esse in statu constructo, pro absoluto, cujus anomaliæ exempla rara non esse observarunt Grammatici. Vide *Buxtorfium Thes. Gram.* Lib. II. c. 4. Sic Jud. XIX, 22. ubi אנשי בני בליעל *viri filii biljahal*, pro אנשים. Ps. LXXVIII, 49. מלאכי רעים *nuntii mali*, pro מלאכים. Suspicor tamen potuisse facilè fieri ut Librariorum culpâ exciderit ם finale; atque absque ejusmodi mendis fuisset, multis anomaliis Hebræas Grammaticas carituras fuisse. Sed sine longè antiquissimis Codicibus, certum nihil statui potest. In hoc autem Mosis loco, statum constructum esse pro absoluto liquet ex vers. 27. ubi legimus המים. Dicuntur autem hæ aquæ *amaræ*, quia ab invitis mulieribus bibebantur, non secus ac amarissimæ fuissent; vel quæ cum *amarore* animi, hoc est, tristitia hauriebantur. Sic Esa. XXIV, 9. *amara* dicitur *sicera*. Ideò Hieronymus *amarissimas* vertit. Eodem respexit Interpres Samarita, qui habet בורה *angustiæ*. Sic enim ex Syrismo ea vox est vertenda. Eædem dicuntur *maledictionem inferentes*, propter portentosum earum in adulteris effectum, quæ divinæ *maledictionis* gravissimas pœnas sentiebant.

LXX. Intt. מי המרים verterunt ὕδωρ τοῦ ἐλεγμοῦ *aquam argutionis*; quâ, nempe, arguebatur adultera. Legerunt, ut videtur מורים *morim*, hoc est, *docentium*, scilicet, an casta esset mulier. Sed hoc est durum.

Alii verisimiliùs vertunt *amarorum maledicentium*, nempe, virorum, qui aquam illam propinari curant uxoribus, exitium iis precati, si reæ sint. Ac sanè *amari animo* dicuntur *dolentes & irati*, Jud. XVIII, 25. 2. Sam. XVII. 8. Alii alia adferunt, quæ jam sunt à viris doctis collecta; sed quæ neque huic interpretationi, neque ei, quam sequuti sumus, æquiparanda sunt.

Maledictionem inferentes] המאררים *hamarerim*. LXX. Intt. habent τοῦ ἐπικαταρωμένου τούτου, referendo ad ἐλεγμῷ quod antecessit. Vulg. *in quibus maledicta cum exsecratione congessit*. Samariticus Int. דמבארים *declarantes*. Sed cùm lectio nostra commodissimum sensum fundat, & Grammaticæ resque convenientissimum, quid opus est aliò confugere?

19. *Adjurabit*] Jurejurando interposito jubebit verum fateri. Dic coram Jehova, *an nullus alius vir* &c.

A viro tuo] תחת אישך *sub viro tuo*. Est pro מתחת mittahhath *de sub*. Sic Hos. IV, 12. *scortati sunt* מתחת *de sub Deo suo*. Significatur actio mulieris se viri imperio & consuetudini subtrahentis.

Immunis esto effectûs] הנקי ממי *hinnaki mimme*, innocens sis ab aquis, hoc est, immunis sis; nam quia נקי naki *innocens* est immunis pœnæ, ideò Hebræi immunem alicujus mali נקי *naki* interdum vocant. Vide Exod. XXI, 28.

20. *Sin verò*] ואת כי *veath chi*. Sunt ultimis verbis hujus versûs proximè jugenda verba sequentis: *statuat te Jehovah* &c. Nam quæ interponuntur sunt instar parentheseωs, quamvis non sint eo modo inserta, quo inseruntur parentheses apud Græcos & Latinos, possintque sine ulla sensûs jactura abesse. Hinc Hieronymus pro illis habet, *his maledictis subjacebis*. Sed durior Hebræorum stylus non abhorret ab ejusmodi insertionibus.

Tecum concubuit] *Dedit concubitum suum in te*, hoc est, זרע שכבתו.

21. *Eique dicet*] *Et dicet sacerdos mulieri*.

In exsecrationis & perjurii exemplum] לאלה ולשבועה *lealah vlishbouhah*, hoc est, in exsecrationem & jusjurandum. Sensus est quem expressimus, post Hieronymum, *in maledictionem, exemplúmque cunctorum*. שבועה *jusjurandum* hìc sumitur pro שבועת השקר *jurejurando mendacii*, sive falso; mulier enim quæ ita adjurata mentiebatur perjurii rea erat. Vide not. ad Levit. V, 1. Non absimilis est loquutio Gen. XVI, 2. *eris benedictio*, hoc est, exemplum benedictionis.

Faciendo ut femur tuum cadat] בתת יי ירכך נפלת *ponendo femur tuum cadens*. Quæ fuit justissima perjurii simul & adulterii pœna. Hoc in loco *femur cadat* legitur ante *intumescat venter*, at vers. 27. contrarius est ordo, qui verus videtur; credibilius enim est ventrem primùm intumuisse, deinde tabefactum femur cecidisse; nam evulso femore, vix ampliùs vivere potuit mulier. *Josephus* vult [illegible] τὸ σκέλος τὸ δεξιὸν

cadet femur ejus, eritque ea mulier in exsecrationis *exemplum* apud populum suum. 28. Si verò non fuerit polluta, sed munda, immunis erit *eorum effectuum*, & prolem edet.

29. Hæc lex esto de zelotypia, cùm mulier à viro suo *aliò* deflexerit & polluta fuerit; 30. aut virum invaserit spiritus zelotypiæ, eóque adfectu erga uxorem laborarit. Eam sistet coram Jehova, facietque ei mulieri sacerdos, pro tota hac lege. 31. Vir quidem noxæ immunis erit, sed mulier peccati sui pœnam feret.

VI. Le-

lier conspicuum divinæ justitiæ exemplum. 28. At si pudica fuerit, inefficaces in eam erunt diræ, & viro reddita prolem brevi pariet.

29. 30. Hac lege viro, non sine causa zelotypiâ laboranti, cùm muliere suspecta agere liceto. 31. Quamquam verò innocens mulier comperietur, viro nullæ pœnæ infliguntor; at impudicam mulierem hasce pœnas divinitus lituram scito.

P A-

δεξιῷ σκέλους ἔξαρθρον γενέσθαι, καὶ τὴν γαστέρα πρησθεῖσαν οὕτως ἀποθανεῖν : *eam quæ violasset pudicitiam luxatam fuisse crure dextro, & ventre inflatam interiisse.* Postea inflationem ex *hydrope* ortam dicit. An ultio divina perjurium illico sequeretur non docet Moses, & rara hæc videntur fuisse exempla. *Hug. Grotius* exempla ex Scriptoribus Ethnicis adfert fontium, quorum aquæ perjuros arguisse feruntur, nec rei fidem detrahit. Sed tot ficta miracula, apud Ethnicos, narrabantur; ut ulli credere vix possimus. Alia est ratio Hebræorum, qui non modò verum Deum coluerunt, sed etiam parciores sunt in portentis. Multa quoque, in infimi ævi historiis, habemus de probationibus per ignem, per aquam &c. quæ tam mihi nefas videatur omnia credere, quàm omnia rejicere. Certè ut veri non sunt sat clara in iis argumenta: ita nec mendacii indiciis manifestis notata sunt. Ideóque an vera sint, aut falsa nos quidem scire non possumus.

Ad hoc genus pœnæ, de quo Moses, non malè Thalmudici in *Sotah* Cap. I. §. 7. במדה שהאדם מודד בה מודדין לו וגו׳: *mensurâ, quâ homo metitur, remetiuntur ei. Ornarat illa corpus suum ad peccandum, Deus verò eam dedecorat. Illa corpus suum nudarat ad peccandum, Deus verò eam denudat. Femore peccandi initium fecerat, peccaverat deinde ventre; ideò femore primùm pœnas luit, postea verò ventre.*

Sunt qui velint ירך significare hîc non femur, sed pudenda muliebria; at nihil opus est à nativa significatione recedere; neque ullus locus adfertur, in quo certò ירך pudendum significet. Nam phrases *jurare sub femore*, *exire è femore*, tale nihil significant. Vide not. ad Gen. XXIV, 2. XLVI, 26.

Amen, amen] Hoc est, ratæ sint tuæ preces, si rea sum. נאמן *neeman*, est constans & qui fidem servat. Hinc factum אמן *amen* adverbium comprobantis & optantis id quod dicitur esse ratum. Deut. XXVII, 15. & seqq. Postea etiam significavit *verè*, quæ vocis potestas in Evangeliis frequens est. Volunt Thalmudici in *Sotæ* Cap. II. §. 5. *Amen* bis dici, aut quòd alterum referatur ad jusjurandum, alterum ad maledictionem; aut quòd negaret mulier se antea pollutam fuisse, vel posthac pollutum iri. Sed inanis est ea observatio, neque ea geminatio vocis quidquam aliud significat, præter vehementiorem adfirmationem. Nota est formula ex Evangeliis, *Amen, amen, dico vobis* &c.

23. *In libello*] בספר *bassepher*, quæ vox Hebraïcè breve scriptum, ut Epistolam, æquè ac ingentem librum sonat. Ideò כתוב *chitthoub* dicitur à Thalmudicis. Vide 2. Sam. XI, 14. Sic *βιβλίον* & *libellus*, apud Græcos & Latinos, sumuntur. Exsecrationes describendæ sunt ab his verbis: *Statuat te Jehova* &c. ad finem vers. 22. nam hæ demùm sunt exsecrationes, seu diræ, non superiora.

Ad aquam amaram delebit] אל מי המרים *el me hammarim*, hoc est, supra vasculum aquâ plenum. Vide Levit. XIV, 5, 50. LXX. Int. habent *εἰς τὸ ὕδωρ*, Vulg. *aquis amarissimis*. Samarita לגו *in media aqua*. At Onkelos למיא *ad aquam*. Sed videtur utrumque conjungi oportere, ut supra aquam ipsâ aquâ deleatur, atramentúmque dilutum in vas subjectum cadat. Attamen cùm nullus exstet locus, in quo אל præfigatur instrumento, maluimus vertere *ad*.

24. *Bibendas ei tradet*] Symbolici hi fuere ritus, quibus nulla vis inerat, præter eam quam iis inesse volebat Deus. Bibendo autem aquam, in quo dilutum erat atramentum, quo diris devovebatur impudica mulier, suam ipsa damnationem bibere videbatur, si adulterium commisisset. Propinabantur autem aquæ mulieri, ut liquet ex vers. 26. postquàm oblationem adolevisset Sacerdos. Itaque hîc ordo non est servatus, ut alibi sæpe.

26. *Qui sit ejus suffitus*] את אזכרתה *eth azcharthа*. Cùm nullum thus huic oblationi adderetur, pugillus farinæ, qui adolebatur, instar suffitûs erat. De voce אזכרה vide not. ad Levit. C. II, 2.

27. *Aquis amaris*] *Et ingredientur aquæ & intumescet.* Quamvis eodem modo verterimus hîc ac antea, attamen est aliqua in vocum ordine varietas; habet enim Moses: המים המאררים למרים *aquas maledicentes in amaras*, hoc est, ita ut sint amaræ. Vulg. habet, *aquas maledictionis* & LXX. ut antea.

28. *Prolem edet*] נזרעה זרע *nizrehah zerah*, seminabitur semine, hoc est, ut habet Hieronymus, *faciet liberos*.

31. *Pœnæ immunis erit*] נקה מעון Quamvis innocentem uxorem accusasset, si verò rea sit, illa plectetur. Deterior hîc est, ut in multis aliis, conditio mulieris; quòd non sine causa zelotypus esse vir statuatur. Qua de re judices locorum priùs sine dubio cognoscebant, quàm ad Tabernaculum aut Templum mulierem rapere liceret. Alioquin ex immitis, aut insani viri arbitrio planè pependisset existimatio uxoris:

At

VI. Leges de Naziræatu, & formula bene precandi populo, quâ usuri erant Sacerdotes.

CAPUT VI. 1. ALLOQUUTUS est Jehova Mosem, his verbis: 2. alloquere Israëlitas, iisque dicito: si vir aut mulier se voto Nazirai secreverit, ut secretus sit Jehovæ, 3. à vino & sicera abstinebit, acetum vini aut acetum siceræ non bibet, ut nec ullam racemorum misturam; nec racemos etiam virides, aut siccos comedet. 4. Omnibus diebus Naziræatûs sui, nihil comedet quod fiat è *fructu* vitis vinum *proferentis*, ab acinis ad corticem. 5. Omnibus diebus voti Naziræatûs

PARAPHRASIS.

1. DE voto, quo se singulari puritati nonnumquam consecrare solebant Hebræi, hanc legem, per Mosem, tulit Deus: 2. Quisquis Religionis causâ, diversum ab aliis vitæ institutum initurum se voverit, ut peculiari ratione se Deo consecret Naziræatûs voto; 3. is à vino, omnique inebriante potu, & misturis ac condimentis, quæ ex iis fieri solent, abstineto. Ne racemos quidem virides, aut siccos comedito. 4. Hæc omnia, ne fortè ebrius se se polluat, majoris cautelæ gratiâ, fugito, neque quidquam eorum degustato. 5. Caput, per omne tempus voti, ne umquam

At quæretur quare uxori in virum zelotypiæ actio data non fuerit, cùm non sit minus adulterii crimen in viro? Similes rationes hujus discriminis esse videntur, quæ sunt alîus legis, quâ licet viro uxorem repudiare, uxori non item virum. Scilicet, adulterii in muliere graviores sunt sequelæ, quàm in viro, ad societatem civilem quod spectat; & præterea si suspicionis causâ, virum in jus trahere licuisset mulieri, frequentiùs viris ejusmodi lites intendissent mulieres. Muliere adulterium committente, incerta fit proles, pravum exemplum liberis sequioris sexûs domi præbetur, negligitur cura rei familiaris domestica, quæ maxima sunt mala. Si ei suspicioni muliebri indulgere nimiùm licuisset, vir non potuisset in publicum procedere, & cum mulieribus liberè versari, quin apud uxorem in suspicionem venisset, quo factum esset ut negotia sua conficere non posset. At mulieribus, quæ plerumque domi manebant, multò facilius erat vitare omnem suspicionem. Hinc natum discrimen juris, erga viros & mulieres, etiam apud alias Gentes. *Cato* apud *Gellium* Lib. X. c. 23. *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares: illa te, si adulterares, digito non auderet contingere.* Syra, apud *Plautum*, in Mercatore Act. IV. Sc. 6.

Ecastor lege durâ vivunt mulieres,
Multòque iniquiore miseræ, quàm viri.
Nam si vir scortum duxit, clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, impune est viro.
Uxor viro si clam domo est egressa foràs,
Viro fit caussa, exigitur matrimonio.

COMMENTARIUS

In CAPUT VI.

2. SE *voto Nazirai* &c.] כי יפלא לנדר נדר נזיר להזיר ליהוה *si separaverit vovendo votum Nazirai, ut separetur Jehovæ.* Cùm hæc non possent commodè Græcè exprimi, verterunt οἱ LXX. ὃς ἂν μεγάλως εὔξηται εὐχὴν ἀφαγνίσασθαι ἁγνείαν κυρίῳ, & Vulg. *cum fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare.* Nos verbis propiùs adhæsimus, & primùm quidem יפלא eodem modo vertimus, ac si scriptum esset יפלה *japhleh*; quòd ה & א misceri soleant, & significatio radicis פלה meliùs hîc conveniat, quàm radicis פלא. Ac sanè conjuncta hæc vox cum נדר, *votum*, nihil potest significare, præter *separationem* rei votæ, seu animo fiat, seu re ipsâ. Vide Levit. XXII, 21. XXVII, 2. Secundò, vocem *Nazireus* retinuimus, pro usu jam recepto, ac sanè olim eo nomine veniebat peculiari genere voti, quo nonnulli se Numini consecrabant, adstrictus. Videtur & ante Mosem usitatum hoc fuisse, neque enim Deus hîc instituit hoc voti genus, ut adparet ex hisce verbis: *Vir aut mulier si*, vel *cùm se voto Nazirai* &c. Ad vocem ipsam quod adtinet, videtur significare *separatum*, ut נזיר *nazour*; quia qui hoc voto se obstringebant, seorsim ab aliis, ob peculiarem abstinentiam, vivere cogebantur. Itaque crediderim inter Israëlitas antea ejusmodi vota in usu fuisse, quibus qui se obstringebant sanctiùs aliis vivere solebant; quemadmodum constat Sacerdotes Ægyptios, sanctioribus cærimoniis Numini devotos, à variis abstinuisse, quæ alii vulgò comedere solebant. Est insigne hanc in rem *Chæremonis* Stoïci fragmentum, apud *Porphyrium*, in Opere de Abstinent. Lib. IV. c. 7. ex quo multa alibi adtulimus. Cùm Deus populo, votis ejusmodi adsueto, se adcommodaret; ita voti leges descripsit, ut contrariæ essent Ægyptiacæ consuetudini, in eo quod Sacerdotes Ægyptiorum accuratissimè raderentur; cùm Nazirai Hebræorum cæsariem alerent, neque ullâ ratione se radi paterentur, per totum tempus voti. Vide de Ægyptiis Sacerdotibus ad Gen. XXXV, 2. verba *Herodoti.*

Hoc votum vir doctissimus *Jan. Spencerus* confert cum votis Ethnicorum, qui crines suos Diis vovebant, pluribúsque hac de re agit Operis de Leg. Mos. Rit. Lib. I. Diss. I. Cap. VI. Verùm hæc fuit tantùm una voti Naziræatûs circumstantia, ex qua de toto voto judicium ferri nequit. Manifestum est ex re ipsa, summam voti fuisse singularem quamdam puritatem,

tûs sui, novacula supra caput ejus non transibit, donec expleti sint dies, quibus Jehovæ se secrevit. Sacer erit, dum capitis sui cæsariem crescere sinet. 6. Omnibus diebus, quibus secretus erit Jehovæ, ad mortui cadaver non veniet; 7. propter patrem, matrem, fratrem & sororem se non polluet, cùm morientur, quia ejus capiti imposita est corona Dei sui. 8. Omnibus Naziræatûs sui diebus, sacer erit Jehovæ. 9. Si quis subitò propè eum moriatur, polluet caput Naziræatûs sui, radet caput suum, die purificationis suæ, die, *nimirum*, septimo.
10. Octavo verò adferet duos turtures, aut duos columbos ad sacerdotem, ad ostium tentorii conventûs. 11. Uno faciet sacerdos quasi victimâ pro peccato, altero quasi holocautomate, expiabitque eum hominem, ab eo quod peccarit circa ca-

quam radito, ut solent Ægyptii facere; & quamdiu illibata erit ejus cæsaries, sacrum Deo se esse intelligito. 6. Ad nullum cadaver accedito; ne parentum quidem, fratrum aut sororum mortuorum causâ, se se funestato. Cæsariem, quasi coronam Deo sacram, gestare se memento, sacrùmque ei singulari modo esse, dum nondum abrasa est, scito. 9. At si contigerit quempiam subitâ morte coram eo exstingui, tum verò pollutum se esse intelligito, & die, quo funestati cadavere purgari solent, & quo proinde purificari eum oportebit, septimo, nimirum, post pollutionem, caput abradito. 10. Sequente, duos turtures, vel columbos, Sacerdoti ad ostium Tabernaculi adferto. 11. Sacerdos verò, altero pro peccato, altero verò in holocautoma oblato, hominem expia-

tem, seu ἁγνείας, cujus pars fuit alere capillos. Hac ratione factum est, ut viri doctissimi sententia mihi minùs placuerit.

Ut secretus sit Jehovæ] Hoc est, ut in honorem Dei seorsim vivat, ut possit ἁγνείας quam vovit illibatam servare. Nam facile fuit pollui versanti inter alios, quemadmodum antea; pollutione autem irritum fiebat votum.

3. *A vino & sicera*] Ut Sacerdotes Ægyptii, de quibus vide quæ scripsimus ad Levit. Cap. X. A vino planè abstinebant, qui singularem puritatem voverant, non quòd pollutum haberetur; sed quòd copiosiùs epotum facilè in oblivionem voti hominem adduceret. Ne autem hoc contingere posset, vinum prorsus fugiebant; ne si licitum aliquatenus fuisset, ea licentia fortè abuterentur.

Abstinebit] יזיר jazzir, *separabit*. Subauditur נפשו *naphscho*, animam suam, hoc est, se. Sic הזיר regit accusativum Levit. XV, 31.

Acetum vini] Ne ullo prætextu vinum, aut potum inebriantem biberet.

Racemorum misturam] משרת ענבים *mischrath hanabim*. Quid propriè משרה significet non satis constat, at certum est hìc potionem significari, cui admisceretur succus uvarum LXX. Intt. habent ὅσα κατεργάζεται ἐκ σταφυλῆς, Vulg. *quidquid exprimitur*. Addit Moses iterum, *non bibet*.

4. *E fructu vitis* &c.] *E vite vini*. Fortè גפן *gephen* aliam etiam plantam significabat.

Ab acinis ad corticem] מחרצנים ועד זג *mehhartsanim vehad zag*. LXX. Intt. ἀπὸ στεμφύλων ἕως γιγάρτου. Vulg. verò, *ab uva passa usque ad acinum*, incommodè. Oukelos: מפורצנין ועד עצורין *à granulis ad folliculos*. Hoc est, nihil prorsus ex aliqua uvæ parte confectum.

5. *Novacula supra caput ejus*] Ut tondeatur, cùm Sacerdotes Ægyptii, tertio quoque die, radi per totum corpus solerent, ut docet *Herodotus* Lib. II. c. 37. cujus verba adtulimus ad Genesin Cap. XXXV, 2. Numquam etiam promittebant comam Ægyptii, nisi in itinere, aut luctu. De luctu diximus ad Levit. C. XXI. De itinere ita *Diodorus* Siculus Lib. I. p. 16. ubi dixit narrasse Ægyptios Osirin vovisse Diis se non tonsurum cæsariem, donec ex itinere Æthiopico rediisset, tum subdit: δι' ἣν αἰτίαν μέχρι τῶν νεωτέρων χρόνων ἐνισχύσαι τὸ περὶ τῆς κόμης νόμιμον παρ' Αἰγυπτίοις, καὶ τοὺς ποιουμένους τὰς ἀποδημίας, μέχρι τῆς εἰς οἴκους ἀνακομιδῆς, κομοτροφεῖν: *propter eam causam, usque ad recentiora tempora, invaluisse legem de cæsarie apud Ægyptios, & qui peregrinantur, donec sint domum reduces, cæsariem alere*. Quæ nihil faciunt ad votum puritatis. Itaque hoc quoque frustra cum Naziræatûs voto confert *Spencerus*.

Sacer erit] Singulari ratione Deo erit consecratus, sacerque ab omnibus habebitur.

Dum capitis sui cæsariem crescere sinit] גדל פרע שער ראשו *gaddel pherah schehar roscho*; pro בגדל *bgaddel* dum facit crescere, hoc est, sinit. פרע שער ראשו *cæsaries crinium sui capitis*, est uno verbo *cæsaries*.

6. *Ad mortui cadaver*] *Ad animam mortui*. Sic & Sacerdotes, nisi quòd omne prorsus funus Naziræo illicitum erat. Vide not. ad Levit. Cap. XXI.

7. *Propter patrem*] Quæ funera curare Sacerdotibus licuit.

Imposita est corona Dei sui] נזר *nezer*. Vide not. ad Exod. XXXIX, 31. *Corona Dei* vocatur cæsaries Deo consecrata, quæ proinde funestari non debuit. Vide ex vers. 19. LXX. Intt. εὐχὴ habent, quasi legissent נדר *neder*, *Hieronymus*, *consecratio*.

9. *Subitò*] בפתע פתאם *bphethah phithom*, derepente, subitò. Est pleonasmus, nisi fortè sit aliqua in hac repetitione Emphasis. Vide Esai. XXIX, vers. 5. XXX, 13.

Polluet caput] Radendo, quâ re profanabatur caput antea Deo peculiari voto consecratum. Vide vers. 5.

Purgationis suæ] Pollutus enim cadaveris conspectu purgari debuit, more solito, septem pòst diebus. Vide Num. XIX, 11, 12.

11. *Quasi victimâ pro peccato*] לחטאת *in peccatum*. Pro pollutione, quamvis involuntaria, ut eò diligentiùs caveret sibi à pollutionibus, quæ prævideri, vitarique poterant. Nam alioqui quod non poterat ullâ ratione præcaveri, id Numen offendere non potuit.

Ab eo quod peccarit] Sunt qui velint hìc חטא *hhata* esse aberrare à scopo, seu eo destitui,

cadaver, & caput ejus die illo *iterum* consecrabit. 12. *Denuo* seponet Jehovæ dies
Naziræatûs sui, adducet agnum anniculum in victimam pro noxa, & priores dies
irriti erunt, quia Naziræatus ejus pollutus fuerit.
13. Hæc verò lex esto de Naziræo, quo die impleverit dies Naziræatûs sui, se
conferet ad ostium tentorii conventûs, 14. admovebitque oblationem suam Jeho-
væ, agnum unum anniculum, sine vitio, ad holocautoma; agnam unam annicu-
lam, sine vitio, in victimam pro peccato; arietémque unum, sine vitio, in hostiam
salutarem; 15. & canistrum azymorum è simila, placentarum oleo mistarum, la-
ganorúmque azymorum oleo inunctorum, cum eorum donariis *farreis* & libamini-
bus. 16. Offeret *ea* sacerdos coram Jehova, faciétque victimâ ejus pro peccato,
& holocautomate. 17. Tum faciet ariete sacrum salutare Jehovæ, præter canistrum
azymorum. Offeret etiam donarium ejus *farreum* & libamen. 18. Radet deinde
Naziræus, ad ostium tentorii conventûs, caput Naziræatûs sui, sumtámque cæsa-
riem

piato, ejúsque caput denuo Numini consecrato.
12. Postea Naziræus agnum anniculum, victimam
pro peccato, adducito, atque ab eo die iterum,
ut Naziræos oportet, vivere incipito; dies enim,
qui effluxerunt antequàm pollueretur, irritos fuisse
scito.
13. Pôstquàm verò effluxerint dies, per quos se
ita victurum Deo voverit, ad ostium Tabernaculi
contendito. 14. Agnum in holocautoma adolen-
dum, & agnam victimam pro peccato, anniculos
ac sine vitio, arietémque pariter integrum, saluta-
rem eum hostiam mactaturus, eò ducito. 15. Præ-
terea azymos similagineos, placentásque oleo in-
unctas & mistas, eo ferto, nec victimarum solita
donaria farrea, vinique libamina omittito. 16. Tum
sacerdos victimam pro peccato & holocautoma ri-
tu solito offerto, 17. sacrumque, mactatâ saluta-
ri hostiâ, absolvito. 18. Dum hujus victimæ pro-
ficiæ adolebuntur, cæsariem Naziræus radito, eám-
que in altaris ignem porricito. 19. Deinde Sacerdos
armum sinistrum arietis elixatum, trésque placen-
tas, unam ex singulis generibus, manibus Naziræi
im-

tui, qood consequi cupiveris, ut Jud. XX, 16. Sed piaculare Sacrum fieri non potuit, nisi pro eo quod *peccatum*, ex Lege Mosaïca, vocare licuit.

Iterum consecrabit] Manifestum est debere *iterum* subaudiri. Cùm Hebræi careant verbis compositis, neque adverbiis multùm utaotur, talia supplenda sæpe sunt in eorum stylo.

12. *Seponet dies*] Hoc est, iterum tempus, per quod Naziræum se fore voverat, Deo consecrabit, in perpetua puritate agendum.

Pro noxa] לאשם *leascham*, de qua voce vide not. ad Levit. V, 16.

Irritæ erunt] יפלו jippelou, *cadent*, ut contra קום *stare* dieuntur quæ ratæ sunt.

13. *De Naziræo*] *Naziræi*, ut passim, ubi sermo est de legibus rem quampiam spectantibus.

Se conferet] יביא אותו jabi otho, *adducet se*. Sic LXX. Intt. προσοίσει αὐτὸν, nempe, ἑαυτόν. Alii volunt ad *agnum*, ex superioribus subauditum, referri. Sic Vulgatus qui habet, *adducet eum*.

14. *Admovebit*] הקריב *hikrib*, quod commate 16. ubi de Sacerdote sermo est, vertimus *offeret*.

Sine vitio] Vide not. ad Levit. XXII.

In victimam pro peccato] Si fortè nescius se se, Naziræatûs tempore, polluisset; nam pii malebant nimis esse cauti in expiandis peccatis, quàm oonnulla non expiata prætermittere. Sic Jobus Cap. I, 5. Sacra faciebat pro peccatis, quæ *fortè* admiserant filii sui. Vide & Levit. V, 2.

15. *Cum eorum donariis*] *Et donarium eorum, & libamina eorum*, hoc est, trium victimarum, quæ antecesserunt. Quæ copia farinæ, olei, & vini io hæc insumeretur docet Moses Num. XXVIII, 5 & 7. Observaudum hîc est pronomen *adfixum* ad proximè antecedentes voces non referri; quod ambiguitates maximas interdum creat, ubi ex re ipsa non liquet, quò referri pronomen debeat.

17. *Præter canistrum*] על *hal*. Una ex singulis placentarum generibus, hoc est, tres agitabantur ad altare, ut in consecratione Sacerdotum. Vide Levit. VIII, 26. & seqq. Reliquæ comedebantur à Naziræo & amicis, ad convivium sacrum vocatis, unà cum carnibus victimæ salutaris.

18. *Conjiciet in ignem*] Ut Deo sacrum, nec ullâ ratione redimendum. Videtur ignis altaris intelligi, at Rabbini de igne ollæ, in qua sacræ elixabaotur carnes, capiunt.

19. *Armum arietis elixatum*] In consecratione Sacerdotum simile quidpiam factum docemur Levit. Cap. VIII. quamquam est aliqua varietas.

20. *Agitabit*] Manibus Naziræi, ut ex simili Sacro colligere posse videmur. Levit. VIII, 27.

Armum elationis] Dextrum, nempe, qui Sacerdoti ex omnibus salutaribus Sacris cedebat. Levit. VIII, 32. Itaque, præter solitum, utrumque armum hujus victimæ habuit Sacerdos.

21. *Qui voverit oblationem*] Nam qui vovebat Naziræatum in certum tempus, is eadem operâ vovebat hanc oblationem, quæ Naziræo, post id elapsum tempus, imposita erat.

Præter id quod erit ad manum] Poterit, nempe, simul alias victimas offerre, pro præsenti copia. Hinc intelligere licet votum Naziræatûs non fuisse hominis pauperis.

24. *Benedicat* &c.] Hæc tria commata eodem recidunt, sed repetitio ἔμφασιν habere videtur, si modò tria hæc pronuntiarentur; nam fortasse ejusdem benedictionis tres formulæ traduntur, qoarum singulis utendum erat. Ut ut res se habebit, dignum est observatu preces bas publicas Sacerdotum paucis verbis fuisse conceptas, prout preces decet. Vide

Matth.

riem capitis Naziræatûs sui injiciet in ignem, qui erit sub victima salutari. [19] Sumet autem sacerdos armum arietis elixatum, éque canistro placentam azymam unam, laganúmque azymum unum, eáque imponet volis Naziræi, postquàm coronam suam totónderit. [20] Agitabit hæc sacerdos in oblationem agitatam coram Jehova, res sunt sacræ, *&* ad sacerdotem *pertinent*, præter pectus agitationis, & armum elationis. Postea bibet Naziræus vinum. [21] Hæc esto lex de Naziræo, qui voverit oblationem Jehovæ ob suum Naziræatum, præter id quod erit ad manum; pro voto quod nuncuparit faciet, ex Naziræatûs sui lege.

[22] Alloquutus est Jehova Mosem, dicens: [23] alloquere Aharonem ejusque filios, in hanc sententiam: sic adprecabimini Israëlitis, dicendo illis: [24] Benedicat tibi Jehova, téque custodiat; [25] facie suâ tibi illuceat Jehova, & benefaciat tibi; [26] adtollat Jehova ad te faciem suam, & det tibi pacem. [27] Nomen meum proferent in gratiam Israëlitarum, atque his ego benedicam.

VII. Do-

imponito; [18] tum ad altare hic agitato, eáque Sacerdoti restituta, præter pectus & armum dextrum, quæ ex omnibus victimis salutaribus Sacerdotis sunt, in ejusdem usum cedunto. Hoc peracto sacro, non prius, Naziræus, si ita videatur, vinum bibere incipito, votóque solutus habetor. [21] Hæ victimæ & liba ab eo necessariò offeruntor; at alias etiam victimas, si copiam earum habuerit, & ita visum sit, addere memoratis liceto.

[22, 23] BENE precandi populo formulam hanc Aharoni, audiente Mose, præscripsit Deus: [24] IN vos omnis generis bona effundat Deus Israëlis, idémque à vobis quævis mala averruncet. [25] Secundas res vobis concedat, & quæ maxima solet beneficia conferat. [26] Vobis sit propitius, pacémque det, & omnia commoda, quæ eam sequuntur. [27] Hac ratione, ait Deus, Sacerdotes mei, prolato meo nomine, populo Hebræo bene precantor, & preces me ratas facturum, si ex legibus meis vitam instituerint, sciunto.

PA-

Matth. VII, 15. & ad eum locum Intt.

Teque custodiat] Hoc est, malum à te arceat; ut *benedicat* est, tibi benefaciat. Qui enim custodiuntur, ab iis diligenter malum arcetur.

25. *Facie suâ tibi illuceat*] *Faciat lucere Jehova faciem suam.* Respicere eos dicitur Deus quibus favet, ut diximus ad Levit. XXVI, 9. Præterea יאר *lucere faciat* faustum quidpiam sonat, ut אור *lux*. Vide Ps. VIII, 10. XLIV, 4. &c. Adi & not. ad Gen. XV, 12.

Benefaciat tibi] יחנך *jebhunecha*. Vide not. ad Exod. XXXIV, 19.

26. *Adtollat Jehova ad te faciem.*] Hoc est, convertat ad te faciem. Quando aliquem spernimus, coram eo oculos in terram fixos aliquando habemus, ut Dido Virgiliana:

Illa solo fixos oculos aversa tenebat.

Sic & apud *Euripidem*, in Phœnissis, Joeasta mater alloquitur Polynicen filium, qui Thebas ingressus erat, per inducias, ut videret an sibi posset cum fratre convenire, nec tamen eum præsentem rectâ intueri poterat:

Σὺ τ' αὖ πρόσωπον πρὸς κασίγνητον στρέφε,
Πολύνεικες· εἰς γὰρ ταὐτὸν ὄμμασι βλέπων
Λέξεις τ' ἄμεινον, τοῦδέ τ' ἐνδέξῃ λόγους.

Tu quoque vicissim vultum ad fratrem verte, Polynices, nam in idem videns oculis, dices meliùs & meliùs excipies hujus sermones. Sic & in Medea, Pædagogus tristem Medeam alloquitur, vers. 1005.

— Τὶ συγχυθεῖσ' ἕστηκας ἡνίκ' εὐτυχεῖς;
Τὶ σὴν ἔτρεψας ἔμπαλιν παρηΐδα,
Κ'οὐκ ἀσμένη τόνδ' ἐξ ἐμοῦ δέχῃ λόγον;

Cur stas perturbata, cùm feliciter rem geris; cur retrò vertisti tuas genas, & non libens à me accipis hunc sermonem? Vide & vers. 1148. Contra erecto vultu eos adspicimus quos amamus. Hinc natâ metaphorâ, Deus quâ *adtollere vultum* in eos dicitur quibus favet. Vide Ps. IV, 7.

Pacem] שלום *schalom*, quod significat quidquid *res secundæ* complectuntur. Vide not. ad Genes. C. XXXVII, 14. Nimirum, *pax* rerum secundarum est pars non exigua.

27. *Nomen meum proferent*] *Ponent nomen meum supra Israëlitas*, est Hebraïsmus vix aliâ Linguâ exprimendus. Hoc est, nomine meo prolato, bene precabuntur Israëlitis. Habent Chaldæi: *Imponent benedictionem nominis mei.* Intelligitur nomen proprium יהוה, de quo multa futilia Judæi, cùm hac de re loquuntur; quæ non referam. Crediderim adhibitum, potiùs quàm אלהים, aut simile, ut populo in memoriam revocarentur promissa Dei, quæ ut præstaret orabatur Deus. Erant enim ea promissa potissimum fundamentum, ut ita dicam, cui spem impetrandæ pacis divinæ superstruebant, ut passim docent Sacræ Litteræ.

Benedictiones has à Sacerdotibus recitari oportebat, quòd efficaciores crederentur preces eorum, qui sanctissimis ritibus Deo erant consecrati, ut essent veluti Mediatores inter Deum & populum. Vide not. ad Gen. XIV, 19.

VII. Donaria & victimæ principum Israëlitarum, cùm statutum & consecratum fuit Tabernaculum. Quâ ratione deinde Mosi consulenti Deus responsa ederet.

CAPUT VII.

1. CUM absolvisset Moses erigere tabernaculum, id unxit, consecravitque, & omnia ejus supellectilia; altare etiam, omniáque ejus vasa unxit & consecravit. 2. Tum obtulerunt principes Israëlis, *qui* capita domûs patrum, seu principes tribuum erant, & ante censos stabant, 3. adduxerúntque suam oblationem in conspectum Jehovæ, sex plaustra tecta, & duodecim juvencos, plaustrum duorum principum nomine, juvencum singulorum; eáque tabernaculo admoverunt.

4. Dixit autem Jehova Mosi: 5. *hæc* ab illis accipe, erúntque ut iis utantur in usum tentorii conventûs. Ea dabis Levitis, singulis pro munere suo. 6. Accepit ergo Moses plaustra & juvencos, iisque Levitas donavit. 7. Duobus plaustris & quatuor bubus donavit Gersonitas, pro eorum munere; 8. quatuor verò plaustris & octo bubus Meraritas, pro munere eorum, in manu Ithamaris, Aharonis sacerdotis filii. 9. Nullo Kehathitas donavit, quia munus, quod iis circa sacrarium incumbit, est humeris bajulare.

10. Deinde admoverunt principes *victimas*, quibus dedicatum est altare, die quo inunctum est; altari oblationem suam admoverunt. 11. Dixit verò Jehova Mosi: singuli principes in diem oblationem suam, ad dedicationem altaris, admovebunt. 12. Primo itaque die, admovit oblationem suam Nachson, Hamminadabi filius, è Tribu Judæ. 13. Oblatio autem ejus fuit scutella argentea una, cujus pondus centum triginta *siclorum*; patera argentea septuaginta siclorum, pro siclo sacrarii. Ambæ erant plenæ similâ oleo mistâ, in donarium *farreum*. 14. Lanx una decem aureorum, plena suffitu. 15. Juvencus unus, aries unus, agnus unus anniculus, in holocautoma; 16. hircus unus, in victimam pro peccato; 17. in sacrificium verò salutare, duo juvenci, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc fuit oblatio Nachsonis, Hamminadabi filii.

18. Die secundo, Nethaneel, Tsuharis filius, Issascharis princeps 19. oblationem suam obtulit, scutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *siclorum*; pateram argenteam unam, septuaginta siclorum, pro siclo sacrarii; ambas plenas similâ oleo mistâ, in donarium *farreum*; 20. lancem unam, decem aureorum, plenam suffitu;

PARAPHRASIS.

1. POSTQUAM Moses, ordine & ritibus antea memoratis, statuisset, & consecrasset unctione Tabernaculum; 2. duodecim Tribuum principes, 3. ad ejus ostium duxerunt donarium sex plaustrorum tectorum, quæ singula à binis juvencis trahebantur. Singuli principes juvencum unum, & bini plaustrum in sacros usus contulerunt.

4. 5. Jussit verò Deus Mosem hæc ab illis accipere, & usui Tabernaculi consecrare. 6. Accepit igitur, 7. & Gersonitas quidem quatuor bobus, duobúsque plaustris donavit; 8. quatuor verò plaustris & octo bobus Meraritas, quòd ab iis graviores Sacrarii partes sint vehendæ. 9. At Kehathitis nullum dedit plaustrum, quia humeris eos ferre supellectilia oportet.

10. Postea duodecim Tribuum Principes, victimas, in dedicatione Altaris mactandas, adduxerunt, donariáque consecranda adtulerunt; 11. verùm eas omnes victimas uno die mactari & donaria offerri vetuit Deus, jussitque singulos suo die, per duo-

COMMENTARIUS

In CAPUT VII.

1. CUm absolvisset Moses] ביום כלות bejom challoth, *die quo absolvit*. Sed cùm *dies* non spatium dumtaxat pauculorum horarum sonet, apud Hebræos, sed quodvis tempus, ביום vertimus *cùm*, vel *eo tempore quo*, quia quæ hîc narrantur non ipso die, quo primùm statutum est Tabernaculum, facta sunt. Vide vers. 10, 11.

Unxit] Vide Exod. Cap. XL, 9.

2. *Tum obtulerunt*] Initio versûs sequentis est *& adduxerunt*. Inversus est ordo, ut sæpe aliàs. Vide not. ad Gen. Cap. XXIV, 22, 23.

Domûs patrum] Vide not. ad Cap. I, 20.

Ante censos stabant] על quod hîc *ante* significat. LXX. Intt. παρεστηκότες ἐπὶ τῆς ἐπισκοπῆς. Vulg. *Præfecti eorum qui numerati fuerunt.* Sed עמד *hamad* nusquam sonat *præfici*.

3. *Plaustra tecta*] עגלות צב *begloth tsab.* LXX. ἁμάξας λαμπηνικὰς, Vulg. *plaustra tecta*. Eos sequuti sumus, cùm ea interpretatio rei conveniat. Ad vehenda enim supellectilia, solebant variæ Gentes uti *plaustris tectis*. Vide quæ collegit hanc in rem *Joan. Schefferus*, de Re Vehiculari, Lib. II. cap. 19.

Duo-

tu; 21. juvencum unum, arietem unum, agnum unum anniculum, in holocautoma; 22. hircum unum, in victimam pro peccato; 23. In sacrificium verò salutare, juvencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc *fuit* oblatio Nethaneelis, filii Tsuharis.

24. Die tertio, princeps Zabulonitarum Eliabus, Chelonis filius, *obtulit* 25. oblationem suam, scutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *siclorum*; pateram argenteam unam, septuaginta siclorum, pro siclo sacrarii; ambas plenas similâ oleo mistâ, in donarium *farreum*; 26. lancem unam, decem aureorum, plenam suffitu; 27. juvencum unum, arietem unum, agnum unum anniculum, in holocautoma; 28. hircum unum, in victimam pro peccato; 29. in sacrificium verò salutare, juvencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc *fuit* oblatio Eliabi, Chelonis filii.

30. Die quarto, princeps Rubenitarum Elitsur, filius Sedeüris, *obtulit* 31. oblationem suam, scutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *siclorum*; pateram argenteam unam, septuaginta siclorum, pro siclo sacrarii; ambas plenas similâ oleo mistâ, in donarium *farreum*; 32. lancem unam, decem aureorum, suffitu plenam; 33. juvencum unum, arietem unum, agnum anniculum, in holocautoma; 34. hircum unum, in victimam pro peccato; 35. in sacrificium verò salutare, juvencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Elitsuris, filii Sedeüris.

36. Die quinto, princeps Simeonitarum Selumiel, filius Tsurisaddæi, *obtulit* 37. oblationem suam, scutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *siclorum*; pateram argenteam unam, septuaginta siclorum, pro siclo sacrarii; ambas plenas similâ oleo mistâ, in donarium *farreum*; 38. lancem unam, decem aureorum, suffitu plenam; 39. juvencum unum, arietem unum, agnum unum anniculum, in holocautoma; 40. hircum unum, in victimam pro peccato; 41. in sacrificium verò salutare, juvencos duos; arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Selumielis, filii Tsurisaddæi.

42. Die sexto, princeps Gaditarum Eliasaphus, Dehuelis filius, *obtulit* 43. oblationem suam, scutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *siclorum*; pateram argenteam unam, septuaginta siclorum, pro siclo sacrarii; ambas plenas similâ oleo mistâ, in donarium *farreum*; 44. lancem unam, decem aureorum, plenam suffitu; 39. juvencum unum, arietem unum, agnum annum anniculum in holocautoma; 45. hircum unum, in victimam pro peccato; 46. in sacrificium verò

duodecim continuos dies, victimas suas adducere, donariaque adferre. 12. Igitur primo die, Nachson, Judæ Tribûs princeps, adtulit 13. scutellam argenteam sexaginta quinque uncias gravem, & pateram argenteam triginta quinque unciarum. Ambæ autem erant plenæ simila, cui adfusum erat oleum, ut donarium farreum singularum victimarum hinc offerretur. 14. Addidit & lancem auream, quinque uncias gravem, & thure plenam. 15. Ad victimas verò quod adtinet, duxit in holocautoma juvencum, 16. in victimam pro peccato hircum unum; 17. in victimas denique salutares, duos juvencos, arietes quinque, hircos quinque, atque agnos anniculos quinque. Hæc fuere Principis Tribûs Judæ donaria & victimæ, quibus primùm maduit altare, Mosis jussu, conflatum.

18 *ad* 23. Ceterarum Tribuum Principes similia donaria, totidémque victimas sequentibus undecim diebus, pro ordine castrametationis, obtulerunt, & secundo quidem, Issascharitarum donaria & victimæ fuut oblatæ; 24 *ad* 29. tertio, Zabulonitarum; 30 *ad* 35. quarto, Rubenitarum; 36 *ad* 41. quinto, Simeonitarum; 42 *ad* 47. sexto, Gaditarum; 48 *ad* 53. septimo, Ephraimitarum; 54 *ad*

Duorum principum nomine] על *ad duos principes.*

Singulorum] לאחד leehhad, *uni.*

5. *Singulis pro munere suo*] Aut *cuique, pro ministerio suo*; iis, scilicet, qui plura sacra supellectilia & graviora debebant vehere, plaustra dedit plura quàm aliis, ut sequentia ostendunt.

7. *Gersonitas pro eorum munere*] Hi aulæa & vela sacra ferre debebant, ut vidimus suprà Cap. IV. Hæc autem in duobus plaustris convasari poterant.

8. *Meraritas, pro munere eorum*] His tabulæ asseres, & columnæ Tabernaculi, præter Atrii columnas, erant commissæ, ideóque pluribus plaustris indigebant.

In manu Ithamaris.] Vide notat. ad Cap. IV, 28.

9. *Munus quod iis circa Sacrarium*] *Ministerium sanctitatis super eos, in humero bajulabunt.*

10. *Victimas quibus dedicatum est*] *Dedicationem* חנכת hhanucchath *altaris.* Hoc est, victimas, quibus primùm altare maduit, neque enim aliter res sacræ dedicabantur, quàm sollemnibus sacris, quibus Deo consecrabantur. Sic Salomon dedicavit *ædem Dei* 2. Par. VII, 5. & *per septem dies dedicavit altare.* Ib. vers. 9.

Vide

rò salutare, juvencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quin-
que. Hæc fuit oblatio Eliasaphi, Dehuelis filii.
47. Die septimo, princeps Ephraimitarum Elisamma, Hammihudi filius, *obtulit*
48. oblationem suam, scutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *siclo-
rum*; pateram argenteam unam, septuaginta siclorum, pro siclo sacrarii; ambas ple-
nas similâ oleo mistâ, in donarium *farreum*; 49. lancem unam, decem aureorum,
suffitu plenam; 50. juvencum unum, arietem unum, agnum unum anniculum, in ho-
locautoma; 51. hircum unum, in victimam pro peccato; 52. in sacrificium verò
salutare, juvencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque.
Hæc *fuit* oblatio Elisamæ, Hammihudi filii.
53. Die octavo, princeps Manassitarum Gamliel, Phedahtsuris filius, *obtulit* 54.
oblationem suam, scutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *siclorum*;
pateram argenteam unam, septuaginta siclorum, pro siclo sacrarii; ambas plenas si-
milâ oleo mistâ, in donarium *farreum*; 55. lancem unam, decem aureorum, suffitu
plenam; 56. juvencum unum, arietem unum, agnum unum anniculum, in holocau-
toma; 57. hircum unum, in victimam pro peccato; 58. in sacrificium verò saluta-
re, juvencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc
fuit oblatio Gamlielis, Phedahtsuris filii.
59. Die nono, princeps Benjaminitarum Abidan, Gidhonis filius, *obtulit* 60. obla-
tionem suam, scutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *siclorum*, pa-
teram argenteam unam, septuaginta siclorum, pro siclo sacrarii; ambas plenas similâ
oleo mistâ, in donarium *farreum*; 61. lancem unam, decem aureorum, suffitu ple-
nam; 62. juvencum unum, arietem unum, agnum anniculum unum, in holocauto-
ma; 63. hircum unum, in victimam pro peccato; 64. in sacrificium verò salutare,
juvencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc *fuit*
oblatio Abidanis, Gidhonis filii.
65. Die decimo, princeps Danitarum Achihezer, Hammisaddæi filius, *obtulit*
66. oblationem suam, scutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *siclo-
rum*; pateram argenteam unam, septuaginta siclorum, pro sacrarii siclo; ambas ple-
nas similâ oleo mistâ, in donarium *farreum*; 67. lancem unam, decem aureorum,
suffitu plenam; 68. juvencum unum, arietem unum, agnum anniculum unum, in
holocautoma, 69. hircum unum, in victimam pro peccato; 70. in sacrificium verò
salu-

ad 53. octavo, Manassitarum; 59 *ad* 64. nono, Benjaminitarum; 65 *ad* 70. decimo, Danitarum; 71 *ad* 76. undecimo, Aseritarum; 77 *ad* 83. duodecimo denique, Nephthalitarum.

84. 85. Hæc vasa argentea, aureáque Deo sunt à singulis Tribubus consecrata, & omnia quidem argentea simul centum pondo argenti gravia erant; 86. aurea verò sexaginta uncias. 87. Holocautomata fuerunt trigiuta sex mactata, duodecim, nimirum, juvenci, totidémque arietes & agni, singuli cum donariis farreis, Lege constitutis. Hircos verò duodecim adoleverunt pro peccato. 88. At

Vide & Esdr. VI. 16, 17. & seq. 1. Macc. IV, 54. & seq. Privatas etiam ædes dedicabant, ut videbimus ad Deut. XX, 5. Hac de re copiosè egit *Joan. Seldenus* Lib. III. de *Synedriis* Cap. XIV. & seqq.

Hinc autem liquet non omnia loca Eremi arida fuisse, cùm esset etiamnum Israëlitis nonnulla pecudum copia, ut colligere etiam licet ex celebratione Paschatis, quæ memoratur Cap. IX. nec, sine magno agnorum, hœdorúmve numero fieri potuit. Vide quæ diximus ad Exod. C. III, 1. Digna etiam lectu, quæ hanc in rem habet vir doctissimus *Camp. Vitringa* Observat. Lib. V. c. 15. Confer quoque 1. Sam XV. 9. ubi de Hamalekitarum pecore, & Cap. XXV, 2. ubi de gregibus Nabalis, in Pharanica solitudine.

11. *Singuli principes in diem*] *Princeps unus in diem, princeps unus in diem.*

13. *Scutella*] קערת *kabarath.* LXX. τρυβλίον *patellam*, Hieronymus *acetabulum* vertit.

Centum triginta siclorum] Sexaginta quinque unciarum Romanarum.

Pateram] מזרק *mizrak.* Vide Exod. XXVII, vers. 3.

14. *Laux*] כף *chaph*, quod vas concavum sonat.

18. *Die secundo* &c.] Græcus aut Latinus Historicus dixisset omnes similia obtulisse, neque duodecies repetiisset, quod semel dici satis fuit. At priscorum temporum simplicitas ab ejusmodi repetitionibus non abhorrebat, etiam apud Gentes styli studiosiores; ut vel exemplo *Homeri* constat, apud quem multæ repetitiones occurrunt, quales in recentioribus Poëtis non leguntur.

83. *Postquàm*] *In die quo.* Vide not. ad vers. 44. & infrà vers. 88.

84. *Bis mille quadringenti sicli*] Hoc est, unciæ Romanæ mille ducentæ, sive centum pondo duodecim unciarum. Hæc tam adcuratè scripta & repetita videntur à Mose, ut probè Sacerdotes scirent quantum argenti & auri pondus accepissent ab Hebræo populo; néve quidquam posset subtrahi, & negari postea sacri-

falutare, juvencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque.
Hæc *fuit* oblatio Achihezeris, Hammiſaddai filii.
71. Undecimo die, princeps Aſeritarum Paghiel, Hochranis filius, *obtulit* 72. obla-
tionem ſuam, ſcutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *ſiclorum*; pa-
teram argenteam unam, ſeptuaginta ſiclorum, pro ſacrarii ſiclo; ambas plenas ſimilâ
oleo miſtâ, in donarium *farreum*; 73. lancem unam, decem aureorum, ſuffitu ple-
nam; 74. juvencum unum, arietem unum, agnum anniculum unum, in holocauto-
ma; 75. hircum unum, in victimam pro peccato; 76. in ſacrificium verò ſalutare, ju-
vencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc *fuit*
oblatio Paghielis, Hochranis filii.
77. Duodecimo die, princeps Nephthalitarum Achira, Henanis filius, *obtulit* 78.
oblationem ſuam, ſcutellam argenteam unam, cujus pondus centum triginta *ſiclorum*;
pateram argenteam unam, ſeptuaginta ſiclorum, pro ſiclo ſacrarii; ambas plenas ſi-
milâ oleo miſtâ, in donarium *farreum*; 79. lancem unam, decem aureorum, ſuffitu
plenam; 80. juvencum unum, arietem unum, agnum unum anniculum, in holocau-
toma; 81. hircum unum, in victimam pro peccato; 82. in ſacrificium verò ſaluta-
re, juvencos duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc
fuit oblatio Achiræ, Henanis filii.
83. Hæc *fuere in* dedicationem altaris, poſtquàm inunctum eſt, *donata* à principi-
bus Iſraëlis, argenteæ ſcutellæ duodecim, pateræ argenteæ duodecim, lances aureæ
duodecim. 84. Scutellæ ſingulæ erant centum triginta *ſiclorum* argenteorum, pateræ
verò ſingulæ ſeptuaginta; *adeoque* omne argentum vaſorum bis mille, quadringenti *ſi-
cli*, pro ſiclo ſacrarii. 85. Erant lances aureæ duodecim, plenæ ſuffitu, eæque lances
ſingulæ erant decem *ſiclorum aureorum*, pro ſiclo ſacrarii. Omne igitur aurum lancium,
centum viginti *ſicli*. 86. In holocautomata *erant* in univerſum duodecim juvenci, arie-
tes duodecim, agni anniculi duodecim, cum eorum donariis *farreis*; in victimas pro
peccato duodecim hirci; 87. in ſacrificia ſalutaria in univerſum viginti quatuor ju-
venci, ſexaginta arietes, ſexaginta hirci, ſexaginta denique agni anniculi. His dedi-
catum eſt altare, poſtquàm inunctum fuit.
88. Exinde cùm Moſes ingrederetur tabernaculum, ut loqueretur cum Jehova, au-
diebat vocem ſe alloquentem, è ſpatio imminente operculo arcæ teſtimonii impoſito,
inter duos Cherubos; & *ſic* eum alloquebatur.

VIII. Le-

At victimæ ſalutares mactatæ ſunt multò plures; nempe, viginti quatuor juvenci, ſexaginta arietes, totidemque hirci, & agni, ut convivia læti, ob altaris dedicationem, agitarent Hebræi.

88. Ab eo tempore, cùm conſecrata eſſent omnia ſupellectilia ſacra, quotieſcumque Tentorium ingrediebatur Moſes, & Numen ſciſcitabatur, vocem ſibi reſpondentem ex eo ſpatio, quod ſupra Arcam erat inter duos Cherubos, audiebat.

P A-

crilegium, quòd ignoraretur ſacræ ſupellectilis pondus.

85. *Decem*] Siclorum, ſcilicet, ut ex antecedentibus liquet.

Centum viginti ſicli] Decem pondo auri.

86. *In holocautomata* &c.] Hinc liquet pecore non prorſus deſtitutos fuiſſe Hebræos, in deſerto. Vide not. ad Exod. C. III, 1. & infrà Cap. IX. ubi de Paſchatis celebratione.

89 *E ſpatio imminente*] מעל mehal è *ſupra*, hoc eſt, è loco qui erat ſupra operculum. Audiebat vocem, ſed nullum videbat ſimulacrum ex cujus ore exiret. Ethnici etiam, cùm infra divinam majeſtatem eſſe videretur paſſim hominibus conſpiciendam præberi, voce tantùm eam ſuam præſentiam ſignificaſſe interdum volunt. *Euripides*, in *Hippolyto*, ita eum Dianam alloquentem inducit, v. 85.

Μόνῳ γάρ ἐστι τοῦτ' ἐμοὶ γέρας βροτῶν.
Σοὶ καὶ ξύνειμι, καὶ λόγοις ἀμείβομαι
Κλύων μὲν αὐδῆς, ὄμμα δ' οὐχ ὁρῶν τὸ σόν.

Soli enim mihi hic honos ex mortalibus, & tecum verſor, & reſponſa tua accipio, audiens quidem vocem, ſpeciem verò tuam non videns.

Inter duos Cherubos] מבין mibben *ab inter*. Vide Exod. XXV, 22.

C O M-

VIII. *Leges de accensione lucernarum, déque Levitis primogenitorum loco consecrandis, atque ætate, quâ rebus sacris operam dare eos oportet.*

CAPUT VIII. 1. POSTEA alloquutus est Deus Mosem, his verbis: 2. alloquere Aharonem eique dicito: quando accendes lucernas, è regione candelabri septem luceant lucernæ. 3. Sic fecit Aharon, è regione candelabri accendit ejus lucernas, quemadmodum Mosem jusserat Jehova. 4. Opificium autem candelabri erat ex auro ductili, cùm scapus, tum ejus flores; pro specie quam ostendit Jehova Mosi, ita fecit candelabrum.

5. Alloquutus est etiam Jehova Mosem, in hanc sententiam: 6. Ex Israëlitis adsume Levitas, eósque purificato; 7. & sic quidem iis facies, ut purificentur: adsperge eos aquâ lustrali, per totam suam carnem novaculam circumferant, laventque vestimenta sua & se purgent. 8. Tum sument juvencum, ejúsque donarium similæ oleo mistæ, *in holocautoma*, & juvencum alterum in victimam pro peccato. 9. Accedere autem jubebis Levitas ad anteriorem partem tabernaculi conventus, totúmque Israëlitarum cœtum coges. 10. Postquàm accedere curaveris Levitas in conspectum Jehovæ, tum verò Israëlitæ manus iis nitentes imponent. 11. Deinde Aharon agitabit Levitas, *quasi* oblationem agitatam ab Israëlitis, coram Jehova, ut negotia Jehovæ gerant. 12. At Levitæ manus nitendo imponent capitibus juvencorum; quorum altero pro peccato facies, altero in holocautoma Jehovæ, ut iis expientur Levitæ. 13. Sistes ergo Levitas in conspectu Aharonis, ejúsque filiorum,

PARAPHRASIS.

1. CUM sacra supellectilia consecrarentur, Deus jussit Mosem monere Aharonem, ut singulis temporibus vespertinis septem candelabri lucernas accenderet, quæ alteri Tabernaculi parieti proximæ totum id collustrarent. 3. 4. Aharon verò, à Mose monitus, Dei imperium exsequutus est.

5. Tum jussit Deus 6. Leviticæ Tribûs masculos his ritibus purificari, 7. adspergi à Mose aquâ lustrali, de qua postea agemus; dein novaculâ omnes totius corporis pilos radere, séque & vestes abluere. 8. Quo peracto, adducturi erant duos juvencos, alterum in holocautoma, alterum in victimam pro peccato, pro omnibus Levitis mactandos, unà cum solitis donariis farreis. 9. Nec Levitæ tantùm ad anteriorem Tentorii Conventûs partem adesse jussi sunt, sed & totam Hebræi populi concionem ad eumdem locum convocare in

COMMENTARIUS

In CAPUT VIII.

2. QUando accendes lucernas] בהעלתך bhahalothcha, *cùm tu facies adscendere.* Videtur hoc propriè significare actionem Sacerdotis ellychnium in oleo depressum adtollentis; sed pro accensione lucernarum, quam illud necessariò præcedit, sumi crediderim, & ita verti, quia nihil commodius occurrebat. Sic Chaldæus בדלקתך *cùm accendes*, hîc & alibi. Vide Exod. XXVII, 20. LXX. Intt. habent ἐπιθῇς, & Vulgatus *posueris*, quibus verbis uteremur, si lampades impositæ fuissent candelabro, singulis noctibus; cùm ei adhærerent, eadémque metalli massâ conflatæ essent. Vide Exod. XXV, 31. Nec sibi satis constant LXX. Intt. qui sequente versu habent ἐξῆψε *accendit.*

E regione] אל מול פני *el moul phne*, è regione faciei. Hoc est, ita convertentur ellychnia; ut respiciant omnia eamdem partem, seu parietem oppositum Tabernaculi, qui erat ante *faciem*, si ita loqui licet, candelabri. Vide Exod. XXV, 37.

4. *Cùm scapus, tum ejus flores*] *Usque ad femur ejus, usque ad flores ejus, ductile illud.* Vide Exod. XXV, 31. & *seqq.*

5. *Ex Israëlitis adsume &c.*] *Capito Levitas è medio filiorum Israëlis*; hoc est, separato, aut seorsim tibi adesse jubeto. Vide vers. 14.

7. *Aquâ lustrali*] מי חטאת *me hhatath*, quæ vox, quamvis ut plurimum *peccatum* sonet, hîc *lustrationem*, seu *purificationem* significat: quemadmodum Radix ipsa חטא *hhata*, peccavit, in *Pihel*, & *Hithpahel* est *purificare*, *expiare*. Hinc LXX. ἁγνισμοῦ & Vulg. *lustrationem* verterunt. Quæ esset hæc aqua, & quomodo conficeretur docet Moses infrà, Cap. XIX.

Per totam suam carnem] Ut faciebant tertio quoque die Sacerdotes Ægyptii, ut liquet ex *Herodoti* verbis allatis ad Gen. XXXV, 2. Symbolicus autem hic fuit ritus, quo animi puritas significabatur iis necessaria esse, qui Deo placere studerent; ideóque in omnium pænè Gentium sacris adhibita lustratio. Vide eos qui de lustrationibus scripserunt, & potissimum *Joan. Spencerum* de Leg. Mos. Rit. Lib. III. At non censuerim Hebræos lustrandi morem aliis debuisse, cùm Jacobus eo usus sit, ut docet Moses Gen. XXXV. ut neque alios Hebræis. Ritus erat simplicissimus, qui omnium animo,

rum, eósque Jehovæ *veluti* in agitatam oblationem agitabis. [14] Sic Levitas facernes ab Israëliris, & mei erunt Levitæ. [15] Venient autem ut ministrent tentorio
conventûs, postquàm eos purificaveris, & in agitatam oblationem obtuleris. [16] Sunt
enim donati mihi ex Israëlitis, loco primi fœtûs omnis uteri; *pro* omnibus primogenitis Israëlitarum, eos mihi accepi. [17] Nam meum est omne primogenitum,
cum ex hominibus, tum ex brutis, inter Israëlitas; eo enim die, quo omne primogenitum in Ægypto cecidi, id mihi sacrum feci. [18] *Nunc* autem accepi Levitas, pro omni primogenito inter Israëlitas; [19] dedique *mihi* donatos Levitas
Aharoni ejúsque filiis, ex Israëlitis, ut Israëlitarum in tentorio conventûs munere
fungantur, útque expientur Israëlitæ, néve accedentibus ad sacrarium plaga injungatur.
[20] Moses verò & Aharon, universúsque Israëlitarum cœtus Levitis fecerunt,
pro omnibus mandatis quibus de iis Mosem instruxerat Jehova; ita se gesserunt
erga Levitas Israëlitæ. [21] Purgarunt se Levitæ, abluerunt vestes, eos Aharon in
conspectu Jehovæ, *quasi* oblatione agitatâ, obtulit, atque ut purificarentur expiavit. [22] Postea venerunt Levitæ, ut munere suo fungerentur circa tentorium conventûs, coram Aharone ejúsque filiis; *nam* pro mandatis, quæ Deus dederat Mosi
de Levitis, his fecerunt.
[23] Tum alloqutus est Jehova Mosem, his verbis: [24] Hoc pertinet ad Levitas, à viginti quinque annos natis & suprà, venient in agmen coëuntium ad tentorii conventûs negotia gerenda. [25] A quinquaginta verò annos natis, redibunt
domum ab agmine operi incumbentium, neque ampliùs negotia gerent. [26] Attamen ministrabunt cum fratribus suis, circa tentorium conventûs, ut curam ejus gerant, sed opus non facient. Sic facies Levitis, quod adtinet ad curas eis demandatas.

IX. An-

in mandatis accepit Moses. Postquàm verò omnes convenerint, ait Deus, Israëlitarum Principes, nomine totius Populi Hebræi, Levitis manus imponent, eo ritu curam rerum sacrarum in eos translaturi. [11] Aharon verò jubebit Levitas ad altare propiùs accedere, eósque quasi agitatam oblationem Deo consecrabit. [12] Deinde ipsi manum imponent juvencorum pro se mactandorum capitibus, qui illico adolebuntur. [13] *ad* [19] Sic Levitæ sacris ministeriis Sacrarii, ut Sacerdotibus pareant & auxilio sint, loco primogenitorum totius populi, consecrabuntur.

[20] [21] Hæc omnia, prout jusserat Deus, exsequutioni mandata sunt; [22] quibus peractis, ad Tentorium se contulerunt Levitæ, ut muneribus suis fungerentur.

[23] Deus etiam Mosi significavit, ut diximus, [24] quâ ætate oporteret Levitas ad Tentorii Conventûs negotia gerenda adhiberi, [25] adjecitque, postquàm quinquagesimum annum adtigissent, ætatis vacatione eos posse uti; [26] adeò ut, si levioribus ministeriis defungerentur, circa sacra supellectilia, attamen onus humeris gestare, aut alia quæ integras vires postularent facere non ampliùs adigerentur.

P A-

animo, sine cujusquam institutione, se se obtulit.

8. *Ejusque donarium*] Cujus mensura traditur infrà Cap. XXVIII, 12. Erat etiam certa vini libatio, sed quam in deserto videntur omisisse; cùm non tam facilè vinum ac farinam servare possent, aut coëmta à vicinis Arabibus incorrupta ad se ferri curare.

In holocaustoma] Hoc necessariò supplendum, ut manifestò liquet ex vers. 12. Nescio annon etiam à librariis sit omissum, quamvis Samaritæ quoque eo careant, neque lectum sit à Vett. Intt.

10. *Postquàm curaveris*]. Iterum hîc est והקרבת & *facies accedere*, ut vers. superiore.

Manus iis nitentes imponent] וסמכו *samechou*. Eos Deo, loco primogenitorum suorum, offerentes, & in eos munus, quod primogenitis (quippe Deo sacris) alioquin incubuisset, transferentes. Hæc fuit ejus ritûs significatio, ut sequentia ostendunt.

11. *Agitabit Levitas*] De agitatione rerum, quæ *agitari* proprio sensu poterant, diximus ad Exod. XXIX, 24. *Agitari* nequibant eodèm modo Levitæ, & fortè dumtaxat stare ad altare, aut id circumire jussi sunt ab Aharone. LXX. Intt. verterunt ἀφοριεῖ, Vulg. *offeret*, quod melius videtur.

Ut negotia Jehovæ gerant] *Ut faciant negotium Jehovæ*, aut *ut ministrent ministerium Jehovæ*, quod quibus in rebus situm esset docuit Moses Cap. IV.

12. *Imponent capitibus juvencorum*] Eos loco suo Deo offerentes, & de singulis veluti dicentes, ut rem *Ovidianis* verbis exprimam, ex Fast. VI.

Cor pro corde precor, pro fibris sumito fibras,
Hanc animam tibi nos, pro meliore, damus.

Vide not. ad Exod. XXIX, 11.

Pro peccato] Pro peccatis, quæ expiari poterant, propter quæ se mortem esse commeritos fatebantur, hoc symbolico ritu. Vide quæ diximus ad Exodi locum laudatum, & Levit. XVI, 17.

In holocaustoma] Ut se totos Deo consecrarent. Vide ad Levit. XVI, 3.

13. *Sistes ergo* &c.] Repetitio Hebraïca rei jam dictæ vers. 11. cujus sunt plura exempla in sequentibus.

14. *Sic*

IX. Anno secundo, ab exitu ex Ægypto, Israëlitæ Pascha celebrare jubentur. Lex fertur de iis, qui ob immunditiem, aut peregrinationem, stato tempore, id festum agitare non poterant.

CAPUT IX. 1. ANNO secundo, ex quo Israëlitæ Ægypto egressi fuerant, mense primo, alloquutus est Jehova Mosem in deserto Sinais, his verbis: 2. Stato tempore Israëlitæ Pascha celebrabunt; 3. decimo quarto die, hoc mense, inter duas vesperas, statâ tempestate, id agitabitis, & secundùm omnia ejus instituta, omnésque ritus facietis. 4. Alloquutus est ergo Moses Israëlitas, ut Pascha celebrarent; 5. & agitarunt illi quidem Pascha decimo quarto die mensis primi, inter duas vesperas, in deserto Sinais; secundùm omnia, quæ Mosem jusserat Jehova, ita fecerunt Israëlitæ.

6. Sed contigit homines immundos, ob humanum cadaver, non posse celebrare Pascha; itaque accesserunt ad Mosem & Aharonem, die illo, dixerúntque ii homi-

PARAPHRASIS.

1. ANNI secundi, ex quo Ægypto exierant Israelitæ, Mense primo, monuit Deus Mosem, 2. 3. 4. decimo quarto die ejus Mensis celebrandum esse Pascha, ritibus ante discessum Israelitarum ex Ægypto institutis; idque studiosè, stato tempore, populus Hebræus celebravit.

6. At cùm multi cadaveribus funestati paullò antea fuissent, viderént que se à paschali convivio ab aliis excludi, ad Mosem & Aharonem se contulerunt; 7. & professi sunt immundos se quidem esse, cadaveris contactu, sed propterea æquum sibi non videri, se à paschalis victimæ mactatione

14. *Sic secernes*] *Et secernes*, sed ו omninm pæne particularum vice fungitur, apud Hebræos.

15. *Postquàm eos purificaveris*] וטהרת *vetibartha*, & purificabis.

16. *Donati*] *Dati, dati.* Vide not. ad Cap. III, 9.

19. *Ut Israëlitarum munere fungantur*] *Ut faciant opus Israëlitarum in tentorio*; hoc est, ut, reliquorum Israëlitarum loco, Tentorium curent.

Ut expientur Israëlitæ] ולכפר על בני ישראל *oulchappher hal bne Jischraël.* Hîc non est intelligenda expiatio propriè dicta, quæ à solis Sacerdotibus peragi potuit. Dicuntur Levitæ *expiare Israëlitas*, quòd sacra supellectilia diligenter curantes, Deum iis propitium redderent. Hoc innuunt sequentia verba, *ne accedentibus ad Sacrarium plaga injungatur.* Levitæ, scilicet, purè sacra tractantes impediebant quominùs Deus Israëlitas, temerè ad ea accessuros, irreverentiæ causâ, plecteret. Sic infrà Cap. XXV, 13. *Phinchasus* dicitur *expiasse Israëlitas*, quòd impediisset quominùs, plaga divinitus injuncta, plures Hebræos occideret, pulcherrimo facinore; quod non Sacerdos, magis quàm alius, edere potuit.

Accedentibus plaga injungatur] *Et non erit in filiis Israëlis plaga, cùm accedent filii Israëlis ad sacrarium.* Si, nempe, omnibus licitum fuisset ad Sacrarium bajulandum accedere, multi non satis reverenter id tractassent, irámque Dei sine dubio movissent.

20. *De iis*] *De Levitis*, ללוים *lalvijim.*

Erga Levitas] *Erga eos*, להם *lahem.*

22. *Circa tentorium*] באהל *beohel.* Vide not. ad Cap. III, 7.

Coram Aharone] Ut, nimirum, sibi præfecto, & cui dicto audientes esse debebant. Vide ad Cap. III, 4.

Nam pro mandatis &c.] Hoc tam sæpe repeti videtur, ut omnes intelligerent, Mosem & Aharonem nequaquam pro arbitrio munera sacra Leviticæ Tribui divisisse. Meritò certè timere potuit, ne reliqui Levitæ Aharonis familiæ inviderent, cùm hoc re ipsâ contigerit. Vide infrà Cap. XVI.

24. *Hoc pertinet ad Levitas*] זאת אשר ללוים *hoc quod Levitis*; nimirum, quod eos spectat, seu munus quod iis imponitur.

A viginti quinque annos &c.] Cap. IV. non semel trigesimo anno superiores dicuntur ad Tabernaculum accedere debere, & fortè hîc quoque legendum *triginta*, שלשים *schloschim.* Vide not. ad Cap IV, 3.

In agmen coëuntium] לצבא צבא litsbo tsaba, *ad coëundum in agmen, in negotio tentorii.*

25. *Ab agmine operi incumbentium*] *Ab agmine operis*; nempe, bajulantium, quia ea res indigebat hominibus, quibus integræ essent vires.

26. *Ministrabunt*] *Ministrabit*, in rebus facilioribus.

Ut curam ejus gerant] *Ad observandam observationem.* Ut præsint junioribus, sed ipsi manum operi non admoveant, ut sequentia docent.

Opus non faciant] עבודה לא יעבד *habodah lo jahabod*, non bajulent, aut plaustris imponant vehenda.

26. *Circa curas eis demandatas*] במשמרתם *bmischmartham*, in observatione eorum.

COMMENTARIUS

In CAPUT IX.

1. M*Ense primo*] Itaque hæc gesta sunt ante censum, de quo Num. I, 2. & seqq. qui secundo mense institutus fuit. At præterquàm quòd

mines Mosi: immundi quidem ſumus ob cadaver humanum, *ſed* quare prohiberemur, ne offeramus oblationem Jehovæ, ſtato tempore, inter Iſraëlitas? 8. Illis verò Moſes, exſpectate, inquit, & audiam quid vobis præcepturus ſit Jehova. 9. Tum Moſem alloquutus eſt Jehova, his verbis: 10. alloquere Iſraëlitas, in hanc ſententiam: quicumque immundi fuerint, ob cadaver, aut in longinquo itinere, inter vos aut ætates veſtras *futuras*, Jehovæ Paſcha *quidem* celebrabunt; 11. *ſed* ſecundo menſe, decimo quarto die, inter duas veſperas id agitabunt. Cum azymis, herbiſque amaris *agnum* comedent, 12. nihil ex eo, ad matutinum tempus, reliquum facient, nullum os ejus confringent; *denique*, ſecundùm omnia paſchalia inſtituta, id celebrabunt.

13. Qui fuerit mundus, neque iter fecerit, omiſeritque celebrare Paſcha, is homo è populis ſuis exſcindetur; quoniam ſtato tempore non obtulit oblationem Jehovæ, pœnas peccati ſui vir ille feret. 14. Cùm peregrinus vobiſcum commorabitur, celebrabit Paſcha Jehovæ, & pro inſtituto ac ritu paſchali id agitabit; ſic faciet; inſtitutum erit unum inter vos, cùm peregrino, tum indigenæ terræ.

X. Iſraë-

ne ab aliis prohiberi. 8. Tum verò Moſes juſſit eos aliquamtiſper exſpectare, interea dum Deum hac de re interrogaret. 9. Reſpondit autem Deus, 10. ſi qui ea, aut ſimili de cauſa, immundi eſſent, ſtato die paſchalis feſti, aut in longinquo itinere, quo fieret ut ad ſuos reduces eſſe eo die non poſſent, 11. 12. eos ſecundi menſis decimo quarto die, iiſdem ritibus ac alios primo, convivium paſchale celebrare poſſe.

13. Quiſquis verò, ait Oraculum, neque immunditie ullâ, neque itinere longinquiore impeditus fuerit, nec eo ſeciùs Paſcha celebrare neglexerit, is civis Hebræus ne habetor, & capite pœnas luito. 14. Peregrini & indigenæ id eodem ritu celebranto, omniúmque, hoc in negotio, eadem conditio eſto.

P A-

quòd ordinem temporis non obſervat Moſes, videtur hoc cenſui poſtpoſitum, ob Paſcha à nonnullis ſecundi menſis 14. die celebratum, ut docemur verſ. 6. & ſeqq.

2. *Celebrabunt*] ויעשו *vajahaſchou*, & facient, quod verſum inchoat, unde liquet *Vau* abundare. Hinc quoque colligere eſt Iſraëlitas pecore non deſtitutos fuiſſe, cùm non exigua agnorum aut hædorum copia indigerent, ut omnes iis epularentur. Vide not. ad Exodi C. III. 1. & quæ ad hujus Libri Cap. VII, 10. Sed & hujus rei in mentem venit, quamquam ejus non meminit Moſes, potuiſſe Iſraëlitas emere pecudes ab Iſmaëlitis, aut antiquioribus Arabibus per ea deſerta vagantibus, aut etiam ab Idumæis, Moabitiſque & Hammonitis, quorum ſedes hinc non erant remotæ. Neque enim omne prorſus commercium cum aliis Gentibus vetitum fuit, & cùm caſtra diu variis in locis manſerint, nihil obſtat quominùs Hebræi aliique ultrò citróque commearint, emendi aut vendendi causâ. Præterea hoc ſolum Paſcha in deſerto celebrari juſſi ſunt, ſeu quòd poſtea defuerint iis pecudes, aut quòd à vicinis coëmere non poſſent. Ac ſanè lex de Paſchate in ſola Palæſtina neceſſariò obſervari debuit. Vide Exod. XII, 48. Joſ. V, 5. De Paſchate egimus ad Exodi Caput laudatum.

5. *Decimo quarto die*] *In primo, in decimo quarto die menſis.*

6. *Homines immundos*] *Et fuit homines qui erant immundi — & non potuerunt — & acceſſerunt* &c. Pro ויהי *& fuit* legunt Samaritæ ויהיו *& fuerunt*, ſine cauſa. LXX. tamen etiam habent, ϗ παρεγένοντο.

Ob humanum cadaver] *Ob animam hominis*, paſſim.

Non poſſe celebrare] Quia, nimirum, polluiſſent convivium, ut liquet ex Num. XIX.

Acceſſerunt ad Moſem] Nondum lata erat lex quâ caſtris ejecti ſunt, & quæ legitur ſuprà Cap. V, 2.

7. *Moſi*] אליו *illi*, quod vix potuiſſet ferri Latinè, poſt ea verba quæ præceſſerunt.

Sed quare prohiberemur] Hoc videntur tam confidenter dicere, quòd in prima Paſchatis inſtitutione, à paſchali menſa abſtinere juſſi non fuiſſent immundi. Sed à popularibus nonnullis moniti fuerant, non eſſe decorum homines funeſtatos adeſſe ſacro convivio.

Offeramus oblationem] הקריב קרבן *hakrib korban.* Ita loquuntur hi homines, quòd agnus paſchalis vera eſſet victima, cujus ſanguis Deo offerebatur. Vide not. ad Exod. XII, 6. Sed fuit ſingularis generis oblatio, quam plebeiis offerre quoque licuit, illis temporibus; nam poſtea, Templo condito, Sacerdotes ſanguinem victimarum paſchalium fundebant ad altare, ut docemur 2. Par. XXX, 16, 17. At ex iis quæ ſub Regibus, etiam piis, facta fuerunt non licet ſemper interpretari leges Moſaïcas; ut adparet ex eadem hiſtoria, ubi immundi celebraſſe Paſcha cum aliis dicuntur.

8. *Exſpectate*] *State* עמדו *imdou.*

9. *Moſem alloquutus eſt*] Priùs interrogatus.

10. *Quicumque immundi fuerint*] *Quicumque cùm erit immundus* &c.

12. *Omnia paſchalia inſtituta*] *Secundùm omne ſtatutum paſchatis*, excepto menſe, quo à mundis celebrari id oportuit.

13. *E populis ſuis exſcindetur*] Hoc quidem loquendi genere propriè ſignificatur ea pœna, quam qui tulerat inter populares ampliùs non erat; quod quia duobus modis poterat fieri, duos etiam ſenſus capit phraſis. Potuit enim exterminari è populo ſuo quiſpiam, morte, aut exſilio, ideóque alterutrum hîc ſignificatur. Sed & fortè conjungenda ſunt, cùm neceſſariò oporteret eos quos Leges morti damnabant, quales erant qui ſcientes & prudentes in earum ali-

 quam

X. Iſraëlitis proficiſcendi ſignum nube datum. Tubâ iidem convocantur & proficiſci jubentur, certo ordine. Alii tubarum uſus. Ex Sinaïs ſolitudinibus in Pharanis deſerta proficiſcuntur, ordine à Deo præſcripto. Preces Moſis cùm Arca auferretur, & deponeretur.

15. DIE quo *primùm* ſtatutum fuit tabernaculum, nubes tabernaculum tentorii conventûs texit, & à veſpera ad matutinum tempus inſtar ſpeciei ignis tabernaculo inſidebat. 16. Sic ſemper erat, nubes *interdiu* id tegebat, ſpecies verò ignis noctu. 17. Prout adtollebatur nubes à tentorio, poſtea proficiſcebantur Iſraëlitæ; & quo loco manebat nubes, ibi caſtra ponebant. 18. Ex mandato Jehovæ proficiſcebantur Iſraëlitæ, atque ex mandato *itidem* Jehovæ caſtra ponebant. Quot diebus commorabatur nubes ſupra tabernaculum, *totidem eodem loco* caſtra habebant. 19. Cùm longam moram, diebus multis, ſupra tabernaculum faciebat nubes, Iſraëlitæ obſervabant quod obſervari volebat Jehova, neque proficiſcebantur. 20. Si verò nubes paucis diebus ſupra tabernaculum maneret, *paucis diebus eodem loco commorabantur.* Ex imperio Jehovæ caſtra ponebant, atque ex imperio Jehovæ diſcedebant. 21. Cùm nubes fuerat à veſpertino tempore ad matutinum, eáque manè adtollebatur, tum proficiſcebantur; aut cùm fuerat interdiu, & noctu nubes adtollebatur, tum etiam diſcedebant. 22. Aut per biduum, aut per

PARAPHRASIS.

15. DIE, quo Tabernaculum ſtatutum & unctum fuit, nubes divinæ præſentiæ Symbolum id texit. Ab eo tempore, ſingulis noctibus, ſupra Tabernaculum ſuſpenſa cernebatur nubes ſplendida, quæ ſpeciem ignis præbebat; 16. interdiu verò, obſcurior fiebat. 17. Cùm nubes digrediebatur à Tentorio, diſcedebant ex eo loco Hebræi; & ubicumque hærebat, caſtra habebant. 18 *ad* 22. Si diu immota ſtaret nubes, diu Hebræi ibidem commorabantur; ſi ſæpiùs digrederetur, ſæpiùs movebant caſtra. Denique manendi, aut proficiſcendi ſignum ſemper à Deo exſpectabant.

1. Sed & ſignum tubâ dabatur, juſſu Dei, cujus ea de re hæ leges Moſi datæ ſunt. 2. Duæ tubæ argenteæ conſlantor; eæque cùm ad convocandam populi Hebræi concionem, tum ad ſigna diſceſsûs danda, canunto. 3. Ut tota concio ad Tentorium convocetur, duæ ſimul clangunto. 4. Ut

quam deliquerant, aut ſolum vertere, aut mori. Atque hinc fit ut hæc loquutio plerumque pœnam capitis ſonet, ut ſæpe obſervavimus. Vide tamen notata ad Geneſ. XVII, 14. Exod. XII, 19.

14. *Cùm peregrinus*] Circumciſus, nempe. Vide Exod. XII, 48.

15. *Die quo primùm*] Primo die ſecundi anni. Vide Exod. XL, 17. Pro הקים *hakim*, Infinitivo *Hiphil*, poſt quem ſubaudiendum משה, Samaritæ habent הוקם *houkam*, quod eſt Infinitivus *Hophal.* LXX. Intt. ἐϛάθη. Paſſivè etiam vertimus, ne quid ſubaudiretur.

Tabernaculum tentorii teſtimonii] Hoc eſt, tabernaculum in quo erat Arca, in qua fuit *teſtimonium*, ſeu Decalogus. *Tabernaculum tentorii* eſt pleonaſmus, quod cùm non animadverterent LXX. Intt. tranſtulerunt contra Grammaticæ leges, τὴν σκηνὴν τὸ οἶκον τοῦ μαρτυρίου משכן לאהל עדות *miſchchan leohel hedouth.* Novi quidem eſſe inter duas has voces diſcrimen, quod & obſervavi ad Exod. C. XXVI, 14. & alibi. Verùm ei diſcrimini nullus eſt hîc locus, cùm ſtatuto tabernaculo, nubes tegere non poſſet tabulas, niſi & aulæa iis impoſita tegeret. Similem pleonaſmum habuimus antea, Cap. III, 25. IV, 25.

16. *Interdiu*] Hoc manifeſtò ſupplendum, cum LXX. Intt. qui habent ἡμέρας, & Vulgato, qui addit *per diem.* Excidiſſe etiam poſſemus ſuſpicari, quamvis in Samaritico non exſtet. Hiſce ſignis ſimilia commenti ſunt etiam maximi Duces. Alexander, ut narrat *Curtius* Lib. V. c. 2. *tubâ, cùm caſtra movere vellet ſignum dabat; cujus ſonus plerumque, tumultuantium fremitu exoriente, haud ſatis exaudiebatur. Ergo perticam, quæ undique conſpici poſſet, ſupra Prætorium ſtatuit, ex qua ſignum eminebat pariter omnibus conſpicuum; obſervabatur ignis noctu, fumus interdiu.* Ad quem locum vide Intt. & *Fl. Vegetium* de re militari, Lib. III. c. 5. atque illic *God. Stewechium.*

17. *Ponebant*] Addit Moſes *filii Iſraël*, quod repeti neceſſe non fuit.

18. *Caſtra habebant*] יחנו *jahhanou*, quod tam *caſtra habere*, quàm *ponere ſonat.* Prius hîc convenientius eſt.

19. *Quod obſervari volebat Jehova*] משמרת *miſchmereth*, obſervationem.

20. *Ex imperio*] על פי hal phi, *ad os*, ut verſ. 18.

21. *Cum nubes fuerat*] ויש אשר יהיה vejeſch aſcher jihjeh *& eſt cùm fuerat.*

22. *Annum*] ימים jamim, *dies*, hoc eſt, dierum circulum annuum. Vide Levit. XXV, 29.

Morabatur] בהאריך behaarich *in producendo*, ב aliquando idem eſt ac כ. Vide Gen. I, 26. Levit. V, 15. & infrà XIV, 34.

Eique inſidebat] לשכן עליו *liſchchon halau*, inſidendo illi.

23. *Ex mandato Jehovæ*] Tertiâ vice hoc dicitur, repetitione Hebraïca. Ut in ſermone quo-

per mensem, aut per annum, prout morabatur nubes supra tabernaculum, eique insidebat, castra habebant Israëlitæ, neque discedebant; & cùm adtollebatur, abibant. 23. Ex mandato Jehovæ castra ponebant, atque ex mandato ejus proficiscebantur; observabant quod observari volebat Jehova, prout per Mosem jusserat.

1. Alloquutus est etiam Jehova Mosem, his verbis: 2. Fac tibi duas tubas argenteas, ex ductili *argento* facies eas, eruntque tibi ad convocationem cœtûs, & ad signum profectionis castrorum. 3. Cùm autem duabus clangent, tum ad te totus cœtus, ad ostium tabernaculi conventûs, conveniet. 4. Si verò unâ clanxerint, tum ad te convenient *soli* principes, duces Chiliadum Israëlis. 5. Cùm clangetis fracto sonitu, proficiscentur castra eorum qui ad orientem metantur. 6. Cùm iterum fracto sonitu clangetis, proficiscentur castra eorum qui metantur ad meridiem; fracto sonitu signum dabunt discessûs sui. 7. Quando cœtum convocabitis, clangetis quidem, sed fracto sonitu non canetis. 8. Filii Aharonis clangent tubis; atque hoc vobis institutum perpetuum, in *futuras* ætates vestras erit. 9. Quando ad bellum *gerendum*, contra hostem, qui vos in terra vestra hostiliter invaserit, convenietis, clangetis tubis vestris, sonitu fracto; in memoriam coram Jehova Deo vestro revocabimini, atque ex hostibus vestris liberabimini. 10. Tempore quoque hilaritatis vestræ, statis festis, & initio mensium tubis clangetis; ut & cùm holocautomata & salutaria sacra facietis. Vobis illæ erunt ad memoriam vestri *revocandam*, coram Deo vestro; ego sum Jehova Deus vester. Caput X.

11. An-

4. Ut verò soli Tribuum principes convocentur, una dumtaxat canito. 5. Cùm signum profectionis dabitur, fractum sonitum tuba edito, & cùm primùm clanxerit, apud tres Tribus, quæ ad Orientem castra metabuntur, vasa conclamantor. 6. Cùm secundùm tuba eodem modo clanget, tres aliæ Tribus, quæ ad Meridiem castra habebunt, proficiscuntor; pariterque ceteris, pro castrametionis ordine, signum discedendi dator. 7. Quando autem cœtus convocabitur aut Principum, aut totius populi, tubicines longum & æquabilem sonitum, non fractum, edunto. 8. Tubicines autem hi ex Aharonis filiis posthac sunto; atque hæc Hebræis, dum in deserto versabuntur, perpetua Lex esto. 9. Quotiescumque populus ad vexilla vocabitur, ut hostem patriam devastantem propulset, hæ tubæ clanguntо, sacrique instrumenti sonitu audito, Dei auxilium frustra imploratum non iri scito. 10. Eædem diebus festis, Neomeniis, & dum sollemniora, pro Populo, fient Sacra, audiuntor, Deique Israëlis Numen eo sonitu celebrari, invocarique intelligitor.

11. Cùm

quotidiano solemus idem aliquoties repetere, ut meliùs intelligamur: sic Hebræi scribentes, ut loquebantur, infinitis repetitionibus scatent.

Prout per Mosem jusserat] *Per manum Mosis.*

In Caput X.

2. *Tubas*] חצוצרת *hhatsotsereth.* Vulgò volunt hac voce significari tubas metallo conflatas, vocibus verò שופר & יבל cornibus arietinis constantes. Quæ tamen distinctio nullo certo argumento nititur. Vide not. ad Levit. XXV, 10. *Josephus* autem Tubas hasce, ex usu ævi sui, ita describit Ant. Jud. Lib. III. c. 12. μῆκος μὲν ἔχει πηχυαῖον ὀλίγῳ λεῖπον· στενὴ δ' ἐστὶ σύριγξ αὐλοῦ βραχὺ παχυτέρα· παρέχουσα εὖρος ἀρκοῦν ἐπὶ τῷ στόματι πρὸς ὑποδοχὴν πνεύματος, εἰς κώδωνα σάλπιγγι παραπλησίως τελῶν: *longitudinem habet cubituli paullò minorem, arcta est syrinx, tibiâ paullò crassior, præbens latitudinem sufficientem ori ad excipiendum spiritum, desinensque in campanulam, quemadmodum tubæ.* Hæ tubæ videntur ad Sacrarium cecinisse, deinde ab aliis exceptæ, aut clamoribus signum per castra delatum; neque enim duarum tubarum ejusmodi sonitus ad extrema castra pervenire potuisset. Castrorum, in quibus erant trecentæ myriades capitum, non erat exiguus ambitus; nec 102 hominum breve agmen, per arctiora præsertim loca transeuntium.

Ex ductili argento] מקשה *mikscheh*, de quo vide not. ad Exod. XXV, 18.

Signum profectionis] למסע *lmassah*, *in profectionem.*

3. *Cùm clangent*] *Et clangent illis* (sacerdotes) *& convenient* Tribus. Vide vers. 8.

Tabernaculi conventûs conveniet] נועדו אל פתח אהל מועד *nohadou el phetahh ohel mohed.* Hinc dictum Tabernaculum conventûs, quòd ad eum Deus & homines convenirent. Apud Romanos,

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,

ut docet *Propertius* Lib. IV. Eleg. 1. Similiter & *A. Gellius* Lib. XV. c. 27. ex Labeone observat comitia *centuriata per cornicinem* esse convocata.

4. *Duces Chiliadum Israëlis*] Videntur intelligi duodecim dumtaxat principes Tribuum, qui erant ipsis Chiliarchis præfecti, de quibus Exod. XVIII, 21. Vide Cap. I, 16. Sic LXX. οἱ ἄρχοντες ἀρχηγοὶ Ἰσραήλ. At Vulg. conjunctionem interponit: *Principes & capita multitudinis Israël.*

5. *Fracto sonitu*] תרועה *throuhah.* Radicis רוע Conjugatio *Hiphil*, quæ potissimùm est in usu, *festum clangorem edere* significat. Cùm autem tubæ tunc temporis non clangant æquabili sonitu, sed fracto, ut nascatur harmonia ex eo cantu, ideò תרועה fractum sonitum vertimus. Huc accedit quod Radici רוע sit adfinitas cum Radice רעע, quæ *frangere* sonat. Hinc Vulg. *si prolixior, atque concisus clangor increpuerit.*

11. Anno secundo, mense secundo, vigesimo die mensis, nubes à tabernaculo testimonii sublata est, 12. & profecti sunt Israëlitæ itineribus suis à deserto Sinaïs, mansitque nubes in deserto Pharanis. 13. *Sic* primâ vice profecti sunt, ex Dei mandato, per Mosem *edito*. 14. Discessit primùm vexillum castrorum Judæ posterorum, pro suis agminibus; & ante suum agmen Nachson, Hamminadabi filius; 15. ante agmen tribûs Issascharitarum Nethaneel, Tsuharis filius; 16. ante agmen tribûs Zabulonitarum Eliabus, Chelonis filius. 17. Demissum verò est tabernaculum, & profecti sunt Gersonitæ & Meraritæ id ferentes. 18. Tum profectum est vexillum castrorum Rubenis, pro suis agminibus, & ante agmen suum Elitsur, Sedeüris filius; 19. ante agmen tribûs Simeonitarum Selumiel, Tsurisaddæi filius; 20. ante agmen tribûs Gaditarum Eliasaphus, Dehuelis filius. 22. Tum pro-

11. Cùm Deus ordinem castra metandi, & itineris faciendi Legibus suis descripsisset, anno secundo, postquàm Hebræi ex Ægypto profecti erant, altero Paschate celebrato, Hebræi viderunt nubem à Tabernaculo sublimia petentem discedere; atque illico vasa, per tota castra, conclamata sunt, 12. & profecti omnes nubem, ad solitudinem Pharanicam, in qua diutiùs conquievit, sunt sequuti. 13. Tum primùm, ordine, quem Deus instituerat, iter fecerunt. 14. Primi omnium castra moverunt Judæ posteri, quibus præibat Tribûs Princeps; ejusque vexillum 15. 16. sequuti sunt qui ad Orientem una habebant castra, Issascharitæ & Zabulonitæ, quibus sui præibant Principes, ut & singulis Tribubus sui. 17. Dein Tabernaculi & Atrii partes acceptas à Sacerdotibus Gersonitæ & Meraritæ præproperè plaustris imposuerunt, ac post Zabulonitas viam ingressi sunt. 19 *ad* 20. Postea

rit. Sic & *Virgilius* dixit *fractos sonitus tubarum.*

Ad Orientem metati] Juda, Issaschar, & Zabulon, suprà Cap. II, 3. & seqq. Orientale latus frons Castrorum esse censebatur, quòd Oriens haberetur anterior pars Mundi. Vide not. ad Exod. XXVI, 33.

6. *Ad meridiem*] Ruben, Simehon & Gad, Num II, 10. & seqq. Hæc erat dextra pars, adeóque honoratior. Vide ad locum Exodi laudatum. Mendosè hîc est, in Samaritico Codice, צפנה *ad septemtrionem.* Postea seqnebantur qui ad Occidentem, hoc est, à torgo castra habebant, deinde qui ad sinistram seu ad Septemtrionem castra metabantur, ut docet Moses Cap. IV. LXX. Intt. hîc illos deesse existimarunt, & ita lacunam suppleverunt: καὶ σαλπιεῖτε σημασίαν τρίτην, καὶ ἐξαροῦσιν αἱ παρεμβολαὶ αἱ παρεμβάλλουσαι παρὰ θάλασσαν· καὶ σαλπιεῖτε σημασίαν τετάρτην, καὶ ἐξαροῦσιν αἱ παρεμβολαὶ παρεμβάλλουσαι πρὸς Βοῤῥᾶν. Absunt hæc à Samaritico Codice. Mirum esset idem superiore Capite tot vicibus repeti, hîc verò rem non inutilem omitti, nisi talia sæpe occurrerent. Vide not. ad Cap. III, 39.

7. *Clangetis quidem*] תתקעו *thithkebou*, æquabili sonitu clangetis, non fracto.

9. *Sonitu fracto*] Qualem expressit *Ennius*, hoc versiculo:

At tuba terribili sonitu taratantara *dixit.*

In memoriam Jehovæ &c.] *Coram Jehova Deo vestro.* Quasi Deus eo sonitu excitaretur, ut auxilio Hebræis veniret. Simile quid vidimus Exod. XXVIII, 29. Itaque tubarum sonitus erat velnti invocatio divini anxilii, monebátque populum precibus id esse implorandum, quibus permotus Deus Hebræis aderat. Vide & Ps. CL.

10. *Tempore hilaritatis vestræ*] *Die lætitiæ vestræ*; Publicæ, nimirum, ut quando Templum conditum fuit, & dedicatum à Salomone, 2. Par. V, 12, 13. quando instauratum, Esdr. III, 10, 11. quando Jerosolimæ instaurata fuerunt mœnia, Nehem. XII, 27, 35.

Statis festis] Quæ recensentur Levit. Cap. XXIII.

Initio mensium] *In capitibus mensium vestrorum.* Sollemnia enim in Neomeniis fiebant Sacra, Num XXVIII, 11. & seqq. Docet etiam Psaltes Ps. LXXXI, 4. tubam eo tempore cecinisse.

Cùm holocautomata] Intermissum hoc instaurasse legimus Hezekiam Regem 2. Par. XXIX, 26, & seqq. Non videntur autem intelligi privata Sacra, sed tantùm publica & sollemniora, ut conjiciunt etiam Rabbini; *en quanto se offrece los sacrificios de la comunidad*, ait *Josephus Francus.*

Ad memoriam vestri revocandam] Vide ad vers. 9 Quandoqnidem homines, non modò internâ animi pietate, Deum colere debent, sed & externis testificationibus; nihil vetabat quominùs, inter hasce, tubarum cantus haberetur. Ut autem eo invocabatur Deus: ita etiam plebs cantum tubarum audiens, ad celebrandum Deum excitabatur. Post hunc versum addunt Samaritæ versl. 7 & 8. Cap. 1. Deuteron.

11. *Vigesimo die mensis*] Post celebratum secundum Pascha, de quo Cap. IX, 11.

12. *Profecti sunt Israëlitæ* &c.] Venerant in Sinaïticam solitudinem 1. die tertii mensis anni primi, ut docet Moses Exod. XIX, 1. Itaque manserant illic per undecim menses & viginti dies; per quod tempus longè maximam partem legum suarum acceperunt.

Itineribus suis] Hoc est, lentè, pront tanta multitudo progredi poterat. Vide ad Genes. XIII, 3.

In deserto Pharanis] De hac solitudine, vide ad Genes. XIV, 6. Non uuis castris in hanc pervenerunt, primùm enim castra posuerunt in *Kibroththaava*, unde iverunt *Chatserothas.* Vide Cap. XI, 34, 35. Hinc moverunt in Pharaniticum desertum, ut docet Moses, Cap. XIII, 1. Hoc loco docemur non esse facilè argumentandum ex solo Mosis silentio; cùm ita hîc omittat duas stationes, ut, nisi ex aliis locis res manifesta esset, crederemus non priùs sub-

profecti sunt Kehathitæ sacrarium ferentes, & jusserunt subsistere tabernaculum, do-
nec *ad id* venirent. 22. Postea profectum est vexillum castrorum Ephraïmitarum,
pro horum agminibus, & ante agmen suum Elisama, Hammihudi filius; 23. an-
te agmen tribûs Manassitarum Gamliel, Phedahtsuris filius; 24. ante agmen tri-
bûs Benjaminitarum Abidan, Gidhonis filius. 25. Denique profectum est vexil-
lum tribûs Danitarum, quod agmina castrorum omnium cogebat, & ante agmen
suum Achihezer, Hammisaddæi filius; 26. ante agmen tribûs Aseritarum Paghiel,
Hochranis filius; 27. ante agmen tribûs Nephthalitarum Aehira, Henanis filius.
28. Hæ *erant* profectiones Israëlitarum, pro suis agminibus, atque *hoc ordine* profi-
ciscebantur.
29. Dixit verò Moses Chobabo, filio Rehuelis Madianitæ, soecero suo: proficis-
cimur

stea ad Meridiem metantes Rubenitæ vexillum suum moverunt, Simehonitisque & Gaditis præiverunt. 21. Cùm hi præteriissent, profecti sunt cum Arca, sacrisque supellectilibus Kehathitæ, & jusserunt alios Levitas consistere, donec ad eos pervenissent; quòd ordinem suum proficiscendi, quo medii inter duodecim Tribus incedere eos oportebat, non exspectassent. 22 *ad* 24. Exin vexillum Ephraïmitæ moverunt, atque unà castra metantes ad Occidentem Manassitæ & Benjaminitæ. 25 *ad* 27. Agmen clauserunt qui ad Septemtriones tendebant, & Danitæ quidem Aseritis & Nephthalitis vexillum prætulerunt. 28. Hoc ordine semper postea profecti sunt Israëlitæ, præeunte omnibus nube, & loca, in quibus consistere eos oporteret, monstrante.

29. Antequàm sciret Moses nubem ita viæ ducem fore Israëlitis, ut castris capiendis loca esset ostensura,

substitisse nubem ex Sinaïtico deserto profectam, quàm ad Pharanicum pervenisset.

14. *Ante*] על hal. Ut præfecti, ducebant agmen singularum tribuum. Sic maluimus, quàm subaudire פקד phakid *præfectus*, ut alii Intt. Antea ostendimus על significare *ante*. Vide ad Cap. VII, 2.

17. *Demissum est*] הורד hourad, *factum est descendere*. Hoc est, aulæa demissa sunt, solutáque Tabernaculi compages.

21. *Sacrarium ferentes*] מקדש *mikdasch*, hoc est, כלי מקדש *supellectilia sacrarii*, Arcam, Candelabrum, Mensam auream, altare aureum &c. Vide Num. IV, 5. & seqq. Nam Sacrarium propriè dictum, seu tabulæ, asseres, & aulæa Tabernaculi aliis Levitis commissa erant.

Jusserunt subsistere Tabernaculum] Ut, nempe, unà incederent cum Gersonitis & Meraritis. Hic videtur esse simplicissimus sensus; quamvis non intelligamus quare alii Levitæ priores proficiscerentur. Forte præproperè profecti sunt, quamvis quâ ratione id factum sit non doceat Moses. Certè Tabernaculum bajulantes jubentur in medio populo iter facere suprà Cap. II, 17. Hinc tamen factum, ut multi Interpretes aliter verterint הקימו *hekimou*, & ad nominativum omissum retulerint, hoc modo: *alii Levitæ statuebant Tabernaculum, donec venirent Kehathitæ*, ut, nimirum, sacra supellectilia illico Tabernaculo inferrentur. Sed nihil obstabat quominùs tecta servarentur aliquamdiu, dum statuebatur Tabernaculum; cùm ante discessum, eodem modo, dum reliqua colligebantur, servarentur. Propterea *Hieronymus*, neglectis verbis Mosis, hunc sensum edidit: *tamdiu Tabernaculum portabant, donec venirent ad erectionis locum.*

25. *Agmina castrorum omnium*] Omnia *castra pro agminibus suis.*

29. *Chobabo*] Vide not. ad Exod. II, 18. Hæ circumstantiæ, si ordo temporis & rerum servaretur, debuissent conjungi cum iis quæ habentur Exod. XVIII. & quidem post vers. 26. inseri. Non videtur enim senex Chobabus, aut Rehuel, bis venisse in castra Hebræorum, & bis abiisse. Hæc quoque illi dixisse videtur Moses, antequàm sciret nubem perpetuam fore ducem Israëlitis; neque enim quæ habentur vers. 31. consistere possunt cum ductu nubis. Nisi Deus Israëlitis per Arabicas solitudines dux viæ fuisset, utilis eis futura erat hominis locorum periti opera; sed cùm loca castris capiendis signaret nubes, alio viæ duce non indigebant Israëlitæ.

29. *Bona promisit Israëli*] דבר טוב על ישראל *loquutus est bene super Israële*, ἐλάλησε καλὰ περὶ Ἰσραὴλ, ut habent ad verbum LXX. Intt. Maluimus Vulgatum sequi, qui sensum Hebraïsmi expressit; quia cùm Hebræi careant verbo, quod propriè respondeat Latino *polliceri*, coguntur uti verbo דבר dabar *dixit*. Unde videre est paupertatem Linguæ Hebraïcæ, quæ verbo tam frequentis usûs caret.

30. *Non ibo, inquit* &c.] Ideò Moses eum dimisisse dicitur Exod. XVIII, vers. 27. Multi tamen Intt. volunt postea rediisse Socerum Mosis, quòd liqueat ejus posteros sedes in terra Chananæa, cum Hebræis, habuisse ex Jud. I, 16. At nihil obstat quominùs Jethronis posteri, eo mortuo, se se Israëlitis conjunxerint.

In patriam atque ad cognatos] *Ad terram meam, & cognationem meam.* In Madianitidem, de qua vide not. ad Gen. XXV, 1.

31. *Quibus in locis in hoc deserto castra capere possimus*] חנתנו במדבר hhanothanou bammidbar, *castra ponere nostrum in deserto*; hoc est, ubi loca sunt apta castris ponendis.

Eris nobis oculorum instar] Hoc est, eris quasi dux cæcorum. Cùm enim homini Madianitæ, per ea deserta cum gregibus sæpe vagato, notissima essent omnia loca, in quibus erant pascua, ad ea poterat deducere Israëlitas. Verùm hoc dicere non potuit Moses, postquàm rescivit nubem ducem fore Israëlitis; tum enim, in castris capiendis, nihil opus fuit consilio cujusquam.

Hanc autem esse significationem phraseos *eris nobis* לעינים *in oculos* liquet ex Jobi XXIX, 15. ubi ita vir pius: Ego *oculi fui cæco, & pedes claudo.* Sic & in aliis Linguis de ducibus loqui solemus. Ita *Tiresias* cæcus vates filiam allo-

cimur ad locum, de quo dixit Jehova, eum vobis dabo; veni nobiscum & tibi benefaciemus, nam Jehova bona promisit Israëli. 30. Ille verò Mosi: non ibo, inquit, sed in patriam atque ad cognatos redibo. 31. At Moses; ne quæso, inquit, nos relinqueris, quoniam enim nosti quibus locis in hoc deserto castra capere possimus, eris nobis oculorum instar. 32. Postquàm veneris nobiscum, & beneficium hoc, quo nos Jehova adfecturus est, evenerit, tibi benefaciemus.

33. A monte autem Jehovæ iter trium dierum fecerunt Israëlitæ, & ante eos per triduum iter fecit arca fœderis Jehovæ, ad inveniendum eis locum in quo quiescerent. 34. Nubes autem Jehovæ interdiu iis imminebat, cùm è castris discederent. 35. Quando arca proficiscebatur, dicebat Moses: surge Jehova & dissipabuntur hostes tui, atque è conspectu tuo fugient osores tui. 36. Quando verò requiescebat, dicebat Moses, revertere Jehova ad myriadas chiliadum Israëlis.

XI. Qui-

sura, 29. eúmque eum invisisset socer, ut antea diximus, socerum oraverat, relictâ Madianitide, in Chananæam secum iret, eique quietas inter Hebræos sedes promiserat. 30. At Jethro in patriam redire certus, Mosi gratias egerat, 31. quamvis gener diceret se indigere homine locorum perito, qui populo Hebræo dux esset per invias solitudines, & loca castris ponendis apta indicaret; quod ab eo, qui per hæc deserta sæpiùs erraverat, facilè fieri poterat. 32. Promissa etiam, de agro inter Hebræos possidendo, frustra iteraverat Moses; numquam à socero, ut comes & dux fibi esset, impetrare potuerat. Sed eo profectò, homine duce opus sibi non esse vidit Moses.

33. 34. A Sinaïtica solitudine, Nube & Arcâ ducibus, per triduum iter fecerunt Hebræi ad Pharaniticam. 35. 36. Moses autem discedentis & consistentis Dei pacem populo Hebræo precibus petere semper solebat.

P A-

alloquitur, apud *Euripidem* in Phœnissis vers. 837.

Ἡγοῦ πάροιθε, θύγατερ, ὡς τυφλῷ ποδὶ
Ὀφθαλμὸς εἶ σύ.

Ducito ulteriùs filia, quia cæco pedi es oculus. Sic *Philo* de Vita Mosis Lib. I. p. 494. in oratione Mosis ad exploratores, de quibus infrà Cap. XIII. ὑμᾶς ἐχειροτονήσαμεν ἵνα ταῖς ὑμετέραις ὄψεσί τε καὶ διανοίαις τἀκεῖ θεασώμεθα· γίνεσθε δὴ τοσούτων μυριάδων ΩΤΑ καὶ ΟΦΘΑΛΜΟΙ, πρὸς τὴν τῶν ἀναγκαίων εἰδέναι σαφῆ κατάληψιν: *vos elegimus, ut vestris oculis atque mentibus quæ illic sunt inspiceremus. Estote ergo tot myriadum* AURES & OCULI, *ut clarè intelligamus quæ necessaria sunt scitu.* Non videntur quidem hoc ignorasse veteres Interpretes (novos enim ad partes vocare nihil adtinet) sed cùm ordine narrationis se non expedirent, neque hæc cum Dei ductu conciliare possent, vim intulerunt perspicuæ loquutioni; ut sensum ex ea commodum, ut quidem rebantur, extunderent. LXX. Intt. habent: μὴ ἐγκαταλίπῃς ἡμᾶς οὗ εἵνεκεν ἦσθα μεθ' ἡμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ ἔσῃ ἐν ἡμῖν πρεσβύτης. *Onkelos* verò: *tu enim nosti quomodo castra metati sumus in deserto, & miracula quæ facta sunt nobis vidisti oculis tuis.* Multò meliùs Hieronymus: *tu nosti in quibus locis castra ponere per desertum debeamus, & eris ductor noster.*

Si quis quærat quare inserta sit hæc ὑστερόν, alieno loco, si proximè superiorum tempus spectes; hoc respondendum habemus, ut adpareret, nimirum, Mosem primùm perperam quæsivisse hominem ducem itineris, cùm ducem Deum esset habiturus. Non putabat se sine socero duce posse solitudines, in quibus nulla erant certa viarum vestigia, emetiri; ecce verò, negante Jethrone se inter Israëlitas diutiùs esse posse, ducem se se fore edicit Deus;

Καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

Nec quæ videbantur perfecta sunt, & eorum, quæ non videbantur futura, exitum invenit Deus. Quâ sententiâ, aliquot Tragœdias claudit *Euripides.*

33. *A monte Jehovæ*] Sinaï. Vide not. in Exod. III, 1.

Ante eos] Ante dimidiam partem populi, ut adparet ex vers. 21. & *seqq.* Sed & ante alios ivisse dici potest, quòd nubis Arcæ imminentis motum observarent, quamvis præïrent.

Ad inveniendum] לתור lathour, *ad explorandum.* Sed explorationem hanc esse inventionem ex re ipsa liquet, nec est nimis urgenda propria vocis significatio. Hinc LXX. ἐπισκέψασθαι, & *Onkelos* לאתקנא *ad præparandum.* Vulgatus verò, *providens castris locum.*

Locum in quo quiescerent] מנוחה *mnouhhah.* Vide not. ad Gen. XLIX. 15.

34. *E castris*] מן המחנה *min hammahhaneh,* quod hîc locum significat, alibi passim ipsos castra metantes, ut sæpiùs antea videmus, in hoc libro.

35. *Quando arca proficiscebatur*] בנסע *binsoah.* Ad hanc vocem, in margine Massorethicorum Codd. pingitur *Nun* inversum, ut significetur in hac voce id ita scribi oportere. In octo versibus, sic inverti notat Massora; cujus rei rationem nullam invenire potuit *Joan. Buxtorfius,* in Comm. Massorethico C. XVI. præter hanc, *innui omnes hostes Israëlitarum retrorsum agendos motu Arcæ.* Sed hoc quàm frigidum sit, ut reliqua omnia, nemo non videt. Mendum potiùs videtur fuisse Librarii, qui descripserat Codicem venerandæ antiquitatis, ex quo futiles hæ varietates sunt excerptæ.

Surge Jehova] Non est hoc rogantis, nam à Mose proferebatur, cùm videbat nubem sponte disce-

XI. Quiritantem populum ignis divinitus immissus absumit, & Mose deprecante exstinguitur. Carnem flagitat populus, Mosésque muneris excusationem petit à Deo, qui Septuaginta viros eum sibi adsciscere jubet, carnémque Israëlitis pollicetur & mittit, sed improbas eorum querimonias plectit.

Caput XI.

1. CUm populus quereretur, aures Jehovæ offendit; cúmque audivisset Jehova, accensa est ira ejus, exarsitque in eos ignis Jehovæ & extremitatem castrorum absumsit. 2. Populus verò Mosem clamore imploravit, Mosesque deprecatus est Jehovam, & resedit ignis. 3. Ei loco nomen imposuit Thabheræ, quòd illic in eos exarsisset ignis Jehovæ.

4. At

PARAPHRASIS.

1. CUm ad Pharanicam solitudinem tenderent Hebræi, fremere cœperunt, cùm ob viæ molestiam, tum ob cibi soliti penuriam; quamvis & lentis itineribus progrederentur, & quotidianum Mannæ subsidium haberent. Itaque eorum fremitibus meritò offensus Deus, igne divinitus immisso in extrema castra, minùs sibi obsequentes subitò occidit. 2. Quod cùm animadverterent qui juxta tendebant, ad Mosem concursu facto, Prophetam orarunt, pro se justitiam divinam deprecaretur. Ille verò illico precibus à Deo impetravit, ne eâ plagâ plures absumerentur. 3. Ea de causa, *Thabheræ*, hoc est, *incendio*, ei loco nomen factum est.

4. Sed

discedentem; sed exponentis quid futurum esset, quotiescumque Deus populo esset præiturus. Sæpe occurrit Imperativus pro Futuro. Vide Gen. XXXIV, 10. & notata ad eum locum.

36. *Revertere*] Hoc est, reverteris. Vide ad antecedentia.

COMMENTARIUS

In Caput XI.

1. C*Um populus quereretur*] ויהי העם כמתאׄננים *& fuit populus ut querentes.* LXX. γογγύζων, Vulg. *ortum est murmur*, hoc est, fremitus & querelæ, ob viæ molestiam & cibi penuriam. In voce מתאׄננים primum *Nun* est inversum, ad significandam, ut aiunt, perversam indolem populi Hebræi. Vide ad Cap. X, 35.

Aures Jehovæ offendit] *Malum in auribus Jehovæ*, nempe, *fuit.* Sic passim *malum fuit in oculis*, ἀντὶ τοῦ *displicuit.* Vide Gen. XXI, 11. &c. LXX. verò Intt. conjungunt רע *malum* cum antecedente verbo, γογγύζων πονηρὰ, sed dura est ea constructio.

Cúmque audivisset] *Et audivit — & accensa est* &c.

Ignis Jehovæ] Hac phrasi alibi fulmen significatur. Vide Dissert. de *Subvers. Sodomorum.* Verùm dubito an hoc intelligatur, hoc in loco, nam fulmen incendisset dumtaxat aliquot tentoria; à quibus vicina amota flammam effugissent, neque homines fuissent occisi. Fortè intelligitur ventus urens, quales in solitudinibus illis aliquando pestilentissimi, ad breve tempus, oriuntur; quem Deus præter naturæ leges eo tempore excitarit, in extremitate castrorum per multa milliaria sparsorum. Vide de eo vento notata ad Gen. XLI, 6.

Extremitatem castrorum] *Depastus est in extremitate castrorum.*

2. *Resedit ignis*] ותשקע *thischkah*, quod propriè dicitur de aqua fluvii, quæ imminuta residet. Si ventus, ut suspicabamur, sit intelligendus, significabit Moses eum cecidisse.

3. *Nomen imposuit*] *Vocavit nomen.*

Thabberæ] Hoc est, *incendio.*

4. *Promiscuum vulgus*] אספסף *osuphsouph*, hoc est, collectitia turba, præsertim alienigenarum, qui memorantur Exod. XII, 38.

Cupiditate iterum correptum est] *Concupiverunt cupiditatem, & redierunt.* Hebræi שוב *redire* dicunt, pro eo quòd est *iterum aliquid facere.* Sic Gen. XXV, 18. *& rediit & fodit*, hoc est, iterum fodit. Vide & Gen. XXX, 31. Hoc in loco posset etiam hæc phrasis ad Israëlitas referri: *promiscuum vulgus cupiditate correptum est, atque iterum etiam Israëlitæ fleverunt.* LXX. Intt. cum hanc loquutionem non satis adsequerentur, verterunt: καθίσαντες ἔκλαιον, legeruntque ישבו non ישבו. Sic Vulg. *sedens & flens.*

Quis nobis carnem comedendam &c.] Hoc est, utinam daretur nobis caro! Sic מי יתן, quis dabit, *utinam* solet verti. Quærunt, hoc in loco, Intt. an hæc sit Historia eadem quæ habetur Exod. XVI. par enim est Israëlitarum peccatum, & simile Dei miraculum. Verùm varia ostendunt diversas esse Historias, ut viri docti observarunt. Exodi enim loco memorato, Coturnices ad Israëlitas mittuntur, in Sinico deserto agentes, die decimo quinto secundi mensis anni primi, ex quo Ægypto egressi erant, antequàm ad montem Sinain pervenissent. Vide Exod XVI, 1, 2. Manna quoque tum primùm cecidit, quâ antea caruerant Israëlitæ. At hîc sub finem mensis secundi, anni secundi, cum à monte Sinaï discessissent, & in Kibroth-thaava essent, Coturnices accipiunt, cùm Mannæ eos tæderet. Vide Num. XXII, 33. XXXIII, 16. Adde quòd Coturnices anni primi in diem unum datæ sunt, hæ in integrum mensem.

Hæc cùm sint clara diversitatis indicia, objiciunt tamen qui aliter sentiunt, Mosem non potuisse dubitare an Deus posset carnem iterum

4. At promiscuum vulgus, quod inter eos erat, cupiditate iterum correptum est, imò etiam fleverunt Israëlitæ, dixerúntque: quis nobis carnem comedendam præbebit? 5. Recordamur piscis, quem in Ægypto gratis comedebamus, cucumerum, peponum, porri, ceparum & alliorum. 6. Nunc verò adpetentiâ *cibi* exarescimus, oculi enim nostri nihil nisi mannam *vident*. 7. Manna autem erat instar seminis coriandri, speciésque ejus quasi species bdellii. 8. Diffundebatur autem populus, idque colligebat, molis comminuebat, aut in mortario conterebat. Tum coquebat in cacabo, aut

4. Sed quamvis, recenti hoc exemplo, religiosiores facti esse debuissent Hebræi, ad similes fremitus haud multò pòst redierunt; & cœpit quidem peregrinorum, qui castra sequuti fuerunt, multitudo quiritari, ipsósque Hebræos ad eamdem insaniam iterum provocavit. Hi igitur vulgò flere, & dictitare, præstabilius fore Hebrææ plebi, si carnis suppeteret copia, essétque etiamnum in Ægypto. 5. Piscium illic, & olerum, fructuúmque infinita genera gratis habere ei licuisse, 6. hîc verò Mannam, quâ solâ vesci cogebatur, fastidium ei creasse; neque adpetentiæ suæ ullâ ratione satisfacere posse. 7. Manna autem, quæ quotidie è nubibus demittebatur, eadem erat quæ etiamnum hodie cernitur; magnitudine & figurâ Coriandri semen, colore Bdellium referebat. 8. Singulis etiam matutinis

rum suppeditare Israëlitis (qua de re dubitat hîc vers. 21.) si simile jam miraculum viderat. Sed respondent alii Mosem dubitasse an posset in mensem integrum fieri, quod in diem unum factum erat. Præterea eumdem Mosem, qui aquam è rupe percussa elicuerat Exod. XVII, 1. & seqq. constat simile miraculum facere jussum, alio in loco, dubitasse, Num. XX, 11. Idem de Abrahamo observavimus ad Genes. XVII, 17.

5. *Piscis quem in Ægypto gratis comedebamus*] Propter ingentem ejus copiam, de qua vide not. ad Exodi Cap. I, 7.

Cucumerum &c.] In hisce vertendis LXX. Intt. & Vulg. sequuti sumus. Radicum & olerum feracissimam fuisse Ægyptum, præsertim inferiorem, observat non semel *Diodorus Siculus* Lib. I.

Porri] חציר hhatsir, pro quo Onkelos כרתי *chrathe*, quæ vox non multùm abit ἄχι & κόριον aut κόριον, quo modo Ægyptii adpellant radicem Loti, quæ in paludibus Ægyptiis frequens. Vide *Diodorum* Bibl. Lib. I. & *Theophrastum* de Hist. Plant. Lib. IV. c. 10.

Cæparum & alliorum] *Plinius* in Hist. Nat. Lib. XIX. c. 6. *Allium, cæpásque inter Deos, in jurejurando, habet Ægyptus.* Sic & *Juvenalis* Sat. XV.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat: —
Porrum & cæpe nefas violare & frangere morsu.
O sanctas Gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Hinc nascitur quæstio, quî Israëlitæ ausi sint Ægyptiorum violare Numina? quæ olim proposita fuit *Davidi Clerico*, patruo meo, cujus vide *Quæst. Sacrarum* decimam quintam. Ostendit *Plinium* & *Juvenalem* errasse, in eo quòd crediderint hæc pro Numinibus in Ægypto fuisse culta; quia Sacerdotes, non verò vulgò Ægyptii, ab iis abstinere solebant, quod ex *Diodoro* & *Plutarcho* constat. Solius *Diodori* verba proferemus ex Lib. I. p. 80. ubi, de moribus Ægyptiorum agens, narrat τινὰς φακῶν, τινὰς δὲ κυάμων, ἐνίους δὲ τυρῶν, ἢ κρομμύων, ἤ τινων ἄλλων βρωμάτων τὸ παράπαν μὴ γεύεσθαι, πολλῶν ὑπαρχόντων κατὰ τὴν Αἴγυπτον: *quosdam lentes, quosdam fabas, alios caseos, aut cæpas, aut quosdam alios cibos nullo modo gustare, cùm multi sint in Ægypto.* Obiter observandum *cæpam* dici Hebræis שום *schoum*, Chaldæis תום *thoum*, unde nomen Græcum θύμος, quod *cæpam agrestem* sonat. Mirum hoc non venisse in mentem *Claudio Salmasio*, quem frustra sudantem, in ratione hujus nominis invenienda, vide ad *Solinum* p. 907. Ed. Ultraject.

6. *Adpetentiâ cibi exarescimus*] *Anima nostra sicca est.* נפש *nephesch* non rarò *adpetentiam* cibi significat. Sic Esai. XXIX, 8. *Quemadmodum somniat esuriens se edere, cùm verò expergiscitur vacua est ejus anima* נפשו (hoc est, adpetitui tamen non est satisfactum) *& quemadmodum sitiens somniat se bibere, cùm verò expergiscitur fessus, & anima ejus adpetens.* Vide eumdem Prophetam C. XXXII, 6. LVIII, 10. Sic & in Ps. LXXVIII, 18. de Israëlitis: *tentaverunt Deum, petendo cibum* לנפשם *animæ suæ*, hoc est, qui adpetentiæ suæ satisfaceret.

Nihil nisi mannam vident] *Nihil quidquam præterquàm ad mannam oculi nostri.* Ideò eam fastidiebant. Vulgo autem hæc verba, ut vidimus, tribuuntur; quòd quamvis pecudibus non essent prorsus destituti Hebræi, attamen non erant tantâ copiâ & vilitate, ut vulgò iis vesci possent. Sat magna pecoris copia in celebratione Paschatis, & sacrificiis absumta fuerat. Vide Capp. VII. & X.

7. *Manna autem erat* &c.] De nomine & natura Mannæ egimus ad Exod. XVI. Posset quis fortè suspicari hanc Mannæ descriptionem manûs esse Musaïca recentioris; nam sermo hic est de re quasi præterita, non quæ quotidia etiamnum cerneretur, quo tempore scribebat Moses. Scio LXX. Intt. vertisse pronomen הוא in hoc versu, non *erat*, sed ἦν. Sed sequens versus obstat, ubi ipsi habent in imperfecto διεπορεύετο ὁ λαὸς &c. Nec potest aliter res exprimi. Verùm duo reponi possunt huic conjecturæ. Primum est Mosem scribentem posteris sæculis, voluisse rem suo tempore notissimam scriptis consignare; nec potuisse de ea loqui aliter quàm tempore imperfecto, aut præterito, quia omnis ejus historia ita concepta est. Nusquam enim utitur tempore præsenti, ubi

aut *eo* faciebat ſubcineritias *placentas*, erátque ſapor ejus, ut ſapor humoris olei. 9.
Cùm autem noctu deſcenderet ros in caſtra, unà deſcendebat manna.
10. Audivit Moſes populum per familias flentem, quemque ad oſtium tentorii ſui;
& vehementer accenſa eſt Jehovæ ira, Moſique mala res viſa eſt. 11. Itaque Jehovæ,
quare, inquit, malè feciſti ſervo tuo, aut quare nactus non ſum apud te gratiam, ut
onus univerſi hujus populi mihi imponeres? 12. An ego concepi omnem hunc popu-
lum? an ego eum genui, ut mihi dicas, fer eum in ſinu tuo, quemadmodum gerulus
fert

tinis temporibus, circa caſtra colligebatur, moliſque aut mortariis conterebatur, ut variis modis parari poſſet. Seorſim coquebatur, aut miſta farinæ ſubcineritiis placentis conficiendis inſerviebat; eæque placentæ eas ſapore referebant, quibus eſt admiſtum oleum. 9. Cadebat autem, ut nunc, ſub auroram, unà cum rore.

10. Cùm animadvertit Moſes Hebræos, circa tentoriorum oſtia, flentes, fortunáſque ſuas deplorantes; tum verò perculſus gravitate ſceleris, quo intelligebat juſtitiam divinam provocatum iri; 11. apud Deum, in Tentorio Conventûs, queri cœpit, quòd ſibi tam moroſi, incredulique populi cura eſſet demandata; 12. quódque parentum loco eſſe popularibus ſuis, donec in terram Chananæam perveniſſent; & faſtidia ac fremitus tam ma-

ubi quidpiam narrat. Alterum eſt, hanc hiſtoriam ſcriptam videri ſub finem vitæ Moſis, cùm Iſraëlitæ verſarentur in agris Emoræorum & Baſanitarum, ubi editum eſt Deuteronomium; quo tempore noverat Moſes brevi Mannam ampliùs non delapſuram, quia poſt aliquot menſes Iſraëlitæ trajecturi erant Jordanem. Igitur hanc futuris ætatibus ita potuit deſcribere, ut hîc deſcribitur, & loqui de ea ejúſque collectione, quaſi de re præterita.

Sed quamvis fateremur tria hæc commata, 7, 8 & 9. addita eſſe à Joſua, aut ab aliquo alio Propheta, qui Pentateuchum poſt mortem Moſis deſcripſerit & recenſuerit, nullum hinc naſceretur contra horum librorum antiquitatem & γνησιότητα argumentum. Quamvia *Ariſtarchus* quoſdam verſus *Homeri* eſſe negarit, qui ab aliis ei tribuebantur; ideò non ſequebatur *Homeri* Poëmata recentiora eſſe, aut ab alia manu, aut *Ariſtarchum* de Iliados & Odyſſeæ antiquitate dubitaſſe. Sed ut ex libro ſacro exemplum petam, qui repudiant περικοπὴν de adultera quæ legitur Capp. VII & VIII. *Joannis*, an ideò cenſebuntur *Alogis*, negantibus Evangelium hoc eſſe Joannis, nimiùm concedere? Non opinor; neque hoc de locis, qui Moſis ſcriptis inſeri potuerunt, obſervarem, niſi viderem viros eruditos nimis invidioſè eos, qui pauca quædam Moſi addita exiſtimant, traducere. Apud imperitos Criticos facilè peratragœdiari licet, dum peritioribus ludibrium debetur.

Inſtar ſeminis Coriandri] כזרע גד *ut ſemen gad*, quod κόριον LXX. Intt. *coriandrum* Vulgatus vertit. Eſt ſemen notiſſimum, cui ſolâ magnitudine Manna confertur; nam color hujus non erat viridis, ſed flavus, ut color Bdellii.

Species ejus quaſi ſpecies bdellii] ועינו כעין הבדלח *oculus ejus ut oculus bdolahh*. עין ſignificat faciem externam, aut colorem. Hinc LXX. εἶδος verterunt, Vulg. *colorem*. Vide Exod. X, 3. Proverb. XXIII, 31. Vocem בדלח *bdellium* vertimus, ut Gen. II, 12. ubi vide quæ notavimus. Hic de colore duntaxat Bdellii, & Mannæ ſimilitudine agendum ſupereſt. Si Manna Iſraëlitarum ſimilis eſſet colore Mannæ, quâ utimur, ut ſapore eam referebat; dubium non eſt quin eſſet ſimilis Arabico gummi, quod Bdellium adpellatur. Bdellium enim, Mannæ inſtar, eſt albore ſubflavo, ut ex Veteribus oſtendit *Cl. Salmaſius*, de Homonymis Hyl. Iatricæ Cap. CIX. item in Plinianis Exercitationibus p. 369. col. 2. pag. 809. *& ſeqq.* Ed. *Ultraject.* Unum aut alterum Veterum locum adferemus. Sic ergo id deſcribit *Dioſcorides* Lib. I. c. 80. Βδέλλιον οἱ δὲ μάδελκον, οἱ δὲ βολχὸν καλοῦσι, *bdellium alii madelchum, alii bolchum vocant.* Rectè obſervavit *Salmaſius* μάδελκον aut μάδαλκον factum eſſe ex eadem voce בדלח, mutato B in M, ut ſolet fieri. Potuiſſet etiam addere βολχὸν dictum eſſe, contrariâ mutatione τοῦ M in B, ab Arabico ejus nomine מקל *mokel.* Pergit *Dioſcorides*: δάκρυόν ἐστι δένδρου Σαρακηνικοῦ· δόκιμον δέ ἐστιν αὐτοῦ τὸ τῇ γεύσει πικρὸν, διαυγὲς, ταυροκολλῶδες: *lacrima eſt arboris Saracenicæ. Quod probatur eſt quod guſtu amarum eſt, pellucidum, & taurino glutini ſimile.* Taurocolla autem eſt, ut idem docet, *alba & pellucida.* *Plinius* Lib. XII. c. 9. Hiſt. Nat. *Eſſe autem debet lucidum, ſimile ceræ.* *Iſidorus* Orig. Lib. XVII. c. 8. *Bdella Indiæ & Arabiæ arbor, cujus lacrima melior Arabica. Eſt enim lucida, ſubalbida* &c. Hæc omnia conveniunt cum colore Mannæ, éſtque aptiſſima comparatio Mannæ in Arabiam, pluviæ inſtar, delapſæ, cum gummi Arabicæ arboris.

At *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. II. Lib. V. c. 5. contendit בדלח eſſe *margaritam*, non Bdellium, poſt Rabbinos, quorum loca profert. Sed eorum, in hujuſmodi rebus, ſummam ignorantiam nemo neſcit. Arabum interpretum, quorum etiam producit tranſlationes, inconſtantiam nihil moror. Falſum quoque eſt, ut oſtendimus, Bdellium omne *nigrum* eſſe, quod vir ſummus ſtatuere videtur, cùm neget *bdellium colore mannam referre.* Bactrianum quidem, ſeu Indicum, idque omnium peſſimum, nigrum eſſe docet *Dioſcorides*, in ſequentibus verbis; ſed, ut vidimus, ejuſmodi non fuit Saracenicum. Videtur vir ſummus ideò tantum omnem lapidem moviſſe, ut oſtenderet בדלח eſſe *margaritam*, quòd alioqui probare non poſſet *Chavilæ* regionem eſſe partem Arabiæ, circa *Catipham*, de qua re diximus ad Gen. C. II.

LXX. Intt. videntur legiſſe ברלח *brolahh*, verterunt enim, in loco Geneſeos, ἄνθρακα *carbunculum*, in Numeris verò, κρύσταλλον *cryſtallum*; quæ magis adfinia ſunt *Beryllo*, quàm Bdellio. At *Joſephus*, qui alioqui ſolet LXX. Intt.

fert lactentem, in terram quam juravi ejus Majoribus *me huic daturum?* 13. Unde mihi esset caro, quam darem universo huic populo? Flent enim apud me, &, da nobis, inquiunt, carnem quam comedamus. 14. Non possum solus ferre universum hunc populum, gravior est quàm ut ferre queam. 15. Si ita te mecum geras, occide me, quæso, *potiùs*, si quam apud te gratiam nactus sum, nec malum meum videam.

16. Tum Jehova Mosi, congrega, inquit, mihi septuaginta è senibus Israëlis, quos senes populi esse nosti, ejúsque præfectos, eos ducito ad tentorium conventûs, & stent ibi tecum. 17. Ego verò descendam, loquar illic tecum, partiar spiritum qui tibi

malnrum hominum folnm, nnn fine periculn, coercere subinde oporteret. 13. Sibi non suppetere carnem, quam tantæ Genti dividi curaret; nec en seciùs immnrigerum populum quod dare nnn poterat clamnribus pervicaciter flagitare 14. Non esse verò sibi id animi robur, ut solus tantam multitudinem in ordinem cogere posset. 15. Itaque orare Deum se viventium numero potiùs eximeret, quàm ut sibi vitam eò usque produceret, ut Rempublicam populi Hebræi, quâ calamitate major sibi accidere nnn poterat, dissolvi videret.

16. Ad hasce Mosis querelas, eum jussit Deus septuaginta viros ex populi primnribus eligere, quos ad Tentorium Conventûs enuvocaret; 17. quo in

Intt. seqni, Ant. Jnd. Lib. II. cap. 1. Bdellinm intellexit: ὅμοιον, inqnit, τῷ ἀρωμάτων βδέλλῃ: *simile erat bdellæ quæ est ex aromatibus.*

8. *Molis comminuebat*] Unde liquet singularem fuisse hnjus Mannæ naturam; nam Manna vulgaris, quamvis sicca, vix potest comminui, quod sit viscidæ naturæ.

Eo faciebat subcineritias] Admistâ, nempe, farinâ. De placentis snbcineritiis, vide not. ad Gen. C. XVIII, 6.

Humoris olei] לשר השמן *lschad hasschemen.* Vox לשר iterum occurrit Psal. XXXII, 4. ubi videtur significare *humorem*, nam *siccitatibus* opponitur. Fateor tamen mihi non placere *humorem olei*, quamquam nihil erat qnod potiùs seqnerer. Ea de causâ, LXX. Intt. verterunt ἐγκρὶς ἐλαίου, Vulg. *panis oleati*, Onkelos: דליש במשחא dlisch bmischha, *panis in oleo.* Sed שר ant לשר *panem* aut *placentam* significare nullo argnmento constat, videntúrque ii Intt. ex conjectura vertisse. Sunt qui velint recens oleum intelligi, & *virorem olei* vertant; at hoc quoque durum, & sine exemplo.

Quæritur qnî sapor Mannæ hîc dici qneat, fuisse instar olei, cùm Exod. XVI, 4. conferatur melli? Sed aut utrumque conjnnctum fuit, ant mellitus sapor fuit solius Mannæ, oleosus verò placentarum coctarum, cui admista erat. Rabbini quidem volunt Mannam singulis saporem, qui maximè placeret, præbuisse, qua de re vide *Joan. Buxtorfii* Hist. Mannæ Cap. III. Verùm hæc sunt figmenta Judaïca.

9. *Unà*] עליו halau, *cum eo.* Vide Exod. XXXV, 22.

10. *Mosique res mala visa est*] *Et in oculis Mosis malum*, hoc est, ei displicnerunt populi querelæ.

11. *Ut onus* &c.] Hoc est, quare tam tenui gratiâ me apud te valere voluisti, ut gravissimum onus detrectare mihi per te non liceat?

12. *Fer eum in sinu suo* &c.] Hoc est, maximam ejus curam gerito, eúmque molestias tibi creantem haud aliter ferto; ac gernlus pueruli lactentis, quem sinn gestat, clamores & lacrimas perfert.

Gerulus] אמן *omen.* Hæc Radix, nbi sermo est de infantibus, qui nutricantium curæ commissi sunt, propriè *gestare* significat, nt rectè animadvertit *Joan. Coccejus*, in Lexico. Sic Ruthæ Cap. IV, 16. de Nahomi ann, nbera nequaqnam præbente: *cepit Nahomis puerum, posuitque eum in sinu suo, & fuit ei* לאמנת leomeneth, *in gerulam.* Vide & Esai. LX. 4. & confer enm LXVI, 12. Hinc LXX. Intt. τιθηνὸν verternnt, & *Jonathan* atque *Jerosol.* פדגוגא *pædagogum.* Onkelos & Vulg malè *nutricem.* Sic & Romani *Gerulos* & *Nutritios* habuerunt, qnemadmodum ostendit *Laur. Pignorius*, in Commentario *de Servis.*

13. *Universo huic populo*] Significanter, nam non deerat prorsus caro, ut antea diximus, sed tantâ copiâ non erat, nt omnibus emenda prostaret.

Quam comedamus] *Et comedemus.*

14. *Non possum ferre universum*] Hoc est, resistere huic toti popnlo in me solum, agmine facto, ruenti, & subinde flagitanti quæ dare nequeo. Sed & quævis administratio Reipublicæ oneri confertur. Similis est phrasis, in aliis Lingnis, nt ostendit *Horatianus* versus de Augusto, Ep. I, 1. Lib. II.

Cùm tot sustineas & tanta negotia solus.

Quàm ut ferre queam] ממני mimmenni, *me.*

15. *Occide me*] *Occide me occidendo.*

Apud se] *In oculis tuis.*

Nec malum meum videam] ברעתי *brabathi.* Ita etiam legnnt Samaritæ, & omnes Intt attamen hîc habet Massora parva: חד מן יח מלין תקון סופרים *una ex octodecim vocibus correctionis Scribarum.* Altera monet legendum ברעתך *malum tuum.* Nimirnm, volunt cùm indecorum esset Mosem dicere Deo, *malum tuum videam*, quasi popnli Hebræi rebellio Deo nocere posset, Scribas ita emendasse, nti nnnc legimus. Videtur quidem inanis esse hæc Massoræ observatio, sed qui usque adeò mirantur Massorethas, nt summæ fidei & acerrimi jndicii Criticos esse putent, non possunt eam rejicere, qnin simnl opinionis suæ fundamenta convellant. Certè Moses timebat ne, vidente ac vivente se, populus Hebræus in deserto periret, atque hoc vocabat *malum suum.*

16. *Quos senes populi*] Nulli erant, eo tempore, præfecti Populo Hebræo, præter Principes Tribnnm de quibus Cap. I. & Chiliarchos, Centuriones, Pentecontarchos, & Decuriones, quos Moses, auctore Jethrone socern, creaverat, nt ipse docet Exod. Cap. XVIII. Videntur hi non fuisse auxilio Mosi, nt popnlnm coër-

tibi inest, iisque adflabo, & ferent tecum onus hujus populi, neque tu solus *ampliùs* feres. 18. Dices quoque populo: purificate vos in crastinum diem, & carnem comedetis; quandoquidem, audiente Jehovâ, flevistis, dicentes, quis nobis carnem comedendam præbebit? nam bene nobis *erat* in Ægypto. Dabit Jehova vobis carnem, quam comedatis. 19. Nec *carnem* comedetis per diem unum, aut duos, aut quinque, aut decem, aut viginti; 20. *sed* usque ad mensem *integrum*, donec vobis è naso exeat, & fastidio sit; quoniam sprevistis Jehovam qui est inter vos, flevistísque coram eo, dicentes: quare sic ex Ægypto egressi sumus? 21. At Moses: sexcentis mil-

in loco accepturi erant spiritum propheticum, quali ipse Moses ornatus fuerat; cujus efficaciâ populum Hebræum ad officium revocaturi ipsi quoque essent, ne Mosi soli ea cura incumberet. 18. Jussus est etiam à Deo edicere universo populo, ut se in sequentem lucem ablutionibus lustraret, carnem enim divinitus missam accepturum, quæ reverenter esset excipienda. 19. 20. Nec eam carnem in pauculos dumtaxat dies, sed & in integrum mensem datum iri, donec eam fastidirent; ut intelligerent quam impiè Mannam, à Deo hactenus tantâ providentiâ demissam, sprevissent. 19. 21. Tum vero Moses, querelis popularium perturbatus, nec satis memor divinæ potentiæ, repo-

coërcerent, quamvis minoris momenti litium Judices essent. Ac sanè in ejusmodi Reipublicæ Hebrææ statu, auctoritas Judicis minorum causarum satis ampla non fuit, ut insanienti populo frænum injicere posset. Itaque Moses extraordinarium auxilium à Deo petit, Deúsque in periculosissima seditione non novos Judices, neque enim Judicum opera hîc indigebat Moses, sed Prophetas septuaginta præter Mosem excitat, quorum auctoritate coërceretur populus. Hi autem Prophetæ eliguntur è numero *senum & præfectorum*, hoc est, eorum Judicum, de quibus diximus. Vide Dissertationem de *Synedrio*, ad calcem Librorum Historicorum.

17. *Descendam*] Videtur nubes supra tabernaculum suspensa fuisse, in sublimi aëre, illicque immota hæsisse, cùm Deus nolebat Israëlitas proficisci, non Tabernaculo ipsi conjuncta fuisse; quo fiebat ut Deus descendere diceretur, cùm nubes ex sublimi aëre ad Tabernaculum ita demittebatur, ut ejus aulæis incumberet, idque impleret. Vide vers. 25.

Partiar spiritum qui tibi inest] אצלתי מן הרוח אשר עליך *seponam è spiritu qui est super te*, hoc est, spiritu prophetico, quo te adflavi, eos etiam adflabo, ita tamen, ut tibi æquiparari non possint. Deus describitur hîc veluti dividens spiritum propheticum, quali Moses adflatus erat, septuaginta viris; non quòd divisio propriè dicta in spiritualia dona cadat; sed ex rebus corporeis ducitur metaphora, quâ id quod dicebamus exprimitur. Ob Linguarum ab hominibus, qui nihil ferè nisi corporea cogitare solent, inventarum & excultarum egestatem, ita passim fieri necesse est. Vide 2. Reg. II, 9.

Iisque adflabo] *Ponam super iis.*

Ferent tecum onus] Non quidem instituto novo Dicasterio, ut vulgò volunt; sed auctoritate majore instructi, seditiones populi posthac erant coërcituri. Eâ ratione, minuebatur onus, quod Mosi incumbebat, qui non modò jus dicere populo necesse habebat; sed & toti Reipublicæ consulere, & furentem aliquando populum in ordinem redigere; qua in re nullum antehac habuerat socium, auctoritate propheticâ ornatum.

18. *Purificate vos*] התקדשו hithkaddeschou, *sanctificate vos.* Vide not. ad Gen. XXXV, 2. Exod. XIX, 10.

Audiente Jehova] *In auribus Jehovæ.*

Nam bene nobis erat] Supplendum, quia carnis illic adfatim habebamus.

19. *Per diem unum*] Ut antea. Vide Exod. XVI, 13.

Duos] Quater repetitur vox *dies*, quod Latinè loquenti necesse non erat.

20. *Vobis è naso exeat*] Proverbialis loquutio, ad significandam ingentem copiam.

21. *Sexcentis millibus peditum*] Præter mulieres Hebræas & puellas ingenuas, puerósque nondum vigesimum annum adsequutos, & decrepitos senes, præter peregrinos, & servos utriusque sexûs; qui omnes si numerentur, trecentas myriadas animarum in castris Israëliticis fuisse intelligemus.

21. *Tu verò dicis &c.*] Vide not. ad vers. 20.

Integrum mensem] *Et comedent mensem dierum.*

22. *An si ovillum*] Si, nempe, omne pecus, quod nobis superest, mactetur, non satis esset carnis, ut per mensem quotidie iis adponi possit. Post sacrificia & Pascha celebratum, tanta copia pecoris non fuit.

Inuenietur quod iis satis sit] ומצא להם *& inveniet illis.* Est verbum activum sine nominativo, quod Latinè commodiùs exprimi non potest, quàm passivo. Alioqui suppleri posset nominativus. Vide ad Gen. XI, 9. & *S. Glassii* collectanea in Gram. Sacr. Tr. IIII. Lib. 3. Can. 23.

Invenire porrò *alicui* interdum significat, quod ei satis esse queat nancisci. Vide Jos. XVII, 16. Jud. XXI, 14.

An si omnes pisces maris] Nempe, Erythræi à quo venerant Israëlitæ, & paucorum dumtaxat dierum itinere aberant, nam de universo mari interno, sine nimia hyberbole, verba Mosis intelligi non possent; cùm multò pluribus hominum myriadibus victum suppeditare queat. Erat quidem sat piscosum mare Erythræum, sed satis amplum non est, ut tantam multitudinem per mensem integram recentibus piscibus alere posset. Erant quidem ad ejus maris littora *Ichthyophagi*, à quibus fortasse pisces siccos Israëlitæ coëmere potuissent; sed non tantâ copiâ, quanta opus habuissent. De iis, eorúmque piscatione, in maris Erythræi littoribus, vide *Diodorum Siculum* Bibl. Lib. III. pag. 152. Ed. Rhodom. multis agentem.

millibus, inquit, peditum constat hic populus inter quem versor ; tu verò dicis, carnem eis dabo, quâ per integrum mensem vescantur? [22] An *si* ovillum, caprinum, bucerúmque pecus iis juguletur, invenietur *quod* iis *satis sit?* an si omnes pisces maris cogantur, in eorum gratiam, invenietur *quod* iis *sufficiat?* [23] Jehova verò Mosi, an manus Jehovæ, inquit, brevior fieri potest? videbis mox an quod dixi eventurum sit, nécne.

[24] Egressus ergo est Moses, populóque retulit verba Jehovæ, & coëgit septuaginta viros, è senibus populi, quos stare jussit circa tentorium *conventûs.* [25] Deinde

posuit, si mactaretur omne pecus, quod omnibus Hebræis supererat, id in unum mensem tanto populo non suffecturum; nec se intelligere, unde Deus vellet à se carnes ei dividi. Ne si omnes quidem pisces maris Erythræi caperentur, atque in castra adferrentur, satis cibi eos suppeditaturos, ut per mensem unum iis ali posset populus Hebræus. [23] At Deus Mosem increpuit, quod ita loqueretur, quasi divinam potentiam exhauriri non posse nesciret; addiditque eventu eum intellecturum, an perfici à se quiret quod pollicebatur.

[24] Tacente Deo, egressus est Moses è Tentorio Conventûs, populumque quæ à Numine acceperat docuit, & septuaginta viros, ex Hebræorum primoribus, nominatim ad Tabernaculum convocatos, circumquaque in Atrio stare jussit. [25] Cùm eum in locum omnes, duobus qui in castris manseraut exceptis, convenissent; nubes, quæ sublimis in aere pendebat, ad Tabernaculum descen-

23. *Brevior fieri potest*] תקצר thiktsor *adbreviabitur.* Ea est sæpe Futuri significatio, apud Hebræos. Vide Job. XL, 20. & seqq. *An trabes* (hoc est, trahere potes) *Leviathanem hamo, & fune linguam ejus perforabis?* hoc est, potes perforare? Nihil frequentius. *Manus* passim divinam potentiam significat; & Latinè loquentes iis dicimus *manus esse longas*, qui multùm possunt:

An nescis longas Regibus esse manus? Sic & Hebræis *manus breves* habere dicitur, qui non multùm potest. Vide Esai. L, 2. LIX, 1.

Quod dixi] דברי dbari, *verbum meum.*

24. *Egressus est*] E Tentorio Conventûs, in quod se contulerat, in Dei, ut ita dicam, sinum querelas effusurus. Nam Deum alloquuturus, illuc ibat Moses. Vide Cap VII, 88.

25. *Descendit Jehova*] Vide dicta ad vers. 17.

Partitus est &c.] Vide ad vers. eumdem.

Septuaginta senes] Numerus hic, potiùs quàm alius, videtur electus, quòd LXX. animæ ex Jacobo ortæ in Ægyptum descendissent. Vide Exod. I, 5. XXIV, 1. 9.

Vaticinati sunt] יתנבאו jithnabbeou. Non videtur ad futura pertinuisse hæc Prophetia; sed à Deo adflati, seditionis sedandæ causâ, videntur populum hortati, ut in officio erga Deum & Mosem maneret. Cùm autem vidit populus homines, ex omnibus Tribubus, adflatos eadem sentire ac Mosem, reverentiùs erga eum se gessit.

Neque tamen perrexerunt] ולא יספו *nec addiderunt.* Sic LXX. Intt. οὐκ ἔτι προσέθεντο. At Vulg. contrario planè sensu, *non cessaverunt.* Sic & *Onkelos* & *Jonathan* ולא פסקין *nequaquam desierunt.* Samariticus Int. ita hanc vocem intellexit, quasi esset pro יאספו jeusephou, vertit enim ולא אכנשו *nec congregati sunt.* Verùm à frequentissima vocis יסף jasaph significatione recedere nihil nos cogit; satis enim fuit viros hosce vaticinari semel, ut fremitus populi coërcerent. Nec certè dici possent vaticinari, *neque desiisse*, nisi perpetuò prophetassent, sine intermissione, quod nullo argumento constat. Ne minima quidem eorum, in sequentibus, occurrit mentio.

26. *Inter conscriptos*] Septuaginta, nimirum, viros.

Non venerant] *Non exierant.*

27. *Curriculo veniens nunciavit*] *Cucurrit, nunciavit.*

28. *Ex electis*] מבחוריו *ex electis ejus.* LXX. Intt. ὁ ἐκλεκτὸς. Vulg. *electus è pluribus.* בחורים *bebhourim* juvenes delecti interdum dicuntur; quod si ita hîc interpreteris, intelligendi erunt satellites qui latus Mosis claudebant, seu ut eum tuerentur, seu ut exsequerentur imperia; quales tamen alibi, excepto uno Josuâ, nulli memorantur. Itaque maluimus intelligere de numero LXX. virorum, qui electi à Mose fuerant.

29. *An mei causâ invidus es*] המקנא אתה לי *an invides mihi?* Sed ל non rarò *in gratiam*, aut *causâ* alius significat. Vide Levit. XIX, 28. & suprà Cap. VI, 7.

Spiritu suo eos adflaret!] *Daret Jehova spiritum suum super eos.*

31. *Coturnices*] שלוים *schalvim.* De hac voce egimus ad Exod. XVI, 13. ubi monuimus virum doctissimum existimare *Locustas* hac dictione significari; quamvis neque Lingua Hebraïca, neque aliæ Orientales conjecturam hanc juvent. Postea animum subiit conjectura, quam obiter aperire nihil vetat, nempe, ex Hebraica voce השלו haschlav, factam videri posse Græcam Ἀττέλαβος, quæ cùm certum Locustarum genus, tum Locustas quaslibet interdum significat, qua de re vide *Sam. Bochartum* Hieroz. Part. 2. Lib. II. c. 4. ש & ת seu S & T. mutari in omnibus pænè linguis omnes norunt. Similiter ו & ב, seu V consonans & B misceri notissimum est. Nihil ergo mirum erit si pro *haschlav*, additâ Græcâ terminatione, dixerint ἀττέλαβος. Novi *Sam. Bochartum* hanc vocem deducere ex ἄττειν *saltare* & ἔλαφος *cervus.* Sed hæc est durior etymologia.

Si intellexerimus hîc *Locustas*, vento eas ferri res est notissima, quamvis disertè non docuisset Moses Exod. X, 12. Si Coturnices, opus quoque fuit vento, quo ad volandum multùm juvantur. *Plinius* Lib. X. c. 23. de Coturnicibus: *austro vehi volunt, propter pondus corporum, viresque parvas.*

Est

de descendit Jehova in nube, eum alloquutus est, partitus est spiritum qui ei inerat, eóque septuaginta senes adflavit. Cùm vero spiritus in iis quievisset, vaticinati sunt, neque *tamen* perrexerunt.
26. Remanserant vero duo viri in castris, (uni nomen erat Eldado, alteri Medado) in quibus spiritus ille quievit, & erant quidem inter conscriptos, sed ad tabernaculum non venerant, atque in castris vaticinabantur.
27. Tum puer curriculo veniens, *hoc* nunciavit Mosi, & dixit: Eldadus & Medadus vaticinantur in castris.
28. Respondit vero Josua, Nunis filius, Mosis administer, *qui erat ex* electis: domine mi Moses, eos prohibe.
29. Ei autem Mo-

descendit, auditáque est ab omnibus vox Mosem compellantis, & subitò spiritus Propheticus, Mosaïco similis, homines invasit. Tum verò vaticinari cœperunt, universúmque populum ad officium revocare; quorum auctoritate ita coërcitus est, ut denuo eos prophetare opus non fuerit. 26. Interea Medadus & Eldadus (hæc sunt nomina duorum virorum, qui ad Tentorium non venerant) spiritu prophetico correpti, nec secus ac alii peccatum populi arguebant. 27. Quod cùm nonnulli vidissent, metuentes nè hi Mosis munus invaderent; illico miserunt puerum, qui Mosem moneret duos illos viros ad Tentoria sua vaticinari. 28. His auditis, Josua Nunis filius, idémque Mosis administer, quamquam inter septuaginta viros electus fuerat, auctor Mosi erat ut eos cohiberet. 29. Moses verò eum vetuit, suâ causâ, propheticum spiritum iis invidere; nam tantùm dixit abesse ut invidere cuiquam propterea posset, ut contrà optaret, si ita Deo videretur, Israelitas omnes Prophetas fieri. 30. Po-

Est vir eruditus in Suecia, *Olavus Rudbekius*, filius, qui in Dissertatione, in qua datâ operâ de hac re agit, שלו *schlav*, piscem alatum esse contendit, ob rationes, quæ apud ipsum leguntur.

A mari] מן הים min hajjam, *à mari*, quod passim etiam occidentem sonat, quia Palæstina ad occidentem habet mare mediterraneum. Ad id mare, circa Rhinocoluram, interdum ingentem copiam Coturnicum capi auctor est *Diodorus Siculus* Lib. I. p. 55. ubi dicit Rhinocoluræ incolas, in sterili solo, Coturnicibus victitasse: Καλάμην, inquit, κείροντες ἐκ τῆς ὁμόρου χώρας, καὶ ταύτην σχίζοντες λίνα παραμήκη κατεσκεύαζον, ταῦτα δὲ παρὰ τὸν αἰγιαλὸν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους ἱστάντες τὰς θήρας τῶν ὀρτύγων ἐποιοῦντο (φέρονται γὰρ αὗται κατ' ἀγέλας μείζους ΕΚ ΤΟΥ ΠΕΛΑΓΟΥΣ) ἃς θηρεύοντες ἤθροιζον πλῆθος ἱκανὸν εἰς διατροφὴν ἑαυτοῖς: *Calamos tondentes è vicina regione, eosque findentes, longa retia confecerunt, atque hæc ad littus per multa stadia extendentes, aucupabantur coturnices (feruntur autem gregatim ex mari) quarum captarum eam copiam colligebant, ut ad alimentum sufficerent.* At *Josephus* Ant. Jud. Lib. III. c. I. vult Coturnices è regione trans Arabicum sinum sita advolasse: ὀρτύγων δὲ πλῆθος, inquit, τρέφει δὲ τοῦτο τὸ ὄρνεον ὡς οὐδὲν ἕτερον ὁ Ἀράβιος κόλπος, ἐφίπταται τὴν μεταξὺ θάλασσαν ὑπερελθόν: *coturnicum copia ingens, (alit hanc avem, ut nihil aliud ampliùs Arabicus sinus) advolat trajecto mari quod medium est.* Ex utrovis loco advolarint Coturnices, rectè dicentur ex occidente advolasse, uterque enim est ad occidentem Arabicarum solitudinum. Scio objici Ps. LXVIII, 26, 27. de quo multa *Sam. Bochartus*, verùm hac de re ad Psalmos videbimus.

Si loco Coturnicum, Locustas advectas esse malis, cum viro eruditissimo, occidentalis etiam ventus ex superiore Ægypto, aut ex Æthiopia facilè Locustas deferre potuit. Vide quæ collegit ad *Hist. Æthiopicæ* Lib. I. c. XCVI. §. 30 & 65. At idem non satis prudentur videtur negare à Coturnicibus maria transiri, cùm constet eas numerari inter aves, quæ migrant, pro variis anni tempestatibus. *Plinius* loco laudato: *Advolant & hæ simili modo* (ac Grues) *non sine periculo navigantium, cùm adpropinquavere terris.* Protulimus etiam *Diodori* verba, qui eas *è mari*, hoc est, ex regionibus transmarinis volatu ferri in Palæstinæ littora observarat. Præterea non difficulter Arabicum sinum volatu trajicere potuerunt, cùm non sit admodum latus.

Eásque sparsit in castra] ישט על המחנה jittosch hal hammahhaneh, *diffudit super castra*, quod posset etiam verti *ad castra*, ut potiùs circa, quàm intra castra decidisse Coturnices intelligantur. Vir eruditus, qui Locustas hîc significari vult, hinc ducit argumentum quo conjecturam suam confirmat. Nimirum, ventus spargere potuit Locustas, instar pluviæ aut arenæ, circa castra; Coturnices verò non potuit, sine miraculo. Agi quidem in eam Arabiæ partem, in qua tendebant Israëlitæ, Coturnices vento potuerunt, sed quid obstitit quominùs avolarent? aut quomodo sunt vento subitò in terram adflictæ? Locustæ verò aliquamdiu vento per aërem delatæ, eo cadente, in terram delabuntur. At defendi etiam vulgaris sententia potest, si meminerimus Coturnices multùm adjuvari vento, & cùm aliquamdiu per aërem vectæ sunt, ob lassitudinem, in terram cadere, præsertim si deficiat ventus. Hinc in migrationibus suis, *iter est his*, ut loquitur *Plinius*, *per hospitia certa.* Mutatione quoque venti, in terram dejici potuerunt. Idem: *Austro non volant, humido scilicet, & graviore vento, aurâ tamen vehi volunt*, &c.

Per iter unius diei &c.] Si hominis expediti iter intelligatur, est triginta millium passuum; sed castris, qualia erant Israëlitica, satis fuit vel tertiam ejus spatii partem, uno die, confecisse. Attamen cùm sine ullo additamento *iter diei* dicitur, videtur iter hominis expediti intelligi, ut fieri solet. Hoc autem posito, non facile est intellectu, unde tanta Coturnicum copia advehi potuerit, ut circa castra amplissima unius diei iter quaquaversùm tegerent. Quo factum ut multi Intt. Coturnices à Deo è nihilo creatas contendant, cùm totius orbis Coturnices hanc in rem vix sufficere videantur. Hîc speciosè suas Locustas in hanc historiam infert vir doctissimus, cùm constet, ut multis exemplis

Moſes, an mei causâ invidus es? utinam populus omnis Jehovæ prophetis conſtaret, eo quod Jehova ſpiritu ſuo eos adflaret! 30. Poſtea Moſes, unà cum ſenibus Iſraëlis, ſe recepit in caſtra.

31. Tum ventus à Jehova profectus abripuit coturnices à mari, eáſque ſparſit in caſtra, circiter per iter *unius* diei hinc, atque iter *unius* diei illinc circa caſtra, circiter duorum cubitorum *altitudine* in terræ ſuperficie. 32. Surrexit autem populus toto illo die, totâ nocte, & toto die ſequente, collegitque coturnices, *tantâ co-*

30. Poſtea ipſe & ſexaginta octo primores populi, qui vaticinati fuerant, in Tentoria ſua redierunt.

31. Sequente luce, vehementi vento ab Occidente ſpirante, ſubvecta eſt tanta Coturnicum copia, ut ſpatia circa caſtra deſerta per iter unius diei texerint, ita ut ad humum vento adflictæ ad duos cubitos variis in locis coacervatæ eſſent. 32. Populus verò Hebræus ad occaſum uſque ſolis & per totam noctem, lucemque ſequentem, iis colligendis occupatus fuit; & tanto quidem numero ſibi quiſque cepit, ut patres familias, qui minimum ſibi collegerant, decem Chomera Coturnicibus à ſe captis

plis oſtendit, ampliſſima terrarum ſpatia à Locuſtis interdum tegi. Itaque nullum fuerit miraculum, niſi quòd certo tempore, vento à Deo excitato, ſint in certum locum devectæ; at præter hæc prodigia, oportuit, ut putat, Coturnices creari, quod Hiſtoria Sacra prorſus tacet, ſi שלו *coturnicem* ſonet.

Samuel verò *Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. I. c. 15. multa Veterum loca adfert, ex quibus liquet Coturnices immani numero volare. Vidimus, ex *Diodoro*, hiſce avibus victitare ſolitos Rhinocoluræ incolas. Conſtat etiam *Chenniis*, hoc eſt, minoribus Coturnicibus, nihil vilius, adeóque majore copiâ in Ægypto fuiſſe; qua de cauſa ſale condiebantur, ut ſervari poſſent. Vide *Sam. Bochartum* aut *Iſaacum Caſaubonum* ad *Athenæi* Lib. IX. c. 11. Hinc ergo potuerunt vehi in deſertam Arabiam. Verùm fatendum faciliùs hæc de Locuſtis intelligi, quàm de Coturnicibus cùm Locuſtarum longè major ſemper ſit numerus.

Circiter duorum cubitorum altitudinem] כאמתים *chеammathajim*. Poteſt hoc, ut rectè obſervat *Bochartus*, trifariam intelligi: 1. ut ſonet Coturnices, in toto illo ſpatio, ita fuiſſe coacervatas, ut ubique ad duos cubitos eminuerint: 2. ut Coturnicum bicubitales acervos ſignificet hinc inde ita fuiſſe diſperſos, ut vacua ſubinde ſpatia remanſerint: 3. ut in ipſo volatu ſignificentur Coturnices ita ſe demiſiſſe, ut à terra non abfuerint pluſquam duobus cubitis. *Bochartus* quidem ſecundam ſententiam aliis præfert, quamvis aliis aliæ videantur veriſimiliores. Sed faciliùs hîc invenias quod objicias Interpretibus, quàm quod in eorum gratiam dicas, quamcunque harum ſententiarum ſequaris. I. Ad primam quod adtinet, præterquàm quòd totius noſtri Hemiſphærii Coturnices vix ſuffeciſſe videntur, ut tantum terrarum ſpatium, tantáque altitudine texerint; non ita coacervantur aves, niſi mortuæ ſint, quod non docet Moſes, nec factum videtur. Scio miraculo omnia fieri poſſe, quæ non repugnant; ſed non licet miracula miraculis tegere, *ne perpluant, ſcilicet*, ut ait ille. De cumulis nihil dicit Moſes, nec Coturnices vivæ ita coacervatæ fuiſſent, cùm ſpatia vacua, quibus terræ inſiſterent, ſupereſſent. II. Certum quidem eſt Coturnices *terreſtres potiùs eſſe, quam ſublimes*, ut loquitur *Plinius*; ſed Moſes ait eas *ſparſas fuiſſe per terram*, & Pſaltes docet Pſ. LXVIII, 27. *Deum depluiſſe iis carnem ut pulverem, & volucres ut arenam marium.* Quæ verba, ut quidem videtur, indicat *Schlavas* humi jacuiſſe, non volitaſſe circa Hebræorum Caſtra. Vide quæ hanc in rem habet *Joan. Ludolfus.*

Contra, ſi *Schlavas* interpretemur Locuſtas, ſeu Attelabos, omnia iis convenient. Solent enim aliis alia ejuſmodi inſecta incumbere, ut exemplis probat vir eruditus Adi & quod protulimus ad Exod. X, 13. Nec eſt quod huic conjecturæ objiciatur, præter conſenſum eorum qui LXX. Intt. ſunt ſequuti; & quòd *caro* dicantur *Schlavæ*, quod vix Locuſtis convenit. Attamen conſenſus ille quaſi unum ſuffragium Judæorum, aliquamdiu poſt reditum è Captivitate viventium, haberi debet. Illi autem Judæi, hoc in negotio, ut in multis aliis, facilè potuerunt falli. Qui eos ſequuti ſunt nihil certius habebant, quod LXX. Intt. ſententiæ præferre poſſent; atque, in re obſcura, maluerunt priores imitari, quàm dubii hærere. *Caro* etiam dicitur piſcium corpus 1. Cor. XV, 39. & ita vocari quoque καταχρηστικῶς potuerunt Locuſtæ; ut Manna *panis* dicta eſt, quamvis multùm diverſa eſſet à pane propriè dicto.

In terræ ſuperficie] *Supra faciem terræ*, hoc eſt, humi.

32. *Surrexit populus*] Per triginta ſex horas colligendis Coturnicibus, aut Locuſtis operam dedit.

Collegit] Hæc vox aptior eſſet, ut obſervavit vir doctus, deſcribendæ collectioni Locuſtarum humi incedentium; quàm venationi avium quæ avolare, populo accedente, potuerunt, niſi novo miraculo adſtrictæ iis eſſent alæ. Attamen poteſt eſſe in ea voce ἄκυρον, quod infinitis locis obſervatur; & aliquis fortè dixerit Coturnices volando defeſſas, & deficiente vento in humum delapſas, vix potuiſſe avolare.

Qui minimum] המעיט *hammit*. Vide Exodi XVI, 17, 18.

Decem Chomera] חמרים *hhomerim*. Quæ menſura & כור *chor* dici ſolet. Ex calculo *Ed. Bernardi* (de Menſ. Vett. Lib. I. §. 51.) complectebatur tritici libras Romanas 648, & paullò ampliùs. Non poterat quidem, in ejuſmodi menſura, tantum pondus Coturnicum contineri, quæ non ita aptè coguntur; ſed tamen ſic quoque ingens eſt menſura, præſertim ſi decies repetatur. Hinc Intt. collegerunt non ſingula capi-

copiâ, *ut* qui minimùm decem Chomera collegerit. Circa castra *eas* sibi expanderunt.

33. Cùm autem caro adhuc esset inter eorum dentes, necdum concisa, ira Jehovæ in populum accensa est, & maximam plagam populo injunxit. 34. Ei loco *propterea* inditum est nomen Kibroth-thaavæ, quòd illic populum *carnem* concupiscentem sepelissent. 35. Kibroth-thaavâ ivit populus Chatserothas, & Chatserothis commoratus est.

XII. Aba-

captis & occisis implere potuerint. Tum eas sale conditas, ut servari possent, circa castra exsiccandas extenderunt.

33. Cùm verò primùm cœpissent Hebræi eâ carne vesci, unáque convivarentur, nec sat grato animo Dei beneficium recolerent; divinæ justitiæ non exiguum ingratorum numerum subitâ nece exstinguere visum est. 34. Hi cùm eodem in loco sepulti fuissent, vocatus est is locus Hebraicâ Linguâ Kibroth-thaava, hoc est, *sepulcra concupiscentiæ*. 35. Ex castris eâ clade funestatis profecti deinde Israëlitæ in Chatserothas se contulerunt, ubi aliquamdiu sunt commorati.

P A-

capita tantam copiam Coturnicum cepisse, sed solos patres familias, cùm minima illa esset copia. Si Coturnices fuerunt, sale condiri eas oportuit, ut servari possent, quemadmodum *Chennia* in Ægypto condiebantur. Idem de Locustis dixeris, quæ etiamnum hodie ab Arabibus saliuntur, atque in multum tempus servantur, ut ex Orientalibus Itinerariis ostendit *Job. Ludolfus*.

Deus promiserat Israëlitis se carnem in mensem daturum, nec modò promissis stetit, sed etiam multò plus quàm promiserat præstitit, cùm modica familia intra triduum tantam copiam Coturnicum aut Locustarum comedere non possit, quanta contineri potest sacco qui 648 libras Romanas tritici capit; quamvis enim animalia illa non possint cogi in arctum, ut triticum, attamen facile est intellectu multò majorem copiam eorum sacco ejusmodi condi posse, quàm ut absumi intra triduum à modica familia possit. Constet familia decem hominibus, quibus singulis sex dentur in diem Coturnices, absumentur tantùm 180 intra triduum. Certum est autem sacco uno Chomerum capiente plures, quàm trecentas Coturnices mortuas, condi posse. Chomerum etiam Locustarum à decem hominibus, intra triduum, comedi posse non videtur. Præterea in animum revocandum, hanc minimam fuisse *Schlavarum*, quæ à patre familias collecta fuerit, copiam; neque omnes æquè esse edaces.

Sam. Bochartus, postquàm observavit patres familias duntaxat Coturnices collegisse, ne hoc quidem satis esse ratus, ut credibile fieret miraculum, duo præterea molitur. Primùm, חמרים *chomerim* mavult vertere *acervos*, cum *Onkeloso* & Intt. Arabibus. Deinde denarium numerum pro indefinito sumendum censet, adeò ut *decem acervi* sint multi. Sed quamvis חמר *acervum* & עשרה *decem* incertum numerum aliquando sonent; hoc in loco manifestum est, ut observavit *Job. Ludolfus*, certam mensuram, & certum numerum intelligi. Moses enim ostendere vult immanem fuisse *Schluvurum* copiam, quod non posset intelligi, si dicat qui minimùm collegerat eum collegisse plures acervos; nisi acervorum magnitudinem descripsisset, & nisi acervi omnes circiter similes fuissent. Itaque credibilius est seu Coturnices, seu Locustas verè Chomero, seu Coro fuisse demensos Israëlitas.

Circa castra eas sibi expanderunt] וישטחו להם שטוח *vajjischtechhou lahem schatoahh*, expanderunt sibi expandendo. LXX. Intt. ἔψυξαν ἑαυτοῖς ψυγμούς, ut Vulg. *siccarunt eas*, nimirum, sale conditas. Nam ψύχειν est hîc *siccare*, non *refrigerare*, ut malè vertit *Nobilius*, quod virum eruditum fefellit. Constat etiamnum hodie Locustas ab Arabibus, soli ferventi exponi, deinde edi, ut ostendit *Ludolfus*. An idem fieri soleret, in Chenniis Ægyptiacis, ignoro. Fortè postquàm in sale aliquamdiu fuerant, ita exsiccabantur. Digna est quæ referatur à nobis ταριχεία Ichthyophagorum ex *Diodoro*, cùm quod in piscibus illi factitabant, fortè in avibus fecerint Hebræi. Sic ergo ille Bibl. Lib. III. p. 153. ἐπειδὰν ἀθροίσωσι ἰχθύων παντοδαπῶν πλῆθος, μεταφέρουσι τοὺς ληφθέντας, καὶ πάντας ὀπτῶσιν ἐπὶ τῶν πετρῶν ἐγκεκλιμένων πρὸς μεσημβρίαν· διαπύρων δ' ὄντων διὰ τὴν τοῦ καύματος ὑπερβολήν, βραχὺν ἐάσαντες χρόνον, στρέφουσι, κἄπειτα τῆς οὐρᾶς λαμβανόμενοι, σείουσι τὸν ὅλον ὄγκον· αἱ μὲν οὖν σάρκες θρυπτόμεναι διὰ τὴν θερμασίαν ἀποπίπτουσι: *postquàm omnis generis piscium copiam collegerunt, captos transferunt, & omnes torrent in rupibus ad meridiem conversis. Cùm autem calidissimæ sint, ob summum æstum, postquàm per breve tempus siverunt, vertunt, deinde caudam adprehendentes totum corpus concutiunt, & carnes calore mollitæ decidunt.* Paullò post: μετὰ δὲ ταῦτα, τὰς μὲν σάρκας ἐπί τινας λεωπετρίας κατατιθέμενοι πατοῦσιν ἐπιμελῶς ἐφ' ἱκανὸν χρόνον, καὶ καταμίσγουσι τὸν τοῦ παλιούρου καρπόν. τούτου δὲ συναναχρωσθέντος τὸ πᾶν γίνεται χρῶμα κολλῶδες — τὸ δὲ τελευταῖον τὸ καλῶς πατηθὲν εἰς πλινθίδας ἐπιμήκεις τυπώσαντες, τιθέασιν εἰς τὸν ἥλιον· ἃς συμμέτρως ξηρανθείσας καθίσαντες κατευωχοῦνται: *postea carnes in quibusdam lævibus petris depositas calcant diligenter, per sat longum tempus, & admiscent fructum paliuri. Hoc autem unum colorem induente, totum fit coloris glutinis — Tandem quod probè calcatum est, in lateres longos fictum soli exponunt, quos modicè siccatos sedentes comedunt.* Samaritæ legunt hîc וישחטו להם שחוטה & *mactarunt sibi mactationem*, sed videtur esse emendatio, cùm quid sibi vellet hîc *extensio* non intelligerent.

Jam adductis rationibus, quibus vulgata opinio defendi solet, iisque quæ favere videntur conjicienti Locustas esse intelligendas, judicium esset ferendum. Verùm, ut quod sentio profitear, nondum mihi satis liquet; quamvis enim vir doctissimus ea objiciat receptæ sententiæ, quæ vix satis solvi possunt, attamen mirum videtur, cùm alibi sæpe Locustarum fiat

 men-

XII. *Aharon & Maria in Moſem inſurgentes à Deo caſtigantur, & Maria quidem leprâ pœnas luit, quæ tamen curatur.*

CAPUT XII. 1. IN Moſem etiam Mirjama & Aharon loquuti ſunt, ob Chuſitidem uxorem quam duxerat, nam duxerat Chuſitidem uxorem, 2. dixeruntque: an per Moſem dumtaxat loquutus eſt Jehova? annon etiam per nos loquutus eſt? At-

PARAPHRASIS.

1. QUAMVIS Deus Moſis auctoritatem, cùm recenti prodigio, tum portentis aliis confirmaſſet; attamen ob Tſipphoram Madianitidem, quam Moſes in exſilio, ut antea narravimus, uxorem duxerat, ortâ coutentiune inter eum, Aharonémque fratrem & Mirjamam ſororem; hi fratris auctoritatem auſi ſunt minuere, & dictitare Deum, non per Moſem tantùm, ſed etiam ſuo miniſterio populum Hebræum eſſe alloquutum. Quod peccatum eu graviùs Deum uffendit, 2. quòd Mo-

mentio, nomen *Schlavæ* nuſquam adhiberi, niſi in bac hiſtoria. Præterea tametſi traditio Judæorum, aliquamdiu poſt Captivitatis ſolutionem viventium, non eſt erroris periculo exemta; gravis eſt ponderis, circa hanc celeberrimi miraculi circumſtantiam. Itaque cognitione ampliore res indiget, atque iterum, ad me quidem quod adtinet, profiteor NON LIQUERE.

33 *Cùm autem caro adhuc eſſet*] Cùm primùm *Schlavis* epularentur, indignari cœpit Deus, ſeu eorum fremitus plectere, poſtquàm oſtendiſſet ſe potuiſſe iis victum alium, præter Mannam, ſuppeditare.

Ira Jehovæ in populum incenſa eſt] Videtur Deus voluiſſe quidem populo Hebræo hoc ſpecimen potentiæ ſuæ edere; ſed cùm poſt iterata murmura, quibus tamen Deus cibum conceſſerat, gratia, ut par erat, non haberetur, pœnas meritò ei dederunt.

Maximam plagam injunxit] Quæ fuerit, tacente Moſe, nemo certò judicarit. *Sam. Bochartus* exiſtimat ignem intelligi de quo verſ. 3. atque, tribus primis Capitis commatibus, ſibi videri breviter & per συλλήβδην narrari, quæ poſtea uberiùs reliquo Capite explicantur. Non negarim aliquando Moſem ita res narrare, ut priùs ſummatim dicat quod poſtea particulatim perſequitur. Vide not. ad Gen. I, 1. Verùm ſi hîc ita ſe geſſiſſet Moſes, dixiſſet verſ. 3. *plagam* Iſraëli inflictam; deinde, ſub finem Capitis, expoſuiſſet clariùs & copioſiùs quæ tandem ea fuiſſet plaga. Itaque malim dicere duplices fuiſſe fremitus, & duplicem plagam, quamvis qualis poſterior fuerit ignoremus.

34. *Inditum eſt nomen*] ויקרא *vocavit.* Vide not. ad Geneſ. XI, 11.

Kibroth-thaava] *Sepulcra concupiſcentiæ.*

COMMENTARIUS

In CAPUT XII.

1. OB *Chuſitidem*] Hoc eſt, Madianitidem. Vide not. ad Gen. X, 6. & Exod. II. verſ. 21. Αἰθιόπισσαν malè verterunt LXX. Intt. & Vulg. *Æthiopiſſam.* Onkelos שפירתא *pulcram*, neſcio quare. Oportet hanc mulierem offendiſſe viri propinquos, qui propterea tanto Prophetæ indignabantur.

2. *An per Moſem dumtaxat*] Se, nimirum, Moſi æquiparabant, quòd aliquando Dei interpretes fuiſſent. *Mirjama*, aut *Maria* Prophetis vocatur Exod. XV, 20.

3. *Moſes autem vir erat*] *Et vir ille Moſes manſuetus valde, præ omni homine* &c. Eo pejor erat fratris & ſororis invidia, quâ virorum mitiſſimum ac modeſtiſſimum impetebant. Hæc invidia à Moſe hoc ſui encomium extorſiſſe videtur, quod alioqui prætermiſſurus erat. Nec hîc locus propterea ab alia manu eſſe cenſendus eſt. Alius ſcriptor Hebræus, *Joſephus*, nimirum, in ſua ipſius vita, æmulorum invidiâ coactus ſe ipſe etiam laudat.

3. *Exite vos tres*] Ex tabernaculis veſtris, ut veniatis ad Tentorium Conventûs.

5. *Deſcendit Jehova*] Vide not. ad Cap. XI, verſ. 17.

Qui ambo egreſſi erant] ויצאו *& egreſſi ſunt*, aut potiùs *erant.* Vulg. *qui cùm iſſent.*

6. *Si ſit vobis Propheta*] *Propheta veſter.*

Per viſionem] Aut diurnam, aut nocturnam, quâ homo in ἐκστάσει raptus ea videt quæ nuſquam ſunt, neque eſt ſui compos. Ejuſmodi fuit *viſio* Abrahami Gen. XV, 1, 12. Jacobi XLVI, 2. & ceterorum Prophetarum viſiones, quas in V. T. legimus. Nuſquam autem legimus Moſem, aut dormientem, aut vigilantem in ecſtaſin raptum fuiſſe; eum vigilantem, ac ſui compotem ſemper alloquitur Deus.

Innoteſcere — ſoleo] אתודע *innoteſcam.* Sed Futurum conſuetudinem ſæpe ſignificat, atque ita oportere hoc in loco intelligi, liquet ex eo quòd, ante Moſem, fuiſſent inter Hebræos Prophetæ, quales hîc deſcribuntur, ut Abrahamus, Iſaacus & Jacobus, quibus Deus per *viſiones* voluntatem ſuam ſæpe aperuerat. Vide & verſ. 8.

Per ſomnium] Qualia erant ſomnia Joſephi Gen. XXXVII. & variorum poſtea Prophetarum. De hiſce ſomniis egimus ad Gen. XII, 7.

Alloqui conſuevi] אדבר בו adabber bo, *loquar in eo.* בו hîc eſt ἀντὶ τοῦ לו *lo* ei. Vide Deut. XV, 2. Eccleſ. II. 24. 1 Sam. XII, 3. & infrà verſ. 8.

7. *Fidelis eſt in tota mea domo*] Hoc eſt, quaſi ſervo omnium fideliſſimo, commiſi ei omnem meam domum, id eſt, populum meum, ejúſque Reipublicæ univerſam adminiſtrationem, cum ampliſſima poteſtate; cùm ceteris Prophetis pauca quædam, eáque ſingularia committan-

Atque *hæc* audivit Jehova. 3. Moses autem vir erat omnium hominum, qui erant
in terris, mansuetissimus.

4. Illico verò dixit Jehova Mosi, Aharoni & Mirjamæ: exite vos tres, ad ten-
torium conventûs. Tres illi egressi sunt, 5. & descendit Jehova in columna nu-
bis, stetit ad ostium tentorii, vocavitque Aharonem & Mirjamam, qui ante egressi
erant. 6. *Deus* verò, audite, inquit, verba mea: si sit vobis propheta Jehovæ,
ego ei per visionem innotescere, per somnium eum alloqui consuevi. 7. Non ita
est

Moses mansuetissimi esset ingenii, nec potestate sua umquam abusus.

4. Repente verò audita est divina vox, quâ se ad Tentorium Conventûs, unà cum Mose, sistere jussi sunt. Ergò è tabernaculo, in quo erant, egressi Dei imperio paruerunt, & cùm ad Tentorium Conventûs venissent, viderunt nubem se ad id demittentem; vocémque Dei Aharonem & Mirjamam nominatim adpellantis 6. & aures præbere dictis suis jubentis audiverunt; atque, alios omnes Prophetas, ait Deus, in ecstasin raptos aut in somnis alloquutus sum; non eo tempore aut modo quo illi optare poterant, sed prout mihi visum est. 7. Non ita alloquor Mosem, servum omnium lon-

tantur. Sic & Jesus Christus Christianæ Ecclesiæ præfectus est, sed cum multò majore potestate. Heb. III, 2.

8. *Ore ad os verso*] Hoc est, ita ut alloquenti respondeam illico clarâ voce, ut solet homo præsens præsenti respondere. Quod non faciebat Deus, in gratiam aliorum Prophetarum, quibus neque vocibus respondebat, neque quotiescumque volebant. Hoc unum hac phrasi significatur. Sic Joan. 2. Ep. v. 13. *Spero me venturum ad vos* καὶ στόμα πρὸς στόμα λαλῆσαι, hoc est, præsentem præsentes alloquuturum, seu phrasi Ovidianâ, fore ut possim *mutuas audire & reddere voces*. Hinc Onkelos ממלל עם ממלל *verbo cum verbo*. Scio *Maimonidem* in Lib. de Fundamentis Legis Cap. VII. alia in hac loquutione quærere; at nec Propheta fuit, nec filius Prophetæ, adeóque rationibus Grammaticis destitutus non est dignus qui audiatur.

Coram] ומראה *oumareh*, & visione LXX. Intt. verterunt ἐν εἴδει, quod idem ac ὄψει. Vide 2. Cor. V, 7. Vulgatus *palam*. Sed adparet ex iis quæ diximus hac voce idem significari ac *facie ad faciem*, quasi Moses Deum loquentem videret, de qua loquutione vide not. ad Gen. XXXII, 30. Exod. XXXIII, 11. Hîc exemplum habemus ambiguitatis Hebraicæ Linguæ, nam versu 7. negat Deus se alloqui Mosem במראה *bmareh*, hîc verò se eum alloqui ait מראה *mareh*, ubi debet subaudiri ב, quod legunt Samaritæ. Lege not. ad Exod. XXXIV, 18.

Non solet me cernere] *Non cernet*, ut est antea *alloqui soleo*, pro *alloquar*.

In ænigmatibus] בחידות *bbhidoth*. LXX. δι' αἰνιγμάτων Vulg. *per ænigmata*. *Cernere Deum in ænigmatibus* est ejus voluntatem obscurè, & per somnia, aut symbola intellectu difficilia cognoscere; nam alioqui Moses ipsum Deum non videbat, propriè loquendo, magis quàm alii Prophetæ. Sic Joan. I, 18. *Nemo vidit Deum*, est perinde ac, *nemo Dei voluntatem plenè ante Christum novit*. Ad quem locum vide *H. Grotium*. Ita hanc phrasin à Paulo intellectam fuisse liquet ex 1 Cor. XIII, 12. ubi postquàm dixit nos *ex parte cognoscere*, subjicit *nos nunc videre* (id est, cognoscere) *per speculum*, *in ænigmate*; *tunc verò* (in altera vita) *facie ad faciem*, nempe, Deum visuros. *Nunc*, ait, *cognosco ex parte*, *tunc verò cognoscam ut ipse cognitus sum*. Nemo enim non videt Paulum ad hunc Mosis locum adludere. Porrò חידות *ænigmata* erant visiones Abrahami Gen. XV, 17. & Jacobi Gen. XXVIII, 12. aliæque similes plurimæ, quales, ut diximus, nullas habuit Moses.

Et figura Jehovæ] ותמונת *thmounath Jehovah*. Cùm *Deus* hîc sumatur non pro ipsa Dei natura, sed pro ejus voluntate, *videre figuram Jehovæ*, dicitur is qui ejus voluntatem ex emblemate quodam conjicit, non ipsam prolatam à Deo intelligit. Sic qui videt quempiam *in speculo*, figuram ejus videt, non ipsum; quo factum ut Paulus hoc Græcè expressurus dixerit nos nunc videre ἐν ἐσόπτρῳ. Rectè Vulgatus hîc, *non per ænigmata & figuras Dominum contemplatur*. LXX. Intt. δόξαν κυρίου εἶδε, quoneque verba, neque sensum expresserunt.

Novi plures Intt. hæc verba ita vertere: *ore ad os alloquar eum & per adspectum, non verò per ænigmata; & similitudinem Jehovæ videt*. Sed coacta est ea interpretatio, cùm *similitudinem Dei* vidisse dici nullo sensu possit. Non accepit adumbrationem divinæ voluntatis, sed ipsam divinam voluntatem audiit. Non vidit etiam *similitudinem* ullam naturæ divinæ, ut ipse testatur Deut. IV, 15. Itaque præstat vertere, ita ut negatio referatur tam ad *figuram*, quàm ad *ænigmata*, & sit oppositio cùm inter *ore ad os* & *ænigmata*; tum etiam inter *coram* & *similitudinem*. Audacter & durè, ut solet, *Fr. Junius*: *In os alloquor eum, adeò ut speciem similitudinémque Jehovæ intueatur, ac non per ænigmata*.

תמונה, ubi de Deo sermo est, occurrit & ad calcem Psalmi XVII. Sed locus est obscurus, de quo aliàs viderimus. Hîc usitatissimâ significatione *imagines*, vel *figuras* intelleximus. Fallitur *Hug. Grotius*, qui ad 1 Cor. XII, 12. existimat vocem hanc expressam à Paulo voce εἶδος 2. ad Cor. V, 7. cùm εἶδος sit מראה, ut vidimus. Figura autem, seu simulacrum opponitur ipsi rei, ut in hisce Ovidianis, Lib. II. Ep. ex Ponto, Ep. VIII, 57.

Felices illi qui non simulacra *sed* ipsos,
Quique Deûm coram corpora vera vident!
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars votis, effigiémque colo.
Sic homines novere Deos, quos arduus æther
Occulit, & colitur, pro Jove, forma *Jovis.*

Quare ergo] ומדוע *& quare*.

10. *Cùm nubes* &c.] *Et nubes recessit* &c.

In-

est servus meus Moses, is fidelis est, in tota domo mea. 8. Ore ad os *verso*, eum alloqui soleo, & coram; non solet me cernere, in ænigmatibus & figura Jehovæ. Quare ergo non veriti estis loqui contra servum meum, contra Mosem?
9. Accensa itaque est in eos Jehovæ ira, & abiit.

10. Cùm autem nubes à tentorio abscessisset, ecce verò Mirjama leprosa erat, instar nivis; inspexit eam Aharon, atque ecce leprosa erat. 11. Tum Aharon Mosi, adtende, inquit, domine mi, ne quæso peccatum *hoc* nobis imputes, quo stultè egimus, atque *in* te deliquimus. 12. Ne sit, quæso, *soror* instar mortui *fœtûs*, cujus cùm egreditur utero matris suæ, dimidia pars carnis absumta est. 13. Imploravit verò Moses Jehovam, his verbis: ô Deus, eam, quæso, sanato. 14. Dixit verò Jehova Mosi: si pater ejus vultum conspuisset, annon per septem dies eam puderet? Excludatur ergo septem diebus à castris, & postea *in tentorium* se recipiet. Populus autem non discessit, donec se recepisset Mirjama.

XIII. Mit-

longè fidelissimum, & cui proinde totius Reipublicæ populi mei administrationem commisi. 8. Cum eo, quasi cum amico colloquor, quoties & quemadmodum vult; nec ei symbolica visa, ænigmaticasque imagines objicio, ex quibus quæ sit voluntas mea colligat, sed apertè dico quod scire cupit. Quod cùm ita sit, nec simili beneficio vos, aut alium, præter Mosem, ornarim, quæ est vestra audacia, qui ei maledicâ linguâ detrahere ausi sitis? 9. Hæc ubi dicta dedisset, nubes iterum sublimiùs evecta est, & brevi divinæ justitiæ meritò pœnas se luere senserunt.

10. Vix enim evecta fuerat nubes, cùm ecce Mirjama leprâ laborare cœpit, ut ex insitato & subito candore cutis ejus cùm ipsa, tum Aharon animadvertit. 11. Hic verò territus à fratre veniam delicti supplex petere, stultitiam suam & sororis fateri, 12. oraréque fratrem à Deo peteret curationem tam fœdi morbi, quo soror alterâ sui parte colore cadaver referre cœperat. 13. E vestigio Moses, sororis misertus, curationem ejus à Deo precibus petiit. 14. At respondit Deus, si pater Mirjamæ in vivis esset, ejúsque vultum graviter iratus conspuisset; eam per septem minimùm dies, in ejus conspectum venire non ausuram. Itaque per septem dies eam extra castra esse oportere, quibus exactis, in Tentorium sanata esset reditura. Deo obsequutus est Aharon, sororémque è castris illico educi curavit. Verùm hoc ejus & fratrum honori datum à Deo, ut ne discessûs interea signum dederit; adeóque Hebræi, donec redux esset, eodem in loco castra habuerint.

P A-

Instar nivis] Candebat corpus ejus leprâ. Vide not. ad Exod. IV, 6.

11. *Adtende, domine mi*] בי ארני *bi adoni.* Vide not. ad Gen. XLIII, 20.

Peccatum hoc nobis imputes] *Ponas supra nos peccatum*, hoc est, peccatum hoc nobis imputes, ejusque pœnas repetas.

12. *Instar mortui*] Quòd partes corporis leprâ adfectæ vivido colore sanæ carnis essent destitutæ. Vide Diss. *de Lepra.*

13. *Imploravit*] *Clamavit ad.*

14. *Vultum conspuisset*] *Spuendo spuisset faciem ejus*; iratus, nimirum, filiæ gravi quapiam de causâ. Hoc enim iræ & contemtûs indicium fuit. Job. XXX, 10. Esai. L, 6.

Septem diebus] Hoc est, minimùm per hebdomadem unam, in conspectum patris venire non sustineret.

Excludatur] Quo tempore solebant domo suâ claudi, quos nondum constabat esse leprosos, sed quos eo morbo adfectos esse suspicabantur.

In tentorium se recipiet] תאסף theaseph, *colligetur.*

XIII. Mittuntur speculatores duodecim in Chananæam, qui eâ lustratâ redeunt, fertilissimam esse confirmant, fructusque ejus ostendunt; sed à bellicosis gentibus, & munitas urbes tenentibus eam incoli cùm dixissent decem speculatores, popularium animis metum & ejus potiundæ desperationem injiciunt.

1. POstea Chatserothis profectus est populus, atque in Pharanis deserto ca- Caput
stra posuit. 2. *Hîc* alloquutus est Jehova Mosem, his verbis: 3. mitte XIII.
viros, qui explorent terram Chananæam, quâ ego Israëlitas dono Sin-
gulos viros ex singulis tribubus patrum eorum mittetis, *eruntque* inter eos princi-
pes quique *Israëlis*.
4. Misit ergo eos Moses, jubente Deo, ex deserto Pharanis; omnes viri erant
ex

PARAPHRASIS.

1. CUm Mirjama curata esset, atque in castra
rediisset populus discedendi è Chatserothis
signum accepit, atque interiora Pharanici deserti
ingressus est. Hoc in loco, cùm non procul es-
sent Chananææ fines, quos brevi ingressuri vide-
bantur Hebræi, existimarunt mittendos à se ho-

mines qui regionem specularentur & quà magis
pateret renunciarent; 2. quod nec Deus vetuit,
sed jussit duodecim viros ex primoribus populi,
singulos ex unaquaque Tribu, eam in rem eligi.
4. E principibus igitur populi duodecim viros
elegit Moses, 5. quorum hæc sunt nomina: Sam-
mu-

COMMENTARIUS

In Caput XIII.

1. IN *Pharanis deserto*] Vide not. ad Cap. X, 12. Adsuunt Samaritæ huic versui verba quæ leguntur Deut. I, 20, 21, 22.

2. *Alloquutus est*] Non opus erat mitti exploratores, si Dei promissis, pront par erat, credidissent Israëlitæ; nec sanè Dei impulsu hoc factum est, sed cùm pervicax populus explorandam priùs regionem esse censuitset, & Mosi suum hoc consilium aperuisset; rem non tam probavit, quàm permisit Deus, ut liquet ex hujus historiæ narratione, quæ habetur Deut. I, 19. & seqq. Hinc discere est quàm tutò ex epitome Historiæ, quam temerè summâ ἀκριβείας scriptam adsumitur, consectaria ducere queat diligens Interpres.

3. *Mitte*] Additur לך *tibi*, noto Hebraïsmo.

Qui explorent] *Et explorent.*

Singulos viros ex singulis &c.] *Virum unum, virum unum Tribui patrum eorum.* Pro תשלחו *mittetis*, legunt Samaritæ תשלח *mittes*, ut ad Mosem referatur. LXX. ἀποστελεῖς.

4. *Jubente Deo*] *Ad os Jehovæ.*

12. *Ex tribu Josephi*] Mirum hoc addi, cùm Manassæ tribui non magis conveniat nomen Tribûs Josephi, quam Tribui Ephraïmi, qui Josephi filius etiam fuit, & quidem primogeniti jure donatus Gen. XLVIII, 19. Videtur tamen hoc in loco ratio habita esse nascendi ordinis, & *Josephi* nomen posteris primogeniti tributum; quamvis Ephraïmi posteri alibi etiam *Josephi* nomine describantur. Vide Ezek. XXVII, 16, 19. Sic quamvis in Judæ Tribum translata esset primogeniti dignitas; attamen, in recensione Tribuum, sæpe *Rubenitæ* primi adpellantur. Vide Cap. I, 5, 20. & hujus Cap. vers. 5.

17. *Josuam vocaverat*] Quo tempore hoc sit factum, nusquam docet Moses. Vocatur Nunis filius, hoc nomine Exod. XVII, 9. ubi sermo est de rebus gestis ante Legem latam. Vocat etiam eum *Hoseam* Moses, paullò ante mortem Deut. XXXII, 44. Sic *Jacobus* non ita dictus est *Israël*, ut prioris nominis exolesceret memoria, sed utroque adpellatus est. Cùm mutatio nominis fieret honoris causâ, ut liquet ex Genes. Capp. XVII, 5, 15. XXXII, 28. crediderim additum י nomini *Hoseæ*, quòd cùm הושע significet *serva*, in Imperativo, יהושע sonet *servabit*, in Futuro; adeò ut voluerit innuere Moses non immeritò vocatum hunc esse à parentibus nomine quod sonat *serva*, quandoquidem reverâ populum *servaturus* erat, consilio & prudentiâ. Hîc postea, mutatâ inflexione, dictus est ישוע Nehem. VIII, vers. 17. unde pronunciatione eo ævo receptâ, à LXX. Int. Ἰησοῦς vocatur, qui dici debuisset, pro veteri scribendi ratione, Ἰωσύας. Sed mirum est perpetuò ab iis nomen patris exprimi Ναυὴ, non verò Ναῦν aut Νῦν. Multa sunt in versione LXX. Int. quorum rationem reddere non facile est.

18. *In Meridiem*] Non ratione Castrorum, quorum septemtrionale latus ad Palæstinam erat conversum; sed ipsius Palæstinæ, cujus pars australis solebat vocari נגב *negeb*, seu Meridies. Vide Gen. XIII, 1. & quæ ad eum locum adnotavimus.

20. *An in castris*] Qualia erant castra Arabum Scenitarum, & eo tempore Hebræorum.

21. *Estote animo forti*] התחזקתם hithhazzakthem, *corroborate vos.*

Primitiarum uvarum] Quo uvæ primùm maturescunt, quod in calidiore cœlo fit mense Julio. Hoc observatur ob sequentia.

22. *Adscenderunt*] Samaritæ habent: וילכו ויבאו *& iverunt & venerunt.*

A deserto Tsinis] Hæc fortè pars fuit deserti *Pharan.* Vide infra Cap. XXXIV, 3, 4.

ex Israëlitarum principibus. 5. Hæc autem sunt eorum nomina, ex tribu Rubenis, Sammua, Zacchuris filius; 6. ex tribu Simehonis, Saphat, filius Choris; 7. ex tribu Judæ, Chaleb, filius Jephunnæ; 8. ex tribu Issascharis, Jigal, Josephi filius; 9. ex tribu Ephraimi, Hosca, Nunis filius; 10. ex tribu Benjaminis, Phalti, Raphui filius; 11. ex tribu Zabulonis, Gadiel, Sodis filius; 12. ex tribu Josephi, pro tribu Manassæ, Gaddi, Susis filius; 13. ex tribu Danis, Hammiel, Gemallis filius; 14. ex tribu Aseris, Sethur, Michaëlis filius; 15. ex tribu Nephthalis, Nachbi, Vophsis filius; 16. ex tribu Gadis, Geuël, Machis filius. 17. Hæc sunt nomina eorum, quos misit Moses ad explorandam eam terram; & Hoseam quidem, Nunis filium, Josuam vocaverat.

18. Hos itaque misit Moses, ad explorandam terram Chananæam, iisque dixit: ad-

mua Rubenita, Zacchuris Filius; 6. Saphatus Simehonita, Choris F. 7. Chalebus è Tribu Judæ, Jephunnæ F. 8. Jigal Issascharita, Josephi F. 9. Hosea, qui & Josua, Ephraimita, Nunis F. 10. Phaltis Benjaminita, Raphuis F. 11. Gadiel Zabulonita, Sodis F. 12. Gaddis Manassita, Susis F. 13. Hammiel Danita, Gemallis F. 14. Sethur Aserita, Michaelis F. 15. Nachbis Nephthalita, Vophsis F. 16. Geuel Gadita, Machis F. 17. Hos Chanahanitidem exploraturos misit Moses, inter quos qui *Hosea* dictus est, ex Ephraimitica Tribu, idem est quem, ominis causâ, *Josuam*, hoc est, *servaturum* vocavit Moses.

18. Idem eos jussit Chananæam ingredi, per tractum meridianum, qui non procul erat à castris, & adscendere quidem in montes vicinos. 19. 20. 21. In mandatis etiam acceperunt exploratores, speculari cùm ipsum solum, tum etiam ejus incolas; ut reduces docerent populum Hebræum, quæ essent Chananæorum vires, quæ eorum urbes, munitæne essent, an secus: an intra mœnia viverent, vel Scenitarum more per agros vagarentur; an fertile esset solum, aut sterile, an silvis, frugiferisque arboribus consitum, vel iis destitu-

Rechobum] רחוב *rhbob* urbs fuit non procul Sidone, adeóque ita ad Septemtrionem Chananææ, ut simul ad ejus Occidentem esset. Ea forte Aseriticæ Tribui obtigit Jos. XIX, 28. Jud. I, 31. Nominis adfinitate deceptus est *Hieronymus*, qui credidit esse vicum *Roaba*, *quarto lapide Scythopoleos*.

Chamatham] Vide not. ad Gen. X, 18. & infrà Cap. XXXIV, 8.

23. *Meridiem*] Vide ad vers. 18.

Chebronem] Vide not. ad Gen. XIII, 18.

Hanakæi] ילידי הענק *Jelide hhanak*. Cùm *filii* aut *nati*, apud Hebræos, non dicantur ii duntaxat qui ita propriè vocantur, sed posteri quivis; alii Int. hos *filios*, alii remotiorem stirpem Hanaki fuisse volunt. LXX. Intt. posterius sequuti sunt, cùm habeent γενεαὶ Ἐνάχ, prius *Hieronymus*, qui vertit *filii Enac*. Constare nonnulli volunt Hanakum fuisse filium *Arbæ* ex Jos. XV, 13. unde Chebron antea dicta fuerat *Urbs Arbæ* קרית ארבע Gen. XXIII, 2. Sed אבי הענק *abi habanak*, apud Josuam, verti debet *pater Hanacæi*, hoc est, fortè familiæ quæ dicebatur ענק, ut adparet ex ה emphatico, quod hîc etiam legitur, & quod nominibus propriis singulorum non præfigitur. Fortè *filius Hanak* Hebraïsmus est, ut *filius roboris* pro strenuo, aliáque similia, de quibus *Sal. Glassius* in Gramm. Tract. 1. §. 36. atque ענק non tam familiam, quàm certum vivendi genus sonat; ut Arba dicatur *pater Hanak*, quòd primus id vitæ institutum sequutus sit. Vide not. ad Gen. IV, 20, 21. & not. ad vers. hujus Cap. 34. sed quid sit ענק, dicere non est facile. Cùm significet radix, apud Hebræos & Arabas, *complecti collum*, aut *manibus collo injectis ad se trahere*, ענק *luctam* fortè sonabat; cujus studiosi erant præsertim grandioris staturæ homines, quales hi erant, de quibus Moses. Sic Hercules *Phœnix*, hoc est, si *Sam. Bocharto* credimus (quem adi Chanahanis Lib. I. c. 1.) בן ענק *filius hanak*, magnus luctator fuit, & Antæum eâ arte vicit. Sic & apud Græcos τραχηλίζειν vox est palæstrica. Fortè etiam ענק *procerum staturam* significat, cùm radix apud Arabas dicatur interdum de rebus quæ *eminent*, ceterisque longiores sunt. Verùm in re tam obscura, præstat ἐπέχειν; qua de causa, *Hanakæum* vertimus.

Ante Ægyptiacam Tanin] צען מצרים *tsohan mitsrajim*. Israëlitæ vixerant in regno Tanitico, ideóque de urbe nota, & apud Israëlitas celebri, hoc observari à Mose mirum non est. Vide not. in Gen. XLV, 10. Præterea obiter retundit Ægyptiorum superbiam, qui se primos mortalium, suásque proinde urbes omnium antiquissimas esse jactabant, Ezek. Cap. XXIX, 3. Regem Ægypti ideò dicentem inducit, *ego feci me*. *Diodorus Siculus* Lib. I. Bibl. p. 9. Φασὶ τοίνυν Αἰγύπτιοι κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων γένεσιν πρώτους ἀνθρώπους γενέσθαι κατὰ τὴν Αἴγυπτον: *aiunt ergo Ægyptii, sub primum rerum omnium ortum, primos homines fuisse in Ægypto*. Vide & *Justinum* Lib. II. c. 1.

24. *Vallem Eschol*] אשכל est *botrus*. LXX. vertunt נחל φάραγγα & Vulg. *torrentem*. Sed cùm vox *vallem* etiam sonet, commodior videtur hoc in loco ea significatio.

Botrum] Quem inter alios eximium elegerunt, & ne fortè, dum unus eum gestat, comprimeretur, è vecte suspenderunt, duorum humeris sustinendum. Tantæ magnitudinis, variis in locis, nascuntur botri, ut vix aliter commodè gestari possint. *Plinius* H. Nat. Lib. XIV. c. 1. *Excrescere ultra suos pollices prohibitæ, sempérque pastinatis similes, herbarum modo, vagantur per arva, ac succum terræ passim uvis bibunt; quæ ob id magnitudinem* INFANTIUM PUERORUM, *in interiore Africæ parte, exsuperant. Stephanus* Byzantinus in Εὐκαρπία, quo nomine vocatur, ut ait, δῆμος τῆς μικρᾶς Φρυγίας *pagus Phrygiæ minoris*: ἱστορεῖ, in-

adſcendite hac in Meridiem *Chananææ* & montem quidem conſcendite; 19. tum videbitis quæ ſit hæc terra; ánve populus qui eam incolit potens ſit, an debilis; exigúuſne, an multus; 20. quæ ſit terra quam ille habitat, bonáne, an mala; quæ urbes, quas incolit; an in caſtris *agat*, aut locis munitis; 21. qualis terra ea ſit, pinguiſne, an macilenta; an ſint in ea arbores, an verò nullæ. Eſtote animo forti, & capite ex fructibus terræ *ad nos referendos*. Erant autem dies primitiarum uvarum.

22. Adſcenderunt *illi* & ſpeculati ſunt terram, à deſerto Tſinis, Rechobum uſque, quâ Chamatham venis. 23. *Primùm* in Meridiem *Chananææ* adſcenderunt, iveruntque Chebronem, ubi erant Achiman, Seſai & Thalmai Hanakæi; & Chebron quidem ſeptem annis, ante Ægyptiacam Tanin, condita fuerat. 24. Venerunt deinde in vallem Eſchol, ſecuerunt illic palmitem & botrum racemorum unum, eúmque duo vecte tulerunt; item mala punica & ficus. 25. Locus autem ille vocatutum.

Denique juſſi ſunt, ut fidem dictis facerent, fructus ex ea terra aliquot adferre. His mandatis inſtructi diſceſſerunt, atque eo quidem tempore uvæ matureſcere incipiebant. 22. Speculati ſunt illi, non modò caſtris proxima, ſed totam Chananææ longitudinem à Meridie in Septemtriones peragrarunt, profecti enim à Tſinico deſerto, quod eſt ad Auſtrum, iverunt Rechobum uſque, quod oppidum in ſeptemtrionalibus Palæſtinæ finibus, quà Chamatham itur, ſitum eſt. 23. Cùm ingreſſi eſſent meridianum tractum, Chebronem, in cujus agro diu vixerat Abrahamus, ſe contulerunt, viderúntque illic viros fortitudine celebres Achimanem, Seſaïn & Thalmaïn. Ea autem urbs, quamvis Tanitæ, è quorum ditione egreſſi ſumus, antiquitatem ſuam jactent, ſeptem annis ante Tanin condita fuit. 24. Cùm in caſtra redirent, exploratores mandati de adferendo terræ fructu memores, in Vallem Botri venerunt, palmitémque, è quo botrus unus prægrandis pendebat, ſecuerunt; qui ne in via elideretur è vecte ſuſpenſus eſt, cujus extrema à duobus viris humero ferebantur. Illic etiam mala Punica & ficus, populo oſtendenda, collegerunt. 25. Ea de cauſa, hæc vallis à Populo Hebræo *Vallis Botri* dicta eſt.

26. Ex-

inquit, Μητροφάνης τὸν βότρυν ἐκεῖ τοσοῦτον γίνεσθαι τὸ μέγεθος, ὅσον ἅμαξαν ἀπ' αὐτοῦ σχισθῆναι κατὰ μέσον: *narrat Metrophanes ibi botrum tantâ magnitudine eſſe, ut plauſtrum medium ab eo fiſſum fuerit.*

Legendum cenſeam τὴν ἄμπελον *vitem*, ut dicat *Metrophanes* tantâ eſſe magnitudine botrum, ut palmitem trahens findat ipſam vitem. Sic apud *Theophraſtum* de Cauſis Plant. Lib. VI. c. 18. ſuccus dicitur σχίζειν τὴν ἄμπελον *findere vitem*, cùm derivatur arte in certam partem vitis, in quam alloqui non fluxiſſet.

Duo vecte tulerunt] Non ob pondus, ſed ob rationem allatam. *Philo* Lib. I. de Vita Moſis, p. 494. ita rem exornavit: οἱ βότρυες ὑπερμεγέθεις ὥσπερ ἀντιπαρατεινόμενοι ταῖς κληματίσι καὶ μοσχεύμασι, ἄπιστον θέα· ὧν ἕνα γῆς ἀποτεμόντες, καὶ δοκίδος ἀπαιωρήσαντες, ἧς τὰς ἀρχὰς δυσὶ νέοις, τῷ μὲν ἔνθεν, τῷ δ' ἔνθεν, ἐκ διαδοχῆς, πιεζομένων ἀεὶ τῶν προτέρων (βαρύτατον γὰρ ἦν ἄχθος) ἐκόμιζον: *pendebant prægrandes botri è palmitibus, ſpectaculum vix credibile. Horum unum exſectum ſuſpenderunt è vecte medio, cujus extrema impoſuerunt humeris duobus juvenibus, uni quidem hinc, alteri verò illinc, & vicibus, cùm priores ſemper defatigarentur (maximum enim erat pondus) ferebant.* Sic ille, intempeſtivâ exaggeratione, rem, alioqui facilè credendam, incredibilem fecit.

27. *Ad Kadeſum*] Hoc eſt, non procul à *Kadeſo*, vel *Kades-barnea*. Vide Deut. I, 19. Hæc urbs fuit in Idumæorum finibus, ut docet Moſes infrà Cap. XX, 16.

Rémque eis retulerunt] וישבו אתם דבר *fecerunt redire iis verbum.*

28. *Moſi*] לו *illi.* Sed ſequentia oſtendunt Moſem intelligi.

Reverà] גם *gam*, quod *etiam* plerumque verti ſolet. Vide Gen. XXVII, 33.

Fluit lacte & melle] Vide notata in Exod. Cap. III, 8.

29. *Urbes munitæ maximæ ſunt*] והערים בצרות גדלות מאד Samaritæ legunt וגדלות *& maximæ*; ut ſit vertendum, ſi hæc vera eſt lectio, *muniſſimæ & maximæ ſunt.* Sed & hic ſenſus commodus noſtræ lectionis, non modò inter Chananæos fuiſſe caſtella munita, ſed & urbes magnas naturæ & artis munimentis fuiſſe cinctas.

Illic quoque Hanakæos] ילדי הענק, ut ſupra verſ. 23. Hinc adparet *Hanakæos* etiam alibi fuiſſe, quicumque tandem fuerint. Videtur fuiſſe nomen virorum ſtrenuorum, viribuſque & animo præfidentium.

30. *Hamalekitæ*] *Hamalek.* Vide Exod. XVII, verſ. 8.

Tractum meridianum] *In terra meridiei.*

Chitthæi, Jebuſæi] Vide notata in Gen. X, 15. *& ſeqq.* Addunt Samaritæ והחוי & LXX. Intt. ὁ Εὐαῖος.

Chananæi] Singularis Tribus Chananæa, ſic καθ' ἐξοχὴν dicta, de qua diximus ad Gen. XII, verſ. 6.

31. *Compeſcuit Chalebus*] *Silere fecit.* Hæc verba oſtendunt deeſſe narrationi circumſtantiam, quam ſupplevimus his verbis, *orto ad hæc fremitu populi.* Moſes ipſe nos hoc manifeſtò docet Deut. I, 26. *& ſeqq.* Hanc omiſſionem ſignificare voluiſſe videtur Librarius, qui primus in ויהס *vajjahas*, & compeſcuit, ס majorem pinxit; non difficultatem compeſcendi populi, ut conjecit *Joan. Buxtorfius* in Comment. Maſſor. Cap. XIV.

Coram Moſe] אל משה *ad Moſem.* Vide Gen. XII, 15.

Adſcendamus &c.] *Adſcendendo adſcendemus & poſſidebimus.*

32. *Profecti erant*] Adſcenderant.

Ad-

catus est vallis Eschol, propter botrum, quem hinc secuerunt Israëlitæ.

26. Reversi autem sunt ab exploranda ea terra, post quadraginta dies. 27. venerúntque ad Mosem & ad Aharonem, omnémque cœtum Israëlitarum, in desertum Pharanis ad Kadesum; rémque iis & toti cœtui retulerunt, & terræ fructum iis ostenderunt. 28. Mosi *rem* narrarunt, dixeruntque: ivimus in terram, in quam nos misisti, re verâ fluit lacte & melle, atque hic est ejus fructus. 29. Sed populus, qui in ea terra habitat, potens est, urbes munitæ maximæ sunt, & illic quoque Hanakæos vidimus. 30. Hamalekitæ tractum meridianum insident, Chitthæi, Jebusæi & Emoræi montana, Chananæi denique ad mare & ad Jordanem habitant.

31. *Orto ad hæc fremitu populi*, compescuit Chalebus populum, coram Mose; & adscendamus, inquit, in eam terram, ejúsque possessionem adeamus, nam superiores erimus. 32. Sed viri, qui cum eo *exploratum* profecti erant, dixerunt: non poterimus adscendere in eum populum, nobis enim est potentior; 33. eámque terram, quam speculati fuerant, infamarunt apud Israëlitas, cùm dicerent: terra, quam explorandi causâ peragravimus, absumit incolas suos, & populus omnis quem in ea vidimus est proceræ staturæ. 34. Illic etiam vidimus Nephilæos, Hanakæos, *nempe*, *qui* ex Nephilæis, & visi nobis fuimus locustarum instar, quales etiam illis videbamur.

XIV. Fre-

26. Exploratores autem, post quadraginta dies, reduces in castra fuerunt (27. quæ etiamnum erant in Pharanica solitudine, non procul à Kadeso) Populóque Hebræo quæ speculati erant exposuerunt, ac simul fructus in Chananæa collectos ostenderunt. 28. Apud Mosem etiam palam professi sunt se eam terram comperisse, qualis ab eo dudum descripta fuerat, nimirum, longè fertilissimam; quod fructus in ea collecti satis ostendebant. 29. Sed adjecerunt incolas esse ingenti numero, urbésque maximas & munitissimas habitare; se illic vidisse etiam aliquot viros ex iis, qui Hanakæorum adpellatione gloriabantur; 30. Hamalekitas meridianum tractum, Chitthæos, Jebusæos & Emoræos montana, Chananæos verò ripas Jordanis & lacûs Asphaltitæ tenere, omnésque eos populos numero & genere copiarum formidolosos esse.

31. Cùm hæc ab exploratoribus dicerentur, Populus Hebræus animum despondere cœpit, & fremere in Mosem; quod sibi eos agros promisisset, ex quibus veteres colonos pellere nullo modo poterant. Chalebus verò castigare populum, qui pusillanimitate tam bellam occasionem è manibus dimitteret; & victoriam, si audacter Chananæam invaderet, polliceri. At ceteri exploratores, excepto Josuâ, negabant Hebræos posse victoriam sperare, cùm eæ gentes potentiores se essent. 32. Dictitabant præterea eam terram servatu facilem non esse, perpetuis incursionibus vicinorum exhauriri, nec in ea ullos colonos potuisse diu manere, præter viros prægrandis staturæ, nec fortitudinis vulgaris; 33. se enim in ea vidisse celeberrimos & audacissimos latrones, qui Hanakæi solebant vocari, atque usque adeò proceri erant, ut ipsi exploratores, lecti ex populo Hebræo viri, iis collati locustarum instar essent hominibus comparatarum.

P A-

Adscendere in eum populum] Bellum ei felici eventu illaturi, ut sedibus suis eum deturbemus. Potuissemus etiam vertere, *non possumus ire in eum populum.*

Potentior] Si numerum pugnantium spectes, nullus erat exercitus, qui sexcentis hominum millibus terrori esse posset; si Hebræi, eo tempore, militares homines fuissent. Sed in servitute, mollitiéque Ægyptiaca educati imbelles erant, & timidi.

33. *Infamarunt*] יוציאו דבת *fecerunt exire* in vulgus *infamiam terræ*; hoc est, quod poterat ejus cupiditatem, in Israëlitarum animis, exstinguere.

Absumit incolas suos] *Terra comedens incolas suos illa.* Significant hanc quidem esse fertilem terram, sed quam ut servarent incolæ, oportebat eos perpetuò armatos esse, contra finitimorum injurias, qui sæpe eorum agros populabantur. Ejusmodi erant Syri, Arabes, Ægyptii, Philisthæi, Moabitæ, Hammonitæ, Idumæi &c. quos & sequentibus sæculis innumeris irruptionibus, cladibúsque vexasse Hebræum populum nos docet Historia Sacra. Tempore Mosis, jam similia Chananææ veteribus colonis contigerant, ut docet Deut. Cap. II, 20. & seqq. Hunc autem sensum esse hujus phrasis liquet ex Ezekiele Cap. XXXVI, 13. ubi ita de reditu Judæorum: *sic dixit Dominus Jehova, quia dicunt de vobis* (de montibus, collibus, torrentibus & vallibus Judææ) *tu* (ô terra) *absumsisti homines & orbasti gentes tuas, non ampliùs offendiculo eris, ait Dominus Jehova. Non patiar ampliùs à te audiri convicia* (כלמה ut hîc דבה) *& probra populorum* &c. Sic & Levit. XVIII, 25. terra dicitur *evomere incolas*, qui vi ex ea expelluntur. Hujusmodi non erat Ægyptus, quam vix invadere poterant vicini. Vide not. in Genes. C XLII, 9.

Est proceræ staturæ] *Viri mensurarum.* אנשי מדות *anschè middoth.* Vide Jerem. XXII, 14.

34. *Nephilæos*] Genus quoddam latronum significari diximus voce נפילים *nphilim*, ad Gen. VI, 4.

Hanakæos] בני ענק *filios Hanak.* Vide ad v. 23. Quod additur, *qui ex Nephilæis*, ostendit נפילים nomen esse generis, *Hanakim* ענקים verò speciei, quod conjecturam nostram confirmat. Sed voce נפילים majores solito homines significari nullo indicio constat, quamvis inter latrones ejusmodi essent interdum staturæ procerioris viri, qui viribus confisi latrocinia exercebant.

Nobis visi sumus] *Fuimus in oculis nostris.*

Locustarum instar] Illis, nempe, collati. Unde tamen non collegeris fuisse Gigantas, est enim manifesta Hyperbole. Sed erant proceriores, quàm vulgò Israëlitæ. Similiter Hamos. II, 9. proceritate Emoræi conferuntur *Cedris*, viribus *Quercubus.* Ad calcem hujus versûs, Samaritæ laciniam addunt ex Deut. I, 27 ad 33. ut suppleant quod hîc deesse videtur. Sed opus non erat.

C O M-

XIV. Fremunt Israëlitæ in Mosem & Aharonem, cogitant de reditu in Ægyptum, Josuam & Chalebum lapidibus obruere volunt, Dei gloria conspicua fit, minatúrque Israëlitis exscidium; sed Numen, Mosis precibus placatum, viginti annis majores morti in deserta Arabia obeundæ damnat, jubétque ad austrum reverti. Tum invadere Chananæos intempestivè volentes cædi patitur.

1. TOTUS autem cœtus ejulavit, & eâ nocte flevit populus. 2. Deinde omnes Israëlitæ in Mosem & Aharonem confremuerunt, iisque universus cœtûs: utinam, inquiunt, in Ægypto, aut in hoc deserto mortui essemus! utinam interiissemus! 3. Quare nos Jehova in hanc terram adduxit, ut gladio caderemus? Uxores nostræ & impuberes nostri prædæ erunt *hostibus*. Annon melius est nobis redire in Ægyptum? 4. Tum aliis alii, constituamus, inquiunt, *nobis* ducem, atque in Ægyptum revertamur. CAPUT XIV.

5. Conciderunt verò Moses & Aharon in vultum, coram omni cœtu concionis Israëlitarum; 6. at Josua Nunis, & Chalebus Jephunnæ filius, qui ex speculatoribus

PARAPHRASIS.

1. CUM à decem exploratoribus hac oratione timor esset populo injectus, totam noctem fletibus & querelis transegit, 2. atque ortâ luce in Mosem & Aharonem palam universus insurrexit. Vulgò per circulos fremebant, satius sibi futurum fuisse, si in deserta Arabia, aut in Ægypto interiissent; 3. nullam fuisse Deo rationem cur se abduceret ex Ægypto, nisi ut viri hostili ferro absumerentur, mulieres verò & impuberes captivi fierent vicinarum gentium; igitur præstare Hebræos redire quàm primùm in Ægyptum, 4. quam ob rem, Mose relicto, ducem oportere constitui, qui redeuntibus præesset.

5. Moses & Aharon, his auditis sermonibus, coram tota multitudine proni in faciem conciderunt, ut ejus iram, si fieri posset, mollirent. 6. Josua etiam & Chalebus, animadversâ nefariâ in Deum totius populi rebellione, vestes, ut in luctu pu-

COMMENTARIUS

In CAPUT XIV.

1. TOtus autem cœtus ejulavit] *Et sustulit totus cœtus, & dederunt vocem suam.*

4. *Tum aliis alii*] *Dixerunt quisque fratri suo.*

5. *Conciderunt* &c.] *Et cecidit Moses & Aharon in facies suas.* Postquàm frustra conatus esset Moses animos Israëlitarum erigere, Deut. I, 29, 30. ut humili eo corporis situ eos commoveret. Regibus enim Orientales eum honorem exhibebant, nec populorum Rectores plebem adorare umquam solebant. Vide not. ad Gen. XXIII, vers. 7. XLII, vers. 6.

6. *Vestes suas lacerarunt*] Quod fuit luctûs indicium. Vide Genes. XXXVII, 29. Levit. X, 6.

7. *Optima*] *Bona valde valde.*

9. *Eos panis instar comedemus*] *Panis noster.* Sic & Græci ὠμοὺς καλοφαγεῖν πολεμίους *crudos comedere hostes* dicunt, pro eo quod est eos cædere, quæ phrasis exstat apud *Homerum* & *Xenophontem*. Sic Iliad. Δ. vers. 35.

Ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον, Πριάμοιό τε παῖδας.

Crudum comedisses Priamum, Priamique liberos. Adi *H. Stephani* Thesaurum, in voce ὠμὸς. Vide inf. Cap. XXIV, 8.

Umbra eorum ab iis recessit.] סר צלם מעליהם *sar tsillam mehalehem.* Quemadmodum umbraculum solem arcet: ita qui auxilio est vim hostilem propulsat. Hinc, apud Hebræos, *umbra* vocatur *auxilium*, ut hoc in loco, ubi *umbra* Chananæorum ab iis recessisse dicitur; nimirum, Deus, qui certum tempus iis concesserat, quo si ad meliorem frugem redirent pacem ejus impetrarent; ideóque impedierat, ne hostili impetu avitis sedibus expellerentur. Sic Ps. XCI, 1. *umbra* Dei dicitur ejus auxilium, & Ps. CXXI, 5. *umbra* piorum vocatur Deus. Vide Esai. XXX, 2. LI, 16. XLIX, 2. Hoc autem tempore, *ad summum venerat Emoræorum improbitas*, ideóque eorum agros Deus Israëlitis concessisset, si sibi fuissent obsequentes. Gen. XV, 16.

10. *Cogitabat*] *Dicentes erant omnis cœtus.* Vide not. in Exod. c. II, 14.

In tentorio conventûs] Hoc est, descendit ex sublimi aëre, & Tentorium obumbravit. Vide not. ad Cap XI, 17.

11. *Aspernabitur*] *Aspernabuntur*, ut postea *non credent.*

12. *Faciam ut evadas*] *Faciam te in gentem* &c. Vide Gen. XII, 2.

13. *Te hunc populum* &c.] Hæc verba, ad finem versûs, multi Intt. parenthesi claudunt. Sed nimis frigida visa res est, neque necesse est ea intelligi de Ægyptiis tum viventibus, cùm Israëlitæ Ægypto egressi sunt. Malim de posteris ætatibus hæc dici, quæ audituræ erant quid fecisset Deus in Ægypto, in gratiam Hebræorum, & quæ fuisset eorum sors in Arabicis solitudinibus.

14. *Hujus terræ incolis*] *Incolæ hujus terræ*, hoc est, Arabiæ in cujus extremis finibus erant Hebræi.

ribus terræ *fuerant*, vestes suas lacerarunt, 7. & universum cœtum Israëlitarum his verbis alloquuti sunt : terra, quam, explorandi causâ, peragravimus optima est. 8. Si sit nobis Jehova propitius, *idem* nos in eam terram intromittet & terrâ, quæ lacte & melle fluit, donabit. 9. Ne dumtaxat in Jehovam rebelles sitis, neque ejus regionis incolas timeatis, eos panis instar comedemus, umbra eorum ab iis recessit; Jehova verò nobiscum est, eos ergo ne metuatis.

10. Interea omnis cœtus de iis lapidibus obruendis cogitabat; at gloria Jehovæ, in tentorio conventûs, Israëlitis omnibus conspicua facta est. 11. Jehova autem Mosi, quousque, inquit, me aspernabitur populus iste? quousque mihi non credet, propter omnia portenta quæ apud eum feci? 12. Eum peste percutiam, ad paucos redigam, faciámque ut tu evadas in gentem magnam, eóque potentiorem. 13. Moses verò Jehovæ, at audient, inquit, Ægyptii te hunc populum potentiâ tuâ, è medio sui, eduxisse, 14. dicéntque hujusce terræ incolis se audivisse te, ô Jehova, apud hunc populum *fuisse*, *hujus* te Jehovam oculis conspicuum factum, nubem tuam supra eum hæsisse, te ei interdiu in columna nubis, nocte in columna

publico, lacerarunt, 7. cœperintque populum admonere officii cujus immemorem se ostendebat. Aiebant fertilissimam esse regionem quam exploraverant, ideóque dignam quam invaderent Hebræi, vel cum periculo suo; 8. quod tamen nullum futurum esset, si modò sibi, ut cœperat, favere pergeret Deus. 9. Igitur ne in Deum rebellarent, quo sibi favente, non difficulter Chananæos sedibus deturbaturi essent; quia jam adcrat tempus quo Deus, qui hactenus eos tulerat, de eorum peccatis pœnas erat sumturus, atque agris Hebræum Populum donaturus.

10. Dum ita loquerentur, usque adeò incensa est in eos concio, ut jam de iis lapidibus obruendis consilia agitaret; cùm ecce nubes in Tentorium descendit, coram toto populo. 11. E vestigio audita est vox Dei Mosem nomine adpellantis, & quærentis quousque tandem pertinax populus Numinis auxilium esset spreturus, ejusque prodigiis fidem detracturus? 12. Minatus etiam Deus, se pestilentiâ universum populum Hebræum deleturum, dixit Mosi, nihil esse cur de popularibus ampliùs anxius esset; se enim effecturum ut ipse in gentem maximam, Israëliticaque majorem, evaderet. 13. Moses verò iram divinam cœpit deprecari, & dicere Ægyptiorum ætates futuras, quæ audituræ erant populum Hebræum ex Ægypto summâ Dei potentiâ eductum fuisse, 14. quæsituras ab Arabibus finitimis, verumne esset quod de eo populo jactatum fuerat, eumdem illum Deum, conspicuo signo nubis interdiu, flammæ verò noctu, significasse, per Arabicas solitudi-

Se audivisse] שמעו כי. *Deest alterum* כי *chi*, quod verbo *schamehou* præfigi debet. Sed non rara est ejusmodi Ellipsis. Vide Thren. I, 10. & Ps. L, 22. & *Noldium* ad num. 20. ubi hujus particulæ Ellipses.

Oculis conspicuum factum] עין בעין נראה *oculo in oculo conspectus es :* hoc est, nubes tuæ præsentiæ symbolum ab iis conspecta est.

15. *Postquàm verò* &c.] והמתה vehematthah *& facies mori.*

Audiverint] Addit Moses לאמר *lemor* dicendo.

16. *Eo quod non posset*] Numinibus enim Ethnici potentiam nequaquam infinitam tribuebant. Vide not. ad Exod. IX, 18.

Juratus promiserat] *Quam juraverat eis.*

Eum in deserto occidisse] *Et occidit eos in deserto.* Abundat ו, ut passim.

17. *Nunc ergo*] ועתה *vehatthah.*

Magnificetur] יגדל-נא jigdal na, *magna sit, quæso.* In hoc verbo est יוד רבתי *jod magnum*, ut notat Massora. Quod significat, si *Joan. Buxtorfio* Com. Mass. Cap. XIV. credimus, si vel decem (nam littera *Jod*, in numerorum notis, *decem* valet) tentationibus populus Hebræus Deum tentaret, aut decuplo plus adversùs eum murmuraret; attamen clementiam Dei ingrati populi peccatis decies majorem esse oportere. At hic non loquitur Moses de Dei clementia, sed de ejus potentia; & minùs inepta esset conjectura ejus, qui diceret magnitudinem divinæ potentiæ innui. Sed inania mittamus. Satius est observare hic maximam Dei συγκατάβασιν; quem Moses ita revocat à plectendis Israëlitis, ut amicus amicum, præ ira minùs perspicacem, deterret ne sibi ipse noceat, dum iræ nimiùm indulget. Nulla hic fuit *ira Dei*, cùm Deus *irasci* nequeat, non magis quàm imprudentiâ peccare. At homines non possunt se naturâ suâ exuere, ut Divinæ Majestati consentanea loquantur; ideóque eos fert Deus humano more secum agentes. Vide not. ad Gen. XVIII, 25.

Fac nobis] Hæc necessariò supplevimus subaudienda à Lectore, qui facilè animadvertit quæ vers. 18. habentur ea pertinere, non ad magnitudinem potentiæ divinæ, sed ad summam Dei misericordiam. Nec rarum est, in inculto Hebræorum stylo, commatis dimidiam partem esse supplendam. Nunc posterius, nunc prius membrum omittitur. Exempla posterioris omissi sunt Gen. XXX, 27. Levit. IV, 2. Prioris Matth. XVI, 7, 8. ubi vide *Hug. Grotium.*

18. *Jehova serò irascitur* &c.] Respicit descriptionem Dei, quæ ab ipso Deo, Mose audiente, pronunciata est, Exod. XXXIV, 6. ubi vide notata. *Delicto & defectioni* addunt Samaritæ ושאת & LXX. καὶ ἁμαρτίας.

19. *Quemadmodum huic populo*] Præterita Dei beneficentia & misericordia eum invitant ad nova beneficia largienda. Vide ad Exod. XXXIV, 19. Inflixerat quidem Deus aliquoties pœnas, sed numquam pro peccatorum gravitate.

21. *Ut ego vivo* &c.] Cùm sit hic jusjurandum, more Latino id expressimus, additis particulis *ut*, *ita*. Hebræi ita efferunt : *vivo ego & implebitur gloriâ Jehovæ omnis terra, quod omnes viri qui viderunt* &c.

Glo-

na ignea præivisse. 15. Postquàm verò hunc populum, instar viri unius, occideris,
tum dicent gentes, quæ famam tuam audiverint, 16. Jehovam, eo quòd non pos-
set intromittere populum hunc in terram, quam juratus ei promiserat, eum in de-
serto occidisse. 17. Nunc ergo magnificetur potentia Domini, *& fac nobis* quem-
admodum dixisti: 18. Jehova serò irascitur, magna est ejus benignitas, ignoscit
delicto & defectioni; nec tamen *reum* innocentem habete solet, delictum patrum
in filiis, nepotibus & abnepotibus persequitur. 19. Ignosce, quæso, delicto hujus
populi, pro magnitudine misericordiæ tuæ, & quemadmodum huic populo ab Æ-
gypto, huc usque, pepercisti.
20. Tum *Mosi* Jehova, peperci, inquit, prout dixisti; 21. sed profectò, *ut* ego
vivo & implebitur gloriâ Jehovæ omnis terra: 22. *ita* omnes viri, qui viderunt
gloriam meam, & portenta mea quæ in Ægypto atque in hoc deserto edidi, &
tentaverunt me, jam decem vicibus, neque paruerunt voci meæ, 23. non videbunt
terram, quam eorum patribus juratus promisi; quicumque me aspernati sunt eam
non videbunt. 24. At servum meum Chalebum, quia alio fuit animo, & con-
stan-

dioes, se ei adesse; ejus autem rei, deleto po-
pulo Hebræo, testem nullum futurum, adeóque
dubiam fore divinorum portentorum historiam.
15. Nec desore olim homines, cùm obscura dum-
taxat exitûs Hebræorum ex Ægypto fama ad po-
steros perventura sit, qui dicturi sint, 16. Deum
Hebræorum, quòd eos non posset, invitis Chaoa-
nææ Diis, intromittere in solum, addito jureju-
rando eorum Majoribus promissum, eum populum
in deserta Arabia errabundum fivisse absumi. 17. Ita-
que Deum se orare, id potiùs faceret, quo suæ po-
tentiæ augeretur fama, & eum se populo Hebræo
præberet, quem in Sinaïtico jugo se esse ipse dixe-
rat, 18. summopere, nimirum, misericordem.
19. Ignosceret delicto populi Hebræi, quemadmo-
dum hactenus ei peccaoti, ex quo Ægypto egres-
sus erat, pepercerat.
20. Respondit Deus Mosi, se ob ejus preces He-
bræum populum noo deleturum; 21. sed ut verum
est, inquit, me vivere, utque omnes terræ rerum
à me gestarum famâ personabunt: 22. ita quicum-
que ex hoc populo pottenta à me, in gratiam He-
bræorum, edita viderunt, nec tamen hactenus de
potentia mea dubitare desierunt, 23. terram Chaoa-
næam, Patriarcharum priscorum posteris promissam,
non videbunt. 24. Soli inter exploratores Josua & Cha-
lebus, qui de potentia mea non dubitarunt, eam ter-
ram ingredieotur, liberisque suis præsentes prædia sua
possi-

Gloria Jehovæ] Hoc est, fama. In sequentibus *gloria Jehovæ* sunt miracula. Vide not. ad Exod. c. XVI, 20.

22. *Jam decem vicibus*] Dubitant Intt. an hîc numerus propriè debeat accipi, an verò multiplicem dumtaxat Hebræorum rebellionem sonet. Decem enim numerant rebelliones, vel delicta ex incredulo animo orta, quamquam aliis alia graviora. Primum admissum fuerat in Troglodytico littore maris Idumæi Exod. XIV, 11, 12. secundum in Mara Ib. XV, 23, 24. tertium in Sinieo deserto. Ib. XVI, 4. quartum & quintum circa Mannam Ib. XVI, 20, 27, 28. sextum in Rephidimis Exod. XVII, 1, 2, 3. septimum ad Chorebum, circa vituleum aureum Ib. XXXII. octavum Thaberæ Num. XI, 1. nonum Kibroththaavæ. Ib. vers. 4. & seqq. decimum denique id fuit, de quo nunc sermo est. Verùm id *decies* factum dicitur, quod sæpiùs repetitum. Vide Gen. XXXI, 7. & not. Sic & interdum apud Latinos sumitur, ut in illo *Horatii:*

— *decies repetita placebunt.*

Tentasse autem Deum dicuntur Israëlitæ, quòd omnia eorum peccata ex incredulitate orta essent. *Tentant* enim illi Deum, qui dubitantes de divina potentia, quidpiam à Deo fieri posse negant, donec id effectum viderint. Deo non credunt, nisi postquàm tentando potentiam ejus explorarunt. Hinc *tentare Deum* est de potentia ejus dubitare, quo sensu sæpe occurrit in Libro *Sapientiæ*. Vide *Henr. Hammondum* ad Matth. Cap. IV, 7.

23. *Non videbunt*] אם *si videbunt*. Latinè vix aliter potest exprimi illud *si*, nisi negatione. Vide not. ad Gen. XLII, 15. *Pepercerat* quidem Deus Israëlitis eatenus, ut nollet integrum populum delere, sed non omnes remiserat pœnas, ut ex his verbis liquet. Simile quid videre est Exod. XXXII, 35.

Juratus promisi] *Juravi.*

24. *Quia alio fuit animo*] *Fuit spiritus alius cum illo. Spiritum* adfectionem animi significare vidimus. ad Cap. V, 14.

Constanter me sequutus est] וימלא אחרי *complevit post me*, videtur subaudiri ללכת *ire*. Vid. Deut. I, 36. Ideò LXX. Intt. ἐπηκολούθησέ μοι, Vulg. *sequutus est me*. At vim phraseωs non satis expresserunt. Chalebo autem conjungendos Josua, ut liquet ex vers. 30.

25. *Hamalekitæ* &c.] In vallibus iis montibus, quos Hebræi cernebant, subjectis, unde juga occuparunt, antequàm ea capere possent Israëlitæ, ut docemur vers. 45.

In desertum] In idem desertum, unde venerant, & in cujus finibus septemtrionalibus erant.

27. *Quousque condonabo*] Quasi legeretur אסלח *ignoscam*, nam sequitur לעדה lahedah *cœtui* Similium Ellipsium post עד מתי *quò usque* exempla vide Ps. VI, 4. XC, 13. Habak. II, 7.

21. *Ut vivo*] Vide not. ad vers. 21.

Sic quemadmodum] *Si non quemadmodum.* Hîc negatio Latinè loquenti omittenda fuit, ut alibi addenda; nisi phrasin Hebraïcè claram obscurissimè reddere velles. Vide ad vers. 23.

Quemadmodum loquuti fuistis] Cùm negastis vos posse bellum inferre Chananæis, sedibúsque avitis eos expellere.

29. *Ex universo eorum numero*] *Pro omni numero vestro.*

30. *Ma-*

ſtanter me ſequutus eſt, intromittam in terram in quam ivit, ejúſque ſoboles eam poſſidebit. 25. Hamalekitæ & Chananæi habitant in valle; ideóque craſtino die *agmen* convertite, & proficiſcimini in deſertum, viá maris algoſi.

26. Alloquutus præterea eſt Jehova Moſem & Aharonem, his verbis: 27. quouſque *condonabo* malo huic cœtui, qui fremit contra me? & fremitus Iſraëlitarum, quibus contra me fremunt, audiam? 28. Dic illis: *ut* vivo, ait Jehova, *ſic* quemadmodum, me audiente, loquuti fuiſtis, vobis faciam. 29. In hoc deſerto cadent veſtra cadavera, neque ullus ex cenſis veſtris, ex univerſo eorum numero, à viginti annos natis & ſuprà, quicumque fremuiſtis contra me, 30. ingredietur in terram de qua manum ſuſtuli, vos in ea à me incolas poſitum iri, præter Chalebum Jephunnæ, & Joſuam Nunis filium. 31. Impuberes veſtros, quos prædæ fore dixiſtis, intromittam *in Chananæam*, & quæ ſit ea terra quam ſpreviſtis intelligent. 32. Cadavera verò veſtra in hoc deſerto cadent; 33. filii veſtri paſcent in hoc *eodem* deſerto per quadraginta annos, *pœnáſque* ferent veſtrarum ſcortationum, donec in hac ſolitudine abſumta fuerint cadavera veſtra. 34. Pro numero dierum, quibus exploraſtis eam terram, quadraginta, nimirum, diebus, dies in annum *erit*; feretis pœnas delicti veſtri quadraginta annis, & ultionem meam experiemini. 35. Ego Jehova loquutus ſum, *nec me vivere putatote*, niſi

poſſidenda relinqoent. 25. Igitur ne Hamalekitæ & Chananæi, qui valles ſubjectas vicinis montibus incolunt, ad arma concurrant & caſtra adgrediantur, cras in meridiem agmen convertite, & viam maris Erythræi inite.

26. Quæ cùm dixiſſet Deus Moſi, eodem & Aharone audiente, copioſiùs eadem iteravit, 27. & me tædet, inquit, fremituum rebellis hujuſce populi; 28. itaque ei dicite me effecturum ut partim eveniat, quod timoerunt, dixeruntque ſibi imminere, potentiæ meæ diffidentes. 29. In hiſce enim ſolitudinibus morientur, & ſepelientur plerique omnes viginti annis majores, quorum nomina ouperò cenſu in tabulas publicas relata ſunt, & qui contra me fremuerunt. 30. Nullus eorum in promiſſam Chananæam pedem inferet, exceptis Chalebo Jephunnæ, & Joſua Nunis filio, ac aliquot aliis. 31. At impuberes, quos prædam hoſtibus fore dictitabant, intromittam in promiſſas ſedes, & fertiliſſimis illis agris, eorum patribus negatis, donabo; 32. poſtquàm ſeditioſi omnes, in hiſce deſertis, conciderint. 33. Viginti ergo annis minores per quadraginta annos, cum pecore ſoo in iis errabunt, adeóque parentibus impietatis ſuæ pœnas luentibus, eidem ſorti obnoxii erunt; donec ætate majores omnes ſint exſtincti. 34. Quot dies in exploranda Chananæa à ſpeculatoribus ſunt abſumti: per totidem annos, incredulitatis veſtræ pœnas mihi dabitis.

30. *Manum ſuſtuli*] Juravi, quia is geſtus erat jurantium. Vide not. ad Gen. XV, 23. Non juraverat Deus ſe hos ipſos homines, ſeu hanc ætatem intromiſſurum in terram Chananæam, ſed Patriarcharum poſteros; qualis erat ſequens ætas, non minùs ac prior.

Vos in ea à me incolas poſitum iri] לשכן אתכם בה *ad faciendum habitare vos in illa.*

31. *Impuberes*] טפכם *tappechem.* Vide not. ad Gen. XIV, 22.

Prædæ fore] *Præda erit.*

32. *Cadavera verò veſtra*] *Cadavera veſtra, vos, in hoc deſerto cadent.* Poſſet etiam verti: *ad vos verò quod adtinet, cadavera veſtra*, ut אתם *vos* exprimatur.

33. *Paſcent*] *Erunt paſcentes.* Hoc eſt, Nomadum ritu in hiſce ſolitudinibus, cum pecore ſuo, paſcua ſequentes, errabunt. Ideò Vulg. *erunt vagi.* Sed nihil opus fuit à propria ſignificatione recedere, cùm præſertim hunc etiam ſenſum complectatur. De paſcuis horum deſertorum vide notat. ad Exod. III, 1.

Pœnas ferent veſtrarum ſcortationum] *Ferent ſcortationes veſtras*, quarum ipſi, quantùm per ætatem licuit, participes fuerunt. Intelligitur Idololatria, unà cum peccatis quæ ex eo venenato fonte fluxerant, incredulitate, nempe, ſeditionibus &c. Quare Idololatria ſcortatio dicatur, oſtendimus ad Exod. XXXIV, 15. Conſtat autem Hebræum populum Idololatriæ fuiſſe deditum, per quadraginta annos, ex Hamos. Cap. V, 25. Sed & alia peccata interdum eo nomine, ut dicebamus, ſignificantur, quod multis oſtendit *Joan. Seldenus* de Ux. Heb. Lib. III. c. 23.

34. *Dies in annum erit*] *Dies in annum, dies in annum.* Pro ſingulis diebus totidem anni.

Quadraginta annis] Numerato primo & ſecundo anno, ex quo erant in deſerto.

Ultionem meam experiemini] וידעתם את תנואתי *& cognoſcetis meam ultionem.* הניא *heni*, propriè eſt *irritum facere*, apud Hebræos, unde Intt. nonnulli conjiciunt hunc eſſe ſenſum: *ſentietis quid ſit irrita feciſſe mea conſilia*; quod Iſraëlitæ conſilium Dei, de iis eo tempore intromittendis in Chananæam, irritum ſuâ incredulitate & ignaviâ fecerant. Sed durum eſt Hebræorum pœnas vocari *fruſtrationem Dei.* Itaque maluimus Vulg. Int. ſequi, cùm præſertim radix Arabica נאה *naah* ſit *malè habere.* Sic & Samariticus Int. תשלמאתי *ultionem meam.* LXX. τὸν θυμὸν τῆς ὀργῆς μου. Videtur etiam hæc eadem vox *pœnas* ſignificare Job. XXXIII, 10.

35. *Nec me vivere putatote*] Hoc ſupplevimus, ut phraſin Hebraïcam exprimeremus. Reſpicit ſanè Deus ad dicta verſ. 21, 28. ubi jurat חי אני *vivo ego.* Jurandi formulæ, quibus utuntur Hebræi, paſſim ſunt ellipticæ.

Abſumentur, atque hic morientur] Ordo fuiſſet *morientur & abſumentur*, nam morte abſumendi erant. Vide ad Cap. VII, 2.

36. *Viri autem illi*] Decem reliqui exploratores.

Liam

nisi hoc fecero universo huic malo cœtui, qui coitiones fecit contra me; in hoc deserto absumentur, atque hic morientur.

36. Viri autem illi, quos miserat Moses ad explorandam terram, reversique erant, & universum cœtum ad fremendum contra eum concitarant, eam terram infamando; 37. viri, *inquam*, illi qui eam terram infamarant plagâ mortui sunt, coram Jehova. 38. Ex hisce autem viris, qui ad explorandam terram iverant, superstites fuerunt Josua Nunis & Chalebus Jephunnæ filius. 39. Hæc autem verba cùm omnibus Israelitis dixisset Moses, in maximum luctum inciderunt.

40. Sed cùm summo mane surrexissent, adscenderunt in cacumen montis, dicentes, en nos *paratos*, adscendemus in locum, quem dixit Jehova, nam peccavimus. 41. Moses verò illis, quare ita mandatum Jehovæ perfringitis? hoc vobis bene non cedet. 42. Ne adscendatis, inter vos enim non est Jehova, neque cladem ab hostibus vestris accipietis; 43. Hamalekitæ enim & Chananæi illic sunt, ante vos, & gladio cadetis, eò quòd Jehovam sequi destitistis, neque Jehova vobiscum erit. 44. Verùm illi pertinaciter contenderunt adscendendum, in cacumen montis; sed nec arca Jehovæ, nec Moses è mediis castris recesserunt. 45. Descenderunt autem Hamalekitæ, & Chananæi, qui eum montem incolunt, eos ciciderunt, & cædentes Chormam usque egerunt.

XV. Le-

tis. 33. Quæ ita futura, iterato jurejurando, ne spes ulla immorigeris adeundæ Chananææ superesset, confirmavit Deus.

36. 37. Præterea decem illi exploratores, qui populum deterruerant, ne Chananææ possessionem adiret, subitâ morte, ante Tabernaculum, impietatis pœnas omnes dederunt; 38. nec ullus exploratorum, præter Josuam & Chalebum, superfuit. 39. Moses verò quæ à Deo acceperat, audiente populo Hebræo, exposuit, eúmque in maximum luctum conjecit.

40. Sed perperam rati admissum à se peccatum posse emendari, si sponte suâ Chananæorum fines armati ingrederentur, summo mane coram Mose se stiterunt paratósque jam se dixerunt, possessionem Chananææ adire. 41. Moses verò, vetuisse Deum, ne hoc tempore illuc irent, respondit; malè facere qui interdictum ejus negligerent, nec audacis cœpti felicem eventum futurum; 42. Deum enim eis non favere, rectiusque facturos si quiescerent, ne cladem acciperent. 43. Hamalekitas illic & Chananæos paratos esse prælio, illisque, Deo nequaquam cœpto favente, numquam pares fore Israelitas. 44. At illi prudentem Mosis admonitionem audire noluerunt, sed in cacumen vicini montis eniti statuerunt; Mose in castris cum Arca manente. 45. Hamalekitæ verò & Chananæi, qui superiora loca occupaverant, adscendentibus occurrerunt, in fugam præcipites eos egerunt, & Chormam usque agentes, cædentes, persequuti sunt.

P A-

Eam terram infamando] *Proferendo probrum contra terram.* Vide sup. C. XIII, 33.

37. *Viri, inquam*] *Et mortui sunt viri illi.*

Plagâ] Subitâ morte divinitus immissâ, cùm ad Tentorium starent.

38. *Ex hisce viris* &c.] Hoc additur, quamvis ex superioribus sat notum, more Hebraïco.

Superstites fuerunt] *Vixerunt.*

39. *Hæc cum dixisset*] *Et loquutus est verba illa & luxerunt valdè, & summo mane surrexerunt, & adscenderunt.*

40. *Peccavimus*] Supplent Samaritæ quod hìc deest ex Deut. I, 41.

Mandatum perfringitis] *Os Jehovæ transitis.* Intelligit mandatum convertendi agminis ad Erythræum mare, aut interdictum ne nunc Chananææ fines ingrederentur.

43. *Jehovam sequi destitistis*] *Redistis à post Jehovam.* מאחרי *meabhare* est pro מהלוך אחרי *ab eundo post*; hoc est, ejus legibus ampliùs non paruistis.

44. *Pertinaciter contenderunt*] יעפילו *japhbilou.* LXX. Intt. διαβιασάμενοι, hoc est, violenter, atque invito Mose adscenderunt. Sic & Samaritæ עצפו *batsephou*, quod idem sonat. Vulg. *contenebrati sunt adscendendo*, ob adfinitatem vocis אופל *tenebræ.* Onkelos: ירשעו *improbè fecerunt.*

45. *Descenderunt*] Ex altioribus jugis, quæ occuparant.

Cædentes Chormam usque egerunt] *Contriverunt usque ad Chormam.* Prout locus ille postea dictus est. Vide infra Cap. XXI, 3. Addunt huic versui Samaritæ: וישובו אל המחנה hoc est, verbis LXX. Intt. καὶ ἀποστρέψαντες εἰς τὴν παρεμβολὴν, *in castra conversi sunt.*

COM-

XV. Leges de farina & libaminibus Deo cum victimis offerendis, de primitiis farinæ, de peccatis per errorem, aut industria à scientibus & prudentibus admissis, de ligna die Sabbathi colligente, déque vestium fimbriis.

CAPUT XV.

1. ALLOQUUTUS est Jehova Mosem, his verbis: 2. alloquere Israëlitas, iisque dicito: cùm ingressi eritis terram sedium vestrarum quâ vos dono, 3. & offeretis Jehovæ oblationem igne absumendam, holocautoma aut victimam *salutarem*, votivam solvendo, aut in spontaneo sacro, aut in statis vestris festis, ut odorem placamenti offeratis Jehovæ, ex bucero, ovillo, aut caprino genere, 4. qui oblationem suam Jehovæ offeret decimam *Ephæ partem* similæ admovebit, cum quarta parte Hinis olei mistam. 5. Vinum etiam libaminis, quartam partem Hinis, effundes in holocautoma, aut in *salutarem* victimam, in agnum unum. 6. Sed in arie-

PARAPHRASIS.

1. HAs quoque Leges, de farreis oblationibus, per Mosem tulit Deus. 2. Cùm terram Chananæam occupaverint Hebræi, quietique in suis sedibus erunt, 3. quisquis offeret sacrificium, cujuscumque sit generis, 4. 5. cum agno aut hædo, similæ Assaronem, olei quartam partem Hinis farinæ

COMMENTARIUS

In CAPUT XV.

2. T*Erram sedium vestrarum*] Hoc additur, quòd in deserto eam victimarum copiam, farinæ item, vini & olei habere non poterant, quæ erat Sacris necessaria.

3. *Offeretis oblationem igne absumendam*] *Facietis* אשה, quod dixerit Poëta Græcus ἱμερυγρίζειν, vi vocum Hebraïcarum ad amussim expressâ.

Victimam salutarem] זבח *zebabh*, quod quamvis significet quamlibet victimam, sæpe pro salutari sacro accipitur, ut hîc, ubi duo salutaris sacri genera illico subjiciuntur. Vide not. ad Levit. XVII, 8. XXIII, 37.

Votivam solvendo] לפלא נדר *separando votum*, hoc est, solvendo, ut res ipsa ostendit.

Odorem placamenti offeratis] *Ut faciatis odorem* &c.

4. *Decimam Ephæ partem*] Vide infrà Cap. XXVIII, 5. & not. ad Exod. XXIX, 40.

5. *Quartam partem Hinis*] Hin continebat pollices 288. seu plusquàm 13. libras Romanas vini. Vide *Ed. Bernardum* Lib. I. §. 30. de Mens. Veterum. Cùm oleum & vinum liquorum, qui ex terræ fructibus proveniunt, sint præstantissimi, eos Deus in omnibus sacrificiis sibi offerri voluit; non tantùm quòd ita solerent pleræque Gentes, sed etiam quod Rationi consentaneum esset palam homines profiteri se Deo hæc debere, gratiásque ei propterea agere. Vide quæ dicemus ad Jud. IX, 9, 13.

Effundes in holocautoma] *Facies supra holocautoma.*

Salutarem victimam] Vide ad vers. 3.

Sed in arietem] או *o*, quod plerumque significat *vel*.

6. *Offeres*] *Facies*. Vide vers. 9.

9. *Ad solvendum votum*] לפלא נדר, ut sup. vers. 3.

Salutarem victimam] שלמים schlamim, salutes. Repetendum זבח *zebabh* quod antecessit.

11. *Minoribúsque pecudibus*] שה sche *in ovibus, aut in capris.*]

12. *Ejus numeri*] במספרם *pro earum numero.*

14. *Quicumque erit inter vos*] Vide not. ad Levit. XXII, 25.

16. *Una Lex* &c.] Hoc videtur tam sæpe repeti, ut intelligerent Hebræi non modò sibi, sed etiam peregrinis, intra fines Israëliticos, non licere Sacra facere alio ritu, præter eum qui à Deo institutus fuerat; ne peregrini, exemplo suo, Hebræos à Mosaïcis ritibus avocarent. Similia etiam, apud alias Gentes, eadem de caussa, sancita. Sic in Lege antiquissima Triptolemi, quam habet *Porphyrius* de Abstin. Lib. IV. non modo est θεοὺς τιμᾷν ϰαὶ ἥρωας ἐγχωρίους, *Deos colendos esse & Heroas patrios*; sed etiam ἐμπονίμοις νόμοις πατρίοις *sanctionibus patriis*. Sic & *Cicero* Lib II. de Leg. c. 8. *Ritus familiæ, patrúmque servanto*. Vide *Sam. Petitum* ad Lib. I. Leg. Att. Tit. I.

18. *Intromissurus sum*] מביא *mebi*, intromittens. Crediderim hæc dicta esse, ante populi Hebræi rebellionem, superiore Cap. memoratam.

12. *Oblationem elatam*] תרומה *throuma*, de qua voce vide not. ad Exod. XXIX, 24.

Jehovæ] Hoc est, Sacerdoti dandam in honorem Jehovæ, ut docet Moses infrà Cap. XVIII, vers. 11.

Seponetis] תרימו tharimou, *extolletis*: Quæ seponuntur ex aliorum vicinia tolluntur & aliò auferuntur.

20. *Primitias massarum vestrarum*] ראשית ערסותכם *reschith harisotechem*. LXX. ἀπαρχὴν τοῦ φυράματος, hoc est, farinæ aquâ in massam subactæ.

Ut

arietem, donarium similæ offeres duarum decimarum *partium Ephæ*, mistarum cùm tertia parte Hinis olei. 7. Vinum verò in libamen tertiam partem Hinis offeres, in odorem placamenti Jehovæ. 8. Cùm autem juvenco facies *in* holocautoma, aut sacrificium, ad solvendum votum, aut salutarem victimam Jehovæ, 9. offeres cum juvenco donarium similæ tres decimas *partes Ephæ*, dimidiæ parti Hinis olei mistas. 10. Vinum quoque offeres in libamen dimidiam partem Hinis, *ut sit* oblatio igne absumenda, in odorem placamenti Jehovæ 11. Sic fiet singulis juvencis, singulisque arietibus, aut minoribus pecudibus ex ovillo & caprino genere. 12. Pro numero *victimarum* quibus facietis, sic facietis singulis ejus numeri. 13. Omnis indigena sic hæc faciet, cùm offeret oblationem igne absumendam, in odorem placamenti Jehovæ. 14. Cùm peregrinabitur inter vos peregrinus, aut quicumque erit inter vos, in *futuras* ætates vestras, & offeret oblationem igne absumendam, *ut sit* odor placamenti Jehovæ, quemadmodum facietis: ita & ille faciet. 15. *O Israëlitarum* cœtus, unum institutum erit vobis & peregrino *inter vos* peregrinanti, institutum æternum in *futuras* ætates vestras. Quales vos, talis erit peregrinus coram Je-

rinæ adfusam, & tantumdem vini unà offerto. 6. Cum ariete verò duos Assarones farinæ similagineæ, cum tertia parte Hinis olei, 7. similique vini mensura dato. 8. Juvenco denique, in quodvis sacrificium oblato, 9. tres similæ Assarones, dimidiæ parti Hinis olei mistos, 10. dimidiámque etiam Hinis partem vini addito. 11. 12. Sic semper farream oblationem vinique libamen cum singulis victimis, pro cujusque genere, offerto. 13 *ad* 16. Hæ mensuræ utriusque, cùm Hebræis, tum alie-

Ut oblationem elatam areæ] Ex segetibus solvendæ erant primitiæ, antequàm essent molà comminutæ; deinde ex massa farinæ, danda erat placenta. Varia de hisce Rabbini, quorum paucula adtingemus. Ad mensuram quod adtinet harum *Thrumarum*, veterum Judæorum traditionem ex *Hieronymo* ad Cap. XLV. Ezekielis, referemus, ubi postquàm quatuor decimarum genera recensuit, sic de primitiis, quas *primitiva* vocat, loquitur: *At verò primitiva, quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelicta. Traditionémque accepimus Hebræorum, non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam. Qui plurimum quadragesimam partem dabat Sacerdotibus; qui minimum sexagesimam. Inter quadragesimam & sexagesimam licebat offerre quodcumque derelictum est, hic* (Ezek. C. XLV, 3.) *specialiter definitur, propter Sacerdotum avaritiam, ne amplius à populo exigant in primitiis deferendis, id est, ut sexagesimam partem offerant eorum quæ gignuntur è terra.* Hoc institutum exstat in Thalmude, *Seder Zrahim*, *Massech. Thrumoth* C. IV. Vide Sect. 2. Diss. *de Decimis* huic volumini subjectam. Eadem mensura, quidquid dicant Judæi, exacta videtur circa placentam, quandoquidem hæ *Thrumæ* comparantur inter se. Materiam, ex qua debebatur placenta Sacerdotibus, non definit Moses, nisi quatenus signat farinam, ex qua panis coquebatur. Rabbini quinque semina definiunt *Triticum*, *Hordeum*, *Secale*, *Avenam & Speltam*, ex quibus placenta deberetur, quòd ex hisce potissimùm panis in Palæstina conficeretur. Vide Librum Thalm. de *Challa*.

Ad oblationem elatam areæ quod adtinet, semel eam quotannis oblatam constat; sed quæritur an ex massa farinæ subactæ, semel duntaxat quotannis, cùm primùm hornam farinam subigebant, an verò singulis vicibus quibus pinsebant, Sacerdoti darent? Si rem ex praxi Judæorum, temporibus Christi viventium, atque ex decretis recentiorum æstimes, posterius erit adfirmandum, *Philo* de præmiis Sacerdotum: κελεύει τοὺς σιτοποιοῦντας, ἀπὸ παντὸς σίατός τε καὶ φυράματος ἄρτον ἀφαιρεῖν ἀπαρχὴν εἰς ἱερέων χρῆσιν: *jubet eos qui panem faciunt ex omni farina subacta & fermentata panem separare, primitias in usum sacerdotum.* Sic & Recentiores Judæi. Prius tamen Mosi placuisse duæ suadent non levis ponderis rationes. Altera est, quòd non moneat ipse Legislator, quoties cumque farina subigenda erat, per totum annum, tributum hoc solvendum Sacerdotibus; quod tamen moneri debuisset, cùm has primitias comparet cum iis quæ semel tantùm quotannis ex area solvebantur. Altera, quòd ubique Sacerdotes adfuisse, aut certos homines habuisse, ea de causa, oporteret, ut ex singulis familiis, per totum annum, id tributum acciperent; nam non jubet Moses id aliò ferri, aut pecuniâ commutari. Semel verò quotannis difficile non fuit, per homines dispositos, colligere panes è toto Israële. Adde quòd ראשית reschith *primitiæ* dicatur massæ ea *Thruma*, quæ adpellatio significat partem consecratam, cùm primùm quispiam suâ farinâ uti incipit. Videtur ergo hæc Lex à Sacerdotibus, in suam utilitatem, postea exposita, cùm ex quavis farinæ massa placentam sibi poposcerunt.

Addam tamen hisce Rabbinicam doctrinam à *Josepho Franco* in pauca verba contractam, prout ex Hispanica lingua Latinè versa sonant. Sic ergo ille num. 385. „ *Præceptum adfirmativum omni sexus, in terra sancta, cùm totus Israël eam incolit.* Unusquisque separet „ particulam ex massa quinque seminum gene„ ribus constante, tritico, secali, hordeo, „ avena & spelta, eámque det Sacerdoti. Massa „ autem, ut placentam debeat, complecti de„ bet minimùm quadraginta tria ova, & quin„ tam partem. Placentam esse oportere vige„ simam quartam partem massæ ceterorum, „ pistoris verò quadragesimam octavam, sta„ tuerunt Magistri. Cùm autem Magistri extra „ Ter-

Jehova. 16. Una lex, unúmque jus vobis & peregrino vobiscum peregrinanti erunt.

17. Alloquutus est Jehova Mosem, his verbis: 18. alloquere Israëlitas iisque dicito, cùm ingressi fueritis terram, in quam vos intromissurus sum; 19. atque edetis è pane ejus terræ, oblationem Jehovæ seponetis. 20. Primitias massarum vestrarum placentam seponetis, in oblationem elatam; ut oblationem elatam areæ: ita hanc seponetis. 21. Ex primitiis massarum vestrarum, dabitis Jehovæ oblationem elatam, in *futuras* ætates vestras.

22. Cùm erraveritis, neque feceritis omnia illa præcepta, quæ Jehova dixit Mosi, quæcumque præcepit vobis Deus per Mosem, à die quo *primùm* mandata dedit Jehova, atque exinde, in *futuras* ætates vestras; 24. si, *inquam*, oculos cœtûs *fugerit*, & factum quidpiam fuerit per errorem, tum totus cœtus faciet juvenco uno in ho-

alienigenis, qui in Israëlitica ditione vivent & offerri victimas pro se volent, in perpetuum constitutæ sunto, nec ullum inter eorum victimas discrimen à Sacerdotibus umquam admittitor.

17. Jussit quoque Deus Mosem hanc Legem ferre Israelitis, tum demum observandam, cùm in promissos Chananææ agros pervenissent. 19. 20. Ut quotannis decimam partem frugum solvere oportebit: ita quoque ex farinæ subactæ massa, cùm primùm horna farina depsetur, pars aliqua sepo nitor; 21. ex primitiæ subactæ farinæ Sacerdotibus solvuntor, atque ea perpetua lex esto.

22. 23. Si quodpiam præceptorum divinorum; quotquot per Mosem edita sunt, aut edentur, per

„ Terram Sanctam placentam non exigant,
„ nisi ut ne oblivioni mandetur præceptum;
„ cúmque in Terra Sancta panem non comedant Hebræi, eo præcepto non tenentur;
„ consuerunt dumtaxat separare ex massa sua
„ minimùm crassitiem olivæ, idque conjicere
„ in ignem.

24. *Si oculos cœtûs fugerit*] *Et erit si ab oculis cœtûs factum fuerit.* Subauditur נעלם *nebelam*, quod exprimitur à Mose Levit. IV, 13. ut sit integra phrasis *occultum ab oculis.* Vide not. ad Levitici locum. Hìc iterum tamen monebimus, ignorantiam, aut errorem non potuisse prætexi, nisi iis quæ reverà obscuriora erant. Nemo, exempli causâ, dicere potuit se nescientem Sabbathum violare, cùm vel solo aliorum exemplo edoceri officium potuisset. Ideóque, ut videtur, id exemplum postea adducitur.

25. *Veniam consequentur*] *Condonabitur illis.*
Quia error fuit] Vide not. ad Levit. IV.
In holocaustoma] Subaudiendum לעלה *leholab*, ut Cap. VIII, 8.

27. *Vir unus*] *Anima una.*

28. *Eo quòd peccaverit*] Aut *in eo quod peccavit*, בחטאה *behhetab.*

29. *Indigenæ*] האזרח *baezrahh*, quod est pro לאזרח, nam postea sequitur לגר *laggar.*

30. *Manu elatâ*] ביד רמה *bjad ramah.* Hoc est, propriè vi adhibitâ, ut ostendimus ad Exod. XIV, 8. quod, quando res agitur non illicita, laudabile est; cùm res illicita, in sequiorem partem sumitur, ut in hoc loco. Describitur, nimirum, actio hominis, qui Legem volens & sciens perfringit, ac monitus etiam spernit admonitiones, legémque se flocci facere apertè dicit, aut eam divinitus datam negat, paratus impetum facere in eos, qui cœptis ejus obsistere adgrediantur. Eodem sensu *brachium altum* occurrit Job. XXXVIII, 14. *Cohibetur lux à malis, & brachium altum* (זרוע רמה) *frangetur.* Quia autem ita Lex violari nequit, sine summa superbiâ, LXX. Intt. verterunt, *ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας*, Vulg. *per superbiam, & Jonathan* בזדונא *bizdona. Onkelos* verò: בריש גלי *capite aperto*, hoc est, impudenter.

Jehovam contumelia adficiet] מגדף *mgaddeph.* Hæc radix *contumeliosè loqui* significat 2. Reg. XIX, 22. ubi Esaïas ita Syrum Rabsaken alloquitur: *quem probris & contumeliis insectatus es?* (חרפת וגדפת) *contra quem vocem emisisti, & sustulisti altitudinem oculorum tuorum? nempe, contra Sanctum Israëlis.* Vide & Ps. XLIV, 17. Sed & de factis contumeliosis adhibetur, ut Ezek. XX, 27. ubi sic Propheta Hebræos alloquitur: *Præterea contumeliâ adfecerunt* (גדפו) *majores vestri, cùm deliquerunt in me.* In hoc Mosis loco, qui volens & prudens perfringit leges, earúmque latorem Deum esse negat, verbis & factis *contumeliosè* Legislatorem *habere* dicitur.

Is homo] *Anima illa*, ut in sequentibus.

Causa ejus pœnæ in eo est] עונה בה *iniquitas ejus in ea est*; nempe, *anima.* עון pro pœna hìc sumitur, ut passim. De hac autem loquutione, vide notata ad Levit. XX, 9. Cùm Deus furtum, mutilationem aliáque delicta, quæ contra Legem esse nemo poterat ignorare, mitiore supplicio puniret; quæritur quomodo hæc lex, quæ capitali pœnâ plectit eos qui prudentes peccarunt, cum illis possit in concordiam redigi? At si qui furabatur, deprehensus & monitus, responderet se probè scire Legem à se violari, sed ejus auctoritatem pili se non facere, quippe quæ falsò à Deo data jactaretur; is quoque peccabat *manu elatâ*, & capite pœnas luere debebat. Ideóque furtum, aliáque alioqui non capitalia delicta, continentur etiam hac Lege. Si qui verò delictum non capitale commiserat, non diffiteretur se malè fecisse, Legémque verè divinam à se violatam esse; sed se paupertate, vel adfectu quopiam transversum actum peccasse, pœnas luebat mitiores, in aliis Legibus sancitas. Rabbini existimant hanc Legem intelligendam de Idololatria, quod non est prorsus verum; quamvis peccatum, elatâ manu commissum, sæpe ab idololatrico animo proficisceretur. *Maimonides* More Neb. III. c. 41. *Nemo ita peccat* (manu elatâ) *nisi cujus animo insidet opinio, vel dogma legis intentioni repugnans. Hinc communis & recepta legis*

holocautoma, ut sit odor placamenti Jehovæ, (donarium ejus *farreum* & libamen ejus erunt pro ritu *solito*) & hirco uno pro peccato. 25. Sacerdos omnem cœtum Israëlitarum expiabit, & veniam consequentur, quia error fuerit, & obtulerint Jehovæ oblationem suam igne absumendam *in holocautoma*, & victimam pro peccato suo coram Jehova, pro errore suo. 26. Veniam consequetur universus cœtus Israëlitarum, & peregrinus inter vos peregrinans; quia toti cœtui, per errorem, *peccare contigerat*.

27. Si verò vir unus peccaverit, per errorem, offerat capram anniculam pro peccato suo; 28. & sacerdos expiabit hominem errantem, eo quòd per ignorantiam peccaverit, ita ut expietur coram Jehova & veniam consequatur. 29. Indigenæ inter Israëlitas & peregrino inter vos peregrinanti, una erit lex circa eum, qui per errorem *quidpiam* fecerit.

30. Quicumque verò ex indigenis, aut peregrinis manu elatâ *quidpiam* fecerit, Jehovam

per ignorantiam, neglectum fuerit à toto populo, aut à singulis Hebræis, certa in eam rem piacula sunto. 24. Cùm totus populus errore peccarit, juvencum in holocautoma, & hircum pro peccato, cum libamine & farre lege constitutis, offerto. 25. Iis victimis rite mactatis, Sacerdos peccatum ab inscio populo admissum expiato; 26. & quicumque, etiam peregrini, totius populi exemplum sequuti, peccarint, expiati habentor. 27. 28. At si singuli per errorem peccarint, capram anniculam pro peccato mactandam ad Sacerdotem ducunto, atque ita ritu solito ab eo expiantor. 29. Peregrinis & indigenis eadem lex esto. 30. At si quis aut Hebræus, aut peregrinus sciens

gis hujus expositio est, quòd in ea loquatur Scriptura de idololatra. De quovis delicto, sed cum blasphemia conjuncto, Moses agit; nec tam delicto ipsi (quale esset furtum) quàm rationi quâ committitur, pœna infligitur, quæ eadem est ac blasphemi.

32. *In eo deserto*] במדבר *bammidbar*, ה emphaticum, quod hîc latet, videtur idem valere ac pronomen demonstrativum: ἐν ταύτῃ τῇ ἐρήμῳ, in eodem, nempe, deserto ubi Lex superior lata est, quod non satis constat quodnam fuerit. Alioqui frigida esset hæc observatio, cùm ferè quæcumque narrat Moses in deserto contigerint, exceptis extremis populi Hebræi in Basanitide rebus gestis. Volunt tamen Hebræi nonnulli significari præceptum de Sabbatho in ipso deserto fuisse observandum; sed quamvis vox במדבר esset omissa, quis aliter rem intelligere posset? Hoc autem hîc additur, ut exemplum Legis ab homine volente & sciente neglectæ, quòd à Deo latam negaret.

33. *Adduxerunt*] הקריבו *accedere fecerunt.*

34. *Non constabat*] Sabbathi ferias labore quopiam violantem morti quidem in Sinaïtico deserto damnarat Deus, ut liquet ex Exod. XXXI, 14. XXXV, 2. Sed de genere mortis dubitabat Moses.

35. *Consulenti*] Res ipsa ostendit omitti hanc circumstantiam. Vide similis omissionis exemplum Cap. IX, 9.

Morte adficietur] *Morte morietur.* Neque enim poterat ignorare non licere Sabbatho ligna colligere, cùm ne cibum quidem parare liceret, quod vel oculis discere poterat. Videtur etiam is homo Sabbathi ferias violasse, non modò sciens & prudens, sed etiam in contemtum Dei Israëlis, seu, ut loquitur Moses, *manu elatâ*; qua de causa, ejus exemplum superiori Legi subjicitur.

Extra castra] Sic solebat fieri in capitis supplicio. Vide Levit. XXIV, 14. Postea extra urbes supplicium irrogabatur, ut videre est in historia Nabothi 1. Reg. XXI, 12. Vide & Act. VII, 58. Heb. XIII, 11. & seqq. Factum hoc videtur, ne cadavere, ejúsque conspectu locus & homines polluerentur.

Gravissimum autem in violatorem Sabbathi supplicium constituitur, non quòd peccatum ejus in se spectatum tantum sit scelus. Sed primò in Legem, quam non poterat ignorare, peccabat; deinde ejus exemplo poterant multi abuti, ac tandem Sabbathum, creationisque rerum universitatis memoriam planè negligere; denique hic homo *manu elatâ*, seu sciens, ac prudens & spretâ lege, peccatum hoc admiserat.

38. *Fimbriam*] ציצת *tsitsith.* Vidimus suprà ad Levit. XIX, 27. hac voce significari cæsariem summi verticis, hîc verò *fimbriam* sonat, quæ comæ instar extremæ tunicæ adnexa erat. Unde vocatur Græcè κράσπεδα Matth. XXIII, 5. ut habent hîc LXX. Intt. Moris fuit Ægyptiaci ferre ejusmodi vestes fimbriatas, ut docet *Herodotus*, his verbis ex Lib. II. c. 81. Ἐνδεδύκασι κιθῶνας λινέους, περὶ τὰ σκέλεα θυσσανωτούς, οὓς καλέουσι καλασίρις: *induti sunt tunicis lineis, circa crura fimbriatis, quas vocant Calasiris.* Fortè *Calasiris* est קלע צריר kelah-tserir *velum adstrictum*, aut *arctum*; scilicet, pro corporis modulo.

Ad oras vestium] על כנפי hal canphe, *ad alas.* LXX. ad verbum πτερύγια. *Hieronymus*, *angulos palliorum.* Sed כנף *chanaph* quamvis extremitatem significat, ubi de veste sermo est; quamvis verum sit ad quatuor hujus angulos inferiores fila assuta. Vide Deut. XXIII, 12.

Addantque fimbriæ] נתנו על *nathenou hal*, ponent supra. Rem ita describit *Hieronymus* ad Matth. C. XXIII. *Jusserat quoque aliud Moses, ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias* (debuit potiùs dicere *fila*, aut *funiculos*) *facerent, ad Israëlis populum dignoscendum; ut quomodo in corporibus circumcisio signum Judaicæ Gentis daret: ita & vestis haberet aliquam differentiam. Superstitiosi Magistri captantes auram popularem, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias & acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet & ambulantes & sedentes interdum pungerentur; & quasi hac admonitione retraherentur*

vam contumeliâ adficiet, & is homo è populo suo exscindetur. 31. Quia verbum Jehovæ spreverit, præceptúmque ejus irritum fecerit, exscindetur is homo, causa ejus pœnæ in eo erit.

32. Dum essent Israëlitæ in deserto, deprehenderunt virum die Sabbathi ligna colligentem. 33. Qui autem deprehenderant eum ligna colligentem, hominem ad Mosem, Aharonem & totum cœtum adduxerunt, 34. atque in custodia reliquerunt, quia non constabat quid illi fieri deberet. 35. At Jehova Mosi *consulenti*, morte, inquit, adficiatur vir ille, lapidibus eum obruat omnis cœtus, extra castra. 36. Eum ergo castris eduxit omnis cœtus, lapidibúsque obruit, & *reus* mortuus est, quemadmodum Mosi præceperat Jehova.

37. Dixit Jehova Mosi: 38. alloquere Israëlitas, iisque dicito, faciant sibi fimbriam ad oras vestium suarum, in *futuras* ætates suas, addántque fimbriæ oræ filum hyacinthinum. 39. Hæc erit vobis fimbria, & videntes eam memores eritis omnium præceptorum Jehovæ, eáque facietis; neque vagantes indulgebitis animis aut oculis vestris, quibus indulgentes scortamini. 40. Quapropter memoriâ teneatis, faciatísque omnia mea præcepta, & Deo vestro sacri sitis. 41. Ego sum Jehova Deus vester, qui vos eduxi ex Ægypto, ut sim vobis Deus. Ego Jehova Deus vester.

XVI. Ko-

sciens prudénsque legem perfregerit, quòd eam divinitus datam non esse, nec observari debere contendat & profiteatur, addens contumeliosis verbis; nulla piacula sunto, Deum ipsum contumeliosè habuisse censetor, eique hoc capital esto. 31. Deum sciens quisquis ita spreverit, è medio tollitor.

32. Cùm in eadem solitudine, in qua superior Lex lata est, tenderent Hebræi, contigit memorabile exemplum statui in hominem, qui sciens & volens Sabbathi ferias violaverat. Is enim die Sabbathi, cùm ligna extra Castra colligeret, 33. in ipso delicto est deprehensus, & confestim ab iis qui eum deprehenderant, pertractus ad Mosem, Aharonémque, coram toto populo, violatique Sabbathi accusatus. 34. Cùm dubium non esset quin capite pœnas luere eum oporteret, ob violatum præceptum quod ignorare non poterat; nesciebat Moses quo mortis genere è medio tollendus esset. Itaque in custodiam conjectus est, donec consultus Deus certo genere mortis eum damnaret.

35. Respondit verò Deus extra castra esse lapidibus obruendum; 36. eáque sententia illico exsequutioni mandata est.

37. Jussit quoque Deus Mosem, 38. legem ferre Israëlitis, quâ oræ inferiori palliorum suorum fimbrias addere, & quatuor eorum angulis fila hyacinthina adsuere juberentur. 39. Adjecit hoc genere ornamenti Israëlitas distinctum iri ab aliis populis, idque quotiescumque visuri essent, intellecturos singulari ratione se Deo esse consecratos; adeoque omnium ejus legum observatores esse oportere, nec opus esse ut sibi ipsi Religionem comminiscerentur, aut imitarentur alienas; quandoquidem eam à Deo acceperant, qualem esse conveniebat. 40. Memores ergo dumtaxat divinarum legum eos esse oportere; 41. præsertim cùm essent ab eo Numine datæ, a quo erant servituti Ægyptiacæ erepti, & cujus omnes ratæ sunt & minæ & promissiones.

P A-

tur ad officia Domini, & ministeria servitutis ejus.

Filum hyacinthinum] פתיל תכלת *phethil thechelcth.* De priore voce, vide not. ad Genes. XXXVIII, 18. de posteriore ad Exod. XXV, 2. Ut verba valent usu, sic & signa quævis, quæ pro arbitrio instituentis significationem quamlibet accipiunt. Itaque Deus potuit hoc instituere quasi signum, quo Hebræi se è posteris Jacobi esse, adeóque Legis Israëlitis datæ observantes esse oportere monerentur. Si quæras quare *hyacinthina* fuerint hæc fila; quamvis arduum sit ejusmodi quæstionibus respondere, nec interpretibus idgenus necessitas imponi possit, crediderim spectari ad tunicam hyacinthinam Pontificis Maximi, atque eo colore monitos esse Hebræos se esse *populum sacerdotalem*, adeóque omnes Deo sacros. Vide Exod. XIX, 6.

39. *Neque vagantes*] *Neque exploretis* (תתורו) *post cor vestrum, & post oculos vestros, post quos scortamini.* תור *thour* est explorare hinc illuc vagando, quemadmodum fecerunt speculatores in Chananæam missi. Hinc ad res animi translatum, significat per varias opiniones velut vagari, ut quæ maximè omnium arridebit eligatur. Eo sensu legitur Eccles. I, 13. *Animum adplicui ad quærendum & explorandum* (לתור) *sapientiâ, quidquid fit sub cœlo.* Vide & VII, 25. Hoc quoque in loco, eadem est huic voci potestas subjecta; nec aliud vult Deus, nisi Hebræos posthac quid rectum aut secus sit, non ampliùs quæsituros, quandoquidem divinitus quid sibi faciendum, quidve fugiendum esset edocti erant.

Indulgebitis animis] *Post cor vestrum.* Cùm Hebraïsmi verbotenus conversi nullus esset sensus, Latinâ phrasi eum exprimere necesse fuit. *Ire post cor suum* est animo suo indulgere, & in hoc loco eam Religionem eligere, aut sibi fingere, quæ adfectibus consentanea sit. Sic Jer. III, 19. *Tempore illo, vocabunt Jerosolimam thronum Jehovæ, eò convenient omnes gentes, ad nomen Jehovæ Jerosolimam, neque ibunt ampliùs post pravitatem cordis sui mali,* ילכו אחרי שרירות לבכם; hoc est, Religionem fingent. Vide & ejusdem Prophetæ Cap. IX, 13, 14.

Oculis vestris] *Post oculos vestros*; hoc est, sacra quæ videritis, apud finitimas gentes, non imitabimini, ut in Ægypto fecistis. Sic *incedere in adspectu oculorum suorum*, est facere quod ab aliis fieri videmus Eccles. XI, 9. *Incede in viis cordis tui, & in adspectu oculorum tuorum, sed scito Deum propter ista adducturum te in judicium.* Sæpè *animus* conjungitur cum *oculis*,

quia

XVI. Korachus, Dathan & Abiramus in Mosem & Aharonem conspirant, ac divinitus plectuntur cum suis. Aliorum frementium, ea de causa, quatuordecim millia cœlesti igne occiduntur.

1. KORACHUS filius Itsharis, filii Kehathi, filii Levis, Dathan & Abira- CAPUT XVI.
mus, Eliabi filii, atque On Phelethi filius Rubenitæ, sumtis *secum aliis*,
2. insurrexere in Mosem, unàque cum iis ducenti quinquaginta Israëlitæ,
ex principibus cœtûs, qui in conventum vocabantur, viri *clari* nominis. 3. Ad
Mosem & Aharonem convenerunt, iisque dixerunt: satis vobis sit omnem cœtum,
quotquot sumus, sacrum esse, Jehovámque inter Israëlitas versari, quare supra cœ-
tum Jehovæ vos effertis? 4. *Hæc* cùm audivisset Moses, in vultum suum concidit,
5. Korachúmque & omnem ejus turbam his verbis alloquutus est: *cras* manè Je-
hova significabit quisnam suus sit, & quemnam sibi sacrum propiùs sibi adesse ve-
lit; quem verò elegerit, eum ad se accedere jubebit. 6. Hoc facite, capite vobis
acerras, cùm Koraehus, tum omnis ejus cœtus. 7. Iis ignem imponite, & suffi-
tum cras, coram Jehova, injicite; vir autem quem Jehova elegerit, is sacer *erit*.
Satis vobis sit, ô Levitæ.

8. Dixit

PARAPHRASIS.

1. QUAMVIS multis, iisque manifestis prodigiis Deus ostendisset Mosem & Aharonem à se ipso ad ea munera, quibus fungebantur, esse vocatos; attamen ex Tribubus Levitica & Rubenitica invidi homines coitiones contra eos facere cœperunt. Korachus Levita, ex Kehathi familia, Dathan & Abiramus Eliabi filii, & On Phelethi filius Rubenitæ principes eorum consiliorum erant. 2. Sed secum etiam sentientes habebant ducentos quinquaginta viros primarios, qui unà cum Tribuum Principibus, Reipublicæ causâ, ad Tabernaculum Conventûs à Mose solebant convocari. 3. Hi Mosem & Aharonem adierunt, dixeruntque satis superque esse debere utrique, si tamquam unus multorum à populo Hebræo, qui totus Deo sacer erat, haberetur; nec ullam præsertim rationem esse, cur Aharon sibi soli Sacerdotium vindicaret. 4. Quæ cùm audiret Moses, in faciem concidit, ut eos placaret; quod cùm frustra tentasset, 5. Koracho, ejúsque globo dixit nullam esse rationem commodiorem dirimendæ controversiæ, quam Aharoni de Sacerdotio movebant, quàm si Dei ipsius judicio rem permitterent; neminem enim certiùs indicaturum quem Sacerdotem populi Hebræi esse oporteat, quàm Deum. 6. Igitur sequente luce adesset Korachus cum suis, adferréntque singuli acerram igne plenam, 7. & suffitum ei injicerent, ut Tabernaculum suffirent. Tum verò Deum, quem vide-

quia nullâ re magis adficitur, quàm iis quæ videt. Vide Eccles. II, 10.

Scortamini] In idololatriam delabimini. Vide not. in Exod. XXXIV, 15.

40. *Deo vestro sacri eritis*] Pro populo suo vos habebit.

41. *Ego sum Jehova*] Hîc sunt ὁμοιοτέλευτοι versiculi quinque, quos an datâ operâ Moses fecerit, anve sponte ex ejus penna fluxerint nescio. Ordine eos addam:

אני יהוה אלהיכם
אשר הוצאתי אתכם
מארץ מצרים
להיות לכם לאלהים
אני יהוה אלהיכם

Nihil poterat efficacius dici, ut Israëlitæ ab Idololatria avocarentur, quàm hoc. Vide Exod. XX, 2.

COMMENTARIUS

In CAPUT XVI.

1. K*Orachus*] Itshar, hujus pater, frater erat Hamrami patris Mosis & Aharonis. Vide Exod. VI, 18. Ut acerrima sunt propinquorum odia, sic & invidiæ vehementissimæ. Cùm ergo hic esset frater patruelis Mosis & Aharonis, alteri summam auctoritatem, in administratione totius Reipublicæ Populi Hebræi; alteri Sacerdotium invidit. Fortè etiam ægrè tulit quòd Princeps Kehathitarum constitutus esset *Elitsaphan*, frater itidem patruelis.

Dathan &c.] Ægrè fortè tulerunt homines Rubenitæ, à primogenito Israëlis oriundi, jura primogeniti in alias Tribus collata. Vide not. in Gen. XLIX, 4.

Rubenitæ] בני ראובן *filii Ruben*. Samaritæ legunt בן *ben* in singulari, adeò ut solus *On* intelligatur fuisse Rubenita. Sic & LXX. υἱοῦ Ῥουβὴν.

Sumtis secum aliis] *Et sumsit Korachus* &c. nempe, ducentos quinquaginta viros, de quibus vers. 2.

2. *In Mosem*] *Coram Mose*; ausi sunt ei in faciem resistere.

Unàque cum iis] *Et cum iis*.

Qui in conventum vocabantur] *Vocati conventûs*. Cùm necesse non erat totum populum convenire, hos vocabat Moses; qui cùm non posset alloqui concionem, ita ut ejus vox ab omnibus exaudiretur, proximè ad se accedere jubebat eos, qui maximè gratiâ atque opibus inter Tribules suos valebant, præter duodecim totius Israëlis Principes. Fortè hi erant inter Præfectos ex Jethronis consilio constitutos. Vide Exod. Cap. XVIII.

3. *Satis vobis sit*] רב לכם *rab lachem*, multûm

8. Dixit quoque Moses Koracho *& aliis*: audite, quæso, Levitæ. 9. An minus hoc est quàm vos *deceat*, quòd Deus Israëlis, ab Israëlis cœtu vos secreverit, ut ad se juberet accedere, quò negotia tabernaculi Jehovæ curaretis, & coram cœtu staretis, ut huic ministraretis? 10. Jussit te, *ô Korache*, & omnes fratres tuos Levitas tecum accedere, & præterea Sacerdotium adsectatis? 11. Itaque tu & omnis tua turba coitiones fecistis contra Jehovam; nam quis est Aharon, ut in eum confrematis?

12. Misit etiam Moses, qui vocarent Dathanem, & Abitamum Eliabi filios; at dixerunt: non ibimus. 13. An parum est quòd nos eduxetis ex terra lacte & melle fluente, mortis nobis in hoc deserto consciscendæ causâ, ut præterea principatum in nos adfectes? 14. Certè nequaquam intromisisti in terram lacte & melle fluentem, nec donasti nos prædio agri, aut vineæ; an oculos vitis hisce effodies? non ibimus.

15. Moses verò, *his auditis*, vehementer excanduit, & dixit Jehovæ: ne eorum donarium respexeris. Ne unum quidem asinum ab iis abstuli, nulli eorum malè feci. 16. Koracho verò dixit iterum Moses: tu & omnis tua turba estote cras coram Jehova, cum Aharone. 17. Sumite quisque suam acerram, suffitúmque in iis ponite, & quisque acerram suam coram Jehova offeret; *ut sint* ducentæ quinquaginta acerræ, túque & Aharon, quisque suam *habeatis*.

18. Sumsit verò quisque acerram suam, injecitque in eam ignem, & imposuit suffi-

deretur, electurum, & Korachum, aliosque Levitas, qui consiliorum ejus participes erant, intellecturos non esse cur sacri ministerii partem sibi adtributam spernerent, ac sacerdotium adsectarent. 8. Addidit etiam Moses Korachum & Tribules ejus 9. sat honorifico munere fungi, quos ad Tentorium suum solos, cum Sacerdotibus, accedere jussisset, sacrorúmque supellectilium curam gerere, loco totius Hebræi Populi. 10. Pravam verò esse ambitionem, quâ extimulati Sacerdotium Aharoni, qui id à Deo acceperat, ereptum irent; 11. nec eos conspirasse contra Aharonem, sed contra Deum ipsum, nam Aharonem non esse tanti, ut eorum fremitus in se concitaret.

12. Cùm Korachum, eósque qui latera ejus cingebant ita alloqueretur Moses, Dathan & Abiramus non aderant. Itaque eos accersiri jussit, at illi negarunt se ad eum venturos. 13. Jaciebant etiam seditiosa in Mosem dicteria, aiebántque satis videri debere Mosi quòd populum Hebræum in desertam Arabiam, in qua in summo periculo versabatur, impunè adduxisset, nec oportere eum regio more populares suos habere. 14. Nimis esse manifestum ab eo deceptum esse populum Hebræum, cui se divisurum fertilissimæ regionis agros frustra promiserat; nec posse eum efficere ne viderent quod sibi præ oculis erat. Itaque ad Tabernaculum, ad quod, regio more, ipsos vocabat, nequaquam ituros.

15. Cùm hæc Mosi essent nunciata, ad preces conversus est, Deúmque oravit ne suffitum seditiosorum propitius acciperet, néve cœptis eorum faveret; qui se, à quo nullâ injuriâ lacessiti fuerant, à gubernaculo Reipublicæ Populi Hebræi amotum vellent. 16. 17. Tum Koracho & iis qui unà aderant, iterum crastinam lucem, quâ cum acerris ad Tabernaculum Conventûs adessent, præstituit.

18. Ortâ luce, adfuerunt singuli cum acerris; quibus injecto suffitu, ad ostium Tabernaculi Conventûs, unà cum Mose & Aharone, se se stiterunt; 19. quò concurrerat etiam universus populus Korachi artibus commotus, ut quid futurum esset videret.

tùm vobis. LXX. Intt. ἱκανούσθω ὑμῖν, Vulg. *sufficiat vobis*. Sic & vers. 7. Vide Deut. I, 6. II, 3. Significant seditiosi satis debere esse Mosi & Aharoni, si habeantur ex eo populo, qui universus erat sacer Deo, nec supra alios eminere eos oportere.

Omnem cœtum, quotquot sumus, sacrum esse] *Quòd omnis cœtus, omnes illi sacri.*

4. *In vultum suum concidit*] Fortè ut eos placaret, ut suprà in alia seditione Cap. XI.

5. *Cras manè*] בקר וידע *mane & notum faciet*. LXX. Intt. ἐπέσκεπται καὶ ἔγνω ὁ Θεὸς. Legerunt בָּקַר non בֹּקֶר, ut legimus. Vulg. *manè notum faciet*, ut *Vau* in וידע abundet. Huic lectioni favet vers. 7. Posset etiam ita locus verti: *matutinum tempus* exspectate, *& patefaciet.*

Et quemnam sibi sacrum] Sacerdotis, nempe, munere fungentum.

Propiùs sibi adesse velit] והקריב אליו *& facit accedere ad se*. Ita describuntur Sacerdotes, aliis in locis. Vide not. ad Levit. Cap. X. 3. Samaritæ habent יקריב in futuro.

Ad se accedere jubebit] יקריב *jakrib*; hoc est, Sacerdotio fungi jubebit, vel Sacerdotem constituisse intelligetur.

6. *Omnis ejus cœtus*] Videntur Levitæ, magna ex parte, fuisse, quandoquidem *Levitæ* vocantur, in sequentibus verbis.

7. *Sacer eris*] קדוש quod hoc in loco Sacerdotii sanctimoniam significat.

Satis vobis sit] Quod rerum sacrarum bajulationi inservitis. Vide ad vers. 3.

9. *An minus hoc est*] המעט מכם *an parvum præ vobis*? Hebraïsmus est notissimus. Vide ad Gen. XXXII, 10.

Ad se juberet accedere] Ut Tabernaculi, in itinero, curam gererent, non ut Sacerdotes essent; quod hac ipsâ phrasi antea significatur, quæ est Hebraïcæ Linguæ ἀκυρολογία.

Negotia curaretis] *Ad faciendum opus.*

Ad standum coram] Perinde est ac si dixisset, ad serviendum. Vide not. ad C. III, 5.

Ut huic ministraretis] Ut ejus loco supellectilia sacra curetis. Vide Cap. III, 8.

11. *Coi-*

suffitum; tum steterunt ad ostium tentorii conventûs, cum Mose & Aharone. 19. Contra eos convocaverat Korachus universum cœtum ad ostium tabernaculi conventûs, & omni cœtui conspicua facta est gloria Jehovæ. 20. Dein alloquutus est Jehova Mosem & Aharonem dicens: 21. seorsim ite ab hoc cœtu, eúmque momento temporis absumam. 22. *Hi* verò conciderunt in vultus suos & dixerunt: ô Deus, Deus spirituum omnis carnis, vir unus peccavit, & in universum cœtum excandesceres?

23. Alloquutus postea est Jehova Mosem, his verbis: 24. alloquere cœtum dicens: recedite circumquaque à tabernaculis Korachi, Dathanis & Abirami. 25. Surrexit itaque Moses, ivitque ad Dathanem & Abiramum, & eum sequuti sunt senes Israëlis. 26. *Ibi* alloquutus est cœtum, his verbis: recedite, quæso à tentoriis virorum illorum malorum, neque quidquam eorum omnium, quæ ad eos pertinent, adtingite, ne omnium eorum peccatorum pœnis absumamini. 27. Omnes recesserunt à circuitu tabernaculorum Korachi, Dathanis & Abirami; Dathánque & Abiramus egressi sunt stantes ad ostia tabernaculorum suorum, uxorésque, liberi & impuberes eorum.

28. Tum Moses, hac re, inquit, intelligetis Jehovam me misisse, ut omnia hæc opera ederem, neque proprio animi motu *me hæc gessisse*. 29. Si hi morientur, ut moritur omnis homo, & supplicio cujusvis *alius* hominis plectentur, me Jehova non miserit. 30. Si verò rem novam fecerit Jehova, & terra os suum aperuerit, eos de-

ret. Cùm verò omnes illuc convenissent, descendit nubes ad Tabernaculum, 20. unde prodiit vox Mosem & Aharonem uominatim adpellans, 21. eósque jubens è medio Populo Hebræo recedere, dignam enim esse, novarum rerum cupidam gentem; quandoquidem perpetuò aut ipsa sediriones ciebat, aut cientibus favebat; quæ tota Numinis justitiâ deleretur. 22. Moses vero & Aharon, cùm in vultus concidissent, Dei iram deprecati sunt. Palam professi omnium hominum vitæ arbitrum esse Deum, quam jure posset, quotiescumque vellet, repetere; excusarunt populum Hebræum, quoad licuit, eo quòd ipse sponte suâ hanc in rem non convenisset; dixerintque unius Korachi esse consilium, nec æquum visum iri, si unius ob culpam tota gens internecione deleretur.

23. His precibus permotus Deus jussit Mosem 24. monere populum, ut procul à tentoriis Korachi, Dathanis & Abirami abiret, ne iis adhærens pœnarum, quas luituri erant, particeps esset, fore enim ut dehiscente terrâ & eorum tentoria & vicina quæque haurirentur. 25. Itaque Moses & Aharon se ad ea tentoria contulere, unà eum primoribus ceteris populi Hebræi, 26. monuerúntque eos qui juxta tendebant confestim ab illorum vicinia recederent, neque quidquam quod ad malos illos viros pertineret adtingerent, ne unà cum iis perirent. 27. Illico quicumque in vicinitate tendebant, tentoria & omnia sua procul amoverunt. Korachus verò, Dathan, & Abiramus, cum omnibus suis, negantes quidquam sibi metuendum esse, ad ostia tentoriorum suorum steterunt.

28. Moses autem universo populo eventum harum minarum exspectanti; manifesto, inquit, indicio hodie, Hebræi, an sine jussu Dei hoc administrandæ Reipublicæ munus capessiverim, & fratri Sacerdotium contulerim, intelligetis. 29. Si Korachus, Dathan & Abiramus solito genere mortis intereant, pœnasque dent nobis vulgares, me à Deo ad vos missum negatote. 30. Si verò inusitato mortis genere pereant, & terrâ hiante cum omnibus suis vivi hauriantur; agnoscite hos homines non mihi sed

11. *Coitiones fecistis*] נועדים *nohadim*. Vide Cap. XIV, 35.

Nam quis est Aharon] Vide uotata in Exod. C. XVI, 7.

12. *Non ibimus*] *Non adscendemus*.

13. *Ex terra lacte & melle fluente*] Ex Ægypto fertilissima regione. Vide not. ad Exod. C. III, 8.

Principatum in nos adfectes] כי תשתרר עלינו גם השתרר *principem te facias supra nos, etiam principem te faciendo*. Vulgatus: *nisi & dominatus fueris nostri*. LXX. verò ὅτι κατάρχεις ἡμῶν; ἄρχων εἶ. Sed sensum hujus loci nequaquam intellexerunt.

14. *Certè nos nequaquam* &c.] אף לא *aph lo*. Particulam אף hîc non posse verti *etiam*, ut solet, satis manifestum est, ex lectione superioris versûs. Hinc Onkelos: ברם *certè*. LXX. Int. & Vulg. negatione omissâ, habent καὶ οὐ εἰσήγαγες, *reverâ induxisti nos*, quasi hîc esset Ironia.

An oculos] Quasi dicerent; visne nos non videre id quod videmus, nempe, te promissis nequaquam stare?

Viris hisce] Aut totum populum significant, aut eos qui coïtiones cum Koracho fecerant.

15. *His auditis*] Responsione Dathanis & Abirami, quam Mosi relatam fuisse manlfestò intelligendum.

Ne eorum donarium] מנחתם *minhhatham*, quod cùm plerumque *farreum donarium* sonet, hîc pro suffitu sumi videtur. Hæc enim verba non respiciunt responsum Rubenitarum, sed quod postea facere jubentur Levitæ.

Respexeris] תפן *thephen*. Vide not. ad Gen. IV, 5.

Ne unum quidem asinum] Non se gesserat Regis instar, qui tributa à populo exegisset; adeóque principatum eum adfectasse falsò dicebant. Regebat Hebræos gratis, neque ullam sibi auctoritatem adrogabat, nisi propheticam; quæ in eo potissimùm sita erat, ut quæ nomine Dei populo Hebræo edixerat, ea exsequutioni mandari curaret. Contrà Samuel 1 Sam. VIII, 16. Regum consuetudinem describens, inter plura quæ eos auferre à subditis ait: *servos vestros*, inquit, *ancillas*, *strenuos juvenes*, & *asinos* vestros

deglutierit & quæcumque ad eos pertinent, descenderintque vivi in sepulcrum, tum intelligetis hosce viros aspernatos esse Jehovam. 31. Cùm hæc omnia verba absolveret eloqui Moses, dirupta est terra 32. quæ sub iis erat, & aperuit os suum, deglutiitque eos, domus eorum, omnes homines ad Korachum pertinentes, & universas *eorum* facultates. 33. Illi cum suis omnibus descendetunt vivi in sepulcrum, texit eos tetra, atque è medio cœtu ablati sunt. 34. Omnes Israëlitæ circumquaque fugerunt, iis clamantibus; dicebant enim: ne nos terra absorbeat. 35. Ignis etiam egressus est à Jehova, & ducentos quinquaginta viros, qui suffitum offerebant, ambussit. 36. Alloquutus est deinde Jehova Mosem, his verbis: 37. dic Elehazari, Aharonis sacerdotis filio, tollat acerras è media ambustione, ignemque aliò spargat, quia sacræ sunt; 38. acerras peccatorum illorum, quæ sunt inter eorum cadavera; atque ex iis fiant ductæ *malleo* laminæ, quibus tegatur altare; eas enim obtuletunt, coram Jehova, & consecratæ sunt; erúntque in signum Israëlitis. 39. Sumsit itaque Elehazar sacerdos acerras æneas, quas ambusti obtulerant, eásque malleo duxerunt, *ut fieret* operimentum altari. 40. Atque hoc monumentum erit Istaëlitis, ne accedat vir alienus à prosapia Aharonis, ad adolendum suffitum coram

sed ipsi Deo, de meo fratrisque muneribus, controversiam movisse. 31. Via hæc dicere absolverat, cùm ecce sub eorum tentoriis subitò facta sunt chasmata, 32. Korachusque, Dathan & Abiramus cum omnibus suis (exceptis Korachi liberis, qui aliò confugerant) vivi in terræ viscera descenderunt; 33. terráque iterum sponte suâ coëunte, oppressi atque suffocati sunt. 34. Cùm terra hiare inciperet, magno quidem clamore popularium auxilium imploraverant; at tantùm aberat ut quisquam opem laturus accedere auderet, ut omnes è vicinitate, ne unà absorberentur, aufugerent. 35. Interea ducenti quinquaginta viri, è Levitica potissimùm tribu, qui Koracho faverant, & cum acerris ad Tabernaculum se stiterant, igne, divinitus è Tentorio erumpente, ambusti & occisi circumquaque ceciderant.

36. Jussit tum Deus Mosem. 37. mittere Elehazarem, Aharonis filium, qui tolleret acerras æneas, quæ inter eorum cadavera jacebant, ignémque extra atrium excuteret, quod, nimirum, ab illis Deo consecratæ essent; 38. atque eas in laminas conflari, quibus altare holocautomatum tegeretur, ut hujus seditionis exstaret monumentum. 39. 40. Hæc à Mose jussus exsequutus est Elehazar, bracteæque æneæ, quibus obductum est altare, monumentum fuere, ex quo discerent Hebræi, neminem qui ex Aharonis prosapia non esset, suffitum Deo offerre opor-

vestros capiet, iisque utetur in negotiis suis. Idem Propheta, cùm se regio more usum negatet, inter alia hoc habet Cap. XII, 3. *cujus asinum accepi?* Hæc cùm ita sint, dubium mihi non videtur quin verissima sit lectio nostrorum Codicum, in quibus legimus חמור hhamor, *asinum.* Attamen Samaritæ habent חמוד hhamoud, *rem cupitam*, quod LXX. verterunt ἐπιθύμημα. Ceteri verò Intt. cum lectione nostra consentiunt. Rabbinus ille, qui Epitomen Judaïcæ Historiæ ex *Josepho*, & Rabbinicis commentis consarcinavit, vult hunc locum unum esse ex tredecim, qui immutati sint à LXX. Intt. ne offendiculo essent Ethnicis: שלא יאמר חמור לא נשא אבל שוחד אחר לקח *ne diceretur asinum non abstulit, sed aliud* (malè legit *Munsterus* אחד *unum*) *munus accepit.* Multò verisimilius est deceptos esse adfinitate litterarum ר & ד, quæ & alibi non raro miscentur. Vide in hoc ipso libro Cap. I, 14. & II, 14.

18. *Sumsit verò quisque* &c.] Mirum est hos homines fuisse usque adeò occæcatos, ut auderent electionem Aharonis à Deo factam in controversiam vocare, cùm jam Deus significasset accepta sibi esse ejus Sacra, ut liquet ex Levit. C. X.

Sed fortè quia, solis Mose & Aharone audientibus, Deus Aharonem sibi Sacerdotem constituerat, ideò audebant de Dei voluntate dubitare. Alioqui numquam videntur ausuri fuisse ad Tabernaculum accedere. Pro *sumsit* habet Moses *sumserunt* in plurali, ut & sequentia verba.

21. *Momento temporis absumam*] Quòd pateretur à seditiosis Levitis controversiam moveri Aharoni de Sacerdotio; si enim aut reliquus omnis populus Hebræus, aut longè maxima pars populi contradixisset Koracho, numquam tam audax facinus adgressus esset. Quod postea *unus* dicitur peccasse intelligendum, ita ut *unus* auctor consilii fuisse statuatur, cùm reliqui in ejus dumtaxat gratiam insurrexissent in Aharonem.

22. *O Deus, Deus spirituum*] רוח *rouahh*, ut alibi passim, hîc videtur significare *vitam*, & *omnis caro* omne humanum genus. Vide not. ad Genes. VI, 3, 12. Egregiè illustrantur hæc verba Mosis, iis quæ leguntur Job. XII, 10. ubi de Deo ita loquitur Jobus: *in cujus manu est anima* (id est, vita) *omnis viventis, & spiritus omnis carnis hominis.* Eo autem elogio Deum ornat hîc Moses, quòd dixisset Deus *se absumturum totum Israëlem*, id est, *spiritum*, seu vitam ei erepturum. אלהים *elohim*, hoc in loco, perinde est ac *dominus*, & quidem creationis jure; quo nomine solus Deus omnium hominum Dominus est. LXX. Intt. conjunctionem hîc addunt, habent enim πνευμάτων καὶ πάσης σαρκός. Sed seu sit ab iis suppleta, aut ab alio, perperam addita est. Vide & infrà C. XXVII, 16.

Vir unus peccavit] Vide not. ad Genes. C. XVIII, 25.

23. *Recedite*] *Adscendite* העלו. Idem ac סורו v. 26.

25. *Senes Israëlis*] De quibus diximus ad v. 2.

26. *Ne omnium peccatorum eorum pœnis*] *Ne absumamini in omnibus peccatis eorum.* Vide Genes. XIX, 15.

27. *Li-*

ram Jehova, neque fit ut Korachus, útque ejus cœtus, ficut loquutus eſt de eo Je-
hova per Moſem.
41. Poſtridie omnis cœtus Iſraëlis confremuit contra Moſem & Aharonem, & dicti-
tabat: vos populum Jehovæ occidiſtis. 42. Sed cùm cœtus contra Moſem & Aharo-
nem coiret, & ad tentorium converteretur, ecce verò illud texit nubes, & gloria Je-
hovæ conſpecta eſt. 43. Tum iverunt Moſes & Aharon ad anteriorem partem tentorii
conventus; 44. Jehova verò Moſem alloquutus eſt, his verbis: 45. recedite è medio
hoc cœtu, eúmque momento temporis abſumam. At illi in vultum conciderunt,
46. & dixit Moſes Aharoni: accipe acerram eíque ignem imponito ex altari, & ſuffi-
tum injicito; tum celeriter ito ad cœtum, eúmque expiato; ira enim à conſpectu
Jehovæ egreſſa eſt, *& jam* cœpit plaga. 47. Cepit Aharon *acerram*, ut dixerat Moſes,
atque in medium cœtum cucurrit; ecce verò jam cœperat plaga inter populum. Suffi-
tum impoſuit *acerræ*, populum expiavit, 48. ſtetitque inter mortuos ac vivos, & co-
hibita eſt plaga. 49. Mortui autem ſunt illâ plagâ quatuordecim millia *hominum*,
ſeptingenti, præter eos qui Korachi causâ mortui erant. 50. Reverſus eſt Aharon ad
Moſem, ad oſtium Tabernaculi conventûs, poſtquàm plaga cohibita fuit.

XVII. Aba-

oportere, prout à Moſe ejus juſſu edictum fuerat. 41. Poſt hæc prodigia, nihilo ſeciùs poſtridie orta eſt inter populum ſeditio, & vulgò fremebant Hebræi, indignum eſſe facinus quòd Moſes & Aharon populares ſuos eo modo interficerent. 42. Itaque concurſus factus eſt ad Tabernaculum, ut à fratribus ejus ei rationem reddi, in concione Populi Hebræi, flagitarent ſeditioſi. Cùm verò illuc ſe conferrent, nubes ad Tabernaculum, eoram omnibus, demiſſa eſt, 43. Moſésque & Aharon jam ad anteriorem ejus partem ſe ſtiterant. 44. 45. Tum Deus eos iterum juſſit ſeorſim ire à populo, quem momento temporis deleturus erat. At illi in vultus iram Dei deprecaturi conciderunt, 46. quod cùm facere inciperent: Moſes ſenſit Deum jam cœpiſſe plagam injungere populo, quâ ſubitâ morte in extremis caſtris exſtinguebatur. Itaque Aharonem juſſit arreptâ è veſtigio acerrâ & ſuffitu ſacro, eam igne ex altari implere, & currere ad ſedandam oblato ſuffitu plagam. 47. Paruit illico Aharon, 48. & cum acerra ſuffitu plena in locum in quo frequentes cadebant cucurrit, néve latiùs ſerperet plaga à Deo impetravit, cùm inter vivos & mortuos ſuffitum offerret. 49. At antequàm ſiſteretur plaga, jam quatuordecim millia hominum, ſeptingenti ceciderant, præter eos qui pridie mortui fuerant. 50. Cùm verò nulli ampliùs caderent, Aharon ad Moſem, qui ante Tabernaculum Deum orabat, reverſus eſt.

P A-

27. *Liberi & impuberes*] בניהם וטפם *filii eorum, & impuberes*; hoc eſt, tam puberes, quàm impuberes.

28. *Proprio animi motu*] מלבי *millibbi*, ex corde meo. LXX. Intt. οὐκ ἀπ' ἐμαυτοῦ.

Me hæc geſſiſſe] Ex ſuperioribus hoc repetendum ἀπὸ κοινοῦ manifeſtum eſt.

29. *Supplicio cujuſvis hominis plectentur*] *Viſitatione omnis hominis viſitabitur ſuper eos.* De verbo פקד *viſitavit*, vide notat. ad Gen. XX, 1.

30. *Rem novam fecerit*] *Si creationem* בריאה יברא *briah jibra.* De qua phraſi vide quæ diximus ad Gen. I, 1. Confer etiam Eſa. XLVIII, 6, 7.

Os ſuum aperuerit] Chaſmate ſubitò facto, eos deglutierit. Terra alio ſenſu *aperuiſſe os ſuum* dicitur Gen. IV, 11. Chaſmata quamvis, naturæ conſueto ordine, ſæpe contigerint; poſſunt præter ordinem fieri ut hîc, ita volente Deo. Hoc autem ita futurum, arcano monitu, à Deo acceperat Moſes, quamvis hoc ſubticeatur. Vide & ad verſ. 26. Legat cui vacabit Lib. VII. Thebaïdos *Statii*, ubi deſcribitur Amphiarai vivi in Orcum deſcenſus.

In ſepulcrum] שאלה *ſcheolah*, hoc eſt, in locum ſubterraneum, in quo incumbente terrâ ſuffocati morientur, & qui eis erit loco ſepulcri. Vide notata de hac voce ad Gen. XXI, 1.

Aſpernatos eſſe Jehovam] Hoc eſt, rem à Jehova conſtitutam, non à me.

32. *Deglutiitque eos*] Dathanem, & Abiramum & Koraehum. Onem Rubenitam, qui cum iis in Moſem inſurrexerat, nonnulli ad ſaniorem mentem rediiſſe volunt, quòd ejus nulla mentio occurrat, niſi verſ. 1.

Domus eorum] Familias, ſeu liberos & ſervitia.

Omnes homines ad Korachum pertinentes] לקרח *qui Koracho*, aut *Korachi.* Intelligendi ſervi, nam liberi Korachi patrem videntur deſeruiſſe, nec eum eo perierunt, ut docet Moſes infrà Cap. XXVI, 11. Mirum autem eſt Korachum ſolum hîc nominari, non addi Dathanem & Abiramum, qui unà hiatu terræ abſorpti ſunt. Mirum quoque non excipi disertè Korachi liberos, quos (niſi alibi exitium eos fugiſſe doceret Moſes) cum patre terrâ hauſtos fuiſſe nemo non crederet, lecto hoc verſu, & collato cum 27. Verùm narrationis accuratæ Canonas ab Hebræis Scriptoribus ſperni plus ſemel obſervavimus.

Sublati ſunt] *Perierunt.*

35. *Ignis etiam egreſſus eſt*] Vide not. ad Levit. C. X, 2.

Ducentos quinquaginta] Mirum eſt hos, ſine Koracho, ad Tabernaculum acceſſiſſe, aut ab eo illic relictos; nam ille, ut ſuperiora docent, cum Tentorio ſuo hauſtus eſt.

Ambuſſit] Et occidit. אכל *achal*, quamvis propriè ſit, *abſumere*, hîc ſonat *amburendo occidere*, ut adparet ex verſu 38. Idem ſonat Lev. X, 2. ubi vide notata.

37. *Aliò*] הלאה haleah, *ultrà.* Fortè extra Atrium, quòd ignis profanus eſſet.

Sacræ ſunt] Conſecratæ Deo, licet à malis hominibus. Licebat cuivis acerras Deo conſecrare, ſed ſuffire, & quidem ſolo igne ſacro adhibito, ſolis Sacerdotibus fas erat.

39. *In-*

XVII. Aharonis familiæ electio ad Sacerdotium miraculo confirmatur.

CAPUT XVII. 1. ALLOQUUTUS est deinde Jehova Mosem dicens: alloquere Israëlitas, &
accipe ab eis virgas singulas in domus patrum, ab omnibus eorum principi-
bus, pro domibus patrum duodecim virgas, & quisque nomen suum virgæ
suæ inscribat. 3. Nomen autem Aharonis inscribes virgæ Levis, quia singulæ virgæ
sunt *singulorum* capitum domuum patrum. 4. Tum eas pones in tentorio conventûs,
ante testimonium, ubi vos convenire soleo. 5. Viri autem quem elegero virga gem-
mabit, & sic faciam ut fremitus Israëlitarum contra me & vos desinant.
6. Israëlitas itaque alloquutus est Moses, eique dederunt omnes eorum principes
virgam, singuli principes singulas, pro domibus patrum, duodecim, nimirum, vir-
gas, & virga Aharonis erat in mediis eorum virgis. 7. Eas posuit Moses coram Je-
hova, in tentorio testimonii, 8. & postero quidem die, cùm îsset ad tentorium
testimonii, ecce verò virga Aharonis, domûs Levis, gemmaverat, gemmam pro-
truserat, florem emiserat, & amygdalas ediderat. 9. Tum protulit Moses omnes eas
virgas è conspectu Jehovæ, ad omnes Israëlitas, easque inspexerunt, & quisque vir-
gam suam recepit. 10. Dixit deinde Jehova Mosi: refer virgam Aharonis ante testi-
monium, ut servetur in signum hominibus rebellibus, útque finem imponas fremiti-
bus contra me, néve moriantur. 11. Fecit autem Moses, quemadmodum eum jusse-
rat Jehova; sic fecit, 12. dixerúntque Israëlitæ Mosi: en exspiramus, periimus,
omnes periimus; 13. quicumque accedet ad tabernaculum Jehovæ morietur; an ex-
spirando absumemur?

XVIII. Sa-

PARAPHRASIS.

1. JUSSIT præterea Deus Mosem 2. à duodecim principibus Tribuum petere duodecim virgas, quibus singulis singulorum essent inscripta nomina; 3. in virga verò Leviticæ Tribûs inscribere Aharonis nomen, quippe qui ejus princeps erat; 4. deinde eas virgas, in Adyto, ante Arcam collocare; 5. quo in loco virga ejus, quem Sacerdotem Deus elegisset, gemmas, folia, flores & fructus, intra noctem unam, emissura esset; atque hac ratione, finem tandem invidorum querelis impositum iri.

6. 7. Paruit Moses Deo, & cùm tredecim virgas in Adyto posuisset, 8. posterâ luce, Adytum ingressus est; ecce verò virga Aharonis, intra eam noctem, maturas amygdalas ediderat. 9. Virgis ergo prolatis, principes quinque Tribuum singuli suas agnoverunt & receperunt. 10. Postquàm tanto portento Deus apertè significasset quem Sacerdotio fungi vellet, jussit Aharonis virgam iterum intra Adytum reponi, servarique, ut divinæ electionis Aharonis monumentum; ne quisquam ampliùs queri posset, ob Sacerdotium Aharonis familiæ collatum. 11. Rem, prout jusserat Deus, exsequutus est Moses. 12. Quo peracto, plurimi actum de se esse crediderunt, quòd seditiosorum consiliis favissent. Timorem etiam suum apud Mosem professi sunt, 13. à quo petierunt an sibi mors immineret, eò quòd eventum conspirationis Korachi speculaturi ad Tentorium accessissent; ille verò eos bono animo esse jussit.

PA-

39. *Inter eorum cadavera*] בנפשותם *in animabus eorum.* Sed נפש *anima* passim *cadaver* sonat. Alii hanc vocem conjungunt cum *peccatoribus*, ut significentur homines *qui peccarant in animam suam*, hoc est, suo sibi peccato exitium creaverant. Vide Proverb. XX, 2. 1. Reg. II, 23.

Ductæ malleo laminæ] רקעי פחים *rikkube phabbim*, extensiones laminarum. De verbo רקע diximus ad Genes. I, 6.

Quibus tegatur altare] *Operimentum altari.*

In signum] In monumentum. Aliter dixeris Hebraïcè, לזכרון *lziccharon*, quo revocatâ peccati & pœnæ memoriâ, cautiores fiant. Vide v. 40.

41. *Confremuit*] Mira in hoc populo fuit contumacia, qui tot portentis non adficiebatur.

42. *Sed cùm cœtus*] *Et fuit in coëundo & conversi sunt.*

Illud texit nubes] Vide not. ad Cap. XI, 17.

46. *Ira egressa est*] Prosopopœa quâ קצף, *ketseph*, egredi, quasi Angelus ultor, è conspectu Jehovæ dicitur; pro eo quod est, Deus jam cœpit supplicium sumere de rebellibus Hebræis. Ejusmodi est apud *Homerum* Iliad. T. vers. 90.

Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται.

Veneranda Jovis filia noxa, quæ omnibus nocet.

Arcano monitu accepit Moses Deum jam cœpisse plagam populo infligere. Vide ad vers. 30.

Plaga] Subitæ mortis.

47. *Suffitum imposuit*] Cùm pervenisset ad eos, qui plagâ jam ceciderant.

50. *Postquàm plaga cohibita fuit*] המגפה *& plaga cohibita est.* Sed superiora ostendunt *Vau* hîc esse *postquàm.* Vide Genes. XVIII, 12. XLVIII, 30.

COMMENTARIUS

In CAPUT XVII.

2. A*Lloquere* &c.] Cùm Aharoni de Sacerdotio controversia moveretur, ei finem imponere tandem voluit Deus, manifesto miraculo.

Vir-

XVIII. Sacerdotum & Levitarum officia describuntur , victúsque iis ex oblationibus & decimis adtribuitur.

1. DIxit verò Jehova Aharoni , tu & filii tui, domúsque patris tui tecum pœnam feretis delictorum in sacrarium ; tu filiique tui pœnas luetis *malè* Caput XVIII.
administrati sacerdotii vestri 2. Sed & fratres tuos , tribum Levis, sobo-
lem patris tui, tecum accedere jubebis; tibi adjungentur, & tibi ministrabunt, tu
verò, filiique tui tecum *eritis* ad anteriorem partem tentorii testimonii. 3. Curam
gerent quam eis impones, & totius tentorii ; attamen nec ad vasa sacra, nec ad
altare accedent, ne & vos & illi moriamini. 4. Adjuncti tibi erunt, & curam ge-
rent tentorii conventûs, pro omni tentorii negotio ; alienigena autem non accedet
ad vos. 5. Curam geretis sacrarii , & altaris, neque ampliùs erit *Jehovæ* excan-
descentia in Israëlitas. 6. Ego verò sumsi fratres vestros Levitas è mediis Israëli-
tis, ut eos vobis dono *dem*, *ita ut* dati sint Jehovæ, ad negotia tentorii conven-
tûs curanda. 7. Tu autem, unáque filii tui fungemini sacerdotio vestro, ad om-
nia quæ ad altare pertinent , atque intra velum, & curabitis negotia *muneris* quo
vos donavi; donavi enim vos sacerdotio , & alienigena qui accesserit morte adfi-
cietur.
8. Alloquutus est Jehova Aharonem, & en ego, *inquit*, te donavi eo quod ser-
vatur ex meis oblationibus elatis, & omnibus quæ consecrant Israëlitæ ; hæc tibi
dedi in cibum, filiísque tuis in statutum *victum* in perpetuum. 9. Hoc tuum erit,
ex

PARAPHRASIS.

1. CUm Sacerdotium iterum Aharonis familiæ
fuisset collatum , Deus Aharonem compel-
lavit , eóque audiente , has Leges ad Sacerdotes
pertinentes tulit. Posthac Sacerdotes curam Sa-
crarii , Sacrorúmque gerunto , & si quid in iis
peccetur, ejus rationem à se repetitum iri sciun-
to. 2. Ad anteriorem Tabernaculi partem tento-
ria habento , Levitásque solos ad munia iis con-
cessa obeunda adhibento. 3. Nec altare , nec va-
sa sacra Levitæ adtingunto, nec aliud quidquam,
nisi Sacerdotum jussu, administranto. Si secus aut
Sacerdotes, aut Levitæ faxint, morte pœnas lui-
turos se esse sciunto. 4. Alienigena nullus ad sa-
cra ministeria accedito. 5. 6. 7. Ne alienigenæ sa-
cra irreverenter tractantes pœnas luant , Deique
iram in totum populum Hebræum concitent ,
Levitæ exteriora omnia ministeria ad Sacrarium
pertinentia, Sacerdotes quæ ad oblationem victi-
marum in altari spectant & quæcumque in Ten-
torio peragenda sont obeunto.
8. Ne autem Sacerdotes, rei familiaris angustiâ,
Sacra negligant, aut à populo Hebræo spernantur,
hæc quæ sequuntur ab Hebræis accipiuntor, eáque
à Deo Sacerdoubus data censentor. 9. Quæcum-
que

Virgas singulas in domos patrum] *Virgam , virgam in domum patris*, hoc est , in Tribum, ut observavimus ad Cap. I, 2. & alibi.

3. *Singulorum Capitum*] *Virga una capitis domûs patrum eorum.* Cum Josephi posteri in duas Tribus essent divisi , quæ ambæ suum Principem habebant ; præter Aharonem Levitarum Principem, erant duodecim Principes, adeóque duodecim virgæ , præter Aharonis virgam.

4. *Ante testimonium*] Hoc est, ante Arcam, in qua erat Testimonium , seu Decalogus.

Vos convenire soleo] אועד לכם שמה ivvahed, *conveniam vos illic.* Verti etiam posset , *ubi conveniri soleo.* Samaritæ habent לך שם lecha scham , *tibi illic* , ut de solo Mose hoc intelligatur. Sic & LXX. Intt. σοὶ ἐκεῖ.

5. *Faciam ut fremitus contra me & vos desinant*] *Faciam cessare à contra me* (מעלי) *fremitus filiorum Israël, quibus fremunt contra vos*, עליכם. Hoc est , fremitibus Israëlitarum contra vos , quos etiam ita interpretor, quasi contra me sint , finem imponam.

7. *Cùm isset*] *Et fuit & veniet.*

8. *Gemmaverat*] פרח *pharahh* , quod de emissione gemmæ intelligendum sequentia ostendunt. Hoc vult Moses , virgam Aharonis unâ nocte gemmasse , floruisse & fructus maturos edidisse; cùm ordine solito naturæ aliquot menses , eam in rem , abire soleant.

Amygdalas ediderat] ויגמל שקדים *vajjigmol schkedim* , reddiderat amygdalas.

9. *Eásque inspexerunt*] Nempe, Principes.

10. *Ut servetur*] *In custodiam.*

Hominibus rebellibus] לבני מרי *libne meri*, filiis rebellionis. Notus Hebraismus.

11. *Sic fecit*] Repetitio frequentissima, in hac phrasi ; quæ, ut infinita alia , idiotismum sapit.

12. *En exspiramus*] Timebant ne sibi contingeret, quod Korachi sociis contigerat.

13. *Quicumque accedet*] *Omnis accedens , accedens* כל הקרב הקרב *chol hakkareb.* Videtur esse μίμησις, perterriti enim homines interdum id quod maximè timent sæpiùs repetunt.

COMMENTARIUS

In Caput XVIII.

1. P*œnam feretis delictorum in Sacrarium*] תשאו את עון המקדש thischeou eth havon hammikdasch *feretis delictum sacrarii*, hoc est , pœnas debitas iis qui quapiam in re circa Sacrarium peccabunt.

ex rebus ſacroſanctis, quod igni eximetur ex omnibus oblationibus eorum, omnibus donariis *farreis*, omnibus victimis pro peccato, omnibúſque hoſtiis pro noxa, quas mihi reddent. Saeroſancta *res eſt*, tua & filiorum tuorum erit. 10. In loco ſacroſancto, hanc comedes, omnis maſculus ea veſeetur, ſacra tibi habebitur. 11. Hoc quoque tuum; oblationem elatam eorum muneris omnium agitatarum oblationum tibi dedi, filiis & filiabus, *quæ* tecum *ſunt*, in ſtatutum *victum*, in perpetuum. Omnis mundus domûs tuæ ea veſeetur. 12. Opima quaque parte olei, opimáque quaque parte vini, & frumenti; horum, *nempe*, primitiis, quas *Iſraëlitæ* dabunt Jehovæ, te donavi. 13. Primitiæ omnium, quæ in terra eorum *provenient*, & quas adferent ad Jehovam, tuæ erunt. Omnis domi tuæ mundus iis veſcetur. 14. Omnis res in Iſraële devota tua erit. 15. Omne primogenitum uteri, cujuſvis carnis, quod offerent Jehovæ, inter homines & bruta, tuum erit; ſed redi-

que offeruntur Deo, nec tamen ex Lege adolentur, eorum ſunto; qualia ſunt ex rebus ſacroſanctis membra victimarum Lege definita, & farrearum omnium oblationum reliquiæ. Hiſce maſculi familiæ Sacerdotalis, 10. in loco ſacro, veſcuntor. 11. Oblationes reliquæ minùs ſanctæ ab uxoribus, filiabuſque Sacerdotum, & ſervis etiam, ſi modò mundi ſint, comeduntor. 12. Ex oleo, vino & frumento ceteríſque Chananææ fructibus primitiæ iis ab Hebræis ſolvuntor, eæque ex collectorum fructuum præſtantiſſima parte ſeliguntor; 13. & quivis mundus, in Sacerdotali familia, iis veſcitor. 14. Quidquid anathemate devotum Deo fuerit, id Sacerdotum eſto. 15. Omnia animalia primogenita, quæ Deo debentur, eorum ſunto; ſed primogenita ex hominibus & animalibus immun-

Pœnas luetis malè adminiſtrati Sacerdotii] *Feretis delictum Sacerdotii veſtri.*

2. *Sobolem patris tui*] שבט *ſchebeth*, quod *tribus* verti ſolet, ſed ſic jam verteramus מטה *matteh.*

Ad anteriorem partem] לפני *liphne*. Ubi erat Altare holocautomatum, & oſtium Tentorii. Significatur rerum ſacrarum adminiſtratio & cuſtodia Sacerdotibus, eo in loco plurimùm verſantibus, commiſſæ.

3. *Curam gerent quam eis impones*] *Servabunt ſervationem tuam.*

Et totius tentorii] *Et ſervationem totius* &c.

Nec ad vaſa ſacra &c.] Ut, nempe, vaſa retecta tractent, aut oblationes offerant, vel victimarum ſanguinem effundant. Vide Cap. IV.

4. *Adjuncti tibi erunt*] נלוו *nilvou*, quod verbum jam habuimus verſ. 2. Adluditur ad nomen לוי *levi*, quod ex ea Radice deductum eſt. Vide Gen. XXIX, 34.

5. *Curam geretis ſacrarii*] *Servabitis ſervationem ſacrarii & ſervationem altaris.*

Jehovæ excandeſcentia] Vide not. ad Cap. I, verſ. 53.

6. *Dati ſint Jehovæ*] Hoc ſuprà aliquoties habuimus. Sed repetitur, ob Korachi rebellionem.

7. *Fungemini*] *Servabitis ſacerdotium veſtrum.* Nemo alius munera veſtra invadet.

Curabitis negotia muneris, quo vos donavi] *Facietis opus doni, dedi Sacerdotium veſtrum*; עבדתם עבדת מתנה אתן את כהנתכם. LXX. Intt. verterunt, λειτουργήσετε τὰς λειτουργίας δόματα τῆς ἱερατείας ὑμῶν. Omiſerunt verbum אתן *dedi*. Vulg. pro hiſce habet: *per Sacerdotes adminiſtrabuntur*. Samariticus Codex, עברת ומתנה אתן *opus, & dono dedi*, quod obſervavit Græcus Scholiaſtes Vaticanus. Senſus, quem ſequuti ſumus, videtur omnium optimus, prout nunc legimus. Si tamen liceat conjecturam, quam nemini obtrudimus, neque textui inferimus, proferre; omnia hîc meliùs ſe haberent, ſi legeremus, ſine litterarum mutatione, hoc modo: עבדתם תנה *habodatham tenah*, hoc ſenſu: *fungemini Sacerdotio veſtro, ad omnia quæ ad altare pertinent, atque intra velum, & curabitis negotia eorum. Dando dedi vobis Sacerdotium* &c. תנה *thenah* eſt infinitivus cum *He* paragogico, ut legitur Pſ. VIII, 2. ם verò, quod ei voci præfixum, debuit conjungi cum præcedente voce. Facilè potuit fieri, ut hæc littera à fine prioris vocis transferretur ad initium poſterioris, quia מתנה *matthanah* eſt vox Hebraica frequens, quæ exſtat hîc verſ. 6. & תנה infinitivus rarior eſt. Nec dixeris figuras מ ם *initialis*. & *finalis*, eſſe diverſas, nam præterquàm quòd tantum non eſt diſcrimen, ut confundi nequeant à Librario; conſtat nobis ex Verſ. LXX. Intt. olim obſervatum non fuiſſe.

8. *Eo quod ſervatur*] משמרת miſchmereth, *ſervatione oblationum* &c. Hoc eſt, eo quod non adoletur, cùm tamen Deo conſecretur. LXX. Intt. habent τὴν διατήρησιν τῶν ἀπαρχῶν, Vulg. *cuſtodiam primitiarum*. Malè, neque enim cuſtodes erant, ſed domini harum oblationum, ut docent ſequentia.

Omnium quæ conſecrant] *Omnium ſanctitatum*, quæ non adolebantur in altari; ſeu pars earum ſervaretur, poſtquàm altera flammis fuerat data, ſeu nihil in ignem conjiceretur, ut ſi domus, aut ager devoveretur. Vide verſ. 9.

In cibum] למשחה *lmoſchhhah*. Vide notata ad Levit. VII, 53.

Statutum victum] חק *hhok*. Adi quæ ſcripſimus ad Gen. XLVII, 22.

9. *Ex rebus ſacroſanctis*] *Ex ſanctitate ſanctitatum.*

Quod igni eximetur] מן האש *ex igne*, hoc eſt, quod non comburebatur, ut modò dicebamus, & quaſi igni eximebatur. *Onkelos* מותר מן אשא *reliquum igne*. LXX. & Vulg. Intt. ut ſolent in difficilioribus locis, ſenſum dumtaxat expreſſerunt.

Ex omnibus oblationibus eorum] Hæc enumerata ſunt à Moſe, ſuis locis. Vide dieenda ad verſ. 20.

10. *In loco ſacroſancto*] Vide ad Levit. Cap. VI, verſ. 16, 26.

11. *Oblationem elatam* &c.] Hîc תרומה *throumah*,

dimetur primogenitus hominis, & primogenitus *fœtus* animalis immundi. 16. Pretium redemtionum, à mensem *unum* nato, solvetur argento, pro tua æstimatione, quinque siclis pro Siclo sacrarii ; is est viginti Gerarum. 17. Sed primogenitum bovis, primogenitum ovis, & primogenitum capræ, non redimentur; sacra ea sunt, sanguine eorum altare adsperges, adipémque adolebis, oblationem igne absumendam, in odorem placamenti Jehovæ. 18. Caro eorum tua erit, instar pectoris agitatæ oblationis, & instar armi dextri ; erit tua. 19. Omnes oblationes elatas terum sacrarum, quas offerent Israëlitæ Jehovæ, dedi tibi, filiis tuis, & filiabus tuis, *quæ* tecum *erunt*, in statutum *victum* in perpetuum. Fœdus salis æternum hoc *erit*, coram Jehova, tibi, unáque posteris tuis. 20. Dixit præterea Jehova Aharoni: in eorum terra nullum prædium, inter eos nulla pars *agri* tibi cedet ; ego, inter Israëlitas, pars tua & prædium tuum ero.

21. Le-

mundis redimuntor. 16. Mensem unum nata quinque Siclis, quorum singuli viginti Geras pretio æquent, redimuntor. 17. Primogenitorum verò ex bucero, ovillo & caprino genere sanguis ad altare adspergitor, & prosiciæ in Salutaribus Sacris comburi solitæ adolentor; ceterùm reliqua eorum caro Sacerdotibus cedito, 18. non aliter ac pectus & armus dexter; ex aliorum Hebræorum victimis Salutaribus. 19. Hæc sive sacrosancta, sive minus sancta, Sacerdotibus, eorúmque familiis, quibus se, eásque sustentent, à Deo adtributa sunto, eáque Lex perpetua habetor. 20. Nulli Sacerdotibus, ut ceteris popularibus, agri dividuntor, sed iis quibus à Deo donantur, contenti sunto.

21. ad

mab & תנופה *thnouphah* miscentur. Vide not. ad Exod. XXlX, 24.

12. *Opimâ quoque parte*] כל חלב *omni pinguedine*, quæ vox optimum in suo genere significat. Vide not. in Exod. Cap. XXIII, 29. Sperni visus esset Deus, si quæ consecrabantur non ex præstantissimis sui generis selecta fuissent. Itaque, ut honor ei haberetur, oportebat primitias fructuum ex selectissimis constare.

13. *Primitiæ*] Vide Deut. XXVI, 2.

14. *Omnis res devota*] Levit. XXVII, 28.

15. *Omne primogenitum* &c.] Vide Exod. XIII, vers. 2. Levit. XXVII, 26. & suprà Cap. III, 13.

16. *Is est viginti Gerarum*] Vide not. ad Exod. XXX, 13.

17. *Sacra ea sunt*] קדש הם *sanctum illa* ; hoc est, unum quodque est sacrum Deo, nascendi ordine, sine ulla alia consecratione.

18. *Caro earum tua erit*] Non modò habebant Sacerdotes pectus & armum dextrum, quæ ex omnibus salutaribus victimis ad eos pertinebant, sed quidquid non adolebatur, quod solebat esse ejus qui victimam adduxerat. Vide Levit. III, 9. *& seqq.* VII, 29. *& seqq.*

19. *Offerent*] הרימו *adtollent*, quod verti etiam posset *seponent*.

Fœdus salis] ברית מלח *brith melahh.* Eadem loquutio occurrit 2. Par. XIII, 5. & constat quidem significari fœdus æternum ; sed quare ejusmodi fœdus dicatur *fœdus salis*, non ita liquet. Fortè in fœdere contrahendo sal adponebatur, quo diuturnitas aut æquitas fœderis significabatur. Hinc *Pythagoras* in Symbolis docebat περὶ τῶν ἁλῶν, ὅτι δεῖ παρατίθεσθαι πρὸς ὑπόμνησιν τοῦ δικαίου· οἱ γὰρ ἅλες πᾶν σώζουσιν ὅ, τι ἂν παραλάβωσι, καὶ γεγόνασιν ἐκ τῶν καθαρωτάτων, ὕδατος καὶ θαλάσσης: *de sale, adponendum esse, in commemorationem justitiæ. Sal enim quidquid occupavit servat, éstque ex rebus purissimis, aqua & mari.* Verba sunt *Diogenis Laërtii* Lib. VIII, §. 35. Sal quoque amicitiæ & fidelitatis Symbolum, non secus ac mensa, unde proverbium ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν, *salem & mensam ne prætereas*, quo amicitiæ jura violanda non esse Veteres significarunt, de quo adi *Des. Erasmum*, ut & *Lil. Greg. Gyraldum* ad Symbola Pythagoræ. Igitur *fœdus salis* potest significare fœdus æternum, & quod utrimque accuratè servatur.

20. *Nullum prædium*] לא תנחל *lo thinhhal*, *non possidendum accipies*; hoc est, sortitione nullam partem Chananææ accipies, neque agros, quibus te sustentes, habebis. Nam sunt quidem urbes Sacerdotibus & Levitis adtributæ, sed cum exiguo agri suburbani modo. Vide infrà Cap. XXXV.

Pars tua & prædium tuum ero] Hoc est, quæ mihi debentur ea erunt tua, à me solo accipies quod satis supérque sit. Non est autem existimandum propterea deteriorem fuisse sortem Sacerdotum, quàm reliquorum Hebræorum. Regiæ penè opes eorum fuerunt, dum omnia solverentur, quæ jure sacro eis debebantur ; quo factum ut sub finem Reip. Hebraicæ ipsum regnum invaserint Pontifices Maximi. Non temerè hoc à nobis dici omnes norunt, qui hæc paullò diligentiùs expenderunt, aut etiam libellum *Philonis*, de Præmiis Sacerdotum, legerunt. Sed ne ullum supersit dubium, singillatim hoc in loco quæ Sacerdotibus debebantur recensebimus.

I. Victimæ pro peccato, exceptis iis quæ pro ipsis aut toto populo offerebantur, eorum erant, postquàm prosicias solitas adoleverant. Vide Levit. IV, & VI.

II. Eadem fuit ratio hostiarum pro noxa. Levit. VII.

III. Idem constat de salutaribus sacris totius populi. Levit. XXIII.

IV. Oleum à Leproso purificando oblatum. Levit. XIV.

V. Quod supererat è manipulo novarum frugum, de quo Levit. XXIII, 10.

VI. Duo panes, quinquaginta pòst diebus, oblati. Levit. XXIII, 27.

VII. Panes Deo adpositi, cùm auferebantur è mensa aurea. Levit. XXIV.

VIII. Quod

21. Levitis verò dedi omnem decimam in Israële, prædii loco, pro eorum opera, quâ negotia tabernaculi conventûs curabunt. 22. Non ampliùs accedent Israëlitæ ad tentorium conventûs, *ita* ut peccati pœnas luant, útque moriantur. 23. Levita negotia curabit tabernaculi conventûs, ferétque pœnas delicti sui. Institutum hoc erit perpetuum, in *futuras* ætates vestras; neque Levitæ, inter Israëlitas, prædia possidebunt. 24. Decimâ enim Israëlitarum, quam elatam oblationem Jehovæ offerent, donavi Levitas, prædii loco, propterea de iis edixi: inter Israëlitas, prædia non possidebunt.

25. Præterea Jehova Mosem alloquutus est his verbis: 26. alloqueris Levitas, eísque dices: cùm ab Israëlitis accipietis decimam, quâ vos ex eorum *fructibus* dono, ut eam possideatis, ex ea offeretis oblationem elatam Jehovæ, decimam ex decima. 27. Vestra

21 *ad* 24. Levitis pro opera, quam Tentorio navabunt, decimæ fructuum ex toto Israelitico solo, quas alioqui Deo consecrari oporteret, solvuntor; neque iis agri, ut aliis Hebræis, adtribuuntor. Ea lex perpetua esto.

25. Præterea Moses hanc Legem tulit à Levitis observandam. 26 *ad* 32. Levitæ, ex decimis à reliquis Hebræis acceptis, ipsi decimas Sacerdotibus solvunto. Quæ ab aliis acceperint, quasi essent ex agris iis adtributis collecta, habentor. Sacerdo-

VIII. Quod supererat è donario farreo salutaris Sacri. Levit. VI, 16. Atque hæc octo à mundis, in Sacruario, erant absumenda, quòd Sacrosancta haberentur.

IX. Pelles quarumvis hostiarum, quæ non comburebantur. Levit. VII, 8. ubi vide notata.

X. Salutarium pectus, armúsque dexter. Levit. VII, 30. & seqq.

XI. Placentæ & panes oblati, cum victima celebrationis. Levit. VII, 12. & seqq.

XII. Similia conjuncta cum ariete Naziræi. Num. VI, 17, 20.

XIII. Brutorum mundorum primogenita, prosiciis solitis altari datis. Num. XVIII, 15.

XIV. Fructuum & segetum primitiæ. Num. XVIII, 13.

Hæc omnia, exceptis iis quæ §. X. habentur, debebant comedi Jerosolimæ, aut non procul à Tentorio, si Rabbinis credimus. Sequentia verò ubique in Terra Sancta, seu Chananæa, absumi potuerunt.

XV. Oblatio primitiarum, de qua in hoc Cap. vers. 12. quæ תרומה גדולה *throuma magna* dicitur.

XVI. Decimæ decimarum à Levitis acceptarum, de quibus Num. XVIII, 28.

XVII. Libum ex quavis massa Num. XV, 20.

XVIII. Primitiæ lanarum. Deut. XVIII, 4.

XIX. Fundus voto consecratus, neque redemtus ante Jubilæum. Levit. XXVII, 28.

XXI. Noxa, quæ vindicem nullum habebat. Num. V, 8.

XXII. Ex quavis pecude ad usus quotidianos mactata armus, maxillæ, & venter. Deut. XVIII, vers. 3.

XXIII. Redemtionum pretia primogenitorum hominum. Num. XVIII, 15.

XXIV. Redemtionum pretia primogenitorum immundorum brutorum. Num. XVIII, 15, 16.

Quæ habentur §. 14, 15, 16, 17 & 19. poterant absumi à filiabus, familiisque Sacerdotum, aut in eorum usum impendi. Hæc claudemus verbis *Philonis* de præmiis Sacerdotum pag. 644. Ἐξ ὧν δῆλόν ἐστιν ὅτι κλῆρον ἵνα μὴ παράσχῃ τῇ ἱερωμένῃ φυλῇ κατὰ ταὐτὰ ταῖς ἄλλαις, τὸν πάντων ἔδωκε σεμνότερον τρόπον, καὶ ἀπονώτερον, κατὰ πρόφασιν ἀπαρχῶν τῶν ἐξ ἅπαντος θυσίας εἴδους· ὑπὲρ δὲ τοῦ μηδένα τῶν διδόντων ὀνειδίζειν τοῖς λαμβάνουσι, κελεύει τὰς ἀπαρχὰς εἰς τὸ ἱερὸν κομίζεσθαι πρότερον· εἶτ' ἐνθένδε τοὺς ἱερεῖς λαμβάνειν· ἥρμοττε γὰρ Θεῷ τοὺς μὲν εὐεργετουμένους, ἐν ἅπασι τοῖς κατὰ τὸν βίον χαριστηρίοις ἀνάγειν ἀπαρχάς· τόν τε, ἅτε μηδενὸς ἐπιδεῆ, τοῖς ἀμφὶ τὸ ἱερὸν ὑπηρέταις καὶ λειτουργοῖς χαρίζεσθαι, μετὰ σεμνότητος καὶ τιμῆς ἁπάσης: *Ex quibus manifestum est, Deum qui non donarat consecratam Tribum hereditate quæ sorte obveniret, eodem modo quo ceteras, eam omnium magnificentissimè donasse, & cum minimo ejus labore, sub specie primitiarum ex omni sacrificiorum genere. Ne quis verò ex dantibus exprobret accipientibus, jubet in templum primitias priùs deferri, deinde illinc accipere Sacerdotes. Decebat enim eos, quibus benefecerat, ex omnibus quæ ad vitam pertinent adferre Deo primitias, quibus gratum animum testarentur; ipsum verò, quippe nullius rei egentem, templi ministris, & sacrorum curatoribus ea largiri, cum munificentia & omni honore.*

De Hebræorum jure Pontificio, nonnulla quæri possunt, quibus paucis respondisse non erit supervacaneum, cùm hinc summa Legislatoris eluceat sapientia. Primùm quæsiverit non nemo, quare Deus Sacerdotibus non dederit agros, ut aliis, eósque uno tractu continuos? Respondemus, non sine gravi causa factum videri. Si enim Sacerdotes agros habuissent, ut alii, iis colendis occupati, Sacrorum curam neglexissent. Nec minùs utile fuit Sacrorum ministros, Religioni à Deo constitutæ addictiores aliis futuros, spargi per totam populi Hebræi regionem, ut exemplo & monitis impedirent ne à veri Numinis cultu deficeret; quod faciliùs à præsentibus fieri potuit, quàm seorsim in alia Chananææ regione degentibus.

Secundò, si quare Sacerdotes tantis opibus donarit Deus quæsiveris, duæ possunt adferri ejus rei rationes non spernendæ. Prior est, ut ipsi Sacerdotes, si non Religione, at utilitate suâ permoti jura divinitus tradita acriùs defenderent, adversùs eos qui alia populo Hebræo obtrudere tentarent. Rectius quidem esset, si solâ Numinis reverentiâ acti Sacerdotes Religiones à Deo acceptas tuerentur; verùm ea est, eritque indoles hominum, ut præsentis utilitatis semper majorem rationem habeant; nec fa-

27. Vestra oblatio elata censebitur vobis instar frumenti ex area, & instar maturi *vini*,
ex labro. 28. Ita vos offeretis elatam oblationem Jehovæ, ex omnibus decimis vestris,
quas acceperitis ab Israëlitis, & ex iis dabitis oblationem elatam Jehovæ Aharoni Sa-
cerdoti. 29. Ex omnibus, quibus donati eritis, offeretis omnem oblationem elatam
Jehovæ, ex opimo quoque, quod hinc erit consecrandum. 30. Dices iis: cùm offe-
retis ex eo opimum, censebitur hoc Levitis, quasi proventus labri. 31. Hæc comede-
tis, in omni loco, in quo vos, domúsque vestræ eritis; est enim merces vestra, pro
opera vestra, ad tentorium conventûs. 32. Nullam peccati, circa hæc, pœnam fe-
retis, cùm ex iis opimam partem obtuleritis; res ab Israëlitis consecratas non pollue-
tis, neque moriemini.

XIX. Le-

dotibus decimas debere censentor, eæque ex præstantissima fructuum acceptorum parte eliguntor. 31. Hæc merces operæ Levitarum esto, eaque illis vesci, ubicumque libuerit, liceto. 32. Postquàm opimam ejus partem Sacerdotibus solverint, eo quod supererit utentes rem sacram violare ne verentor, néve pœnas ullas à Deo sibi timento; at antea iis vesci illicitum esto.

P A-

sapientem Legislatorem statuere oportet homines alios esse, quàm re ipsâ sunt. Altera ratio erat non levioris momenti; scilicet, quòd ut Religio vulgò apud plebem, aut eos qui plebem quidem nobilitate & divitiis superant, sed ad Religionem quod adtinet plebe oculatiores non sunt, in pretio sit, oporteat ejus Ministros contemni nequaquam exponi; quod certissimè fit, nimiâ eorum paupertate. Cùm enim plebs videt Religionis Antistites sordidè & miserè victitantes, ipsam Religionem spernit. Iidem à nobilioribus aut ditioribus conculcantur, nec eorum anctoritati, sæpe ad deteriorem Religionem plebem abducenti, homines pauperculi & vulgò spreti resistere ullo modo possunt.

Tertiò, quæri possit, quare Deus non certa potiùs stipendia Sacerdotibus solvi jusserit? At facile est intellectu invidiosius multò hoc fuisse futurum, quàm si ex iis quæ Deo consecrabantur reditus haberent Sacerdotes. Populus Hebræus questus esset, sub Sacerdotii nomine, regnum Aharonis familiæ collatum esse, ejúsque se vectigalem factum. Ea stipendia, si lautiora fuissent, aut invidiâ aut avaritiâ ductus populus solvere supersedisset; si exigua, Sacerdotes, Sacerdotiúmque, utque adeò ipsam Religionem, ut dicebamus, sprevisset. Contrà verò Deo aliquam partem facultatum suarum negare non poterat, sine impietate, nec vectigalia ei solvere pudendum erat. Adde quòd hoc etiam honorificentius fuit Sacerdotibus, ut innuit *Philo* in allatorum verborum postremis, quibus hæc subjicit: τῷ γὰρ μὴ παρ' ἀνθρώπων, ἀλλὰ παρὰ τοῦ πάντων εὐεργέτου δοκεῖν λαμβάνειν, ἀδυσώπητον ἔχει δωρεάν: *nam non ab hominibus, sed à Deo benefactore omnium videri accipere, id donum habet, quod sine pudore accipi potest.*

21. *Omnem decimam*] De decimis vide *Dissertationem* calci hujus voluminis subjectam. Ad Levitas autem pertinet etiam maxima pars eorum, quæ de Sacerdotum præmiis modò dicebamus.

Negotia Tabernaculi conventûs &c.] *Quæ illi faciunt opus tentorii conventûs.* Tempore Mosis, potissima eorum cura fuit bajulare, aut vehere supellectilia sacra, ea servare, & Sacerdotum imperiis obsequi. Cùm Tabernaculum, uno loco positum, aliò translatum non est, cessavit hæc pars illorum curæ; sed alia curare potuerunt, qualia erant quæ postea, Templo condito, fecerunt, & quæ à *Philone*, eodem libro, ita describuntur: τοσαύτας προσόδων ἀφορμὰς χαρισάμενος τοῖς ἱερεῦσιν, οὐδὲ τῶν ἐν τῇ δευτέρᾳ τάξει κατωλιγώρησεν· εἰσὶ δὲ νεωκόροι· τούτων οἱ μὲν ἐπὶ θύραις ἵδρυνται παρ' αὐταῖς ταῖς εἰσόδοις πυλωροί· οἱ δ' εἴσω κατὰ τὸ πρόναον ὑπὲρ τοῦ μή τινα ὧν οὐ θέμις ἑκόντα ἢ ἄκοντα ἐπιβῆναι· οἱ δ' ἐν κύκλῳ περινοστοῦσιν ἐν μέρει διακληρωσάμενοι νύκτα καὶ ἡμέραν, ἡμεροφύλακες καὶ νυκτοφύλακες· ἕτεροι δὲ τὰς στοὰς καὶ τὰ ἐν ὑπαίθρῳ κοροῦντες τὸν φορυτὸν ἐκκομίζουσιν ἐπιμελόμενοι καθαριότητος· οἷς ἅπασι μισθὸς ἀπεκληρώθησαν αἱ δεκάται· κλῆρος γὰρ νεωκόρων οὗτος· οὐ πρότερον γοῦν εἴασεν ὁ νόμος αὐταῖς χρῆσθαι τοὺς λαβόντας ἢ πάλιν ἄλλας δεκάτας, ὡς ἀπὸ κτημάτων ἰδίων, ἀπάρξασθαι καὶ δοῦναι τοῖς τῆς ἀμείνονος τάξεως ἱερεῦσι: *cùm Deus tantas redituum occasiones dedisset Sacerdotibus, nec eos qui in secundo sunt ordine neglexit. Hi sunt Æditui, & eorum quidem alii ad januas collocantur janitores, ad ipsos introitus; alii intus in vestibulo Templi, ne quis ex iis quibus non licet volens aut nolens ingrediatur; alii circumquaque vagantur, sorte inter se partes dici & noctis partiti, diurni & nocturni custodes; alii porticus sub dio sitas verrentes quisquilias exportant, munditiei curam gerentes. Quibus omnibus merces constitutæ sunt decimæ, hæc enim sors est Ædituorum. Attamen Lex non sivit eos qui acceperunt decimis uti, antequàm alias iterum decimas, ut ex propriis facultatibus, excerpserint & dederint potioris ordinis Sacerdotibus.*

22. *Ita ut pœnas*] לשׂת חטא למות laschet hhet lamouth, *ad ferendum peccatum, ad moriendum.* ל hîc est ἐκβατικόν, ut loquuntur Grammatici Græci, ut ἵνα sæpe est apud Græcos; neque enim eo animo ire poterant Hebræi ad Sacrarium, ut illic morerentur; sed irreverenter accedentes, eáque tangentes, quæ tangi non oportebat, nisi à Sacerdotibus, contingere potuisset eos graves pœnas dare. Vide infrà. Cap. XXXII, 14. & quæ collegit *Sal. Glassius* Gramm. Sacræ Lib. III. Tract. 7. Canon. XIX.

23. *Feretque*] *Et ferent delictum suum*, pœnas, nempe, neglectim aut irreverenter habiti Sacrarii.

24. *Offerent*] Aut *seponent*, ירימו *jarimou*, adtollent.

De iis] להם *lahem*, ut alibi sæpe.

26. *Ex eorum fructibus*] מאתם meittham, *ex*

XIX. Leges de modo aquæ lustralis conficiendæ, déque immunditie ex cadaveris contactu contracta.

CAPUT XIX.

1. ALLOQUUTUS est Jehova Mosem & Aharonem, dicens: 2. hæc est constitutio Legis, quam tulit Jehova, his verbis: alloquere Israëlitas, capiántque ad te adducendam juvencam rufam, integram, cui nullum insit vitium, & cui jugum impositum non fuerit. 3. Deinde eam dabitis Elehazari Sacerdoti, qui eam educet castris, & coram se jugulari curabit. 4. Tum digito aliquantum ex ejus san-

PARAPHRASIS.

1. 2. MOSES & Aharon hanc quoque Legem à Deo acceptam, de aqua lustrali conficienda, populo Hebræo tulerunt. Vitulam rufam, sine vitio, & cui jugum nondum impositum fuerit, 3. Israëlitæ ad Elehazarem Sacerdotem ducunto, qui eam extra castra coram se jugulari curato.

ex iis, quod Latinè intelligi non posset, ideoque omisit *Hieronymus*.

27. *Vestra oblatio elata*] Hoc est, decimæ quas ab Israëlitis acceperitis, quæ ita vestræ factæ fuerint, quasi eos fructus ex prædiis vestris collegissetis.

Maturi vini] מלאה mleah *plenitudo*. Vide not. ad Exod. XXII, 29.

29. *Aharoni Sacerdoti*] Hoc est, Pontifici Maximo, qualis est Aharon.

29. *Ex omnibus quibus donati fueritis*] *Ex donis vestris.*

Omnem oblationem] Videtur vocula כל *omnis* repeti, ut intelligant Levitæ nihil esse decimis decimarum detrahendum, sed integras solvendas.

Ex opimo quoque] *Ex omni adipe ejus* חלבו *hhelbo*, quod præstantissimum in suo genere sonat. Vide vers. 12.

Quod hinc erit consecrandum] מקדשו mikdascho, *consecrationem ejus*, *ex eo*, hoc est, decimam partem consecrandam. Hac quoque in re Levitæ non tam Tribulibus suis, quàm Deo, videbantur vectigal solvere, quo fiebat ut hilariùs solverent. Qua de re jam diximus, sed addemus, hoc in loco, verba *Philonis* lectu digna, ex eodem libro *de præmiis* Sacerdotum: Ἐξ ὧν ἁπάντων ἐστὶ δῆλον ὅτι βασιλέως οἷς σεμνότητι ϰ̀ τιμῇ περιάπτει τοῖς ἱερεῦσιν ὁ νόμος· ὡς γοῦν ἡγεμόσι φόρους ἀπὸ παντὸς μέρους κτήσεως δίδοσθαι κελεύει: *ex quibus omnibus manifestum est legem splendorem & honorem regium adtribuere Sacerdotibus, siquidem tamquam Principibus tributa ex omni facultatum parte dare jubet.* Nec ipsi Levitæ horum tributorum immunes erant, ut hæc Lex docet; adeóque non modò supra alias Tribus, sed etiam supra Tribules suos extollebatur Aharonis familia. Sequitur apud *Philonem*: Καὶ δίδονται (φόροι) τὸν ἐναντίον τρόπον ἢ ὃν αἱ πόλεις τοῖς δυνάσταις εἰσφέρουσιν· αἱ μὲν γὰρ ἐξ ἀνάγκης, ϰ̀ μόλις ἐπιστένουσαι, τοὺς ἐκλογεῖς τῶν χρημάτων ὡς κοινοὺς λυμεῶνας ὑποβλεπόμεναι, ϰ̀ προφάσεις ἄλλοτε ἀλλοίας συνυπτόμεναι, ϰ̀ τῶν προθεσμιῶν ἀλογοῦσαι, τὰ ὁρισθέντα τέλη ϰ̀ δαπανῶς καταθέασι· οἱ δ' ἀπὸ τοῦ ἔθνους τὰ ἱερατικὰ γεγηθότες, χαίροντες, τοὺς αἰτοῦντας φθάνοντες, τὰς προθεσμίας ἐπιτέμνοντες, λαμβάνειν ἀλλ' οὐ διδόναι νομίζοντες, μετ' εὐφημίας ϰ̀ εὐχαριστίας, καθ' ἑκάστην τῶν ἐτησίων ὡρῶν ποιοῦνται τὰς εἰσφοράς, ἄνδρες ὁμοῦ ϰ̀ γυναῖκες αὐτοκελεύστῳ προθυμίᾳ ϰ̀ ἑτοιμότητι ϰ̀ σπουδῇ παντὸς λόγου κρείττονι: *& dant contrariâ ratione, ei quâ urbes Dynastis solvunt. Quæ necessitate, & gementes vix dant, collectores pecuniarum ut pestem publicam considerantes, nunc has, nunc illas quærentes causas, præstituta tempora negligentes, tributa & vectigalia solvunt. Qui verò ex nostra Gente sunt Sacerdotalia jura læti, gaudentes, eos qui petunt occupantes, præstituta tempora antevertentes, accipere non dare se judicantes, cum faustis adclamationibus & gratiarum actione, singulis anni tempestatibus, conferunt, viri unà & mulieres, spontaneâ alacritate, celeritate & studio majore quàm dici potest.*

30. *Quasi proventus areæ*] Hoc repetitur ob sequentia, ut intelligerent Levitæ se posse frui suis decimis, haud aliter ac alii Israëlitæ suo proventu, solutis decimis & primitiis, utebantur.

32. *Nullam peccati* &c.] Hoc est, sine ullo peccato iis fruemini, quomodocumque videbitur; quod in rebus sacrosanctis non licebat, quas à solis Sacerdotibus & quidem in atrio absumi oportebat. Vide Levit. Capp. VI. & VII.

COMMENTARIUS

In CAPUT XIX.

2. *CApiantque ad te*] ויקחו אליך *& capient ad te*, nempe, ducendam.

Juvencam] פרה *pharah*. *Juvencam* vertimus, cùm quòd hæc sit propria vocis significatio, ut ostendimus ad Gen. C. XXXII, 14. tum quòd postea dicatur, *cui jugum impositum non fuerit*, quæ verba signant potiùs juvencam, quàm vaccam quæ pepererit. LXX. Intt. ideò verterunt δάμαλιν.

Hac de lege copiosè egit vir doctissimus *Joan. Spencerus*, de Leg. Mos. Ritual. Lib. II. c. 15. cum quo per omnia quidem non sentimus, ut mox liquebit; sed qui, post *Joan. Marshamum*, popularem suum, verè videtur observasse Deum, hac in lege, superstitioni Ægyptiacæ contradicere. Sic quod à nemine inveniri posse putarunt Rabbini, & qui eos sequuti sunt, facilè inventum ab iis qui vicinarum Hebræis gentium consuetudines scrutati sunt. Certè ne à Salomone quidem sciri potuisse, quare vaccam, eámque rufam huic sacro destinasset Deus contendunt Recutiti Magistri; utriusque verò ratio

fanguine capiet, & feptem vicibus, è regione anterioris partis tentorii conventûs adfperget. 5. Coram fe comburi curabit juvencum, pellémque ejus; carnem & fanguinem fupra ejus fimum comburet. 6. Tum capiet facerdos lignum cedrinum, hyffopum, & coccineam lanam, eáque in mediam juvencæ pyram conjiciet; 7. is verò, poftquàm abluerit veftes & laverit carnem in aqua, in caftra veniet, eritque ad vefperam ufque immundus. 8. Comburens juvencam abluet etiam veftes fuas aquâ, carnémque lavabit, & erit immundus ad vefperam. 9. Cinerem verò vaccæ colliget vir mundus, atque extra caftra in loco puro ponet, ut fervetur cœtui Ifraëlitarum, in aquam impuritatis; eft *enim* victima pro peccato. 10. Qui autem col-

rato. 4. Tum fe ita convertito; ut obverfa fit ejus facies anteriori parti Tabernaculi Conventûs, atque vitulæ fanguinem digito immerfo fepties in eam partem adfpergito. 5. Pellem vitulæ cum carne & fanguine, ipfifque excrementis, coram fe comburi curato. 6. Cùm hæc ardebunt, lignum cedrinum, hyffopum, & coccineam lanam in flammam conjicito. 7. 8. Ipfe verò Sacerdos & qui vitulam combufferit immundi ad vefperam, hoc peracto Sacro, habentor, nec nifi ablutis veftibus in caftra redeunto. 9. Tertius verò vir mundus accedito, vitulæ cineres colligito, atque in loco puro

ratio facilè, ex Ægyptiacis ritibus, redditur. Conftat vaccas impensè ab Ægyptiis omnibus cultas, quamvis in aliis animalibus colendis diffentirent. Omnium inftar erit *Herodotus* Lib. II. c. 41. Τοὺς μὲν καθαροὺς ἔρσενας τῶν βοῶν, inquit, καὶ τοὺς μόσχους οἱ πάντες Αἰγύπτιοι θύουσι· τὰς δὲ θηλέας οὔ σφι ἔξεστι θύειν, ἀλλὰ ἱραί εἰσι τῆς Ἴσιος: *boves mares, eofdémque mundos, ac vitulos univerfi Ægyptii immolant; at fœminas eis immolare non licet, ut pote Ifidi confecratas.* Paullò poft: τὰς βοῦς τὰς θηλέας Αἰγύπτιοι πάντες ὁμοίως σέβονται, προβάτων πάντων μάλιστα μακρῷ: *boves fœminas omnes Ægyptii fimiliter colunt, ex omnibus pecudibus longè plurimùm.* Alia veterum loca, quæ idem docent, collegit *Joan. Spencerus* laudati Capitis Sect. 2.

Rufam] אדמה *adummah.* Cùm Deus ita fe gefferit in condendis hifce Legibus, ut fimul fe fe ingenio craffiori populi Hebræi adtemperet, fimul eum ab Idololatria vicinorum avocet, ut fæpe oftendimus; nunc receptis apud Ethnicos Sacris confentanea fancit, nunc ab iis diverfus abit. Sic & in hac Lege, de aqua luftrali, Ægyptiacæ fuperftitioni contradicit, conftitutâ bove fœminâ; indoli verò & confuetudini Hebræorum fe adcommodat, in eo quòd *rufam* juvencam pofcit. Solebant, nimirum, Ægyptii hujus potiffimùm coloris victimas mactare. *Diodorus Biblioth.* Lib. I. pag. 79. difertè teftatur, ex doctrina Ægyptiorum, τοὺς ταύρους τοὺς ἱεροὺς — τιμᾶσθαι παραπλησίως τοῖς θεοῖς: *facros tauros coli oportere quemadmodum Deos:* — τοὺς δὲ πυῤῥοὺς βοῦς συγκεχωρῆσθαι θύειν: *boves rufos licitum fuiffe mactare.* Rationem addit fabulofam & quæ nihil ad nos, qui hîc nihil nifi colorem victimarum Ægyptiacarum fpectamus. Similiter *Plutarchus* de Ifide & Ofiride, p. 63. Αἰγύπτιοι τῶν βοῶν τοὺς πυῤῥοὺς καθιερεύουσι, οὕτως ἀκριβῆ ποιούμενοι τὴν παρατήρησιν, ὥστε κἂν μίαν ἔχῃ τρίχα μέλαιναν ἢ λευκὴν, ἄθυτον ἡγεῖσθαι: *Ægyptii boves rufos mactant, & tam accuratè hoc obfervant, ut fi taurus habeat unum pilum nigrum, aut album, judicetur facrificio ineptus.*

Integram] תמימה hoc eft, cui nullum infit vitium ex iis quæ memorantur Levit. C. XXII. ἄμωμον, ut habent LXX. שלמתא, *integra*, ut Onkelos. Qui eft perpetuus vocis ufus, ubi de pecudibus mactandis fermo eft. At *Hieronymus*, *ætatis integræ*, contra confuetudinem Mofis, qui femper membrorum integritatem eo vocabulo fignificat. Pejùs alii, poft Thalmudicos, peffimos Grammaticos, *totam* interpretantur, quafi velit dicere Mofes *totam rufam*; quod Hebraïcæ Linguæ repugnat, ex cujus ingenio dicendum effet אדמה כלה *adumma ebullah.* At *Spencerus* Sect. 1. contendit *aliquid fuperflui & otiofi* in hac Lege futurum, nifi תמימה de *integritate coloris*, verba verò fequentia de *integritate partium* interpretemur. Fallebatur vir eruditus, fi credidit repetitionibus ejufmodi vitiari ftylum Hebraïcum, ut ex innumeris Commentarii noftri locis liquet. Exftat planè fimilis loquutio Levit. XXII, 21. ubi eft Lex de integritate victimarum. Novi equidem *Jofephum* velle hanc vaccam non modò ὁλόκληρον *integram*, fed & ξανθὴν πᾶσαν *totam rufam* effe, & Thalmudicos hoc fummopere urgere; fed fuperftitiofa videtur hæc effe traditio, ex malè intellecta voce תמימה nata.

Cui jugum impofitum non fuerit] Eft in Hebraïcis verbis Paronomafia לא עלה עליה על *lo balah baleha bol*, non adfcendit in eam jugum. Sic & Ægyptii, ut docet *Chæremon*, apud *Porphyrium* de Abftinentia Lib. IV. §. 7. negabant facris apta effe animalia δεδαμασμένα, ὡς ἤδη καθωσιωμένα τοῖς πόνοις: *domita, ut jam confecrata laboribus.* Eadem fuit confuetudo, apud Græcos & Romanos, ut multis Veterum locis oftendit *Sam. Bochartus*, Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 33. Purior videbatur victima, quæ nondum vulgaribus ufibus infervierat, ideóque Deo dignior. Sperni vifa fuiffet luftralis aqua, fi ad eam conficiendam annofa vacca, quæ neque labori apta, neque efui delicata ampliùs effet, fuiffet adhibita.

3. *Dabitis*] Antea fingularis numerus adhibitus eft, quafi Deus folum Mofem alloqueretur; nunc plurali utitur, quia reverâ fratrem utrumque compellare inftituerat.

Elebazari Sacerdoti] Non Pontifici Maximo, qui ab omni pollutione immunis effe debuit. Vide verf. 7. Sic in victimis piacularibus, quarum reliquiæ extra caftra comburebantur, folebat fieri. Vide Levit. XVI, 27.

Educet caftris] Poftquàm omentum, duo renes, adeps eis adhærens, & maximus jecinoris lobus erant in aræ flammam injecta, reliquæ partes victimarum pro peccato, quarum fanguis Sacratio illatus erat, extra caftra auferebantur, atque adolebantur, ut docet Mofes

collegerit cinerem juvencæ vestes suas abluet, immundúsque ad vesperam erit. Israelitis, & peregrino inter eos peregrinanti institutum hoc erit perpetuum.

[11] Qui cujusvis hominis cadaver adtigerit, immundus erit per septem dies. [12] Propterea se purgabit die tertio, & die septimo, *ac* mundus erit. Nisi se purificaverit die tertio, nec septimo erit mundus. [13] Quicumque tetigerit cadaver homi-

ro extra castra coacervato, ut conficiendæ aquæ lustrali inserviant, erunt enim cineres victimæ pro peccato oblatæ. [10] Hic autem postquàm cineres collegerit, immundus usque ad vesperam pariter habetor, nec in castra nisi ablutis vestibus redito. Atque ad conficiendam aquam lustralem, cùm indigenis, tum peregrinis inter Hebræos viventibus hæc perpetua lex ello.

[11] Quisquis hominis cadaver adtigerit, per septiduum immundus habetor. [12] Die tertio lustrator ;

ses Levit. Cap. IV, 11. *& seq.* Earum autem victimarum sanguis Sacrario inferebatur, quæ aut pro Pontifice Maximo, aut pro toto Populo mactabantur, ut ex eodem Mosis loco discere est. Quod cùm ita sit, mirum videri non debet, juvencam hancce, quæ erat victima pro peccato, ut docemur vers. 9. & cujus cineribus fiebat aqua lustralis, in usum totius populi, extra castra eductam fuisse. At quare, inquies, ejuscemodi victimæ extra castra, aut partim, aut totæ comburebantur? Quia, nimirum, comburentem polluere censebantur (Vide Levit. XVI, 26. & infrà vers. 7, 10.) nec intra castra pollutum hominem, ante vesperam, versari licebat. Quamobrem verò pollui censeretur is homo, non satis mihi liquet. Fortè ea pollutio oriebatur ex eo quòd stercus victimæ adolevisset; nam ceteroqui Pontifex, qui proficias victimæ obtulerat, iis nequaquam polluebatur.

Coram se jugalari curabit] ושחט לפניו *& jugulabit ante faciem suam.* Phrasis ipsa ostendit hîc esse conjugationem *Kal* pro *Hiphil*, שחט *schabhat* pro וישחיט *vajjaschbit.* Idem liquet ex vss. 5 & 8. Similis Conjugationum earum mutatio est Gen. II. 21. XXXVII, 3. Sic & Scriptores Novi Testamenti ἱβραΐζοντες loquuntur. Vide Matth. V, vers. 45. ubi est ἀνατέλλειν pro *facis oriri*, & 2. Cor. II, 14. ubi θριαμβεύειν est *facere ut quis triumphet.* Adito & *Hug. Grotium* in Joan. VI, 50. LXX. Intt. qui hoc non adtenderunt, habent σφάξουσι *jugulabant*, hoc est, aliquis jugulabit. *Hieronymus* audacissimè: *jugulabit coram omnibus.* Jugulandæ autem huic victimæ potuit adhiberi Levita, ut & jugulandis aliis; hoc enim non fuit muneris sacerdotalis. Vide notata ad Exod. XII, 6. Sed debuit coram Sacerdote hoc fieri, ut in reliquis omnibus victimis, quæ ad altare mactabantur. Hîc nodum in scirpo quærere videtur *Spencerus.* Præsentem sacerdotem esse oportuit, cùm ut sanguinem adspergeret, tum etiam ut ritus omnes observari curaret.

4. *Tum digito* &c.] Pelve excipiebatur sanguis omnium victimarum, atque in pelvim mergebat Sacerdos digitum. Sic quoque hîc factum.

Septem vicibus] Hæc erat oblatio sanguinis, qui cùm non inferretur Sacrario, quòd pollutus esset Sacerdos, ut alioqui solebat fieri (Levit. IV, 5, 6, 16, 17. ubi vide not.) ideò ex loco, qui ad orientem Sacrarii erat, veluti ad Sacrarium, à Sacerdote eò converso, spargebatur.

5. *Coram se curabit comburi*] LXX. Intt. κατακαύσουσι. Vulgatus, ut antea: *combures cunctis videntibus.*

Pellémque ejus] Ut victimæ pro peccato populi Levit. IV, 11.

Supra fimum] על *hal*, quod verti posset *cum.* Vide Levitici locum laudatum.

6. *Lignum cedrinum* &c.] Hæc in lustrationibus adhiberi solebant, ideóque in conficienda lustrali aqua combusta sunt unà cum juvenca. Vide de his quæ diximus ad Levit. XIV, 4. *Spencerus* etiam de iisdem egit Sect. 4. quem adi, conjecturas enim ejus excutere longum esset.

Pyram] שרפת schrephath, *combustionem.* LXX. κατάκαυμα. Vulh. *flammam.*

7. *Postquàm abluerit*] *Et abluet vestes suas sacerdos, & lavabit carnem suam & postea veniet.* &c.

Eritque Sacerdos ad vesperam &c.] Ordo videtur esse, erit ad vesperam immundus, & nonnisi vesperi, postquàm se laverit, castra ingredietur. Vide Levit. C. XVI, 26, & seqq.

8. *Comburens juvencam*] Idem fortè qui eam jugularit, quem Sacerdotem non fuisse hinc liquet.

9. *Vir mundus*] Nec Sacerdos qui adfuerat, nec qui jugularat ac combusserat juvencam; nam uterque ejus contactu pollutus habebatur.

Ut servetur] *In servationem* למשמרת *lmischmereth*, quod aliud primis hujus libri Capitibus significat.

In aquam impuritatis] למי נדה *lme niddah.* De voce נדה, vide not. ad Levit. XII, 2. *Aqua impuritatis* dicitur, quæ *impuros* vel *immundos* purgabat. Quâ ratione verò aqua lustralis hinc fieret liquet ex vers. 17.

Varia autem hac de aqua quæruntur, quæ nobis paucis excutienda sunt. Quæritur I. Unde orta sit illa pollutionis, qualis erat quæ contactu cadaveris humani contrahebatur, opinio? II. Quæ origo sit lustrationis, an apud Hebræos, vel alias Gentes quærenda sit? III. An hæc singularis lustratio, per vitulæ cineres, sit primitus à Deo instituta? IV. Qui fieret ut cineres ejusdem juvencæ pollueren, & purificarent?

De *prima* quæstione diximus quod videbatur ad Levit. XXI, 1. nimirum, ejus rei originem apud Ægyptios fortè quærendam esse, quorum qui fuerit antiquissimis illis temporibus, in hoc instituto, animus non est facile dictu. Fortasse pollui dicta sunt humana cadavera, ut quàm primùm sepelirentur, ne fœtore suo nocerent, hominésve eorum conspectu crudelitati adsuefierent. Verùm hæc statuunt jam ante insedisse populorum animis opinionem de pollutione.

Ad

minis, qui mortuus fuerit, neque purificaverit se; tabernaculum Jehovæ polluet, atque is homo ex Israële exscindetur; quia aquâ impuritatis adspersus non fuerit, immundus erit, & adhuc immunditia ejus ei *inerit*.

14 Hæc lex est *de pollutione*; in tabernaculo cùm quispiam mortuus fuerit, quicumque ingredietur id tabernaculum, & quæcumque in eo tentorio fuerint, ea per

tor, iterùmque septimo, ac tum demum mundus esto. At nisi tertio die lustratus sit, ne septimo quidem mundus habetor. 13 Quisquis funestatus fuerit, nec tamen se lustrari curaverit aquâ lustrali, immundus etiamnum habetor, & Tabernaculum Conventûs polluisse existimator, atque adeò, irreverentiæ causâ, capite pœnas luito.

14 Cùm quispiam in tabernaculo animam egerit, id polluisse censetor; quisquis antequàm cadaver elatum sit, & lustratum tentorium, id ingressus fue-

Ad *secundam* quod spectat, postquàm pollui homines conspectu, aut contactu cadaveris crediti sunt, consequens erat, ut lustratione indigere funestati existimarentur. Itaque lustrationis hujus origo indidem petenda est, unde pollutionis profluxit opinio. Attamen purificationem ante sacra, aut religiosâ quavis de causâ, alibi ostendimus deberi potiùs Noacho, aut ejus filiis, quàm ulli Genti, post humani generis divisionem, huic instituto initium facienti. Vide ad vers. 7. Cap. VIII.

Tertiæ quæstioni satisfieri posse puto, si dixerimus, ut pollutio per cadaver, & funestatorum lustrationis modum ei populo deberi, nisi quòd Deus vitulo, quem mactari fas erat apud Ægyptios, juvencam substituerit, ut antea observavimus. Hanc nostram conjecturam non parum juvat *color rufus* juvencæ, quem Ægyptiacarum victimarum, è bucero genere, colorem esse oportuisse ostendimus. Fatemur tamen nobis non occurrisse, in Scriptoribus, qui de rebus Ægyptiacis scripsere, ullum locum, quo similem aquæ lustralis conficiendæ rationem apud eos in usu fuisse constet. Verùm cùm certum sit Ægyptiis & Phœnicibus Græcos plurimos debuisse ritus, & Romanos pænè omnia à Græcis hausisse; pro Ægyptiaca consuetudine, Romanam, hoc est, aquam ex rivo, pro ipsius fontis latice, proferemus. Romani ergo solebant Palilibus ex cinere fœtuum vaccis fordis detractorum conficere aquam lustralem, ut docet *Ovidius* Fastorum Lib. IV.

Telluri plenæ victima plena datur
Pars cadit arce Jovis, ter denas curia vaccas
Accipit, & largo sparsa cruore madet.
Ast ubi visceribus VITULOS *rapuere ministri,*
Sectaque fumosis exta dedere focis;
Igne cremat VITULOS *quæ natu maxima virgo,*
Luce Palis populos PURGET *ut ille* CINIS.

Non multò pòst, ubi de Palilibus ipsis loquitur poëta, postquàm oravit Palem sibi propitia sit, subdit:

Certè ego de VITULO CINEREM *stipulásque fabales*
Sæpe tuli plenâ februa casta manu.
Certè ego transilii positas ter in ordine flammas,
Virgáque roratas laurea misit aquas.

Vide & sequentia, ubi pleniùs lustrandi rationem describit.

Quartæ quæstioni respondemus, tactùm vitulæ ejusque cinerum polluisse, eo quòd esset victima piacularis, piacularis enim victimæ membra polluebant, ut docet Moses Levit. C. XVI, vers. 26. Quod ideò creditum videtur, quia polluta censebatur peccatis, quorum pœnas in ejus caput recidere precatus erat Sacerdos. Quamquam cineres collecti fuerant, & repositi in lustrationis usum, attamen habebantur immundi, quòd essent cineres victimæ pro peccato mactatæ; nec eo seciùs mundabant immundos, quòd pollutionem eorum suscipere viderentur: ut mundos polluebant, quòd nulla ab iis pollutio in aquam transire videri posset. Hæc ratio rem diligenter pensitanti occurrit, quâ si verisimilior proferatur, eam libenter amplectar. At quæ habet *Joan. Spencerus*, hac de re, *Section* V. ne minima quidem verisimilitudine tincta videntur.

Est victima pro peccato] חטאת הוא *bhatath hi*, peccatum illa. LXX. Intt. ἅγνισμά ἐστι, *est purificatio*, qui interdum est vocis sensus, ut ostendimus ad Cap. VIII, 7. Attamen cùm frequentissimè, ubi de pecude sermo est, victimam pro peccato sonet, ita hîc vertimus. Præterea pro pollutione ejusmodi, offerebatur à Naziræis victima pro peccato, ut docuit Moses suprà Cap. VI, vers. 11.

10. *Immundúsque ad vesperam erit*] Quòd victimæ piacularis cineres adtigisset.

11. *Cujusvis hominis cadaver*] *Cadaver omnis animæ hominis.* De hac re vide dicta ad Levit. XXI, 1.

12. *Die septimo*] Nocte septimi diei, post ablutas vestes, ut postea docet Legislator.

Nisi se purificaverit &c.] Ut septem illi dies observarentur, duplex lustratio non est in unum conjecta, sed in tertium & in septimum; nec lustratio septimi diei recta habebatur, nisi altera antecessisset.

Nec septimo erit mundus] Oportebit ut alios septem dies denuo inchoet.

13. *Cadaver hominis*] *Cadaver, animam hominis.*

Tabernaculum Jehovæ polluet] Si, nimirum, ad id accesserit, seu intra atrii vela conspiciatur. Imò verò ne in castra quidem licebat iis ingredi, qui erant funere polluti, ut ostendimus ad Cap. V, 2.

Ex Israële exscindetur] Si pollutus accesserit ad Tentorium, aut Lege superbè spretâ, castra ingressus sit. Cùm summopere pollui vulgò crederentur qui adtigissent cadaver humanum, & ea polluere quæ tangebant, non poterant in Castra ingredi, aut ad Tentorium accedere, quin ea polluerent, adeóque irreverenter haberent. Qua de causa, tam severa Lex, in id irreve-

per feptem dies immunda erunt. [15] Omne vas apertum, fupra quod non erit vinctum operculum, immundum erit. [16] Quicumque adtigerit in agro gladio cæfum, aut *alioqui* mortuum, aut os humanum, aut fepulcrum, immundus erit per feptem dies.

[17] Sument autem *purgando* immundo aliquantum ex pulvere victimæ combuftæ pro peccato, eique in vas aquam vivam adfundent. [18] Tum vir mundus hyffopum fumet, eum in aquam immerget, eáque adfperget tentorium, omnia ejus vafa, omnes homines qui illic fuerint, eúmque qui adtigerit os, aut *gladio* cæfum, aut *aliter* mortuum, aut fepulcrum. [19] Mundus immundum adfperget die tertio, & die feptimo, mundabitque eum die feptimo, & poftquàm abluerit veftimenta fua, & fe laverit, vefperi mundus erit. [20] Quifquis fuerit immundus, neque fe purgaverit, exfcindetur is homo è medio cœtu, nam facrarium Jehovæ polluit; aquâ impuritatis adfperfus non fuerit, immundus erit. [21] Hoc erit illis in inftitutum perpetuum, & qui adfperferit aquam impuritatis abluet veftimenta fua, tangénfque impuritatis aquam immundus erit ad vefperam. [22] Quidquid tetigerit immundus immundum erit, & quifquis id tanget immundus ad vefperam.

XX. Mors

fuerit, & quæcumque erunt in eo funeftata habentor. [15] Ipfa vafa, quibus operculum impofitum non fuerit, immunda funto. [16] Quifquis cadaver adtigerit hominis in agris occifi, aut alio fato functi, vel os humanum, aut fepulcrum, immundus per feptiduum habetor.

[17] Ut autem luftrentur res pollutæ, hi ritus adhibentor. Ex cinere vitulæ aliquantum fumitor, atque in vas aquâ vivâ plenum injicitor. [18] Tum vir mundus, immerfo in aquam hyffopo, tabernaculum, vafa, hominéfque immundos adfpergito. [19] Primùm die tertio immundus adfpergitor, iterúmque feptimo, quo poftquàm fe & veftes vefperi abluerit, mundus judicator. [20] Quifquis hoc neglexerit, capital efto. [21] Tum verò mundus, qui alium adfperferit, contactu aquæ luftralis pollutus ufque ad vefperam cenfetor, nec priùs quàm fe & veftimenta abluerit mundus habetor. [22] Quidquid ab ejufmodi homine immundo tactum fuerit immundum judicator, & qui id tetigerit fimiliter ad vefperam ufque immundus efto.

P A-

reverentiæ genus, fancita eft; peccatorum enim gravitas æftimatur, non modò ex ipfa actionis admiffæ natura, fed etiam ex animo delinquentis. Sic qui, cùm crederet Jovem effe Deum, Templum ejus fpoliaffet; non minùs facrilegus fuiffet, quàm Hebræus qui ex Jerofolimitana Æde vafa facra abftuliffet. Pulchrè *Seneca*, hanc in fententiam, *de Benef.* Lib. VII. cap. 7. *Injuriam facrilegus Deo quidem non poteft facere, quem extra ictum fua divinitas pofuit; fed tamen punitur, quia tamquam Deo fecit. Opinio illum noftra ut fua obligat pœna.*

15. *Omne vas apertum*] Cùm hæc verba expendo, fubit fufpicio opinionem de pollutione, per humanum cadaver, ortam ex alia, quâ ftatuerent ex cadavere nefcio quid vaporis, aut fœtidi, aut noxii exhalari, cùm primùm vitalibus muniis defungi definit. Alioqui difficile eft intellectu, quare vas claufum non pollueretur, apertum verò pollutum haberetur. Verùm ei conjecturæ non audeo fidere, quòd nulla mihi quidem occurrat ratio, cur ex corpore humano ejufmodi tetrior exhalatio exire crederetur, quàm ex cadavere bruti, etiam immundi. Itaque rem in medio relinquo.

Vinctum operculum] צמיד פתיל *tfamid phathil.* Radix צמד interdum *copulari* fonat, פתל verò *torquere*, unde פתיל *phthil*, filum tortum, aut funiculus tortus. Hinc conjecere Intt. צמיד *tfamid* effe *operculum*, quod arctè ori vafis conjungitur; פתיל *phathil* verò Adjectivum, quod *vinctum* fonat. Nec quidquam eft, quod verifimiliùs adferri poffit. Samariticus Codex interponit conjunctionem inter duas hafce voces, habet enim צמיד ופתיל. LXX. Intt. *ὅσα οὐχὶ δεσμὸν καταδέδεται ἐπ' αὐτῷ.* Vulg. *Quod non habuerit operculum, nec ligaturam.* Alii aliter, fed omnes intelligunt vas, cui nullum impofitum effet operculum.

16. *In agro*] *In facie agri*, hoc eft, extra urbem jacens cadaver. Vide Levit. XIV, 7, 53.

17. *Victimæ combuftæ pro peccato*] *Combuftionis peccati* שרפת החטאת.

Eique aquam adfundent] ונתן *& dabit fuper eo aquam* &c. Anteceffit ולקחו *lakehhou* fument, quo factum ut verterimus quafi legeretur *nathenou.* Sed apud Hebræos tertia perfona fingularis abfolutè, omiffo nominativo, fumitur, idémque fignificat ac tertia perfona pluralis. Samaritæ tamen legunt ונתנו, & LXX. Intt. habent *ἐγχεοῦσι*, & Vulg. *mittent.*

Hyffopum] De Hyffopo, coccinea lana & aqua viva, in purificationibus adhibitis, diximus ad Levit. XIV, 4.

20. *Exfcindetur*] Si hoc, nimirum, Magiftratibus innotefcat. Si tamen non innotuiffet hominibus, Deum legum fuarum vindicem timere hunc oportebat.

21. *Tangens impuritatis aquam*] Ut qui victimæ pro peccato extra caftra combuftæ membra tetigerat. Vide ad Levit. Cap. XVI, 26.

22. *Quidquid tetigerit immundus*] Ideò caftris ejiciebatur. Vide not. ad Cap. V, 2.

C O M-

XX. Mors Mariæ. Fremitus Israëlitarum, ob aquæ penuriam, quam ex rupe percussa, Dei jussu, præbent Moses & Aharon, ob dubitationem tamen Chananæâ exclusi. Israëlitæ ab Idumæis, per horum agros, transitum petunt, qui negatur. Circa Idumæam iter faciunt, atque in eo itinere moritur Aharon, cui sufficitur filius Elehazar.

CAPUT XX.

1. IVIT Israëlitarum omnis cœtus in desertum Tsinis, mense primo, & ad Kadesum consedit populus; quo in loco, mortua est & sepulta Mirjama. 2. Cùm autem non esset aqua cœtui, contra Mosem & Aharonem coïtiones fecit. 3. Rixatus deinde est populus cum Mose, dixitque: utinam exspirassemus, cùm exspirarunt fratres nostri, coram Jehova! 4. Quare cœtum Jehovæ in hoc desertum adduxisti, in locum hunc malum, ut in eo moriamur nos & pecudes nostræ? 5. Quare eduxisti nos ex Ægypto, ut nos adduceres in malum hunc tractum, qui non est locus sementis, ficuum, vitium, aut malorum punicorum, & *ubi* ne aqua quidem est

PARAPHRASIS.

1. CUM triginta novem annis, per Arabicas solitudines, errassent Hebræi, & in meridianis potissimùm partibus commorati essent; jussit eos Deus ad septemtriones agmen convertere, ut tandem terræ Chananææ possessionem adirent. Itaque mense primo anni quadragesimi, ex quo Ægypto egressi fuerant Hebræi, castra posuerunt in deserto Tsinico, in quo ante triginta octo annos versati fuerant; atque in hac solitudine, Mirjama Prophetis Mosis & Aharonis soror, ætate adfectà, mortua & sepulta est.

2. Contigit in eodem loco aquam deesse populo, qui cœpit per circulos queri Mosem & Aharonem nullam salutis suæ rationem habere. 3. Imò verò Mosi in os dixit, satius sibi fuisse, si Dei manu in iis locis interiissent, cum aliis popularibus, qui per eas solitudines ceciderant. Nullam causam fuisse Mosi, cur se in ea loca adduceret, nisi ut se, pecudésque suas siti exstingueret. 5. Præstitisse sibi servire in Ægypto, quæ omnibus copiis

COMMENTARIUS

In CAPUT XX.

1. IN *desertum Tsinis*] Cùm triginta octo annos vagati per Arabiam rediissent ad septemtrionem. Mirum esset nihil dici de tot annis, si Moses constituisset scribere historiam accuratam Populi Hebræi; sed cùm Leges à Deo acceptas posteritati tradere potissimùm voluerit, cúmque illis annis nulla alia lex sit à Deo data, Institutum Mosis necessariò non postulabat ut eorum annorum historiam Pentateucho insereret.

Mense primo] Anni, nempe, quadragesimi, ex quo Israëlitæ Ægypto profecti erant; quod miraremur non addi, nisi sciremus ἀκρίβειαν illam Græcam & Romanam, in scribendo, ab Hebræis neglectam. Vide hujus libri Cap. XXXIII, 36, 37, 38. & Jud. XI, 17.

Ad Kadesum] בקדש *bkadesch*, ut באהל *beohel* est sæpe *ad Tentorium*. Vide not. in Cap. IV, 3. Posset etiam voce *Kades* significari ager Kadesensis; sed quia in deserto Tsin castra fuisse dicuntur, prius malim. Sunt qui velint hanc urbem, & quæ *Kadesbarnea* vocatur diversas esse, quos confutavit *Joan. Lightfootus* in Chorog. Matthæo præmissæ Cap. VII.

2. *Cùm non esset aqua cœtui*] Aquam antea hoc in loco habuerant, saltem de inopia aquæ nihil Moses, ubi de mora Hebræorum, hac in parte desertæ Arabiæ. Quod quâ ratione factum sit, nihil adtinet divinare.

3. *Utinam*] ולו & *utinam*. Sic suprà XI, 29. ומי יתן & *utinam*. Utrobique *Vau* abundat, ut alibi passim.

Fratres nostri] In hac ipsa desertæ Arabiæ parte, ante triginta octo annos. Vide Capp. XI, & XVI.

4. *Quare nos* &c.] Sunt similes querelæ iis quæ leguntur Exod. XVII. cùm Israëlitæ, primo exitûs anno, in locum siticulosum venissent.

6. *Conspicua facta est gloria*] Descendit nubes, ut sæpiùs antea observavimus.

7. *Convocate cœtum*] *Convoca*. Sic & infra *educes & præbebis*. Maluimus omnia plurali numero exprimere, quia Aharon hîc Mosis comes fuit.

9. *Eam virgam*] Quæ, nempe, unâ nocte Amygdalas emiserat, & in Adyto, monumenti loco, relinquenda fuerat. Vid. Cap. XVII. Videtur juberi hanc capere ut percutiat rupem, quamquam hoc non additur. Jussus fortè erat alloqui, & simul percutere rupem. Vide Exod. XVII, 5, 6.

An ex hac rupe] Jussus fuerat *alloqui rupem*, hoc est, jubere eam nomine Dei aquam emittere, quam in laticibus occultabat. Alloquitur verò populum, eorum querelis commotior, ut docet Ps. CVI, 33. nec satis animi compos. Hæc enim verba significant, *an rem, quæ fieri nequit, à nobis postulatis?* *Jonathan* ita intellexit, qui habet: *audite nunc rebelles, an ex hac petra* אפשר לן *possibile est nobis educere vobis aquam?* Sic apud *Plautum* in Persa, qui pecuniam, quam non habebat, rogabatur Act. I. S. I. vers. 42.

est quam bibamus? [6] Tum à conspectu cœtûs abierunt Moses & Aharon, ad ostium Tabernaculi conventûs, in facies suas conciderunt, iisque conspicua facta est gloria Jehovæ, [7] & Mosem quidem alloquutus est Jehova, his verbis: accipe virgam illam *vestram*, túque & Aharon frater convocate cœtum, atque in oculis ejus alloquimini rupem, quæ dabit suas aquas; & *sic* aquas è rupe ei educetis, potandámque cœtui, & pecudibus ejus præbebitis.

[9] Sumsit ergo Moses eam virgam è conspectu Jehovæ, quemadmodum eum jusserat, [10] coëgerúntque Moses & Aharon cœtum, ante rupem, & dixit Israëlitis *Moses*: audite nunc rebelles, an ex hac rupe educemus vobis aquam? [11] Tum sustulit Moses manum, percussit petram virgâ suâ bis, atque eruperunt aquæ multæ, cœtúsque & pecudes biberunt. [12] Dixit verò Jehova Mosi & Aharoni: quandoquidem mihi non credidistis, ut me coram Israëlitis sanctum haberetis, propterea non intromittetis hunc cœtum in terram, quâ eum donavi. [13] Hæ sunt aquæ Meribæ, propter quas Israëlitæ eum Jehova contenderunt, & sanctus inter eos habitus est.

[14] Kadeso autem misit Moses legatos ad Regem Idumææ, *qui dicerent*: Sic dicit frater tuus Israël, tu nosti omnem laborem, qui nobis obvenit. [15] Descenderunt majores nostri in Ægyptum, illic per multos annos mansimus, & Ægyptii quidem nos, patrésque nostros malè habuerunt. [16] Nos verò imploravimus Jehovam, qui audivit vocem nostram, misitque Angelum & eduxit nos ex Ægypto. Nunc sumus ad Kadesum, quæ urbs est in extremis tuis finibus. [17] Transire, quæso,

piis abundat, quàm venire in loca, in quibus neque segetes serere, neque ficus, aut vites, aut malos Punicas plantare, imò etiam ne aquam quidem, quam biberent, habere poterant. [6] Tum verò Moses & Aharon ad ostium Tentorii Conventûs se contulerunt, Dei auxilium imploraturi; ubi cùm essent, nubes ad Tabernaculum descendit, vóxque audita est Dei jubentis Mosem accipere virgam illam Leviticæ Tribûs, quæ amygdalas protulerat, tum ad rupem vicinam ire, & coram convocato populo, eam virgâ semel percussam jubere aquam emittere, quæ illico erat eruptura, & potum Hebræis eorumque pecori suppeditatura.

[9] Snmsit verò virgam Moses ex Adyto, in quo erat. [10] & unà cum fratre Aharone convocavit ad rupem populum Hebræum, qui cùm convenisset, acriter à Mose, ejus querelis perturbato, increpitus est; quòd rem quæ fieri non poterat à se postularet, ut, nimirum, ex sicco silice aquam educeret; dubitabat enim, præ nimia anxietate, an id futurum esset quod Deus promiserat. [11] Attamen ne & ipse Deo immorigerum se præberet, rupem virgâ percussit, quæ cùm sat citò, ut ei videbatur, aquam non emitteret, iterum ab eo percussa est; quo ictu impacto, tanta erupit aquæ copia, ut & hominibus & pecori abundè sufficeret. [12] Tum vero Deus Mosem & Aharonem castigavit, quòd dubitassent an id futurum esset quod promiserat, & quòd non satis magnificè de divina potentia aut veracitate se sentire, coram popularibus suis, ostendissent, negavitque eos populum Hebræum in terram Chananæam intromissuros. [13] Hæ etiam aquæ dictæ sunt aquæ *Meribæ*, hoc est, *rixæ*, quòd rixati essent Hebræi cum Mose, quamvis Deus potentiam & veracitatem snam, coram omnibus, ostenderit.

[14] Cùm in hoc deserto, non procul à Kadeso, versarentur Hebræi, legatos misit Moses ad Idumæorum Regem, cui dicerent nomine totius populi, notum esse Idumæis qualia à multis annis passi essent consanguinei Israelitæ, nec opus esse ut multis ea exponerent. [15] Scire Idumæos Jacobum, Edomi fratrem, olim cum omnibus suis in Ægyptum ivisse; ubi stirps ejus per multos annos

Nam tu aquam à pumice nunc postulas, Qui ipsus sitiat. Attamen Deus promiserat ex illa rupe percussa aquam erupturam; sed ejus summa fortè ariditas, quæ laticem nullum celare videbatur, Mosis fidem labefactavit.

11. *Bis*] Quòd semel percussa aquam illico non emisisset, quæ iteratio animnm moræ impatientem & nonnihil dubitantem innuebat.

12. *Mihi non credidistis*] Hoc est, minorem fiduciam habuistis in promissis meis, quàm debebatis; neque enim prorsus divinæ potentiæ, ant veracitati fidem detraxerant; nam uumquam alioqui rupem percussissent, nisi spes fuisset aquam ex ea erupturam, divinâ potentiâ. Neque enim sperare poterant se aquarum laticibus, ictu baculo rupi impacto, viam aperturos.

Sanctum haberetis] להקדישני *ut me sanctificaretis*; hoc est, ut me sanctum, adeóque veracem à vobis haberi, coram toto populo, significaretis.

13. *Aquæ Meribæ*] Hoc est, *rixæ*. Simile nomen impositnm aquæ Chorebi Exod. XVII, 7. Ambignitas tollitur, additione loci vicini, ut *Meriba Cadesi* Deut. XXXII, 51.

Sanctus inter eos habitus est] יקדש בם jikkadesch bam, *sanctificatus est in illis*, hoc est, verax habitus. Post hunc versum sequuntur, in Samaritico codice, aliquot ex Deut. II, 1. & seqq. III, 24. & seqq. ut suppleantur circumstantiæ quæ videntur hoc in loco deesse. Sed nihil opus erat.

14. *Misit Moses Legatos*] Jubente Deo, ut liquet ex Deut. II, 4.

Idumææ] *Edom*, quod est nomen conditoris gentis, dein posterorum ejus, tum etiam regionis.

Frater tuus] Hoc est, populus ortus ex fratre conditoris gentis Idumææ.

Laborem qui nobis obvenit] *Defatigationem quæ invenit nos.* Vide Exod. XVIII, 8.

15. *Illic per multos annos*] *Mansimus in Ægypto diebus* (ימים) *multis*. Sed ימים dicuntur etiam *anni*. Vide not. ad Levit. XXV, 29. Si Latinè *dies multos* dicas, videris tantùm *dies* pro-

so, nobis liceat per terram tuam; neque per agrum, neque per vineam transibimus,
non bibemus aquam *ullius* putei; viâ regiâ iter faciemus, neque ad dextram, neque
ad sinistram deflectemus, donec fines tuos transierimus. 18· Dixit verò Idumæus:
non transibis per mea, ne tibi gladio *armatus* occurram. 19· Responderunt ei Israë-
litæ: per viam publicam adscendemus, si autem nos, aut pecudes nostræ aquam tuam
biberimus, pretium ejus dabimus: nullum dumtaxat negotium *nobis facessito*, & quàm
poterimus celerrimè transibimus. 20· Sed dixit *Idumæus*, non transibis, & obviam ei
processit cum ingenti populo, & robusta manu.
21· Cùm ergo recusasset Idumæus permittere Israëlem per fines suos transire, ab eo
Israëlitæ deflexerunt. 22· Kadeso profectus totus cœtus in Horem montem venit.
23· Dixit autem Jehova Mosi & Aharoni, in Hore monte, ad fines terræ Idumææ:
24· adgregabitur Aharon populis suis; neque enim ingredietur terram, quâ Israëlitas
donavi, quia ad aquas Meribæ rebelles imperio meo fuistis. 25· Adsume ergo Aha-
ronem & Elehazarem ejus filium, eósque in montem Horem jube adscendere. 26· Tum
Aharonem exues vestibus ejus, iisque indues Elehazarem ejus filium; Aharon verò
adgregabitur *populis suis*, & illic morietur. 27· Fecit Moses quemadmodnm jusserat
Jehova, atque in Horem montem, spectante toto cœtu, adscenderunt. 28· Tum
exuit Moses Aharonem vestibus, iis induit Elehazarem ejus filium, mortuúsque est
illic Aharon, in cacumine montis, ex quo Moses & Elehazar descenderunt. 29·
Vidit totus cœtus Aharonem exspirasse, eùmque, per triginta dies, universa domus
Israëlis deflevit.

XXI. Israë-

nos vixerat, dooec crudelissimè vexata ab Ægyptiis, 16· Dei auxilium supplex peteret, atque exaudita, per Angelum ex Ægypto educta esset. Israelitas autem nunc versari circa Kadesum, ad meridianos fines Idumææ, quò venerant ut sedes Chananææ, sibi dudum à Deo promissas, per Idumæam adirent. 17· Itaque orare eos Idumæorum Regem sibi licetet, pacato agmine, per viam publicam transire, sine ulla cujusquam injuria, donec Idumæi regni finibus egressi essent. 18· Hac oratione auditâ, qui tunc temporis Idumæis imperitabat, negavit se passurum Israëlitas, per suum agrum, transire; confirmavitque, si se invito id adgrederentur, armatum se iis occursurum. 19· Reposuerunt quidem Legati se sine maleficio, si liceret, transituros, &, si vel aquam in Idumæo solo biberent, pretium ejus incolis persoluturos.; 20· at pertinaciter spretâ consanguinitate, transitum iis negavit Idumæus, & loca per quæ transeundum Israëlitis fuisset, validis præsidiis occupavit, exercitumque transituris opposuit.

21· Hebræi verò, quos nullâ Idumææ parte donaturum se dixerat Deus, ad Orientem agmen flexerunt, ut Idomæam & Moabindem circumirent. 22· Itaque ex campis Kadeso vicinis profecti, ad montem Horem venerunt, in finibus Idumææ situm. 23· Ad eum montem cùm castra haberent, Deus Mosem monuit 24· adesse Aharoni vitæ finem, neque enim eum Chananæam ingressurum, ut nec ipsum Mosem; eò quòd sibi fidem noo habuissent, ad aquas Meribæ. 25· Jussit etiam eum cum Aharone, vestibus Sacerdotalibus ultimùm induto, Elehazaréque ejus filio, in montem Horem adscendere; 26· & cùm ad ejus cacomen pervenissent, Sacerdotalibus vestibus Aharonem exuere, iisque filium Elehazarem induere; quo digresso, ne funestaretur, animam acturus erat Aharon. 27· 28· Deo paruerunt Moses, Aharoo & Elehazar; indutóque Sacerdotalibus vestibus Elehazare, obiit Aharon, & Moses cum novo Pontifice Maximo ad castra rediit. 29· Cùm intellexisset populus Hebræus decessisse Aharonem, justa ei fecit, & per triginta dies luctum publicum indixit.

P A-

propriè dictos, & eo quidem numero qui annum non æquet, intelligere.

16. *Qui audivit*] *Et audivit.*

Misitque Angelum] Vide Exod. III, 2.

Nunc sumus] *Et ecce sumus.*

Quæ urbs est in extremis tuis finibus] *Urbe extremitatis finis tui.*

17. *Transire nobis liceat*] נעברה נא *transibimus, quæso.* Vulg. *obsecramus ut nobis transire liceat.* Hæc vis est futuri. Vid. infrà Cap. XXI, 22. & XXXV, 19.

Per agrum] בשרה *bschadeh*, hoc est, per agrum cultum.

Non bibemus aquam &c.] Gratis, aut iuvito domino, Deut. II, 6.

18. *Per mea*] בי bi, *per me*, hoc est, meam ditionem.

Ne tibi gladio armatus occurram] *Ne in gladio* (בחרב) *exeam in occursum tibi.* Nisi vis Idumæos tibi armatos occurrere, ne transeas.

19. *Responderunt*] Dixerunt.

Viâ tritâ] במסלה *bammesillah*, quod propriè significat viam aggestam, quemadmodum solent esse viæ publicæ per loca paludosa, aut inæqualia. Significat hîc qoamvis viam tritam & publicam, ut liquet ex vers. 17. ubi *regia* vocatur.

Nullum dumtaxat negotium nobis facessito] רק אין דבר *tantùm nullum verbum*, vel *nullam rem.* LXX. Intt. ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα οὐδέν ἐστι. Vulg. *nulla erit in pretio difficultas.* Onkelos, *nihil erit mali.* Sed רק non expresserunt. Maluimus subaudire תעשה לנו *facies nobis.* Sic Gen. XIX, 8. רק לאנשים האל אל תעשו דבר *at viris illis ne faciatis quidquam*, aut *nihil facite*, nempe, molestiæ.

Quam poterimus celerrimè] ברגלי *in pedibus meis transibo*, hoc est, qoantùm pedibus properans potero. Sic Volg. *tantùm velociter transeamus.* LXX. Intt. habent παρὰ τὸ ὄρος, uescio qoare. Vide not. ad Gen. XXXIII, 14.

20. *Et dixit*] Ubi manifestum est quis loqnatur, interdum omittitur loquentis nomen, ut hîc. Vide ad Gen. XXVII, 2.

Non

XXI. Iſraëlitæ clade ab Haradi Rege primùm acceptâ, eum deinde devotum vincunt. In Moſem fremunt, Cherſyáris infeſtantur, quorum morſus adſpectu ænei ſerpentis curantur. Sechonem & Hogum Reges vincunt, eorúmque agros occupant.

CAPUT XXI.

1. AUDIVIT autem Rex Chananæus Haradi, qui incolebat meridianum tractum, adventare Iſraëlem, per viam exploratorum. Pugnavit itaque contra Iſraëlem, atque ex eo captivos abduxit. 2. Tum verò Iſraël votum nuncupavit Jehovæ, & dixit: ſi populum hunc in manum meam tradideris, ejus urbes internecioni

PARAPHRASIS.

1. DUM populus Hebræus iis in locis verſaretur, Rex Haradenſium Chananæorum, qui in meridiano Chananææ tractu ſedes babebant, monitus eſt Hebræos infeſto agmine venire, ut Chananæam ingrederentur, quà olim exploratores ab iis miſſi in eam intraverant. Itaque collecto exercitu, obviam ivit Hebræorum copiis, quas ſubitò invadens clade adfecit, atque aliquammultos captivos abduxit. 2. Hebræi verò, cùm ſcirent Haradenſes eſſe ex gentibus, quas exitio damnaverat Deus, voverunt Deo ſi victoriam ſibi de iis concederet, ſe divinæ juſtitiæ miniſtros eos ad internecionem deleturos. 3. Devoventibus favit Deus, & victores Hebræi quoſcumque ceperunt occidione oc-

Non tranſibis] De populis verba facientes Hebræi, modò ſingulari numero, modò plurali utuntur.

Ingenti populo] בעם כבד *in populo gravi.* Vide not. ad Gen. XIII, 2.

22. *In Horem montem*] Cùm irent in ortum, ut Moabitidem petere viderentur, oportet hunc montem fuiſſe ad ortum Kadeſi. De hoc ita *Hieronymus*, ex *Euſebio*, in locis Heb. OR, *mons in quo mortuus eſt Aaron, juxta civitatem Petram, ubi uſque ad præſentem diem, oſtenditur rupes, quâ percuſſâ Moyſes aquas populo dedit.* Verùm Myſtagogi parum diligenter Moſem legerant, qui eodem in monte Aharonem mortuum, & aquas ex rupe erupiſſe putabant. Jonathan hunc montem vocat אומנוס *oumanos.* Ac ſanè, circa hæc loca, *Omanos* populos collocat *Plinius* Lib. VI. c. 28.

24. *Adgregabitur*] De hac phraſi *adgregari populis ſuis*, vide not. ad Geneſ. C. XV, 15. Non abſimiles ſunt loqutiones, quibus utitur *Papin. Statius* Thebaïdos Lib. VIII. ubi de Amphiarai vivi ad inferos deſcenſu. Eum ſic alloquitur Apollo:

Vade diu POPULIS *promiſſa voluptas Elyſiis.*

Poëta verò his verbis de eodem loquitur:

Nec dum illum aut truncâ luſtraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proſerpina poſte notarat
COETIBUS ADSUMTUM *functis.*

Rebelles imperio meo] מריתם את פי *merithem eth phi*, rebellaviſtis in os meum. Antea vidimus indicia quædam non ſatis perfectæ fidei, in verbis & actione Moſis; ſed neſcio an omne ejus peccatum plenè, in ea Hiſtoria, exprimatur. Certè quæ in ea habentur vix poſſunt מרי *rebellio*, vel *inobedientia* vocari. Nam Moſes juſſus percuſſit rupem, quod indicium eſt eum tum crediſiſſe erupturam aquam, Dei voluntate; nam non poterat ſibi fingere ictu virgæ latici viam aperiri, per durum ſilicem. De Aharone nihil habet Moſes, niſi quòd ſibi comes fuerit.

26. *Tum Aharonem exues*] Veſtibus, nempe, Sacerdotalibus, quamvis non dixerit Moſes Aharonem iis indutum in montem Horem adſcendiſſe. Si fuiſſet vulgaribus veſtibus indutus, nihil opus erat Elehazarem eas patri detractas induere; ſed ei in Sacerdotium ſucceſſurus ſacerdotales veſtes ab eo accipere debuit. Sic *Jonathan* habet hîc: *exue Aharonem veſtibus ſuis* יקר כהונתא *decore Sacerdotii.*

28. *Ex quo Moſes &c.*] *Et deſcenderunt Moſes & Elehazar ex monte.*

29. *Per triginta dies*] Primùm ſepultus eſt, ut legimus Deut. X, 6. tum publico luctu totius populi per triginta dies cohoneſtatus. *Vide &* Deut. XXXIV, 8.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXI.

1. HAradi] ערד urbs tractûs meridiani, de qua Joſ. XII, verſ. 14. *Hieronymus* in locis Heb. ex *Euſebio*: ARAD, *civitas Amorræorum vicina deſerto Kades; & uſque nunc oſtenditur villa ab oppido Malatis, in quarto lapide, à Chebron viceſimo in Tribu Juda.*

Per viam exploratorum] האתרים *haatharim.* Sic *Vulg.* & *Onkelos* vocem hanc intelligunt, nec abſimile vero eſt, nunciatum Regi Chananæo adventare Hebræum populum, & ingredi Chananæam velle eadem viâ, quâ olim eam ingreſſi erant exploratores ab eodem populo miſſi; cùm reverâ in eodem tractu caſtra haberet, ubi fuerant ante triginta octo annos. LXX. Intt. nomen proprium eſſe putarunt, habent enim Ἀθαρείμ.

Captivos] שבי ſchbi, *captivitatem.*

2. *Tradideris*] *Tradendo tradideris.*

Internecioni devotas delebo] החרמתי *hehheramthi*, quod non poteſt in aliis Linguis unâ voce exprimi. Hoc ſenſu, ſæpiùs poſtea apud Moſem, & apud Joſuam occurrit. Meritò autem Iſraëlitæ devovebant hos Chananæos, jam à Deo damnatos, & quibus parci vetuerat. Vide Deut. VII, 1, 2. Erant Hebræi hac in re non mo-

cioni devotas delebo. 3. Audiit Jehova vocem Iſraëlis & Chananæos *ei* tradidit; eos Iſraël & eorum urbes ad internecionem delevit, noménque loco *propterea* impoſuit Chormæ.

4. Ex Hore monte profecti ſunt, per viam maris algoſi, ut Idumæam circumirent; ſed animum in via deſpondit populus. 5. Contra Deum, & contra Moſem dixit: quare adſcendere nos juſſiſtis ex Ægypto, ut in hoc deſerto interiremus? nam neque *hîc* eſt panis, neque aqua; & levem hunc cibum faſtidit adpetentia noſtra 6. Tum immiſit Deus in populum ſerpentes urentes, eúmque momorderunt, & multitudo ingens ex Iſraële mortua eſt. 7. Venit deinde populus ad Moſem, & peccavimus, inquit, quando contra Jehovam & te loquuti ſumus; deprecare Jehovam, & ſerpentes à

occiderunt, urbéſque expugnatas ſolo æquarunt; quo factum ut is tractus *Chorma*, hoc eſt, *devotio*, poſtea diceretur.

4. Ex Hore monte profecti Hebræi ad auſtrum agmen verterunt, ut Idumæorum fines, quos ingredi non licebat, circumirent. Iis in locis moleſtiarum itineris pertæſus Populus Hebræus 5. in Deum & Moſem fremere cœpit, & dictitare à Moſe ſe eſſe in invia loca, in quibus neque panis, neque aquæ erat copia, adductos, ut in iis interirent; nam Manna ſola, leviore æquo cibo, ſine ſummo faſtidio, veſci ſe ampliùs non poſſe. 6. Cùm hæc vulgò jacerent Hebræi, ecce verò ingens Cherſydrorum copia, à Deo in eos immiſſa, non paucos momordit, & occidit. 7. Quo animadverſo, ſenſerunt ſe pœnas meritas inconſultarum querelarum Deo dare; itaque ad Moſem concurſu facto, culpam faſſi ſunt, eumque ut pro popularibus, ut ſo-

modò hoſtes, quia priores laceſſiti fuerant ab Haradenſibus; ſed etiam divinæ juſtitiæ miniſtri, cui proinde, hoc voto, rectè ſe officio ſibi impoſito defuncturos pollicebantur.

3. *Audiit*] Perfecit quod petebant.

Chananæos eis tradidit] Hoc eſt, exercitum, quem totum, aut quatenus licuit, conciderunt.

Eorum urbes] Quas, nempe, cepit eo tempore, non omnes. Nam Joſua demum Haradi Regem cepit, Joſ. XII, 14. aliíque reliquas meridiani tractûs urbes expugnerunt, & deleverunt, ut docemur Jud. I, 16, 17. Ac ſanè ſi omnes meridiani tractûs urbes occupare potuiſſent Hebræi, illac eſſent Chananæam ingreſſi. Sed paucas tantùm eáſque ſolitudinibus vicinas tunc temporis invaſerunt, neque ulteriùs penetrarunt.

Chormæ] Hoc eſt, *rei devotæ*. Sic quoque vocata poſtea urbs, quæ צפת *Tſephath* dicebatur antea, in eodem tractu. Vide Jud. I, 17.

4. *Per viam maris algoſi*] Nempe, ad Meridiem, ne fines Idumæorum ingrederentur, ut poſtea iter ad Orientem, & Septemtrionem flecterent.

Animum deſpondit] ותקצר נפש העם *& abbreviata eſt anima populi*; hoc eſt, non potuit ampliùs ferre laborem tot itinerum. Vide Jud. X, verſ. 16. XVI, 16. LXX. Intt. ὠλιγοψύχησεν, Vulg. *tædere cœpit populum*.

5. *Eduxiſti nos*] *Adſcendere feciſti nos*. Samaritæ habent הוציתנו *exire feciſti nos*.

Levem hunc cibum] הקלקל *hakkelokal*. LXX. διάκενον, & Vulg. *leviſſimum* vertunt, eodem ſenſu. Ita contemtim loquuntur Iſraëlitæ de Manna, quæ levis erat concoctionis, nec eorum adpetentiæ ſatisfaciebat. Jam antea eos ejus tæduerat. Vide Cap. XI, 6.

Faſtidit adpetentia noſtra] *Abhorret anima noſtra*. *Animam* dici *adpetentiam* oſtendimus ad Cap. XI, verſ. 6.

6. *Serpentes urentes*] הנחשים השרפים *hannebhaſchim haſſcheraphim*. Hos ſerpentes *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. III. c. 23. oſtendit fuiſſe *Hydros*, vel *Cherſydros*, qui ariditatem cutis, & ſummum ardorem creant iis, quos morſu adpetunt, unde שרפים, hoc eſt, *urentes* ab Hebræi dicti ſunt, aut *igniti*, ut vertit *Hieronymus*. LXX. Intt. habent τοὺς θανατοῦντας *occidentes*, incommodè. Vide de his Serpentibus *Jac. Grevinum* Lib. I. de Venenis Cap. 15.

6. *Eúmque momorderunt*] *Et momorderunt populum*.

Multitudo ingens] *Populus multus*.

7. *Quando*] כי *chi*, quod poſſet etiam verti *quia*, ut ſignificent quanam in re peccarint, poſtquàm ſe peccaſſe dixerunt. Prius tamen maluimus, nec eſt ea illius particulæ infrequens poteſtas. Vide Exod. III, 21. & *Chr. Noldium* num. 22.

Serpentes] *Serpentem*.

8. *Fac tibi urentem ſerpentem*] Ex metallo, nimirum.

Perticæ impone] על נס *hal nes*. LXX. Intt. ἐπὶ σημείου, & Vulg. *pro ſigno*. Ac ſanè נס *nes* ſignificat ſignum quod adtollitur, eo animo ut concurrant ad id populi. Vide Eſai. V, verſ 26. XLIX, 22. Verùm adtollebantur eam in rem perticæ, ex quibus aliquid ſuſpendebatur. Ideóque perticam hîc vertimus.

Quicumque morſus fuerit &c.] *Omnis morſus & videbit eum & vivus*. Ejuſmodi imagini nullam inſitam vim fuiſſe nemo non videt, quidquid ſomnient qui nobis Orientalium צלמניא *tſilmenaja*, ſeu *imagines magicas*, hîc in memoriam revocant. Inanes ejuſmodi opiniones de vi imaginum, ſub certis ſideribus conflatarum, uſque adeò exploſæ ſunt, ut confutatione non indigeant. Itaque curandorum demorſorum potentia in Deo ipſo fuit, quam exſerere ipſe voluit, in gratiam eorum qui ſerpentem à Moſe ſublatum adſpicerent. Hac in re, Deo viſum eſt potentiam ſuam oſtentare, ut Hebræi intelligerent à ſe miſſos fuiſſe eos ſerpentes, non caſu adveniſſe in ea loca; útque, cùm viderent æneam ſerpentis imaginem, eámque conſpectam exſtinguere vim veneni à vivo ſerpente morſu in vulnus emiſſi, nihil eſſe quod ſibi ab ulla moleſtia timerent, cùm Dei potentia remedium omnibus facillimè adlatura eſſet, ſi modò ei crederetur. In ejuſmodi remediis ſummo-

à nobis abigat. Moses pro populo deprecatus est, 8. & Jehova Mosi: fac tibi, inquit, urentem serpentem, eúmque perticæ impone; & quicumque morsus fuerit, eúmque viderit, vivet. 9. Moses ergo fecit serpentem æneum, imposuitque perticæ, & si quem morderet serpens urens, is adspiciebat serpentem æneum & vivebat.

10. *Hinc* profecti sunt Israëlitæ, & castra posuerunt in Obothis. 11. Profecti ex Obothis castra metati sunt in cumulis Habarimorum, in eo deserto quod est è regione Moabi, ad orientem solem. 12. Inde profecti castrametati sunt, ad torrentem Zeredum.

solebat, apud Deum, deprecator esset orarunt, quod nec ille negavit. 8. Deus ergo Mosis precibus placatus, eum jussit, ut intelligerent Hebræi à se immissos esse Chersydros, & à se eorum morsus curari, imaginem æneam Chersydri conficere, eámque in summa pertica collocare, ut omnibus conspicua esset, & quicumque à Chersydris morsi eam intuerentur, illico curarentur. 9. Cùm Deo paruisset Moses, quicumque morsu adpetiti fuerant, adspecto Chersydro æneo, curabantur.

10. Ex locis, in quibus à Chersydris malè habiti fuerant Hebræi, profecti in Obothas iverunt; 11. ex Obothis verò ad cumulos Habarimorum, qui ad orientem Moabitici agri sunt, castra moverunt. 12. Hinc ad torrentem Zeredum, 13. à Zeredo ad Arnonem pervenerunt. Arnon torrens est, qui ex Moabiticis montibus ortus, in occasum fluit, Emoræorum ditionem à Moabitica distinguit, Asphaltitæ

mopere elnxit Dei potentia, quæ latuisset si ea adhibita fuissent medicamenta, quæ naturâ suâ apta curandis morsibus serpentum credebantur. Sic videmus Christum Joan. IX. *lutum* oculis cæci imposuisse, ad quem locum vide Intt. Possemus hinc incipere ostendere similitudinem Serpentis ænei, & Christi ipsius; nam ut nemo credidisset salutiferum futurum esse Israëlitis, ab Chersydris demorsis, conspectum ænei Serpentis: ita nec quisquam poterat, eo tempore quo res contigit, sperare Hominis crucifixi cognitionem unicam fore viam, quâ homines ad fidem Deo habendam, parendúmque Evangelio, ex omnibus gentibus, brevi adducendi essent. Verùm hoc, aliáque idgenus Theologis latiùs diducenda, atque illustranda relinquimus. Vide eos ad Joan. III, 14.

Vivet] Hoc est, aut non morietur ob morsum, alioqui lethalem, aut curabitur. Quàm excellentiore sensu hæc de Christi salutifera cognitione dici possint, cùm omnes videant, nihil adtinet dicere.

10. *Hinc*] Nempe, ex loco in quo erectum fuerat serpentis ænei simulacrum, qui *Phunon* dicitur Num. XXXIII, 43. ubi vide notata.

Obothis] אבת *oboth*, quod *utres* sonat, unde conjiciunt nonnulli utres aquâ fuisse impletos. Hæ autem stationes pleniùs habentur Num. XXXIII. ubi nonnulla ad eas adnotabimus, quæ hîc omittimus.

11. *Solem*] Adduntur hîc in Samaritico aliquot verba ex Deut. II, 9. ut & post vers. 12. alia ex eodem Capite vers. 18, 19. Supplevere, nempe, Samaritæ quæ deesse videbantur.

12. *Ad torrentem Zered*] בנחל bnahhal, *in torrente*; hoc est, ad torrentem. Sic supra באהל *ad tabernaculum* sæpiùs habuimus. Vide Num. IV, 3, 4. *Hieronymus* hîc *torrentem* vertit, in locis verò Hebraïcis, *vallem*, φάραγγα, ut habent LXX. Intt. Certè *torrens* aquâ destitutus est *vallis*.

13. *Trans Arnonem*] מעבר, enuntiúmne ratione, an Emotæorum, qui erant ad septemtrionem Arnonis? Malim enuntium.

Qui est in deserto] Nempe, Atabiæ. De hoc fluvio *Josephus* Ant. Jud. Lib. IV. c. 4. Ἐκ τῶν τῆς Ἀραβίας ὀρῶν ὡρμώμενος καὶ διὰ πάσης ἐρήμου ῥέων, εἰς τὴν Ἀσφαλτῖτιν λίμνην ἐκδίδωσι: *ex Arabiæ montibus ortum ducens, & per totam eremum fluens, in Asphaltitin paludem evolvitur.* De hoc torrente similia dixerat *Eusebius* in locis Hebraïcis, sed quæ ab *Hieronymo* minùs rectè intellecta, ostendimus ad eam vocem, & ad Indicem Geograph. Sacræ *Nic. Sansonis.*

Egreditur è finibus Emoræorum] Fluebat ergo per Amoræorum agros, quorum fines maxima ex parte nobis ignoti sunt.

14. *Memorantur*] יאמר *jeamer*, dicitur, hoc est, dici solet, nam hæc vox proverbiis, aut ejusmodi præfigitur formulis. Vide not. in Gen. XXII, 13. Sed nec in Futuro malè vertas *memorabuntur*, hoc est, memorabilia erunt, quia hinc initium factum.

In narratione] בספר *bsepher*, in libro. Hinc fictus ab Intt. *liber bellorum Domini*, de quo nulla usquam aliàs mentio, & cujus volunt esse sequentia verba. Nos maluimus *narrationem* vertere, eo sensu quem in Paraphrasi expressimus; quàm librum fingere ullum, præter hunc Mosaïcum. ספר *saphar* est *narrare*, unde derivatum *sepher* narrationem sonare potuit, sensu proprio; deinde quia in *libris* scribuntur *narrationes*, ideò dicti sunt ספרים *spharim*. Hinc & quodvis breve scriptum vocatur ספר, ut ostendimus ad Cap. V, 23.

Bellorum Jehovæ] Hinc LXX. Intt. incipiunt verba Libri nescio cujus, habent enim ἐν βιβλίῳ, addúntque: πόλεμος τοῦ Κυρίου τὴν Ζωὸβ ἐφλόγισε. *Vulgatus* verò & *Onkelos* construunt hæc verba cum antecedente, habéntque, *in libro bellorum Domini*, ut & plerique Recentiorum.

Vabeb in Supha] Ait Moses in narrandis bellis Jehovæ, hoc est, populi Hebræi, mentionem fieri solere *Vabebi in Supha*, & *Arnonis*, quod hîc primùm pulsis Chananæis sedes ceperint Israëlitæ, ut ex hoc ipso Capite adparet. De Arnone res est manifesta. *Vabebi* alio nomine vers. 18. fit mentio, ubi vide notata. *Suphæ* quoque meminit Moses Deut. I, 1. ut loci vicini iis campis, in quibus Deuteronomium edidit. Alibi, ubi incipit narrare bella Jehovæ, ab Arnone orditur. Vide Deut. II, 24, 36. Vide & Jos. XII, 1.

LXX. verò Intt. legerunt זהב *zobab* pro והב *vabeb*, & בסופה verterunt ἐφλόγισε, nescio qua-

dum. 13. Hinc moventes caſtra poſuerunt trans Arnonem, qui eſt in deſerto, egreditúrque è finibus Emoræorum; nam Arnon terminus eſt Moabi, *fluitque* inter Moabitas & Emoræos. 14. Ideóque memorantur, in narratione bellorum Jehovæ, Vaheb in Supha, torrentes Arnonis, 15. & defluxus torrentium, qui declinat ad habitationem Haris, & præterlabitur fines Moabi. 16. Illinc *iverunt Iſraelitæ* ad Puteum, is eſt puteus de quo dixit Jehova Moſi: congrega populum, & dabo ei aquam. 17. Tum cecinit Iſraël hoc Canticum: adſcende, putee, reſpondete ei; 18. puteus eſt quem foderunt principes, quem cavarunt duces populi, cum legiſlatore, ſcipionibus ſuis. Ex

titæ lacui illabitur. Hunc, nemine impediente, trajecerunt Hebræi, & tum primùm in ſolo, quod armis ſubegerunt, pedem poſuerunt. 14. Ideóque quotieſcumque poſthac bella, Dei auſpiciis, ab Iſraelitis geſta narrabuntur, horum locorum ante omnia mentio fiet; Vahebi, nempe, ſive Matthanis, in Supha, & Arnonis, 15. ejuſque decurſûs; cùm agros ad ſeptemtrionem hujus torrentis ſitos primos omnium Iſraelitæ, deletis Emoræis, qui eos incolebant occuparint. 16. Cùm Hebræi Arnonem trajeciſſent, venerunt ad loca, in quibus puteos multos foderunt, juſſu Moſis mandatis eam in rem à Deo inſtructi. 17. Copioſis laticibus illic inventis, Canticum, in rei memoriam, ab Hebræis factum eſt, in hunc ſenſum: canite vicibus, ſcaturite latices. 18. Hos puteos foderunt Moſes, ceterique Iſraelitarum principes, tantâ facilitate, ut vel ſcipionibus ſuis fodere eos potuiſſe videantur.

quare. *Vulgatus* ſenſum, quem non invenit, in Moſis orationem intulit, habet enim: *ſicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon.* Onkelos: *quod fecit Jehova ad mare algæ.* Poſtremus ſaltem conſtructionis rationem habuit, nam conjunguntur יאמר את והב *dicetur Vaheb*; ſed priores, conculcatâ conſtructione, ne vocum quidem rationem ullam habuerunt. Nihil tamen notius & certius, in Grammatica Hebraïca, quàm את nominativis poſt Verba Paſſiva præfigi. Vide *Joan. Buxtorfium*, in Theſ. Gtamm. Lib. 2. C. IX. ad calcem Reg. I. Hoc non obſervarem, niſi viderem Recentiores etiam, Canonum Grammaticorum multò obſervantiores, hac in re peccaſſe.

15 *Defluxus torrentium*] אשד *eſched*, quod eſt à Radice אשד *aſchad*, quæ, apud Chaldæos, in uſu eſt, & *defluere* ſignificat. Videtur hoc in loco humiliores planities, in quas torrentes è montibus feruntur, ſignificare; quales erant montibus Moabiticis ſubjectæ, circa Arnonem. Hæc enim ipſa loca vocantur à Moſe Deut. III, 17. IV, 49. אשדות הפסגה *aſchdoth happhisgah*. Vide & Joſ. XII, 3, 8. Horum autem ab iis qui incipiebant narrare res ab Hebræis, Deo juvante, geſtas mentio neceſſariò fiebat, quòd hoſce agros ſibi omnium primos ſubjecerint.

Haris] Urbs Moabitica ad Arnonem ſita. Vide verſ. 28.

Præterlabitur] נשען *nititur*, hoc eſt, tangit fines.

16. *Ad puteum*] באר *beer*, hoc eſt, locum in quo foderunt puteum, aut puteos, nam ea hiſtoria obiter tantùm hîc adtingitur.

17. *Adſcende putee*] In memoriam rei, quæ illic contigerat, & quam perſtringit potiùs quàm narrat Moſes. Hoc Canticum conſtat ὁμοιοτελεύτοις, ita diſponendis:

עלי באר ענו לה
באר חפרוה
שרים כרוה
נדיבי העם
במחקק במשענתם

Jubetur *adſcendere puteus*, hoc eſt, fons è terra ſcaturire, ut potum Hebræis præbeat. Quamvis autem unus memoretur *puteus*, videntur plures intelligendi, cùm ex uno puteo non potuiſſet aquam petere tantus populus. Paſſim ſingularis numerus pro plurali occurrit.

Reſpondete ei] Hoc eſt, canite vicibus de eo. Alter canebat באר חפרוה *puteus foderunt illum*; alter reſpondebat שרים כרוה *principes foderunt illum*, & ſic vicibus reliquos verſus. Vide not. ad Exod. XV, 21.

18. *Cùm Legiſlatere*] במחקק *in Legiſlatere*. ב hîc eſt *cum*, ut Num. XX, 20. Legiſlator eſt Moſes.

Scipionibus ſuis] במשענתם *bmiſchhenotham*. Poëtica eſt fictio, ad ſignificandam tantam aquæ copiam, támque facilè ſcaturiiſſe, ut videretur puteus potuiſſe fodi, vel ſolis ſcipionibus, quos honoris causâ geſtabant populi primores.

Ex deſerto] Ubi erat memoratus puteus.

Matthanem] מתנה *matthanah*, & ſine ה locali מתן *matthan*, quæ vox *donum* ſignificat. Idem hic eſt locus, qui verſ. 14. vocatur והב *vaheb*, nam hæc vox id ſignificat Arabicè, quod מתן *matthan* Hebraïcè; quo nomine fortè ab Hebræis vocatus eſt locus, qui ab Arabibus incolis *waheb* dicebatur. Quod eſt Chaldaïcè, יהב, cujus Radicis ſolus Imperativus, apud Hebræos, uſitatus eſt; hoc ipſum eſt, apud Arabes, ſollemni mutatione *Jod* in *Vau*, והב *wahaba*, hoc eſt, *dedit*. De variis nominibus uni loco impoſitis, vide quæ collegit *Sal. Glaſſius*, in Gram. Sacr. Lib. IV. Tr. 3: Obſ. XIII.

20. *Sub vertice*] Subaudimus neceſſariò תחת thahhath *ſub*; nam vallis non poteſt eſſe, niſi ſub monte. Abſurda eſt hîc *Vulgata*, quæ ſupplevit *in*, hoc modo: *de Bamoth vallis eſt in regione Moab, in vertice Phaſga.* LXX. Intt. obſcurè ἀπὸ κορυφῆς.

Phiſgæ] Alii nomen adpellativum cenſent eſſe פסגה *phiſga*, aut *phaſga*, ut à Veteribus pronunciatur, alii proprium. LXX. habent hîc λελαξευμένου *exciſi*, nempe, *montis*, ſed alibi φασγά. *Onkelos* רמתא *collem*, Samarita מביתה *ſpeculam*. Sed nomen eſſe proprium jugi Moabitici montis liquet ex Num. XXIII, 14. pluribúſque Deuteronomii locis.

Solitudinem] ישימן *jeſchimon*, quod nonnulli

Ex deserto *iverunt Israëlitæ* in Matthanem, 19. è Matthane in Nachalielem, è Nachaliele in Bamothas, 20. è Bamothis in vallem quæ est in agro Moabitico, *sub vertice* Phisgæ qui solitudinem despicit.

21. Hinc misit Israël legatos ad Sichonem Emoræorum Regem, qui dicerent: 22. transire nobis liceat per terram tuam, non deflectemus in agrum aut vineam, non bibemus aquam putei, per viam regiam transibimus, donec fines tuos transierimus. 23. Non

videantur. Ex eo autem loco deserti, ubi puteos foderant, iverunt Hebræi in Matthanem, qui locus & Wahebum, Arabico nomine, dicitur; 19. è Matthane in Nachalielem; è Nachaliele in Bamothas; 20. è Bamothis in loca campestria Moabitidis, quæ vertici Phisgæ subjacent, qua desertum id jugum despicit.

21. 22. Cùm autem eo tempore Israëlitæ cogitarent de sedibus trans Jordanem dumtaxat, inter ejus occidentales ripas, & mare internum, capiendis, legatos ad Sichonem Emoræorum Regem misere, qui similia ab eo peterent iis quæ ab Idumæis petita fuerant, iisdemque legibus. 23. At nihil pacati respondit Sichon, quinimo cum exercitu

li etiam, contradicentibus Vett. Intt. quos sequuti sumus, nomen proprium loci esse volunt. Non expressimus Latinè על פני *ad faciem*, nam *despicere desertum*, ubi de monte sermo est, & *despicere ad faciem deserti* idem sunt. Sic *facies agri* pro *agre*, Levit. XIV, 7. Post hunc versum adduut Samaritæ ex Deut. II, 24, 25. quæ videntur suppleri oportere.

22. *Transire nobis liceat*] *Transibo*, ut antea C. XX, 21. Quamvis Deus permisisset Israëlitis septem Chananæorum familias sedibus suis, ad utramque Jordanis ripam sitis, deturbare; attamen Mosis consilium erat ante omnia occupare eum tractum terrarum, qui inter Jordanem & mare Mediterraneum est, & qui propriè *terra promissa* vocabatur. Vide Deut. Cap. XXXIV, vers. 4. Itaque si liberum transitum Hebræis concessissent Reges Peræe, in ea nondum Hebræi sedes habuissent. Similem legationem ad Idumæorum Regem legimus suprà Cap. XX. Hunc versum interpolarunt Samaritæ ex Deut. II, 27, 28. Sic vers. 23. ex Deut. II, 31.

24. *Gladio*] *Ore gladii*; hoc est, totam gentem delevit, seu, ut Galli loquuntur, *la fit passer par le fil de l'épée*.

Firmati erant] עז גבול has gboul, *firmus terminus filiorum Hammonis*; præsidiis, nempe, aut etiam munimentis, quæ exercitus populi Hebræi transgredi non potuit.

25. *Omnes eas urbes*] Inter Arnonem & Jabbokum torrentes sitas.

Urbibus ejus ditionis] בנותיו *filias ejus*, quæ ejus coloniæ, aut ei alioqui subditæ videntur fuisse. Harum ratione, Chesbon fuit אם *mater*, seu metropolis. Vide not. ad Gen. C. XI, 4.

26. *Regis Emoræorum*] *Ille Rex Emoræorum & ille* &c.

Antea] ראשון *primus*, quod posset etiam verti *prior*, ut intelligamus Sichonem, nullâ injuriâ lacessitum, bellum Moabitis intulisse. Sequuti sumus LXX. Intt. qui habent τὸ πρότερον, & Onkelosum, qui vertit קדמאה *kadmaah*.

Ei eripuerat] *E manu ejus*.

27. *Figurata oratione utentes.*] משלים *moschelim*. LXX. Intt. αἰνιγματισταὶ. Vulg. *in proverbio*. Chaldæi ipsam vocem servarunt, Chaldaïco more mutatam, מתליא. Samarita habet שליטיה *domini*, quia Radix משל *dominari* significat. Sed certum est משל *maschal*, apud Hebræos, esse orationis genus figuratum; quale est quod dicit Balahamus infrà Cap. XXIII, 7, 18. XXIV, 3, 15, 20, 23. Hinc γνωμαὶ & proverbia dicta sunt משלים, quòd plerumque figuratis verbis sint concepta; παραβολὰς verterunt Græci, quòd sæpe *similitudines*, complectantur, & verbum נמשל significet *assimilare*. Sed omnes משלים non sunt *similitudines*, ut hoc exemplo, aliisque innumeris liquet. Itaque maluimus vertere משלים moschelim, *figurata oratione utentes*.

Si *Andreæ Masio*, viro doctissimo, credimus, Annalium sive Diariorum scriptores sic adpellant Hebræi, hoc est, argutos, scitos, facetósque homines, & subtiles ac elegantes Scriptores; משל enim, ut ait, dicendi, scribendive genus est urbanum, ingeniosum, facetum, elegans. Hæc & similia *Masius*, in Præfatione Comment. in Josuam. Sed is non est stylus Diariorum, neque ullus est Vet. Testamenti locus, qui eo nomine ὑπομνηματογράφους vocatos fuisse vel obiter subinnuat. Hi מזכירים *mazchirim* dici solent, quæ vox sæpe in Historia Regum occurrit. Hæc verba Mosis τοῖς משלים tribuunt fragmentum orationis figuratæ, quo victoriæ Emoræorum de Moabitis describebantur; sed nihil est hîc quod sapiat Annalium, vel Diariorum stylum.

Videntur potiùs משלים dicti ii, qui stylo utebantur non multum à Dithyrambico Græcorum diverso, qualis est stylus hujus fragmenti, Jobi & aliorum Librorum. Hoc autem interest inter משל *maschal* & מזמור *mizmor*, quòd hic constet versibus ὁμοιοτελεύτοις, משל stylo dumtaxat Poëtico, ut aliquando fortè ostendemus in Diss. *de Poëtica Hebræorum*.

Quæret hîc fortasse aliquis an sequentia verba sint plurium, quandoquidem Moses utitur numero multitudinis? Plurium fuisse vix crediderim, sed cùm auctor nomine non adpellatur, plurali numero sæpe designatur. Sic passim citamus *Poëtas*, quamvis unius verba proferamus. Vide not. ad Gen. VIII, 4.

Venite Chesbonem] Quis fuerit משל *moschel* hic, cujus sunt hæc verba, ex nullo indicio adparet; neque enim Hebræi qui tum primùm in ea loca venerant, & Sichonem occiderant ac spoliaverant, ejus res gestas stylo encomiastico videntur scripsisse. Nec sanè Moses nuperi Scriptoris verba adferret, ad antiquiorum rerum illustrationem. Hîc autem *Moschel* videtur alloqui Emoræos, quos captâ Chesbone, ad eam urbem incolendam vocat.

Instauretur] תבנה *ædificetur*, sed instauratio-

23. Non permisit verò Sichon Israëlem per fines suos transire, sed totum suum populum coëgit, obviam Israëli processit in desertum, venitque Jahatsum, & prælium cum Israële commisit. 24. Verùm hunc Israël gladio cecidit, terrámque ejus occupavit ab Arnone ad Jabbokum, ad Hammonitas usque; nam firmati erant *præsidio* fines Hammonitarum. 25. Omnes eas urbes cepit Israël, habiravítque in omnibus urbibus Emoræorum, Chesbone, urbibúsque ejus ditionis. 26. Chesbon enim fuit urbs Sichonis re-

citu obviam Hebræo populo in desertum, Jahatsum usque, venit; ubi, prælio commisso, 24. cæsus est Emoræorum exercitus, occupatáque ab Hebræis tota eorum regio, ab Arnone ad Jabbokum usque torrentem, qui fines Hammonitarum adluit. Neque ulteriùs victores penetrarunt, quòd Hammonitæ fines suos validis præsidiis firmassent. 25. Pulsis ita Emoræis, Hebræi, ut postea dicemus, in eorum agris, urbibusque omnibus, quarum Chesbon metropolis erat, consederunt. 26. In hac urbe fuerat Regia Sichonis, Emoræorum Regis; qui eà, finitimisque agris ad Arnonem, Moabitas

tionem significari liquet; non capitur enim urbs, quæ nondum condita est. Hebræi qui carent compositis verbis, primitivis eorum loco utuntur. בנה banah *instaurare* significat 1. Reg. XII, 25. XVI, 24. & alibi. Fortè primo impetu capta ab Emoræis incensa etiam fuerat, deinde iterum ædificata. Hoc videtur significare vox sequens תכונן thicchonen, *præparetur*.

Urbs Sichonis] Postquàm eam Moabitis eripuisset.

28. *Egressus est ignis Chesbone*] Idem ille hostilis ignis, quo Chesbon conflagaverat, Hari illatus, hanc in cineres redegerat. Quo *Moschel*, quisquis fuerit, significat Chesbonem primùm, deinde Harem ab Emoræis captam.

Harem Moabi] ער מואב. Legunt Samaritæ ער *usque ad Moab*, sed Har fuit urbs Moabitidis. Vide Deut, II, 9: 18.

Bamotharum Arnonis] Quò venisse dicuntur Hebræi v. 19.

Popule Chemosi] Nempe, Moabitæ Deum suum כמוש *Chemosch* vocabant. 1 Reg. XI, 7. Ita fortasse Solem adpellabant, qui summâ celeritate utrumque hemisphærium peragrare videtur; nam, apud Arabas, Radix כמש *chamascha* significat *celerem esse*. Vir doctissimus *Thom. Hydeus* in Lib. de Rel. Persarum Cap. V. conjicit idem esse כמוש *chemosch*, ac Arabicum חמוש *hhemosch*, quod *culicem* sonat; fuisséque imaginem culicis, astrologicâ arte confectam ad averruncandos culices: quemadmodum, apud Accaronitas, erat בעל זבוב *bahal-zebub*, hoc est, *dominus muscarum*. Sed cùm sine ulla mutatione litterarum, commoda suppetat Etymologia; non video cur ab ea recedamus, donec ex prisca Historia Orientalium certius quidpiam occurrat.

Dedit filios suos] Vel, permisit abducendos. *Filii Chemosi* dicuntur Moabitæ, ut Israëlitæ *filii Dei*, de qua Phrasi vide not. ad Joan. I, 12. Ceterùm ad hunc משל *maschal* respexit manifestò Jeremias Cap. XLVIII, 45. ubi hæc leguntur: *ignis egressus est è Chesbone, & flamma è Sichone, & absumsit extrema Moabi, & verticem filiorum sonitûs. Væ tibi, Moab! periit populus Chemosi, quia capti sunt filii ejus captivi, & filiæ in captivitatem abductæ.*

30. *Lucerna eorum periit*] Hoc est, juventus quæ in parentum bona & dignitates succederet. Sic 1 Reg. XI, 36. de Robohamo ita Achija Silonites Propheta: *Filio ejus dabo Tribum unam, ut sit lucerna Davidi servo meo, omnibus diebus coram me, Jerosolimæ, quam urbem elegi, ut nomen illic collocarem. Lucerna Davidis* est ejus successor. Vide ejusdem Libri C. XV, vers. 4. Adde & 2 Sam. XIV, 7. Ideò LXX. Intt. verterunt *ωρίςμα αὐτῶν*. Malè Vulgatus *jugum*.

Dibonem] Quæ urbs fuit Moabitici agri. Vide Esai. XV, 2. Jerem. XLVIII, 18, 22. *Hieronymus* in loc. Hebraïcis: DIBON, *villa pergrandis, juxta Arnonem, quæ, cùm priùs fuisset filiorum Moab, & pòst eam Sebon rex Amorræorum belli jure tenuisset, à filiis Israël capta atque possessa, in partem venit tribûs Gad.*

Vastavimus ad Nophachum usque] נשים עד נפח *nasschim had Nophahh*. Quod LXX. Intt. verterunt, καὶ αἱ γυναῖκες ἔτι πῦρ ἐκαυσαν quia נשים *naschim* mulieres sonat, & נפח *naphahh* flavit. Vulg. *lassi pervenerunt in Nophe*. Meliorem esse nostram interpretationem, versionémque res ipsa ostendit, & solent ii Intt. in locis obscuris, leges omnes Grammaticas perrumpere, & quidem ut coactos aut frigidos sensus edant. *Nophach* videtur esse nomen agri in Moabitide. Samaritæ habent עד הנפח *had hinnaphhahh, donec flaretur ignis* &c.

Quod porrigitur usque ad Medebam] אשר עד מידבא *quod usque ad Medeba*. LXX. Intt. πῦρ ἐπὶ Μωάβ, quasi scriptum esset אש על מואב *esch hal Moab*. Ac sanè habent Samaritæ אש על מידבא *ignem contra Medebam*. Vulg. *usque ad Medabam. Hieronymus* in locis Heb. MEDABA, *usque hodie urbs Arabiæ, antiquum nomen retinens, juxta Esebon.*

31. *Habitavit*] Est inversio narrationis, ut sequentia ostendunt. Vide Cap. XXXII.

32. *Jabzerem*] *Hieronymus* in locis Heb. de hac orbe ex *Eusebio*: *Civitas Amorræorum in decimo lapide Philadelphiæ, ad solis occasum, trans Jordanem, quæ fuit terminus Tribûs Gad, extenditúrque usque Aroër, quæ ipsa respicit usque Rabbam. Fuit autem separata à Levitis & distat ab Esebon, quindecim millibus, è qua magnum flumen erumpens à Jordane suscipitur.*

Urbes ejus ditionis] *Filias ejus*. Vide ad v. 25.

Expulerunt] Secuti sumus *keri* ויורש *vajjoresch*, & plurali numero expressimus, ob superius verbum.

33. *Per viam Basanis*] בשן *baschan*, quæ regio Syriacè & Arabicè dicta est בתניא, & Græcè Βαταναία, vel Βατανεία. Circa Jabbokum tor-

ren-

regis Emoræorum, isque antea bellum gesserat cum rege Moabitarum, & omnem terram ejus ad Arnonem ei eripuerat. [27] Propterea dicunt figurata oratione utentes: venite Chesbonem, instauretur & præparetur urbs Sichonis. [28] Nam egressus est ignis Chesbone, & flamma ex urbe Sichonis, absumsitque Harem Moabi, & Dominos Bamotharum Arnonis. [29] Væ tibi, Moabe, periisti, popule Chemosi; dedit filios suos qui evaserant, & filias suas in captivitatem regi Emoræorum Sichoni. [30] Lucerna eorum periit, à Chesbone usque ad Dibonem, & vastavimus ad Nophachum usque, quod *porrigitur* usque ad Medebam.

[31] Habitavit ergo Israël, in terra Emoræorum, [32] & misit Moses qui explorarent Jahzerem, *Israëlitæ* urbes ejus ditionis, & Emoræos, qui illic *erant*, expulerunt. [33] Postea converterunt *agmen*, adscenderúntque per viam Basanis. Obviam autem eis egressus est Hogus, rex Basanis, cum universo populo suo, ut prælium committeret *in* Edrehi. [34] Tum dixit Jehova Mosi: ne eum timeas, eum enim in manum tuam tradidi, omnémque populum & terram ejus; huic facies quemadmodum Sichoni Emoræorum regi, qui Chesbone habitabat, fecisti. [35] Itaque eum, ejus filios, & omnem ejus populum occiderunt, usque adeò ut nullus superstes fuerit, ejúsque terram occuparunt.

XXII. Ba-

bitas spoliaverat. [27] Constat hoc ex verbis Emoræi Oratoris, qui hanc victoriam celebravit, hortatúrque Emoræos ut Chesbooem dirutam instaurent; [28] cam enim hostili igne absumtam fuisse ait, eodémque fato deletas esse Harem Moabiticam urbem, & Bamothas Arnonis. [29] Addit infelices fuisse ejus tractûs Moabitas, Chemosi frustra invocati cultores, quos captivos abduxerant Emoræi; [30] oeque quemquam, ex eorum posteris, in Majorum opes successurum, quandoquidem Emoræi ad Dibonem, Nophachum & Medebam victricia arma circumtulissent, & omnia latè vastassent.

[31] [32] Cepit quoque Moses Jahzerem, cujus situm per exploratores cognoverat, Emoræósque ex eo tractu expulit. [33] Tum verò Hebræi converso agmine, quasi per Basanitidem transituri, iter fecerunt; quod cùm audiret Hogus Basanitarum Rex, cum toto exercitu obviam illis ivit, certus rem prælio committere, apud Edrehin, ubi castra posuit. [34] Cùm formidolosus esset is exercitus, Deus vetuit Mosem eum timere, ejus enim eamdem fore sortem dixit ac Sichonis; deletísque ad internecionem Basanitis, Populum Hebræum agros eorum occupaturum. [35] Itaque, inito audacter prælio, Hebræi exercitum Hogi ita conciderunt, ut pauci superstites ex clade remanserint, Hogúsque ipse & filii in acie ciciderint. Post quam victoriam, totam Basanitidem invaserunt Hebræi.

P A-

rentem fuit. Arabicè רנוה litterâ *Thse* scriptum significat *solum planum & ferax*, quod ei regioni adprimè convenire ostendit *Sam. Bochartus*, Hieroz. Part. I. Lib. 2. C. XXXI.

Ut prælium committeret] למלחמה *lammilbhama*, quæ vox promiscuè *bellum* & *prælium* sonat.

In Edrehi] אדרעי *Hieronymus* in locis Heb. EDRAI, *ubi interfectus est Og rex Basan, gigas, id est, potens, omnisque illius cæsus exercitus. Nunc autem est Adara insignis civitas Arabiæ, in vicesimo quarto lapide à Bostra.* Sic enim legendum non *ab Osdra*, nam habet *Eusebius* ἀπὸ τῶν Βόςρων.

35. *Usque adeò ut nullus*] *Donec non remanserit ei superstes.* Emoræi, nimirum, erant ex septem populis, quos ad internecionem delere jussi sunt Hebræi.

C O M-

XXII. Balakus Moabitarum rex accersit è Mesopotamia Balahamum, qui malè Israëli precetur. Balahamus, Dei jussu, negat se iturum, nec eò seciùs proficiscitur. Obviam ei fit Angelus, cujus metu Asina Balahami loquitur, & qui Balahamum mandatis instruit. Hic honorificè à Balako excipitur, & extrema castra Israëlis prospicit.

1. PROFECTI deinde sunt Israëlitæ, & in campestribus Moabi, cis Jordanem, CAPUT XXII.
è regione Jerichuntis, castra posuerunt. 2. Cùm autem vidisset Balak, Tsip-
phoris filius, quæcumque Israël fecerat Emoræis, 3. vehementer populum
timuere Moabitæ, quòd multus esset, & propter Israëlitas anxii fuere. 4. Dixe-
runt ergo Moabitæ senibus Madianis: depascet nunc hæc multitudo quidquid cir-
ca nos est, ut bos agri virorem depascit. Balakus autem Tsipphoris filius, eo
tempore, Moabitarum Rex erat. 5. *Is* misit nuncios ad Balahamum, Behoris fi-
lium, Phethorem, quæ *urbs* est ad fluvium *Euphratem*, in terram popularium ejus,
ut eum vocarent, dicerentque: ecce populus ex Ægypto egressus est, tegitque ter-
ram

PARAPHRASIS.

1. POSTEA Hebræi castra in Moabiticam planitiem, ad orientem Jordanis, è regione Jerichuntis, moverunt. 2. 3. Dum eo in loco morarentur, Balakus, Tsipphoris filius, Moabitarum Rex, victoriis quas de Emoræis retulerant eorúmque multitudine territus, 4. legatos ad vicinos Madianitas misit, ut cum illis commune consilium iniret, dispiceréntque Moabitæ & Madianitæ quid factu opus esset, cùm Hebræi finibus suis proxima quæque armis subigerent, posséntque de Moabitarum, Madianitarúmque agris similiter invadendis cogitare. 5. Consilio utriusque Gentis habito, visum est, antequàm armis felicissimum hactenus populum adgrederentur, ejus felicitatem vatis cujuspiam diris imprecationibus, pro more earum Gentium, minui oportere. Celebris autem erat, eâ tempestate, Balahamus, Behoris filius, vates, qui Phethoræ, quæ urbs est Mesopotamiæ ad Euphratem sita, habitabat. Itaque decreverunt Balaki & Madianitarum nomine nuncios ad Balahamum mittere,

COMMENTARIUS

In CAPUT XXII.

1. IN *Campestribus Moabi*] בערבות *beharaboth*, quæ, nimirum, Emoræi Moabitis olim eripuerant; nam montana servaverant Moabitæ, ut sequentia docent. Sequuti sumus *Hieronymum*, in hac voce vertenda, & *Onkelosum* qui habet: במישרא *in planitie*. Ita vocem intelligendam liquet, cùm ex aliis locis, tum ex Jos. IV, 13. ubi ערבות יריחו dicitur *planities Jerichuntis*. In hoc loco, LXX. Intt. verterunt ἐπὶ δυσμῶν *ad occidentem*, alibi aliter, ut adpareat hunc vocis sensum iis fuisse ignotum. Apud Arabas ערבן *barbanu*, significat *solum æquatum* quod conseritur, atque hæc vera est significatio vocis. Si Moses partem cœli ad quam, Moabitarum ratione habitâ, castra habebant Israëlitæ, voluisset exprimere, dixisset potiùs *ad septemtrionem Moabi*.

Cis Jordanem è regione Jerichuntis] מעבר לירדן ירחו *cis Jordanem Jericho*. Subaudiendum לעמת *è regione*, aut quid simile. Sic LXX. παρὰ τὸ Ἰορδάνου κατὰ Ἰεριχώ. Vulgatus duriùs: *ubi trans Jordanem Jericho situs est*. מעבר & בעבר modò *cis*, modò *trans*, pro ratione loquentis, significant. Vide ad Deut. I, 1.

2. *Cùm autem vidisset*] *Et vidit*.

4. *Senibus Madianis*] Hoc est, primoribus. Vide verss. 7, & 8. Hi Madianitæ aut, ut pronunciant Massorethæ, Midianitæ non iidem sunt, de quibus diximus ad Gen. XXV, 1. Illi enim sedes habebant in orientali maris Erythræi littore, in ipso Arabiæ Felicis ingressu: hi verò vicini erant Moabitis. Illis memoratis, ita *Hieronymus* in locis Hebr. *Hæc alia civitas est* ὁμώνυμος *ejus, juxta Arnonem, & Areopolin, cujus nunc ruinæ tantummodo demonstrantur.*

Depascet] ילחכו *lingent*, sed hîc *depascere* significat; boves enim non *lingunt* gramen, sed *depascunt*. Reliqua oratio Moabitarum, ad Madianitas, hîc omitti videtur; iverant enim ad hos Moabitæ, ut communi consilio quid factu opus esset dispicerent, non ut monerent in vicinia esse Hebræos, quod satis notum erat. Ac sanè communi consilio Balahamum vocarunt, ut docet Moses vers. 7. Ita innumera narrant Hebræi, ut multa adtento Lectori supplenda relinquant, multa semel dicta & facilè intelligenda repetant.

5. *Is misit*] *Et misit*, consilio inito cum Madianitis finitimis.

Balahamum] בלעם quod à Massorethis effertur *Bilham*. Passim litteræ, quibus *Chirec* aut *Scheva* subjecta sunt, à LXX. Intt. per A pronuntiantur, ut pro *Midjan*, *Madian*, pro *Mirjam*, *Mariam*, & innumera alia. Vide ad sequentem vocem.

Phethorem] פתורה *phthorah*. LXX. Intt. Φαθουρά. At Vulg. *ariolum* vertit, quia פתר est in-

ram, & confedit è regione mei. 6. Nunc ergo, quæso, venito, atque huic populo in mei gratiam malè precator, eſt enim me validior; *poſtea* eum fortaſſe cædere potero, atque ex ea terra ejiciam; nam eum cui bene precatus fueris, felicem, cui verò mala imprecatus eris, infelicem fore novi. 7. Iverunt igitur ſenes Moabitæ, & ſenes Madianitæ, mercéſque incantamentorum in manibus eorum erat. Convenerunt Balahamum, & verba Balaki ei dixerunt.

8. Iis verò Balahamus, pernoctate, inquit, hîc hac nocte, & vobis referam verbum quod Jehova mihi dixerit; & principes Moabitæ cum Balahamo manſerunt. 9. Venit autem Deus ad Balahamum, & dixit: quinam ſunt viri iſti, *qui* apud te *divertunt*? 10. Balahamus verò Deo: Balakus Tſipphoris filius, Moabitarum Rex, ad me *eos* miſit, *ut dicerent*: 11. ecce populus ex Ægypto egreſſus eſt, tegítque terram; nunc verò venito, ei in mei gratiam mala imprecator; *poſtea* fortaſſe pugnare

tere, qui dicerent populum numeroſiſſimum ab Ægypto egreſſum inſignes victorias de vicinis Emoræis retuliſſe, & in eorum agris Moabitidi & Madianitidi finitimis conſediſſe. 6. Se autem, nomine utriuſque Gentis, & potiſſimùm Balaki, orare Balahamum ut ſe in Moabitidem conferret, eumque populum nimiùm potentem, quàm ut temerè eum bello impeterent, diris devoveret; quo peracto, ſe ſperare bellum fauſto omine ei inferri, hominéſque advenas expelli è vicinia poſſe; ſcire enim ſe non irritas eſſe preces Balahami, ſeu bona, ſeu mala adprecaretur. 7. Viri verò Moabitæ & Madianitæ, domi nobiles, in Meſopotamiam cum muneribus profecti ſunt, Balahamumque hac de re convenerunt.

8. Balahamus reſpondit ſe nihil ex tempore polliceri poſſe, conſulendum enim ſibi priùs eſſe Deum; itaque pernoctarent apud ſe, & poſterâ luce intellecturos quid ſibi Deus omnium rerum Creator reſpondiſſet. His auditis, Moabitæ apud eum per-

interpretari. Sed fallitur, eſt enim hoc nomen urbis Meſopotamiæ. Vide Num. XXIII, 7. Deut. XXIII, 4. Rectiùs idem *Hieronymus*, in locis Hebr. ex *Euſebio*: FATURA, *civitas trans Meſopotamiam, unde fuit Balaham ariolus.*

Quæ urbs eſt ad fluvium Euphratem] אשר על הנהר *quæ ad fluvium.* Sic dicitur κατ' ἐξοχὴν Euphrates, unde Onkelos: *Phethorem Aramææ, quæ ad Euphratem.* Vide Gen. XV, 18. Joſ. XXIV, 2, 15.

Popularium ejus] בני עמו *filiorum populi ejus.* Samaritæ legunt עמון *hammon*, & Vulg. *filiorum Hammon.* LXX. Intt. aliique lectionem noſtram ſequuntur, nec credibile eſt Hammonitas urbes in Meſopotamia habuiſſe.

Tegitque] *Ecce tegit.*

Terram] *Oculum terræ*, hoc eſt, terræ ſuperficiem. Hyperbole, quâ ſignificatur ingens Iſraëlitarum multitudo. Vide notat. ad Exod. X, 5.

6. *Huic populo malè precator*] Hinc colligimus eorum populorum hanc fuiſſe opinionem, de vatum diris imprecationibus, ut eas irritas non eſſe putarent. Scilicet, eos Numini gratiores eſſe exiſtimabant, quàm ceteros homines, adeóque ab eo quod petebant facilè impetrare. Sic & Romani credebant ſe poſſe carmine quodam urbes, exercitúſque hoſtiles perdere, de qua re *Macrobius* Saturnal. Lib. III. c. 9. *ex Sammonico Sereno.* Tale carmen erat: *Dis pater, ſive Jovis mavis, ſive quo alio nomine fas eſt nominare, ut omnem illam urbem, exercitumque, quem ego me ſentio dicere fugâ, formidine, terrore compleatis; quique adversùs legiones exercitúmque noſtrum arma, teláque ferent, uti vos eos exercitus, eos hoſtes, eóſque homines, urbes, agroſque eorum, & qui in his locis, regionibuſque, agris, urbibúſque habitant abducatis, lumine ſupero privetis; exercitibúſque hoſtium, urbes, agróſque eorum, quos me ſentio dicere, uti vos eas urbes, agróſque, capita, ætateſque eorum devotas, conſecratáſque habeatis, illis legibus, quibus quandoque ſunt maximè hoſtes devoti; eóſque ego vicarios pro me, fide, Magiſtratuque meo & Populo Romano, exercitibus, legionibuſque noſtris, do, devoveo; ut me meámque fidem, imperiumque, legiones, exercitúmque noſtrum, qui in his rebus gerundis ſunt, bene ſalvos ſinatis eſſe. Si hæc ita faxitis, ut ego ſciam, ſentiam, intelligamque; tum quiſquis hoc votum faxit, rectè factum eſto, ovibus atris tribus, tellus mater, téque Jupiter obteſtor.* Sic Gentes, ceteroqui non inſipientes, crediderunt Numen precibus eò poſſe adduci, ut iiſdem adiectibus ac ipſæ laboraret, iiſque malè faceret, quibus malè volebant. *Atteius Capito*, Tribunus Plebis, cùm nollet *M. Craſſum* inferre bellum Parthis: προδραμὼν ἐπὶ τὴν πύλην, ἔθηκεν ἐσχαρίδα καιομένην· καὶ τοῦ Κράσσου γενομένου κατ' αὐτὴν, ἐπιθυμιῶν καὶ καταπένδων, ἀρὰς ἐπηρᾶτο δεινὰς μὲν αὐτὰς καὶ φρικώδεις, δεινούς δέ τινας θεοὺς καὶ ἀλλοκότους ἐπ' αὐταῖς καλῶν καὶ ὀνομάζων: *cum præcucurriſſet ad portam, poſuit foculum ardentem, juxta quem cùm eſſet Craſſus, ſuffitibus injectis factiſque libaminibus, diras imprecatus eſt atroces & horrendas, immanes quoſdam Deos & tetros invocans atque adpellans.* Addit *Plutarchus*, cujus ea ſunt verba p. 553. vitæ Craſſi: ταύτας φασὶ Ῥωμαῖοι τὰς ἀρὰς ἀποθέτους καὶ παλαιὰς τοιαύτην ἔχειν δύναμιν, ὡς περιφυγεῖν μηδένα τῶν ἐνσχεθέντων αὐταῖς: *has aiunt Romani diras arcanas & vetuſtas eam habere vim, ut nemo qui iis teneatur eas effugere queat.* Eadem exſcripſit ex *Plutarcho Appianus*, initio Parthicorum. Similiter Orientales exiſtimabant vatum diras efficaces eſſe, ut ex hac Hiſtoria intelligere licet.

Poſtea eum fortaſſe cædere potero] Sic Romani cædere ſe hoſtes faciliùs putabant, poſt conceptum carmen memoratum; iiſque diras, de quibus diximus, ferales eſſe opinabantur.

Felicem] מברך *benedictum*, hoc eſt, Latinè *felicem ac fortunatum.*

Infelicem fore] יואר jouar, *maledictus erit*, hoc eſt, *infelix*, & cui nihil ex voto cadet.

7. *Sa-*

gnare cum eo poteto, eúmque expellam. 12. Tum Deus Balahamo: non ibis, inquit, neque mala imprecaberis huic populo, nam felix est. 13. Manè ergo surrexit Balahamus & dixit viris summatibus Balaki: redite in patriam vestram, nam Jehova mihi ut eam vobiscum permittere recusat. 14. Itaque surrexerunt Moabitarum principes, venerúntque ad Balakum, & dixerunt Balahamus nobiscum venire renuit.

15. At Balakus denuò misit principes plutes & honoratiores illis, 16. convenerúntque Balahamum & dixerunt ei: sic dixit Balakus, Tsipphoris filius: ne, quæso, ad me venire renuas, 17. magno enim honorario te donabo, & quidquid mihi dixeris faciam. Veni, quæso, mala imprecare huic populo, in mei gratiam. 18. Respondit verò Balahamus servis Balaki, &, si mihi dederit, inquit, Balakus plenam domum suam argento & auto, non sustinuero, præter imperium Jehovæ Dei

pernoctarunt. 9. Eâ autem uocte, Deus à Balahamo interrogatus in somnis ad eum venire visus est, & quærere quosnam domi hospites haberet. 10. 11. Balahamus verò, rem, prout erat, exposuit; 12. at Deus eum ire vetuit, quia populum, quem diris devoveri optabat Balakus, eâ felicitate à se erat douatus, quæ nullis precibus imminui poterat. 13. Ortâ luce, responsum hoc purpuratis Balaki aperuit Balahamus, eósque in patriam redire jussit, quandoquidem Deus ne eos comitaretur vetabat. 14. Hi domum reduces quid à se actum esset, apud Balakum, exposuerunt.

15. At homo superstitiosus & callidus Balahamum uolle venire ratus est, quòd nuncios minoris dignitatis, & cum minoribus muneribus, quàm par erat, misisset. Itaque plures & uobiliores misit, 16. qui vatem adierunt, nomine Balaki iterum orarunt quàm primùm veniret, 17. atque ingens præmium ei polliciti sunt, & Balakum, quidquid vati videretur facturum, si modò diris populus Hebræus ab eo devoveretur. 18. Respondit Balahamus à se nullo præmio impetrari posse, ut quid-

7. *Seues Madianitæ*] Hinc liquet hoc consilium utrique Genti placuisse, quamvis Moabiticæ legationis ad Madianitas eveutus omittatur à Mose.

Merces iucantamentorum] קסמים ksamim, *incantamenta. Hieronymus: divinationis pretium.* Sic *faustum nuncium* בשרה 2 Sam. IV, 10. est pro *præmio* ejus *nuncii*, quod uno verbo dicitur Græcè εὐαγγέλια. Pecuniam ferebant secum legati, ad Balahamum missi, ut si ante operam præstitam mercedem vellet, ea præsenti pecuniâ solveretur, ne quid moraretur ejus iter. *Incantamenta* autem vertimus, uon *divinationes*, quia de diris sermo est, non de vaticiniis. Samaritæ legunt קסמיהם *ksamehem*, incantamenta sua.

8. *Quod Jehova mihi dixerit*] Colebat, ut videtur, Balahamus Deum rerum omnium Creatorem, quem fortè uorat ab Hebiæis *Jehovam*, aut *Jahvonem* vocari. Fortè etiam Moses eum, more Hebraïco, inducit loquentem, quamvis non hac, sed synonyma quapiam voce usus sit. Vide not. ad Gen. XXIV, 32. Videtur autem Balahamus à Deo precibus petiisse, ut se doceret quid sibi, in hoc negotio, faciendum esset; quibus precibus Deus permotus, in somnis eum alloqnutus est.

9. *Venit verò Deus*] In somnis, nempe, ut Gen. XX, 3. XXXI, 24.

Quinam] מי *mi.* Samaritæ habent מה *quid sibi volunt?*

12. *Felix*] ברוך *benedictus*, hoc est, Deo favente, felix, & cui omnia ex voto cedent.

13. *Viris summatibus*] שרי schare, *principibus.* Vide not. ad Gen. XII, 15.

15. *Denuo misit*] יסף שלח *addidit mittere.*

17. *Magno honorario te donabo*] כבד אכבדך מאד *honorando honorabo te valde.* Ut כבוד *chabod* non modò *gloriam*, sed & *divitias* significat, sicut ostendimus ad Geu. XXXI, 1. ita Radix non tautùm est *honore* adficere, sed & *præmio donare.* Sic, apud Græcos, ambiguum est τιμὴ; & apud Latinos, *honorarium*, munus, quod houoris causâ datur, sonat. Avarus bic vates videtur potiùs pollicitatione præmii, quàm honorificæ exceptiouis, capi potuisse. Sic certè nunciorum verba intellexit, ut ex ejus responsione adparet.

18. *Plenam domum*] *Pleuitudinem domus.*

Non sustinnero] *Nou potero trausgredi os Jehovæ, ut faciam parvum* &c. Hoc est, nihil quidquam à me, contra Dei jussa, impetrabit, quodcumque offerat pretium. *Nec parvum, nec magnum*, apud Hebræos, *nihil quidquam* sonat. Vide 1. Sam. XX, 2.

19. *Sed*] ועתה *& nunc.* Vim habet *adversativam* ea particula, aliis etiam in locis. Vid. Deut. V, 22. Ruth. III, 12. & *Noldium* num. 8.

Præterea loquuturus sit] *Addet loqui.* Nesciebat an Deus, post iteratam Balaki legationem, ipsum ad Moabitas ire permissurus esset; quamvis ea dubitatio nullâ ratione niteretur, cùm Dei voluntas mutari nequiret, augmeuto mercedis Prophetæ oblatæ. Videtur Balahamus precibus postea à Deo iterum petiisse, ut sibi revelaret quid à se fieri vellet.

20. *Venit Deus*] Vide ad vers. 9. Samaritæ legunt: מלאך אלהים *angelus Dei.*

Quandoquidem] אם *im*, quæ non est semper dubitandi particula. Vide Jud. XI, 9. & *Noldium* uum. 14. Non dubitabat Deus, an Moabitæ accersitum Balahamum venissent.

Verum tamen quod tibi dixero] Videntur hæc verba significare, si modò nibil abs te petant, quod sit præceptis meis coutrarium. At Balahamus ea intellexit, quasi Deus potestatem ei faceret abeundi cum Moabitis, si modò in posterum nihil faceret, quod contrarium esset Dei præceptis. Ita avaritiâ occæcatus ambigua Dei verba in rem suam interpretatus est; prout solemus leges, pro adfectibus nostris, interpretari. Si Dei timens, ut par erat, & divitiarum spretor fuisset; hoc Dei responso cum priore collato, satis intellexisset Deo displicere hoc iter;

Dei mei, parvum aut magnum quidquam agere. [19] Sed vos quoque manete hîc hac nocte, & cognoscam quid Jehova prætetea loquuturus sit mecum. [20] Venit Deus ad Balahamum eâ nocte, eique dixit: quandoquidem te accersitum venerunt viri illi, surge, ito cum illis; verùm tamen quod tibi dixero facito.

[21] Surrexit itaque Balahamus manè, asinam suam stravit, & cum Moabitarum principibus ivit. [22] Accensa verò est in illum Dei ira, eò quod iret, constititque Angelus Jehovæ in via, ut illi adversaretur. Vehebatur autem ille asinâ, & duo erant pueri cum eo. [23] Vidit ea asina Angelum Jehovæ in via consistentem, & strictum in ejus manu gladium, ideòque declinavit asina ex via, & per agrum ivit, Balahamus verò asinam percussit quòd ex via deflexisset. [24] Sed constitit Angelus Jehovæ in via vinearum, *ubi* maceria *erat* hinc atque illinc; [25] quem cùm vidit asina, se adplicuit parieti, compressitque pedem Balahami ad parietem, qui eam iterum percussit. [26] Angelus verò Jehovæ denuo transiit, constititque in loco arcto, ubi nulla erat via, quâ ad dextram aut ad sinistram deflecteretur. [27] Vi-

quidquam, vetante Deo suo, omnium rerum Creatore, facere adgrederetur. [19] Se tamen iterum Deum, quamquam antea vetuerat, sciscitaturum an sibi iis obsequi liceret; manerent ergo eâ nocte apud se, ut Dei responsum posterâ luce cognoscerent. [20] Deus eâ etiam nocte Balahamo adesse visus, clarum responsum non edidit, sed satis tamen iter hoc Balahami sibi displicere ostendit; respondit enim, quandoquidem accersebatur, iret, si modò Deo & Moabitis simul obsequi posset; quod fieri non poterat.

[21] Balahamus, qui ex priore Dei responso intelligere debuerat se Moabitis obsequi non posse, nisi Dei voluntati adversaretur, avaritiâ occæcatus Moabitis significavit paratum esse se eos sequi, & summo mane, iis profectis, asinam etiam conscendit viámque Moabitidis ingressus est, sequentibus duobus servis. [22] Deus verò homini indignatus, quod præmii causâ, id facere niteretur quod sibi vetitum esse norat, Angelum misit, qui ejus cœptis obsisteret. [23] Cùm ergo asinâ vectus iter faceret Balahamus, per apertos campos, occurrit ei Angelus, gladium strictum manu gerens, ita tamen ut soli asinæ esset conspicuus. Asina verò eâ specie territa à via subitò, frustra contrà nitente Balahamo, in agrum consitum deflexit; qua de causa iratus vates eam baculo, quem manu gerebat, percussit. [24] Cùm prætergressus ita esset Angelum, hic præverteus hominem in via eum exspectavit, inter duas vineas maceriis cinctas sita, ita ut ex via in eas ingredi asina non posset. [25] At asina ad partem oppositam viæ, quantùm licuit, declinavit, & pedem quidem sessoris ad parietem compressit, iterúmque

iter; quandoquidem nulla alia de causa accersebatur à Moabitis, nisi ut diris devoveret eum populum, cui se favere dixerat Deus. Si respondisset Numen: *ito cum illis, & quod tibi dixerint facito*, nullum erat dubium quin iter probasset Deus, sed ambiguâ responsione satis ostendit satius futurum Balahamo, si quiesceret. Simul hominis avaritiam exploravit, quæ se hilari profectione illico turpiter prodidit. Ideò postea ei, & quidem meritò, irascitur Deus. De hoc responso Dei, ita *Josephus*. Lib. IV. Ant. Jud. c. VI. ὁ δὲ τῷ πάνυ δυσχεράνας κελεύει μηδὲν ἀντιλέγειν τοῖς πρέσβεσιν· ὁ δ' οὐχ ὑπολαβὼν ἀπάτῃ ταῦτα τὸν θεὸν κεκελευκέναι, συναπῄει τοῖς πρέσβεσι: *Deus graviter ferens se tentari, jubet nihil contradicere legatis. Ille verò non intelligens Deum hæc jussisse fallaciâ* (hoc est, tentando) *cum iis abiit. Philo*, sine ratione, ait vatem hanc responsionem finxisse, Lib. I. de vita Mosis, ubi hanc Historiam non modo stylo eleganti, sed additionibus, & detractionibus, prout videtur, exornat, an corrumpit? Sed mos hic quoque fuit *Josephi*.

22. *Accensa est in illum Dei ira*] Quòd cùm sciret Deum nolle Hebræos diris devoveri, attamen Moabitas ea sola de causa eum vocantes sequeretur, ut ad superiora verba diximus.

Ut illi adversaretur] לשטן לו *lschatan lo*, ut esset ei adversarius. LXX. Intt. legerunt לְשָׂטָן habent enim διαβαλεῖν, ex Cod. Vaticano, aut ἐνδιαβάλλειν, ex Alexandrino. Sed recta est punctatio Massoretharum, ut liquet ex Sam XXIX, 4. 2. Sam. XIX, 23. Significat Moses Angelum occurrisse Balahamo, ut ejus consilium impediret, atque molestiam ei crearet in itinere. Hoc significarunt LXX. Intt. voce διαβαλεῖν, nam διαβάλλεσθαι est *odio habere*, ut Hebraicè שטן *schatan*. Vide *Isaac. Casaubonum* ad Lib. XVII. *Strabonis*, p. 1141. Ed. Amstelod.

23. *Vidit asina*] Non vidente Balahamo, seu scotomate percussus fuisset, seu aliò oculos converteret, aut cogitatione quapiam animus ejus ita distineretur, ut quæ erant ante se non animadverteret. Itaque territâ Asinâ, interritus ibat Propheta.

Per agrum] בשדה *basschadeh*, id est, per agrum consitum, aut cultum. Vide Cap. XX, 17.

24. *Via vinearum*] Via inter vineas, maceriis cinctas.

Ubi maceria] *Maceria hinc & maceria illinc.*

25. *Quem cùm vidit*] *Et vidit asina Angelum Jehovæ.*

26. *Denuo transiit*] *Addidit transire.*

In loco arcto] Arctiore quàm superior via, adeò ut per eam transire non posset Asina, nisi Angelus de loco decederet, aut decedere videretur.

28. *Aperuit os Asinæ*] Si sermo esset de homine muto, significaret hæc phrasis ea, quæ obstabant quo minùs loqui posset, amovere; si de loquendi quidem facultate prædito, sed certis de causis tacente, *aperiretur ei os*, cùm rationes loquendi ei suppeditarentur, ut Ps. LI, 17. Hic verò, ubi loquitur Moses de asina, *aperire os*, est ita spiritum & oris ejus partes

Vidit *illic* etiam asina Angelum Jehovæ, succubuitque sub Balahamo, *quâ re* accensa est ejus ira, atque asinam baculo percussit. 28. Jehova verò aperuit os asinæ, & Balahamo, quid feci, inquit, tibi ut me jam ter percusseris? 29. Balahamus verò asinæ, quia illusisti mihi, utinam esset gladius in manu mea! nam te jam occidissem. 30. At asina Balahamo: annon sum ego asina tua, quâ vectus es, ex quo es ad hunc usque diem, an sic tibi facere consuevi? Non *soles*, inquit *Balahamus*. 31. Tum Jehova oculos Balahami retexit, viditque Angelum Jehovæ consistentem in via, gladiúsque strictus erat in ejus manu; ille verò inclinavit se, & pronus in faciem concidit. 32. Angelus autem Jehovæ ei: quare jam tribus vicibus asinam tuam percussisti? ecce ego egressus sum, ut tibi adversarer, via enim coram me clausa est. 33. Asina autem me vidit, & deflexit à conspectu meo jam tribus vicibus; *quæ* nisi à conspectu meo deflexisset, jam te occidissem, eâ vivâ dimissâ. 34. Dixit verò Balahamus Angelo Jehovæ: peccavi, quia nesciebam te contra me consistere in via, nunc verò si tibi displicet *iter*, ad mea revertar. 35. Tum Angelus Jehovæ Bala-

que ab eo percussa est. 26. Angelus denuò Balahamum antevertit, exspectavítque in arctissima via, per quam asina, ipso ante eam stante, transire non posset. 27. Illuc cùm pervenisset Balahamus, tum verò asina ulteriùs progredi non ausa, & territa, prona in terram succubuit, Balahamusque irâ commotus graviùs eam percussit. 28. Ibi Deus ita asinæ organa moderatus est, ut voce humanæ simili (dictu mirabile!) brutum pecus Balahamum quare se verberaret rogarit. 29. Homo verò tanto prodigio nihil territus, sed mentem humanam in asinæ corpus migrasse ratus, respondit, ideò se eam verberasse, quòd se ludos fieri ab ea videret, nec mortem vitaturam fuisse, si sibi gladius esset. 30. Reposuit asina, Balahamum, ex quo jumento uteretur, à se vectum fuisse, nec se tamen umquam simile quidquam fecisse; quod fassus est Balahamus. 31. Vix hæc dicta fuerant, cùm ecce videt vates Angelum, stricto gladio ante se in via stantem; quo conspecto, pronus & ipse in humum concidit. 32. Cùm ita jaceret, Angelus eum increpuit, quòd asinam deflectentem à via, aut hærentem ter verberasset, nec in animum revocasset hoc quod suscipiebat iter ingratum Deo esse. Se autem exivisse ut cœpta ejus impediret, proptereáque se asinæ clausisse viam, ne transiret. 33. At asinam bis deflexisse è via, & tertiâ vice, quâ ei occurrerat, hæsisse; quod nisi fecisset, occiso sessore, eam vivam dimisisset. 34. Tum demum Balahamus se peccare fassus, negavit se scivisse in via esse Angelum, adjecitque paratum se esse redire domum, si ei videretur. 35. Angelus verò Balahamo potestatem fecit eundi cum Moabitis, sed eum iterum monuit, ne quidquam diceret de populo Hebræo, præter id

tes movere, ut sonus humanæ voci similis edatur. Itaque idem effecit Deus per se, aut per Angelum, in asinæ ore, ac id quod facit in Organo, qui ejus instrumenti certis motibus varios modulatur sonos. Hoc à Deo fieri potuisse non magis incredibile est, quàm creatos initio homines, quos loquendi facultate ornavit; quod nemo negaverit, qui expenderit antiquissimas omnium Gentium historias, ne jam alias memorem rationes. Profectò, res in se spectata, nullam difficultatem habet; nec quidquam huic historiæ objici potest, nisi mirum videri, propter rem tantillam, factum esse prodigium, cui numquam postea simile contigit. Quo factum ut *Maimonides* hæc omnia in visione Balahamo visa esse fieri, ut alii observarunt, crediderit. At nihil est, in hac narratione, quod vel minimam suspicionem creare possit somnii hîc narrati; præter id ipsum quod memorabamus, & quod non est sat firmum, ut ullum certum consectarium illinc deducere liceat. Nam quamvis invenire nequeamus rationem, ob quam Deus tantum ediderit portentum, quis hinc ausit colligere editum non fuisse? Brevissimam hîc habemus antiquissimi ævi historiam, ex qua de hominum ejus temporis, Balahamíque ipsius animi adfectione sat plenum judicium ferre non possumus. Deinde consilia & fines Dei quis dicere potest se ita perspexisse, ut quid illis conveniat, quid contrarium sit semper judicare queat? Itaque huic historiæ nihil potest objici, quod ejus fidem dubiam facere possit; & malè *Philo* Lib. I. de vita Mosis, sermonem hunc asinæ, ne Ethnicos offenderet, silentio prætermittit. Nec opus erat Ethnicis eâ ratione gratificari, qui numquam miracula fieri à Numine negarunt, si Atheos & Epicureos excipias.

Balahamus verò asinæ] Mirum est, primâ fronte, hominem tanto prodigio territum, loquente asinâ, non prorsus obmutuisse; sed ita respondisse bruto animanti, quasi non tum primùm cum eo esset colloquutus. Sed aut insaniebat, aut nescio quid de brutis sentiebat, quod sciremus, si haberemus libros, qui Philosophiam Orientalem illius ævi complecterentur. Fortasse transmigrationem mentium humanarum in brutorum corpora fieri credebat; quòd si verum esset, nemini mirum admodum videretur, qui rem nosset, bruta interdum loqui. Certè ea opinio per Orientem latissimè olim sparsa fuit, & etiamnum hodie, apud Indorum Brachmanes, viget. Ab Indis eam accepisse *Pythagoram*, & ipsos Ægyptios memoriæ prodiderunt *Philostratus* de Vita Apollonii Lib. III. cap. 6. aliique. Adito *Joan. Schefferum* de Philos. Italica Cap. V. Fortasse qui in Mesopotamia, finitimisque oris μετεμψύχωσιν propugnabant, ut fidem facerent suæ doctrinæ, vulgò, quamquam falsò, narrabant bruta sæpe esse loquuta. Hac, aut simili opinione fieri potuit ut Balahamus asinam suam, voce humanæ simili, loqui minùs miratus sit. *Josephus* temerè addidit circumstantiis à Mose memoratis Balahamum ταραχθῆναι, διὰ τὴν τῆς ὄνου φωνὴν ἀνθρωπίνην, *territum, ob vocem humanam asinæ.*

Nam jam te occidissem] Hæc verba, ne quis fallatur, non officiunt conjecturæ modò adlatæ, de

lahamo, ito, inquit, cum viris; verùm tamen quod tibi dicam id proferto. Abiit itaque Balahamus, cum summatibus Balaki.

36. Cùm audiret Balakus adventare Balahamum, ei obviam processit in urbem Moabiticam, quæ ad fines Arnonis, qui est in extremis finibus *Moabitidis*. 37. *Ibi* dixit Balakus Balahamo; annon ad te misi, qui te accerserent? quare non venisti ad me? an nullo possum te honorario donare? 38. Balako verò Balahamus, nunc veni, inquit, ad te; *sed* an quidquam possum eloqui? verbum quod in ore meo posuerit Deus, id proloquar. 39. Deinde ivit Balahamus cum Balako, venerúntque in urbem Chutsothas. 40. Mactavit illic Balakus boves & oves, misitque ad Balahamum & ad proceres, qui cum eo erant, *carnes*.

XXIII. Ba-

id quod à se accepturus esset. Itaque vates, cum Balaki purpuratis, ire perrexit.

36. Cùm præmissus esset, qui nunciaret Balako adventare Balahamum, ille ut vatem quàm honorificentissimè exciperet, obviam ei processit in urbem ad Arnonem, in ultimis regni sui finibus, sitam. 37. Attamen cùm eum vidit, obiter questus est, quòd Balahamus, primùm vocatus, ad se illico non venisset; quasi dignam itineris & operæ sibi navatæ mercedem à se accipere non potuisset. 38. Balahamus verò respondit, iteratis Regis mandatis obsequutum se esse, quamvis nihil posset polliceri, nisi se id prolaturum quod dicere jussurus esset Deus, quæ sola sibi cunctandi causa fuerat. 39. Attamen Moabitarum Rex sperans se à Balahamo quod cupiebat impetraturum, eum secum Chutsothas duxit. 40. Ea in urbe sollemne sacrum fecit Chemoso, & oblatarum victimarum carnes, cùm ad Balahamum, tum ad purpuratos qui aderant, misit.

P A-

de opinione Balahami circa migrationem animorum. Neque enim necessarium ejus consectarium est, bruta interfici non oportere. *Herodotus* docet, apud Ægyptios, receptam fuisse μετεμψύχωσιν, idémque varia pecudum genera ab iis occisa narrat, cùm in Sacris, tum in usum quotidianum. Vide Lib. II. cap. 123. Quin & ipse *Pythagoras*, quidquid sentiant nonnulli Veterum, non omnibus animalibus abstinebat, quamvis primus inter Græcos migrationem animorum docuerit. Vide *Diogenis Laertii* Intt. ad Lib. VIII §. 20.

30. *Ex quo tu es*] מעודך *mehodecha*. Vide Gen. XLVIII, 15. Propriè quidem hac voce significatur *ex quo vivis*, sed hîc subaudiendum præterea, *& asinâ veheris*; ut sit hæc prima & una asina, quâ vectus fuerat Balahamus, ex quo cœperat jumento vehi; hoc est, à juventute. Hinc LXX. Intt. ἀπὸ νεότητός σου, & Vulg. *quâ semper vehi consuevisti*. Samariticus Intt. habet משרוך, *ex principio tuo*. Docet *Plinius* asinos ad trigesimum annum vivere, atque hoc confirmatur experientiâ, & credibile est hæc Balahamo adolescenti non contigisse.

Consuevi] *Consuescendo consuevi*.

31. *Oculos Balahami retexit*] Hoc est, fecit ut animadverteret, ut Gen. XXI, 19. ubi vide not. vel scotomate liberavit, ut 2. Reg. VI, 17.

Inclinavit se &c.] ויקד וישתחו לאפיו *& inclinavit se, & curvatus est in faciem*. Ex asina, nempe, descendit, &, Orientalium more, humi procubuit, ut Angelo honorem exhiberet. Agnovit autem Angelum ex augustiore forma, splendore oculorum, aut indicio simili; præterquàm quòd asinæ sermo insolitati quidpiam hîc esse satis eum admonuerat.

32. *Ut tibi adversarer*] Vide ad vers. 22. Habent Samaritæ לשטנך & LXX. εἰς διαβολήν σου.

Via enim coram me claasa est] כי ירט הדרך לנגדי Verbum ירט, unde oritur omnis difficultas hujus loci, exstat iterum Job. XVI, vers. 11. *Tradidit me* (יסגירני jasgireni) *Deus improbo, & in manus malorum* ירטני *jirteni*; quod videtur debere esse synonymum verbo *tradidit me*. Verùm hoc ad hujus Mosis locum nihil facit. Alii יסגירני vertunt *inclusit me apud improbum, & inter manus malorum implicavit me*; atque hîc intelligunt *implicatam*, vel *perplexam viam*, quæ opponitur viæ rectæ, hoc est, virtuti & pietati, ut Angelus hoc sibi velit, *via tua perplexa est coram me*. *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 14. confert hanc Radicem cum Arabica voce אלורט, ubi ultima littera est *Ta*, & quæ significat *omne id unde difficile est se extricare, ut lutum densum & glutinosum* &c. Verùm oporteret legi דרכך *via tua*. Nos maluimus vertere *claasa est*, ut ירט significet idem ac סגר, & interpretari verba Angeli ex re ipsa, adeò ut dicat se venisse, ut adversaretur Balahami consilio, & à se propterea clausam esse viam, ne posset transire. Ita interpretatus est Arabs Int. Polyglottorum Londinensium.

Hæc vocula non minùs negotii veteribus Intt. facessivit, quàm nobis. LXX. habent: ὅτι οὐκ ἀστεία ἡ ὁδός σου ἐναντίον μου, *quia non est urbana via tua contra me*. Sed ἀστεία ὁδὸς nihil significat, & scripserunt sine dubio εὐθεῖα *recta*; quod discimus ex Vulg. versione, quæ LXX. Intt. in difficilibus vocibus reddendis, passim sequitur, & quæ habet: *perversa est via tua, mihique contraria*. Onkelos verò vertit: *notum est mihi, te voluisse ire per viam quæ est contra me*.

At si vera esset lectio Samaritici Codicis, nulla esset difficultas, ita enim habet: כי הרע דרכך לנגדי *quia mala est via tua coram me*. Interpres verò בישה שבילך לקדמי quod idem sonat. Sed videtur esse Critici Samaritæ emendatio, quales plurimæ in Samaritico Codice occurrunt.

33. *Jam te occidissem*] Potuit quidem Angelus interficere Balahamum, quamvis non declinasset asina, eúmque vel quadrigis fugientem adsequi; sed is non erat ejus animus. Datâ operâ, ter se asinæ conspiciendum præbuerat, ut extraordinariâ illâ deflexione jumenti, quasi ma-

XXIII. Balahamus, pro diris quibus eum devoturum Israëlitas sperabat Balakus, jussu Dei bene aliquoties ei precatur, finitimarúmque gentium calamitates vaticinatur, & gloriam Hebræorum.

CAPUT XXIII.

41. MATUTINO verò tempore, adſumſit Balakus Balahamum, eúmque Bahalis excelſa adſcendere juſſit, atque illinc extremum populum proſpexit. 1. Dixit verò Balahamus Balako: ædifica mihi hic ſeptem altaria, ſeptémque juvencos, & ſeptem arietes mihi parato. 2. Fecit Balakus quemadmodum dixerat Balahamus, Balakúſque & Balahamus obtulerunt juvencum & arie-

PARAPHRASIS.

41. POSTERA verò luce, Rex Moabitarum Balahamum ſecum ad jugum excelſum montis Bahali conſecratum duxit, unde extrema Hebræorum caſtra proſpiciebantur, ut illinc eos diris devoveret. 1. Eo in loco, petiit Balahamus à Balako ſeptem altaria ſtrui, & mactari ſeptem vitulos tutidémque arietes, quos oblaturus erat Deo qui omnia intra ſeptiduum creavit; & qui à ſe, ut etiam ab Hebræis, colebatur. 2. Rex illico quod Balahamus à ſe petierat fieri juſſit, & in ſingulis quidem altaribus vitulus & aries in holocautoma oblati ſunt. 3. Dum victimæ adolebantur, rogavit Balahamus Regem ut ad altaria ſe exſpectaret, oportere enim ſe in ſecretiorem locum

malo omine, Balahamus veluti moneretur ingratum Deo iter ſe adgredi. Sed ita loquitur Angelus, ut exprobret Balahamo pravitatem ingenii, quâ id adgredi audebat quod Deo diſplicere norat, cùm vel brutum Angelo contraire non ſuſtinuiſſet.

Eâ vivâ dimiſsâ] החייתי *vivificaſſem.* Exemplum occiſi Prophetæ, & aſinæ incolumis dimiſſæ habemus 1. Reg. XIII, 23. & *ſeqq.*

34. *Contra me*] לקראתי *in occurſum meum.*

Si tibi diſplicet] *Si malum in oculis tuis.*

Ad mea] לי *mihi.*

35. *Ito, inquit*] Jam ſatis monitus erat Balahamus ne, contra Dei voluntatem, quidquam Moabitis gratificaretur; & utile erat Moabitas cognoſcere populum Hebræum ita à Deo protegi, ut ne avarus quidem vates, ingenti præmio propoſito, auderet ei populo malè precari. Ideóque Angelus jam poteſtatem facit Balahamo eundi cum Balaki legatis.

Id proferto] Samaritæ habent אתה תשמר לדבר LXX. Intt. τοῦτο φυλάξῃ λαλῆσαι. Vide Cap. XXIII, 12.

36. *Cùm audiret*]. *Et andivit — & exivit*

Ad fines Arnonis] *Ad limitem Arnonis*, hoc eſt, ad Arnonem, qui adluit fines Moabiticos.

In extremis finibus] *In extremitate limitis.* Hoc obſervatur, ut intelligatur Balahamus ſummo honore à Moabitarum Rege exceptus; cui Rex ad fines uſque regni obviam proceſſerit.

37. *Quare non veniſti?*] Primâ vice accerſitus.

An nullo poſſum te honorario donare?] *An verè* (האמנם haummenam) *non potero honorare te.* Vide ad verſ. 17.

38. *An quidquam poſſum eloqui*] *An valendo valebo quidquam eloqui.* Hoc eſt, nec pro meo, nec pro tuo arbitrio, quidquam hac in re dicere poſſum, cùm à Deo planè pendeam.

Id proloquar] Samaritæ habent אתו אשמר לדבר *hoc recordabor, ut eloquar.* Vide ad verſ. 35.

39. *Urbem Chutſothas*] קרית חצות *kirjath chutſoth.* LXX. Intt. verterunt εἰς πόλεις ἐπαύλεων; Vulg. *in urbem quæ in extremis regni ejus finibus erat.* Oukelos: לקרית מחוזוי *in urbem provinciæ ejus.* Maluimus quaſi nomen proprium vertere.

40. *Mactavit*] יזבח *jizbahh*; hoc eſt, Sacra fecit, nimirum, *Chemoſo*, *Deo celeri*, ſive Soli, ut alibi diximus. Sacrificium verò, ut ſolebat, ſequutum eſt convivium ex victimarum carne. Vide Exod. XXXIV, 16.

Miſitque ad Balahamum] Sic ſolebat fieri etiam, apud Græcos & Romanos. Proſiciis ſolitis in ignem porrectis, reliquas carnes comedebant, aut amicis dividebant. *Pleuſides*, apud Plautum, in Milite Glorioſo, Act. III. Sect. I. v. 115.

Sacrificant? dant inde partem mihi majorem quàm ſibi,
Abducunt ad exta.

Ad quem locum vide *Frid. Taubmannum*, & quos citat. Hebræi etiam ſalutaribus Sacris factis, epulabantur. Vide 1. Sam. IX, 33, 23. & Levit. Cap. VII. Hac in re peccabat Balahamus Dei omnium Creatoris, ut videri volebat, religioſus cultor, qui ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, ut loquuntur Apoſtoli Act. XV. comedebat. Vide Exod. XXXIV, 16. & infrà Cap. XXV, 2.

41. *Matutino verò tempore*] *Et fuit matutino & accepit.*

Bahalis excelſa] In alta quædam juga Moabiticorum montium, in quibus, Orientalium more, ſacra Bahali fieri ſolebant. Vide not. ad Levit. XXVI, 30. בעל *bahal*, quæ vox *dominum* ſonat, nomen eſt commune pluribus Diis falſis, qui cognominibus diſtinguebantur; de quo vide *Joan. Seldenum* de Diis Syris Syntagm. II. C. I. Fortè fuit hîc locus *Bahali Phehorio* ſacer, de quo infrà ad Cap. XXV, 2.

In CAPUT XXIII.

1. S*Eptem altaria, ſeptemque &c.*] Quaſi Deo, qui omnia intra ſeptiduum fecit, Sacra factu-

arietem, in *unoquoque* altari. 3. Tum Balahamus Balako: consiste, inquit, ad tuum
holocaustum, & ibo; fortasse obviam mihi veniet Jehova, & quod mihi ostende-
rit hoc tibi nunciabo. Abiit deinde in vallem, 4. & occurrit ei Deus, cui dixit:
septem altaria erexi, & juvencum in *unoquoque* altari obtuli. 5. Deinde posuit
Jehova verbum in ore Balahami, eique dixit: redi ad Balakum, & sic loquere.
6. Reversus verò ad eum est, atque ecce stabat ad holocautoma suum, ipse & om-
nes Moabitarum principes. 7. Tum protulit figuratam suam orationem, &, ex A-
ramæa, inquit, adduxit me Balakus, Moabitarum rex, ex montibus orientis; ve-
ni,

cum secedere, ut Dei, sibi fortè occursuri, voluntatem cognosceret. Itaque ex jugo Bahali consecrato in vallem descendit, 4. quo in loco ei occurrit Angelus à Deo missus, cui Balahamus dixit, se Deo septem altaria struxisse, in quorum singulis juvencum & arietem mactaverat; ut eum sibi propitium faceret, voluntatémque divinam de eo negotio, quod animo agitabat, cognosceret, qua de causa in locum solum solus venerat. 5. Tum verò Angelus ei dixit quod ab eo coram Balako dici volebat. 6. Quo audito, Balahamus ad Balakum ejúsque purpuratos rediit, qui ad holocautoma eum exspectabant. 7. Eo in loco, Balahamus vaticinium hunc in sensum protulit: Ex Mesopotamia me accersivit Balakus Moabitarum Rex, eo animo ut diris Hebræum populum in gratiam Moabitarum, bellum ei inferre cupientium, devoverem. 8. Verùm ei numquam malè pre-

facturus. Vide not. ad Exod. XXXIX, 29. Deum populo Hebræo faventem veluti *evocare*, ut voce Romana utar, conabatur, ut eo Israëlitas destituente, ei populo malè precari sibi liceret, & Balako felicibus auspiciis bellum ei inferre.

2. *Obtulerunt*] ויעל *& adscendere fecit*, nimirum לעלה *lebolah*, in holocautoma, ut docet sequens versus.

In unoquoque altari] במזבח *in altari*. Sed videtur hoc intelligendum. Sic Onkelos: על כל מזבח *in omni altari*. Sic *Philo* ἐφ' ἑκάστου, in vita Mosis Lib. I. p. 499.

3. *Obviam mihi veniet*] יקרה יי לקראתי *obviam veniet Jehova in occursum meum*. Pro יי habent Samaritæ אלהים & LXX. ὁ θεός. Antiquissimis illis temporibus, oportet vatibus, post Sacra peracta, occurrisse Angelos, qui eos monerent, aut responsa ederent, de iis quæ sciscitabantur. Neque enim hac primùm occasione ejusmodi Sacra fecerat Balahamus, neque Balako promitteret quod numquam contigisset. Addit quidem אולי oulai *fortasse*, sed hoc ostendit dumtaxat Numen, quamvis invocatum, nullum interdum Angelum ad invocantes misisse, non verò semper irritas invocantium preces fuisse; nam quod semper frustra tentatum esset, id Balahamus nunc posse fieri non sperasset. Itaque credibile est piis, post Sacra purè facta, in loca sola secedentibus, ut responsum exspectarent, adfuisse non raró missos à Deo Angelos. Hinc natæ Orientalium opiniones, de evocatis vi sacrificiorum Numinibus, de quibus multa *Jamblichus* in Lib. de *Mysteriis Ægyptiorum*, ac præsertim Sect. V. ubi Cap. XXI. Sacris ritè factis, docet nunc fuisse φανερὰς θείων καθόδους, *manifestos descensus numinum*, nunc ἀφανεῖς αὐτῶν παρουσίας ἐν ταῖς θυσίαις *inconspicuas eorum præsentias in sacrificiis*. Scio inania esse pleraque quæ habet Chalcidensis ille, ex Cœle-Syria, Philosophus, sed illa inania originem, ut fieri solet, ex vero ducunt; nec dicti sunt Dii evocari, nisi quia antiquissimis temporibus Angeli Sacris evocati interdum verè adfuerant. Ea autem Angelorum revelatio vocatur *occursus*, quia vati Deum invocanti *occurrebant*. Vide & Exod. V, 3.

In vallem] שפי *schphi*. Cùm essent jam in jugo montis, oportet intelligi depressiorem locum. LXX. Intt. ἐπορεύθη εὐθεῖαν. Vulg. *abiit velociter*. Onkelos: אזל יחידי *abiit solus*. Sed hæc ex mera conjectura, non secus ac ii qui *locum editum* vertunt, ut rectè animadvertit *Lud. de Dieu* ad hunc locum. Certè apud Syros שפיא est *planities*, & שפי *explanavit*; nec ullus locus est, cui hæc significatio optimè non conveniat. Sic Esai. XLI, 18. ponuntur ἐν πεδινοῖς שפים cum בקעות *vallibus*. Adi virum doctum, modò laudatum.

4. *Occurrit ei Deus*] *Occurrit Deus Balahamo*, per Angelum, nempe, ut liquet ex Cap. XXII, 35. Samaritæ hîc habent: וימצא מלאך אלהים את בלעם: *invenit angelus Dei Balahamum*.

5. *Posuit Jehova verbum*] Hoc est, mandatis instruxit, ut sequentia ostendunt. Samaritæ hîc quoque מלאך יי *angelus Jehovæ*.

7. *Figuratam suam orationem*] משלו *mschalo*. Vide not. ad Cap. XXI, 27.

Ex Aramæa] מן ארם *ex Aram*, subandiendum נהרים *duorum fluviorum*, quod Mesopotamiam signat. Vide Deut. XXIII, 4. Hinc LXX. Intt. ἐκ Μεσοποταμίας.

Ex montibus orientis] קדם *kedem*. Mesopotamia est reverà ad orientem Moabitidis. Observant viri docti ex Esai. II, 6. hariolos & divinos iis in locis fuisse, & vulgò Balahamum, quasi Magum, infamant. Ostendunt tamen quæcumque hîc habentur fuisse verum Prophetam, qui colebat Deum, Creatorem omnium, qui eum revelationibus dignabatur. Nec quidquam vetat, eo tempore, aliquam alicubi veri Dei superfuisse notitiam, præter quàm apud Hebræos. Negat quidem Moses in ullam Gentem collata fuisse umquam à Deo beneficia, qualia in Hebræam collata fuerant; nusquam verò negat ullam in terris fuisse veri Dei, omnium rerum Creatoris, cognitionem. Vide Exod. XXXIV, 10.

8. *Quare exsecrarer* &c.] Nullâ ratione exsecrabor, nam interrogationes vehementiùs negant.

9. *Ex vertice rupium*] Hic versus incipit à particula, כי, quæ videtur abundare, ut & alibi.

Solus habitabit] Hoc est, peregrinos non admit-

ni, *aiebat*, mala imprecare, meâ causâ, Jacobo; veni, detestare Istaëlem. 8. Qua-
re exsecrater, *quem* non exsecratus est Deus? quare detestarer, *quem* non detestatus
est Jehova? 9. Ex vertice rupium eum vidi, ex collibus eum prospexi, en popu-
lum *qui* solus habitabit, & inter gentes non habebitur. 10. Quis numerabit pul-
verem Jacobi, & numerum quartæ partis Israëlis? moriatur anima mea morte pro-
borum, & sit finis meus instar illius! 11. Tum verò Balakus Balahamo, quid mi-
hi fecisti? inquit, te adsumsi ut hostibus meis malè precareris, ecce autem bene
precatus es! 12. At respondit *ille*, &, nonne, inquit, quod in ore meo posuerit
Jehova, ejus meminero ut *id* proloquar?

13. Dixit

precabor, cui Deus ipse omnia cœpta secundare vult. 9. Populus, quem ex hoc jugo prospicio, nulli erit genti subditus, sed suam sibi Rempublicam constituet; nec instar aliorum, in unam gentem, cum devictis à se coalescet. 10. Viris usque adeò potens est, ut pulverem æquare videatur, útque ne quartæ quidem partis, quam prospicimus, numerus iniri queat. Præmaturâ morte non exstinguentur Hebræi; qui Dei sui legum observantes erunt; utinam non citiùs, eodémque modo ac illi animam efflaturus essem! 11. Hæc cùm dixisset Balahamus, à Balako increpitus est, quòd cum vocatus esset, ut Hebræos devoveret, bene eis adprecaretur. 12. At vates negavit se quidquam proloqui potuisse, nisi quod à Deo accepisset.

13. Ba-

mittet in agros suos, qui Religionem eamdem non profiteantur.

Inter gentes] Quales, nimirum, sunt idololatricæ Gentes. Qui invadebant terras colonis frequentes, sæpe cum veteribus colonis in unum Reipublicæ corpus coïbant, iisdémque parebant Legibus, quas interdum victi ac victores ex æquo condebant. At Hebræi ex terris, quas invasere, veteres colonos omnes ferè expulere, & suas solas Leges à Deo acceptas ratas habuere. Hisce rebus ab omnibus aliis gentibus discriminati sunt, dum eorum Respublica floruit. *Philo* de Vita Mosis Lib. I. p. 499. ubi hanc τὴν θεοφόρητον Balahami orationem: *μόνος κατοικήσει μὴ συναριθμούμενος ἑτέροις ἔθνεσιν, οὐ κατὰ τόπων ἀποκλήρωσιν καὶ χώρας ἀποτομὴν, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῶν ἐξαιρέτων ἐθῶν ἰδιότητα, μὴ συναναμιγνύμενος ἄλλοις εἰς τὴν τῶν πατρίων ἐκδιαίτησιν*: *solus habitabit, nec connumerabitur aliis gentibus, non locis separatus & sedibus, sed singulari proprietate eximiarum gentium, cùm non sint mistæ aliis in patria ratione vivendi.*

10. *Pulverem*] Hoc est, tantus est, eritque hic populus, ut non magis numerari possit, quàm pulvis. Vide Genes. XIII, 16. XXVIII, 14.

Numerum quartæ partis] מספר את רבע *mispbar etb rebah.* Particula את hîc est nota genitivi, ut alibi sæpe. Sic Num. X, 2. מסע את מחנות est *profectio castrorum.* Vide *Ch. Noldium* num. 24. Quis ferat *Fr. Junium* vertentem? *Quis numeret pulverem Jabakobi? & quis numerum? Quis quartam partem Israëlis?* Hîc autem *quarta pars* Israëlis dicuntur *tres tribus* unà ad eamdem cœli plagam castra metantes, quas fortè solas videbat Balahamus. Vide suprà C. XX. & hîc vers. 13.

Moriatur anima mea] Hoc est, utinam moriar, pro consueto Hebraïsmo.

Proborum] ישרים *rectorum*, hoc est, Israëlitarum, quorum populus Deut. XXXIII, 5. vocatur ישרון *jeschuroun.* Adludit hoc Epitheton ad tres priores litteras vocis ישראלים *jischraelim.*

Finis meus instar illius.] אחריתי כמהו *ultimum meum ut ille.* Hoc est, fato meo moriar & post longam ac viridem senectutem; quæ erat bonorum præmium. Vide Gen. XV, 15. Videtur Balahamus novisse divinitus se immaturo fato moriturum fuisse, atque eò hîc respicere. Vide Cap. XXXI, 8.

11. *Bene precatus es*] *Benedicendo benedixisti.*

12. *Meminero*] אשמר *servabo.* Vide not. in Gen. XXXII, 12.

13. *Extremitatem*] Propter ingentem Israëliticorum castrorum amplitudinem, quæ, cùm ad radices montium essent, partim occultabantur montibus aut collibus. Hinc colligere est ex opinione horum hominum, ut diræ valerent, oportuisse aliquam partem populi devoti ab exsecrante cerni. Ceterùm pro eo quod vertimus, *sed extremitatem tantùm ejus cernes, cum totum non videbis*, אפס קצהו תראה וכלו לא תראה, alii vertunt: *tantùm extremitatem ejus vides, cum verò totum non vides.* Sed Vett. Interpretes sequuti sumus, ac sanè si dicere voluisset Moses quod illi intelligunt, mutasset tempora & dixisset priùs ראית *vidisti*, aut אתה רואה *vides*, deinde תראה *videbis.* Nam quamvis misceantur tempora, apud Hebræos, in sermone simplici non fit tanta confusio. Præterea אפס est potiùs *sed*, quàm *tantùm.* Vide suprà Cap. XXII, 35.

14. *In agrum speculatorum*] שדה צפים *schdeh tsophim.* Videtur planities fuisse in summo monte, in qua speculatores collocari solebant. In iis enim regionibus, perpetuis pænè latrociniis infestis, erant in altis jugis homines, qui voce, aut signo latronum adventum significarent. Vide Esai. XXI, 11. LII, 8.

14. *Ad Phisga cacumen*] Vide not. ad Cap. XXI, 20.

Septem altaria] Vide ad vers. 1. Repetuntur hæc more Hebraïco, cùm Latinus aut Græcus Historicus dicturus fuisset, idem factum fuisse ac primâ vice. Vide Cap. VII.

16. *Jehova*] Samaritæ habent מלאך י' *angelus Jehovæ.*

18. *Surge Balake*] קום *koum*, hoc est, age Balake, jam enim stabat.

Fili Tsippboris &c.] Elegantia est styli sublimioris, apud Hebræos, idem repetere aliis verbis, ut duo κῶλα idem significent; tam in versibus, quàm in soluta oratione. Sequentia verba lege.

19. *Ut*

13. Dixit verò ei Balakus; veni, quæso, mecum ad locum alium, unde eum *populum* videbis, sed extremitatem *etiam tantùm* ejus cernes, totum non videbis; verùm illinc eum, meâ causâ, exsecrator. 14. Deinde duxit hominem secum in agrum speculatorum, ad Philgæ cacumen, exstruxitque septem altaria, & obtulit juvencum atque arietem, in *unoquoque* altari. 15. Dixit verò *Balahamus* Balako: consiste istic ad holocautoma tuum, ego huc occurram *Deo.* 16. Occurrit autem Jehova Balahamo, ver-

13. Balakus locum non esse aptum concipiendis exsecrationibus ratus, jussit vatem se in alium sequi, unde extremitatem etiam Israeliticorum castrorum esset prospecturus, atque illinc eum diris devovere. 14. 15. Sequutus est Balakum Balahamus, in eum locum, ubi iisdem Sacris simili ritu peractis, secessit quoque vates, ut solus Angeli mandata exciperet. 16. Occurrit ei paullò pòst Angelus, simili-

19. *Ut mentiatur*] *Et mentietur* יכזב Hoc est, quod semel dixit non revocat, ut homines; cùm enim re ipsâ non fit quod promissum est, quamquam implendi animo, promissio evadit mendax. Vult Balahamus, Deum, qui benefacturum se Hebræis promiserat, promissa repræsentaturum, & frustra sacrificiis, vatisque precibus ejus opem implorari, ut iis malè faciat.

20. *Faustas adprecationes*] ברך *benedicere*, infinitivus pro nomine, quod apud Hebræos, non minùs ac Græcos, frequens est.

Accepi] Nempe, à Deo.

Faustas adprecationes non reddam] וברך ולא אשיבנו *& benedixit & non redderem.* Samaritæ legunt: אברך ולא אשיבנה *benedicam, neque revocabo.* Sic & LXX. εὐλογήσω καὶ οὐ μὴ ἀποστρέψω. Vulg. *benedictionem prohibere non valeo.* Onkelos: *benedicam Israëli, neque revocabo benedictionem meam ab eis.* Maluimus *Vau* in ולא quasi redundans, quod frequentissimum est, omittere, sensu ita postulante, & alterum ברך infinitivum etiam habere; nam quamvis sit forma præteriti בֵּרַךְ, non infinitivi בָּרֵךְ, hæ formæ interdum miscentur, ut docent Grammatici. Adito *Thes. Buxtorfianum.* Lib. I. c. 15.

21. *Non animadvertit*] הביט omisso nominativo, ut sæpe fieri solet, quando indefinita subauditur persona. Vide not. ad Cap. XIX, 17.

Molestiam] און *aven.* Dolorem, tristitiam, molestiam hæc vox æquè significat, ac peccatum. Vide Gen. XXXV, 18. Res ipsa & sequens vox עמל ita hîc intelligi debere ostendunt. Dicitur *Deus*, ut vulgò hic locus vertitur, *non videre iniquitatem in Israële*; hoc est, ei condonare peccata. Vide Jer. L, 20. Sed sequentia non favent huic interpretationi. Vult Balahamus Deum infortunia omnia ab Hebræis averruncare, quod de toto populo, ab hoc tempore, verum fuit. Felicissimè enim & Peræam & Chananæam invasit.

Ærumnam] עמל *hamal.* Rectè LXX. Intt. hunc versum transtulerunt: οὐκ ἔσται μόχθος ἐν Ἰακὼβ, οὐδὲ ὀφθήσεται πόνος ἐν Ἰσραὴλ, propriâ enim significatione vocum servatâ, egregius exsurgit sensus. πόνος est *dolor*, ut omnes norunt. Vulg. sine ratione vertit: *Non Idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israël*; quamvis hanc sententiam sequutus etiam sit *Onkelos.*

Jehova Deus ejus ei adest] *Cum eo.* Averruncator, nimirum, omnium malorum. Vide not. ad Gen. XXI, 20. XXXIX, 2.

Clamor regius] תרועת מלך *teruhath melech*, clamor festus regis; hoc est, lætus ille strepitus, atque hilares voces, quæ in comitatu regio solent esse. Ac sanè Hebræi Regem suum, Deum Opt. Max. in castris habebant, & circa ejus Tentorium à gratias agentibus, & post salutaria sacra convivantibus, lætæ mittebantur voces. Deum meritò dici *Regem Israëlis* ostendunt verba Gedehonis Jud. XXII, 23. & Dei ipsius 1. Sam. VIII, 7. Integram hac de re Dissert. habet *Joan. Spencerus* de Leg. Mos. Rit. Lib. I.

22. *Eduxit eum*] *Eduxit eos.*

Sunt ei quasi altitudines Orygis] כתועפות ראם לו *chthohephoth reem lo.* Primùm, תועפות exponimus *altitudines*, ut Ps. XCV, 4. intelligimúsque de *cornibus præditis.* Sic Moses, de *Josephi* stirpe, Deut. XXXIII, 17. *Cornua ejus sunt cornua Orygis*; & Ps. XCII, 11. *Extulisti cornu meum, ut cornu Orygis.* Cornua autem in hisce locis, aliisque, *gloriam* significant; quia quo majora cornua sunt animalibus cornigeris, eo pulcriora animalia habentur. Hinc LXX. Intt. hoc in loco תועפות verterunt δόξαν. Mens ergo Balahami hæc est, ex quo Hebræi Ægypto egressi erant, longè maximam esse eorum gloriam. *Onkelos* de Deo hæc verba intellexit: *Fortitudo*, inquit, *& celsitudo ejus est*; nempe, Deus Israëlis.

Secundò, ראם reem *Orygem*, hoc est, Capream bicornem, vertimus *Sam. Bocharti* sententiam sequuti; qui confutavit alias omnes opiniones, & præsertim LXX. Intt. qui *μονοκέρωτα unicornu* esse putarunt, ostenditque nullum esse ejusmodi animal, & τοῦ ראם duo fuisse cornua ex Deut. XXXIII, 17. Ps. XXII, 22. Vide *Hierozoici* Part. I. Lib. 3. C. XXVII.

23. *Augurium*] נחש *nahhasch.* Vide not. ad Gen. XLIV, 5. Vetitæ erant divinationes, apud Israëlitas, ut liquet ex Levit. C. XIX, 26. Alii existimant vertendum, *nullum esse augurium contra Jacobum, nullam divinationem contra Israëlem.* Sed sequentium vix ullus est sensus, si hanc sequamur interpretationem, & priori favent LXX. Intt. Vulg. & Onkelos.

Suo tempore] כעת chaheth. LXX. Intt. κατὰ καιρὸν. Vulg. *Temporibus suis.* Certum tempus hac phrasi significatur. Vide Gen. XVIII, 10.

Dicitur] יאמר jeamer, *dicetur*, quod verti potest *dici solet*; nimirum, à Prophetis, quos loco hariolorum habebant Hebræi. *Nihil facere solet Deus*, ait Hamosus, *nisi revelarit arcanum suum servis suis Prophetis*, Cap. III, 7. Vide not. ad Deut. XVIII, 10. & *seqq.*

Quod facturus sit Deus] מה פעל אל mah phahal

verbum in ejus ore posuit, dixitque: redi ad Balakum, & sic loquere. 17. Venit er-
go ad eum, ecce vero stabat ad suum holocautoma, & unà cum eo principes Moa-
bitarum. Dixit ei Balakus: quid dixit Jehova? 18. Tum figuratam suam orationem
protulit Balahamus, & dixit: surge, Balake, & audi; fili Tsipphoris, præbe mihi au-
res: 19. Deus vir non est ut mentiatur, neque filius hominis ut eum pœniteat. An
dixerit, nec tamen faciet? an loquutus fuerit, nec tamen rem præstabit? 20. Ecce sau-

libúsque mandatis eum instruxit; 22. quæ ad Balakum, ad altaria exspectantem, detulit. Ab eo itaque rogatus, quid à Deo audisset, 23. hoc vaticinium effudit: Dictis meis aurem, ô Moabitarum Rex, præbeto. 19. Neque mendax est Deus, neque eum consiliorum suorum pœnitet; quod pollicitus est, id re ipsâ præstituto tempore repræsentat; & quidquid adgressus est, prout videtur, perficit.

hal el, *quid fecit Deus*, hoc est, quid sit facturus, τὶ ἐπιτελέσει ὁ Θεὸς, ut habent LXX. Qui vertunt, *jam hoc tempore dicendum est de Jacobo & de Israële quid operetur Deus*, durè, ut solent, vertunt, & hæc verba à superioribus divellunt.

24. *Quasi leæna* &c.] De hac comparatione, vide not. ad Gen. C. XLIX, 9.

Neque eum exsecrare &c.] *Etiam exsecrando non exsecraberis eum, etiam benedicendo non benedices ei.* Videtur Balakus ferè desperasse se impetraturum à Balahamo diras exsecrationes, at bene vatem inimico populo adprecatum ægrè tulisse.

26. *Dicet Jehova*] Jubebit me dicere.

27. *Veni quæso*] לכה *ito.* Apud Hebræos, *ire & venire* passim miscentur.

Te ducam] *Te sumam* אקחך *ekkahhacha.*

Rectum videbitur] יישר *rectum erit in oculis Dei.* Hæc fuit Ethnicorum opinio, quod non obtinebatur primâ, secundâ, aut tertiâ victimâ, id interdum impetrari quartâ. Itaque si primarum victimarum viscera displicerent, pergebant alias mactare donec *litassent*; hoc est, victimam nacti essent, cujus jecur, ex doctrina Aruspicum, felicem cœptorum eventum portenderet. Si verò primâ victimâ litassent, alias non mactabant. *C. Julius Cæsar*, eo die quo interfectus est, *pluribus hostiis cæsis, cum litare non posset, introiit curiam, spretâ religione*, ut ait *Suetonius*, Cap. XCI. *Augustus* verò *circa Perusiam, sacrificio non litante, augeri hostias imperavit.* Idem in ejus vita Cap. XCVI. *Alexander*, apud *Curtium* Lib. VII. c. 7. cùm jussisset explorari eventum rerum sacrificiis, primùm responsum accepit *tristia exta fuisse*; paullò pòst, aliis mactatis, Aristander *non aliàs lætiora exta vidisse se* adfirmat. Posteriores victimas Latini vocabant *Succidaneas*, ut docet *A. Gellius*, Lib. IV. c. 6. *Si primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur; quæ, quasi prioribus jam cæsis, subdebantur & succidebantur; ob id succidaneæ nominatæ.* Ubi vide Intt. Similia sperabat Balakus, si alias immolaret victimas. Mactabant enim, ut diximus, donec litassent, si modò esset copia victimarum; cùm litaverant, desinebant. *Luctatius* ad hunc *Statii* versum, ex Thebaïd. X.

Audite, ô sontes, extrema litamina divûm.

Sacrificiorum, inquit, *signa post quæ sacrificare iterum non licet. Inter litare enim & sacrificare hoc interest. Sacrificare est hostias immolare*, litare verò, *per immolationem victimarum, impetrare quod postules.* Litare Græci dicebant καλλιερεῖν, ad quam vocem adeundus *Suidas.* Hæc fuerunt, ut rectè loquitur *Curtius*, *hebetatarum gentium ludibria*, vanis Sacerdotibus credulitatem suam addicentium. Si res benè cederet, post dubia Sacra, aiebant potiores fuisse victimas quibus *litatum* fuerat; sin secus eveniret, tristium extorum majorem rationem habendam fuisse dictitabant. Præterea, cùm homines, qui consulebant Deum per sacrificia, non eâ religione essent ut, si quod cupiebant viderentur exta improbare, ab inceptis æquo animo illico desisterent, oportuit illis multitudine victimarum satis fieri. Simul majore copiâ carnis donabantur Sacerdotes, & pecuarii eorum amici majorem pecudum numerum vendebant.

— Τάδ' ἀθύρματα πάντα
Ἐμπορικῆς ἀπάτης στηρίγματα.

Hæc verò omnia ludibria sunt, mercatoriæ deceptionis fulcra, ut rectè habent Oracula Chaldaïca. Quantò sapientiores Hebræi, qui ex visceribus victimarum nihil augurabantur?

28. *Phehoris*] הפעור LXX. Intt. efferunt Φογὼρ, ut & Vulgatus. Videtur hoc fuisse nomen montis. Radix apud Arabas significat *separavit, divulsit*; & apud eosdem פערה phaggarton, *montem excelsum* sonat, quòd sit, nimirum, ab aliis divulsus. Videtur in hoc loco cultus בעל פעור *bahal phehor*, hoc est, *dominus montis*, seu Numen quodpiam cui mons hic sacer esset, de quo infrà Cap. XXV. 2. Erat quoque in hac vicinia *Beth-phehor*, urbs quam Israëlitæ Sehhoni eripuerant, & quæ cessit Rubenitis, Deut. III, 29. Jos. XIII, 15, 20.

29. *Septem altaria* &c.] Vide ad vers. 1.

In Caput XXIV.

1. *Cùm intellexisset placere*] *Et vidit quòd bonum erat in oculis Jehovæ.* Domi monitus, in itinere, & in montibus Moabiticis, post duo sacrificia.

In occursum divinationum] Quid hoc sibi velit vidimus Cap. XXIII, 3.

Vultum convertit in desertum] *Posuit in desertum vultum suum.*

2. *Prospexit*] *Et sustulit Balahamus oculos suos.*

Tendentem] שכן schochen, *habitantem*, ad breve tempus; nisi שכן, unde sine dubio σκηνῶ, sit *tendere*, seu *tentorium habere*, quod plura loca suadent, ut hic, & Psalm. LXXVIII, 60. ubi

faustas adprecationes accepi, & faustas adprecationes non reddam! 21. Non animadvertit *quisquam* molestiam in Jacobo, neque videt ærumnam in Israële; Jehova Deus ejus ei adest, & clamor regius est in eo. 22. Deus eduxit eum ex Ægypto, sunt ei quasi altitudines Orygis. 23. Nam non est augurium in Jacobo, neque divinatio in Israële. Suo tempore, dicitur Jacobo & Israëli, quid facturus sit Deus. 24. Ecce populus hic quasi leæna surget, & instar leonis se eriget; non cubabit donec devorarit prædam, & occisorum sanguinem biberit. 25. *His auditis*, dixit Balakus Balahamo: neque eum exsecrare, neque illi bene adprecare. 26. Respondit verò Balahamus & dixit Balako: annon tibi dixi, quidquid dicet Jehova, hoc faciam?

27. At

ficit. 20. Ab eo faustas preces in Hebræorum gratiam accepi, nec aliud proloqui mihi fas est. 21. Deus molestias, atque ærumnas omnes ab Israëlitis amovebit, iis Regis instar semper aderit, & circa regium ejus Tabernaculum, laudantium & gratias agentium lætæ voces semper audientur. 22. Eos omnipotentiâ suâ Ægyptiacæ servituti eripuit, & longè maximis beneficiis cumulavit. 23. Nullo genere divinationum utuntur, sed vates habent à Deo adflatos; qui eos quæ Deus in posterum effecturus sit & quæ eos scire par est, suo tempore, docent.

24. Eos omnes, ad quos victricia arma convertent, debellabunt, facultatibusque omnibus & agris spoliatos occident, aut procul fugabunt; nec priùs arma deponent, quàm deletarum Gentium spoliis ditati fuerint. 25. Hoc vaticinio audito, Balakus iterum Balahamum objurgavit, & Hebræos diris devovere si nollet, ne iis saltem bene adprecaretur oravit. 26. At Balahamus, ut antea, negavit sibi quidquam fas esse dicere, præter id quod à Deo subjiciebatur.

27. Ba-

ubi de Deo אהל שכן באדם *tabernaculum statuit inter homines.* Hinc משכן non rarò *tabernaculum* sonat. Vide v. 5.

Invasit spiritus Dei] *Fuit spiritus Dei super eo*, hoc est, spiritus propheticus, quo mens adflata futura videt & prædicit. Vid. Num. XI, 26. 1. Sam. XIX, 19. & *seqq.* Vult *Philo* hoc & reliqua vota emissa esse à Balahamo invito, & contra animi sententiam loquente, sed Deum non multò aliter organa ejus movisse ac asinæ, Lib. I. *de Vita Mosis.* Ita & alii Interpretes. Verùm adfectio animi vatis hujus veriùs describetur, si dicatur, phrasi Homericâ, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ hæc proloquutus esse; nam voluisset quidem gratificari Balako, ut præmium ab eo auferret, sed subjecta sibi à Deo non audebat subticere, aut iis contraria proferre. Erat planè compos sui, nec alienatâ mente vaticinabatur, ut ex tota historia liquet. Temerè itaque *Philo* inducit Angelum ei dicentem, quod nusquam apud Mosem legimus: ἀνύσεις γὰρ οὐδὲν, ἐμοῦ σε λεκτέα ὑπηχοῦντος ἄνευ τῆς σῆς διανοίας, καὶ τὰ φωνῆς ὄργανα τρέποντος, ᾗ δίκαιον καὶ συμφέρον. ἡνιοχήσω γὰρ ἐγὼ τὸν λόγον, θεσπίζων ἕκαστα διὰ τῆς σῆς γλώττης οὐ συνιέντος: *nihil proficies me dicenda subjiciente, sine tuo intellectu, & vertente organa vocis, quò æquum ac utile est; regam enim ego sermonem, singula oracula fundens per linguam tuam, te non intelligente.* Similia tamen etiam habet *Josephus* Ant. Jud. Lib. IV. cap. 6. In quam opinionem delapsi videntur, quòd nollent usquam esse Dei veri cultores, nisi apud Hebræos; quod, ex nimio in Gentem suam adfectu, temerè homines Judæi crediderunt. At, inquies, non erat vir bonus Balahamus; sed nusquam legimus Prophetas omnium vitiorum fuisse immunes, & à virtute deficere non potuisse. Balahamus etiamsi Deum verum colebat, & revelationes habebat; potuit esse pecuniæ æquo amantior, & præmio à Balako oblato corrumpi. Exempla duorum vatum, alterius mentientis, & postea tamen spiritu prophetico adflati, alterius antea adflati, & imperium Dei negligentis habemus 1. Reg. XIII, 17. In libris Mosis, Aharon & Mirjama, quos Deus aliquando adflaverat, fratri invidisse narrantur', irámque Dei in se movisse. Vide suprà Cap. XII.

Sic & hoc in loco, spiritus Dei potuit invadere hominem non bonum. Vide & 1 Sam. XIX, 20. & *seqq.* Is etiam sciens & prudens parebat Dei spiritui, quamvis maluisset, Balaki causâ, contrarium adflatum accipere. Similiter, ut inverso utar exemplo, Prophetæ Hebræi, quando futuras calamitates popularium suorum prædicebant, maluissent sine dubio alia adflari Genti suæ jucundiora; attamen Deo parebant, & quæ promulgare jussi erant proloquebantur.

3. *Ait*] נאם neum, *dictum Balahami* &c. De qua voce vide not. ad Gen. XXII, 16.

Cui obturatus erat oculus] שתם עין *schethoum hajin.* Existimavimus שתם quod in hoc loco & apud Jeremiam exstat, perinde esse ac סתום hoc est, *clausum, obturatum.* Sic Thren. III, 8. שתם תפלתי est *intercludit orationem meam*, ἀπέφραξε, ut habent LXX. Intt. Hoc quidem in loco est ש cum puncto dextro, apud Jeremiam verò cum sinistro. Sed olim hoc non fuisse discrimen satis constat, & præterea ש & ס facilè miscentur. Hinc *Hieronymus* vertit *obturatus*, Samariticus Intt. ורים חזותה *percussus visu.* LXX. Intr. contrariâ planè significatione, ὁ ἀληθινῶς ὁρῶν, & Onkelos דשפיר חזי *dschapphir hhaze* qui pulcrè vidit. Alii multi eos sequuti sunt. Sed ob rationem adlatam, prætulimus priorem interpretationem, quæ optimè historiæ convenit; cùm enim asina vidisset Angelum, quem Balahamus non videbat, meritò sibi *clausum oculum* fuisse ait.

4. *Qui audivit eloquia Dei* &c.] Quæ sibi in hoc negotio contigerant, & priores revelationes respicere videtur. Hæ voces desunt in Cod. Samaritico.

Qui cecidit & cui retecti sunt oculi] Adludit ad id quod sibi in itinere contigerat. Vide Cap. XXII, 31.

Quàm pulcra sunt] מה טבו *quam bona fuerunt.* Sed טוב *tob* non raró pulcrum sonat. Vid. Gen. XLI, 5. & 19.

Ta-

27. At Balahamo Balakus, veni, quæso, inquit, te in alium locum ducam; fortasse rectum hoc videbitur Deo, atque illinc eum in mei gratiam exsecrare. 28. Tum duxit Balakus Balahamum in verticem Phehoris, qui solitudinem despicit. 29. *Ibi* dixit Balahamus Balako: ædifica mihi hîc septem altaria, & septem juvencos ac septem arietes mihi parato. 30. Fecit Balakus quemadmodum Balahamus dixerat, & obtulit juvencum & arietem, in *unoquoque* altari. 1. Cùm verò intellexisset Balahamus placere Jehovæ, ut bene precaretur Israëli, non ivit, ut modò *fecerat*, in occursum divinationum, sed vultum convertit in desertum, 2. prospexitque & vidit Israëlem per tribus suas tendentem, eúmque invasit spiritus Dei. 3. Itaque figuratam suam orationem protulit, & dixit: Balahamus, Behoris filius, ait; vit

CAPUT XXIV.

27. Balakus verò mutatione loci, & iteratione sacrificiorum, fortè aliquid à Deo impetrari posse temerè credens, jussit iterum Balahamum se in alium locum sequi, unde Israëlitas, Deo non improbante, devovere posset. 28. Unà igitur iverunt in summum jugum Phehoris Montis, unde despiciuntur Moabitidi vicinæ solitudines, per quas Hebræi advenerant, & in quibus tendebant. 29. 30. Ibi Sacra, eodem modo ac antea, in septem altaribus, facta sunt. 1. At Balahamus tum demum intelligens nihil à Deo contra Hebræum populum, in gratiam Moabitarum, impetrari posse, supervacaneum ratus est in ejus voluntatem ampliùs secedendo inquirere. 2. Itaque prospiciens desertum, in quo tendebant Israelitæ, dispositionem castrorum, ubi singulæ Tribus seorsim sua castra habebant, mirabatur; cùm prophetico spiritu subitò adflatus 3. vaticinium, in hanc sententiam, edidit: Hæc est prædictio Balahami, Behoris filii, qui primùm Angelum sibi occurrentem non

Tabernacula tua] משכנותיך *mischchenotecha.* Antea ad vers. 2. ostendimus Radicem significare *tendere*.

6. *Instar torrentium*] כנחלים. LXX. Intt. vertunt *νάπαι*, & sic Vulg. *valles*. Deinde verbum נטיו *nittajon*, quod sequitur, *σκιάζουσαι nemorosæ*. Est sanè elegans comparatio ordinis tentoriorum cum *nemorosis vallibus*, sed verbum נטה non est *σκιάζειν umbrosum* aut *nemorosum esse*. (Vide ad finem versûs.) Ideò malumus longos ordines tentoriorum conferri cum longitudine torrentium, quod potest aut de ipsis tentoriis intelligi, aut de viis castrorum inter tentoria porrectis, & quasi depressis. Facile est intellectu in castris, ubi erant sexcenta armatorum millia, longissimos fuisse tentoriorum ordines, & longissimas inter tentoria vias. Sequentia etiam huic interpretationi favent.

Instar hortorum ad flumen] Aut *viridariorum* גנות *gannoth*, de qua voce vide notata ad Gen. C. II, 8. Horti ad fluvii ripas siti in magnam longitudinem porriguntur, dum propter aquam cultores ripas fluvii sequuntur. Atque hoc præsertim fit in locis calidioribus, ut quæ sunt circa Euphratem, unde Balahamus venerat. In iis oris, ubicumque est aquæ copia, omnia feliciffimè proveniunt, nec quidquam potest esse locis irriguis & umbrosis amœnius.

Instar Costorum] כאהלים *chaahalim*. LXX. Intt. legerunt *ohelim*, habent enim *ὡσεὶ σκηναὶ*, & Vulg. *ut tentoria*. Sed verbum נטע *plantavit* & sequens *ἀἶλιν* ostendit arborem intelligendam; at illi aliter legerunt, ut postea videbimus. Ac sanè אהלים vel אהלות esse arborem, eámque aromaticam, & grati odoris liquet ex Ps. XLV, 9. Proverb. VII, 17. Cant. IV, 14. Græci Intt. in loco Psalmorum *σταλὶ* verterunt, in Cant. *ἀλωθ*, propter similitudinem soni vocum Hebraïcæ & Græcæ. *Symmachus θυμίαμα*.

Non potest esse *Aloë*, quia hæc arbor est *βαρύοσμο*, ut testatur *Dioscorides* Lib. III. 25. neque ejus gummi suffiendis vestibus inservit; quem in usum adhibebantur אהלים, ut ex locis Psalmorum & Proverbiorum constat. Arabs *Erpenianus* vertit קשט, hoc est, *costus*, cujus descriptioni, ut observavit *Edm. Castellus*, qualis exstat apud *Dioscoridem*, *Avicennam*, *Matthiolum*, & *Bauhinum*, convenit cum locis omnibus in quibus legimus אהלים. Primò enim planta est pulcra adspectu, quò fortè respicit Moses. Suavissimi est odoris, præsertim radix, adhibebatúrque ad unguenta odorata conficienda. Vide *Plinium* Hist. Nat. Lib. XIII. c. 1. & 2. Oris halitum gratiorem facit, Venerémque exstimulat, quod spectat fortè Salomo Prov. VII, 17. Alii *Santalum*, aut *Agallochum* malunt; sed nihil proferunt, quod verisimilius sit eo quod diximus, nedum ut omnem dubitandi rationem eximant.

Quas plantavit Jehova] Hoc est, quæ non sunt hominum operâ plantatæ & excultæ, quod fit interdum in locis naturâ parum aptis, ad alendas ejusmodi arbores; sed provenerunt in terra, cujus natura iis aptissima erat, adeóque id genus arborum pulcherrimæ sunt. De his *Virgilius* Georg. Lib. II. v. 47.

Sponte suâ quæ se tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, sed læta & fortia surgunt,
Quippe solo natura subest.

Sic Ps. CIV, 16. dicitur Deus *plantasse Cedros Libani*, ubi sine opera humana & procerissimæ provenerant. Has *Plinius* Lib. XVI. c. 33. ait *naturæ deberi*. *Arbores*, inquit, *quas Naturæ debemus, tribus modis nascuntur; sponte, aut semine, aut ab radice.* Quod homo Epicureus *Naturæ* tribuit, hoc meritò Hebræi *Deo* adscribebant; nam quid significetur voce *Deus* scimus, *Natura* quid sit nescimus, & quæ non sine divina providentia nascuntur, *nullis hominum cogentibus*, ut loquitur *Virgilius*, ea Dei opera piè & verè habentur. Nec opus est ut ea per se propterea curare intelligatur, cùm sint innumerabiles incorporearum Naturarum ordines, quibus veluti instrumentis utitur. Sed quod fit eo non inscio, nec nolente, per inconspicuas illas Naturas, ab eo fieri dicitur.

vit cui obturatus *erat* oculus ait; 4· qui audivit eloquia Dei, qui visum omnipoten-
tis intuitus est, qui cecidit, & cui retecti sunt oculi, ait: 5· Quàm pulcra sunt ten-
toria tua, ô Jacobe, & tabernacula tua, ô Israël! 6· Torrentium instar porrecta sunt,
& instar hortorum ad flumen; sunt instar Costorum, quas plantavit Jehova, instar
Cedrorum, quæ ad aquas *consitæ sunt.* 7· Fluet aqua ex ejus ramis, & semen ejus in
aquas

non animadvertit, quamquam antea sæpe divina responsa audiverat, & visa cœlo missa intuitus erat; sed qui paullò pòst, conspecto eo Angelo, in vultum territus concidit. 5· Quam eximia est species, procul adspectantibus, Castrorum vestrorum, ô Hebræi! 6· Eorum viæ longitudine torrentes æquare videntur, & Tabernacula referunt ordines arborum, ad fluvii ripas, utrimque consitarum. Videntur odoratæ Costi, aut perpetuùm virentes Cedri, in loco irriguo, sine hominum opera, felicissimè provenientes. 7· Erunt re ipsâ Israëlitæ similes arboribus, non modò consitis in loco fontanâ, aut fluviatili aquâ irriguo, sed etiam cœlesti rore quotidie madentibus; ex quibus semina sponte decidentia, & lætum solum nacta, sine ulla hominum cura, germina & radices emittunt,

In hoc versu, pro נטע *plantavit*, Samaritæ habent נטה *fixit*, ut LXX. ἔπηξε, quasi de Tabernaculo sermo esset. Antea pro נטיו *porrecta sunt*, habent contrà נשעו subaudientes אשר *quæ*, nimirum, valles. Atque hanc lectionem sequuti sunt LXX. Int.

7. *Fluet aqua ex ejus ramis*] מדליו *middaljau*, Vulg. *de situla ejus.* LXX. verò & Onkelos sensum, quem putarunt hìc quærendum, non verba expresserunt. Itaque his missis, de Vulgati Int. translatione dicemus, דלי *dli* reverâ significare *situlam*, quâ aqua hauritur; sed quoniam Balahamus Israëlem arboribus contulit, in eadem comparatione hærere visus est, & דלים vertendum censuimus, ut reddi solet דליות, hoc est, *ramos.* Sic Ezek. XVII, 23. de populo Hebræo, quem confert Cedro, à Deo plantatæ; *Omnes aves, omnis generis, in umbra* דליותיו *ramorum ejus habitabunt.* Dicitur autem *aqua defluxura ex ramis* cedri, ad significandum eam non modò aquâ fluvitiali, sed etiam cœlesti rorum & pluviarum irrigatum iri. Utraque hæc aqua sæpe conjungitur. Vide Gen. XLIX, 25. Arbori etiam ad aquam consitæ prolixâ comparatione, confertur regnum Ægypti, apud Ezek. XXXI. ubi hæc eadem vox occurrit.

Semen in aquas multas concidet] Supplevimus יפל *cadet*, quia arboris in uliginoso loco consitæ semen cadens non potest cadere, nisi in terram humore multo irrigatam. Hujusmodi autem solum excipiens semina arborum ea fovet, adeò ut germen & radices emittant, crescant, atque in arbores adolescant; útque ex una arbore, intra paucos annos, nascatur silva. Sic ex glandibus quercus, ex castaneis castaneæ, ex cerasis cerasi nascuntur. Contrà si arbor in arido solo sit consita, frustra semina ejus decidunt, quippe quæ humi siccantur, & calore aduruntur, antequàm germen emittere queant. Videtur autem eâ comparatione significare Balahamus, mirum in modum, auctum iri populum Hebræum.

Agago] מאגג *meagag.* Hamalekitarum Rex quivis dicebatur אגג *agag*, ut discimus ex 1.Sam. XV, 8. eosque Israëlitæ non semel fuderunt. Vide Exod. XVI, 8. & seqq. & locum Samuëlis laudatum, ubi est historia ad quam respicere videtur Balahamus. LXX. Int. non secus ac Samaritæ, legerunt גג *gog*, verterunt enim: ὑψωθήσεται ἢ Γὼγ βασιλεία, καὶ αὐξηθήσεται βασιλεία αὐτοῦ. Vulgatus idem ac nos legit, sed aliter vertit: *Tolletur propter Agag Rex ejus, & auferetur regnum illius.* Quæ carent sensu, cùm versionis nostræ, ut plerarumque recentiorum, Grammaticis legibus convenientissimarum, optimus sit sensus. Oportet autem Hamalekitarum res eo tempore floruisse, quandoquidem, quasi eximium quid, Israëlitarum Rex major Hamalekitarum Rege futurus dicitur. Vide & vers. 20.

8. *Eduxit*] מוציאו Habent Samaritæ מוציאו *duxit eum.*

Quasi altitudines Orygis] Vide not. ad Cap. XXIII, 22.

Gentes sibi inimicias] גוים צריו *gentes, inimicos suos.* Mutavimus posterius substantivum in adjectivum. Videntur hìc intelligi potissimùm Chananæi, quamvis non excludantur alii hostes Hebræorum, circa Judæam sedes habentes.

Ossa earum franget] Hoc est, vires earum prorsus conteret. Vide Esai. XXXVIII, 13. Thren. III, 4.

Sagittis suis configet] Aut *sagittas suas defiget*, in corpora, nempe, hostium.

9. *Cura flexit* &c.] Vide Gen. XLIX, 9.

Qui tibi bene precantur &c.] Vide ad Gen. XII, 3.

10. *Complosisque manibus*] *Complosit volas suas.* Signum hoc fuit indignationis, ut liquet etiam ex Job XXVII, 23. Thren. II, 15. Sic apud *Lucianum*, in somnio, irata Statuaria τὸ μὲν πρῶτον ἠγανάκτει, καὶ τὼ χεῖρε συνεκρότει, *primùm indignabatur & manus complodebat.*

Dixit] *Et dixit Balakus Balahamo.*

Vicibus] פעמים Samaritæ habent רגלים *regalim*, quod idem est.

Bene precatus es] *Benedicendo benedixisti.*

Dixeram me te honorario] *Dixeram, honorando honorabo te.* Vide not. ad Cap. XXII, 17.

Ne eo donareris probibuit] *Probibuit te ab honore* מכבוד, hoc est, à præmio. Vide dicta ad eumdem locum.

13. *Præter imperium Jehovæ agere*] Adi not. ad Cap. XXII, 18.

Bonum aut malum] Hoc est, ut quidquam faciam. Cap. XXII, 18. dixit *parvum aut magnum*, quod est idem. Lege quæ scripsimus ad Gen. C. III, 5.

Sponte meâ] *Ex corde meo.* Vide Cap. XVI. 28.

14. *Paratus sum ire*] הנני הולך *ecce ego iens.* Si eâ religione fuisset Balahamus, quæ vatem decebat, illico nunciis Balaki respondere debuisset,

aquas multas *concidet*. Sublimior erit rex ejus Agago , & adtolletur ejus regnum.
8. Deus eum ex Ægypto eduxit, *sunt* ei quasi altitudines Orygis. Gentes sibi inimi-
cas absumet, ossa earum franget, & sagittis suis configet. 9. Cura flexit , recubuit
instar leonis, & leænæ, quis illum excitabit? Qui tibi bene precantur felices sint, qui
malè precantur infelices. 10. Tum demum accensa est Balaki ira in Balahamum, com-
plo-

tum, atque in proceras arbores brevi adolescunt. Sic & Israelitarum proles, in fertilissimo Chananææ solo, mirum in modum, sine nimia parentum cura, augebitur. Reges Hebræi, quamvis inter finitimos recentissimum eorum futurum sit regnum, antiquissimis regibus, ipsisque adeò Hamalekitarum Monarchis potentiores erunt, 8. Deus qui Hebræos ex Ægypto eduxit, idem opes eorum augebit, victorésque de omnibus hostibus præstabit; 9. nec temerè quisquam vicinorum prior eos quiescentes armis lacessere audebit. Denique qui bene precabuntur huic populo, digni sunt quibus secunda omnia eveniant; qui verò malè precabuntur, iis omnia infausta adprecamur. 10. Hæc cùm dixisset Balahamus, tacuit; Balakus verò, quòd devovendi populi Hebræi causâ vocatus,

buisset, quod aiunt Atticam Sacerdotem, simile quidpiam rogatam, respondisse. *Plutarchus* in Quæst. Romanis p. 275. Ἐπῃνέθη Ἀθήνησιν, ἡ ἱέρεια μὴ θελήσασα καταρᾶσθαι τῷ Ἀλκιβιάδῃ τοῦ δήμου κελεύοντος· ἔφη γὰρ εὐχῶν οὐ κατάρας ἱέρεια γεγονέναι: *laudi datum est Athenis Sacerdoti, quæ, populo jubente, noluit devovere Alcibiadem, votorum se, non exsecrationum Sacerdotem esse dicens.*

Veni] לך *ito*. Vide ad Cap. XXIII, 27.

Docebo] איעצך *consilium dabo tibi*. Videretur debere sequi perniciosum consilium de quo Cap. XXXI, 16. Deinde sequeretur vaticinium. Hæc distinctè expressit *Onkelos*, qui habet: *consilium dabo tibi de eo quod faciendum tibi sit, & indicabo tibi quid faciet populus hic.* Distinctiùs *Jerosol.* & *Jonathanis* Paraphrases, & posterioris quidem hæc sunt verba: *Consilium dabo tibi, ito, para caupones, quibus præficias mulieres meretrices, quæ vendant cibum & potum viliore pretio, adducant populum hunc, ut edat & bibat & inebrietur, & rem habeat cum illis & neget Deum suum; tum tradentur in manus tuas intra breve tempus, & cadent ex iis multi. Verùm postea dominium habituri sunt illi in populum tuum.* Sceleratum consilium, eodem ferè loco, referunt *Philo* Lib. I. de Vita Mosis, & *Josephus* Ant. Jud. Lib. IV. c. 6. nisi quòd post vaticinia collocant. Mirum est Samaritas, qui supplere solent quæ narrationi desunt, hoc non supplevisse. At neglecti in narratione ordinis permulta sunt in hisce libris exempla, & sæpe ex sequentibus colligimus circumstantiam in antecedentibus omissam.

Olim] באחרית הימים *in fine dierum*, hoc est, posteris diebus. Vide not. ad Gen. XLX, 1.

17. *Eum video, sed non nunc*] Aut *videbo* & *intuebor*; sed Futurum est pro Præsenti, ut passim. Mens enim Balahami hæc est; prævideo rem post multa sæcula futuram, non brevi; rem quam, inter futuros eventus, veluti remotam intueor. Quis sit autem, quem videat, sequentibus verbis exprimit.

Procedet stella ex Jacobo] דרך *incessit stella*. Hîc vicissim, est Præteritum pro Futuro. Vertimus *procedet*, quod non est propriè *orietur*, sed motûs sui nocturni partem magnam conficiet, quod videtur significare vox דרך *darach*, nam ortus stellarum exprimitur voce זרח *zarahh*. Sic Virgilius dixit Ecl. IX.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Ante eum *Homerus* dixerat Iliad. K. v. 252. Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε *astra jam processerunt*, hoc est, maximam partem cœli emensa sunt, & occasui sunt propiora. Verùm hæc loquutio meliùs convenire videtur *Cometæ*, qui vulgò *stella* etiam dicitur, quàm stellis ceteris.

Stella] *Onkelos* ita [illegible]: *Surget Rex è Jacobo, orietur unctus ex Israële* (משיחא מישראל) *& occidet summates* &c. Jonathan: *Regnabit rex potens è domo Jacobi, orietur Unctus, & sceptrum potens ex Israële & occidet.* Jerosolimitanus: *Surget Rex è domo Jacobi & liberator ac dominator ex domo Israëlis.* Crediderim *stellam* hîc intelligi *Cometen*, quo nomine Rex significatur; quia existimabant Orientales iis magnorum Regum, aut regnorum ortum vel mutationem, significari. Non refert quàm hoc verum sit, sed quàm vulgò creditum; sat enim fuit vulgò hoc credi, ut propterea Reges *stellæ* vocarentur. Ejus opinionis, inter Orientales, non evanidum habemus vestigium, in verbis Magorum Matth. II, 2. quos nonnulli è Balahami patria in Judæam ivisse volunt. *Ubi est*, inquiunt, *qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim ejus* STELLAM *in oriente.* Quæ verba innuunt ex conspecta stella Magos collegisse natum esse, aut nasciturum Regem, apud Hebræos. *Justinus* de Mithridate Lib. XXXVII. c. 2. *Et eo, quo genitus est anno, & eo quo regnare primùm cœpit, stella Cometes per utrumque tempus septuaginta diebus ita luxit, ut cœlum omne flagrare videretur.* &c. *Lucanus.* Lib. I. initio belli Civilis, quod describit, ait varia in terra & cœlo prodigia conspecta:

— *crinémque timendi*
Sideris, & terris MUTANTEM REGNA
Cometen.

Juvenalis Sat. VI. vers. 407.

INSTANTEM REGI *Armenio, Parthóque*
Cometen
Prima videt.

Plinius Hist. Nat. Lib. II. c. 25. de Augusto: *Incipiente eo, adparuit* (Cometes) *ludis, quos faciebat Veneri Genitrici, non multò post obitum patris Cæsaris, in collegio ab eo instituto* &c. Hoc ipsum est, quod *Dionæi Cæsaris astrum* vocat *Virgilius* Eclog. IX. Quamvis Augustus non contradixerit vulgo, quod credebat eo significari Julii Cæsaris animum inter Numina te-

plosísque manibus ei dixit: ut exsecrareris hostes meos te vocaveram, ecce verò eis tribus vicibus bene precatus es! 11. Fugito nunc in locum tuum, dixeram me honorario te donaturum, sed ne eo donareris prohibuit Jehova.

12. At Balako Balahamus, annon etiam nuncios tuos, quos ad me misisti, alloquutus sum, his verbis: 13. si mihi dederit Balakus plenam domum suam argento & auro, præter imperium Jehovæ agere non potero, ut faciam bonum aut malum, sponte

tus, ei bene ter precatus esset, indignatus, 11. hominem in patriam, nullo donatum munere, redire jussit; quandoquidem, ne Moabitis obsequeretur, sibi à Deo vetitum esse dicebat.

12. 13. Reposuit Balahamus se nunciis Moabiticis prædixisse, nullâ mercede posse à se impetrari, ut Dei mandata dissimularet, aut perverteret, 14. séque adeò paratum esse in Mesopotamiam illico re-

receptum, attamen, ut docet Plinius, *interiore gaudio sibi illum natum, séque in eo nasci interpretatus est.* De hac stella, vide etiam *Servium* ad Virgilii Ecl. IX. & *Suetonium* in Cæsare c. LXXVIII. *Lampridius* de Alexandro Severo: *fertur die primâ, natalis ejus totâ die, apud Arcam Cæsaream, stella primæ magnitudinis visa.* Hæc Ægyptiis & Chaldæis Græci & Romani debebant. *Diodorus* Siculus Biblioth. Lib. II. p. 116. ait ex Chaldæorum doctrina: ἔτι δ' ἔτι κομητῶν ἀστέρων ἐπιτολὰς — ὠφελίμους τε καὶ βλαβερὰς, οὐ μόνον ἔθνεσι καὶ τόποις, ἀλλὰ καὶ ΒΑΣΙΛΕΥΣΙ, καὶ τοῖς τυχοῦσιν ἰδιώταις: *stellarum crinitarum ortus utiles esse aut noxios, non tantùm gentibus & locis, sed &* REGIBUS *& quibusvis privatis.* *Suetonius* in *Nerone* c. XXXVI. *Stella crinita quæ* SUMMIS POTESTATIBUS *exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius eâ re ex Babylonio Astrologo didicit solere Reges talia ostenta cæde aliquâ illustri expiare* &c. Eumdem vide in *Claudio* C. XLVI. & *Vespasiano.* C. XXXIII.

Hinc liquet Chaldæos Interpretes non malè *Regem* intellexisse nomine *stellæ*, quamvis hoc non manifestò ex sequentibus verbis colligeretur. Sed quis ille Rex fuit? Davidem viri doctissimi interpretantur, inter Hebræorum Reges illustrem, qui Moabitas partim interfecit, partim sibi subjecit, 2. Sam. VIII, 2. cum quo confer Ps. LX, 10. CVIII, 10. Sed cùm nobilissimorum ferè Vet. Testamenti vaticiniorum duplex sit sensus, ut ostendit *Hug. Grotius* ad Matth. I, 22. quorum alter ante Christum, alter verò in ipso Jesu-Christo, aut in hujus Ecclesia impletus est; præter sensum, qui se primum offert in Balahami hoc vaticinio, alterum excellentiorem Interpretes Christiani piè quæsiverunt. Imò & Judæi ipsi, ut mox dicemus, partem hujus vaticinii ad Messiam pertinuisse contendunt. Certè aptius de Christo dicere potuit Balahamus primùm, *se eum videre, sed non tunc, eum se intueri, sed non propè*, remotior enim multò erat Christi adventus, quàm Davidis; deinde Christus aptiùs dicitur *Stella* quàm David, & quòd reverâ stella eum natum esse significarit, & quòd Rex cœlestis eo nomine multò meliùs signetur quàm terrestris.

Judæi quoque nonnulli de Messia interpretantur hanc vaticinii hujus particulam, ut observarunt viri docti. Planus, qui sub Adriano Messiam agere voluit, sibi imposuerat nomen huc alludens, ut imperitos falleret, nempe, בר כוכבא *Bar-cochba*, hoc est, filius stellæ. Animadvertit hoc Scriptor libri שלשלת הקבלה *Schalschelеth-hakkabalah*, aliique.

Si vellemus *Paulum Orosium*, aliósque Veteres imitari, qui portenta, quæ dicuntur Augusti ævo contigisse, ad humani generis Sospitatorem referunt; diceremus *sidus crinitum*, quod ipsis ludorum ejus diebus, ut ipse narrabat Augustus, *per septem dies* in regione cœli, quæ sub septemtrionibus est, conspectum, clarúmque & omnibus è terris conspicuum fuit; diceremus, inquam, hoc sidus regnum illud significasse, quod Filius ejus, qui *septem diebus* omnia creavit, eo sæculo initurus erat. Adderemus eam fuisse decimam ætatem, quâ, si *Virgilium* Ecl. IV. ex Sibyllæ mente loquentem audimus,

Surrectura fuit toto gens aurea mundo;

Hoc est, Christiana. Interpretem ejus significationis sideris laudaremus *Vulcanium aruspicem, qui*, ut docet *Servius* ad Eclog. IX. v. 47. *in concione dixit Cometen esse, qui significaret exitum noni sæculi, & ingressum decimi; sed quòd, invitis Diis, secreta rerum pronunciaret, statim se esse moriturum; &, nondum finitâ oratione, in ipsa concione, concidit.* Hæc adfirmat *Servius* Augustum, in Libro secundo *de memoria vitæ suæ*, complexum esse Verùm timere debent qui talia nimiùm urgent, ne parum credulis ludibrium debeant, & ficulneis telis armati in certamen pro Deo & hominibus susceptum descendere videantur.

Surget sceptrum ex Israële] Hoc est, regnum orietur, Davidia, nempe, primo sensu, altero verò Christi, cui summa potestas in cœlo & terris à Patre collata est. Ejus regni cives se profitentur Christiani. Adeantur Systemata Theologica, *de Christi Munere Regio.* Talia particulatim explicare nostri non est instituti. *Philo* de Vita Mosis Lib. I. quamvis hoc vaticinium cum priore misceat, ita hæc verba interpretatur: ἐξελεύσεταί ποτε ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν, καὶ ἐπικρατήσει πολλῶν ἐθνῶν, καὶ ἐπιβαίνουσα ἡ τοῦδε βασιλεία καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰς ὕψος ἀρθήσεται: *egredietur olim homo ex vobis; & imperitabit multis gentibus, crescénsque ejus regnum in dies ad summum fastigium adtolletur.* De Davide possunt hæc intelligi, sed tenues sunt promissionum eventus, si de regno ejus solo intelligantur, nec multò ampliores, si regnum Salomonis ei addatur; nam profectò Reguli fuerunt, si conferantur cum Persarum Regibus, aut cum Imperatoribus Romanis; neque Imperii Hebræorum splendor durationem Persici & Romani,

te meâ; quod eloquutus fuerit Jehova, id proloquar. 14. Nunc autem paratus sum ad populum meum ire. Veni *tamen* & te docebo quid populus hic populo tuo olim sit facturus. 15. Tum figuratam suam orationem protulit, & dixit: Balahamus, filius Behoris, ait; vir cui obturatus fuerat oculus ait; 16. qui audiit verba Dei, qui callet scientiam altissimi, qui visum omnipotentis intuitus est, qui cecidit, & cui oculi sunt retecti, ait: 17. Eum video, sed non nunc, eum intueor, sed non propè; procedet

redire. Attamen antequàm abiret consilium dedit Balako, quo Israelitarum felicitatem infringere posset. Tum etiam addidit se velle eum docere, quid Moabitis ab Hebræorum populo olim exspectandum esset. 15. 16. Itaque repetitâ præfatione, quâ in superiori vaticinio usus erat, 17. in hunc sensum vaticinatus est: In futurarum ætatum longinquo veluti recessu, video clarissimum

ui, imò ne Ægyptiaci quidem ullo modo æquavit, cùm per duo tantùm Regna memorata res Hebræorum floruerint. Itaque Hebræi ex Captivitate Babylonica reduces, qui prophetias non tam ex verbis, quàm ex amplitudine & potentia promittentis interpretabantur, in plerisque eventus quæsiverunt præteritis insigniores; sed in eo aberrarunt quòd pro Rege verè maximo, hoc est, cœlesti & totius humani generis Sospitatore, Regem Persarum aut Romanorum Monarchis similem, & soli Judaicæ Genti bene volentem, exspectarunt.

Duces Moabitarum] פאתי *pheathe* LXX. Intt. ἀρχηγοὺς, Vulg. *duces*. Onkelos רברבי *principes*. Eumdem sensum expressere alii Chaldæi. Existimarunt פאת idem esse ac פחת *phebhath*, quod *præfectum* sonat. Ac sanè hæ gutturales sæpe permutantur. א est pro ח, 2. Reg. XVII, 21. & plura exempla suppeditabit *Sam. Bochartus*, in Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 7. Alii *extrema Moabi* vertunt, quod est jejunum, nec satis convenit rebus à Davide in Moabitas gestis. Samaritæ legunt פתי *phte*, hoc est, *stultos*. Victoriæ autem quas David, Rex, unius inconspicui Dei, & rerum omnium Creatoris cultor, de Idololatris & Solis cultoribus retulit, adumbrarunt, sed obscurè, victorias verè Deo dignas quas Christus de Gentilibus reportavit; non occisis Idololatris, ut fecerat David, sed ad veri Dei cultum, vitámque hominibus dignam revocatis. Hæc demum conveniens Deo, hoc est, parenti cum liberis pugnanti victoria est, ob quam victoriam gratias debent & agunt victi. Hi Creatoris omnium triumphi, quibus homines non hominibus raro melioribus, sed sibi soli servos facit. At somniant cæci Judæi Deum olim reliquum humanum genus suæ recutitæ genti veluti mactaturum, & instauraturum πτωχὰ illa στοιχεῖα κόσμου, quæ pueros, non viros, decent. Humilia, pro more suo, de Deo sentiunt & loquuntur.

Destruet omnes filios Sethi] וקרקר כל בני שת. LXX. Intt. προνομεύσει, Vulg. *vastabit*. Potiùs *evertet*, aut *destruet*. Vide Esai. XXII, 5. Samaritæ legunt hîc קדקד kadkod *verticem*, non קרקר karkar *destruet*. Fortè etiam hunc locum ita legit olim Jeremias Propheta, qui huc videtur manifestò adludere Cap. XLVIII, 45. ubi calamitates Moabitarum describit: *Ignis exiit Chesbone, & flamma è Sichone* (quæ imitatio sunt eorum quæ legimus suprà Cap. XXI, 28.) *& absumsit principem* (פאת) *Moabi, verticémque* (וקדקד) *filiorum sonitûs* aut *tumultûs*, שאון *schaon*. *Vertex* Moabitarum dicitur Rex ejus Gentis. Sed potuit fieri ut Jeremias mutarit datâ operâ קרקר in קדקד, ut pro *filiis Scheth* diceret *filios schaon*. Difficile est quidquam, hac in re, pronunciare; nec facilius est scire qui sint, in verbis Balahami, *omnes filii Sethi*. Ex consuetudine Hebræorum, quâ κῶλα sunt inter se ὁμώνυμα, *filii Sethi* videntur debere esse Moabitæ. Hinc *Jerosolim. Paraphrastes* בני מדינחא *filios orientis* vertit, Moabitæ enim erant ad ortum Judææ. At *Sethus* Adami fuit filius, à quo Noachus, adeóque totum humanum genus originem duxit, neque hoc nomine distingui ab aliis potuerunt Moabitæ. Itaque *Onkelos* habet *filios hominis* בני אנשא. Interpretes, prout videtur, hanc aut illam sententiam sequuntur. Ad me verò quod adtinet, malim intelligi Moabitas, quamvis ignoremus quare dicantur *filii Sethi*: quemadmodum nescimus, quare ab Jeremia vocentur בני שאון *filii sonitûs*. Apud Arabas, שת aut שתון *schaton* significat *montis verticem*, eúmque fractum. An ex aliquo ejusmodi vertice Moabiticorum montium dicti sunt eorum incolæ? Si pro שת legeremus שם *schem*, ut intelligerentur populi è Semo oriundi, qui in Syria & circa Euphratem habitabant, res esset facilis, constat enim plurimos ex iis populis à Davide victos. Vide 2. Sam. VIII. Verùm conjecturis indulgere, aut in tenebris palpari non juvat; nec pudet, in tantâ Orientalium monumentorum penuria, ignorantiam fateri.

Quis etiam ausit negare spiritum propheticum, quo adflatus erat Balahamus, aliquam ambiguïtatem hîc captasse, adeò ut quod de Moabitis intelligi oportuit, si ad Davidis victorias respexeris, de Christo explicatum aliter intelligendum sit? Certè non unum est exemplum ejusmodi Prophetiæ, in Vetere Testamento. Rabbini qui crediderunt partim de Christo, partim de Davide intelligendum hoc vaticinium, hæc verba ad Messiam solum pertinere censent, quia David numquam omnes Sethi filios debellavit. Scriptor operis, quod dicitur *Sepher Hikkarim* Lib. IV. cap. 42. & *Maimonides* in *Hilch. Melachim* Cap. XI. disertè hoc adfirmant. Eorum verba, si ipsorum librorum copia non sit, vide apud *Josephum de Voisin*, in Prooem. Pug. Fidei p. 68. & in ipso *R. Martino* Part. III. Distinct. 3. Cap. IX.

18. *Erit Idumæa possessio* &c.] Vide implementum vaticinii 2. Sam. VIII, 13. si de Davide intelligatur. Christo ut conveniat, ἀναγωγικῶς, seu spiritualis intelligenda victoria, de qua diximus.

Sebir] Ita dicti montes Idumææ. Vide not. ad Gen. XIV, 6.

cedet stella ex Jacobo, surgétque sceptrum ex Israële; configet duces Moabitarum, & destruet omnes filios Sethi. [18] Erit Idumæa possessio, erit Sehir possessio hostium suorum; sed Israël opes comparabit. [19] Dominabitur *ei* è Jacobo *ortus*, & superstites *ex quaque* urbe perdet. [20] Postea prospexit Hamalekitidem, orationémque suam figuratam protulit & dixit: primitiæ gentium fuere Hamalekitæ, sed postrema eorum tempora ad perniciem *erunt*. [21] Prospexit deinde Kenæum, orationémque suam figuratam protulit, & dixit: munita *esto* habitatio tua, pone nidum tuum in rupe? [22] attamen comburetur Kenæus, cùm Assur captivum te abducet. [23] Protulit & *aliam* orationem figuratam, & dixit: Eheu! quis vivet postquàm eum vastaverit Deus? [24] Naves è regione Chitthæorum venient, opprimrnt Assurem, opprimrnt Heberum, & hic quoque ad perniciem *cædetur*. [24] Deinde surrexit Balahamus, abiítque, & in locum suum reversus est. Balakus quoque, quà sibi eundum erat, ivit.

XXIV. Moa-

mum & potentissimum Regem, ex Jacobi prosapia ortum, qui maximis cladibus non modò Moabitas adficiet, [18] sed & Idumæam subactam præsidiis suis occupabit, [19] veteresque ejus colonos ad internecionem delebit, [20] Tum vultu ad Hamalekitidem converso: antiquissimus, inquit, est Hamalekitarum populus, regnumque ejus à multis sæculis floret; at id quoque olim ab Hebræorum Rege delebitur. [21] Deinde Kenæos Hamalekitarum vicinos prospiciens, in hæc verba erupit: Sedes vestras munitote quantùm libebit, atque in asperrimarum rupium verticibus collocate; Assyrii tamen olim, incensis urbibus vestris, vos captivos abducent. [23] His effusis vaticiniis, adjecit à se ulteriùs in res futuras, post plura sæcula, prospiciente etiam id tempus prævideri, quo ipsi victores Assyrii devastandi erant; &, [24] classis, inquit, è Macedonia exercitum in Asiam vehet, qui eos, qui trans Euphratem sedes habent, domabit, peregrinorúmque imperio subjiciet. [25] His dictis, discessit à Balako Balahamus, ut Mesopotamiam repeteret, & ille quoque domum rediit.

P A-

Opes comparabit] עשה חיל *hosche hhajil*, quod verti etiam potest *fortiter se geret*, nam חיל *fortitudinem* & *opes* significat.

19. *E Jacobo ortus*] מיעקב *missjahakob.* Subaudiendam vocem, quæ *oriundum* sonet, nemo non videt.

Ex quaque urbe] Sic subauditur *quisque* Cap. XXIII, 2. Vide implementum 1. Reg. XI, 15, 16. ubi omnes masculi Idumæorum, qui capi potuerunt, occisi dicuntur à Joabo.

20. *Postea prospexit Hamalekitidem*] *Et vidit Hamalek.* Ad meridiem & ad occasum Moabitidis.

Primitiæ gentium] ראשית גוים, quibus verbis significat Balahamus Hamalekitarum opes ab antiquissimis temporibus floruisse, antequàm vicinæ gentes eas æquassent. Ac sanè gens Hamalekitica erat in locis, quæ obtinebat, ante tempora & Abrahami & Loti, ut liquet ex Genes. XIV, 7. Itaque omnes gentes, quæ à duobus illis Patriarchis oriundæ erant, antiquitatem Hamalekitarum non adtingebant. Vide ad Geneseos locum laudatum. Coacta est interpretatio *Onkelosi*, *principium bellorum Israëlis.*

Postrema eorum tempora] אחריתו *finis ejus*, aut *postrema ejus.* Implevit hoc vaticinium primus Regum Israëlis Saül. Vide 1 Sam. XV.

Ad perniciem] עדי אבד *hade obed*, at Samaritæ עדי יאבד *had jabobod*, donec pereat. Sic etiam vers. 24.

21. *Kenæum*] קיני *keni.* Vide ad Genes. XV, 19. Kenæi etiam dicuntur posteri soceri Mosis, de quibus agemus ad Jud. I, 16. sed hîc antiquiores illi *Kenæi* intelligendi.

Munita esto &c.] איתן *ethan*, quod videtur naturæ munitiones signare, si sequentia adtendamus.

Pone nidum tuum] קנך *kinnecha*, quod facit Paronomasiam, quæ in aliam Linguam transfundi nequit. De sensu hujus phrasis, vide dicta ad *Abdiam*, v. 4.

Comburetur] *Erit ad comburendum.*

Kenæus] קין *Kajin*, quod videtur esse nomen conditoris gentis.

Cùm Assur] עד מה *had mah*, quod plerumque vertunt *quousque.* Intelligitur Salmanassar Assyriorum Rex, qui decem Tribus captivas abduxit, unáque Kenæos, quamvis Historia sacra ejus rei non meminerit. Vide 2. Reg. XVII. Mentio quidem fit Kinæorum 1. Par. II, 55. sed erant è posteris Chalebi, adeóque nihil ad rem nostram faciunt. Legunt hîc Samaritæ, עד מאשור תשבך *donec ex Assyria* (redeat) *incola tuus.* Sic fortè emendarunt.

Abducet] תשבך *thishbecha*, fœminini generis, quòd subaudiatur ארץ *terra*, aut quid simile. Vide Abd. v. 1.

23. *Postquàm eam vastaverit Deus*] משמו אל *misschumo el.* Est quidem שום *ponere*, sed cùm hîc ei significationi locus non sit, existimavi Radicem hanc misceri cum שמם *schamam*, quæ significat *desolari*, *vastari*; ut reverâ solent earum formarum inflexiones misceri. Posses etiam esse Infinitivus *Pihel*, si *Dagesch* adderetur τῷ מ, ut legeremus מִשְּׂמוֹ pro מִשּׂוּמוֹ. Mistura duarum formarum varias anomalias creavit in Radice שום, quas vide apud Lexicographos. Nec objeceris puncti diacritici diversitatem, cùm constet olim ש unâ ratione pronunciatum fuisse; nempe, ut Syriacum *Schin.* Sensus verborum Balahami est aliquando etiam Assyriam vastatum iri, quod quia in futuris sæculis remotissimum erat, ita loquitur, *quis vivet, cùm Deus eum vastarit?*

24. *Naves*] צים *vetsim*, & naves. Samaritæ, in Bibliis Polyglottis, legunt יוציאם *jotsiam*, educet eos. LXX. verò habent ἐξελεύσε-

ται

XXIV. Moabitides & Madianitides puellæ corrumpunt Iſraëlitas, quorum aliquot pœnas luunt. Phinchaſi ira laudabilis. Bellum in Madianitas decretum.

Caput XXV.

1\. COMMORATUS autem eſt Iſraël in Sittimis, cœpitque populus ad Moabitidas ſcortatum ire. 2. Hæ verò vocarunt populum ad ſacra Deorum ſuorum, comeditque populus cum iis, & eorum Deos adoravit. 3. Sic Iſraël ſe ſe adjunxit Bahali Phehoris, & accenſa in Iſraëlem eſt ira Jehovæ, 4. dixitque Jehova Moſi: comprehendito omnes primores populi, eóſque ſuſpendito Jehovæ, coram ſole, ut avertatur ira Jehovæ ab Iſraële. 5. Dixit præterea Moſes judicibus Iſraëlis: occidite quiſque homines veſtros, qui ſe Bahali Phehoris adjunxerunt.

6\. Ec-

PARAPHRASIS.

1\. CUM Iſraëlitæ in Sittimis caſtra haberent, non procul à Moabitarum finibus, 2. Balakus, ex Balahami conſilio, de quo antea obiter diximus, ſubornavit meretrices, quæ Hebræos ad concubitum provocarent, quorum aliquammulti ad eos venditare cœperunt. Tum illæ Sacra facientes, ad convivium vocatos Iſraëlitas amatores ſuos pellexerunt, ut Moabitarum Numina ſecum colerent, 3. Cùm verò jam multi ſe cultoribus Bahalis, in Phehore monte adorati, adgregaſſent, ut ſacra cum iis facerent, Deus id ſcelus impune relicturum ſe negavit. Itaque Moſem juſſit 4. primores ipſos populi, qui Idololatriæ rei erant, comprehenſos in patibula tollere; ne impii cultûs immunes, ſed legem quæ ejuſmodi reos è medio tolli jubet exſequi nolentes, ipſi quoque pœnas darent. 5. Præterea Moſes vocatis ad ſe Judicibus populi in mandatis dedit, ut capitis pœnas omnibus reis, ſinguli inter eos quibus erant præfecti, irrogarent.

6\. Cùm

ταῖς ἐκ χειρῶν, quaſi legiſſent יצא jetſe *exibit*. Utrique malè. Codex alius MS. Samariticus in Bibliotheca Bodlejana habet יוצאים *jotſeim*, *exeuntes*. Quæ lectio ſenſum loci, ut eum expreſſimus, non mutat. De ea multis egit vir Orientalium Linguarum & rerum peritiſſimus *Thom. Hydeus*, de Religione Vett. Perſarum Cap. II.

E regione Chittæorum] *E manu chittim*. יד *partem* vel *latus* ſignificat, ubi de ſitu ſermo eſt. Gallicè optimè vertas, *du côté de Chitthim*, vel, *des Chitthéens*. Vide 2. Paral. XXI, v. 16. Chitthim eſſe *Macedoniam* oſtendimus ad Geneſ. X, 4. contra *Sam. Bocharti* ſententiam, qui *Italiam* interpretatur. Hic locus idem planè demonſtrat, nam Aſſyrii ſunt ab Alexandro ejúſque ſucceſſoribus ſubacti; nec Romani, niſi ſerò, Aſſyriam ingreſſi ſunt, cùm jam Parthi rerum potirentur.

Opprìment Heberum] Aut *Heber*, nomine γενικῷ vocantur, pro more Scripturæ, poſteri Heberi, hoc eſt, Phelegi & Joktanis ſoboles, Hebræi & Arabes, qui paruerunt Alexandro ejúſque ſucceſſoribus; aut *Heber* dicuntur *Tranſeuphratenſes*, qui & בני עבר *bne heber* vocantur Gen. X, 21. Ac poſterior quidem ſenſus magis placet, quòd Balahamus vaticinetur Aſſyriorum clades, in ſuperioribus verbis; quibus nullos aptiùs potuit conjungere, quàm reliquos populos qui trans Euphratem in vicinia degebant; quos omnes Alexander ejúſque ſucceſſores ſubegerunt, ut ex eorum hiſtoriis notiſſimum eſt.

24\. *Abiitque*] Sine præmio.

Quà ſibi eundum erat] לדרכו darcho, *viam ſuam*.

COMMENTARIUS

In Caput XXV.

1\. IN *Sittimis*] Is locus vocatur *Abel ſittim* infrà Cap. XXXIII, 48, 49.

Moabitidas] *Filias Moabi*; adde & *Madianis*, quod ſequentia oſtendunt. Hoc erat factum ex conſilio Balahami, qui cùm noſſet felicitatem populi Hebræi totam pendere ab obſervatione Legum divinarum, eam aliter infringi non poſſe intelligebat, quàm ſi Hebræi à Legum illarum obſervatione, aliquo aſtu, avocarentur; quod fieri poterat meretricum operâ, quæ copiâ ſui factâ & blanditiis Hebræos ad peregrina Sacra pellicerent. Hoc autem fuiſſe conſilium Balahami liquet ex Cap. XXXI, 15, 16. Si ex Canonibus Græcorum hiſtoriam populi Hebræi narraſſet Moſes, hoc particulatim & ſuo loco dixiſſet, ſed leges divinas, potiùs quàm Majorum hiſtoriam, ad poſteros tranſmittere in animo habebat.

2\. *Ad ſacra*] לזבחי *ad ſacrificia*, ut convivio, nempe, adeſſent, quod poſt Sacra celebrabatur. Vide not. ad Cap. XXII, 40.

Comedit populus] Hoc ipſum vetuerat Deus Exod. XXXIV, 14, 15.

3\. *Se adjunxit*] יצמד jittſamed, quod LXX. ἐτελέσθη, Vulg. *initiavit* vertunt. Satis eſt intelligere ſacrorum participem factum.

Bahali Phehoris] Hoc eſt, qui in monte *Phehor* colebatur, aut cui mons ille erat ſacer. Vide not. ad Cap. XXIII, 28. & de Diis in montibus cultis inter vicinos Syros, notata ad Gen. XXVIII, 18, 19. quibus adde quæ collegit *Joan. Seldenus* de Diis Syris Synt. I. Cap. V. Pleraque omnia, cùm incertiſſima ſint, digna non ſunt quæ nos morentur. Vide & *Ger. Joan. Voſſium* de Idol. Gent. Lib. II. c. 7.

4\. *Primores populi*] *Capita populi*. Intelligun-

6. Ecce autem vir ex Israëlitis venit, & adduxit ad fratres suos Madianitidem, in oculis Mosis & totius Israëlitarum cœtûs, qui flebant ad ostium tentorii conventûs. 7. Quod cùm vidisset Phinchasus filius Elehazaris, filii Aharonis sacerdotis, è medio cœtu surrexit, in manum hastam cepit, 8. sequutúsque est Israëlitam in thalamum, & ambos transfixit, virum Israëlitam, eámque mulierem, in ejus thalamo. Tum plaga, ne in Israëlitas *sævire pergeret*, cohibita est; 9. plagâ autem illâ, viginti quatuor hominum millia interierunt.

10. Postea alloquutus est Mosem Jehova, his verbis: 11. Phinchasus filius Elehazaris, Aharonis sacerdotis filii, averruncavit iram meam ab Israëlitis, eo quòd zelotypiâ pro me inter eos actus fuit, neque in zelotypia mea Israëlitas consumsi. 12. Propterea

6. Cùm hæc Dei mandata promulgarentur, & totus populus, ad anteriorem partem Tentorii Conventûs concursu facto, lacrimis à Deo veniam peteret; ecce verò Israëlita mulierem Madianitidem, omnibus spectantibus, in Tentorium suum ducit. 7. Quod cùm animadvertisset Phinchasus, Elehazaris Pontificis Maximi filius, illico surrexit, arreptaque hastâ, 8. virum & mulierem in Tentorium sequutus, ambos in scortatione deprehensos, transverberavit. Interea Deus ipse cœperat, cunctantibus Hebræorum Judicibus, pœnas de idololatris subitâ morte sumere; sed Phinchasi egregio facinore placatus, plures è medio non sustulit. 9. At viginti quatuor hominum millia jam exstincta fuerant.

10. Tum, audiente Mose 11. Phinchasum collaudavit Deus, & professus est piâ ejus, pro legibus suis, irâ factum esse ut de pluribus supplicium capere

guntur qui peccarunt, aut cum peccantibus consenserunt; nam primores dissentientes, aut rei ignari plecti sine injustitia non potuissent. Hinc *Onkelos: ducito principes populi, judica, & occide eum qui reus erit mortis.*

Jehovæ] Ut pœnas dent Jehovæ, quem spreverunt. Vide 2. Sam. XXI, 6,9.

Coram sole] Omnibus spectantibus. Non licebat quemquam in patibulo noctu relinquere. Vide Deut. XXI, 22, 23.

5. *Occidit quisque* &c.] Videntur Judices cunctati esse, in exsequendo hoc Dei imperio, quandoquidem Deus ipse pœnas sumere de Idololatris cœpit. Vide ad vers. 8.

Homines vestros] Quibus estis præfecti. Vide Exod. XVIII.

6. *Qui flebant*] Ut veniam peccati obtinerent, revocaretúrque edictum à Mose promulgatum.

7. *E medio cœtu surrexit*] Eos qui flebant ad ostium Tentorii reliquit. In manifesto scelere, & coram omnibus, *elatâ* fortè *manu*, admisso, cùm de Lege dubitari non posset, non exspectavit Phinchasus Magistratuum imperium. Præterea observandum in deserto Mosem Hebræis extraordinariâ potestate præfuisse, nec Rempublicam prorsus constitutam, ut postea, fuisse, quod ipse Moses significat Deut. XII, 8. Hinc ergo consectarium nullum duci potest ad privatos, qui Republicâ constitutâ, Magistratuum munus invadere vellent.

Si magnus numerus hominum Phinchaso similium inter Hebræos fuissent, multò observantiores Legum facti ceteri essent; cùm enim longè plurimi haud aliter dolent, ob perfractas Leges, quàm ob privatim acceptas injurias, pauci sunt Legum immemores. Quod illustrabimus præstantissimorum Legislatorum & Philosophorum suffragiis. Σόλων ἐρωτηθεὶς πῶς ἂν μὴ γίγνοιτο ἀδίκημα ἐν τῇ πόλει; εἶπεν, εἰ ὁμοίως ἀγανακτοῖεν οἱ μὴ ἀδικούμενοι τοῖς ἀδικουμένοις: *Solon interrogatus quomodo fieri posset ut nihil injusti in urbe fieret; si tam indignarentur illi, inquit, quibus non est facta injuria ac ii quibus facta est.* Ita *Joan. Stobæus* Serm. XLI. quibus similia habent *Plutarchus* & *Diogenes Laërtius* in Solone. Hoc ipsum inter Pythagoræ præcepta fuit, νόμῳ βοηθεῖν, ἀδικίᾳ πολεμεῖν, *legem adjuvare, injustitiæ bellum inferre*, ut docet *Laërtius* Lib. VIII. §. 23. *Heraclitus* Ephesius similiter, ut idem docet Lib. IX. §. 2. hanc sententiam protulerat: Μάχεσθαι χρὴ τὸν δῆμον ὑπὲρ τοῦ νόμου, ὅκως ὑπὲρ τείχεος: *pugnare oportet populum pro lege, non secus ac pro muro.* Contrà, apud Hebræos, multitudo aut dignitas eorum, qui deliquerant, videtur impediisse quo minùs Magistratus auderent jubere eos ad supplicium duci, ut de omnibus pœnas sumerent. Itaque, nisi Phinchasus succurrisset Legibus, aut spretæ fuissent, aut totus populus Hebræus gravissimas pœnas Deo dedisset. *Philo* Lib. I. de Vita Mosis, & *Josephus* Ant. Jud. Lib. IV. c. 6. volunt alios juvenes Idololatriæ immunes arma cepisse in reos, exemplo Phinchasi; & *Philo* quidem ab iis solis viginti quatuor millia Idololatrarum occisa vult, *Josephus* verò cædi addit λοιμὸν *pestem.* Moses unum Zimrin memorat ferro occisum, & plaga, de qua postea sermo est, divinitus inflicta videtur.

8. *In thalamum*] הקבה *hakkubbah.* LXX. Intt. εἰς τὴν κάμινον, Vulg. *in lupanar*, *Aquila* εἰς τὸ τέγος, *Symmachus* εἰς τὸ πορνεῖον, vel, ut alii legunt, πορνεῖον. Quomodocumque vocem Intt. intellexerint, res ipsa ostendit fuisse locum in Tentorio Zimris secretiorem, in quem mulierem, quam ducere volebat, intromittebat. Apud Arabas & Chaldæos קבב significat *fornicem*, aut *concameratum opus struere.* Apud Arabas אלקבה alkobaton *est thalamus*, seu concameratus locus, pelle aut corio tectus, unde Hispani fecerunt suum *Alcoba*, & Galli *Alcove*. Locus est, in quo lectus collocari solet. Nec aliud videtur hic intelligi, cùm intemperans juvenis mulierem in Tentorium duceret, ut cum ea concumberet. Itaque *thalamum* vertimus, cùm nulla commodior vox occurreret.

In ejus thalamo] אל קבתה *el kobathah.* Quamvis paullò aliter hæc vox punctata sit, eadem est ac *kubba*, quæ antecessit, & אל est pro ב. Significare videtur Moses hosce amantes fuisse occisos, in thalamo nuptiali, cum unà jam essent.

pterea dic *illi*: contraho cum eo fœdus meum pacis. 13. Erit ei, ejúsque posteris fœdus sacerdotii perpetuum, eo quòd pro Deo suo zelotypiâ actus est, atque Israëlitas expiavit.

14. Nomen autem viro, qui occisus fuerat cum Madianitide, erat Zimri, *qui* filius Salui, tribûs Simehonis principis. 15. Nomen verò mulieri Madianitidi occisæ erat Chozbi, filiæ Tsuris, is erat caput tribûs inter Madianitas. 16. Alloquutus præterea est Jehova Mosem, his verbis: 17. hostiliter invade Madianitas, eósque cædes. 18. Nam hostiliter vobiscum se gerunt fraudibus suis, quibus vos deceperunt, ob Phehorem, & ob Cozbin, filiam principis Madianitæ, ipsorum sororem, occisam die plagæ ob Phehorem *vobis illatæ*.

XXV. Ter-

pere noluisset. 12. Jussit etiam Mosem Phinchaso dicere, se faventem illi futurum, 13. eique, & ejus proli in perpetuum Sacerdotium collaturum, quod legum divinarum amore flagrans, iram Numinis, animoso facinore, averruncasset.

14. Viro autem à Phinchaso occiso nomen fuit Zimri, filiúsque erat Salui, Tribûs Simehoniticæ principis. 15. Mulier verò Chuzbis vocabatur, eratque Tsuris Madianiticæ Tribûs principis filia. 16. Postea jussit Deus Mosem 17. bellum Madianitis inferre, victoréſque futuros Israelitas promisit; 18. quòd misissent Madianitæ Chozbin, nobili loco natam, cum Moabitidis, aliisque mulieribus, ut Israëlitas ad scurtationem, Idololatriámque pellicerent, Deique, hac fraude, in populum Hebræum iram concitarent.

P A-

essent. At LXX. Intt. verterunt διὰ τ̃ μήτρας Vulg. *in locis genitalibus*. Verum quidem est קבה *keba* ventriculum significare, sed μήτρα & *ventriculus* non sunt idem. Itaque multò præstat *Alcobam* intelligere.

Tum plaga ne in Israëlitas &c.] ותעצר המגפה *cohibita est plaga à filiis* (מעל) *Israël*. Intelligitur, nimirum, plaga divinitus immissa, ut sequentia manifestò ostendunt. Vide suprà Cap. XI, 33. XVI, 48.

11. *Averruncavit iram meam*] השיב heschib *redire fecit*. Deus, nimirum, ob animosum ejus & pium facinus, ceteris pepercit. Quemadmodum enim Deus, unius ob noxam, populum consentientem, aut sceleri, prout par erat, non adversantem sæpe puniit: ita & unius ob virtutem, se egregio facinore prodentem, ceteris ignovit.

Zelotypia pro me actus fuit] בקנאו את קנאתי *in laborando zelotypia mea*; quia ostendit se non magis sustinere posse populum Hebræum alienigenis, contra Leges, copulari; quàm vir pati potest uxorem suam se se aliis prostituere. Deus ipse *zelotypus* dicitur, eo sensu, secundo Decalogi mandato. Hinc postea fervor pius, quo Dei timentes ostendebant se ægrè ferre quòd Leges violarentur, dictus est *zelus Dei*, hoc est, pro divinis Legibus. Sed eo nomine, præsertim postremis Reipublicæ Hebraïcæ temporibus, turpissimos adfectus velarunt Judæi; ut facilè ostenderemus, si ad illustrandum Mosem hoc faceret.

12. *Contraho cum eo fœdus pacis*] *Ecce ego do ei fœdus meum pacis. Pax*, ut diximus non semel (Vide ad Gen. XXXVII, 14. & Num. VI, 26.) res omnes secundas complectitur; *fœdus* verò, seu ברית, apud Hebræos, qui carent voce propria ad hoc significandum, sonat sæpe *promissum*, ut ostendimus ad Gen. IX, 9. Itaque hoc vult Deus, se Phinchaso & ejus posteris res secundas polliceri.

13. *Fœdus Sacerdotii*] Hoc est, promissio de Sacerdotio inter ejus posteros perpetuùm futuro. Fuit quidem aliquamdiu, in familia Ithamaris, dignitas Pontificis Maximi; sed ut cœperat esse in Phinchaso, ita post aliquot ætates ad ejus familiam rediit, atque in ea hæsit, donec ipsi Levitico Sacerdotio finis impositus sit. Vide *Lud. Capellum*, sub finem Chronol. Sacræ.

Israëlitas expiavit] יכפר *jechappher*; hoc est, id fecit, quo iis placatus est Deus. Vide sup. not. ad Cap. VIII, 19. *Philo* ait supplicio reorum συναιρεθῆναι τὸ κοινὸν μίασμα, ὃ πᾶσαν τὴν στρατιὰν ἐμήλυνε: *sublatam publicam pollutionem, quæ universum exercitum contaminaverat*. Sed hoc potiùs expressisset Moses verbo חטא *hhitte*, quàm כפר *chippher*, illud enim *purificare*, hoc *expiare* sonat.

14. *Qui occisus fuerat*] *Percussus, qui percussus fuerat*. Nomine hic, addito & patre, adpellatur, ut liqueat hac in re peccasse, non modò homines è vulgo, sed principium etiam filios, quod pessimi erat exempli. Hoc quoque ostendit Phinchasi zelum non exiguum fuisse, qui non hominem è plebe, sed ex primoribus interficere non dubitarit, violatæ divinæ Legis reum. Si *Zimris*, aut *Zamarias*, ut à *Josepho* vocatur, in defensionem sui, habuisset orationem, qualem ei tribuit *Josephus* Lib. IV. c. 6. esset insigne exemplum peccantis *elatâ manu*, & Deum *contumeliâ adficientis*. Sed hæc, aliáque ornamenta, quæ cùm *Josephus*, tum *Philo* addunt Historiæ Sacræ, inania sunt.

15. *Filia Tsuris*] Viri domi nobilis filia hominem inter Hebræos nobilem corruperat, unde intelligere est Moabitas & Madianitas non perfunctoriè paruisse Balahami consilio, cùm viri principes filias suas propterea prostituerint. Fortè sperabant iis connubiis non modo iram Dei in eos qui alienigenas ducturi essent concitare, sed & aliquam partem Hebræorum ad se pertrahere.

Caput Tribus] ראש אמות בית אב *caput familiarum domûs patris*. Idem vers. 18. vocatur נשיא מדין *princeps Madianita*, & Cap. XXXI, 8. numeratur inter מלכי מדין *reges Madianitas*.

17. *Hostiliter invade*] צרור *tsaror*, quod idem hîc sonat ac צור *tsour*, unde צר tsar, *hostis*. Oportet Madianitas potissimùm, hoc in nego-

 tio,

XXV. Tertius Israëlitarum census, post mortem omnium eorum quorum nomina priore censu descripta fuerant, exceptis Josua & Chalebo, ac pauculis aliis.

CAPUT XXVI. 1. POST eam plagam, dixit Jehova Mosi & Elehazari sacerdoti, Aharonis filio: 2. Summam subducite totius cœtûs Israëlitarum, à viginti annos nato & suprà, pro domibus patrum eorum, omnium in agmen, in Israële, prodeuntium. 3. Tum eos alloquuti sunt Moses & Eleahazar sacerdos, in Moabiticis campis, ad Jordanem *è regione* Jerichuntis, his verbis: 4. *Census agatur populi* à viginti annos nato & suprà, quemadmodum jusserat Jehova Mosem & Israëlitas, cùm ex Ægypto egrederentur.

5. Ruben primogenitus *fuit* Israëlis, & filii quidem Rubenis Chanochus, *unde* familia Chanochitarum *oriunda est; ut* ex Phalluo, familia Phalluitarum; 6. ex Chetsrone, familia Chetsronitarum; ex Charmi, familia Charmitarum. 7. Hæ sunt Rubenitarum familiæ, fuerúntque eorum censi quadraginta millia *virorum*, septingenti, triginta. 8. Filii Phallui fuere Eliabus; 9. Eliabi verò filii Nemuel, Dathan & Abiram. Is Dathan, *isque* Abiramus è cœtu vocabantur *ad tentorium*, & contenderunt cum Mose & Aharone, in cœtu Korachi, cùm contra Jehovam contendit.

PARAPHRASIS.

1. POSTQUAM Hebræi Idololatriæ pœnas dederant, jussit Deus Mosem & Elehazarem censum totius populi agere, 2. atque in tabulas publicas teferre nomina & numerum omnium masculorum ingenuorum, qui vigesimum ætatis annum superassent, & arma tractare possent. 3. 4. Itaque Moses & Elehazar jusserunt censum populi fieri, quemadmodum antea bis factus fuerat, ex quo Ægypto egressi erant; ut, pro capitum numero, Chananæa & Peræa in prædia dividerentur.

5. 6. 7. Censu habito, ex Rubenitarum familiis à principibus earum adpellatis, Chanochitarum, nempe, Phalluitarum, Chetsronitarum & Charmitarum censi sunt viri 40730. 8. Ex Eliabi Phallui filio. 9. nati quidem erant Nemuel, Dathan & Abi-

tio, peccasse; quandoquidem in Moabitas non decernitur bellum.

18. *Ob Pheborem*] על דבר *bal dbar* quod nec malè verteris *quod adtinet ad*, ut 2. Sam. XVIII, 5. *C. Noldius* vertit *per*, quod non puto per Hebraïsmum licere. Nec est tantùm quærendum qua particula nos, si rem narraremus, uteremur, sed adtendenda vis propria & frequens particularum.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXVI.

2. SUmmam subducite] שאו את ראש *tollite caput*. Vide not. ad Cap. I, 2. ad quod Caput plerasque loquutiones quæ hîc occurrunt interpretati sumus. Itaque jam dicta non repetemus.

Pro domibus patrum] *Pro domo patrum*; hoc est, Tribu. Vide Cap. I, 2.

2. *In Moabiticis*] Vide not. ad Cap. XXII, vers. 1.

E regione Jerichuntis] Vide ad Cap. XXII, v. 1.

2. *Census agatur*] Hoc, aut simile quid necessariò supplendum est, ex superioribus. Ejusmodi omissionis exempla vide Cap. IX, 20. XIII, 31. & alibi. Ut Census ageretur, oportuit convenire ad Mosem & Elehazarem Principes Tribuum, ut vidimus Cap. I. Hic autem Census eo animo factus est, ut familiis agri in subigenda mox Chananæa dividerentur, quod liquet ex sequentibus.

Quemadmodum jusserat] Vide Cap. I.

5. *Ex Phalluo*] לפלוא *lphallua*, genitivi aut dativi casûs. Sed Latinè res aliter efferri non poterat, nisi in re clara offunderentur Lectori tenebræ. In singulari etiam extulit Moses nomina familiarum, *Chanochita*, *Phalluita* &c. quod Latinè loquenti non licuit.

7. *Quadraginta millia virorum septingenti triginta*]. Censi fuerant in priore censu 46500. Pauciores erant trigesimo octavo anno pòst, cùm quòd in solitudinibus Arabicis multi variis casibus perirent, tum etiam quòd peccato nonnullorum Tribûs suæ principum consensissent. Vide Cap. XVI.

9. *E cœtu vocabantur*] Vide ad Cap. XVI, v. 2.

Contenderunt] הצו *hittsou*. Samaritæ, quod sapit glossema, הועדו *hoadu* congregati sunt. LXX. ἐπισυστάντες. Postea etiam בהועדתם & LXX. ἐν τῇ ἐπισυστάσει.

10. *Fuere in signum*] לנס *lnes*, quod propriè est signum ad quod populi concurrunt. Vide ad Cap. XXI, 8. Verùm *signum* hic est documentum, quo admoneantur ceteri ne peccent, אות *oth*, Cap. XVI, 38. Hoc ipsum vocatur זכרון *monumentum* Cap. XVI, 40.

11. *At filii ejus*] Mirum est hanc circumstantiam ipsi historiæ conjunctam non fuisse. Vide ad Cap. XVI, 31.

12. *Fuere Nemuël*] Quæ antecedunt, *filii Simeonis*, *pro familiis suis*, sunt veluti inscriptio

dit. 10. Terra autem aperuit os suum, eósque deglutiit, cum Koracho, cùm mortuus est is cœtus, ignisque ambussit ducentos quinquaginta viros, *qui* fuere in signum. 11. At filii Korachi cum eo non sunt mortui.

12. Filii Simehonis, pro familiis suis, *fuere* Nemuel, ex quo Nemuëlitarum familia; *ut* ex Jamine, familia Jaminitarum; ex Jachine, familia Jachinitarum; 13. ex Zeracho, familia Zerachitarum; ex Saüle, familia Saülitarum; 14. Hæ familiæ sunt Simehonitarum, *ex quibus censi fuerunt* viginti duo millia *virorum*, ducenti.

15. Filii Gadis, pro familiis suis, *fuere* Tsephon, ex quo familia Tsephonitarum, *ut* ex Chaggi, familia Chaggitarum; ex Suni, familia Sunitarum; 16. ex Ozni, familia Oznitarum; ex Heri, familia Heritarum; 17. ex Harodo, familia Haroditarum; ex Areli, familia Arelitarum. 18. Hæ sunt familiæ filiorum Gadis, & censi eorum quadraginta millia *virorum*, quingenti.

19. Filii Judæ *fuerunt* Her & Onan, sed mortui sunt in terra Chananæa. 20. Fuere ergo filii Judæ, pro familiis suis, Sela, *unde* familiæ Selanitarum; *ut* ex Pheretso, familia Phartsitarum; ex Zeracho, familia Zarchitarum. 21. Pheretsi filii fuerunt Chetsron, ex quo familia Chetsronitarum; & Chamul, ex quo familia Chamulitarum. 22. Hæ sunt familiæ Judæ, & earum censi septuaginta sex millia *virorum*, quingenti.

23. Fi-

Abiramus, quorum duo posteriores, unà cum Koracho, coïtiones in Mosem fecerant, 10. fuerántque cum eo chasmate absorpti; quo tempore etiam igne divinitus emisso, ambusti sunt ducenti quinquaginti viri iis faventes, ut antea diximus; 11. at neque Nemuel, neque Korachi filii unà cum illis perierant, adeò ut propterea Phalluitarum familia exstincta non sit.

12. 13. 14. Ex Simehone quinque familiæ ortæ, Nemuëlitarum, Jaminitarum, Jachinitarum, Zerachitarum & Saülitarum habuerunt censos 22200.

15. *ad* 18. Ex Gade septem familiæ ortæ, Tsephonitarum, Chaggitarum, Sunitarum, Oznitarum, Heritarum, Aroditarum, & Arelitarum, censos habuerunt 40500.

19. Filii quidem Judæ Her & Onan, in Chananæa sine liberis interierant, 20. 21. 22. sed ex tribus filiis Sela, Pheretso & Zeracho, duobúsque nepotibus, Pheretsi filiis, quinque ortæ erant familiæ, Selanitarum, Phartsitarum, Zarchitarum, Chetsronitarum & Chamulitarum, ex quibus sunt censi 76500. viri.

23. 24. 25. Is-

scriptio versuum 12, 13, 14. post quam sequitur לנמואל *Nemuëli*; sed obscurum, ut diximus, hoc Latinè fuisset. Eadem ad sequentia observanda. Qui Nemuel hîc dicitur, Gen. XLVI, 10. Exod. VI, 15. 1. Par. IV, 24. vocatur *Jemuel*.

13. *Ex Zeracho*] זרח *zerabh*, ut scribitur etiam 1. Par. IV, 24. at Gen. XLVI, 10. Exod. VI, 15. vocatur idem צחר *tsobhar*.

14. *Viginti duo millia ducenti*] Priore censu fuerant 59300. Multi fortè perierant plagâ, de qua Moses superiore Capite, quòd Zimrin tribulem suum imitati essent.

15. *Tsephon*] צפון *tsephon*. Gen. XLVI, 16. vocatur צפיון *tsiphjon*.

16. *Ozni*] אזני *ozni*. Gen. XLVI, 16, vocatur אצבון *etsbon*.

17. *Arodo*] ארוד *arod*. Gen. XLVI, 16. dicitur ארודי *arodi*.

18. *Quadraginta millia quingenti*] Fuerant priore censu 45650. Hæ tres Tribus, quæ ad eamdem cœli plagam castra habebant, multùm imminutæ fuerant.

19. *Mortui sunt*] *Mortuus est Her & Onan*

22. *Septuaginta sex millia quingenti*] Aucta hæc Tribus fuerat, nam in priore censu, numerati fuerant dumtaxat 74600. At id augmentum pænè nullum est, præ eo quod in Ægypto factum fuerat in Hebræo populo, ob rationes memoratas.

23. *Phuva*] פוה 1. Paral. VII, 1. Scribitur פואה *phonah*.

24. *Sexaginta quatuor millia trecenti*] Fuerant ante numerati 5440. Itaque summopere erant aucti, si cum aliis conferantur.

Jasubo] ישוב *jaschoub* dicitur יוב *job* Genes. XLVI, 13.

Sexaginta millia quingenti] Hi quoque erant aucti, numerati enim priore Censu fuerant dumtaxat 57400.

33. *At Tselophchado non fuere filii*] Mirum est in tot familiarum principibus, unum hunc hominem filiis destitutum fuisse; nec, si ita rem capiamus, potest hoc tribui alii causæ, nisi peculiari providentiæ, quâ multò plures masculi quàm fœminæ nascerentur, ad augendum populum Hebræum; quemadmodum videmus in Jacobi familia factum, ubi, pro una filia, fuere duodecim filii. Sed credibilius est multas quidem fuisse familias, in quibus sequioris tantùm sexûs heredes fuerint; verùm unam tantùm insigniorem à Mose memoratam, quasi exemplum, ex quo de similibus omnibus casibus jus dici, apud Hebræos, oporteret. Habemus enim hîc dumtaxat Epitomen Historiæ, eámque brevissimam.

34. *Quinquaginta duo millia septingenti.*] Fuerunt antea censi 32200.

37. *Triginta duo millia virorum, quingenti*] At fuerant, anno secundo ab exitu, censi 40500, itaque minuti in deserto.

Achiram] אחירם *qui vocatur* Gen. XLVI, 21. אחי *ebbi*.

39. *Suphamitarum*] השופמי *hasschouphami*.

 Ex

23. Filii Issascharis, pro familiis suis, *fuerunt* Tholah, *unde* familia Tholahitarum; *ut* ex Phuva, familia Phunitarum; 24. ex Jasubo, familia Jasubitarum, ex Simrone, familia Simronitarum. 25. Hæ sunt familiæ Issascharis, earúmque censi sexaginta quatuor millia *virorum*, trecenti.

26. Filii Zabulonis, pro familiis suis, fuerunt Seredus, ex quo familia Sarditarum; Elon, ex quo familia Elonitarum; Jachleel, ex quo familia Jachleelitarum. 27. Hæ sunt familiæ Zabulonitarum, quorum censi fuerunt sexaginta millia *virorum*, quingenti.

28. Josephi filii *fuerunt*, pro familiis suis, Manasse & Ephraïm. Filii Manassæ fuerunt Machir, unde familia Machiritarum. 29. Machir autem genuit Galahadum; atque ex Galahado, familia Galahaditarum. 30. Hi autem *fuere* filii Galahadi, Ihezer, unde familia Ihezritarum; Chelekus, unde familia Chelkitarum; 31. Afriel, unde familia Afrielitarum; Sechemus, unde familia Sichmitarum; 32. Smidah, ex quo familia Smidahitarum; Chepher, ex quo familia Chephritarum. 33. At Tselophchado Chepheri filio, non fuere filii, sed tantùm filiæ, & hæc filiarum Tselophchadi nomina, Machla, Noha, Chogla, Milcha & Thirtsa. 34. Hæ *sunt* familiæ Manassæ, quarum censi fuere quinquaginta duo millia *virorum*, septingenti.

35. Hi verò filii fuere Ephraïmi, pro familiis suis, Suthelachus, ex quo familia Suthalchitarum; *ut* ex Bechero, familia Bachritarum; Thachan, ex quo familia Thachanitarum. 36. Hi Sutelachi filii, Heran ex ex quo familia Heranitarum. 37. Hæ familiæ Ephraïmitarum, quarum censi triginta duo millia *virorum*, quingenti. Hi filii Josephi, pro familiis suis.

38. Filii Benjaminis, pro familiis suis, *fuerunt* Belah, ex quo familia Balhitarum, *ut* ex Asbele, Asbelitarum familia; ex Achiramo, familia Achiramitarum; 39. ex Sephuphamo, familia Suphamitatum; ex Chuphamo, familia Chuphamitarum. 40. Fuerunt filii Belæ Ardus, & Nahaman; *& ex Ardo quidem fuit* familia

23.24.25. Issascharitarum quatuor familiæ, Tholahitæ, Phunitæ, Jasubitæ, & Simronitæ, censos habuerunt 64300.

26.27. Zabulonitarum tres familiæ, Sarditæ, Elonitæ, Jachleelitæ censos habuerunt 60500.

28. Josephus filios duos habuerat, Manassen, & Ephraimum, unde duæ ortæ sunt Tribus. Manassæ verò filius fuit Machir, 29. à quo Galahadus genitus, qui Galahaditarum origo est. 30. Ex hujus filiis ortæ sunt familiæ Ihezritarum, Chelkitarum, 31. Afrielitarum, Sichmitarum. 32. Smidahitarum & Chephritarum. 33. Chepheri autem filio Tselophchado fuere dumtaxat quinque liberi sesquioris sexûs, Machla, Noha, Chogla, Milcha, & Thirtsa. 34. Manassitæ autem in universum censi sunt 52700.

35. Ex filiis Ephraïmi prognatæ sunt tres familiæ Suthalchitarum, Bachritarum, & Tachanitarum. 36. Præterea à Suthelachi filio Herane, orta est Heranitarum familia. 37. Hæ & reliquæ Ephraimiticæ familiæ hahuerunt censos 32500.

38. Ex filiis Benjaminis nomen & originem traxere quinque familiæ, Balhitarum, Asbelitarum, Achiramitarum, 39. Suphamitarum, & Chuphamitarum. 40. Præterea Belæ filii Ardus & Nahaman duabus familiis nomina fecere, Arditis & Na-

Ex שפופם *schphouphan* formatur שפופמי *schphouphami*. At Samaritæ legunt שופם *schouphan*. LXX. Intt. Σωφὰν pro Σωφὰμ. Idem Gen. XLVI, 21. vocatur *Mupphim* מפים, at 1. Par. VII, 12. *Supphim* ספים *supphim*. Qui hîc vocatur *Chupham*, dicitur Gen. XLVI, 21. חפים *hhupphim*.

40. *Ex Ardo quidem fuit*] Supplendum לארד *leard*, pro hujus Capitis eloquutione. Sic LXX. τῷ Ἀδὰρ. Samaritæ delent *fuerunt filii Belæ Ardus & Naaman*, & horum loco ponunt לארד *leard*; at LXX. Intt. lectionem nostram sequuti sunt. Itaque Samaritæ Critici videtur hæc esse emendatio, qui non vidit quomodo memoratâ *Balhitarum* familiâ, quâ filii Belæ continebantur, iterum dicantur ex Bela ortæ duæ familiæ. Sed nihil obstat quo minùs familia una major in duas minores iterum dividatur; cùm Tribus Josephi in duas distributa fuerit. Vide & vers. 45.

Quadraginta quinque millia, sexcenti] Antea fuerant censi 35400.

42. *Hæ sunt familiæ Danis*] Unicum habuit filium Dan, qui Genes. Cap. XLVI, 23. vocatur חשים *chusch im*, non שוחם *schouhham*, ut hîc. *Familiæ* autem numero plurali dicuntur ejus posteri, ut idem ille Danis filius dicitur *filii*, hîc & loco laudato Geneseos, ubi vide notata.

43. *Sexaginta quatuor millia, quadringenti*] Antea fuerant numerati 62700.

47. *Quinquaginta tria millia*] Fuerant antea 41500.

50. *Nephthalis*] Additur, *pro familiis suis*.

Quadraginta quinque millia quadringenti] Antea censi fuerant 53400.

51. *Sexcenta millia virorum, mille, septingenti, triginta*] Antea fuerant 603550, itaque minutus fuerat populus capitibus 1820, nedum ut in deserto auctus fuerit. Nempe, ut diximus, præterquàm quòd multis plagis divinitus immissis multi perierunt; alii innumeri casus, qui errantibus per invias solitudines acciderunt, plurimos absumere potuerunt.

53. *Pro*

lia Arditarum; ex Nahamane verò, familia Nahamanitarum. 41. Hi filii Benjaminis, pro familiis suis; eorum verò censi quadraginta quinque millia *virorum*, sexcenti.

42. Hi filii Danis, pro familiis suis, Suchamus, ex quo familia Suchamitarum; hæ *sunt* familiæ Danis. 43. Omnium familiarum Suchamitarum censi fuerunt sexaginta quatuor millia *virorum*, quadringenti.

44. Filii Aseri pro familiis suis, Jimna, unde familia Jimnahitarum, *ut* ex Jisui, familia Jisuitarum; ex Briha, famili Brihitarum. 45. Ex filiis Brihæ, Chebero, familia Chebritarum; ex Malchiele, familia Malchielitarum. 46. Nomen verò Aseri filiæ Serachæ fuit. 47. Hæ sunt familiæ filiorum Aseri, quorum censi *fuerunt* quinquaginta tria millia *virorum*, quadringenti.

48. Filii Nephthalis, pro familiis suis, *fuere* Jachtseel, ex quo familia Jachtseelitarum; *ut* ex Guni, familia Gunitarum; 49. ex Jetsero, familia Jitsritarum; ex Sillemo, familia Sillemitarum. 50. Hæ familiæ *sunt* Nephthalis, & earum censi quadraginta quinque millia *virorum*, quadringenti.

51. Censi ergo sunt ex Israëlitis sexcenta millia *virorum*, mille, septingenti, triginta; 52. atque *hoc censu peracto*, alloquutus est Jehova Mosem, his verbis: 53. hisce dividetur terra in prædia, pro numero nominum. 54. Numeroso majorem dabis possessionem, tenuiori minorem; unusquisque, pro censu suo, possessione donabitur. 55. Sed sorte tamen dividetur terra; pro tribuum paternarum nominibus, possessionem accipient. 56. Pro sorte dividetur possessio, inter numerosum & tenuem.

57. Hi verò *sunt* censi Levitarum, pro familiis suis; ex Gersone familia Gersonitarum; ex Kehatho, familia Kehathitarum; ex Merari, familia Meraritarum. 58. Hæ quoque *minores* familiæ Levitarum, familia Libnitarum, familia Chebronitarum, familia Machlitarum, familia Musitarum, familia Korchitarum. Kehathus autem

Nahamanitis. 41. Benjaminitæ verò in universum censi sunt 45600.

42. 43. Ex Dane, ejúsque filio Suchamo, orti Suchamitæ, ex quibus censi sunt 64400.

44. Ex Aseri filiis originem duxerunt Jimnahitæ, Jisuitæ & Brihitæ. 45. Ex Brihæ verò filiis Aseri nepotibus, Chebritæ & Malchielitæ. 46. Præterea Seracham filiam habuerat Aser. 47. Censi autem sunt Aseritæ 53400.

48. Ex Nephthalis filiis ortæ sunt quatuor familiæ, Jachtseelitarum, Gunitarum, 49. Jetseritarum, & Sillemitarum; 50. ex quibus omnibus censi sunt 45400.

51. Si hæ summæ duodecim Tribuum addantur, censi totius Israelis erunt 601730. 52. 53. Inter hos Moses, pro capitum numero, jussit Chananæam & Peræam dividi; 54. ita ut numerosiores Tribus plura, minùs numerosæ pauciora acciperent prædia. 55. 56. Attamen ad regiones dividendas quod adtinet, jussit sorte eas singulis Tribubus adtribui; ita ut, prout sors obtigisset, ad varias cœli collocarentur plagas.

57. Ex Levis filiis ortæ sunt tres familiæ, Gersonitarum, Kehathitarum, & Meraritarum. 58. Ex Gersonis filio orti Libnitæ, ex Kehathi filio Chebronitæ, ex Meraris filiis Machlitæ & Musitæ, ex Isha-

53. *Pro numero nominum*] Masculi omnes ab anno vigesimo habiti sunt patres familias; minores à parentibus hereditatem acceperunt. Interea cùm divisio agrorum non nisi aliquot pòst annis facta sit, mutationes hac in re fieri potuerunt.

54. *Numeroso*] Tribui, nempe, aut familiæ viris potentiori. Si crescerent, licuit, post divisionem, armis Chananæos ex agris vicinis expellere. Vde Jos. XVII, v. 14, & *seqq.*

55. *Sorte tamen* &c.] Cùm numerosioribus Tribubus amplior agri modus esset dandus, quæritur quî sorte dividi potuerint agri? Videtur sors spectasse tantùm plagam cœli, & viciniam, non verò extensionem agrorum. Sic Simehonitis contigit sors, quâ collocati sunt partim ad Austrum, partim ad occasum Judæ Tribûs. Vide Jos. Cap. XVIII. Amplior autem, aut minor ea in regione, in qua obtigerat, terrarum tractus dividebatur Tribubus singulis, prout viris potentiores, aut minùs potentes erant. Numerosiori non licebat quò vellet tenuiorem amandare, neque tenuiori tractum, quem voluisset, occupare. Atque hoc sapienter factum, ne quis queri posset Josuam, dividendis agris præfectum, non satis æquum omnibus Tribus, aut gratiâ, vel amicitiâ transversum actum fuisse. Potuisset etiam fieri, ut qui sibi injuriam factam existimassent, à querelis ad arma devenissent, & bellum civile concitassent. At in sortis judicio non illibenter adquiescebant Hebræi, cui Deum præesse existimabant. Vide Prov. XVI, 33. XVIII, 18. Sic & aliæ gentes fecisse videntur, cùm agros aut vacuos, aut vi captos dividebant, ne inter novos colonos rixæ orirentur; unde & Græcis κλῆροι dicebantur prisca prædia, olim primis colonis divisa, dein quævis hereditates. Vide locum *Aristotelis* laudatum ad Levit. XXV, 10. Apud Latinos quoque, *sors* dicebatur hereditas, quæ loquutio eamdem originem habuisse videtur. Sic apud *Pausaniam* Lib. IV. agros in Peloponneso dividunt

autem genuit Hamramum, [59] & nomen uxori Hamrami fuit Jochebedæ. *Hæc erat* filia Levis, quam Levi peperit *uxor* in Ægypto; enixa est Hamramo Aharonem, Mosem, & Mirjamam eorum sororem. [60] Aharoni nati sunt Nadab, Abihu, Elehazar & Ithamar. [61] Sed mortui sunt Nadabus & Abihuus, cùm ignem alienum, coram Jehova, obtulissent. [62] Horum censi fuerunt viginti tria millia *virorum*; omnis, *nimirum*, masculus à mensem *unum* nato & suprà; neque enim inter Israëlitas censi sunt, quia non est data iis *forte* possessio inter Israëlitas

[63] Hi censi sunt à Mose & Elehazare sacerdote, cùm Israëlitarum censum egerunt, in Moabiticis campis, ad Jordanem, *è regione* Jerichuntis. [64] Atque inter hos nullus fuit ex censis à Mose & Aharone sacerdote, cùm in deserto Sinais censum Israëlitarum egerant; [65] quia de his dixerat Jehova: in hoc deserto morientur, neque ullus ex his superstes erit, exceptis Chalebo Jephunnæ & Josua Nunis filio.

XXVI. Ex

Isharis filio, Kehathi nepote, Korchitæ. Kehathi etiam filius fuit Hamramus, [59] qui uxorem duxit in Ægypto Jochebedam Levis filiam, amitam suam in Ægypto natam. Hæc peperit Aharonem, Mosem & Mirjamam; [60] & Aharoni quidem quatuor fuerant filii, Nadabus, Abihuus, Elehazar & Ithamar, [61] quorum duo priores, ut alibi diximus, Deo morte pœnas luerunt, quòd suffitum adhibito igne profano obtulissent. [62] Levitarum autem in universum censa sunt capita 23000. numeratis omnibus masculis à mensem unum natis; neque enim censi sunt quemadmodum ceteri Hebræi, ut prædia, pro capitum numero, acciperent.

[63] Ita census est ab Mose & Elehazare, in campis Moabiticis, ad orientem Jordanis, quadragesimo anno ab exitu ex Ægypto, clausus. [64] Inter censos autem duodecim Tribuum, quibus agros dividi oportebat, nemo fermè fuit ex illis qui secundo ab exitu anno in Sinaitica solitudine à Mose & Aharone censi fuerant; [65] quod Deus prædixisset nullum ex iis, præter Chalebum Jephunnæ, & Josuam Nunis filium & paucos alios, superstitem futurum.

P A-

viderunt Heraclidæ, & apud *Virgilium* Æneid. Lib. V. vers. 755. Æneas

— urbem designat aratro,
Sortiturque domos.

58. *Minores familiæ*] Sunt enim partes familiarum, quæ nomen habebant à filiis Levis, Gersone, Kehatho & Merari, de quibus vide Exod. C. VI. & Levit. C. III. In hac Tribu & aliis nonnullis, non modò majores, sed etiam minores familiæ memorantur; in aliis majores dumtaxat, quamvis in minores divisæ quoque fuerint. Sic Danitarum unica familia recensetur, quæ tamen alias minores complectebatur.

Kehathus autem genuit Hamramum] Hæc repetuntur, quamvis alibi non semel dicta, ob rationem memoratam à nobis ad Exod. Cap. VI, 13.

61. *Cùm ignem alienum*] Vide Levit. Cap. X.

62. *Viginti tria millia virorum*] Septingentis ergo viris creverant, nam in priore censu fuerunt numerati 22300. Vide ad Cap. III, 43. Notatu autem dignum est in hoc censu nullam rationem habitam eorum, qui præter hecatontadas integras fuerunt; nam non est credibile plenas in omnibus Tribubus fuisse. In priore censu, excepta Gaditica Tribu, aliarum numerus etiam chiliadibus & hecatontadibus plenis constabat, ex calculo Num. I. Sed sine dubio qui præterea erant omissi sunt, & passim Scriptura numeris rotundis gaudet, etiam in Chronologia.

65. *In hoc deserto morientur*] Vide Cap. XIV. Excipiendi videntur aliquot Levitæ; nam ut Mosem prætercam, Elehazar saltem Sacerdos in Ægypto natus erat, Exod. VI, 33. & Chananæam ingressus est. Fortè & ejus filii, Phinchasus & Ithamar, antea etiam censi fuerant.

COM-

XXVI. Ex occasione filiarum Tſelophchadi, fertur lex de successione filiarum, quibus frater nullus est, in prædia paterna. Mosi successor, in regendo Israële, designatur Josua.

Caput XXVII.

1. ACcesserunt autem filiæ Tſelophchadi filii Chepheri, filii Galahadi, filii Machiris, filii Manaſſæ, ex familiis Manaſſæ, filii Josephi; (hæc erant filiarum nomina, Machla, Noha, Chogla, Milcha & Thirtſa) 2. steterúntque coram Mose, Elehazare sacerdote, & principibus totius cœtûs, ad ostium tentorii conventûs, & dixerunt: 3. pater noster mortuus est in deserto, nec fuerat in cœtu eorum, qui coïtiones fecerant contra Jehovam, in cœtu Korachi; nam in peccato suo mortuus est, cùm ei non essent filii. 4. Quare detrahetur nomen patris nostri ex ejus

PARAPHRASIS.

1. CUm in Censu, masculorum dumtaxat ratio habita fuisset, filiæ Tſelophchadi Manaſſitæ, quarum antea meminimus, 2. ad Mosem, Elehazarem & ceteros populi principes, ad ostium Tentorii Conventûs se se contulerunt, ut prædium, quod patri dandum esset, si viveret, ab iis peterent. Dixerunt illæ 3. patrem suum in solitudinibus Arabicis, non seditionis causâ, ut Korachus, ejúsque fautores; sed quemadmodum alii omnes, qui in Deum incredulitate peccarant, obiisse, neque filium ullum reliquisse. 4. Orabant ergo Mosem & populi primores, ne parentis sui familia, quasi exstincta, quòd filium non reliquisset, in libris censualibus omitteretur; sed sibi ejus heredibus id daretur prædium, in agrorum divisione, quod pater, si viveret, inter tribules suos sortire-

COMMENTARIUS

In Caput XXVII.

1. *ACcesserunt autem filiæ*] Cùm vidissent, nempe, sine prædio se futuras, quòd nulla sui in censu habita fuisset ratio.

3. *Nec fuerat in cœtu eorum* &c.] Putant nonnulli, si fuisset harum pater inter seditiosos, potuisse ejus liberis agros in Chananæa negari; qua de causa ejus filiæ studiosè hoc animadverti, à primoribus Israëlitarum, cupiunt. Sed nulla exstat Lex ejuscemodi; quâ rebellium posteri, pro Hebræis, haberi debere negentur. Itaque hoc tantùm dicunt Tſelophchadi filiæ, ut faventiores sibi faciant Mosem & Elehazarem.

In peccato suo] Hoc est, ut ceteri Israëlitæ, qui, quòd Deo Chananæam invadere jubenti non paruissent, morti in deserto obeundæ damnati fuerant.

Cùm ei non essent filii] *Et filii non erant ei.*

4. *Quare detraheretur nomen*] Exstinctâ, nempe, cujuspiam Familiâ, in genealogicis & censualibus libris non ampliùs scribebatur ejus nomen. Dum verò supererant ei posteri, nomen ejus memorabatur; dicebantur enim filii, exempli causâ, *Phinchasi*, nepotes *Elehazaris*, pronepotes *Aharonis* &c. Sic videmus, in hoc Censu, variarum familiarum, quarum in priore mentio fit, omissa esse nomina. Sic *Obadi* nomen, qui Simehonis filius fuit, ut adparet ex Gen. XLVI, 10. & Exod. VI, vers. 15. non exstat in Censu Capitis superioris, quòd exstincta esset ejus familia. Sic & aliquot aliarum nulla mentio, ut Genealogias & Census conferentibus liquebit. Hoc deprecantur pro suo parente Tſelophchadi filiæ, sibique prædium quod filio ejus, si filium habuisset, dandum erat, dividi postulant.

Fratres patris nostri] Nempe, patruos, quorum familiæ inter Manaſſitas memorantur.

5. *De earum causa ad Deum retulit*] יקרב את משפטן לפני *admovit judicium earum coram Jehova*; hoc est, à Deo petiit quid fieri oporteret, quòd, nimirum, idem sæpe posset contingere. *Nun* in tertia voce est majusculum, ad significandam, ut aiunt, harum puellarum prudentiam. Sed multò satius esset eorum, quæ fortè veteri codici contigerunt, nullam rationem reddere.

7. *Hereditarium prædium*] אחזת נחלה *possessionem hereditatis.*

Prædium paternum] Quod patri cessurum erat.

11. *Ejus propinquis*] *Carni ejus illi propinquæ.* Vide not. ad Levit. Cap. XVIII, 6. Itaque deficientibus liberis, utriusque sexûs, ad fratres hereditas pertinebat; his quoque deficientibus, ad patruos; qui si nulli essent, proximâ agnatione conjuncti hereditatem adibant. Maternæ hîc consanguinitatis nulla habebatur ratio, ne hereditas in aliam Tribum, ex qua mater esse poterat, transferretur. Vide infrà Cap. XXXVI. Rabbini negant ad fratres hereditatem devenisse, nisi mortuo patre; nam patrem, deficientibus liberis, proximum heredem fuisse volunt. Vide *Joan. Seldenum* de Success. in Bona Defuncti Cap. XII. quo in Libro Jurisprudentiam Thalmudicam, hisce de rebus, copiosè tradit.

12. *Habarimorum*] עברים. *Hieronymus* in locis Hebr. Abarim, *mons in quo mortuus est Moyses. Dicitur autem & mons esse Nabau, in terra Moab, contra Hiericho, supra Jordanem, in supercilio Phasga; ostenditurque adscendentibus de Libyade in Esbum, antiquo hodieque vocabulo, juxta montem Phogor, nomen pristinum retinentem, à quo circa eum regio usque nunc adpellatur Phasga.* Jugum, in quod ad-

ejus familia, quòd non sit ei filius? da nobis prædium inter fratres patris nostri. 5. Moses verò de earum causa ad Deum retulit, 6. & dixit Jehova Mosi: 7. rectè loquuntur Tselophchadi filiæ, & dabis eis hereditarium prædium inter fratres earum patris, prædiúmque paternum ad eas transferes. 8. Tum alloqueris Israëlitas, his verbis: cùm quispiam fuerit mortuus, neque *erit* ei filius, ad ejus filiam hereditatem ejus transferetis. 9. Si verò nulla sit filia, hereditatem patris ejus fratribus dabitis. 11. Si nulli sint fratres patris ejus, hereditatem dabitis propinquis, ex familia ejus, eámque possidebunt. Atque hoc erit Israëlitis in constitutionem juris, quemadmodum jussit Mosem Jehova.

12. Postea dixit Jehova Mosi: adscende in hunc Habarimorum montem, & vide terram quâ Israëlitas donavi. 13. Hanc enim videbis & tu quoque populis tuis adgregaberis, quemadmodum adgregatus est Aharon frater tuus; 14. quia imperio meo rebelles fuistis in Tsinis deserto, in jurgio cœtùs, ut me coram eo sanctum haberetis in aquis. Hæ aquæ fuere jurgii Kadesi, in Tsinis deserto. 15. Alloquutu

retur. 5. Cùm Deus nullam adhuc legem hac de re tulisset, Moses Tentorium Conventus ingressus oraculum de hoc negotio consuluit. 6. Respondit verò Deus, 7. æqua postulari à Tselophchadi filiabus, dandósque agros eis, qui patri darentur, si etiamnum in vivis esset. 8. Hac ex occasione, lata lex est à Mose, Deo jubente, de iis qui sequioris duntaxat sexûs liberos relinquerent. Si quis sine filiis obierit, ad filias ejus hereditas transfertor. 9. Si filiabus etiam careat, heredes ejus fratres sunto. 10. Si fratres quoque nullos habuerit, ad patruos hereditas devolvitor. 11. Si ne patrui quidem sint, agnati hereditatem hercíscunto; atque ea lex, inter Hebræos, perpetua esto.

12. Cum Israëlitæ castra in iisdem Moabiticis campis haberent, Moses jussus est à Deo, si vellet Chananæam prospicere, in Nebuntis jugum, altissimum Habarimorum montium, adscendere; 13. quam terram postquàm prospexisset, instar Aharonis fratris, fato suo functurum. 14. Neque enim eum Jordanem trajecturum, quòd ad aquas Meribæ, in Tsinitica solitudine ad Kadesum, non satis magnificè de Deo sentire, una cum fratre, toti populo Hebræo visus esset. 15. Moses, qui norat hoc

adscendit Moses, vocatur *Nebo* Deut. XXXII, vers. 49. sed montes illi *Abarim*.

13. *Populis tuis adgregaberis*] Vide not. ad Cap. XX, 24.

Quemadmodum] Conspectâ, ex montis jugo, Chananææ extremâ orâ.

14. *Imperio meo rebelles*] Vide not. ad Cap. XX, vers. 22. מריתם פי *mrithem phi*, subauditur את, quod loco laudato exprimitur.

Kadesi in Tsinis deserto] Ambiguitatis vitandæ causâ. Vide ad Cap. XX, 13.

16. *Deus spirituum*] Hoc est, à quo vita hominum pendet. Vide not. ad Cap. XVI, vers. 22.

17. *Ante Israëlitas*] לפניהם *ante eos*.

Egrediatur & ingrediatur] Hoc est, horum sit dux. Phrasis hinc petita, quòd Dux educere copias soleret ad bellum, ante agmen incedens; & reducere, expeditione perfectâ. Sed extendi videtur ejus significatio ad omnem Reipublicæ administrationem. De duce belli usurpatur 1. Sam. XVII, 13, 16. de toti Reipublicæ præfecto Deut. XXXI, vers. 2. Utrumque hîc significatur, Ducem enim & Judicem à Deo petit Moses.

18. *In quo est spiritus sapientiæ*] אשר רוח בו *in quo est spiritus*. Onkelos habet רוח נבואה *spiritum prophetiæ*. Maluimus hanc phrasin interpretari ex Deut. XXXIV, 9. ubi Josua dicitur plenus fuisse *spiritu sapientiæ*; hoc est, sapientia, seu adfectione animi, in qua sita est prudentia, quâ tanti Populi Rectorem præditum esse oportuit. Sic *spiritus zelotypiæ* est zelotypia, qua de re vide not. ad Cap. V, 14.

Eique manus nitendo imponito] Ut in eum munus tuum transferas. Vide suprà Cap. VIII, 10. Præterea manuum impositio, quæ à Propheta fiebat, qualis fuit Moses, conjuncta erat cum precibus non irritis; quibus Deum orabat, ut hominem, cui manus imponebat, aptum faceret muneri quod ei conferebat. Tales & temporum Apostolicorum χειροθεσίαι. Vide Deut. XXIV, 9. 1. Tim. IV, 14. 2. Tim. I, 16.

19. *Atque omni cœtu*] *Et coram omni cœtu.*

Mandatis instrues] צויתה *tsivvithah*; Hoc est, cùm ei munus tuum te conferre dices; tum etiam eum docebis, quomodo eo fungi oporteat. Vide Deut. XXXI, 7.

20. *Ei ex auctoritate tua conferes*] *Dabis* מהודך *mehodecha*, *è gloria tua super eo.* הוד propriè *splendorem*, & *majestatem* significat, ubi de Rege, aut Magistratu sermo est. Quia verò ex eo splendore, eáve majestate nascitur auctoritas, ideò pro *auctoritate* sumitur, quemadmodum hoc loco, ut sequentia verba ostendunt. Sic 1. Paral. XXIX, 25. ubi de Salomone, dicitur Deus *dedisse super eo* הוד מלכות *splendorem, atque auctoritatem regni, qualis ante eum in nullo Rege Israëlis fuerat.* Vide & Dan. XI, 21.

21. *Atque id in ejus gratiam*] לו *illi*, hoc est, in ejus gratiam. Vide Cap. XXII, 11, 17. Hîc autem duo sunt animadvertenda, quorum unum ostendit quantum discrimen esset inter Mosem & Josuam; alterum quantùm Josua supra ceteros Israëlitas emineret. Si Mosi comparetur, majorem multò fuisse Mosem liquebit, vel ex eo quòd Moses, ut Deum interrogaret, non indigeret Pontificis Maximi interventu, sed ipse Deum sciscitaretur & ab eo ex Adyto responsa acciperet; Josua verò, ope τῶ *Urim & Thummim*, per Pontificem, Dei voluntatem inquireret. Attamen in hoc ipso Josuæ dignitatem, si cum aliis Israëlitis conferatur, cernere est; cùm oraculum eo modo consulere

tus verò est Jehovam Moses, dicens: [16] Jehova, Deus spirituum omnis carnis, præficiat virum huic cœtui, [17] qui ante Israëlitas egrediatur, & ingrediatur, quíque eos educat, & intromittat; neque sit cœtus Jehovæ instar ovium, quibus non est pastor. [18] Dixit verò Jehova Mosi: accipe tibi Josuam, Nunis filium, virum in quo est spiritus *sapientiæ*, eíque manus nitendo imponito. [19] Eum sistes coram Elehazare sacerdote, & omni cœtu, atque in eorum oculis mandatis instrues. [20] Ei ex auctoritate tua conferes, ut omnis Israëlitarum cœtus *ei* obsequatur. [21] Stabit coram Elehazare sacerdote, atque *hic* in ejus gratiam interrogabit judicium Urim, coram Jehova. Eo jubente exibunt, eodémque jubente ingredientur, ipse & omnes cum eo Israëlitæ, universúsque cœtus. [22] Fecit Moses quemadmodum jusserat Jehova, duxitque Josuam, & eum stitit coram Elehazare sacerdote, corámque omni cœtu. [23] Tum ei manus imposuit nitendo, eúmque mandatis instruxit, quemadmodum loquutus fuerat Jehova per Mosem.

XXVII. Le-

hoc Dei decretum revocari non posse, in hac quidem ejus voluntate adquievit; sed rogavit [16] summum vitæ & necis arbitrum, ut alium, suo loco, populo Hebræo præficeret virum; [17] qui & Rempublicam administraret, & dux belli gerendi esset, ne Respublica, similis ovium gregi pastore destituto, sponte suâ dissolveretur. [18] Deus verò respondit, Mosi successorem dare se Josuam, Nunis filium, virum prudentem, in quem impositione manuum munus suum translaturus esset. [19] Iret ergo, convocatáque concione populi Hebræi, coram Elehazare & universo populo, mandatis eum instrueret, [20] auctoritatémque suam ei conferret, ut omnes posthac ei dicto audientes essent. [21] Quando autem consulendus Josuæ foret Deus, iturum eum ad Pontificem Maximum, qui indutus sacro pallio, & torque ornatus, ei ad Tentorium Conventûs, prout adflaretur, responsurus esset. Deo autem, per Pontificem, jubente aut vetante, ut res postularet, à populo Hebræo, Josuáque posthac bellum susceptum, aut omissum iri. [22]. [23]. His Dei mandatis paullò pòst, inspectante Pontifice Maximo, atque universo populo, paruit Moses.

P A-

sulere non liceret, nisi viris principibus. Hoc satis ostendunt verba Achimelechi Pont. Maximi, cùm accusaretur conspirationis in Regem, eò quòd Deum in Davidis gratiam interrogasset. 1. Sam. XXII, 14. *Quis est inter omnes servos tuos instar Davidis fidelis, gener Regis, auditis tuis mandatis proficiscens, & honoratus domi tuæ? An hodie cœpi Deum, in gratiam ejus, interrogare? Absit.* Atque hæc est sententia Intt. Judæorum & Christianorum. Vide *Joan. Spencerum*, in Diss. de Urim & Thum. Cap. I. Sect. 2.

Interrogabit judicium Urim] De *Urim & Thummim* diximus ad Exod. XXVIII, 30. ostendimúsque videri torquem fuisse Margaritarum & Carbunculorum, aut ejusmodi gemmarum. Sed de ratione interrogandi Dei, adhibito eo ornamento, nihil diximus. Constat quidem, post Mosis, qui Deum *facie ad faciem* alloquebatur, mortem, de rebus gravis momenti consultum fuisse Deum, ope τ͂ *Urim* & *Thummim*, quod nos docent varia Samuëlis loca 1. Sam. XIV, 18. XXIII, 2. & *seqq.* XXVIII, 6. XXX, 7. 2. Sam. V, 19. Hoc quoque constat Pontificem Maximum induisse *Ephodum*, sive *pallium* Sacerdotale, cui & Pectorale, & *Urim* & *Thummim* imposita erant, cùm interrogaretur Deus. Sic David Deum eâ ratione sciscitaturus, *admove*, inquit Ebiathari, *Ephodum*, 1. Sam. XXIII, 9. In eodem libro Cap. XXX, 7. *Admove, ait David Ebiathari, mihi, quæso, Ephodum. Ebiathar verò admovit Ephodum Davidi, & interrogavit David Jehovam* &c. Iis in locis, Deus interroganti respondisse dicitur, sed quomodo non indicat Historicus Sacer; neque ullus est Scripturæ locus, unde id discere liceat. Hoc unum liquet, responsum voce editum fuisse: *interrogavit David Jehovam, his verbis: an sequar hoc agmen? an adipiscar? & dixit ei persequere, nam adipisceris, & captivos liberabis.* Sed quis proferebat hanc vocem? Crediderim Sacerdotem, si adflaretur, quemadmodum senserunt *Josephus* Historicus, *David Kimchius* & alii, quorum vide suffragia apud *Joan. Spencerum* Cap. III. Sect. 11.

At vir doctissimus hanc sententiam facilè confutari posse putat, quòd Scriptura nusquam meminerit adflatûs Spiritûs Sancti, quo Sacerdoti futura revelarentur. Sed eadem nusqoam contrarium quidquam ei conjecturæ profert. Nam quod dicit *Urim, tamquam verum & proximum Oraculi tradendi medium, Deum Sacerdoti sciscitanti respondisse*; id verò viri doctissimi somnium est, nullo Scripturæ loco comprobatum. Ait enim Historia Sacra, postquàm Sacerdos induisset sacrum pallium, & David interrogasset Deum, responsum hunc à Deo tulisse, ut modò videbamus. Non legimus Deum respondisse, voce ex Urim emissâ. Hoc unum exstat Sam. XXVIII, 4. Deum *non respondisse Saüli, neque per somnia, neque per Urim, neque per Prophetas.* Sed an hoc significat, ex Urim vocem emissam? Quemadmodum *per somnia* respondebat Deus, cùm dormientibus futura aperiebat: ita *per Urim* respondere dicebatur, cùm per Sacerdotem, sacrum torquem gestantem, oracula edebat.

Ceterùm vir eruditus nos aliarum sententiarum proferendarum & confutandarum labore levavit. Itaque ad eum Lectorem amandamus. Hæc verisimillima sententia, de ratione consulendi Dei per *Urim & Thummim*, nobis videtur, quâ statuitur 1. Pontifex Maximus induisse sacrum pallium, & torquem collo injecisse: 2. deinde qui rogaturus quidpiam erat propiùs ad eum accessisse; qua de causa, hic Moses

 de

XXVII. Leges de holocautomate quotidiano, déque iis quæ sibi volebat Deus offerri Sabbathis, Neomeniis, diebus Paschatis & Pentecostes.

CAPUT XXVIII 1. ALLOQUUTUS est Jehova Mosem, his verbis: 2. præcipito Israëlitis, iisque dicito: oblationem meam, cibum meum oblationum igne absumendarum, in odorem placamenti mei, observabitis, ut mihi stato tempore offeratis. 3. Iis dices: hæc est oblatio igne absumenda, quam offeretis Jehovæ, agnus anniculus & sine vitio, geminus quotidie, *in* holocautoma perpetuum. 4. Agno uno fa-

PARAPHRASIS.

1. CUM Israëlitæ ex devictarum gentium pecudibus jam greges haberent, & brevi trajecto Jordane, majorem eorum copiam armis adquisituri essent, sedésque tandem quietas habituri; Deus jussit Mosem has Leges de Sacris publicis populi Hebræi ferre. 2. Statis temporibus, certus victimarum numerus, sequentibus Legibus definitus, Deo mactator. 3. 4. Quotidie duo agni anni-

de Josua oraculum consulturo: *stabit coram Elehazare*; & apud Samuëlem, Sacerdos *admovet pallium* consulenti: 3. consulens proposuisse quæstionem: 4. Pontifex, si adflaretur, respondisse; sin minùs, tacuisse. Si quis objecerit Sacerdotum fraudibus obnoxia fuisse ejusmodi responsa, cùm possent adflatum fingere; facilè objectioni occurremus, si ab eventu præteritarum prædictionum adflatûs veritatem adparuisse dicamus. Uno verbo, eadem ratio fuit, hac in re, Sacerdotum ac Prophetarum, de quibus ad Deut. XVIII.

Quare autem vocetur id oraculum *judicium Urim*, diximus ad Exod. XXVIII, 30. Si quis quæsiverit quare Deus Pontificem Maximum tum demum adflare voluerit, cùm pallio sacro & collari ornatus erat; idem respondere licet, ac reponi potest quærenti, quare Deus eum ita ornatum Sacra facere voluerit? Nempe, is erat jam receptus usus, cui se Deus adtemperavit; nam nemo ita desipit, ut putet ea ornamenta naturâ suâ vim habuisse evocandi Numinis. Ægyptii videntur credidisse suum *Archidicastam*, qui erat è Sacerdotum numero, postquàm injecerat collo torquem, è quo pendebat *Veritas*, spiritu Deorum adflatum fuisse, ut verum à falso in judiciis secerneret; quod tam falsum fuit, quàm verum erat Pontificem Hebræorum collari sacro sumto adflari, ut de rebus dubiis responderet, si ita Deo videretur. Vide ad Exod. XXVIII, 30.

Eo jubente] *Ad os ejus.* Intelligitur Deus, per Pontificem Maximum, loquens. Vide Num. Cap. IX, 16. & seq.

Exibunt & ingredientur] His vocibus, ut diximus, cùm expeditiones, tum cetera omnia publica populi negotia significantur. Vide Deut. XXXVIII, 6.

22. *Dixitque*] *Et accepit.* Vide sup. Cap. XXIII, 14.

23. *Per Mosem*] *Per manum Mosis*; Moses enim sibi à Deo dicta Josuæ & populo exposuit. Hîc Samaritæ addunt ex Deut. III. 21, 22. *Oculi tui viderunt quid fecerit Jehova* &c.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXVIII.

2. CIbum meum] Vide not. ad Levit. Cap. III, vers. 11. XXI, 6.

Observabitis] Hæc iterum jubentur Israëlitæ, in Moabiticis campis, quòd cùm pecore devictorum populorum aucti essent, & brevi Jordanem trajecturi, possent ab hoc tempore sollemnia Sacra facere; quod non potuerant in deserto, rerum necessariarum copia destituti. Vide ad Cap. XV, 2.

In holocautoma perpetuum] Institutionem ejus habemus Exod. XXIV, 28. ubi vide notata.

6. *Oblatum in monte Sinai*] העשויה *factum*, primùm, scilicet, quamquam postea intermissum in eremo.

7. *Siceram*] Non necesse erat esse vinum è vite. De voce שכר, vide not. ad Levit. X, vers. 7. *Vinum* vertit Vulgatus, & Onkelos חמר עתיק *vinum vetus*, quale esse potuit vinum è dactylorum succo, æquè ac ex uvis expressum.

In sacrario] *In sanctitate.* Circa altare *Josephus* Lib. III. c. 9. Σπένδουσι δὲ περὶ τὸν βωμὸν τὸν οἶνον: *effundunt vinum circa altare*, hoc est, in summam altaris crepidinem. Aliæ Gentes in victimarum caput, aut in altaris flammam vinum injiciebant; quod facilè demonstraremus, si Moses hinc lucem aliquam mutuaretur. De Ægyptiis vide notat. ad Levit. Cap. II, 8. Præstat observare in Hebræorum Sacris oblata esse, quæ ad vitam maximi usûs habebantur; victui, nimirum, omnium maximè necessaria, carnem, farinam, salem, oleum & vinum; ut hæc omnia Deo se debere, sollemni ritu, profiterentur, séque ac omnia sua ei veluti consecrarent. Hæc videtur esse symbolica quotidiani holocautomatis significatio. Vide ad Levit. XVI, 3, 24.

9. *Cujusque libamen*] נסכו nischo *libamen ejus*, hoc est, utriúsque agni.

10. *Singulis Sabbathis*] *Sabbathi in Sabbathum.* Ut sollemnior ille dies, non feriis tantùm, sed & singularibus Sacris fieret. Tanti erat memoriam creationis, quæ est totius Religionis fundamentum, conservare.

11. *Ini-*

facietis, matutino tempore; agno altero facietis, inter duas vesperas. 5. *Addetis* in donarium *farreum* decimam partem *Epha* similæ, mistæ quartæ parti Hinis olei tusione expressi. 6. Hoc est holocautoma perpetuum oblatum in monte Sinai, in odorem placamenti, *atque* igne absumenda oblatio Jehovæ. 7. Libamen ejus est quarta pars Hinis agno uni; in sacrario, libamen effundito siceram Jehovæ. 8. Agno verò altero facies inter duas vesperas, donarium ejus *farreum* instar matutini, & instar libaminis ejus *libamen* offeres, *in* oblationem odoris placamenti Jehovæ.

9. Die verò Sabbathi, *offerentur* duo agni anniculi sine vitio, duæ decimæ partes *Ephæ* similæ oleo mistæ *in* donarium *farreum*, & cujusque libamen. 10. Hoc *erit* holocautoma singulis Sabbathis, præter holocautoma perpetuum, ejúsque libamen.

11. At

niculi, & sine vitio, ut ceteræ omnes victimæ, Deo, alter matutino tempore, alter vespertino in holocautoma offeruntor. 5 *ad* 8. Donarium farreum Assaronis unius similæ, cui sit adfusa quarta pars Hinis præstantissimi olivi; libamen verò quartæ partis etiam Hinis vini aut siceræ, in crepidinem altaris effundendæ, matutino & vespertino pariter adduntor; atque hoc Sacrum quotidianum esto.

9. 10. Diebus verò Sabbathi, præter quotidianum holocautoma numquam omittendum, duo alii agni anniculi, cum similibus donariis farreis & libaminibus, mactantor.

11. Pri-

11. *Initiis mensium vestrorum*] *Joan. Spencerus* Dissertationem IV. Lib. III. de Leg. Mos. Rit. totam insumsit, ut ostenderet antiquissimos Ethnicos Neomenias celebrasse, quod multis testimoniis demonstrat. Tum conjicit in Lunæ honorem hoc esse factum, adeóque ab Idololatris originem horum Sacrorum esse repetendam. Multis argumentis hoc quoque confirmare nititur, quæ non referam. Digna sunt, quæ apud ipsum auctorem integra legantur.

Attamen, si in animum revocemus antiquissimam temporis divisionem esse, quæ fit per Lunæ periodos; quas homines, in serenis Orientis regionibus, facilè observabant ex Lunæ φάσεσι, unde fit ut menses sæpe vocentur ירחים *lunæ*; si hæc, inquam, in animum revocemus, subibit suspicio Neomeniarum observationem esse fortè ipsâ Idololatriâ antiquiorem. Fieri certè potuit ut Noachi filii Neomeniæ diem sollemnioribus Sacris obeundis eligerent, quòd multò faciliùs observari posset, quàm alii, ob Lunæ reditum, ab omnibus facilè animadvertendum. Si numerus certus dierum fuisset præstitutus, nullâ Lunæ ratione habitâ, fieri potuisset ut error in calculum irreperet, & prout citiùs aut seriùs supputatio inchoaretur, stati dies differrentur, aut citiùs celebrarentur, nec eodem tempore ad Sacra homines per agros sparsi convenirent. Itaque apud rudes mortales, nihil facilius fuit ac commodius, quàm Neomeniæ diem præstituere. Hinc fortè factum, ut apud multas gentes temporibus, locis, & opinionibus remotas, ab antiquissimo ævo, Neomeniæ festæ fuerint, ut copiosè ostendit *Spencerus*. Judæi certè non jussi sunt à Deo observare Neomenias, quasi primùm ab eo institueretur, ut Sabbathi dies primùm ab eo consecratus est; sed tantùm ritus celebrationis Neomeniarum, observari jam solitarum, à Deo sunt lege sanciti. Nusquam dicit Legislator *memor esto Neomeniarum, ut eas observes*; sed de iis ita loquitur, quasi jam institutis, nec quidquam Hebræos jubet, nisi certa Sacra eo die facere. Vide suprà Cap. X, 10. & hunc locum adtentiùs lege. Non negaverim tamen Ethnicos, postea quàm coli cœpta est Luna, Neomenias religiosiùs observasse, aut variâ potiùs superstitione celebrasse; at Hebræi eas fortè festas habebant, quòd ita à Majoribus suis, à Noacho usque, perpetuâ quadam traditione accepissent. Apud Athenienses etiam, quibus lex fuit ταῖς νεομηνίαις θύειν *noviluniis sacra facere*, ille Dies non erat Lunæ, sed omnibus Diis Sacer. *Homeri* Scholiastes ad Odyss. Υ. vers. 155. ubi Euryclea de procis:

— μάλ' ἦρι νέονται, ἐπεὶ καὶ πᾶσιν ἑορτή.

Summo mane venient, quoniam & omnibus convivium, hæc verba intelligit de Neomenia, atque ita ex *Philochoro* loquitur: τὴν νεομηνίαν πάντων τῶν θεῶν νομίζουσιν εἶναι· ταύτην γὰρ οἱ πρόγονοι τοῖς θεοῖς ἀνέθηκαν, διὰ τὸ πρώτην αὐτὴν εἶναι τοῦ μηνός: *novilunium omnium Deorum putant esse. Hoc enim majores Diis consecrarunt, quòd sit primus dies mensis*. Vide *Sam. Petiti* Comment. in Leges Atticas pag. 85. Hinc colligere non abfurdè possumus, institutum hoc in honorem Lunæ primùm non fuisse, & forsan, apud varias Gentes, antequàm Luna coleretur, celebratas Neomenias.

Ceterùm Hebræi Neomenias celebrarunt, non modò Tubarum Cantu, ut jubet Deus hujus Libri C. X. aut sacrificiis, quæ hoc in loco describuntur, sed r. sacris quibusdam cœtibus ad Prophetas convenientium, ut liquet ex 2. Reg. IV, 23. ubi vir Sunamitidis, cùm ad Elisæum uxor ire vellet, ita eam alloquitur: *quare is ad eum hodie, non est Neomenia, neque Sabbathum*: 2. conviviis, ut docemur, 1 Sam. XX, 5, 6. unde adparet Saülis familiares cum eo convivari Neomeniis solitos: 3. claudendo tabernas, ut innuere videtur Hamos, VIII, 5.

12. *Erunt tres decimæ partes* &c.] Hæc jam definita fuerunt Cap. XV.

Singulis juvencis] *Juvenco uni*.

13. *Singulæ decimæ*] *Decima*.

14. *Hinis vini agno*] והין לכבש יין *Hinis agno vini*. Videtur *vinum* ad calcem collocari, quia ad tria versûs membra ex æquo refertur.

Holocautoma cujusque neomeniæ, in menses anni] עלת חדש בחדשו לחדשי השנה, *holocautoma novilunii in novilunium, noviluniis, vel mensibus anni*. חדש *hhodesch* est à Radice חדש *novus*,

 &

11. At initiis mensium vestrorum, offeretis in holocautoma Jehovæ juvencos duos, arietem unum, & septem agnos anniculos sine vitio. 12. *Erunt* autem tres decimæ partes *Epha* similæ oleo mistæ, in donarium *farreum* singulis juvencis; duæ verò decimæ similæ oleo mistæ, in donarium *farreum* uni arieti; 13. singulæ denique decimæ similæ oleo mistæ agnis singulis, ut sint holocautomata *in* odorem placamenti, oblationésque igne absumendæ Jehovæ. 14. Libamina eorum erunt dimidia pars Hinis juvenco, tertia pars Hinis arieti, & quarta pars Hinis vini agno. Hoc est holocautoma cujúsque neomeniæ, in menses anni. 15. Fiet præterea hirco uno, in oblationem pro peccato, Jehovæ, præter holocautoma perpetuum, hujúsque libamen.

16. Mense primo, decimo quarto die, erit Pascha Jehovæ; 17. decimo verò quinto die ejus mensis, festum erit, per septem dies azymi edentur. 18. Primo die erit convocatio sacra, nullum opus servile facietis. 19. Offeretis Jehovæ, *in* oblationem igne absumendam holocautomatis, duos juvencos, arietem unum, & septem agnos anniculos; hi sine vitio vobis erunt. 20. Donarium verò eorum *farreum erit* similæ oleo mistæ; tres decimas partes *Ephæ uni* juvenco, duas decimas arieti addetis. 21. Singulis verò agnis adtribuetis singulas decimas, in septem agnos, 22. Erit præterea hircus unus, *qui sit* oblatio pro peccato, quâ expiatio fiat pro vobis. 23. Præter holocautoma matutinum, quod perpetuum erit, his facietis. 24. Sic facietis quotidie, per septem dies; cibus *erunt* igne absumendæ oblationis, in odorem placamenti Jehovæ. Præter holocaustum perpetuum, ejúsque libamen, *hæc* mactabuntur. 25. Die verò septimo erit vobis convocatio sacra, nullum opus servile facietis.

26. Die primitiarum, cùm offeretis donarium *farreum* novum Jehovæ, in hebdomadibus vestris, convocatio sacra vobis erit, nullum servile opus facietis. 27. Offeretis holocautoma in odorem placamenti Jehovæ; *nempe*, duos juvencos, arietem unum, & septem agnos anniculos. 28. Horum donarium *farreum* simila *erit* oleo mista; trésque decimæ Ephæ juvenco uni, duæ decimæ uni arieti, 29. singulæ decimæ singulis agnis *addentur*, in septem agnos. 30. *Offeretur* etiam hircus unus, quo expiemini. 31. His, præter holocautoma perpetuum ejúsque donarium *farreum*, facietis; sine vitio erunt vobis *victimæ*, cum libamentis suis.

XXVIII. Le-

11. Primo cujúsque Mensis die aries unus, vituli duo, & septem agni anniculi in holocautoma offeruntor. 12. Juvencis singulis tres Assarones similæ oleo mistæ, arieti duo in donarium farreum adduntor. 13. Agnis verò singulis donarium suum, ut quotidiano holocautomati, esto. 14. 15. Libamen verò vini, aut siceræ, prout ad manum erit, juvenco quidem dimidia pars Hinis, arieti verò tertia, agno denique quarta funditor. Præterea hircus unus, pro peccato, ritu solito mactator, nec quotidianum holocautoma omittitor; atque hoc Sacrum singularum Neomeniarum esto.

16. Mensis primi decimo quarto die, Pascha celebrator; 17. sequens dies decimus quintus festus esto; & per septem dies continuos, azymi comeduntor. 18. Primo autem die festus conventus esto, neque ullum servile opus facere liceto. 19. *ad* 24. Quotidie, per hoc septiduum, præter quotidianum holocautoma, duo vituli, aries unus, septémque agni anniculi, cum solito in singulis donario farreo & libamine, in holocautoma offeruntor; atque hircus, piacularis victima, additor. 25. Ultimo verò die, festus quoque conventus esto, serviliaque omnia opera omittuntor.

26. Die Pentecostes, cùm primitiæ frugum offerentur, septem hebdomadibus post Pascha elapsis, festus conventus, & feriæ similiter sunto; 27. *ad* 31. totidémque victimæ, ac singulis diebus festi Paschalis, eodem ritu mactantor.

P A-

& promiscuè Neomenias & Menses significat, qoòd à *renovatione* Lunæ inciperent Menses.

16. *Decimo quarto die*] Vide Exod. XII. & Levit. XXIII. & notata.

21. *Septem verò agnis* &c.] *Decimam, decimam facies agno uni, septem agnis.*

23. *Quod perpetuum erit*] *Quod in holocautoma perpetuum.*

24. *Mactabuntur*] יעשה jehascheh, *fiet*; hoc est, multiplici victimâ antea memoratâ. *Facere* & *mactare* idem est passim, apud Hebræos, ut apud veteres Græcos erant ῥέζειν & θύειν, & apud Latinos *facere*, & *mactare*. De Græcis ita *Athenæus* Lib. XIV. p. 660. Ὅμηρος τὸ ῥέζειν ἐπὶ τοῦ θύειν τάσσει· τὸ δὲ θύειν ἐπὶ τοῦ ψαιστὰ μεταδόρπια θυμιᾶν· οἱ δὲ παλαιοὶ θύειν δρᾶν ὠνόμαζον: *Homerus usurpat* ῥέζειν (facere) *pro* θύειν (mactare) θύειν *verò pro adolere placentas post cœnam. Veteres etiam* θύειν *vocabant* δρᾶν. Vide *Is. Casauboni* Animad. ad eum librum C. XXIII. Fuisse similem usum verbi *facere*, apud Latinos, res est, vel ex *Virgilio*, notissima. Hîc tamen, ut alibi, hac voce usi non sumus, quia in præcedentibus & sequentibus verbis frequentissimo sensu usurpatur.

26. *Die primitiarum* &c.] Festo Pentecostes, de quo vide Levit. XXIII.

C O M-

XXVIII. Leges de victimis offerendis in anniversariis sacris, festisque mensis septimi.

[1] MENSE septimo, primo die mensis, vobis erit convocatio sacra, nullum servile opus facietis, dies vobis erit fracti *tubæ* sonitûs. [2] Offeretis holocaustum in odorem placamenti Jehovæ; juvencum, *scilicet*, unum, arietem unum, & agnos anniculos septem, *omnes* sine vitio. [3] Donarium *farreum erit* simila oleo mista, & tres quidem decimæ *Ephæ* in juvencum, duæ decimæ in arietem, [4] singulæ denique decimæ singulis agnis, in septem agnos. [5] Hircus quoque unus *erit*, oblatio pro peccato, quâ expiemini. [6] *Hæc erunt* præter holocautoma neomeniæ, ejúsque donarium *farreum*, *&* *præter* holocautoma perpetuum, ejúsque donarium *farreum*, & eorum libamenta, rite in odorem placamenti, victimásque igne absumendas *offerenda* Jehovæ. CAPUT XXIX.

[7] Decimo *die* hujus mensis septimi, erit vobis convocatio sacra, *quâ* animas vestras adfligetis, neque opus ullum facietis. [8] Offeretis holocautoma Jehovæ, in odorem placamenti, juvencum unum, arietem unum, agnósque anniculos septem: *hi* vobis erunt sine vitio. [9] Donarium eorum *farreum* erit simila oleo mista, & tres quidem decimæ in juvencum, duæ in arietem, [10] singulæ denique singulis agnis, in septem agnos. [11] *Offeretur* etiam hircus unus victima pro peccato, præter victimam piacularem pro peccato, & holocautoma perpetuum, ejúsque donarium *farreum* & libamina victimarum.

[12] Decimo quinto die mensis septimi, convocatio sacra vobis erit, nullum opus servile facietis, & per septem dies festum Jehovæ agitabitis. [13] Offeretis holocaustum igne absumendum, in odorem placamenti Jehovæ; *scilicet*, juvencos tredecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim; *hi* integri erunt. [14] Donarium eorum *farreum* erit simila oleo mista, & quidem tres decimæ *Ephæ* singulis juvencis, in juvencos tredecim; duæ decimæ in singulos arietes, in arietes duos; [15] & decima una singulis agnis, in quatuordecim agnos. [16] *Offeretur* & hircus unus, victima pro peccato, præter holocaustum perpetuum, donariúmque ejus *farreum* & libamen. [17] Die secundo *hujus septidui*, *offeretis* juvencos duodecim, arietes duos, agnósque anniculos quatuordecim, *eósque* sine vitio. [18] Donaria autem *farrea* & libamina juvencis, arietibus & agnis, pro eorum numero *erunt*, & ritu *solito*. [19] *Offeretur* quoque hircus unus, victima pro peccato, præter holocau-

PARAPHRASIS.

[1] INITIO anni civilis, seu primo die septimi mensis anni sacri, festus conventus esto, tuba clangito, omnéque servile opus intermittitor. [2. 3. 4.] Juvencus unus, aries unus, & agni anniculi septem, cum solitis donariis farreis ac libaminibus in holocautoma offeruntor. [5] Hircus unus præterea, piacularis hostia mactator; [6] nec tamen interea quotidianum holocautoma, & Neomeniæ solitum Sacrum intermittuntor.

[7] Decimo die ejusdem mensis, Hebræi omnes jejunium observanto, conventum sacrum habento, neque ullum servile opus faciunto. [8 ad 11] Sacrum superiori simile; præter id quod antea (*Levit.* XVI.) in eum diem Lege definitum fuit, celebrator.

[12] Iterum decimo quinto die ejusdem mensis, festus conventus esto, omne opus servile intermittitor, & septem dies Deo festi habentor. [13 ad 16] Primo die festo, in holocautoma tredecim vituli, arietes duo & quatuordecim agni anniculi, cum solitis in singulos donariis & libaminibus; item hircus unus, pro peccato, mactantor, nec interea quotidianum holocautoma intermittitor. [17 ad 18] Sequentibus festis diebus, ad septimum usque, eadem Sa-

COMMENTARIUS

In CAPUT XXIX.

1. *Mense septimo*] Anni, nimirum, sacri, de quo ad Exod. XII, 2. civilis verò primo.

Fracti tubæ sonitûs] תרועה *throuhath.* Vide Levit. XXIII, 24. & Num. Cap. X, 5.

2. *Offeretis*] *Facietis.* Hoc sacrificium erat præter quotidianum, & præter sacrificium Neomeniæ, de quibus Capite superiore, ut est vers. 6.

6. *Rite*] כמשפטם *juxta sua judicia*, hoc est, consuetudines jure pontificio definitas.

7. *Decimo verò die*] Vide Levit. XVI, v. 29. XXIII, 27. & notata ad ea loca.

11. *Libamina victimarum*] *Libamina earum.*

 12. *De-*

cautoma perpetuum ejúsque munus, & victimarum libamina. 20. Die tertio, *offeretis* juvencos undecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim, *eósque* sine vitio. 21. Donaria eorum *farrea* & libaminina juvencis, arietibus & agnis, pro eorum numero *erunt*, & ritu *solito*. 22. Offeretur & hircus unus victima pro peccato, præter holocautoma perpetuum, donarium ejus *farreum* & libamen. 23. Die quarto, *offeretis* juvencos decem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim, *eósque* integros. 24. Donaria eorum *farrea*, libamináque juvencis, arietibus & agnis *erunt* pro eorum numero, & ritu *solito*. 25. *Offeretur* etiam hircus unus, præter holocautoma perpetuum, donariúmque *farreum* & libamen ejus. 26. Die quinto, *offeretis* juvencos novem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim *eósque* integros. 27. Donaria autem eorum *farrea* & libamina *erunt* juvencis, arietibus & agnis, pro eorum numero, & ritu *solito*. 28. *Offeretur* & hircus unus, victima pro peccato, præter holocautoma perpetuum, donariúmque *farreum* & libamen ejus. 29. Die sexto, *offeretis* juvencos octo, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim, *eósque* sine vitio. 30. Donaria eorum *farrea* & libamina juvencis, arietibus & agnis *erunt* pro eorum numero, & ritu *solito*. 31. *Offeretur* quoque hircus unus, victima pro peccato, præter holocautoma perpetuum, donariúmque *farreum* & libamen ejus. 32. Die septimo, *offeretis* juvencos septem, arietes duos, annos anniculos quatuordecim *eósque* integros. 33. Donaria eorum *farrea*, & libamina juvencis, arietibus & agnis *erunt* pro eorum numero, & ritu *solito*. 34. *Offeretur* & hircus unus, victima pro peccato, præter holocaustum perpetuum, donarium ejus *farreum* & libamen. 35. Die octavo, clausula vobis erit, nullúmque servile opus facietis. 36. Offeretis holocautoma, igne absumendum, in odorem placamenti Jehovæ; *nempe*, juvencum unum, arietem unum, agnos anniculos septem, *eósque* sine vitio. 37. Donaria eorum *farrea*, & libamina *erunt* juvenco, arieti & agnis, pro eorum numero, & ritu *solito*. 38. *Offeretur simul* hircus unus victima pro peccato, præter holocautoma perpetuum, donariúmque ejus *farreum* & libamen.

39. His facietis Jehovæ, statis vestris festis, præter votivas & spontaneas victimas vestras, ad holocautomata vestra, munera *farrea*, libamináque & salutaria sacra quod adtinet.

XXIX. Le-

Sacra, detracto tamen quotidie uno juvenco, funto. 35. Octavo verò die, festum clauditor, & feriæ sunto. 36. Eo die, in holocautoma juvencus unus, aries unus & agni anniculi septem mactantor, 37. donariáque ac libamina solita singulis adduntor. 38. Hircus præterea pro peccato mactator, & quotidianum Sacrum rite semper celebrator.

39. Hæc Sacra publica populi Hebræi, statis temporibus, religiosè peraguntor; nec eo seciùs privati votivas ac spontaneas suas victimas, & quæcumque Lege debentur, cum farreis donariis, libaminibusque definitis offerunto.

P A-

12. *Decimo quinto* &c.] Vide Levit. XXIII, 34.

11. *Ritu solito*] כַּמִּשְׁפָּט. Vide verf. 6.

35. *Clausula*] עֲצֶרֶת *hatsereth*. Vide dicta ad Levit. XXIII, 37.

39. *Votivas & spontaneas*] *Vota vestra*, & *spontanea vestra*.

Ad holocautomata — quod adtinet] לְעֹלֹתֵיכֶם *leholothechem* &c. seu voveritis holocausta, seu alia quæ memorantur in hac Lege. Omnis generis sacrificia, præter publica, intelligi videntur.

C O M-

XXIX. *Leges de votis virorum & mulierum.*

CAPUT XXX.

1. Alloquutus est Moses Israëlitas, pro omnibus mandatis quæ à Deo acceperat. 2. Alloquutus etiam est capita tribuum Israëlitarum, his verbis: hoc est quod jussit Jehova. 3. Cùm voverit vir Jehovæ, aut se jurejurando obstrinxerit, verbum suum non profanabit, sed quidquid ore suo exierit faciet.

4. Cùm verò mulier votum Jehovæ nuncuparit, séque domi patris sui, in pueritia obstrinxerit; 5. & pater ejus audierit ejus votum, aut *jusjurandum* quo se adstrinxit, tacueritque; omnia ejus vota rata erunt, & omne *jusjurandum*, quo se obligaverit, ratum erit. 6. Si verò pater ejus, quo die audiverit aliquod ejus votum, aut *jusjurandum* quo se adstringebat, revocaverit; omnia vota aut *promissa*, quibus se adstrinxerat, irrita erunt; Deúsque ei condonabit, quandoquidem pater ejus ea revocaverit. 7. Si *mulier* viro *nupta* fuerit, votisque obstricta sit, aut quidpiam protulerit labiis, quo se adstringeret; 8. audiveritque hoc vir ejus, & quo die audivit tacuerit, rata erunt ejus vota, aut *promissa* quibus se se obstrinxerit. 9. Si verò, quo die vir ejus hæc audiverit, ea revocet, tum irritum faciet votum ejus & quod labiis protulit, quo se obstrinxerat, ac Jehova ei condonabit. 10. Quocumque voto vidua, aut repudiata se obstrinxerit, id ratum erit. 11. Si verò domi viri sui voverat, aut se jurejurando obligaverat; 12. virque ejus audiens tacuerit, neque id revocaverit, omnia vota ejus & omnia *promissa* quibus se adstrinxe-

PARAPHRASIS.

1. Moses has, aliásque Leges, quas à Deo acceperat, Hebræo populo tulit; 2. & has quidem de Votis, apud Tribuum Principes, qui universum populum eas edocerent, exposuit. 3. Quicumque vir quidpiam licitum voverit, ne votum, ut temerè prolatum, revocare se posse putato, sed id quàm primùm poterit solvito.

4. Si verò puella, nondum nupta, domi patris sui quidpiam voverit, 5. audiente patre, eodémque silente, votum id ratum esto. 6. At si pater id illico revocare voluerit, liceto, puelláque amplius se non teneri intelligito. 7. 8. 9. Viro in uxoris vota idem jus esto, eadémque Lege, ac vota innuptæ puellæ, contineri censentor. 10. Si verò vidua, aut repudiata votum nuncuparit, cùm à nullius potestate pendeat, ratum id esto. 11. Si contigerit virum, antequàm uxor vota solverit, mori, aut eam repudiare; 12. vota quæ vir non

COMMENTARIUS

In Caput XXX.

1. P*Ro omnibus*] *Secundùm omnia quæ jussit Jehova Mosem.*

3. *Cùm voverit*] *Voverit votum.* Vota concipiebant de rebus, quæ Lege non jubebantur; ut si voverent victimas aliquot salutares, aut holocausta, quæ Lege offerre necesse non habebant. Ad ejusmodi promissiones deveniebant, qui aliquid à Deo impetrare cupiebant; quod videmus factum à matre Samuëlis Prophetæ, filium habere cupiente; quem ut à Deo impetraret, promisit se Deo consecraturam. Vide 1. Sam. I. Ejusmodi promissa religiosa, apud omnes pæne Gentes, usitata fuerunt; qua in re humanum genus cum Numine, potiùs humano more, quàm θεοπρεπῶς egit. Cùm enim quidpiam ab alio homine, qui gratis eo nos donare non vult, cupimus; pretium pollicemur, aut munus mutuum, quod re cupitâ acceptâ repræsentamus. Sic & homines cum Deo se gesserunt, à quo si votis damnarentur, quod polliciti erant solvebant. At si cogitassent cùm nos omnia debere Numini, quæ legi ejus rectæque rationi consentanea sunt; tum à Numinis arbitrio ita nos oportere pendere, ut ei electionem eorum quæ nobis conducunt prorsus permittamus; ab ejus modi violentis, ut ita dicam, precibus abstinuissent; parati æquo animo excipere quidquid à Deo mitteretur, & ad ejus voluntatem vitam suam componere.

Jurejurando obstrinxerit] *Juraverit jusjurandum, ad ligandum ligamen supra animam suam.* Hoc est, ut rectè Hieronymus, *se constrinxerit juramento*, nee opus est Hebraïsmum ad verbum verti, cùm tota ejus vis, expressâ etiam *ligandi* metaphorâ, duabus Latinis vocibus commodè exprimi queat.

Verbum suum non profanabit] לא יחל *lo jabhel*; hoc est, intelliget se non posse quod promisit negligere, quasi rem profanam; sed religione jurisjurandi aut voti, quasi ad curandam rem Deo sacram, obligari. Sic Ps. LV, 20. de fœdifrago חלל בריתו hhillel britho, *profanavit fœdus suum*; hoc est, quod juratus promiserat, id quasi rem sine jurisjurandi religione promissam, adeóque temerè effutitam habuit. Vide & Psalm. LXXXIX, 35. Rectè ergo *Onkelos* לא יבטל, & Vulg. *non irritum faciet.*

Quidquid ore suo exierit] Hoc est, quidquid promiserit, quod Ps. LXXXIX, 35. vocatur *egres-*

ſtrinxerit rata erunt. 13. At ſi vir ejus hæc infregerit, quo die ea audivit, quidquid
ejus ore egreſſum eſt & quod pertinet ad vota, aut *promiſſa* quibus ſe obligarit, irri-
tum erit; vir ejus ea infregit, & Jehova ei agnoſcet. 14. Omne votum & omne jus-
jurandum, quo ſe adſtrinxerit ad adſligendam animam ſuam, vir ejus rata, aut irri-
ta faciet. 15. Si tacuerit vir ejus, *&* de die in diem *rem diſtulerit*, tum omnia ejus
vota, omniáque ejus *promiſſa* rata fecerit; quia tacuerit, quo die ea audivit. 16. Si
verò ea vir infregerit, *aliquamdiu* poſtquàm audiverit, tum feret pœnas delicti uxoris.
17. Atque hæc ſunt inſtituta, quæ Deus Moſi in mandatis dedit, *de iis quæ circa vota
contingunt* inter vitum ejúſque uxorem, inter patrem ejúſque filiam, in hujus pueritia,
domi patris.

XXX. Bel-

non revocarit, cùm ea audiret, muliet ſolvito; 13. quæ à viro improbata fuerint irrita ſunto. 14. Neque viro in ea dumtaxat uxoris vota, quibus ex facultatibus ejus aliquid vovet, ſed etiam in ea quibus ſibi ipſa quidpiam durius impoſuerit, id juris eſto. 15. Verùm ut jure hoc ſuo vir uti poſſit, ipſo die quo vota uxoris audiverit, ea ſibi diſplicere ſignificato; ſin minùs, ea à ſe confirmata eſſe ſilentio ſuo intelligito. 16. Si poſtea votum irritum facere velit, pœnas violati voti, non uxorem, ſed ſe ipſum luiturum eſſe ſcito. 17. Atque hæ Leges de jure patris in vota filiæ, virique in vota uxoris, inter Hebræos obſervantor.

P A-

egreſſum labii; ſi modò promittere licnit. Vide Levit. V, 4. VI, 3. & notata ad ea loca. Hæc de *viris* voventibus, qnæ videntur etiam de pueris intelligenda; non qnòd pueti in pueritia, aut dum in familia paterna erant, cogerentur votnm ſolvere, neque enim aliena poterant vovere; ſed quòd quæ pneri aut adoleſcentes voverant, poſſent aliquando emancipati, aut patres familias facti & ipſi ſolvere. At puellæ qnæ erant in domo paterna, neque eâ egrediebantnr, niſi nt tranſirent in poteſtatem viri; à parente, aut viro in perpetuum pendebant, neque vota iis neſciis aut invitia ſuſcepta ſolvere, nolente patre, aut viro, poterant, nt ſequentia docent.

5. *Juſjurandum quo ſe adſtrinxit*] אסרה eſarah, *vinculum ejus*, hoc eſt, juſjurandum aut promiſſum quo *obligatur*.

Tacueritque] *Silentium* in Jure Romano pro conſenſu etiam ſumitur. Eſt in *Regulis Juris* leg. 142. *Qui tacet, non utique fatetur; ſed tamen verum eſt, eum non negare.* Sic & apud Hebræos, pater qui tacebat, vovente filia, non utique ipſe quoque vovebat, ſed tamen vernm erat ab eo votum improbatum non fniſſe.

Rata eruat] יקום *ſtabunt*; hoc eſt, pater ex ſuo ea ſolvere cogetur.

Revocaverit] הניא *heni*, aut irrita pronnnciarit. Ex alienis enim facultatibns vovere non licebat, niſi conſentiente domino. Addit Moſes אותה *eam*, qnod refertnr ad voventem. At vix Latinè exprimi poterat, Gallicè commodè dicas, *la dédiſe*, revocet qnod illa dixit. Vide ad verſ. 12. De verbo הניא dicemns ad Cap. XXXII, 7.

7. *Votis obſtricta ſit*] *Vota ejus ſuper ea*; hoc eſt, ſe obſtrinxerit. Sic Pſ. LVI, 13. *ſuper me* (עלי) *ſunt, ô Deus, vota tua, reddam tibi celebrationis ſacrificia.* Quæ debemns ea, phraſi Hebraïcâ, עלינו *ſuper nobis* eſſe dicuntnr. Vide 1. Reg. IV, 7.

Protulerit] *Prolatio labiorum ejus*, nempe, *ſuper ea ſit*; ſed mntatâ ſuperiore phraſi, mutari quoqne hanc oportuit.

8. *Tacuerit*] Vide ad verſ. 5.

11. *Rata erunt*] Nempe, in ejus vidnitate, aut dum repudiata vivit, ſi viro vivente, aut eam domi habente, nondum ſoluta ſunt.

13. *Irritum erit*] Qnamvis paullò pòſt vidua facta ſit, aut repudiata. Intelligendi enim verſus 11, 12, 13. de tempore viduitatis, aut repudii, poſt conceptum votum, ne ſit repetitio prorſns inntilis.

14. *Ad adſligendam animam ſuam*] Hoc eſt, voverit jejnnium, abſtinentiam à rebus venereis &c. Vide not. ad Levit. XVI, 29. Hoc additur quòd fortè videri potuiſſet hoc genns voti, invito marito, ratum eſſe oportere; quia non ea vovebantut, quæ ex ejns facultatibus ſolvi oporteret. At maritus in corpns uxoris jns etiam habuit; nec minùs pater, quamvis Rabbini nolint eum potuiſſe hoc votorum genns revocare. Fortè hic locns Moſis obverſabatnr animo Pauli, cùm ita ad Corinthios ſcriberet: *Unori vir debitum reddat, ſimilitérque uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliterque & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu, ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi* &c. 1 Cor. VII, 3, 4.

15. *Promiſſa, quibus ſe adſtrinxerit*] *Vincula ejus quæ ſuper ea.*

16. *Aliquamdiu poſtquam audiverit*] אחרי שמעו *poſtquàm audivit*, non illico, nempe, qnod licebat, ut ſuperiora docent, ſed aliquanto pòſt.

Feret pœnus delicti uxoris] את עונה *feret delictum ejus*, hoc eſt, voti ab uxore non ſoluti, quaſi ipſe voviſſet, nec tamen ſolvere voluiſſet, pœnas dabit. Idem de patre intelligi debere videtur, quia eſt eadem utriuſque ratio, qnod fatentur Rabbini; nnde etiam colligere eſt, circa ea quæ habentur verſ. 14. idem fuiſſe jus patris in filias innuptas, ac viri in uxorem.

C O M-

XXX. Bellum cum Madianitis, in quo virgines tantùm servantur, & præda populo dividitur.

1. ALLOQUUTUS est Jehova Mosem, his verbis: 2. Ultionem sumito de Ma-
dianitis *ob injuriam* Israëlitis *illatam*; deinde populis tuis adgregaberis. 3. Al-
loquutus ergo est Moses populum, dicens: expeditos date è vobis viros in
exercitum, ut sint contra Madianitas, ultionémque Jehovæ de Madiane sumant. 4.
Millenos, ex singulis tribubus, omnium tribuum Israëlis, ad hunc exercitum mittite.

CAPUT XXXI.

PARAPHRASIS.

1. CUM in Moabiticis campis morarentur He-
bræi, Deus Mosem jussit 2. de Madianitis,
qui submissis meretricibus Israëlitas à veri Numi-
nis vultu avocare studuerant, pœnas exigere; an-
tequàm animam, quod brevi futurum erat, effla-
ret. 3. Igitur Moses edixit populo læsum à Ma-
dianitis Dei Numen ulciscendum esse, atque ex-
peditos deligendos, qui bellum iis inferrent. 4. Dein
millenos singulis Tribubus delectos viros impera-
vit, ut duodecim millia armatorum ad eam expe-

COMMENTARIUS

In Caput XXXI.

2. ULtionem sumito de Madianitis, ob injuriam] *Ulciscere ultionem filiorum Israël de Madianitis*; hoc est, ut habet Vulgatus, *ulciscere Israëlitas de Madianitis.* Injuria duplex à Madianitis illata erat populo Hebræo; primùm enim conati erant eum, per Balahamum, diris devovere; deinde à veri Dei cultu, per meretrices, avocare; atque hæc posterior injuria hîc potissimùm respicitur.

Populis tuis adgregaberis] Morieris. Vide not. ad Gen. XXV, 8. Num. XX, 24.

3. *Expeditos date*] החלצו *hehhaletsou*, hoc est, *expedimini*, sed quia sequitur *è vobis*, res aliter exprimi non potuit. LXX. Intt. ἐξοπλίσατε. Vulg. *armate*, quasi legendum esset in *Hiphil* הַחֲלִיצוּ quod fortè melius est, certè analogiæ Grammaticæ convenientius. Propriè חלוץ *hhalouts* militem expeditum sonat, nullis impedimentis onustum. Vide Cap. XXXII, 21, 27, 30.

4. *Millenos ex singulis tribubus*] *Mille in tribum, mille in tribum.*

6. *Et Phinchasum*] *Eos & Phinchasum.*

Filium] Repetitur לצבא lattsaba, *in exercitum.*

Instrumenta sacra & tubæ] Est ἓν διὰ δυοῖν, pro tubis, quæ sunt inter sacra instrumenta, de quibus Num. Cap. X, 9. Possemus etiam vertere, *hoc est, tubæ.* Vide ad Gen. XIII, 15. Figuræ, quâ *unum per duo* effertur, exempla vide in not. ad Gen. III, 16. IV, 4. Ceterùm harum tubarum sonitus efficax erat ad terrendos hostes, ut ex Num. X. liquet.

7. *Bellum intulerunt*] יצבאו *jitsbeou*, quod posset etiam verti, *expeditionem susceperunt.* Madianitas, non exiguum populum, ut ex captivarum virginum numero adparet, duodecim hominum delectorum millia ad internecionem deleverunt, nullo Hebræo desiderato; non sine divinæ potentiæ miraculo. Vide versſ. 34, & 49.

Omnes masculos interemerunt] Hoc fieri solebat in internecinis bellis, & apud alias gentes, ut discimus ex *Hecuba* & *Troadibus* Euripidis, aliisque Tragœdiis; ex quibus adparet omnes masculos Trojanorum, qui inciderunt in Græcorum manus, occisos esse, si perpaucos excipias; mulieres verò in captivitatem abductas. At hoc interest inter bella, ab aliis Gentibus eo modo gesta, & bella populi Hebræi; quòd illæ adfectibus humanis, aut potiùs inhumanis, indulserint; hic verò divinæ justitiæ minister fuerit, non suarum injuriarum ultor. Itaque ab iis quæ gessere Hebræi ad alia bella, ab aliis populis olim gesta, aut quæ hodie geruntur, vel geri possunt, nulla colligere licet consectaria, quibus comparari queant. Quod crudeliter ab hominibus, sine Dei jussu fieret, aut factum est; id debuit ab Hebræis fieri, quia à Deo, vitæ & necis summo arbitro, jussi bellum ita gerebant.

Quæsiverit fortè nonnemo, quî justitiæ divinæ non repugnarit, ob adultorum Madianitarum, nec fortè omnium, culpam, totam Gentem deleri, exceptis puellis nondum virum expertis? Primùm qui peccarant, in hoc negotio, meritò capitis pœnas luere potuerunt, & paucissimi fortè adulti non probarunt Balahami consilium. Deinde alii, ne jam de communi humani generis depravatione loquar, ita non vixerant, ut possent jure queri sibi vitam immerentibus eripi. Denique infantes masculi sexûs, aut pueri citiùs à Deo rebus humanis eximi potuerunt, Hebræorum ferro, ut quotidie morbis aliisque casibus intereunt; quos feliciores existimamus plerisque, qui ad virilem ætatem vitam producunt; nec quidquam vetat Deum benignitate suâ erga illos, in altera vita, amissa multò liberaliùs pensare.

8. *Reges etiam*] Qui Reges hîc dicuntur מלכים *mlachim*, iidem Jos. XIII, 21. vocantur נסיכי סיחון *Sichonis præfecti.* Videntur, post mortem Sichonis, pro Regibus ἀνεπιδιαδήμοις se gessisse: quemadmodum, mortuo Alexandro, Satrapæ diadema & regium nomen sumserunt.

Super occisis aliis] על חלליהם *super occisis eorum*, hoc est, ne Regibus quidem peperce-

te. [5] Ex Chiliadibus Iſraëlis ſuppeditati ſunt milleni in tribum, *hoc eſt*, duodecim millia expeditorum in hunc exercitum. [6] Miſit ergo Moſes millenos in tribum, ad exercitum, & Phinchaſum Elehazaris ſacerdotis filium; inſtrumentáque ſacra, & tubæ fracti ſonitûs erant in ejus manu. [7]. *Hi* bellum intulerunt Madianitis, quemadmodum juſſerat Jehova Moſem, & omnes maſculos interemerunt. [8] Reges etiam Madianitarum Evin, Rekemum, Tſurem, Churem & Rebam, ſuper occiſis *aliis*, occiderunt. Quinque *hos* reges Madianitarum, & Balahamum Behoris filium ferro interfecerunt. [9] Tum Iſraëlitæ in captivitatem abduxerunt uxores Madianitarum, ac eorum impuberes; omniáque jumenta, omnes pecudes, & omnes eorum facultates diripuerunt. [10] Omnes eorum urbes, in eorum habitationibus, omniáque caſtella igne incenderunt. [11] Tum ceperunt omnia ſpolia, & univerſam prædam cùm ex hominibus, tum ex brutis; [12] duxerúntque ad Moſem, Elehazarem ſacerdotem, & cœtum Iſraëlitarum captivos, prædam, & ſpolia in caſtra, in campis Moabiticis ad Jordanem, *è regione* Jerichuntis *ſita.*

[13] Obviam eis è caſtris proceſſerunt Moſes, Elehazar ſacerdos, & omnes cœtûs principes. [14] Excanduit autem Moſes in copiarum præfectos, Chiliarchóſque &

peditionem proficiſcerentur. [5] Illico imperatum numerum ſuppeditarunt ſingulæ Tribus, [6] cumque exercitum miſit Moſes in Madianitas, unà cum Phinchaſo, Pontificis Maximi filio; quem tubis ſacris, ut Lex jubebat, inſtruxit. [7] Hæ copiæ Madianitas necopinos adgreſſæ oppreſſerunt, & maſculos omnes puberes ejus gentis ad internecionem deleverunt; imò [8] ne eorum quidem Regulis pepercerunt. Cumulo cadaverum ſuorum additi ſunt Evis, Rekemus, Tſur Chozbis pater, Chur & Reba quinque Madianitarum Reguli, antea Sichonis præfecti. Quin etiam Balahamum vatem, apud Madianitas, eo tempore, commorantem interfecerunt, ut & ipſe turpiſſimi conſilii auctor meritas pœnas daret. [9] Tum captivos abduxerunt pueros impuberes, atque univerſum muliebrem ſexum, direptis, incenſiſque prius Madianiticis omnibus urbibus, caſtelliſque & pagis. [11] [12] Sic agmen ſpoliis grave ad caſtra rediit, & prædam omnem captivorum capitum, pecoris, ceterarumque Madianiticarum facultatum ad populum Hebræum perduxit.

[13] Cùm eos adventare auditum eſſet, obviam iis, ne caſtra polluti ingrederentur, proceſſerunt Moſes, Elehazar, ceterique populi Hebræi proceres, qui in caſtris remanſerant. [14] Ubi propiùs acceſſiſſent, longum mulierum à Moſe proſpectum agmen ejus iram movit, adeò ut, quàm primùm du-

cerunt; aut Reges, occiſis ſatellitibus, fortiter dimicantes cadaverum cumulis adjecerunt, unde intelligere eſt, ſi aliud nihil diceretur, internecinum planè fuiſſe bellum.

Balahamum] Volunt Rabbini eum in Meſopotamiam profectum, ſubſtitiſſe apud Madianitas, cùm audivit conſilii ſui effectum, qui memoratur Cap. XXV. ut mercedem à Balako negatam ab iis exigeret. Sed quacumque de causâ patriam non repetierit, meritas pœnas ſcelerati conſilii luit; cùm à cultu Dei, quem verum eſſe norat, malis artibus Iſraëlitas avocare ſuaſiſſet populis Idololatris. Cùm ejuſmodi fuerit conſilium Balahami, ut Deum Hebræorum acerrimum Legum ſuarum vindicem, adeóque potentiſſimum Numen eſſe ſtatueret, mirum fortè videatur, cur Moabitæ & Madianitæ ad eum colendum, eo Balahami conſilio, potiùs quàm ad oppugnandum malis artibus populum Hebræum, adducti non fuerint. At Idololatræ ita Deos ſuos colebant, ut non negarent aliarum Gentium Deos ab iis coli oportere, crederéntque Numina ſingulorum populorum à populis ſibi conſecratis certum cultum poſtulare, quem ſi negligerent, iraſci iis ea Numina. Ut ergo Moabitæ, eorúmque ſocii exiſtimarunt iram *Jahvonis*, ſeu *Jehovæ*, ſe concitaturos in populum Hebræum, ſi eum ad aliena Sacra pellicerent: ita ſe putaſſent ultionem *Chemoſi* ſui, aut alius Numinis, quod ſibi proprium habebant, vitare non poſſe, ſi neglectis patriis ritibus alios ſibi adſciviſſent. Hinc nata & ſervata ſacrorum varietas, per Orientem, æquè ac inter occidentales populos.

Ferro interfecerunt] *Gladio.*

9. *Uxores*] Non videntur antea ſatis disertè moniti, has quoque pœnas capite luere oportere; & quia ſolebat, in bellis etiam internecinis, ſequiori ſexui parci, his ignoverant; quin etiam pueros impuberes abduxerant.

10. *Caſtella*] טירותם *tirotham.* Vide not. ad Gen. XXV, 16.

14. *Præfectos, Chiliarchóſque*] *Principes mille & principes centum.*

Ex bello geſto] מצבא המלחמה *ex exercitu belli*, aut potiùs *ex geſtione belli*; nam cùm Radix צבא, *tſaba*, interdum ſignificet *bellum gerere*, videtur hîc צבא non *exercitum*, ſed ipſam *belligerandi actionem* ſonare. Si puncta abeſſent, nihil etiam vetaret quominùs legeremus מצבא *mittſebo*, à gerendo bello.

15. *Annon ſervaſtis omnes fœminas*] Quorum fortè aliquot in agmine proſpexerat.

16. *Atqui hæ cauſa fuerunt*] *Illæ ecce fuerunt Iſraëlitis, pro verbo Balahami, ad dandum delictum in Jehovam.* Vide Cap. XXV.

17. *Omnes maſculos inter impuberes*] בטף *battaph.* Vide not. ad Gen. XXXIV, 29. Ait Moſes *inter impuberes*, quia in præda erant quoque puellæ impuberes. Præter quàm quòd Hebræi ſententiam à Deo in Madianitas pronunciatam exſequebantur; ratio erat manifeſta, cur impuberes maſculos interficerent, dum parcebant ejuſdem ætatis fœmellis. Nam ingens copia ſervorum, qui ſcirent ſe natus eſſe liberos, & ideò ſervire quòd patres ſui olim ab heris ad in-

& Centuriones qui ex bello gesto veniebant, 15. iisque dixit: annon servastis omnes fœminas? 16. Atqui hæ causa fuerunt Israëlitis, prout dixerat Balahamus, cur delictum in Jehovam admitterent propter Phehorem; fuitque plaga in cœtu Jehovæ. 17. Nunc ergo occidite omnes masculos, inter impuberes; omnémque mulierem quæ novit virum, masculi concubitu, interimite. 18. At omnes impuberes inter mulieres, quæ non noverunt concubitum masculi, vobis servate. 19. Tum castra habetote extra castra, per septem dies; & quicumque hominem occideritis, aut confossum adtigeritis, eum purificate die tertio, deinde die septimo, & vos & captivas vestras. 20. Omne etiam vestimentum, omne vas pelliceum, omne opificium *è pilis* caprarum, & omne vas ligneum purgabitis.

21. Dixit etiam Elehazar sacerdos viris exercitûs, qui ad bellum *gerendum* iverant: hoc institutum est legis, quam Mosi in mandatis dedit Jehova: 22. Præterea aurum, argentum, æs, ferrum, stannum, plumbum, 23. & quidquid in ignem mitti solet, transmittetis per ignem & mundabitur. Verumtamen aquis *etiam* immunditiei purgabitur. Quidquid verò in ignem mitti non solet, per aquam transmittetis. 24. Abluetis etiam vestimenta vestra, die septimo, & mundi eritis, postéaque in castra ingrediemini.

25. Dein-

duces alloqui potuit, 15. eos objurgarit quòd muliebri sexui pepercissent, 16. quem scirent occasionem populo Hebræo præbuisse peccandi in Deum, ex impio Balahami consilio, & gravis supplicii Numini luendi. 17. Itaque & impuberes masculos, à quibus olim Hebræis, si eos alerent, periculum esse poterat, & mulieres, quæ cum viris concubuissent, à quibus iterum corrumpi Hebræi poterant, occidi; 18. sed puellas impuberes, sine periculo servituras, incolumes servari jussit. 19. Hoc peracto, exercitum seorsim, per septem dies, castra metari, omnésque qui hostem interfecissent, aut cadaver adtigissent, aquâ lustrali, unà cum puellis captivis, tertio & septimo die purificari. 20. Vestes quoque opificiáque omnia pellicea, aut caprinis pilis contexta, & vasa lignea ablutione purganda esse, priùs quàm castris inferrentur, monuit.

21. Adjecit postea Elehazar, Pontifex Maximus, à Mose ad eos missus, oportere ipsa metalla, quæ hostibus pollutis eripuerant, purgari; nam id quoque Mosem in mandatis à Deo accepisse. 22. Itaque vasa omnia aurea, argentea, ænea, ferrea, stannea ac plumbea, & si quæ præterea infecta essent metalla, 23. & quidquid ignem ferre posset, per ignem transmitti oportere, & postea aquâ lustrali adspergi. Quod verò ignem ferre nequiret, id aquâ vivâ esse abluendum, 24. non secus ac vestes, quibus septimo die ablutis, milites Hebræi

internecionem essent deleti; ejusmodi, inquam, servorum ingens copia, degentibus Hebræis inter infensissimas gentes, Reipublicæ summopere timenda fuisset. Puellæ verò non ita poterant timeri.

Omnem mulierem quæ novit virum] Quia mulieres virum expertæ jam puberes erant, poterántque & veteris Idololatriæ meminisse, & pristinæ libertatis jacturam ægrè ferre; cùm puellæ impuberes, præteritis oblivioni mandatis, ad quosvis mores facilè fingi possent.

18. *Servate*] החיו *vivificate.*

19. *Hominem*] *Animam.*

Purificate] Ex præscripto Legis, quæ exstat Cap. XIX.

20. *E pilis caprarum*] עזים *hizzim*, intelligendos esse *pilos*, ostendunt superiora, in quibus Moses *vas pelliceum* memoravit, quod complectitur omnia vasa pellicea, seu caprinâ pelle, seu aliâ constent. Vide Exod. XXV, 4.

21. *Ad bellum gerendum iverant*] באים למלחמה *venientibus ad bellum.* Sed *ire* הלך & *venire* בוא passim miscentur.

23. *In ignem mitti solet*] יבוא באש *veniet in ignem.*

Transmittetis per ignem] Per flammam; vix enim credibile est liquefacta omnia vasa, quæ Madianitis abstulerant; quorum pretium, non modò in materia, sed & sæpe in forma situm est.

Aquis immunditiei] מי נדה *me niddah.* De posteriore voce, vide ad Levit. XII, 2.

In ignem mitti non solet] *Non veniet in ignem*, quippe quod vim ignis ferre non potest.

24. *Rerum captarum*] מלקוח *malkoahh* prædæ.

Abductam] השבי hasschebi, *captivitatis.*

26. *Capita domuum patrum*] ראשי אבות *raschee aboth*, capita patrum. Subauditur בית *domus*, aut בתי *domuum*; intelliguntur enim principes Tribuum, quorum quisque vocari solebat ראש בית אב *caput domûs patris.* Vide not. ad Num. Cap. I, 2.

27. *Inter totum cœtum*] Hoc est, reliquum cœtum, apud quem uxores & liberi, impedimentáque omnia eorum, qui in expeditionem profecti fuerant, manserant.

28. *Partem auferes*] הרמות מכס *adtolles partem.* Sequuti sumus Vulgatum Int. LXX. habent τέλος, quòd מכס, apud Arabas, *tributum* sonet. Sed cùm derivetur à כסס *numeravit*, potiùs *partem quæ numeratur* significat.

28. *Militibus*] *Viris belli*, ut Galli dicunt, *gens de guerre.*

29. *Oblationem elatam Jehovæ*] Quæ in usum Sacerdotibus cedebat. Vide Cap. XVIII, 59.

13. *Israelitarum*] Qui in castris remanserant.

Unum capies] *Capies unum adprehensum* אחז *ahhouz.* Sic & vers. 47. Transeuntibus pecudibus, aut puellis, coram Mose, quingentesima, aut quinquagesima adprehendebatur.

Tabernaculi curam gerentes] *Servantes servationem Tabernaculi.* Vide not. ad Cap. I, 53.

32. *Quæ*

25. Deinde dixit Jehova Mosi: 26. ſubducite ſummam rerum captarum & abducta-
rum, cùm ex hominibus, tum ex brutis, tu, Elehazar ſacerdos, & capita *domuum*
patrum cœtûs. 27. Tum divides prædam in duas dimidias partes, inter eos qui bel-
lum geſſerunt, & in exercitum egreſſi ſunt, atque inter totum cœtum. 28. Exin par-
tem auferes Jehovæ, à militibus in exercitum egreſſis, animam unam è quingentis cùm
ex hominibus, tum ex bobus, aſinis, capriſque & ovibus. 29. *Hoc* ex dimidia eorum
parte capietis, dabitiſque Elehazari Sacerdoti, *in* oblationem elatam Jehovæ. 30. E
dimidia etiam parte Iſraëlitarum, unum capies è quinquagenis, cùm ex hominibus,
tum ex bobus, aſinis, capris, agnis, omnibúſque pecudibus; eóque donabis Levitas,
tabernaculi Jehovæ curam gerentes. 31. Fecerunt autem Moſes, & Elehazar ſacerdos,
quomodo Jehova Moſem juſſerat.

32. Fuit præda, *quæ* ſupererat ex eo quod diripuerat exercitus, ſexcentarum ſep-
tuaginta quinque millium ovium *aut* caprarum; 33. ſeptuaginta duûm millium boum;
34. unius & ſexaginta millium aſinorum; 35. hominum muliebris ſexûs, quæ maſculi
concubitum non norant, omnino triginta duûm millium.

36. Dimidia pars eorum fuit, qui in exercitum egreſſi fuerant, & numerus quidem
caprini & ovilli generis, trecenta, triginta ſeptem millia *pecudum*, quingentæ. 37. Ex
hoc ovillo & caprino genere pars Jehovæ, fuit ſexcentarum ſeptuaginta quinque *pecu-
dum*. 38. Boum fuere triginta ſex millia, & pars Jehovæ ſeptuaginta duo. 39. Aſi-
norum *erant* triginta millia, quingenti, & pars Jehovæ unus & ſexaginta. 40. Ho-
minum *erant* ſexdecim millia, & pars Jehovæ triginta duæ. 41. Donavit autem
Mo-

bræi mundi futuri erant, & caſtra ingreſſuri.
25. Juſſit etiam Deus prædam omnem ex homi-
nibus & pecudibus à Moſe, Elehazare, & Tri-
buum principibus numerari, 27. deinde eam in
duas partes æquales dividi; quarum altera quidem
futura erat populi qui in caſtris remanſerat, altera
verò eorum qui bellum capitis ſui periculo con-
fecerant, adeoque majore parte hujus prædæ do-
nari debebant; præter vaſa omnia, metalláque in-
fecta & veſtes, quæ deletis hoſtibus abſtulerant.
28. Tum ex dimidia parte, quæ militibus ceſſiſſet,
capi unam ex quingentis cùm puellis, tum pecu-
dibus, eáque quingenteſimâ Deo ſepoſitâ, 29. qua-
ſi elatâ oblatione, Pontificem Maximum donari.
30. Ex parte verò, quæ populo Hebræo adtribu-
ta foret, unam ex quinquagenis, cùm puellam,
tum pecudem ſeponi, & Levitis Tabernaculi
Conventûs curam gerentibus dari. 31. Quod, prout
juſſerat Deus, exſequutioni mandatum eſt.
32. Numeratis autem pecudibus, inventa ſunt
ſexcenta, ſeptuaginta quinque millia ovium, aut
caprarum; 33. ſeptuaginta duo millia boum; 34.
aſinorum unum & ſexaginta millia: 35. puellarum
denique, virum nondum expertarum, triginta duo
millia.
36. Igitur qui ex Madianitica expeditione venie-
bant, præter veſtem omnem, vaſaque ex variis
metallis, & metalla infecta, habuerunt ex capri-
no & ovillo genere trecenta triginta ſeptem mil-
lia pecudum & quingentas. 37. Ex quo numero E-
lehazar quingenteſimam partem, ſexcentas ſeptuagin-
ta quinque minores pecudes accepit. 38. Boum erant
tri-

32. *Quæ ſupererat*] יתר *jether*; quia, nempe, à duodecim virorum millibus, à quibus bellum geſtum fuerat, multa fuerant abſumta. Vide Gen. XIV, 24.

34. *Hominum muliebris ſexûs*] *Animæ hominis è mulieribus.* Ita loqui ſolent, ubi de ſervis, aut captivis ſermo eſt. Vide verſ. 40.

35. *Dimidia pars*] Quia, nempe, ſoli periculum ſubierant, majore parte prædæ donari debuerunt.

37. *Septingentarum* &c.] Elehazar hinc non ſpernendas divitias ſibi ſubitò comparavit.

41. *Levitas donavit*] Ellipſes membri orationis ſæpe in Hebræorum ſtylo animadvertimus, cùm aliis in narrationibus, tum in diſtributionibus, qualis hæc eſt, ut ſuprà Cap. IX, 20. Expolitâ, nempe, antea diſtributione, facilè alterum membrum ſuppletur. Attamen abundant Hebræi in aliis, quæ non minùs facilè intelligi poterant, quamvis omitterentur, ut ſequentia oſtendunt, ubi numeri iidem ac in ſuperioribus repetuntur.

Quemadmodum à Jehova juſſus fuerat] *Ut Moſem juſſerat Jehova.*

48. *Præfecti Chiliadibus*] Videntur hîc ſignari tria ducum genera, ſ. qui pluribus Chiliadibus præerant, ut Imperator exercitûs & qui ei Legatorum loco erant. 2. Chiliarchi propriè dicti: 3. Centuriones.

49. *In poteſtate noſtra*] *In manu noſtra*, hoc eſt, quibus ſumus Præfecti. Vide ſup. Cap. IV, 28, 33.

50. *Quod quiſque nactus fuerit*] Ex præda, nempe, inter eos diviſa.

Armillas] אצעדה *atsbadah*, armillam. Ornamentum eſſe *brachii* manifeſtò liquet ex 2. Sam. I, 10. Ac ſanè LXX. Int. utrobique χλιδῶνα verterunt. Vulgatus hîc *periſcelides*, illic *armillam.*

Torques] צמיד *tſamid.* Eſt hoc quoque armillæ genus. Vide Gen. XXIV, 22, & 47. & ad eum locum notata. Sed quodnam inter hæc diſcrimen eſſet dixerint qui viderint.

Inaures] טבעת עגיל *annulum inauris.* Vide not. ad Gen. XXIV, 47. LXX. δακτύλιον, καὶ περιδέξιον Vulg. *annulos & dextralia.*

Globulos] כומז *chomaz.* Radix כמז, apud Arabas, ſignificat, ut obſervavit *Lud. Cappellus*, manibus in rotundam formam fingere, un-

Moses parte oblationis elatæ Elehazarem Sacerdotem, quemadmodum eum jusserat Jehova.

42. Dimidia verò parte Israëlitarum, quam *iis* diviserat Moses, *&* à viris qui bellum gesserant *abstulerat*, *Levitas donavit.* 43. Dimidia pars cœtûs è caprino & ovillo genere *fuit* trecentorum, triginta septem millium, quingentarum *pecudum.* 44. Boum *fuerunt* triginta sex millia; 45. asinorum triginta millia, quingenti; 46. hominum sexdecim millia. 47. Cepit Moses è dimidia Israëlitarum parte unum è quinquagenis, cùm ex hominibus, tum ex pecudibus; eòque donavit Levitas tabernaculi Jehovæ curam gerentes, quemadmodum à Jehova jussus fuerat.

48. Accesserunt deinde Præfecti chiliadibus exercitûs, Chiliarchi & Centuriones, 49. dixerúntque Mosi: servi tui subduxerunt summam militum, qui sunt in potestate nostra, & ne unus quidem desideratur. 50. Itaque offeremus oblationem Jehovæ, quod quisque nactus fuerit, vasa aurea, armillas, torques, inaures & globulos, ut expientur animæ nostræ coram Jehova. 51. Accepere Moses & Elehazar sacerdos ab iis omne aurum, & omne vas arte *confectum.* 52. Fuit autem omne aurum oblationis elatæ, quam obtulerunt Jehovæ, sexdecim millia siclorum, septingenti quinquaginta, à Chiliarchis, Centurionibúsque *collatum.* 53. Milites verò sibi quisque sunt prædati. 54. Moses & Elehazar aurum acceperunt à *solis* Chiliarchis & Centurionibus, idque intulerunt tentorio conventûs, *ut* Israëlitarum *esset* monumentum coram Jehova.

XXXI. Ru-

triginta sex millia, ex quibus septuaginta duo Elehazari dati sunt. 39. Asini fuerunt trigesies millies quingenti, ex quibus uno & sexaginta donatus est Elehazar. 40. 41. Puellarum erant sexdecim millia, ex quibus triginta duæ Elehazari cessere. Atque hæc fuit pars, cùm eorum qui bellum confecerant, tum etiam Pontificis Maximi, quem, Deo jubente, quingentesimâ donavit Moses.

42 *ad* 47. Ex dimidia verò parte, quæ pertinebat ad totum populum, qui in castris remanserat, donati sunt Levitæ, & quinquagesimam quidem puellarum & pecudum acceperunt.

48. Postea duces exercitûs Mosem convenerunt, 49. eíque significarunt, iterum numeratis copiis quibus præfuerant, se comperisse ne unum quidem virum desiderari; 50. ex qua re intelligebant Deum Opt. Max. singularem curam exercitûs sui gessisse, 50. quamvis Madianitarum mulieribus, contra ejus mandata, pepercissent. Velle se autem, ut gratias se Deo habere palam testificarentur, eúmque sibi propitium facerent, quidquid à se erat captum auri infecti vel aureæ supellectilis ei consecrare. 51. Quod cùm dixissent, Mosi & Aharoni tradiderunt 52. octies mille trecentas septuaginta quinque uncias auri, 53. quod eripuerant duces Madianitis; præter id quod gregarii milites habere poterant, & quod sibi servarunt. 54. Moses verò & Elehazar aurum à ducibus acceptum deposuerunt in Tabernaculo Conventûs, ut æternum esset eorum pietatis monumentum.

P A-

unde *globulos* vertimus. LXX. ἐμπλόκιον. Vulg. *murenulas.*

Ut expientur animæ nostræ] Hoc est, ut eâ oblatione propitium nobis faciamus Deum. Fœminis pepercerant, quas occidi oportuit.

51. *Vas arte confectum*] כלי מעשה *vas operis.*

52. *Sexdecim millia* &c.] Hoc est, auri 8375. uncias. Ingens auri pondus, si reputemus à paucis datum.

54. *Idque intulerunt*] Fortè liquefactum, tantum enim auri pondus, in vasa conflatum, Tentorium, ubi erant jam Mensa, Candelabrum & Altare, nimiùm impediisset.

XXXI. Rubenitæ & Gaditæ, dimidiáque pars Tribûs Manassæ agros ad ortum Jordanis sitos impetrant, eâ lege, ut armati certo numero reliquos Israëlitas comitentur trans Jordanem.

CAPUT XXXII. 1. CUm esset Rubenitis magna res pecuaria, & Gaditis longè maxima, viderunt terram Jahzeris, & Galahaditicam, ecce verò ea loca, loca erant pecora *aptissima*. 2. Venerunt itaque Gaditæ & Rubenitæ, dixeruntque Mosi & Elehazari sacerdoti, principibúsque cœtûs: 3. Hatarothæ, Dibon, Jahzer, Nimra, Chesbon, Elhale, Sebamum, Nebo, & Behon, 4. terra *denique* quam percussit Jehova, ante cœtum Israëlis, terra est pecori *apta*, servis autem tuis *multum est* pecus. 5. Si ergo, inquiunt, gratiam apud te nacti sumus, detur hæc terra servis tuis, in possessionem; neque nos Jordanem trajicias. 6. Moses verò Gaditis & Rubenitis: an, inquit, fratres vestri ad bellum ibunt, vos verò hîc considebitis? 7. Quare animum Israëlitarum revocatis, ne in terram, quâ Jehova eos donavit, transeant? 8. Sic

PARAPHRASIS.

1. HIsce victoriis Hebræi ingentem sibi rem pecuariam fecerant, sed præ ceteris eâ abundabant Rubenitæ, Gaditæ, & Manassitarum plurimi. Erant autem duo regna, ad Jordanis ortum subacta, pecori aptissima; quod cùm pecuarii illi animadvertissent, 2. Mosem, Elehazarem, & populi reliquos principes adierunt, sibi in eo tractu agros petituri. 3. Dixerunt se animadvertisse agros urbium subactarum alendo pecori aptos esse, 4. totámque regionem armis partam pinguibus pascuis refertam; se autem ingentem pecoris copiam habere, 5. itaque orare se Mosem, & populi proceres, sibi illic agros dividerent, ne Jordanem trajicere cogerentur. 6. His auditis, Moses homines graviter castigavit, quod auderent à se petere, ut agrum à toto populo Hebræo bello partum duabus Tribubus & dimidiæ divideret; in quo quietæ habitarent, dum ceteræ bellum, ad quærendas sibi sedes, etiamnum gererent. 7. Ista verò eo tendere ut reliqui Hebræi absterrerentur, ne promissæ sibi à Deo terræ possessionem, trajecto Jordane, adirent. 8. Ita se gessisse eorum patres, ante triginta

COMMENTARIUS

In CAPUT XXXII.

1. MAgna res pecuaria] מקנה רב *mibneh rab*, pecus multum.

Longè maxima] עצום מאד *copiosum valde.*

Viderunt] *Et erat*] *& viderunt.*

Jabzeris] יעזר *Jabzer.* Vide notat. ad Cap. XXII, 32.

Galahaditicam] גלעד *gilbad*, ut hanc vocem efferunt Massorethæ. Vide Gen. XXXI, 21.

Loca erant pecori aptissima] *Is locus erat pecoris. Basanitidis*, vel *Batanææ* partes sunt, quam regionem alendo pecori aptissimam esse sæpe docet Scriptura. Vide notata ad Gen. XLIX, 26.

3. *Hatarothæ* &c.] Urbes sunt regnorum Hogi, & Sichonis. Alia fuit urbs עטרות dicta, in Tribu Ephraïmi, ad occasum Jordanis, de qua Jos. XVI, vers. 2, 5, 7.

Dibon] Vide not. ad Cap. XXI, 30.

Jabzer] Vide ad Cap. XXI, 32.

Nimra] Infrà vers. 36. vocatur בית נמרה *bethnimrah.* Videtur etiam vocari נמרים *nimrim* Esai. XV, 6. ubi Propheta loquitur de agro ejus urbis, ut pascuis abundante. *Hieronymus* in locis Heb. hæc loca distinguit, & *Nemram* ait fuisse suis temporibus *vicum grandem.*

Chesbon] De hac urbe ita *Hieronymus*, in locis Heb. ESEBON, *civitas Seon Regis Amorræorum in terra Galahad; quæ cùm fuisset ante Moabitarum, ab Amorræis belli jure possessa est — Porrò nunc vocatur urbs insignis Arabiæ, in montibus qui sunt contra Hiericho, viginti à Jordane millibus distans.*

Elhale] *Usque hodie*, ait *Hieronymus*, *villa grandis ostenditur, in primo ab Esbus millario.*

Sebamam] שבם *sebbam.* Versu 38. vocatur שבמה *sebibmah.* Ejus ager vinetis suis celebris erat, ut liquet ex Esai. XVI, 8, 9. Jer. XLVIII, 32. *Hieronymus* in locis Heb. SEBAMA, *civitas Moab in terra Galahad, quæ cecidit in sortem tribûs Ruben.*

Nebo] *Hieronymus* ibidem: NABO, *civitas filiorum Ruben in regione Galaad, cujus meminit Esaias in visione contra Moab, & Hieremias — sed & usque hodie ostenditur locus desertus Naba, distans à civitate Esbus millibus octo contra meridianam plagam.*

Behon] בען, quod oppidum, mutato nomine, dictum est בעל מען *bahal-mebon*, ut habet Moses vers. 38. Jos. XIII, 17. vocatur בית בעל מען *beth-bahal mebon*, Jer. XLVIII, 23. בית מען *beth mebon.*

4. *Quam percussit Jehova*] Hoc est, cujus incolas, singulari Dei auxilio, vicimus & ad internecionem delevimus. Id dicitur facere Deus, quod eo jubente & adjuvante fit. Vide Deut. II, 33. & lege historiam hujus victoriæ suprà Cap. XXI.

5. *Si gratiam* &c.] Vide not. ad Gen. Cap. VI, 8.

7. *Ani-*

8. Sic fecerunt patres vestri, cùm eos ex Kadesbarnea ad regionem speculandam mitterem. 9. Iverunt in vallem Eschol, viderúntque terram, & animum Israëlitarum revocarunt, ne irent in terram quâ eos donabat Jehova. 10. Incensa est autem die illo ira Jehovæ, & juravit his verbis: 11. Homines qui adscenderunt ex Ægypto, à viginti annis natis &. suprà, non videbunt eam terram, quam Abrahamo, Isaaco & Jacobo juratus promisi; quia constanter me non sunt sequuti; 12. exceptis Chalebo Kenizæo, Jephunnæ, & Josuâ, Nunis filio, quandoquidem constanter Jehovam sequuti sunt. 13. Accensa ergo cùm esset ira Jehovæ in Israëlem, eos circumduxit in hoc deserto, quadraginta annis, donec absumta esset omnis illa ætas, quæ quod malum videbatur Jehovæ admiserit. 14. Ecce autem, in locum patrum vestrorum, surrexistis multitudo hominum peccatorum, ut adhuc augeatis excandescentiam iræ Jehovæ in Israëlem. 15. Si Deum sequi detractaveritis, perget eum detinere in hoc deserto, & universum hunc populum perdetis.

16. Accesserunt verò *illi*, &, caulas, inquiunt, hîc pecori nostro, urbésque impuberibus nostris ædificabimus, nos verò expediti properabimus ante Israëlitas, donec

ginta octo annos, cùm Chananæam speculati, fructibusque ejus conspectis, 9. speculatores ipsi, inanibus terriculamentis, animum totius populi fregerant, ne invadere Chananæam auderet. 10. Qua de causa iratus meritò Deus 11. significaverat se nullâ ratione passurum, ut quisquam ex iis, qui tum viginti annis majores erant, terram Hebræis promissam ingrederetur; 12. exceptis Chalebo Jephunnæ, & Josua Nunis filio, qui Dei imperiis obsequi voluerant; ac Levitis, qui ejus rebellionis conscii non fuerant. 13. Itaque Deum jussisse Hebræos in Arabicis solitudinibus vagari per triginta octo annos, donec universa illa rebellium ætas absumta esset. 14. Nunc verò exortos eorum similes, ea consilia agitare, quibus Dei in Israelitas major ira quàm antea concitetur; 15. quâ futurum sit ut sibi non obsequentes in deserto sit detenturus, & universum populum Hebræum perditurus.

16. At Rubenitæ, & qui cum iis agros ad ortum Jordanis petebant, professi sunt sibi non esse eum animum quem suspicabatur Moses; neque enim aliud postulare se, nisi ut sibi liceat captas urbes instaurare, in quibus mulieres, impuberésque & senes cum impedimentis relinquerent, & caulas pecori suo ædificare. 17. At viros militaris ætatis castra populi Hebræi expeditos sequuturos, donec aliæ etiam Tribus quietas sedes sibi parassent;

7. *Animum revocatis*] תניאון את לב *thnioun eth leb*. Sic τὸ *Keri*, nam τὸ *Chetib* habet תנואון mendosè. Samaritæ תניאו Verbum הניא Cap. XXX. ubi sermo est de voventibus, & alibi, *revocare*, *irritum facere*, significat. Hîc conjunctum voci לב *leb* videtur sonare *animum frangere*, hoc est, animum ab agendo quod constituerat revocare, adeóque consilium irritum facere. Sic Psalm. XXXIII, 10. *Jehova irritum reddit* (הפיר) *consilium gentium*; *revocat* (הניא) *cogitationes populorum*. Vide & vers. 9. LXX. Intt. habent διεςρέψατε διανοίας, quod videtur esse idem ac ἀπεςρέψατε *avocatis*, non verò *subvertitis*, ut habet *Hieronymus*; nam versu 9. יניאו vertunt ἀπέςησαν.

11. *Non videbunt*] אם *si videbunt*. Vide not. ad Gen. XLII, 15.

Juratus promisi] *Juravi*.

Quia constanter me non sunt sequuti] לא מלאו אחרי *non perseverarunt post me*. Vide not. ad Cap. XIV, 24.

12. *Kenizæo*] Ex posteris Kenazi ex Tribu Judæ, cujus mentio fit 1. Paral. IV, 13, 15. Jos. XV, vers. 17. Itaque קנזי nomen est familiæ minoris Tribûs Judæ, quandoquidem non memoratur in Censu Cap. XXVI. Scholiastes Vaticanus hîc habet: ὁ Κενεζαῖος, ἤτοι ἀποχωρίσας ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς βουλῆς τῶν Ἰσραὴλ λεγόντων, ὁ πορευσώμεθα εἰς τὴν γῆν, cui simile nihil est in Samaritico interprete.

13. *Accensa ergo cùm esset*] *Et accensa est*. Vide vers. 10.

Circumduxit] ינעם *jinnahem*, errare, aut vagari fecit.

Quæ quod malum videbatur Jehovæ admiserat] עשה הרע בעיני יהוה *faciens malum in oculis Jehovæ*. Participium *Benoni* præteritum etiam sonat. Vide *Glassii* Gramm. Sacram. Tract. IV. Can. 5. & infrà vers. 24.

14. *Augentis excandescentiam*] *Ad addendum ad excandescentium*. Τὸ ל in לספות *ad addendum* interpretamur ἐκβατικῶς, neque enim datâ operâ Dei iram movere voluisse statuuntur Rubenitæ.

15. *Deum sequi detrectaveritis*] תשובן מאחריו *aversi fueritis à post eum*. Arca enim Dei prævia tura erat. Hebræo cuivis dici meritò potuit, quod, apud Græcos, veteris cujusdam sapientis præceptum ferebatur: ἕπου Θεῷ *Deum sequere*. *Cicero* de Finibus Lib. III. c. 22. *Sunt veterum præcepta sapientium, qui jubent tempori parcere, & sequi Deum, & se noscere, & nihil nimis*. Vide & *Plutarchum*, initio Lib. de Auditione. Ita adfectos esse singulos Hebræos oportuit, ut cum Stoico sapiente dicere possent: *Non pareo Deo, sed adsentior; ex animo illum, non quia necesse est*, SEQUOR. Seneca, Ep. XCVI.

16. *Accesserunt verò illi*] Propiùs, nempe, aut est Hebraica repetitio.

Caulas] גדרות *gidroth*, ἐπαύλεις, ut habent LXX. Intt. Septa sub dio, pariete, aut muro cincta, in quibus pernoctant pecudes, & contra ferarum insidias servantur.

Urbes ædificabimus] Hoc est, instaurabimus, & munimento raptim cingemus. Tantus erat Israëlitarum ubique, apud finitimas Gentes, trans Jordanem terror, ut nemo eos invadere au-

nec eos in locum ipsorum intromiserimus ; at nostri impuberes urbes munitas habitabunt , propter regionis incolas. 18. Non revertemur domum , donec quisque Israëlitarum in possessionem suam iverit. 19. Neque enim cum iis prædia accipiemus trans Jordanem, & ulteriùs , quandoquidem obvenerint nobis prædia nostra, cis Jordanem ad orientem. 20. Tum verò iis Moses, si hoc, inquit, feceritis, si expediti sitis in conspectu Jehovæ ad bellum, 21. & omnes expediti è vobis transierint Jordanem coram Jehova, donec hostes suos è conspectu suo expulerit, 22. eáque terra in conspectu Jehovæ subacta sit , ac postea *demum* redieritis; tum eritis innoxii apud Jehovam & apud Israëlem , eritque vobis hæc terra in possessionem, coram Jehova. 23. Sin verò secus feceritis, en peccatis in Jehovam, & scitote fore ut pœnæ peccati vestri vos inveniant. 24. Condite vobis urbes, pro impuberibus vestris, & caulas ovibus vestris ; tum quod egressum est ex ore vestro facietis. 25. Gaditæ verò & Rubenitæ Mosi, facient, inquiunt, servi tui , quemadmodum dominus meus jubet. 26. Impuberes nostri, uxores nostræ, pecus nostrum, omniáque jumenta nostra illic erunt, in urbibus Galahaditicis. 27. Transibunt autem servi tui omnes ad militiam expediti, coram Jehova, ad bellum *gerendum* , quemadmodum dominus meus ait.

28. Itaque de iis mandata dedit Moses Elehazari sacerdoti, Josuæ, Nunis filio, & capitibus domuum patrum tribuum Israëlitarum ; 29. atque his , si transierint, inquit , Gaditæ & Rubenitæ Jordanem vobiscum , omnes expediti ad bellum, in con-

sent ; dum pueri , aliique bello inepti , in urbibus munitis, ad ortum Jordanis sitis , tuto mansuri essent. 18. Polliceri se non citiùs redituros domum, quàm reliqui Hebræi agrorum sibi attributorum possessionem adiissent ; 19. neque se ulla prædia ad occasum Jordanis petituros. 20. 21. 22. Hæc cùm audiret Moses , placatus est, dixitque, si iis promissis starent, nihil esse cur Deus aut homines iis indignarentur ; 23. at si seciùs facerent, Deo gravissimas pœnas eos luituros. 24. Eâ demum lege licere iis instaurare Perææ urbes , cauláſque pecori ædificare , ut impuberes tantùm illic, bellóque ineptos cum impedimentis & gregibus relinquerent. 25. 26. 27. Illi verò conditionem accipere se responderunt , & promissa sua iterarunt.

28. Tum Moses Elehazarem, Josuam , & principes Tribuum rei memores esse jussit , 29. ac tum demum Peræam possidendam concedere Rubenitis , Gaditis , & dimidiæ Tribui Manassæ, cùm expediti trajecissent Jordanem , ceteráſque Tribus in sedibus capiendis adjuvissent. 30. Sin verò expediti, relictis impuberibus, mulieribus , senibúsque & impedimentis in Peræa, transire nollent, integras Tribus esse trajiciendas, agrósque eis ad occasum Jordanis, ut ceteris , esse dividendos. 31. 32. Illi verò his auditis, tertiâ vice, coram omnibus

auderet ; & norant Rubenitæ & Gaditæ si, volente Deo , Jordanem trajicerent , nihil esse quod senibus , adolescentulis & mulieribus timerent.

17. *Expediti properabimus*] *Expediemur properantes.*

Propter regionis incolas] Hoc est , qui fugâ sibi consuluerant , & è cæde elapsi erant ; quales sine dubio multi fuerunt , præsertim qui in finibus regnorum Sichonis & Hogi habitabant , & ad vicinas gentes facilè profugere potuerunt.

19. *Prædia nostra*] נחלתנו *possessio* , aut *hereditas nostra.*

21. *Omnes expediti*] *Omnis expeditus vobis.*

Coram Jehova] Hoc sæpe repetitur , ob singularem Dei in castris populi Hebræi præsentiam.

22. *Apud Jehovam*] מיהוה *mijjahavoh*, à Jehova. Hebraismus est , qui aliquoties in hoc Capite occurrit.

23. *Sin secus feceritis*] *Nisi feceritis ita.*

Peccati vestri pœnæ vos inveniant] *Peccatum vestrum vos inveniet* ; hoc est , pœnas ei peccato debitas non effugietis. Vide not. in Gen. XLIV, vers. 34.

24. *Egressum*] *Egrediens.* Vide ad vers. 13. Hoc est , verba quæ dixistis. Adi not. ad Cap. XXX, 3.

25. *Dominus meus*] Quia unus omnium nomine loquebatur. Ideóque initio versûs non est ויאמרו *& dixerunt* , sed ויאמר *& dixit* , quod Latinè exprimere non potuimus.

26. *In urbibus Galahaditicis*] Vide ad vers. 39.

28. *De iis*] להם *iis* , hoc est, ad eos pertinentia.

29. *Atque his*] *Et dixit Moses illis.*

30. *Terram Galahaditicam*] Nomine *terræ Galahad* intelligitur quidquid erat ad ortum Jordanis ab Israëlitis armis partum , quòd fortè *Galahaditidis* potissima pars haberetur.

Sed integræ Tribus] Hoc supplevimus , quod necessariò subaudiendum est , ut ipsa res clamat ; neque enim jubet Moses Gaditis & Rubenitis agros dividi ad occasum Jordanis , si nolint eum trajicere , quod est absurdum ; sed si nolint hoc facere, quod polliciti erant, nimirum , expeditos trajecturos eum fluvium cum reliquis Israëlitis ; tum verò totas Tribus oportere sedes quærere , cum aliis , trans Jordanem. Ejusmodi *Ellipseos* vide exempla Cap. XXXI, 42.

31. *Quod dixit Jehova*] Per Mosem , qui nomine Dei Rempublicam Populi Hebræi administrabat. Nam Deus hac de re consultus non dicitur.

33. *Dimidiæ tribui*] Quæ idem sibi concedi petierat , quamvis antea memorata non sit, sed tantùm Rubenitæ & Gaditæ loquentes inducantur

conſpectu Jehovæ, atque ante vos ſubacta fuerit regio, tum dabitis eis terram Ga-
lahaditicam in poſſeſſionem. 30. Si verò non tranſierint expediti vobiſcum, *ſed inte-
græ tribus*, prædia inter vos accipient in terra Chananæa. 31. Reſponderunt verò Ga-
ditæ & Rubenitæ, his verbis: quod dixit Jehova ſervis ſuis, id faciemus. 32. Nos
tranſibimus expediti, coram Jehova, in terram Chananæam, eruntque prædia here-
ditatis noſtræ cis Jordanem.
33. Dedit ergo Moſes Gaditis & Rubenitis, dimidiæque tribui Manaſſæ, Joſephi
filiis, regnum Sichonis Emoræorum regis, & regnum Hogi Baſanitidis regis; eam, *in-
quam*, terram pro urbibus *ejus*, finéſque urbium ejus regionis circumquaque. 34. Con-
diderunt itaque Gaditæ Dibonem, Hatharothas, Haroherem, 35. Hatrothas Sopha-
nis, Jahzerem, Jogbeham, 36. Beth-nimram, & Beth-haranem, urbes munitas, &
caulas pecori. 37. Rubenitæ verò condiderunt Chesbonem, Elhalen, Kirjathaji-
mos, 38. Nebuntem, Bahal-mehonem, mutatis nominibus, & Sibmam, vocatúnt-
que nominibus *priſtinis ceteras* urbes quas inſtaurarunt.
39. Iverunt autem poſteri Machiris, Manaſſæ filii, in Galahaditin eámque cepe-
runt, & expulerunt Emoræos qui illic erant. 40. Dedit ergo Moſes Galahadi-
tin Machiri, Manaſſæ filio, qui in ea habitavit. 41. Jair autem Manaſſita ivit,
cepitque villas Emoræorum, & eas Jairis villas vocavit. 42. Nobachus verò ivit,
cepitque Kenathum, & oppida ejus ditionis, atque id nomine ſuo Nobachum vo-
cavit.

XXXII. Man-

bus promiſſa ſua confirmarunt, ſi modò agros cis Jordanem acciperent.
33. Itaque Moſes Rubenitis, Gaditiſque & dimidiæ Tribui Manaſſæ regna Sichonis & Hogi incolenda dedit. 34. Illi vero celeriter cœperunt inſtaurare urbes, quibus ſibi opus eſſe intelligebant, ut ſuos, ſuáque tutò ad ortum Jordanis relinquerent. Inſtaurarunt autem Gaditæ Dibonem, Hatharothas, Haroerem, 35. Hatrothas Sophanis, Jahzerem, Jogbeham, 36. Beth-nimram, & Beth-haranem, quæ antea munitæ fuerant, & caulas pecudibus ſuis ædificarunt. 37. Rubenitæ verò Chesbonem, Elhalen, Kirjathajimos, 38. Nebuntem, Sibmam & Mehonem, cui nomen mutatum in *Babal-mebonem* aut *Beth-mebonem*, cùm ceteris urbibus relicta ſint priſtina nomina, inſtaurarunt.
39. At Machiris, Manaſſæ filii, poſteri agros circa Galahadum montem ſitos, & ipſum montem, expulſis Emoræis, occuparunt; eámque regionem iis incolendam, conceſſit Moſes. 41. Jair etiam, materno genere Manaſſita, multas Emoræorum villas invaſit, eáſque nomine ſuo Jairis villas vocavit. 42. Nobachus, ex eadem Tribu, Kenathum, & oppida ejus ditionis cepit, eámque urbem Nobachum in poſterum appellari voluit.

P A-

tur. Ideò Samaritæ in omnibus locis hujus Capitis, ubi mentio ſit Rubenitarum & Gaditarum, iis adjiciunt חצי שבט מנשה *dimididiam tribum Manaſſæ*. Sed emendatione non eſt opus, cùm ſæpe ex ſequentibus colligantur hiſtoricæ circumſtantiæ ſuo loco omiſſæ. Vide not. ad Gen. XIV, verſ. 24. XX, 16, 17.

33. *Fineſque urbium*] בגבולת *bigbouloth*, in finibus.

34. *Condiderunt*] Inſtaurarunt, atque incolis inſtruxerunt. Hoc ſignificant Græci, voce κτίζειν. Vide not. ad Gen. I, 1.

Haroberem] Ad Arnonem ſitum. Vide Deut. II, 36.

37. *Kirjathajimos*] *Hieronymus*, in locis Hebr. CARJATHAIM, *Civitas quam extruxerunt filii Ruben. Nunc autem eſt vicus Chriſtianis omnibus florens, juxta Medebam urbem Arabiæ, & adpellatur Coriajatha, in decimo milliario ſupradictæ urbis contra occidentalem plagam, vicinus ejus loci qui adpellatur Bara.*

38. *Mutatis nominibus*] מוסבת שם *mouſaboth ſchem*, verſas nomine. *Nebuntis* mutatum non fuit nomen, nam ſub Regibus vocabatur etiamnum *Nebo*, ut liquet ex Eſ. XV, 2. Jer. XLVIII, 22. Videtur hoc debere intelligi de *Babal-mebon*, cui mutatum eſt nomen, ut diximus ad verſ. 3. Itaque pro מוּסַבֹּת fortè legendum, mutatis punctis, in ſingulari מוּסַבַּת *mutato nomine*; ac ſanè ſi in plurali legendum eſſet, deberet potiùs ſequi שמות *ſchemoth*, nominibus. Attamen nihil mutamus, cùm quia punctationem Maſſorethicam ubique, exceptis nobilioribus nominibus propriis, ſequi nos profitemur; tum quia Veteres Intt. plurali formâ legerunt. LXX. enim Intt. habent περιτετειχισμένας *circumdatas*, muro, nempe, aut vallo. *Hieronymus*, *verſis nominibus*. Onkelos מקפן שמהן *verſis nominibus*. Samariticus: מסחרן תמן, *in circuitu earum ibi*. In ea tranſlatione, & in ipſo Textu Samaritico eſt בעלון pro בעל מעון, malè.

Quicumque ſit ſenſus horum verborum, inanis eſt eorum conjectura, qui putant ideò quòd *Nebo* & *Babal* nomina ſint fictorum Deorum, ab Iſraëlitis mutata. Utrumque enim id nomen manſit, ut oſtendimus ad verſ. 3.

Vocarúntque nominibus priſtinis] Supplevimus *priſtinis*, quia hîc eſt oppoſitio ad antecedentia verba. Præterea conſtat nomina reliquis urbibus Tribûs Rubenis non fuiſſe mutata, ut *Chesboni*, *Diboni*, *Elbalæ* &c. Quamvis qui urbes expugnarunt interdum iis inſtauratis nomen ſuum impoſuerint, ut liquet ex verſſ. 41 & 42. non ſequitur à Rubenitis factum.

39. *In Galahaditin*] גלעד *gilhad*, ut efferunt Maſſorethæ, aut *Galahad*, ut LXX. Intt. Intelligitur mons de quo Gen. XXXI, verſ. 21. agríque ei ſubjecti, à quibus aliquando uni-

Nnn ver-

XXXII. *Mansiones Israëlitarum, ex Ægypto ad campos Moabiticos.*

CAPUT XXXIII 1. HÆ sunt profectiones Israëlitarum, qui Ægypto egressi sunt, per agmina sua, Mosis & Aharonis ductu. 2. Scripsit Moses eorum exitus, pro eorum profectionibus, ex Jehovæ imperio. Hæ sunt autem eorum profectiones, pro eorum exiribus.

3. Profecti sunt Rahmese, mense ptimo, decimo quinto die primi mensis; postridie Paschatis egressi sunt Israëlitæ, manu elatâ, in omnium Ægyptiorum oculis. 4. Ægyptii autem sepeliebant eos, quos inter ipsos percusserat Jehova, omnes, *nempe*, primogenitos; sed & in eorum Deos Jehova judicia exercuerar. 5. Rahmese ergo profecti Israëlitæ castra posuerunt Succhothis. 6. Profecti Succhothis castra posuerunr Ethami; quod est in extremo deserto. 7. Profecti Ethamo teversi sunt ad Phihachitothas, quæ sunt è regione Bahal-tsephonis, atque è tegione Migdolis castra posuerunt. 8. Ex Hachirotharum conspectu profecti, trajecerunt per medium mare in desertum, triduúque iter per desertum Ethami progressi, castra posuerunt in Mara. 9. Ex Mara profecti iverunt in Elimos, & in Elimis quidem erant duodecim aquæ fontes & septuaginta palmæ, atque illic castra posuerunt. 10. Profecti ex Elimis castra posuerunt ad mare algosum. 11. Profecti à mari algoso castra posuerunt in Sinis deserto. 12. Profecti à deserto Sinis castra po-

PARAPHRASIS.

1.2. MOsas, præter cetera quæ ad historiam & Leges populi Hebræi pertineat, loca, in quibus diutiùs castra habuerunt Hebræi, donec ad Jordanem pervenirent, ordine perscripsit; ut quot vicibus, & per quæ Arabicarum solitudinum loca castra movissent Hebræi cognosceret posteritas.

3. Decimo quinto die primi mensis anni sacri, celebrato pridie Paschate, profecti sunt Hebræi ex agro Rahmesensi, invitis Ægyptiis, sed plagis divinitus immissis domitis. 4. Dum autem in austrum iter facerent, Ægyptii sepeliebant, aut parabant ad sepulturam primogenitorum suorum cadavera, & ubique statuas Deorum suorum humi adflictas esse mirabantur. 5. Interea ex Rahmesensi agro Hebræi Succhothas pervenerunt, ubi castra posuerunt. 6. Succhothis Ethamum, quod in extrema est Troglodytarum solitudine, iverunt. 7. Illinc ad septemtrionem reversi castra metati sunt ad Chirotharum fauces, in littore maris Erythræi, è regione Bahaltsephonis, & Migdolis. 8. Hinc per medium alveum maris in Arabiam Petræam transierunt, & per triduum in solitudines progressi in Mara posuerunt castra. 9. Hinc iverunt Elimos, ubi erant duodecim fontes, quot sunt Tribus in Israële, & septuaginta palmæ, quot capita olim Hebræorum in Ægyptum descenderant; 10. ex Elimis, ad mare Erythræum; 11. ex littore maris Erythræi, in Sinicam solitudinem; 12. ex

versa Peræa vocatur *Galabad*, ut ante observavimus.

Eámque ceperunt] ילכדוה *jilchedouha*, eum, adfixo fœminino, quod non refertur ad הר *montem*, sed ad ארץ *terram*, quo factum ut *Galahaditin*, hoc est, terram Galahadi, verterimus.

40. *Machiri*] Hoc est, ejus familiæ.

41. *Manassita*] *Manassæ filius*, hoc est, abnepos ex filia, ut adparet ex 1. Paral. II, 22. Hic contra morem, in Tribu materna mansit, quod tamen non prorsus caret exemplis. Vide Esdr. II, 61.

Villas] חות *havvoth*. Hoc nomen linguæ incolarum Arabum originem debet, apud eos enim חוי *hhava* est *congregavit*, unde חוא *hhevaon*, hoc est *Tabernaculum ex panno laneo*, qualia sunt cilicina Arabum, & *plures domus sibi invicem* propinquæ. Malè חות refertur à Lexicographis ad Radicem חיה *vixit*. Vide dicenda ad Jud. X, 4.

42. *Oppida ejus ditionis*] *Filias ejus*. Vide not. ad Gen. XI, 3. & Sup. XXI, 25. Dicuntur *sexaginta urbes* 1. Par. II, 23.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXXIII.

1. DUctu] ביד bejad, *in manu*. Milites dicuntur esse in manu Ducum suprà Cap. XXXI, 49. ubi vertimus *in potestate*. Hîc commodius visum est vertere *ductu*, nam ביד hîc complectitur quidquid fecerunt Moses & Aharon, ut educerent Israëlitas ex Ægypto; nec suppetit vox Latina, quæ Hebraïcæ respondeat.

2. *Exitus pro eorum profectionibus*] Hæc phrasis in fine versûs invertitur, ubi Moses, *profectiones pro eorum exitibus*. Itaque מוצאים *exitus* & מסעים *profectiones* unum, idémque sunt. Ac sanè *exire* est *proficisci* aliquò; neque *proficiscimur*, nisi *exeamus*. LXX. Int. solent מסעים vertere σταθμοὺς, & Vulg. *mansiones*; sed quamvis hæ voces, ad sensum quod adtinet, non malè huic loco conveniant; attamen, cùm propriè sonent loca in quibus iter facientes constiterunt, Hebraïca verò *profectionem*, maluimus hujus propriam significationem exprimere. Ac sanè Moses hîc, ut postea videbimus, non notat omnia loca, in quibus substiterunt aliquantùm Israëlitæ, sed ea dumtaxat in quibus lon-

IN NUMERORUM Cap. XXXIII. 467

posuerunt in Aluso. 14. Profecti ex Aluso castra posuerunt in Rephidimis, neque
illic erat aqua populo, quam biberet. 15. Profecti ex Rephidimis castra posue-
runt in deserto Sinaïs. 16. Profecti è deserto Sinaïs castra posuerunt in Kibroth-
thaava. 17. Profecti ex Kibroth-thaava castra posuerunt in Chatserothis. 18. Ex
Chatserothis profecti castra posuerunt in Rithma. 19. Profecti ex Rithma castra
posuerunt in Rimmon-pheretso. 20. Profecti ex Rimmon-pheretso castra posuerunt
in Libna. 21. Profecti è Libna castra posuerunt in Rissa. 22. Profecti ex Rissa
castra posuerunt in Kehelatha. 23. Profecti ex Kehelatha castra posuerunt in mon-
te Sephero. 24. Ex monte Sephero profecti castra posuerunt in Charada. 25. Pro-
fecti è Charada castra posuerunt in Makhelothis. 26. Profecti è Makhelothis ca-
stra posuerunt in Thachatho. 27. Profecti è Thachatho castra posuerunt in Thara-
cho. 28. Profecti è Tharacho castra posuerunt in Mithka. 29. Profecti è Mith-
ka castra posuerunt in Chasmona. 30. Profecti è Chasmona castra posuerunt in Mo-
serothis. 31. Profecti è Moserothis castra posuerunt in Bene-jahakane. 32. Pro-
fecti ex Bene-jahakane castra posuerunt in Chor-gidgado. 33. Profecti ex Chor-
gidgado castra posuerunt in Jotbatha. 34. Profecti ex Jotbatha castra posuerunt in
Habrona. 35. Profecti ex Habrona castra posuerunt ad Hetsjon-geberum. 36. Pro-
fecti Hetsjon-gebero castra posuerunt in deserto Tsinis, hæc est Kadesum. 37. Pro-
fecti Kadeso castra posuerunt in Hore monte, in extrema Idumæa *sito*.
38. Adscendit autem Aharon sacerdos in Horem montem, jubente Jehova, atque

[12] ex ea solitudine, in Dophkam; [13] è Dophka, in Alusum; [14] ex Aluso, in Rephidimos, ubi nulla erat aqua, qua de causa confremuit populus, ut antea dictum est; [15] ex Rephidimis, in desertum Sinaiticum; [16] à monte Sinaï, in Kibroth-thaavam; [17] è Kibroth-thaava, in Chatserothas; [18] ex Chatserothis, in Rithmam; [19] unde ad austrum, jubente Deo, quòd noluissent Chananæam invadere, regressi iverunt in Rimmon-pheretsum; [20] è Rimmon-pheretso, in Libnam; [21] è Libna, in Rissam; [22] è Rissa, in Kehelatham; [23] ex Kehelatha, in montem Sepherum; [24] è monte Sephero, in Charadam; [25] è Charada, in Makhelothas; [26] è Makhelothis, in Thachatum; [27] è Thachatho, in Tharachum; [28] è Tharacho, in Mithkam; [29] è Mithka, in Chasmonam; [30] è Chasmona, in Moserothas; [31] è Moserothis, in Bene-jahakanem; [32] è Bene-jahakane, in Chorgidgadum; [33] è Chor-gidgado, in Jotbatham; [34] è Jotbatha, in Habronam; [35] ex Habrona, ad portum maris Erythræi Hetsjon-geberum. [36] Illinc, post triginta novem annorum errores, jussi sunt iter ad Septemtrionem flectere, ac tandem post tantum intervallum redierunt in Tsinicum desertum, ad Kadesum; unde per legatos ab Idumæis, per eorum agros, transitum in Chananæam frustra petierunt. [37] Illinc ergo, ut eorum fines circumirent, deflexerunt, atque ad Horem montem, in extrema Idumæa situm, castra posuerunt.

[38] In ejus montis jugo, in quod jussu Dei, ut antea diximus, adscenderat, fato suo functus est Aharon, Pontifex Maximus, quadragesimo anno, ex

longiore tempore castra habuerunt. Necesse fuit tantam multitudinem, ut cibum aut somnum caperet, sæpe subsistere, eáque loca possunt σταθμοὶ dici; sed multò plura fuerunt, quàm quæ hîc memorantur. Itaque מסעים & מוצאים sonant castrorum ex locis, in quibus per aliquot dies subliterant, translationes in alia, ubi aliquamdiu essent.

3. *Rahmese*] Vide not. ad Exod. C. XII, 37.

Manu elatâ] Invitis Ægyptiis, plagisque multis domitis erepti. Vide not. ad Exod. XIV, 8.

4. *Sepeliebant*] Ad sepulturam parabant condiendo, ut solebant. Vide not. ad Gen. L, 2. Fortè & propter mortuorum multitudinem, cui condiendæ non sufficiebant ἐνταφιασταὶ, cadavera terræ mandata, ne putredine aërem corrumperent.

In eorum Deos] Vide not. ad Exod. XII, 12.

5. *Rahmese ergo profecti*] *Et profecti sunt Rahmese.*

Succothis] Vide not. ad Exod. XII, 37.

6. *Ethami*] Vide ad Exod. XIV, 18. & Dissert. *de trajectione maris Erythræi.*

7. *Phihachirota* &c.] Adi dicta à nobis ad Exod. XIV, 2.

8. *Ex Hachirotharum*] De hac voce lege ibidem dicta.

Mara] De hoc loco scripsimus ad Exod. XV, vers. 23.

9. *In Elimos*] Exod. XV, 27.

10. *Ad mare algosum*] Antea mentionem hujus loci nullam injecit Moses, quòd cùm non tam scriberet historiam itinerum populi Hebræi per Arabicas solitudines, quàm miraculorum in iis editorum, legúmque divinarum; non necesse erat memorari locum, in quo nihil ad institutum ejus pertinens contigerat. Conjicere possemus Hebræos piscatos esse eo in loco, & piscibus maris Erythræi, victibúsque ex Ægypto adlatis se se sustentasse. Cùm verò piscatus ampliùs non procederet, ad Saptemtrionem agmen converterunt in Sinicum desertum, in quo Mannam acceperunt. De piscatu in Idumæo mari, vide dicta ad Cap. XI, 21.

11. *In Sinis deserto*] Vide ad Exod. XVI, 1.

12. *Dophka*] Hujus loci & sequentis nulla in Exodo mentio, ob rationem adlatam.

14. *Rephidimis*] Exod. XIX, 1. & seqq. Hîc Israëlitæ Leges plerasque à Deo, ex monte, atque ex Tabernaculo acceperunt. Cùm eò venissent initio tertii mensis anni primi ab exitu, illinc

Nnn 2

que illic mortuus est, anno quadragesimo, ex quo Israëlitæ egressi erant Ægypto, mense quinto, primo *die* mensis. 39. Natus erat Aharon, cùm in Hore monte mortuus est, centum viginti tres annos. 40. Audivit *tunc temporis* Chananæus rex Haradi, qui habitabat in meridiano terræ Chananææ tractu, adventare Israëlitas.

41. Profecti ex monte Hore castra posuerunt in Tsalmona. 42. Profecti è Tsalmona castra posuerunt in Phunone. 43. Profecti è Phunone castra posuerunt in Obothis. 44. Profecti ex Obothis castra posuerunt in Cumulis Habarimorum, in finibus Moabi. 45. Ex Cumulis profecti castra posuerunt in Didon-gado. 46. Profecti ex Didon-gado castra posuerunt in Halmon-diblathaima. 47. Profecti ex Halmon-diblathaima castra posuerunt in Habarimis montibus, è regione Nebuntis. 48. Profecti ex Habarimis montibus castra posuerunt in campis Moabiticis ad Jordanem, *è regione* Jerichuntis; 49. & ad Jordanem quidem castra habuerunt à Beth-hajesimothis ad Abel-fittimos, in Moabiticis campis.

XXXIII. Deus

ex quo ex Ægypto egressi erant Hebræi, & quidem primo die quinti mensis. 39. Ille autem centum viginti tres annos, eo tempore, natus erat. 40. Circa idem tempus, Haradi Rex bellum Israëlitis intulit, & primo prælio victor, postea ab illis victus est.

41. Profecti è monte Hore, iverunt in Tsalmonam; 42. è Tsalmona in Phunonem; 43. è Phunone in Obothas; 44. ex Obothis in Cumulos 45. ex Cumulis in Dibon-gadum; 46. ex Dibon-gado in Halmon-diblataimam; 47. ex Halmon-diblatharma ad Montes Habarimos, è regione Nebuntici jugi; 48. ex iis montibus in campos Moabiticos ad Jordanem, è regione Jerichuntis; 49. quo in loco castra à Beth-hajesimothis ad Abel-fittimos porrecta sunt, ad Jordanis ripam.

P A-

illinc abierunt vigesimo die mensis secundi anni secundi. Vide Num. X, 11, 12.

16. *Kibroth-thaava*] Ut à monte Sinaï huc venirent, Israëlitæ tres dies absumserunt, ut docet Moses suprà Cap. X, 33. Hinc scire licet loca hîc memorata non esse σταθμοὺς, prout in aliis Itineribus memorantur, in quibus quotidie ad σταθμὸν perveniunt iter facientes.

17. *Chatserothis*] Vide suprà Cap. XIII, 1.

18. *Rithma*] Tractus Pharanici deserti. Vide suprà Cap. XIII, 1. Erat hic locus non procul à Kadeso, in Pharanicæ solitudinis partibus septemtrionalibus. Vide suprà C. XIII, 27. Cùm autem hinc missi sint in Chananæam exploratores, qui absterruerunt populum Hebræum, ne Chananææ possessionem adiret, & causa fuerunt cur Deus juberet ad Meridiem agmen verti; sequentia loca, ad Kadesum usque, fuere mari Erythræo propiora.

31. *Bene-jabakane*] בני יעקן Huic nomini Moses præfigit vocem בארת beeroth *putei*, Deut. X, 6. atque hinc ait Israëlitas profectos in *Moseram*, non in *Chor-gidgadum*; qua de re ad eum locum dicemus, ut & de aliis nonnullis ad horum locorum nomina pertinentibus.

35. *Ad Hetsjon-geberum*] Portus fuit maris Erythræi, ut liquet ex 1. Reg. IX, 26. Itaque ulteriùs ad Austrum progredi non potuerunt Israëlitæ, nisi felicem Arabiam ingressi essent; cùm autem ferè triginta octo annos errassent in Petræa aut Deserta, tandem jussi sunt ad Septemtriones agmen convertere.

36. *In deserto Tsinis, hæc est Kadesum*] De qua diximus ad Cap. XX, 1. Non est putandum Hebræos Hetsjongebero Kadesum rediisse, sine ulla prorsus interposita quiete, nimis enim longum est iter; sed quia nusquam castra stativa habuerant, verùm aliquot fortè duntaxat horis quiescentes, iterum viam ad Septemtrionem ingrediebantur, ideò una מסע *massah*, sive *profectio* à mari Erythræo ad Kadesum memoratur.

38. *Adscendit autem Aharon*] Ut narravit ipse Moses suprà Cap. XX.

Jubente Jehovâ] *Ad os Jehovæ*, ut Cap. IX, vers. 18.

39. *Natus erat*] *Erat filius centum viginti* &c.

40. *Audivit*] Vide suprà Cap. XXI.

41. *Tsalmona*] Hic locus & *Phunon*, omittuntur in Historia, quæ exstat suprà Cap. XII. Sunt qui velint hunc locum ita dictum à צלם tselem *imago*, aut Chaldaicè צלמנא *tsilmana*, quòd ænei serpentis simulacrum spectandum illic propositum sit.

42. *Phunone*] פונן. *Hieronymus* in locis Hebr. ex *Eusebio*: FENON, *Castra filiorum Israëlis, in deserto. Fuit autem quondam civitas principum Edom, nunc viculus in deserto, ubi æris metalla damnatorum suppliciis effodiuntur, inter civitatem Petram & Zoaram.* Multis aliis locis Veterum hoc confirmat *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. III. c. 13.

45. *Dibon-gado*] דיבון גד *dibon gad.* Num. XXI, 11. ex *cumulis Habarimorum* dicuntur ivisse Israëlitæ ad Zeredum torrentem, à torrente Zeredo ad Arnonem &c. Verum illic videntur memorari loca, in quibus non diu quieverunt Israëlitæ, hîc ea in quibus stativa habuerunt. Volunt Interpretes *Dibon-gadum* esse urbem Moabiticam, de qua Num. XXI, 30. & quæ Gaditis cessit, ut adparet ex Num. XXII, 34. Eam autem vocari *Dibon-Gadi*, ut distinguatur ab alia Dibone, quæ fuit in sorte Rubenitarum, ut adparet ex Jos. XIII, 16, 17. Sed *Hieronymus* Dibonem, ubi castra habuerunt Israëlitæ, ab aliis distinguit, & credibile est hanc Dibonem fuisse in deserto Moabitico ad meridiem Arnonis, cùm Gaditica & Rubenitica ad Septemtrionem ejus sitæ fuerint. Nam hîc, ut diximus, recensentur loca, in quibus Israëlitæ diutiùs commorati sunt; Capite verò XXI. alia ubi duntaxat aliquantulùm quieverunt. Hinc fit ut hîc, inter Obothas & campos Moabiticos, memorentur tantùm quatuor loca, Cumuli Habarimorum, Dibon-gad, Halmon-Diblathaïma,

XXXIII. Deus jubet expelli è sedibus avitis Chananæos, atque Israëlitis sortitione dividi eorum agros, quorum fines describuntur. Qui Josuæ & Elehazari, in agrorum divisione, adesse debeant nominibus adpellantur.

50. ALLOQUUTUS est Jehova Mosem, in campis Moabiticis ad Jordanem, è *regione* Jerichuntis, in hanc sententiam: 51. Alloquere Israëlitas, illisque dicito: cùm vos, trajecto Jordane, in Chananæam *veneritis*, tum verò è conspectu vestro omnes ejus terræ incolas expelletis, omnes *lapides* adspiciendos demoliemini, omnes imagines conflatas destruetis, & omnia eorum excelsa diruetis. 53. Exterminatis illis ex ea terra, eam incoletis, vos enim ea donavi, ut eam possideatis.

54. Adi-

PARAPHRASIS.

50. IN Moabiticis campis jussus est à Deo Moses iterum hanc Legem promulgare. 51. Cùm, trajecto Jordane, in Chananæam venerint Hebræi, ab iis veteres omnes coloni expelluntor, lapides rudes falsis Numinibus consecrati, non secus ac eorum statuæ, atque delubra omnia, franguntor ac diruuntor. 53. Ejectis illinc hominibus & Diis, securè demum eam terram incolunto.

54. Ea

ma, montes Habarim; illic verò sex, Zered, Arnon, Puteus, Matthan, Nachaliel, Bamothæ. Præterea à regione trans Zeredum sita ad agros Gaditicæ Tribûs nimis longa est via, quàm ut illinc primis castris, huc possent pervenire. Itaque quamvis ratio reddi nequeat cur *Diboni* addatur *Gad*, non crediderim de Dibone in tribu Gadi agi.

46. *Halmon-diblathaima*] Jerem. XVIII, 22. mentio fit urbis Moabiticæ, quæ vocatur בית דבלתים *beth-diblathajim*. Eadémne sit, an alia, nescio.

47. *In Habarimis montibus, è regione Nebuntis*] Vide not. ad Cap. XXVII, 12.

48. *In Campis Moabiticis*] ערבות מואב *harboth moab*. Vide not. ad Cap. XXII, 1.

49. *Beth-bajesimothis*] Is locus Rubenitis postea adtributus, ut adparet ex Jos. XIII, 15,20.

Abel-Sittimos] Vocatur is locus *Sittim* Cap. XXV, 1.

52. *Lapides adspiciendos*] משכיותם *maschchijotham*. De qua voce vide not. ad Levit. Cap. XXVI, 1.

Excelsa] Vide ad ejusdem Cap. vers. 30.

53. *Exterminatis iis ex ea terra, eam incoletis*] הורשתם את הארץ וישבתם בה *expelletis eos ex terra & in ea habitabitis*. Videtur את esse pro מאת *ex*, ut Gen. IV, 1. XLIX, 1. Num. XXXV, vers. 6. Deut. XXXIV, 1.

54. *Sorte per familias vestras*] Vide not. ad Cap. XXVI, 55.

Ampliorem possessionem dabitis] תרבו נחלתו *augebitis possessionem ejus*.

Minorem] תמעיט *minues possessionem ejus*.

Cui sors egredietur in aliquem locum is ejus erit] *Ad quem egredietur ei illuc sors, ejus erit.* Nempe, sors de singulis tractibus Chananææ conjiciebatur in vas quod concutiebatur; & cujus sors prima egrediebatur vase, is in eo tractu sedes habebat. Tum de alio tractu sortiebantur, quibus nihil obtigerat, donec singulis Tribubus sua Chananææ obvenisset pars. Hinc in Historia Josuæ dicuntur *adscendisse sortes* variarum Tribuum, quia è concusso vase exsiliebant. De ea ratione sortiendi, vide not. ad Levit. Cap. XVI, 8, 9.

Per Tribus] Hoc est, sortes singularum Tribuum mittentur in vas, atque integræ Tribui certus Tractus adtribuetur, in quem tota ibit, aliis impermista.

55. *Instar spinarum*] לשכים *lschichim*, in spinas. שך est *sepire*, & מסוכה aut משוכה *sepes* spinis constans. Sed & apud Arabas radix שוך *schacha* significat *pungere*, habétque plurima derivata ad eamdem significationem pertinentia. LXX. Intt. verterunt σκόλοπες. Vulg. *clavi*. Est autem loquutio παροιμιώδης, quâ significatur res molestissima, nihil enim potest esse molestius spinâ in oculo. Vide Jos. XXIII, 13. Ezek. XXVIII, 24.

Hostili in vos erunt animo] צררו אתכם *tsareru ethchem*. Non poterunt enim æquo animo videre alienigenas sua & suorum prædia possidentes, nec ullam occasionem Hebræis nocendi prætermittent.

56. *Præterea ut eos habere statui*] *Et erit quemadmodum cogitavi facere iis* &c. Videtur Deus ad rationem, quæ alibi exprimitur, hîc verò tacetur, respicere; nempe, quòd Israëlitæ Idololatriam veterum Chananææ colonorum imitati, similes sibi pœnas contracturi essent.

In CAPUT XXXIV.

2. *Obtinget*] *Cadet*. Adludit ad sortem, quæ ex cistula exsiliens in terram cadebat. Vide ad Capitis superioris vers. 54.

3. *Deserto Tsinis*] Ubi *Kades*, aut *Kadesbarneha*, ut in sequentibus vocatur. Vult Moses fines terræ, quâ Israëlitæ donabantur, fore Idumæam & solitudines Arabiæ, ad meridiem.

Ab extremo mari salso] Lacu Asphaltite, de quo vide dicta in Dissert. *de Subvers. Sodomæ*.

4. *Adscensum Hakrabbimorum*] מעלה עקרבים. Intt. vertunt ἀνάβασιν ἀκραβίν. Vulg. *adscensum*

scor-

54. Adibitis autem possessionem ejus terræ forte, per familias vestras. Ei qui numerosior erit ampliorem possessionem dabitis, qui tenuior minorem. Cui sors egredietur in aliquem locum, *is* ejus erit. Per tribus autem patrum prædia vestra adibiris. 55. Nisi è conspectu vestro terræ ejus incolas expulcritis, erunt ii, quos reliquos feceritis, instar spinarum in oculos vestros, instar aculeorum in latera vestra, hostilique in vos erunt animo, ob terram quam habitabitis. 56. Præterea ut eos habere statui, ita vos habebo.

CAPUT XXXIV 1. Deinde alloquutus est Jehova Mosem, his verbis: 2. Mandatis instrue Israëlitas, iisque dicito: quandoquidem itis in terram Chananæam, hæc est terra, quæ vobis in possessionem obtinget, terra Chananæa pro ejus terminis. 3. Erit vobis extremitas meridiana à deserto Tsinis, juxta Idumæam; finésque australes erunt ab extremo mari salso, ad orientem *sito*; 4. & circuibunt vobis fines illi à meridie ad adscensum Hakrabbimorum, transibunt per Tsinis *desertum*, desinent ad austrum Kades-barneæ; *unde* ibunt ad Charsar-addarem, transibunt per Hatsmonem, 5. ab Hatsmone circuibunt ad torrentem Ægypti, atque in mare desinent.

6. Finis occidentalis vobis erit mare magnum, hic finis vobis erit ad occidentem.

7. Hi erunt vobis fines septemtrionales; à mari magno lineam vobis ducetis ad Horum montem; 8. ab Horo verò monte, lineam ducetis quâ itur Chamatham, desinent fines in Tsedado, 9. tendent ad Ziphronem, & desinent in Chatsar-Henane. Hi vobis erunt fines septemtrionales.

10. Lineam ducetis vobis finibus orientalibus à Chatsar-Henane ad Sephamum; 11. dein-

54. Ea terra ita Tribubus dividitor, ut variæ ejus regiones iis sorre adtribuantur. Quæcumque autem regio sorte Tribui obtigerit, in eam ito. Viris tamen potentior ampliorem agrorum modum, tenuior minorem accipito. 55. Nisi expulerint Hebræi omnes earum terrarum incolas, inter se perpetuos hostes se habituros, & à quibus ad Idololatriam allicientur, sciunto; 56. pœnásque iis similes, quas de Chananæis Gentibus sumere statuit Deus, ab eo exspectanto.

1. Postea jubente Deo, 2. terrarum ab Israëlitis invadendarum fines ita descripsit. 3. Fines australes terrarum, quibus Hebræos donat Deus, describentur lineâ ductâ ab extremo lacu Asphaltita, quà Austrum spectat, 4. quæ complectetur adscensum Scorpionis, tum exclusâ Idumæâ, per desertum Tsinicum, ad meridiem Kadesbarneæ, illinc ad Chatsar-addarem, ad Hatsmonem, atque ad orientalem alveum Nili, usque ad mare internum producetur.

6. Finis occidentalis erit hoc ipsum mare internum, à Nilo ad Sidoniorum agros.

7. Ex Sidoniorum agro, ut fines septemtrionales constituantur, linea ducetur ad eam partem Antilibani; 8. ad quam via est, quæ Chamatham tendit, eáque linea pertinget ad Tsedadum & Ziphronem, atque in Chatsar-Henane desinet.

10. Orientales verò fines claudet linea à Chatsarhenane ad Sephamum ducta, 11. deinde Riblatham, Hainem, & tractum omnem, qui est ad ripas orien-

scorpionis. Voce עקרב quare *Scorpius* significetur ostendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. II. Lib. IV. c. 29. Hic tractus Idumææ vicinus dicitur *Acrabattine*, 2. Macch. Cap. V, 3. quod nomen etiam aliis locis fuit.

Desinent] *Erunt* תוצאתיו totsothau, *exitus ejus*; hoc est, extremitas in eam cœli plagam remotissima, ut ex sequentibus adparet. Hoc ipsum, in superioribus verbis, de Tsinis deserto, dixit Moses.

Unde ibunt] *Et exibit*, limes, sive finis.

Chatsar-addarem] חצר־אדר *hhatsar addar.* LXX. Intr. εἰς ἔπαυλιν Ἀδάρ. Vulg. *in villam nomine Adar.*

Hatsmonem] עצמון *hatsmon.*

5. *Ad torrentem Ægypti*] נחלה מצרים *nahhala mitsrajim*, hoc est, Nilum, non quòd re ipsâ Judæi ad Nili usque ripam fines suos protulerint; sed quòd iis licuerit eò usque progredi, adeò ut Ægyptiorum solum propugnaculum esset Nilus. *Jonathan & Jerosol.* habent נילוס דמצראי *Nilus Ægyptiorum*; ac sanè solus Nilus potest ἀντονομαστικῶς dici נהר, aut נחל *Ægypti*; atque hinc natum, ut multi observarunt, nomen ipsum *Nili*, quòd, nempe, Ægyptii fluvium suum simpliciter נחל *nhhil* vocarent, hoc est, *torrentem* aut *fluvium*, quia nullus alius est in inferiore Ægypto, peregrini verò nomen proprium esse existimarint. Vide not. ad Genes. XV, 18. & ad Jos. XIII, 9.

6. *Finis occidentalis*] *Et finis maris, & erit vobis mare magnum* &c. ים *jam* priore loco non *mare*, sed *occidentem* sonat, qui ita vocabatur à Chananæis, quia habebant mare mediterraneum ad occidentem. Posteriore verò ים propriè *mare* sonat & quidem Syriacum, quod *magnum* dicitur, quia Chananæi *maria* ימים vocabant lacus, quales ad ortum habebant *Asphaltiten*, & *Gennaseriticum*.

7. *Lineam vobis ducetis*] תתאו *tetaou*, aut *signabitis*, nimirum, fines. Maluimus Geometrica uti loquutione, quæ commodior & clarior est, potestatémque vocis Hebrææ hoc in loco non minùs exprimit.

Ad Horum montem] הר ההר *hor hahar.* Fuit alius mons *Hor*, ad austrum Judææ, in Idumææ extremis finibus, in quo obiit Aharon, & de quo Cap. XXXIII, 37, 38. Hîc intelligitur *Chermon*, hoc est, *Antilibanus*, ut adparet ex Jos. XIII, 5.

Chamatham] חמת *hhamath*, quæ postea à Ma-

11. deinde descendent fines à Sephamo ad Riblam, ab oriente Hainis; descendéntque & pertingent ad latus maris Chinnerethæ ad orientem; 12. postea descendent ad Jordanem, & desinent in mare salsum. Hæc erit vobis terra per fines suos, circumquaque.

13. Postea mandata dedit Moses Israëlitis his verbis: hæc est terra, quam possidendam accipietis sorte, *&* quam *vos* jussit Jehova dare novem tribubus, & dimidiæ tribui. 14. Tribus enim Rubenitarum, pro domo patrum eorum, tribúsque item Gaditarum, pro domo patrum eorum, & dimidia tribus Manassæ acceperunt possessiones suas. 15. Duæ *itaque* tribus & dimidia accepere possessiones suas cis Jordanem, *è regione* Jerichuntis, ad anteriorem *mundi* partem, *seu* ad ortum.

16. Tum alloquutus est Jehova Mosem, his verbis: 17. Hæc sunt nomina virorum, qui possidendam vobis dabunt hanc terram, Elehazar sacerdos & Josua, Nunis filius. 18. Sumetis etiam ex singulis tribubus unum principem virum, qui eam possidendam accipiat. 19. Hæc sunt autem eorum virorum nomina: Tribui Judæ Chalebus, Jephunnæ filius. Tribui Simehonitarum Semuël, Hammihudi filius. 21. Tribui Benjaminis Elidadus, Chislonis filius. 22. Tribui Danitarum princeps Buchis, Joglis filius. 23. Posteris Josephi, *&* *quidem* Manassitarum tribui princeps Channiel, Ephodi filius. 24. Tribui verò Ephraimitarum princeps Kemuel, Siphtanis filius. 25. Tribui Zabulonitarum princeps Elitsaphan, Pharnachi filius. 26. Tribui Issascharitarum princeps Phaltiel, Hazzanis filius. 27. Tribui Aseritarum princeps Achiudus, Selomis filius. 28. Tribui *denique* Nephthalitarum princeps Phedaël, Hammihudi filius. 29. Hi sunt, quos jussit Jehova possidendam Israëlitis dare terram Chananæam.

XXXIV. Ju-

orientales lacûs Kinnerethæ, complexa, 12. tum ad Arnonem usque porrecta, & cum eo in mare salsum desitura. Hi fines terrarum, quas Israelitæ mox occupabunt, sunto; qui si tractu temporis arctiores sint, vicinas quaslibet inter Euphratem & mare internum, invadere liceto.

13. Subjecit Moses, terras ad occasum Jordanis descriptas novem Tribubus, & dimidiæ divisum iri; 14. 15. Tribus verò Rubenis & Gadis, & Manassitarum dimidiam partem jam ad ortum Jordanis sedes accepisse, modò promissis suis starent.

16. Postea etiam, ne quæ rixa propterea oriretur, Deus ipse, audiente Mose, 17. constituit XIV Viros agris dividendis, nempe Elehazarem P. M. Josuam N. F. 18. & singulos viros principes è singulis Tribubus; 19. atque è Tribu quidem Judæ, Chalebum Jephunnæ Filium; 20. è Simehonitica, Semuelem Hammihudi F. 21. è Benjaminitica, Elidadum Chislonis F. 22. è Danitica, Bucchim, Joglis F. 23. è Manassitica, Channielem Ephodi F. 24. ex Ephraimitica, Kemuelem Siphtanis F. 25. è Zabulonitica, Elitsaphanem Pharnachi F. 26. ex Issascharitica, Phaltielem Hazzanis F. 27. ex Aseritica, Achiudum Selomis F. 28. è Nephthalitica, Phedaëlem Hammihudi F. 29. Atque hæc sunt nomina Quatuordecim virorum, quos agris Chananææ dividendis præfecit Deus.

P A-

Macedonibus *Epiphania* dicta. Vide ad Gen. X, 18. Moses vult lineam duci ad eam partem Chermonis montis, vel Antilibani, in qua erat via quæ Chamatham tendebat, non ad Chamatham extendi. Certè *Epiphaniensis* ager, qui ad austrum habuit Damascenum, numquam fuit Hebræis divisus. Fortè etiam significat dumtaxat Moses licuisse Hebræis eò usque fines proferre. At *Andreas Masius* in Jos. XIX. conjicit triplicem fuisse Chamatham, quarum maxima & nobilissima dicta sit postea *Antiochia*; altera *Epiphania*, ad septemtrionem Damasci; tertia verò fuerit infra Jordanis fontes, de qua hîc sermo est. Sed posset etiam fieri ut *Epiphania* non sit *Chamatha*, quamvis *Josephus* & alii ita conjecerint; idque nomen fuerit alius urbis ad austrum Damasci sitæ.

Desinent fines in Tsedado] *Erunt exitus termini ad Tsedadum* &c. Hoc est, *Tsedad* & *Chatsar-benan* erunt ultima loca finium Hebræorum ad Septemtrionem. Vide ad vers. 4.

10. *Sephamum*] שפם *schpham*. Sunt qui velint hanc eamdem urbem vocari שפמות *schiphmoth*. 1. Sam. XXX, 28.

11. *Descendet*] A Septemtrione in Meridiem.

Riblam] רבלה *riblah*. Hæc urbs dicitur fuisse in regione *Chamath* 2. Reg. XXIII, 33. XXV, 6, 20, 21. Jer. XXXIX, vers 5, 6. Sat amplus terrarum tractus dictus fuit ארץ חמת *terra chamath*, si *Chamath* fuit Epiphania, & pertinuit ea regio Riblam usque. Possimus tamen intelligere Riblam sitam fuisse non *in terra*, sed *ad terram Chamathæam*. Vide dicta à nobis ad 2. Reg. XXXIII, 33. Sed fortè, ut diximus, aliud oppidum fuit Chamatha.

Hainis] עין *hajin* fontem sonat, unde LXX. Intt. verterunt *ἐπὶ πηγὰς* & *Hieronymus*, *fontem Daphnim*, quo videtur intelligere alterum fontem Jordanis, de quo vide dicta ad Gen. XIII, 10.

Descendéntque & pertingent &c.] *Et descendet terminus*, *&* *percutiet ad humerum* מחה על כתף hoc est, amplectetur terras quæ sunt ad ripam orientalem lacûs Gennesarethici, ubi sedes habuit dimidia Tribus Manassæ.

Maris Chinnerethæ] ים כנרת. Ita vocatur lacus, qui postea dictus *mare Gennesareth*, aut *Galilææ*, aut *Tiberiadis*. Fuit urbs *Chinnereth* dicta, in tribu Nephthalis, cujus agri ad septemtrionalem oram lacûs Genesarethici pertingebant. Credibile est eam antiquiore ævo nobilem fuisse, & cùm non procul abesset ab eo lacu, ei

XXXIV. Jubet Deus dari Levitis quadraginta octo urbes cum suburbano solo, & in sex quidem ejusmodi urbibus Asyla constituit, in quæ qui casu alium occidisset confugere posset, qua de re feruntur Leges.

CAPUT XXXV. 1. ALLOQUUTUS etiam est Jehova Mosem, in Moabiticis campis, ad Jordanem *è regione* Jerichuntis, his verbis: 2. præcipe Israëlitis dent Levitis ex possessionibus suis hereditariis urbes quas habitent; suburbiis etiam urbium circumquaque Levitas donabitis. 3. Erunt urbes iis quas habitent, & suburbia earum erunt eorum pecori, facultatibus & bestiis. 4. Suburbia autem urbium, qui-

PARAPHRASIS.

1. TULIT etiam Moses has Leges, Deo jubente, de urbibus Leviticis, Asylisque, in Moabiticis campis, ad Jordanem, è regione Jerichuntis. 2. 3. Urbibus, quas habitent, Levitæ à ceteris Hebræis donantor; iidémque aliquantum agri suburbani, ubi pecudes suas alant, accipiunto. 4. Subur-

ei nomen fecisse, ut dudum conjecit *Andr. Masius*, ad Jos. Cap. XIX, 3. quem vide. Videntur & vicina loca *Chinneroth* כנרות numero multitudinis dicta. Jos. XI, 2. 1. Reg. XV, 20.

12. *Desinent in mare salsum*] Hoc est, ad Arnonem, qui in mare salsum, seu lacum Asphaltiten defluit. Arnon enim dividebat Sichonis regnum, quod Rubenitæ habuerunt, à Moabitide. Minùs accuratè loquitur Moses, in descriptione finium Israëlitici soli ad orientem, quàm ceterorum; sed nec opus erat diligentiùs eos describi, quia sermo erat de agris jam occupatis, adeóque notioribus.

13. *Sorte*] Vide not. ad Cap. XXVI, 55.

15. *Ad anteriorem mundi partem*] קדמה *kedmah*. Vide not. ad Exod. XXVI, v. 33. XXVII, v. 13.

18. *Ex singulis Tribubus*] *Principem unum, principem unum ex tribu.*

Qui eam possidendam accipiat] לנחל *linhhol, ad possidendam eam terram*; ut nomine Tribûs suæ, à Josua & Elehazare agros accipiant.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXXIV.

2. DEnt] *Et dent.*

Possessionibus suis hereditariis] Ex *hereditate possessionis suæ.*

Suburbiis] מגרש *migrasch*, quod est suburbanum solum.

3. *Pecori, facultatibus & bestiis*] Hæc unum videntur signare, nempe, greges; nam prima quidem vox בהמתם *behemtham*, jumenta quidem sonat, sed & quasvis pecudes; alterâ רכושם *rechouscham* divitiæ quævis significantur, sed Hebræorum opes ferè in pecudibus erant sitæ; tertia חיתם *hhajjatham*, quæ *feras* passim signat, etiam cicures pecudes sonat.

4. *A centro urbis*] מקיר *mikkir*. Certum est קיר *kir* alibi *parietem*, aut *murum* esse, verùm sequens versus ostendit *centrum* intelligi; ut enim quadratum describatur, cujus latera sint duûm millium cubitorum, oportet ut circuli ei quadrato inscripti diameter sit bis mille cubitorum, adeóque mille cubitos à centro mensurari. Si verò nullam rationem habeas areæ urbis, & metiaris à muro extrorsum, projectis illinc quatuor lineis rectis mille cubitorum, in quatuor cœli plagas, confectáque quadratâ figurâ, quæ lineas illas complectatur, deprehendes latera necessariò esse duobus cubitorum millibus longiora. Scio LXX. habere διχιλίους πήχεις etiam in hoc versu, sed consentiunt reliqui omnes Codices, nec possit quisquam dicere ἀπὸ τοῦ τείχους καὶ ἔξωθεν *à muro extrimsecus* esse duo millia cubitorum, deinde hinc confici quadratum, cujus latera non sint ampliora. Ceterùm קיר hoc sensu, hactenus ignoto, deducendum à radice קור *Kour*, quæ significat *fodere*, ut Græcis κέντρον deducitur ἀπὸ τοῦ κεντεῖν *pungendo*; quòd, ut describatur circulus, in soli area data, infodiatur terræ alterâ sui extremitate paxillus, è quo funis circumducitur. Non abludit ab hac significatione radix Arabica קור, per *kaph*, cui, inter alia significata, hoc est, *orbiculatim è media re quapiam aliquid secuit*. Hinc fortè nata Græca vox κίρκος, unde *circus*, *circulus*, *circinus*, *circa* &c. Non confutabo alios Intt. qui, ut sensum hîc inveniant, omnes Mosis verba mirum in modum torquent, ut videbunt qui eos adibunt.

Videntur multæ antiquæ urbes circulari ambitu fuisse, quòd ea figura minimo mœnium ambitu maximum soli modum complectatur, & quidem ita ut oppidani circa centrum habitantes ad mœnium defensionem brevissimo itinere circumquaque se conferre possint. *Plutarchus* de Roma, in vita Romuli pag. 23. postquàm Comitium fossa orbiculari cinctum dixit, εἶθ', inquit, ὥσπερ κύκλον κέντρῳ περιέγραψαν τὴν πόλιν.

Extrimsecus circumquaque] מחוץ *Extrimsecus* additur, ne si tantùm *circumquaque* diceretur, intelligeret Lector, circumferentiam circuli esse tantùm mille cubiturum, cùm velit Moses quadrati, cui inscriberetur hic circulus, esse singula latera bis mille cubitorum. Igitur illud מחוץ significat intelligendam semidiametrum, quæ à centro quaqua versum porrecta est.

Cubitorum mille] Ostendimus ad Gen. VI, 15. cubitum Hebraïcum esse unciarum, seu digitorum 21, & aliquantò etiam longiorem, non 18. ut vulgò creditum. Unde sequitur suburbanum

quibus donabitis Levitas, erunt à centro urbis extrinſecus mille cubitorum circumquaque. 5. Dimetiemini extra urbem latus orientale duorum millium cubitorum, latus meridianum duorum millium cubitorum, latus occidentale duorum millium cubitorum, latus denique ſeptemtrionale duorum millium cubitorum, ita ut urbs *ſit* in medio, & ſint hæc illis ſuburbia urbis.

6. Ex urbibus autem, quibus Levitas donabitis, ſex *conſtituetis* urbes Aſyli, quas dabitis ut homicida illuc confugiat; & præter has quadraginta duas urbes dabitis. 7. Omnes itaque urbes, quibus Levitas donabitis, erunt quadraginta octo, cum ſuburbiis ſuis. 8. Urbes autem, quas ex poſſeſſione Iſraëlitarum *iis* dabitis, plures petetis ab eo qui plures habebit, pauciores ab eo qui pauciores; pro modo poſſeſſionis, quam acceperint, dabunt Levitis *nonnullas* ex urbibus ſuis.

9. Al-

Suburbani autem Leviticarum urbium agri modus hic eſto; à centro urbis quaquaverſum linea mille cubitos longa ducitor, atque ager quem complectetur iis adtribuitor. 5. Is ager quadratum perfectum efficito, ut quatuor ejus latera, quatuor cœli plagis obverſa, bis mille cubitos ſint longa.

6. 7. Urbes autem, quibus donabuntur Levitæ, quadraginta octo numero ſunto; atque ex illis in Aſyla ſex eliguntor. 8. Qui ampliores agros habuerint plures urbes, qui minores pauciores Levitis danto.

9. 10. Cùm

banum agrum Levitarum, ampliorem fuiſſe quàm Interpretes hactenus exiſtimarunt.

5. *Latus orientale duûm millium cubitorum*] Hæc verba oſtendunt agros Levitis in quadratam figuram, eámque perfectam eſſe diviſos, ita ut in media area urbs eſſet. Hinc adparet etiam magnas urbes eis datas non eſſe, quandoquidem omnes cum ſuburbano agro claudebantur, ambitu octies mille cubitorum, hoc eſt, circiter quater mille paſſuum ordinariorum.

Ita ut urbs] *Et urbs in medio*, hoc eſt, occupet centrum & centro circumjacentia.

6. *Et urbibus*] את הערים *eth haharim*, pro מאת *meeth*. Vide Cap. XXXIII, 53. & not.

Conſtituetis] Quaſi eſſet תשימו *ponetis*, quod debet ſubaudiri.

Urbes Aſyli] ערי המקלט *hare hammiklat*. Maluimus voce Græcâ ἄσυλα uti, in hoc negotio uſitatiſſima, apud optimos Scriptores; quàm obſcuris, aut barbaris vocibus *receptûs*, *refugii* &c. Hebraïcum vocabulum nequaquam feliciùs exprimere. Apud Intt. Chaldæos, קלט eſt *excepit*, ſed fortè fictâ voce ex hoc derivato. Vidimus ad Exod. XXI, 14. in deſerto altare *Aſyli* loco fuiſſe; at Republicâ Hebræâ in ſedibus ſuis collocatâ, urbes, ut Deus promiſerat, hanc in rem ſunt conſtitutæ.

Sapientia Legiſlatoris hîc variis rebus, ſi paullò adtentiùs conſiderentur, elucebit. Primùm ut iniquum eſſet homicidas, qui inviti atque imprudentes homicidium admiſerunt, eodem loco haberi, ac qui datâ operâ occidiſſent: ita etiam inconſultum fuiſſet permittere ejuſmodi homicidam verſari quotidie in oculis conſanguineorum occiſi; facilè enim potuiſſet fieri ut, ob mortui caritatem, ei malè vellent, & datâ occaſione etiam facerent. Igitur ſervato homine, qui invitus peccarat, non fuit præbenda conſanguineis occiſi occaſio ſpontanei ſceleris; quod fecit Lex, miſſo homicidâ in urbem Aſyli.

Secundo loco, ut, ſine injuſtitiâ, homicida invitus plecti non potuit; ita nec ſine ulla animadverſione judicis abire debuit, ut diligentiùs ſibi caverent Hebræi, ne per incuriam quemquam ociderent; cùm viderent etiam invito homicidæ exſulandum eſſe, ad Pontificiis Maximi mortem.

Tertiò, ſapientiſſimè Legiſlator Aſyla aperuit, non quibuſvis homicidis, ut apud alias Gentes factum, ſed iis tantùm qui inviti occidiſſent. Notum eſt apud Græcos Aſyla quibuſvis ſceleratis impunitatem præſtitiſſe; quod non potuit non parere ingentem licentiam, præſertim ſi frequentiora eſſent. Hinc factum ut *Tiberius* coactus fuerit jus Aſyli pleriſque Græcorum templis eripere. *Crebreſcebat*, ait *Tacitus* Annal. Lib. III. c. 60. *Græcas per urbes licentia atque impunitas Aſyla ſtatuendi; complebantur Templa peſſimis ſervitiorum; eodem ſubſidio obærati adverſùm creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum ſatis validum imperium erat coërcendis ſeditionibus populi, flagitia hominum ut cærimonias Deûm protegentis.*

Quartò, ſapientiſſimè Aſyla non ad Tabernaculum, aut in Templo conſtituta ſunt, in quibus divinus cultus homicidarum præſentiâ, aut irruentium fortè ultorùm vi, temeratus fuiſſet; ſed in urbibus, in quibus nullum erat Templum. Contrà, ne de Græcis loquar, Ægyptii aſyla in Templis habuerunt. *Herodotus* Lib. II. c. 113. Ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ἠιόνος, ὃ καὶ νῦν ἐστι, Ἡρακλέος ἱρὸν· ἐς τὸ ἢν καταφυγὼν οἰκέτης, ὅτεῳ ἀνθρώπων ἐπιβάληται στίγματα ἱρὰ, ἑωυτὸν διδοὺς τῷ θεῷ, οὐκ ἔξεστι τούτου ἅψασθαι: *Erat in littore* (nempe, ad oſtium Canobicum Nili) *Herculis templum, quod nunc quoque eſt; ad quod ſi quis cujuſcumque hominis ſervus confugiens capiat ſacras notas, ſe ſe Deo tradens, eum nefas eſt tangere.* Erat etiam in Delta, non procul à Saï, Ὀσίριδος ἄσυλον, ut auctor eſt *Strabo* Lib. XVII. p. 552.

Denique hoc obſervatu dignum eſt, in pœna inviti homicidæ ab Hebræorum Legiſlatore conſtituta; quòd in exſilium, extra Hebræorum ditionem, expulſus non ſit, ne à Religione deficeret, atque inter Idololatras, contra Legem, verſari neceſſe haberet, ſed exſilio mitiore mulctatus, ut ſi in agris ſuis non viveret, ſaltem inter populares ſuos eſſet. Apud Græcos, non modò ii qui de induſtria occiderant, ſed etiam inviti in exſilium mittebantur. Athenis lex fuit,

9. Alloquutus est etiam Jehova Mosem, his verbis: 10. alloquere Israëlitas, iisque dicito: cùm, trajecto Jordane, eritis in terra Chananæa, 11. constituetis vobis urbes, *quæ* vobis sint urbes Asyli, atque illuc fugiet homicida, qui quempiam errore occiderit. 12. Erunt vobis hæ urbes in Asylum, à vindice *occisi*; neque morietur homicida, donec coram cœtu, ad judicium, steterit. 13. Ex urbibus autem, quas dabitis, sex erunt vobis urbes Asyli. 14. Tres urbes dabitis cis Jordanem, & tres in terra Chananæa, *quæ* erunt urbes Asyli. 15. Israëlitis, peregrinóque & inquilino, inter vos, erunt sex urbes illæ in Asyla, in quæ quicumque hominem per errorem occiderit confugiat.

16. Si instrumento ferreo eum percusserit & mortuus sit, homicida est; morte adficie-

9. 10. Cùm Chananæam occuparint Israëlitæ, 11. sibi Asyla in aliquot urbibus, in quas invitis homicidis confugere liceat, constituunto. 12. In eas quicumque fugerit, is à cædis vindice mortui herede, donec causam coram judicibus dixerit, tutus esto. 13. Sex autem Asyla in Israëlitico solo aperiuntor; 14. triaque ad ortum, tria ad occasum Jordanis sunto. 15. In ea confugere non Hebræis modò, sed & peregrinis in Hebræorum ditione degentibus, si quem inviti occiderint, liceto.

16. At ne quivis homicida à se invito homicidium admissum esse falsò dicere queat, quisquis datâ operâ alium ferreo instrumento ferierit, eúmque

τὸν ἁλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ ἐν ἐνιαυτῷ ἀπελθεῖν τακτὴν ὁδὸν καὶ φεύγειν, ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐκ γένους τοῦ πεπονθότος· ἥκειν δὲ καὶ θῦσαι, καὶ καθαρθῆναι: *qui invitæ cædis convictus esset eum per annum abesse distantiâ præscriptâ, & exsulare, donec aliquem è cognatis occisi placarit. Tum venire, sacra facere & purgari.* Debuit, nempe, Atticâ egredi homicida, ut ostendit ad eam Legem *Samuel Petitus.* Vide eum ad Leg. Att. Lib. VII. Tit. 1. *Claudius Saturninus* Dig. Lib. XLVIII. Tit. 19. *de Pœnis.* L. *aut facta.* §. 8 *Apud Græcos exsilio voluntario fortuiti casus luebantur; ut apud præcipuum poëtarum scriptum est,*

Εὖτέ με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
Ἤγαγεν ὑμέτερόν δ', ἀνδροκτασίης ὕπο λυγρῆς,
Ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος,
Νήπιος οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

Quando me parvulum Mænœtius ex Opunte duxit vestram domum, homicidium ob triste, die illo cùm filium occidi Amphidamantis, puer, nolens, iratus ob talos.

Leguntur versus Iliad ψ. vers. 85. *& seqq.* ubi Patroclus ita de se loquitur. Locus in quo exsulabat erat homicidæ invitio instar Asyli, ut postea ostendemus.

8. *Plures petetis*] תרבו tharbon, *multiplicabitis.*

Panciore] *A parvo minuetis.*

Possessionis quam acceperint] נחלתו אשר ינחלו יתן *possessionis ipsius, quam possidebunt, dabit.* Sic miscent Hebræi numeros, nec opus fuit à Samaritis emendari ינחל *possidebit.*

10. *Trajecto Jordane*] *Transeuntes Jordanem, in terram Chananæam.*

11. *Qui quempiam errore occiderit*] *Percutiens animam* בשגגה *bischgagah.* LXX. verterunt ἀκουσίως Vulg. *nolentes*, rectè quoad sensum, sed propriè vox significat peccatum errore commissum, non à scientibus & volentibus. Vide Deut. XIX, 5. Jos. XX, 3.

12. *A vindice occisi*] מגאל *miggoel*, qui & pleniùs dicitur גאל הדם *goel haddam*, vindex sanguinis, seu cædis, ut vers. 19. Is videtur fuisse heres ejus qui obierat. Hinc LXX. ἀγχιστεύων & Vulg. *cognatus occisi.* Maluimus *vindicem* vertere, propter loquutionem גאל הדם. Sed & גאל dicebatur proximus agnatus, qui redimendi jus habebat, ut Levit. XXV, 25. Rut, II, 20.

Neque morietur homicida] Manu vindicis, aut propinquorum occisi.

Coram cœtu] Judicum, nempe, ejus loci, in quo commissum fuerat homicidium. In hac quoque re, jus Asylorum, apud Hebræos, sapientiùs quàm apud alias Gentes constitutum fuit; nam alibi invitum in jus trahere non licebat eum, qui in Asylum confugerat. At, apud Hebræos, Asylum hoc tantùm præstitit homicidæ, ne indictâ causâ pœnas lueret, quod æquissimum est. Meritò *Ion*, apud *Euripidem*, aut potiùs *Euripides* in Ione, de Asylis Græcorum vers. 1312.

Δεινόν γε θνητοῖς τοὺς νόμους ὡς οὐ καλῶς
Ἔθηκεν ὁ θεὸς, οὐδ' ἀπὸ γνώμης σοφῆς·
Τοὺς μὲν γὰρ ἀδίκους, βωμὸν οὐχ ἵζειν ἐχρῆν,
Ἀλλ' ἐξελαύνειν· οὐδὲ γὰρ ψαύειν καλὸν
Θεῶν πονηρὰν χεῖρα· τοῖσι δ' ἐνδίκοις
Ἱερὰ καθίζειν, ὅστις ἠδικεῖτ' ἐχρῆν,
Καὶ μὴ 'πὶ ταὐτὸ τοῦτ' ἰόντ' ἔχειν ἴσον,
Τόν τ' ἐσθλὸν ὄντα, τόν τε μὴ, θεῶν πάρα.

Mirum est mortalibus leges non rectè posuisse Deum, neque sapiente consilio; injustos enim ad aram sedere non conveniebat, sed expellere eos oportuit; neque enim honestum est Deum adtrectari manu malâ. Sed justos in Templis sedere oportebat, quicumque injuriâ adfectus fuisset; non autem eumdem in locum venientem paria habere à Diis, & bonum & malum. Hæc de Hebræorum Dei legibus, si eas novisset, queri non potuisset *Euripides.*

15. *Peregrino*] לגר *lagger.* Intelligunt Judæi peregrinum Hebræam Religionem professum, qui προσήλυτος postea Græcè dictus est, à Rabbinis גר הצדק *peregrinus justitiæ.*

Inquilino] לתושב *lattboschab*, hoc est, homini in solo Israëlitico degenti, non quidem Idololatræ, sed incircumciso; *proselyto portæ*, ut loquuntur Rabbini.

16. *Si instrumenta ferrea*] Ferrum, lapidem, lignum, quo quis percussus mori possit, te-

cietur is homicida. 17. Si lapide manuali, quo *percussus* mori possit, eum ferierit & mortuus ille fuerit, homicida est; morte adficietur is homicida. 18. Si instrumento ligneo manuali, quo mori *percussus* possit, eum ferierit, & mortuus ille fuerit, homicida est; morte adficietur is homicida. 19. Vindici sanguinis eum interficere licebit, cùm illi occurret; is eum interficiet. 20. Si ex odio eum impulerit, aut per insidias in eum *aliquid* jecerit, 21. aut ex inimicitia manu eum ferierit, & mortuus sit, percussor morte adficietur, homicida est; vindici sanguinis licebit interficere eum homicidam, quando illi occurret.

22. At si subitò, sine ulla inimicitia, eum impulerit; aut jecerit in eum instrumentum quodpiam, sine insidiis; 23. aut lapidem quemlibet, quo *percussus* mori possit, cùm

que occiderit capital esto. 17. 18. Quisquis de industria lapidem manu in alium jecerit, aut baculo ictum ei impegerit, quibus lethalis plaga imponi potuit, si percussus ictu interierit, capital esto. 19. Si fugâ homicida se judicio subduxerit, ubicumque ab herede mortui invenietur, impunè occiditor. 20. Si quis eum quem oderat per locum praecipitem dejecerit, aut devoluto lapide, per insidias oppresserit, ita ut mortuus sit, capite pœnas luito. 21. Si quis etiam vel manu solâ inimicum percusserit, & occiderit, capital esto; si judicium fugerit, vindici cædis, ubicumque ei occurret, eum occidere liceto.

22. 23. At verò si nulla antecesserit inimicitia, sed

telum vocant Romanæ leges. Quamvis autem qui alium telo interfecisset, nollet interficere, sed tantùm percutere, si hic moriatur, percussori est capitale; quòd aut præsumatur voluisse re verâ occidere, licèt neget, aut existimetur debuisse cavere, ne alium percuteret telo, cujus ictus lethalis esse posset.

Homicida est] רוצח *rotseahh*, quod antea de invito homicida adhibitum est, hîc propriè eum qui sciens & volens occidit significat.

17. *Lapide manuali*] *Lapide manûs.* LXX. Intt. ἐκ χειρὸς, *è manu.* Una voce propriâ, χερμάδι aut χερμαδίῳ vertere potuissent, & commodissimè. Significatur enim Hebraïcâ, æquè ac Græcâ voce, χειροπληθὴς λίθος, *lapis qui manum implet*, seu qui manu projici potest. *Onkelos*: כידא דמתנסבא *qui manu tollitur.* Jonathan: מלא ידא *plenitudinis manûs.* Moses significat lapidem datâ operâ projectum manu, ut quispiam percutiatur; cujus ictu si contigerit percussum mori, eum qui projecit lapidem capite pœnas luere vult; quamvis neget se animo occidendi lapidem projecisse, quia non potuit ignorare ejusmodi lapidem vi impactum potuisse lethale vulnus infligere. At si contigisset aliquem, exempli causâ, in montis jugo, agriculturæ causâ, lapides moventem, devolvisse lapidem in adscendentem, quem adscendere nesciret, eúmque ita occidisse; potuit se defendere hac lege, quâ homicidæ imprudenti perfugium in urbem Asyli conceditur.

Quo mori possit] אשר ימות בה *quo morietur.* Sæpe animadvertimus hanc esse vim Futuri, ut significet non quod quasi futurum simpliciter spectatur, sed quod *potest*, aut *solet fieri.* LXX. Intr. ad verbum verterunt ἐξ οὗ ἀποθανεῖται, quod obscurum est ob sequens verbum. Ideò *Vulgatus* omisit, cùm perperam crederet esse redundantiam Hebraïcam: *si lapidem jecerit & occubuerit.* Multò meliùs Onkelos: והיא כמסת די ימות *& ille lapis sufficiens est ut moriatur eo percussus.* Sic & *Jonathan.*

18. *Ligneo manuali*] *Ligni manûs*, hoc est, quod manu geritur, ut baculus, vectia &c,

19. *Eum interficere licebit.*] Adparet ex verbis *cùm illi occurret*, agi hîc de homine qui fugâ sibi consuluerit, nec coram judicibus se stiterit. Nam homicidam damnatum dimittere Judicibus non licebat, ut in sequutibus docet Legislator. Potest autem duplici ratione vindici cædis potestas facta esse occidendi homicidæ, qui aufugerat. Primùm, ob sententiam Judicum, qui auditis testibus, etiam de absente judicarint, & frustra citatum damnarint; deinde ob ipsius rei absentiam, qui à se ipso damnari videbatur, cùm non auderet se judicio committere. Onkelos addit, *quando damnatus fuerit judicio.* Huic Legi objici fortè queat, indictâ causâ hominem damnatum, qui interdum non tam judicium fugerit, quàm gratiam aut fraudem inimicorum; quâ innocentiam suam oppressum iri, apud Judices iniquos, aut imperitos, prævidere potuit. At hic est abusus Legis, qui præcaveri nequibat, nisi omnipotentiâ divinâ hominum mores mutarentur, & qui rarior erat. Nullâ Legislatorum diligentiâ, omnibus fraudibus improborum occurri potest.

Vertimus autem ימית *interficiet*, *interficere licebit*, *seu impunè interficiet*; quia potuit fieri ut vindex sanguinis non posset homicidam facilè interficere, si ei occurreret; aut etiam esset è re vindicis, ejúsque familiæ dissimulare potiùs injuriam, quàm eam cum maximo periculo, aut etiam ipsius & familiæ pernicie, ultum ire. Fingamus hominem fortem, & potentem, adfinitatibúsque subnixum, pauperis & minimè strenui viri patrem occidisse; an hic sanguinis vindex lege cogebatur occidere patris homicidam? Crediderim ad officium Judicum hoc pertinuisse, non privati; qui sine ingenti periculo, & suorum etiam fortè pernicie, ejusmodi facinus adgredi non potuit. Vide Deut. XIX, 12, 13. Itaque hac lege fit potestas vindici occidendi homicidæ, non imponitur necessitas, quæ solis Judicibus incumbebat; & verba Mosis vertenda fuere *licebit occidere*, aut *impunè occidet.* Hæc est etiam non infrequens significatio Futuri. Vide Levit. XI, 47. & hujus Lib. c. XX, 17.

20. *Eum impulerit*] יהדפנו *jehdophennou*, adeò ut præceps ceciderit, aut in subjectos lapides, & interierit.

21. *Percussor morte adficietur*] Quia quamvis neget, animo occidendi inimici fecisse id

 cen-

cùm *eum* non videret, in eum dejecerit & mortuus fuerit, neque *antea* esset ei inimicus, aut malum ei machinaretur; 24. tum verò judicabit cœtus inter percussorem & vindicem sanguinis, secundùm hæc jura. 25. Liberabit autem cœtus percussorem è manu vindicis sanguinis, eúmque reducet in urbem Asyli sui, in quam fugerat; atque in hac manebit, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto inunctus est, moriatur. 26. Si verò homicida finibus urbis Asyli sui, in quam confugerit, egressus fuerit, 27. deprehenderitque eum vindex sanguinis extra fines urbis Asyli, atque occiderit, non erit cædis reus. 28. In urbe enim sui Asyli manere debet homicida, ad sacerdotis magni mortem; at post mortuum magnum sacerdotem, ad terram possessionis suæ reverti potest. 29. Atque hæc vobis erunt in constitutionem juris, in *futuras* ætates, pérque omnes habitationes vestras.

30. Qui-

sed fortuitu ac sine insidiis ălium quispiam, iis modis, invitus occiderit; 24. is à senibus oppidi, in cujus agro cædes admissa fuerit, judicandus ex Asylo accersitor. 25. Cognitâ autem diligenter causâ, ab iisdem tutò in proximum Asylum reducitor, atque illic ad mortem usque Pontificis Maximi maneto. 26. Si illinc exierit, 27. deprehendaturque extra fines Asyli à vindice cædis, impune occiditor. 28. Post mortem demum Pontificis Maximi, domum redire ei liceto. 29. Atque hæc, inter Hebræos, per omnes eorum sedes, perpetua lex esto. 30. Homicida, ut morti damnari queat, minimùm duobus testibus convincitor; teste uno, nemo reus esto. 31. Homicidæ, cædis de industria com-

censetur quod fecit, & debuit moderari iræ.

22. *Subitò*] בפתע *bpbetab*, ἐξάπινα, ut habent LXX. Intt. hoc est, sine antecedente ulla inimicitia, subito casu, ἄνευ προνοίας. Hinc Vulg. *fortuitu*.

23. *Malum ei machinaretur*] *Quæreret malum ejus.*

24. *Judicabat cœtus*] העדה *bedah*; senum, nempe, urbis in cujus agro contigerit homicidium, ut sequentia suadent. Hi homicidam ex Asylo ad se tutò duci curabant, & eò reducei, si ab invito commissum adpareret homicidium. Vide Deut. XIX. Sed & apud Levitas, qui urbem Asyli incolebant, fugæ suæ causas edere cogebatur, ut docemur Jos. XX, 4.

25. *Liberabit*] *Liberabunt*, & postea *reducent cœtus.*

Qui oleo sancto inunctus est &c.] *Quem unxit* (משח) *oleo sanctitatis.* Verbum est activum, sine nominativo, loco passivi. Subaudiendus nominativus. Vide not. ad Cap. XIX, 17. Pontificis autem Maximi mors præstituitur, quasi finis exilii homicidæ inviti, fortasse quòd peccatum, cui Lex nullum piaculum imposuit, morte demum Pontificis expiatum videretur. Expiatio certè fortuiti homicidii, hoc est, infortunii, non sceleris, pendere potuit, Deo volente, ex morte Pontificis Maximi, quamvis non immatura.

26. *Finibus Asyli sui*] Hoc est, extra ambitum octo millium cubitorum, quibus ager ejus urbis continebatur.

27. *Non erit cædis reus*] *Nullus illi sanguis.* Hoc genus vindictæ concesserat Deus Judæis, ob σκληροκαρδίαν, quod Evangelii mitior indoles sine dubio damnat. Vide Matth. V, 38. *& seqq.* Apud Athenienses, oppidum, in quod exsulatum per annum iverat homicida invitus, ei erat Asyli loco; lex enim fuit, ἐάν τις τινὰ τῶν ἀνδροφόνων ἐξεληλυθότων, ὧν τὰ χρήματα ἐπίτιμα, πέρα ὅρων ἐλαύνῃ, ἢ φέρῃ, ἢ ἄγῃ, τὰ ἴσα ὀφείλειν ὅσαπερ ἂν καὶ ἐν τῇ ἡμεδαπῇ δράσῃ: *si quis quempiam ex homicidis exsulibus, quorum non publicata sunt bona* (hoc est, imprudentibus; nam aliorum publicabantur facultates) *exagitarit, tulerit, egerit, eum paria debere ei qui in patrio solo hoc fecerit.* Item: φόνου δὲ δίκας μὴ εἶναι ἀδαμοῦ κατὰ τῶν τοὺς φεύγοντας ἐνδεικνύντων, ἐάν τις κατίῃ ὅποι μὴ ἐξεῖν: *cædis litem unsquam scribi in eos qui exsules indicant, si quis redierit quò non licet.* Vide Leg. Att. *Sam. Petiti.* Lib. VII. Tit. 1.

28. *Manere debet*] ישב jescheb, *manebit.* Hæc est sine dubio vis Futuri, quod & alibi animadvertimus. Hinc LXX. Intt. κατοικείτω *maneat*, & Vulg. *debuerat residere.*

30. *Ex testium verbis*] *Juxta os testium.*

Interficietur] ירצח את הרצח *interficiet homicidam.* Vertimus, quasi legendum esset יֵרָצֵחַ, non יִרְצַח; atque ita efferenda vox est, aut est Activum, sine nominativo, loco Passivi, ut vers. 25. LXX. Intt. habent φονεύσεις. Vulg. *punietur.*

Contra quemquam] *In animam.*

Respondere] Interroganti Judici, ut ex ejus responsione damnetur, aut absolvatur reus. Vide not. ad Exod. XXII, 16.

Pro vita homicidæ] *Animæ.*

Qui reus sit mortis] אשר הוא רשע למות *qui sit reus moriendi*, aut *ad moriendum*, nisi pro למות legas לָמֻת Alibi observavimus hanc esse propriam significationem vocis רשע, ut significet eum cujus deterior est causa, vel sontem. Vide not. ad Exod. Cap. II, 13. Intelligitur autem hîc homicida, à quo de industria cædem commissam esse constet. Similes Leges fuere Athenis, τὸν ἐκ προνοίας ἀποκτείναντα θανάτῳ ζημιοῦσθαι: *qui de industria occiderit morte pœnas luere.* Item: τοὺς ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἀποκτείνειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ καὶ ἀπάγειν· λυμαίνεσθαι δὲ μή, μηδὲ ἀποινᾶν: *homicidas licere morte mulctare in occisi terra, & abducere, non sævire in eos, aut pecuniâ acceptâ dimittere*; postquàm, nempe, in manus Judicum incidissent, nam antea licebat pacisci. Vide *Sam. Petitum* ad Legg. Att. Lib. VII. T. 5. *de Sicariis.*

32. *Ut confugiat in urbem*] לנוס *lanous.* Hæc verba ad antecedentia etiam pertinent, vetátque Deus ne quem leges morti damnant, eum patiantur Judices, accepto redemtionis pretio, fugere in Asylum, quasi invitus occidisset. Nullum alium sensum phrasis Hebraica capit. Attamen *Hieronymus*, alisque eum sequuti hæc ver-

30. Quicumque percusserit aliquem, is homicida ex testium verbis interficietur; sed testis unus non poterit contra quemquam respondere, ut moriatur. 31. Redemtionis pretium pro vita homicidæ non accipietis, qui reus sit mortis, sed morte adficietur. 32. Nec accipietis etiam redemtionis pretium, ut confugiat in urbem Asyli, *aut* ut revertatur habitatum in terram, antequàm mortuus fuerit sacerdos. 33. Non polluetis terram in qua eritis, sanguis enim ille terram polluit; neque potest expiari terra ob sanguinem in eam effusum, nisi ejus qui eum effuderit sanguine. 34. Non contaminabitis terram; in qua habitabitis, & in qua media ego tabernaculum habeo; sum enim Jehova, qui in mediis Israëlitis tabernaculum habeo.

XXXV. Ex

commissæ convicto, supplicium capitis nullo pretio redimere liceto. 31. Capitis pœnam ne exsilio in vicina Asyla ullo pretio permutato. Cui licuerit, invito quippe homicidæ, in Asylum confugere, ei reditum in patriam ante mortem Pontificis pretio redimere ne liceto. 33. Solum hominis innoxii sanguine pollutum esse, donec homicida pœnas capitis luerit, si de industria occiderit, intelligito; nec id pollutum manere, quoad licebit, patitor. 34. Tabernaculum Numinis in mediis Israëlitarum agris positum, nec ejusmodi sceleribus impune admissis polluendum esse memento.

P A-

verba ita intellexerunt, quasi Moses scripsisset: *Nec accipietis etiam redemtionis pretium* מראיש אשר נס *a viro qui fugit in urbem Asyli, ut revertatur* &c. Habet enim *Hieronymus*, nûllâ verborum ratione habitâ: *Exsules & profugi ante mortem Pontificis, nullo modo in urbes suas reverti poterunt.* Verùm hæc non est translatio, imò ne paraphrasis quidem, quæ nonnisi conculcatâ Grammaticâ sensum invenit.

Aut ut revertatur] Hoc alterum homicidii genus spectat, quod cùm ab invito admissum esset, homicidæ licuerat in urbem Asyli confugere. Illinc eum redire vetat Deus, ante mortem Pontificis Maximi; nec patitur reditum ullo pretio, ante definitum Lege tempus, redimi.

Antequàm mortuus fuerit] עד מות *had moth*, nec moriatur. Sed עד idem est sæpe ac *antequàm*. Vide Exod. XXII, 25. Levit. XXV, v. 30.

32. *Non polluetis*] Hoc est, non patiemini pollutam esse sanguine hominis innoxii, homicidam verò incolumem esse.

Neque potest expiari terra] Hoc est, purificari, munda haberi. Dixit Moses: לארץ לא יכפר לדם *terræ non expiabitur ob sanguinem.* Vulgatus rectè: *nec aliter expiari potest.* Inter convenientias Mosaïcarum & Atticarum legum hæc quoque est, quòd solum homicidio pollutum esse crederent etiam Athenienses, & lustratione indigere. Lex enim fuit: τοὺς ἀπογινομένους ἐν τοῖς Δήμοις, οὓς ἂν μηδεὶς ἀναιρῆται, ἐπαγγελλέτω ὁ Δήμαρχος τοῖς προσήκουσιν ἀναιρεῖν, καὶ θάπτειν καὶ καθαίρειν τὸν Δῆμον τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ἂν ἀπογένηται ἕκαστος αὐτῶν: *Cæsos in aliquo Demo, quos nemo tollet, jubeto Demarchus cognatos tollere, & sepelire & lustrare Demum, eo ipso die, quo quisque eorum occisus fuerit.* Quòd si nemo hoc faceret, ipse Demarchus jubebatur facere eadem Lege, quam habet Demosthenes ἐν τῷ πρὸς Μακάρτατον, & de qua *Sam. Petitus* Leg. Att. Lib. VII. Tit. 1.

34. *Non contaminabitis*] לא תְטַמְּאוּ *in Pihel*, *non contaminabis terram in qua vos habitatis.* Potuissent Punctare תִּטָּמֵא *non polluetur terra*, quod meliùs cum sequentibus conveniret. Vide v. 30. Sed nihil mutandum, cùm numeros passim misceant Hebræi.

34. *Ego tabernaculum habeo*] אני שכן *ani schochen.* Ideóque Hebræorum solum habebatur Deo sacrum; quod non licebat pollutum sinere hominis innoxii cæde, ut non licuisset Atrium immundum relinquere, re quapiam quâ impuratum fuisset.

XXXV. Ex occasione filiarum Tselophchadi, jubentur filiæ solæ paternorum bonorum heredes tribulibus nubere, ne hereditas in aliam tribum transferatur.

CAPUT XXXVI 1. ACcesserunt capita *domûs* patrum familiæ posterorum Galahadi filii Machiris, filii Manassæ, è familiis posterorum Josephi, & coram Mose, corámque principibus *seu* capitibus *domuum* patrum inter Israëlitas, loquuti sunt, 2. & dixerunt: dominum meum, jussit Jehova possidendam dare terram sorte Israëlitis. Jussus est etiam à Jehova dominus meus, dare Tselophchadi fratris nostri filiabus ejus prædium. 3. Hæ autem nubent cuipiam è tribubus Israëlitarum, & detrahetur earum prædium possessioni patrum nostrorum; addetur possessioni tribûs ad quam *conjugio* pertinebunt, & forti possessionis nostræ detrahetur. 4. Si fuerit *annus* Jubilæus Israëlitis, addetur earum prædium possessioni tribûs ad quam *matrimonio* pertinebunt, detrahetur ex possessione tribûs patrum nostrorum.

5. Tum mandatis instruxit Moses Israëlitas, ex imperio Jehovæ, dicens: rectè loquitur tribus è posteris Josephi. 6. Hoc est quod præcepit Jehova, de filiabus Tselophchadi, & quidem his verbis: prout videbitur, sed in familia tribûs paternæ nubent. 7. Non migrabit possessio Israëlitarum è tribu in tribum, sed possessioni tribûs patrum suorum Israëlitæ quilibet adhærebunt. 8. Omnis filia heres è tri-

PARAPHRASIS.

1. CUM Tselophchadi filiabus, ut ante dictum est, concessum esset à Deo prædium quod earum patri, si vixisset, dandum erat; Galahaditæ, nomine totius Tribûs Manassæ, Mosem & Principes Tribuum adierunt. 2. Monuerunt in Lege, in gratiam harum puellarum lata, grave esse incommodum; quòd, nimirum, cùm singulæ Tribus certum terrarum tractum essent sorte accepturæ, 3. attamen matrimonio filiarum Tselophchadi, cum viris aliarum forte Tribuum, pars agri Tribui Manassæ divisi, ad alias esset transitura, adeóque futurum ut prædia Manassitarum minuerentur, dum ager aliarum Tribuum, in quibus illæ nuberent, augeretur. 4. Cui incommodo non poterant mederi, emtione agri filiorum Tselophchadi, quæ ex aliis Tribubus forte viros habituræ erant; nam anno Jubilæo, prædia ad veteres dominos redire oportere. 5. Moses, his auditis, Deum consuluit, qui probatâ Manassitarum oratione, 6. hanc eum legem ferre jussit: Tselophchadi filiæ iis quibus videbitur, si

COMMENTARIUS

In CAPUT XXXVI.

1. C*Apita domûs patrum*] ראשי אבות *capita patrum*; subauditur, בית *domûs*, ut adparet ex aliis locis. Vide Cap. I, 4. Videntur nonnullis Manassitæ intelligi qui ad occasum Jordanis sedes habuerunt, quòd Tselophchadi filiæ prædia inter Manassitas occidentales acceperint, ut liquet ex Jos. XVII. Sed hi dicuntur Galahaditæ, quibus agri ad ortum Jordanis divisi sunt. Itaque hi non tam suo nomine quàm Tribûs, imò totius Israëlitici populi loquuntur; hîc enim negotium agitur, quod ad omnes Tribûs pertinebat, quibus etiam communis lex fertur.

2. *Dominum meum*] Unus, nempe, omnium nomine loquebatur, ut Cap. XXII, 27.

3. *Nubent*] *Erunt in uxores.*

Ad quam conjugio pertinebunt] *Quorum erunt.*

Et forti possessionis nostræ &c.] Hebraïca repetitio, quæ iterum in sequente versu occurrit.

4. *Si fuerit annus Jubilæus*] Etiamsi fortè ea prædia à Manassitis redimerentur, quando matrimonio cum aliis Israëlitis contracto procul ab iis hæ puellæ abibunt; attamen ad eas aut earum heredes anno Jubilæo agri redibunt; quandoquidem eos eodem jure possident, ac pater Tselophchadus, si viveret.

5. *Ex imperio*] על פי *ad os*; hoc est, ex responso Dei, quem hac de re consuluerat.

6. *Prout videbitur*] לטוב בעיניהם *pro bono in oculis eorum, erunt in uxores.* Est pro בעיניהן *in oculis earum*, enallage generis, ex neglecta Hebraicæ Linguæ indole nata. Vide not. ad Exod. Cap. II, 17.

Nubent] *Erunt in uxores*, alterâ vice.

7. *Possessioni tribûs*] Hoc est, non transibit in alienæ Tribûs agros, ut prædia illic, quasi sua in perpetuum, colat.

8. *Omnis filia heres*] ירשת נחלה *hereditate prædium consequens.* Unâ voce ab Atticis dicitur ἐπίκληρος, apud quos Lex erat Hebraïcæ similis, ut viri docti observarunt, atque, inter alios, *Hug. Grotius* quem vide. Legum tamen duarum Atticarum huc facientium verba, ne alibi quærenda sint, referemus. Primùm ergo lex fuit Athenis: μὴ ἐξεῖναι ταῖς ἐπικλήροις ἔξω τῆς ἀγχιστείας γαμεῖν, ἀλλὰ προσήκειν εἶναι αὐτὰς μετὰ τῶν χρημάτων τῷ ἐγγύτατα γένους συνοικεῖν: *non licere heredibus virginibus extra cognationem nubere, sed æquum esse iis cum omnibus bonis genere proximum matrimonio conjungi.* Vide *Sam. Petitum* ad Leg. Att. Lib. VI. Tit. 1.

Pos-

tribubus Israëlitarum tribuli cuipiam suo nubet, ut quivis Israëlitæ possessionis pa-
trum suorum heredes sint. 9. Non migrabit possessio è tribu in aliam tribum, sed
unaquæque tribus Israëlitarum possessioni suæ adhærebit.
10. Quemadmocum Mosem jusserat Jehova, ita fecerunt Tselophchadi filiæ, 11.
& Machla, Thirtsa, Chogla, Milcha & Noha, filiæ Tselophchadi, filiis patruorum
suorum nupserunt. 12. *Viris* ex familiis posterorum Manassæ, Josephi filii, uxores
fuerunt, fuitque earum hereditas in paternæ familiæ tribu. 13. Hæc sunt præcepta
& jura, quæ Jehova per Mosem, in Moabiticis campis ad Jordanem, *è regione*
Jerichuntis, dedit.

NUMERORUM FINIS.

DEU-

si modò sint ex eadem Tribu, nubunto. 7. Agri
singulis Tribubus divisi, ad alias numquam trans-
feruntor; 8. 9. qua de causa, puellas quæ solæ
paternorum prædiorum heredes erunt, tribules dum-
taxat ducunto.
10. 11. Huic legi Tselophchadi filiæ paruerunt, &
consobrinis, patruorum filiis, nupserunt, 12. qui-
bus matrimoniis hereditas in paterna Tribu mansit.
13. Atque has leges Moses, Deo jubente, populo
Hebræo, in Moabiticis campis ad Jordanem, tu-
lit.

Paraphraseos Numerorum.


FINIS.

PA-

Possessionis patrum suorum heredes sint.] Ea de causa apud Athenienses lex fuit: ἐν τῷ γένει τοῦ τεθνηκότος δεῖν τὰ χρήματα καὶ τὸν οἶκον διαμένειν: *intra genus mortui oportere bona & domum manere.* Leges Att. Lib. VI. Tit. 6. Sed Athenis intestatò mortui bona ad viros filiarum, si nullos filios reliquisset, devolvebantur; ideóque ad aliam gentem transire poterant, ut ostendunt ejusdem Tituli Leges.

Commentarii in Numeros

FINIS.



COM-

DEUTERONOMIUM.

I. Moses, in campis Moabiticis, commemorat Israëlitis quæ iis à mansione montis Chorebi ad mansionem Kadesi contigissent, & præsertim exploratorum pusillanimitatem, ac mala quæ illinc orta erant.

CAPUT I. 1. 
ÆC sunt verba, quibus universum Israëlem alloquutus est Moses, cis Jordanem, in deserto, in planitie *quæ est* è regione Suphi, inter Pharanem, Thophelum, Labanem, Chatserothas & Dizahabum; 2. undecimo die à Chorebo, *venienti per* viam montis Schiris ad Kadesbarneam usque. 3. Quadragesimo autem anno, undecimo mense, primo *die* mensis, Israëlitas, pro omnibus quæ ad eos mandata ei dederat Jehova, alloquutus est Moses; 4. postquàm Sichonem Emoræum regem Chesbone sedes habentem, & Hogum Basanitidis regem, Hastharothas & Edrehin incolentem, cecîdisset. 5. Cis Jor-

PARAPHRASIS.

1 *ad* 5. DEVICTIS Sichone & Hogo regibus, eorúmque regione occupatâ, cùm Hebræi castra baberent in Moabitica solitudine; Moses, qui sciebat instare sibi mortem, Leges quas, Deo jubente, tulerat, repetere & copiosiùs exponere, apud concionem totius populi Hebræi, instituit, antequàm decederet; & primo quidem die undecimi mensis quadragesimi anni, ex quo Hebræi exierant ex Ægypto, cœpit in hanc sententiam populum alloqui.

6. Cùm per plures menses, ut nostis, ad Sinain & Chorebum montes castra babuissemus, & plerasque divinas leges accepissemus, Deus illinc proficisci nos jussit, 7. atque, ad Septemtriones agmine converso, ire ad montes Emoræorum, quibus ad austrum Chananæa clauditur; tum promissos

COMMENTARIUS

In CAPUT I.

1. CIs] בעבר *bebeber*. Utrùm *trans*, an *cis* vertendum sit, certant Intt. Eorum qui hisce libros recensitos atque auctos ab Hesdra, aut alio quopiam, qui esset ad occidentem Jordanis, volunt, ejúsque hæc esse verba putant, nonnulli interpretantur, *trans*, quòd Moses, ratione loci in quo is Scriptor erat, trans Jordanem semper fuerit; ac sanè בעבר passim *trans* significat. Alii, qui hæc ab ipsius Mosis manu esse censent, propterea vertunt *cis*, quòd Moses, qui numquam Jordanem trajecit, aliter loqui non potuerit, eáque significatio vocis hujus occurrat infrà Cap. III, 8. At nullum in alterutram partem ex hac voce duci potest certum argumentum; propter ejus ambiguitatem, quâ modò *cis*, modò *trans* sonat; quod manifestò liquet ex Jos. XII. ubi regiones ad orientalem Jordanis ripam sitæ dicuntur v. 1. בעבר הירדן מזרחה *trans Jordanem ad orientem*, quæ verò sunt ad occidentalem v. 7. בעבר הירדן ימה *trans Jordanem ad mare*. In hoc ipso Deuteronomii libro, C. IV, 40, 47, 48. eidem voci בעבר additur *ad orientem*, quod in hoc loco Capitis primi subaudiri potest: ut & alibi etiam fieri necesse est. Jos. IX, 1. בעבר significat regionem quæ est ad Occidentem Jordanis; ejusdem verò Capitis v. 10. designatur is terrarum tractus, qui à Jordane orientem solem spectat. Video proferri è Lexico MS. Syro-Arabico *Bar-bahluli*: עברא רימא hebro djomo *est littus maris*: עברא hebre sunt *oræ*, seu *latera*: עבר דרגלמא hebar dargelto, *est latus* alterum *fluvii*. Vide quæ hac de re habet vir doctissimus *Th. Hydeus*, de Religione Vett. Persarum Cap. II.

Ceterùm haud facile est dictu, an vocibus, *in deserto*, *in planitie*, *è regione Suphi* &c. una idémque locus, an plura, in quibus Moses quæ sequuntur proloquutus fuerit, significentur. Plura notari videbuntur, in animum revocantibus loca inter *Pharanem* & *Chatserothas* sita potiùs ad austrum Asphaltitæ lacûs, quàm aut trans, aut cis Jordanem esse. Sed constat quædam saltem horum locorum, ut *Souph*, ad orientem Maris Mortui, adeóque Jordanis, qui id mare influit, sita fuisse. Præterea non desunt rationes, ut videbimus, quæ suadeant iis nominibus significari loca Perææ, potiùs quàm Arabiæ Petrææ.

In planitie] בערבה. Dubium *solitudóne*, an *planities* hîc significetur. *Hieronymus*, qui vertit, *in solitudine campestri*, utrumque conjunxit, fortè ne verâ significatione excideret. LXX. habent ἐν τῇ ἐρήμῳ πρὸς δυσμαῖς, ubi quoque duæ exprimuntur significationes, *eremi* & *occidentis*; quia hæc vox eamdem radicem babet ac ערב *bereb*, occidens. Verùm hæc Eremus non est occidentalis, nisi Arabiæ desertæ, aut Mesopotamiæ; & Arabes potiùs *orientales* in V. T. dicuntur. Verisimilius mihi videtur hîc intelligi *campestria Moabitidis*, quòd infr. v. 5. Moses Legem in Moabitide terra exponere voluisse dicatur, atque extremas conciones in iis locis habuerit

Jordanem ; in Moabitide terra , hanc Legem exponere voluit Moses , his verbis.

6. Jehova Deus noster nos ad Chorebum alloquutus est , & satis diu , inquit, ad hunc montem consedistis. 7. Convertite *agmen*, proficiscimini , ite in montem Emoræorum & in omnia vicina *loca* , *seu sint* in campestribus , aut in montanis, aut in planitie, aut in meridiano tractu, aut ad portus maris , in tarram Chananæorum, & ad Libanum, usque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem. 8. Videte, posui ante vos hanc terram; ite, possidete terram , quam Jehova majoribus vestris Abrahamo , Isaaco & Jacobo , cùm ipsis, tum eorum posteris daturum se juravit.

9. Tempore illo dixi vobis : solus vos sustinere non possum. 10. Jehova Deus vester vos auxit, atque hodie multitudine stellas cœli æquatis. 11. Jehova Deus majorum vestrorum vos mille vicibus auctiores faciat; & vobis, quemadmodum vobis promisit , benedicat. 12. Quomodo ferrem solus molestiam, quam creatis *mihi*, onus quo *me* premitis, & contentiones vestras? 13. Date viros sapientes, prudentes, tribubúsque vestris notos, eósque quasi capita vobis præficiam. 14. Tum verò respondistis mihi , dixistisque : bonum est quod faciendum dixisti. 15. Sumsi itaque capita tribuum vestrarum, viros sapientes & notos, eósque *quasi* capita vobis

sos agros illac ingredi, terrarúmque tractus ad Libanum usque porrectos invadere , & ad ipsum Euphratem , si ita videretur , per Chananæorum regna , fines nostros proferre. 8. Se enim aiebat Chananæorum agris, quos olim Majoribus nostris promiserat , tandem nos donare; nec quidquam superesse , nisi ut fortiter, se favente, eos invaderemus.

9. Circa idem tempus , ex consiliu soceri mei, significavi populo Hebræo me non posse solum litium omnium judicem esse , & de jure respondere, 10. propter ingentem, in quam excreverat, multitudinem ; 11. quam etiam multò majorem fieri optabam, ut re ipsâ futura est, Deo promissa majoribus vestris implente. 12. Nimium esse judicandi, & de jure respondendi tanto populo laborem, quàm ut ab uno homine ferri posset. 13. Itaque optare me eligi viros fidei , prudentiæque spectatæ , quos aliis præficerem. 14. Quod consilium cùm omnibus probaretur ; indicatos mihi spectatissimos , & integerrimos viros Chiliarchos, Centuriones, Pentecontarchos, Decuriones & Appa-

buerit. Vid. not. ad Num. XXII, 1. & Cap. XXXIII, 50. XXXV, 13. Deut. XXXIV, 1. *& seqq. Hieronymus* in locis Hebr. ARABOTH *Moab, ubi secundò numeratus est populus, quod Aquila interpretatur* humilia *sive* æqualia Moab; *hanc habens consuetudinem, ut eremum propter planitiem* ὁμαλήν; *id est*, æqualem *interpretetur &* planam. *Denique Symmachus pro Araboth Moab*, campestria Moab *transtulit*; *& est usque hodie locus juxta montem Phogor, euntibus à Libiade in Esbum Arabiæ contra Hiericō, qui ita appellatur* ARABA. *Hanc, ut suprà, Aquila transtulit* planam, *Symmachus interdum* campestrem, *interdum* inhabitabilem, *Theodotion* occidentalem.

E regione Suphi] Vocem סוף *souph* hîc idem esse ac ים סוף jam souph, *mare carecti* , vel Erythræum, LXX. Intt. *Hieronymus* & *Onkelos* , alisque Vett. & recentiores crediderunt. At nullus est alius locus , in quo voce סוף solâ *mare rubrum* designetur. Malim igitur, quoniam hîc de Moabitidis campestribus agi modò ostendi, intelligere locum in ejus regionis finibus situm, qui Num. XXI, v. 14. סופה *supha* vocatur, ubi vide notata.

Pharanem] Ita vocabatur desertum Idumææ finitimum, de quo vid. ad Gen. XIV, 6. Solitudinum , qualis hæc est, cùm fines non sint satis noti; earum distantiæ definiri non possunt. Sed fortè alius locus significatur, ob rationem quam ad sequentem vocem proferemus.

Thophelum] Cùm hoc nomen hîc tantùm occurrat, ad quam cœli plagam situm esset non liquet. Vicinum fortè fuit Pharani, aut Moabitidi.

Labanem] LXX. habent Λοβὼν. Existimant Interpretes eumdem esse locum, ubi fuit decimus septimus Israëlitarum Stathmus, qui dicitur Num. XXXIII, 20. *Libna* , ex punctatione nostra , *Lebna* Hieronymo, *Lebona* τοῖς LXX. At mihi vix fit credibile Mosem describere situm loci, in quo Legem exposuit, alius usque adeò remoti commemoratione. Idem enim facere videretur, ac qui situm Jerichuntis indicaturus diceret eam fuisse ad Jordanem, inter Sidonem & montem Sinain. Itaque crediderim fuisse locum propiorem, in Sichonis regno; prout existimavit *Hieronymus* in locis Hebr. ubi postquàm *Lebonæ* meminit , addit. LABON, *locus solitudinis trans Jordanem , in quo Moyses Deuteronomium legit.*

Chatserothas] Eorum sententia, qui *Labanem* volunt fuisse mansionem decimam septimam, hinc confirmari videtur. *Chatseroth* enim decima quarta fuit. Num. XXXIII, 17. Crediderim tamen alium locum, in Sichonis regno, ita dictum ; nam, ut omittam quod de distantia dixi ad vocem superiorem , hæc mansio non fuit nobilior quàm aliæ , eæque propiores, ut hinc describeretur situs loci in quo Deuteronomium à Mose promulgatum est. Ingens nominum ὁμωνυμία non exiguas tenebras, in Geographia sacra & profana, peperit. LXX. Intt. qui in Numerorum loco verterunt Ἀσηρὼθ, hîc, sollemni inconstantiâ, habent Αὐλῶν, quia חצר *chatsar* , atrium αὐλὴν vertere solent.

Dizababum] Locus cujus ignotus est situs, nisi quòd fuerit memoratis vicinus , hoc est, aut ad austrum, aut ad ortum , aut ad septemtrionem

bis præfeci, Chiliarchos, Centuriones, Pentecontarchos, Decuriones, & Adparitores tribubus vestris. [16] Eo tempore, præcepta dedi judicibus vestris, dicens: audiendo *contentiones* inter fratres vestros, justè disceptate, inter ipsos & inter peregrinos. [17] Ne hominum in judicio rationem habetote, parvum & magnum æquè audite, ne quemquam timete, judicium enim Dei est. De causa autem, quæ vobis nimis difficilis erit, ad me referte, eam ego audiam. [18] Eo tempore, vobis præcepi quidquid facturi essetis.

[19] Postea à Chorebo profecti sumus, & peragravimus totum hoc magnum ac hor-

paritores constitui. [16] Collatâ iis judicandi potestate, jura & leges, in exercendo illo munere, præ oculis eos habere jussi, atque ex iis in litibus cùm civium, tum peregrinorum sententiam ferre. [17] Monui nullius hominis, sed solius justitiæ rationem habendam; tenuibus æquè ac potentibus jus esse dicendum; nec quemquam reverendum, modò ex jure divinitus instituto judicarent. Si quid verò incideret, quod difficilius videretur, de eo ad me referrent, ut de eo sententiam dicerem. [18] Nec desii, ab eo tempore, quid factu opus esset, populum Hebræum, quotiescumque interrogatus sum, docere.

[19] Ita constitutâ Republicâ, viam ad Emoræos mon-

nem Asphaltitæ lacûs. Quia autem זהב *aurum* significat, ideò καταχρύσεα LXX. Intt. vertere. *Hieronymus* verò *ubi est auri plurimum*, audaci, eáque Grammaticæ nullo modo conveniente conjecturâ.

2. *Undecimo die*] Ambiguum est an velit Moses postremum, quem dixit, locum; nimirum, *Dizahab*, undecim diebus remotum fuisse à Kadesbarnea, docere; an verò ad tractum Moabitidis, in quo tum erat, undecim dierum itinere, à monte Chorebo perveniri, si via montis Sehiris Kadesbarneam usque teneatur. Hæc tamen posterior sententia magis arridet, quia Dizahabi distantiam à Chorebo indicare nihil attinebat, cùm Historiæ inutile non sit sciri quo loco ultimos sermones, Deuteronomii argumentum, habuerit Moses. Præterea certum est Israëlitas in Moabitidem venientes Sehirem circumivisse montem, circa quem diu vagati erant, Kadesbarneâ, quò ab Chorebo iverant, profecti. Vid. v. 19 & Cap. II, 3, 4, 14. & Num. XX, 16. & XXI, 4. Mirum ergo videri non potest, si Moses locorum notissimorum distantiam notet. Similes locorum distantiæ descriptiones apud optimos quosque leguntur scriptores. Hæc aliud agenti mihi apud *Arrianum* Exped. Alex. Lib I. sub initium occurrit: ἀπέχει δὲ Λύγινος ποταμὸς ἀπὸ τοῦ Ἴστρου, ὡς ἐπὶ τὸν Αἷμον ἰόντι, σταθμοὺς τρεῖς, *distat autem Lyginus fluvius ab Istro, eunti illuc per Æmum tres stathmos.* Multa sunt ubique similia.

Chorebo.] Vid. notata ad Exod. III, 1. Num. X, 33. & infrà v. 6.

Kadesbarneam] Hæc urbs fuit ad septemtrionem Chorebi & meridiem Sehiris, atque inde ad dextram per Idumææ fines, juxta mare mortuum, deflectendum fuit Moabitidem petentibus. Vide Num. XX, 16.

3. *Quadragesimo* &c.] Cùm Israëlitæ ingressuri essent brevi Palæstinam, Mosi verò, paucis pòst diebus, moriendum esset; præcipua Legis capita, & potissima Dei beneficia repetere & subinde copiosiùs exponere in animum induxit. Ideò videtur hujus repetitionis notari tempus, quæ alioquin intra paucos dies sub hiemis finem absoluta est. Cùm enim Moses fato functus esset, luxissentque eum Israëlitæ triginta diebus, quod narratur hujus libri Capite ultimo, Josua exploratores misit, populum Jordanem trajecit, deinde 14. die primi mensis Pascha celebravit, ut adparet ex ultimo Deuteronomii & quinque primis Josuæ Capitibus. Si *Josepho* credimus, Mosem hæc intra triginta dies, aut Mensem unum, dixisse oportet, quoniam obiit primo die ultimi Mensis, *Adar*, nempe, secundi. Judæorum recentiorum Calendaria eam mortem referunt ad septimum ejusdem mensis, qua de re vide notata ad ultimum Caput hujus Libri.

4. *Sichonem Emoræum* &c.] Vide notata ad Num. Cap. XXI.

Basanitidis Regem] Vide not. ad Num. XXI, v. 33.

Hastharothas & Edrebin] *In Hastaroth, in Edrehi.* LXX. & Vulg. suppleverunt copulam, ἐν Ἀσταρὼθ καὶ ἐν Ἐδραΐν, *in Astaroth & in Edrahi.*

5. *Voluit.*] LXX. ἤρξατο. Vulg. *cœpit.* Sed alia loca, quæ Concordantiæ, aut Lexicographi plurima indicabunt, ostendunt meliùs verti *voluit*, aut *animum induxit.* Vid. Exod. II, 21. Jos. VII, 7.

Exponere] באר *beer* διασαφῆσαι, ut habent LXX. Intt. *explanare*, ut Vulgatus; quod facit Moses cùm repetitionibus, tum additionibus variis.

6. *Ad Chorebum*] בחרב *bhhoreb.* Sed ב vertendum *ad*, non *in*, quia non ex monte, sed ex Tentorio loquutus est Deus. Vide Num. X, 11, 12.

Satis diu consedistis] רב לכם שבת *rab lachem schebeth*, multùm vobis sedere. Vide Num. X, v. 11, 12.

7. *Convertite agmen*] פנו *vertite, proficiscimini vobis.* Hoc imperium non habetur Num. X. nec possemus ex historia Numerorum hoc factum fuisse colligere, ut nec multa alia, quæ in hoc libro habentur.

In Campestribus] בערבה, de qua voce vide ad v. 1.

In Montanis] *In monte.*

In planitie] שפלה *schphela*, quâ voce non significatur hîc quævis planities, ut antea vocabulo ערבה, sed ea quæ erat secundùm littua maris, & quam occupabant Philisthæi. Vide quæ notavimus ad Abdiam, v. 17.

Meridiano tractu] In meridie. Vide dicta ad Genes. XIII, 1. & ad locum laudatum Abdiæ.

Ad portus maris] בחוף הים bhhoph hajjam, *in portu maris.* Intelliguntur occidentales tractus

horrendum desertum quod vidistis, per viam montis Emoræorum, prout præceperat nobis Jehova Deus noster, & venimus Kades-barneam. 20. Tum vobis dixi: venistis ad montem Emoræorum, quo Jehova Deus noster nos donavit. 21. Vide, posuit Jehova Deus tuus ante faciem tuam terram hanc, adscende, possessionem *ejus* adito, quemadmodùm dixit tibi Jehova Deus majorum tuorum; ne timueris, neque terrearis. 22. Omnes verò ad me accessistis & dixistis: mittamus ante nos viros, qui nobis explorent terram, & referant nobis rem, *&* quâ viâ in eam adscensuri, urbésque ad quas ituri simus. 23. Res mihi placuit, sumsique ex vo-

montes, per vastas solitudines, Deo jubente, ingressi sumus, & Kadesbarneam, ad eorum radices sitam, pervenimus. 20. 21. Eo in loco, iterum monui invadendæ illinc Chananææ tempus esse, quandoquidem eam à nobis subactum iri Deus spoonderet. 22. Tum verò me convenerunt primores omnes populi, dixeruntque priusquam eos agros invaderent, videri sibi mittendos esse exploratores, qui & soli naturam inspicerent, & quâ viâ commodissimè intrare, quasve urbes primùm adoriri possetous, reduces docerent. 23. Qua io re, iis sum obsequutus, quamquam necesse non erat, Deo jubente audacter invadere Chananæos; & duodecim quidem exploratores, unum ex quaque

ctus Chananææ ad Sidonem usque, à Philisthæorum agris.

Libanum] לבנון. Hoc est, propriè *Antilibanum*, qui & *Chermon* dicitur, atque ad Septemtrionem terram Chananæam clausit. Vide Num. XXXIV, 7.

Usque ad fluvium magnum] Licuit, nempe, Hebræis eò usque fines promovere, si arctior fieret Chanauæa. Vide not. ad Genes. XV, 18. Verùm quæ sunt inter Galahaditicos montes & Euphratem, non sunt fertilitate Chananææ æquiparanda.

8. *Posui ante vos*] *Vide, dedi ante facies vestras*; hoc est, ejus invadendæ vobis potestatem facio. Adito quæ notavimus ad Gen. XII, 9. Pro ראה *vide*, habent Samaritæ ראו *videte*, & LXX. ἴδετε.

Cum ipsis] Quamvis enim propriam non habuerint, attamen per eam cum gregibus errarunt. Vide not. ad Gen. XIII, 15.

Juravit Jehova] Samaritæ נשבעתי & LXX. ὤμοσα *juravi*.

Eorum posteris] *Semini eorum post eos.*

9. *Tempore illo*] Consilio Jethronis soceri, de quo Exod. XVIII. & quod videtur tum demum datum Mosi, cùm primùm profecturus esset è campis Sinai monti subjectis. Vide not. ad Num. X, 26.

Dixi vobis] Hoc est, patribus vestris; eos enim alloquutus fuerat Moses, qui obierant, non eos qui eum audiebant, eo tempore pueros. Sed Moses ubique populum Hebræum alloquitur, quasi idem semper esset. Sic & optimi Scriptores Græci & Latini de Republica loquuntur, quasi de immortali quadam persona, cui quæ per plura sæcula facta sunt tribuere solent. Verùm tamen non inducerent oratorem filios alloquentem, perpetuâ oratione, eodem ferè modo ac patres vivos alloqueretur. Nestor, qui tertiæ ætati imperavit, ad eam ætatem orationem non habuisset, quales apud duas priores habuerat; nec *Homerus* eum inducit ea tribuentem Agamemnoni & Menelao, quæ Plisthenes, aut Atreus fecerant. Sed Hebræorum ea est consuetudo, ut ex toto hoc libro adparet.

Sustinere non possum] Vide not. ad Exod. C. XVIII, 18. & Num. XI, 14.

10. *Atque hodie*] *Ecce vos hodie.*

Multitudine stellas cœli] *Multitudine*, vel *ad multitiiudinem quod adtinet*, לרב. Vide ad Gen. XV, 5.

Auctiores faciat] *Addat ad vos*, vel *super vobis* (עליכם) *sicut vos mille vicibus.*

Promisit] *Loquutus est vobis*, aut *de vobis* לכם. Vide not. ad Num. Cap. X, 29.

12. *Molestiam quam creatis mihi*] טרחכם torhhechem, *molestiam vestram*. LXX. τὸν κόπον ὑμῶν. Clariùs *Vulgatus*, *negotia vestra*. Molestiam potius significat, ut liquet ex Esai. I, 14.

Onus quo me premitis] *Onus vestrum, & contentionem vestram.*

13. *Date*] *Date vobis* לכם. Est Hebraïcus pleonasmus frequentissimus. Eum nonnulli temerè urgent, quasi esset ἔμφασις aliqua in hac phrasi, cùm nulla prorsus sit; non magis ac in לך לך lech lecha, *ito tibi*, pro ito, & in aliis ejusmodi loquutionibus. Vide *Joan. Seldenum* de Synedriis Lib. I. c. 16. Exodi Cap. XVIII, 25. Moses elegisse hos dicitur, quod per alios fecit, ut hinc videmus. Nimirum, illic omissa est cicumstantia quæ hîc habetur, quod passim animadvertere est, si hunc librum cum antecedentibus conferamus.

15. *Capita Tribuum*] Non intelligontur dumtaxat *duodecim capita*, aut *principes* Tribuum; sed ornatissimi quique Hebıæorum, qui auctoritate & facultatibus, præ ceteris, eminebant. *Sumsisse* autem hîc dicitur Moses, quos ei populus Hebræus obtulit, quòd eorum electinnem probarit, & numerum Præfectorum necessarium ex iis elegerit.

Chiliarchos &c.] *Principes mille* &c. Vide ad Exod. XVIII, 12.

Adparitores] שוטרים *schoterim*. Vide not. ad Exod. C. V. 6.

16. *Audiendo*] שמוע. Samaritæ שמעו *audite* διακούετε, ut LXX. Int.

Justè disceptate] *Et judicate justitiam.* Abundat ו & צדק *justitiam*, est pro בצדק besedek *in justitia.*

Inter ipsos] *Inter quemque & inter fratrem ejus*; hoc est, inter ipsos Hebræos, qui *fratres* erant, seu consanguinei.

Peregrinos] *Peregrinum ejus.* Intelligendus גר תושב *peregrinus domicilii*, nondum circumcisus, nam circumcisorum eædem erant leges, seu Hebræi, seu alienigenæ essent. Vide *Joan. Seldenum* de Synedr. Lib. I. c. 3.

vobis duodecim viros, unum in fingulas tribus. 24. Hi converſi adſcenderunt in eum montem, ad vallem Eſchol iverunt, eámque *terram* ſpeculati ſunt. 25. Dein ſumſerunt in manus ſuas *aliquantum* è fructu terræ, ad nos adportarunt, rem nobis retulerunt, & dixerunt: bona eſt ea terra, quâ Jehova Deus noſter nos donavit. 26. Sed noluiſtis adſcendere, & immorigeri fuiſtis imperio Jehovæ Dei noſtri. 27. Confremuiſtis in tabernaculis veſtris, & dixiſtis: ex odio, quo nos proſequitur, eduxit nos Jehova ex Ægypto, ut nos traderet in manum Emoræorum, quò nos perderet. 28. Quò adſcendemus? fratres noſtri animum noſtrum fregerunt, dicentes: populus *ille* magnus *eſt* & nobis procerior; urbes *ſunt* magnæ & munitæ ad cœlum uſque; filios etiam Hanakæorum illic vidimus. 29. Tum vobis dixi: ne terreamini, néve timeatis eos; 30. Jehova Deus noſter, qui nobis præit, is pugnabit pro vobis; pro omnibus quæ fecit erga vos in oculis veſtris, in Ægypto, 31. & quæ

que Tribu, elegi. 24. Hi à meridie in ſeptemtrionem Chananæam peragrarunt, omnibuſque exploratis, 25. pulcherrimos fructus ad nos retulerunt, & de eximia fertilitate agrorum a ſe exploratorum certiores fecerunt. 26. *ad* 28. At cùm decem exploratores dixiſſent Chananæam teneri à bellicoſis, formidoloſiſque gentibus, munitiſſimis naturâ atque opere urbibus refertam eſſe, nec populum Hebræum Chananæis parem umquam futurum; non modò alii animum deſponderunt, Deúmque ducem ſequi recuſarunt, ſed etiam ejus bonitati, turpiſſimis verbis, detraxerunt; quaſi ſe malo animo eò adduxiſſet, ut Emoræis ſe ſuóſque in cædem, aut ſervitutem traderet. 29. Fruſtra animos eorum diffidentiâ, & puſillanimitate dejectos engere conatus ſum, oſtendendo non ſatis eſſe cauſæ cur timerent Chananæos, 30. quandoquidem Deus pugnaturus erat pro nobis; de cujus po-

17. *Hominum rationem habetote*] *Non agnoſcetis vultus in judicio*; hoc eſt, de iis judicabitis quaſi de hominibus perinde ignotis, notos ignotis non præferetis. Vide Exod. XXIII, 3. Levit. XIX, 15. Hoc Thebani Ægyptii non malè adumbrarant picturâ, de qua ita *Plutarchus*, de Iſide & Oſiride. Ἐν Θήβαις εἰκόνες εἰσὶν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες· ἡ δὲ τοῦ ἀρχιδικαστοῦ μύουσα τοῖς ὄμμασιν, ὡς ἄδωρον ἅμα τὴν δικαιοσύνην καὶ ἀνέντευκτον οὖσαν: *Thebis judicum ſunt poſitæ imagines abſque manibus; & ſummi judicis imago oculis connivet, quippe quæ effingit juſtitiam, quæ ſimul neque donis capitur, neque accedentibus blanditur.*

Ne quemquam timete] *Ne expaveſcite à facie cujusquam.*

Judicium enim Dei eſt.] Hoc eſt, à Deo inſtituta ſunt Judicum tribunalia, cùm ſine iis humana ſocietas ſtare nequeat. Sic 2. Paral. XIX, 6. ita Joſaphatus judices à ſe conſtitutos alloquitur: *videte quid faciatis, nam non homini judicatis, ſed Jehovæ*; hoc eſt, non tantùm hominibus, ſed Deo rationem vos reddere oportet judiciorum veſtrorum; imò magis Deo, quàm hominibus, qui proinde timendus magis quàm homines. Sed & טשפמ miſchphat *judicium* poſſet de jure intelligi, ut velit Moſes, nihil eſſe quod timerent Judices ex legibus à Deo inſtitutis judicantes, quia tuebitur eos, qui jura à ſe inſtituta obſervabunt. Huc facit *Heſiodi* verſus 36. ex Oper. & diebus:

— διακρινώμεθα νεῖκος,
Ἰθείῃσι δίκαις, αἵ τ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται.

Componamus litem æquo jure, quod ex Jove eſt optimum. Ad priorem ſenſum, hæc *Callimachi*, Hymno in Jovem verſ. 81.

Δῶκας δὲ πτολίεθρα φυλασσέμεν· ἵζεο δ' αὐτὸς
Ἄκρῃς ἐν πολίεσσιν, ἐπόψιος οἵ τε δίκῃσι
Λαὸν ὑπὸ σκολιῇς, οἵ τ' ἔμπαλιν ἰθύνουσι.

Dediſti (Regibus) *urbes cuſtodiendas*; *præſidſque ipſe in ſummis oppidis, inſpector eorum qui populum legibus iniquis, & qui contra regunt.* Ad quæ verba vide quæ ſcripſit V. Ill. *Ezekiel Spanhemius.*

Si quid difficilius &c.] והדבר אשר יקשה מכם תקריבון אלי *Verbum quod difficilius erit vobis admovebitis mihi.* Vide Exod. Cap. XVIII, 26. Quævis cauſa ad hoſce Judices referri potuit, & niſi difficilior ipſis videretur, dirimi. Judices ipſi videntur de difficultate cauſarum judicaſſe, non litigantes, ſi urgeantur verba Moſis, adeóque *adpellationibus* propriè dictis nullus locus fuiſſe. Sed in tam brevi narratione, circumſtantiis pæne nuda, multa deſunt, quæ ſi dicta fuiſſent, videremus non nimis urgeri verba, aut ſilentium Moſis oportere. Vide tamen hac de re agentem *Joan. Seldenum*, de Synedr. Lib. I. c. 16.

19. *Montis Emoræorum*] Qui meridianum Chananææ tractum montanum incolebant. Vide Num. XIII, 30.

21. *Ante faciem ſuam* &c.] Ut verſ. 8.

22. *Dixiſtis mittamus*] Vide not. ad Num. XIII, 3.

Qui nobis explorent] *Et explorent* &c.

23. *Res mihi placuit*] *Et bonum fuit in oculis meis verbum hoc.*

Unum in ſingulas tribus] *Virum unum tribui.*

24. *Converſi adſcenderunt*] *Et verſi ſunt & adſcenderunt.* Sic de abeuntibus ſolent loqui, quia abeuntes *humeros convertunt*. Vide ad Exod. VII, 23.

Ad vallem Eſchol] Vide not. ad Num. Cap. XIII, 24.

25. *Adportarunt*] יורידו joridou, *deſcendere fecerunt*, è montibus, nempe, in Tſiniticam planitiem, in qua caſtra habebant Hebræi.

27. *Ex odio quo nos proſequitur* &c.] *In odio Jehovæ erga nos, nos eduxit* &c. Alia verba leguntur Num. XIV, 2, 3. cùm quia multiplicia fue-

quæ vidiſtis in hoc deſerto; ubi vos tulit Deus veſter, quemadmodum quiſque fi-
lium ſuum bajulare ſolet, per omnem viam quam confeciſtis, donec ad hunc lo-
cum perveniretis. 32. Verùm hac in re, noluiſtis credere Jehovæ Deo veſtro,
33. vobis præeunti per viam, ut vobis quæreret locum, in quo caſtra poneretis; &
igne quidem noctu, ut vobis oſtenderet viam quam iniretis, interdiu verò nube.
34. Audivit verò Jehova verborum veſtrorum ſonitum, excanduit, & juravit dicens:
35. nemo inter viros hoſce malæ hujus ætatis videbit bonam eam terram, quam
eorum patribus me daturum juravi, 36. præter Chalebum Jephunnæ filium. Hic
eam videbit, eique & liberis ejus dabo terram, quam calcavit; quia conſtanter Je-
hovam ſequutus eſt.

37. Mihi quoque, propter vos, indignatus eſt Jehova, dixitque: nec tu etiam
illuc ingredieris. 38. Joſua, Nunis filius, qui ſtat coram te, is eò ingredietur;
eum

potentia, & voluntate ſingulari dubitare non po-
terant, tot conſpectis prodigiis ab eo, in ſui gra-
tiam, editis, cùm in Ægypto, 31. tum etiam in
Arabiæ deſertis, ubi paternâ curâ eos proſequutus
erat. 32. Deo victorias de Chananæis promitten-
ti non crediderunt; 33. quamvis eos nube obſcu-
râ interdiu, igneâ verò noctu duxiſſet, & loca
capiendis caſtris idonea ſemper oſtendiſſet. 34. At
verò Deus rebelles tam exiliter, imò & contu-
meliosè de ſe ſentire & loqui impunè paſſurum
ſe negavit, atque irrevocabili ſententiâ, 35. uni-
verſam eam ætatem morti, in ſolitudinibus Ara-
bicis, obeundæ damnavit; 36. exceptis pauculis,
ac præſertim Chalebo, & Joſuâ, qui terræ quam
viderant poſſeſſionem eſſent ipſi adituri, quòd di-
vinæ voluntati conſtanter paruiſſent.

37. Mihi quoque poſtea, cùm ob fremitus ve-
ſtros non ſatis mei compos eſſem, nec eam,
quam debebam, fidem Deo haberem, indigna-
tus, ingreſſum in eam terram negavit; 38. & Jo-
ſuam

fuere murmura Hebræorum, tum quia quamvis directa ſit oratio, more Hebræo, non ideò tamen putandum ipſa frementium verba proferri. Paſſim hoc animadvertere licet, & meridianâ luce clarius eſt hunc librum cum antecedentibus conferenti. Turpes autem hæ erant Iſraëlitarum de Deo querelæ, qui vitia ſola abhorret, odiſſe neminem poteſt; nedum ut integram gentem, odio indulgens, perdere vellet. Sed ita loquebantur Ethnici, ut vel ex initio *Æneidos* adparet; ubi Juno, mero odio, virum pietate inſignem crudeliter vexaſſe dicitur. Ejuſmodi abſurdis opinionibus pleni ſunt antiquiſſimi quique Poëtæ; nec Ægyptii videntur Græcis ſapientiores fuiſſe. Eas meritò damnavit *Plato*, Lib. II. de Republ. & digni erant Iſraëlitæ, qui graviſſimas pœnas luerent, quòd tam abſona de Deo dicentes Idololatras imitarentur.

28. *Animum noſtrum fregerunt*] המסו hemaſſou, *liquefecerunt*. Phraſis eſt Hebraïca frequens, ad ſignificandam eorum animi adfectionem, qui deſperant ſe poſſe hoſtibus ſuperiores eſſe. Vide 2. Sam. XVII, 10.

Populus ille &c.] Vide ad Num. XIII, 33.

Procerior] רם Samaritæ habent רב & LXX. πολὺ. Malè. Vide Cap. XIII, 33.

31. *Et quæ vidiſtis in hoc deſerto*] *Et in hoc deſerto quæ vidiſti.*

Ubi] אשר aſcher, *quo*, aut *in quo*, ſubaudiendo בו *bo*, poſt verbum ſequens.

Vos tulit] Ut geſtantur infantes. Eadem metaphora utitur Moſes Num. Cap. XI, 12. ubi de ſe ipſe loquitur.

Bajulare ſolet] *Bajulabit*. Significatur ſumma cura Dei, quâ Iſraëlitas per Arabicas ſolitudines ſuſtentaverat, ac duxerat. Vide verſ. 44.

33. *Ut quæreret locum*] Vide not. ad Num. X, 33.

34. *Juravit*] Vide Num. XIV, 22, 23. Jusjurandum autem Dei eò ſpectat, ut homines intelligant Deum nullâ ratione revocaturum quod dixit; ſeu ſine conditione ulla, quam à nobis petat, id quod prædicit effectutum. Jurisjurandi enim religio tanta habebatur, apud pios, ut à ſe revocari non poſſe, etiamſi decepti fuerant, exiſtimarent. Vide Joſ. IX, 19.

35. *Nemo*] *Si quiſquam.*

Me daturum juravi] Non certæ poſterorum eorum ætati, ſed dumtaxat poſteris.

36. *Præter Chalebum*] Et Joſuam & Elehazarem & alios Levitas. Vide not. ad Num. XXVI, verſ. 65.

Conſtanter Jehovam ſequutus eſt] *Implevit poſt Jehovam.*

37. *Præter vos*] Iſraëlitæ enim ita fremitibus ſuis exacerbarant Moſem, ut animum ejus de ſtatu dejeciſſent; adeò ut & ipſe peccarit, cùm ſui ſatis compos non eſſet. Vide not. ad Num. XX, 10.

38. *Qui ſtat coram te*] Qui tibi eſt adminiſter. Vide not. ad Num. III, 5.

Eum confirma.] Jube eum eſſe animo forti. Hæc non dicta ſunt, eodem tempore ac ſuperiora, ut liquet ex Num. Cap. XX, 12. XXVII, 16. Sed Moſes breviùs rem narrans ea conjungit, ob eorum nexum.

39. *Bonum & malum neſciunt*] Infantes aut pueruli rerum omnium ignari. Vide not. ad Gen. III, 5. Ita loquebantur etiam Græci, ut ex *Homero* oſtendit *Hug. Grotius.*

40. *Agmen convertite*] פנו phnou, *vertite vobis.*

41. *Quiſque arma cepit*] *Accinxiſtis quiſque inſtrumenta belli ſui*, כלי מלחמתו quod eſt pro כליו מלחמה *inſtrumenta ſua belli*, tranſpoſito *Suffixo*. Vide *Sam. Glaſſium* Gram. Sacr. T. I. Can. 8.

44. *Ut ſolent facere*] תעשינה *facient apes*. Futurum conſuetudinem ſonat, ut verſ. 31. Nempe, apes irritatæ mirum in modum ſolent eos qui illas irritarunt perſequi, ut ultionem ſumant. Hinc acerrimi hoſtes apibus comparantur Pſ. CXVIII, verſ. 12. Eſai. VII, 12. Hinc & na-

eum confirma, etenim Istaëlem in ejus possessionem intromittet. [39] Impuberes vestri, quos dixistis prædæ futuros, & filii vestri, qui hodie bonum & malum nesciunt, ii illuc ingredientur, eam *terram* illis dabo, ejúsque possessionem adibunt. [40] Vos verò *agmen* convertite, & proficiscimini in desertum, per viam maris algosi.

[41] Vos verò respondistis & dixistis mihi: peccavimus in Jehovam, nos adscendemus, pugnabimus, & per omnia *faciemus*, quemadmodum nos jussit Jehova Deus noster. Tum quisque arma cepit, & parastis vos ad adscendendum in montem. [42] At mihi dixit Jehova, dic illis: ne adscendite, néve pugnate, nam ego non sum inter vos; nec ante hostes vestros cædemini. [43] Vos sum alloquutus, sed non audistis, immorigeri fuistis imperio Jehovæ, superbè vos gessistis, atque in montem adscendistis. [44] Obviam verò vobis venerunt Emoræi, montem illum incolentes, *vos fugientes* sequuti sunt, ut solent facere apes, atque ad Schirem ceciderunt, usque ad Chormam. [45] Tum verò rediistis & flevistis coram Jehova; nec tamen Jehova audivit vocem vestram, nec aures vobis præbuit. [46] Mansistis itaque ad Kadesum, diebus multis; pro diebus, quibus *illic antea* manseratis.

II. Quæ

suam mihi successorem, & agros vobis, meo loco, divisurum designavit. [39] Eorum vero, qui, ad montes Emoræorum cùm venissent, Chananæam invadere noluerant liberos, tunc temporis nondum viginti annos natos, quos parentes prædam hostium fore crediderant, se intromissurum esse in Chananæam confirmavit. [40] Tum nos jussit ad austrum agmen convertere.

[41] Immorigeri vero, cùm audissent se à Deo Chananæâ in perpetuum excludi, ut in deserto interirent, sero se Deum sequi paratos esse significarunt, atque arma capere cœperunt. [42] Quamvis, Dei jussu, vetuissem ne Chananæam, invito Numine, ingredi tentarent, atque cladem accepturos prænunciarem, [43] pertinaciter tamen Emoræorum juga invadere adgressi sunt; [44] quod cùm, averso Deo, facerent, ab eorum incolis ad radices Idumæorum montium cæsi, atque ad Chormam usque fugati sunt. [45] Ea clade acceptâ, lacrimis Deum flectere, ut sententiam in se latam revocaret, frustra sunt conati. [46] Itaque in Kadesensi agro, non ampliùs tentato ingressu Chananææ, diu postea in cassum sumus commorati.

P A-

natum proverbium *crabrones irritare*, nam *crabro* est species apis.

Illis ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant &c.

Vide *Sam. Bocharti* collectanea Hieroz. Part. 2. Lib. IV. c. 11. & 13. ubi de *Vespis* & *Crabronibus*. Observat Syrum & Arabem Intt. legisse תְּעַשֶּׁנָה *fumigantur*; quod quamvis sensum ineptum non fundat, attamen nulla ratio est, cur à nostra lectione abeamus.

Ad Sehirem] בשעיר *in Schebir*, hoc est, ad Schiris montis radices, nam Schirem montem, quem Idumæi incolebant, ingressi non sunt Israëlitæ.

45. *Nec Jehova audivit*] Quia, nimirum, juraverat, hoc est, significarat se à pronunciata sententiâ nullâ ratione, ne pœnitentiâ quidem Hebræorum, revocatum iri.

46. *Ad Kadesum*] בקדש *in Kadesch*, ut supra *in Sebir*; hoc est, in deserto quod est ad austrum Kadesi, nam ad austrum converterunt agmen, jubente Deo. Fines harum solitudinum, ut diximus, incerti obscuritatem interdum pariunt, quæ augetur etiam earum πο-λυωνυμία.

Pro diebus quibus illic antea manseratis] כימים אשר ישבתם *ut diebus quibus mansistis*. Ante hoc adversum prælium, sat diu illic manserant Israëlitæ, nam hinc miserant exploratores, qui quadraginta dies insumserunt in exploranda Chananæa; nec fortè statim ac eò venerant Hebræi, exploratum missi erant. Si hic non sit sensus, erit repetitio, aut redundantia Hebraica. Sic intellexit Vulgatus, qui habet tantùm: *sedistis in Cadesbarne multo tempore*.

C O M-

II. Quæ Israëlitis ad fines Idumææ, Moabitidis & Hammonitidis contigissent & victoriam ex Sichone relatam commemorat Moses.

1. DEsnde *agmen* convertimus & profecti sumus in desertum, per viam ma- CAPUT II.
ris algosi, quemadmodum Jehova mihi dixerat; & circuivimus montem
Sehirem, per multos dies. 2. Tum dixit mihi Jehova: 3. sat diu cir-
cuïvistis hunc montem, *agmen* convertite ad septemtrionem. 4. Præcepta autem da
populo, dicens: vos transibitis per fines fratrum vestrorum Hesavi posterorum, qui
Sehirem incolunt. Ii vos timebunt, itaque vehementer vobis eavete. 5. Ne tamen
eos *bello* lacessite, neque enim ex eorum terra vobis dabo, vel quod plantâ pedis
calcari possit; nam Hesavo dedi Sehirem montem, in hereditatem. 6. Cibum quem
edatis ab iis pecuniâ comparabitis, aquam etiam quam bibatis ab iis pecuniâ e-
metis. 7. Jehova Deus tuus tibi benedixit in omne opere manûs tuæ, novit iter
tuum;

P A R A P H R A S I S.

1. DEin viam maris Erythræi ingressi sumus, atque in Arabiæ desertis, ad austrum Idumææ vagati; 2. donec, quadragesimo anno ex quo Ægypto egressi sumus, Deus significaret mihi, 3. nos sat diu ad meridiem Idumææ mansisse; itaque denuò ad Septemtriones agmen esse convertendum. 4. Monuit etiam nos, si Idumæi paterentur, per eorum fines transire oportere; sed cùm futurum esset ut Idumæi, sibi metuentes, armati forent, uobis quoque esse cautè incendendum, ne illi occasione uterentur. Vetuit tamen eos bello lacessi, quod nullâ parte donare nos vellet agri Hesavi posteris à se concessi; 6. aut invitis quidquam eripi. Victus etiam omnes, ne aquâ quidem exceptâ, præsente pecuniâ ab Idumæis emi voluit; 7. satis enim nobis esse divitiarum, ut sine aliena injuria vi-

C O M M E N T A R I U S

In CAPUT II.

1. A*Gmen convertimus*] נפן nephen, *versi sumus.*

Quemadmodum Jehova mihi dixerat] Cap. I, vers. 40.

Circuivimus montem Sehirem] Lentis nempe, itineribus, & variè errando, dum ad austrum redibamus.

3. *Sat diu circuivistis*] Mirum est primâ fronte iter à Kadeso ad Hetsjongeberum haberi hîc, quasi *circuitionem circa Sehirem montem*, cùm Sehir mons ab Hetsjongebero duobus circiter Gradibus distet. Scio existimare viros eruditos hunc montem pro tota Idumæa poni; quippe nullus æquè nobilis in Idumæorum ditione erat; atque Idumæam porrigere Hetsjongeberum usque, quod erat ad littus maris Erythræi. Ac sanè 1 Reg. IX, 26. hoc oppidum dicitur fuisse *in terra Idumæa* בארץ אדום. Verùm alia ratio fuit Idumæorum ditionis, tempore Regum, quo videntur Petræam Arabiam, ad mare Erythræum usque, subegisse, quandoquidem in ejus littore oppida habuerunt; alia tempore Mosis. Adparet enim ex hujus historia, qualis exstat in Libro Numerorum, Hebræos, per triginta novem annos, errasse inter Idumæam & mare Rubrum, non in Idumæorum agro. Liquet præsertim ex Num. Cap. XX. *Kadesum* fuisse in extremis finibus Idumææ, ad meridiem, ut & *Horem* montem, ad quæ loca venerant ex campis ad Sinaïn sitis; unde colligere est Idumæam, ne ad Sinaïn quidem fuisse porrectam, nedum ut mare Erythræum adtingeret. Itaque malim eò confugere, ut dicamus hîc esse ἄκυρον, qualibus reverâ scatet Hebræorum stylus. Circuisse videbantur Hebræi Idumæam, quia cùm ad ejus fines meridianos pervenissent, diu ad eos manserant, deinde lentis itineribus partim ad Austrum, partim ad Orientem ab iis ita recesserant, ut quatridui summùm itinere ab ea remoti essent, atque inter eam & mare Rubrum semper vagarentur. Atque hanc nostram interpretationem sequentia, ut videbimus, confirmant.

4. *Vos transibitis*] עברים hoberim, *transeuntes*, de proximè Futuro passim participia usurpantur. Vide not. ad Gen. VI, 17. Hæc ostendunt Hebræos non fuisse in Idumæa, quo tempore eos ita alloquutus est Deus. *Transibitis* autem ait Deus, non prædicens rem ita absolutè futuram, sed ex conditione pendentem; nempe, si Idumæi pati hoc velint. Noluisse autem liquet ex Num. C. XX.

Hesavi posterorum] *Hesavi filiorum.*

Qui Sehirem incolunt] Qui proinde erat ad septemtrionem solitudinis, quæ porrigebatur ad mare Rubrum.

Itaque vehementer vobis cavete] ונשמרתם מאד quod posset etiam verti, *& observamini* (nempe, ab Idumæis) *multùm*. Sed שמר in *Niphal* etiam *sibi cavere* sonat, ut infrà Cap. XXIII, 9.

5. *Bello lacessite*] תתגרו thithgaron subauditur במלחמה *bello*, quod exprimitur vers. 9. & 24.

Quod planta pedis calcari possit] *Usque ad calcationem plantæ pedis.*

6. *Cibum quem edatis*] *Cibum emetis — & edetis.* Tanto populo vix ac ne vix quidem Idumæa, regionésque aliquot vicinæ, necessarium victum, exhaustis omnibus horreis, suppeditare potuissent. Trecentæ hominum myriades non ita facilè ali possunt. Quod si probè

tuum, per desertum hoc magnum. Hisce quadraginta annis, Jehova Deus tuus tibi adfuit, neque ulla re indiguisti.

8. Sed defleximus à fratribus nostris, Hesavi posteris, à viâ planitiei, ab Elatha & ab Hetsjon-gebero, convertimúsque agmen, & peragravimus viam Moabitici deserti. 9. Tum dixit mihi Jehova: ne hostiliter te geras cum Moabo, ne eum bello lacessas; neque enim hereditatem tibi, ex ejus terra, dabo, quoniam posteris Loti Harem hereditatem dedi. (10. Antea Emæi eam incolebant, qui populus erat magnus, numerosus, & procerus ut Hanakæi. 11. Hi quoque Rephæi existimabantur, ut Hanakæi, sed Moabitæ eos Emæos vocarunt. 12. Schirem etiam habitaverant antea Choræi, sed Hesavi posteri eos expulerunt, è conspectu suo exterminarunt, atque eorum loco habitarunt, ut fecit Israël in terra hereditatis suæ, quâ eum donavit Jehova.)

13. Nunc verò surgite & transite torrentem Zeredum. Nos ergo transiimus torrentem Zeredum. 14. Tempus autem quo abiimus à Kades-barnea, donec trajece-

vivere possemus, séque curam nostri hactenus in deserto per triginta novem annos ita gessisse, ut nihil nobis deesse passus fuisset, neque posthac quidquam defuturum.

8. Venimus ergo à littore maris Erythræi rectà ad Idumæorum fines, & cùm transitum nobis, per agrum suum, negassent; Moabitici, converso ad ortum agmine, deserti viam inivimus. 9. De Moabitis bello non lacessendis similia edixit Deus, iis quæ de Idumæis edixerat, quòd Hare ejúsque agro Loti posteros donasset. 10. Nam, ut intelligatis nos non esse primos qui alienos agros, Deo volente, invadimus, & formidolosas gentes lacessimus; ante Moabitas eam oram occupabant *Emæi*, ut eos Moabitæ vocarunt, numerosa gens, nec viribus, aut staturâ Hanakæis inferior. 11. Similiter quoque *Choræos* ex Sehire monte expulerunt Idumæi: quemadmodum & nos, Dei auxilio, duo regna nuper armis subegimus, & subacta tenemus.

13. Cùm autem ad Zeredum torrentem venissemus,

bè expendatur, suspicio fortasse subibit auctos esse, ab antiquissimis temporibus, numeros à Librariis, gloriam genti suæ sic parari putantibus. Similia ad sequentes Libros Historicos interdum observavimus. Sed movere difficultates, quas non facilè tollere licet, nolumus. Pluribus multò monumentis eorum temporum nobis opus esset, ut quæstionibus multis, quæ proponi possent, è Sacra Historia, satisfaceremus.

Aquam bibatis &c.] *Aquas emetis — & eas bibetis.* Si

— credimus altos
Defecisse amnes, epotáque flumina Medo;

Quanta aquæ copia trecentis hominum myriadibus opus fuit? Itaque in siticulosa regione, qualis est Idumæa, verendum fuit ne aquam omnem exhaurirent Hebræi, si gratis præberetur. Nec dubium est, quin ingentem copiam aquæ utribus fuissent secum laturi, si illac transiissent.

7. *Benedixit tibi in omni opere* &c.] Te satis ditavit, ut tibi possis emere ea quibus indigebis. Hebræi non modò habuerunt facultates ex Ægypto avectas; sed & commerciis, cum Arabibus, atque Ismaëlitis, per easdem solitudines errantibus, aut cum felicis Arabiæ incolis, potuerunt divitias sibi comparare. Neque enim credibile est tantum populum, latissimè tendentem in Arabia, & stativa per plures annos iisdem aut vicinis locis habentem, nec artificibus destitutum, ut constat ex Tabernaculi supellectiliúmque sacrorum opificio, nulla commercia exercuisse cum vicinis, quia ea de re altum est in Mose silentium. Nam Moses historiam dumtaxat legum & miraculorum à Deo editorum scribere adgressus est, ut res ipsa clamat, cùm ferè triginta octo annos silentio prætermiserit. Observavimus autem, ab antiquissimis temporibus, ditissimos fuisse Arabas, ad Gen. XXIII, 15. Itaque opificia, quæ in Ægypto, artium matre, didicerant, exercentes Hebræi magnas auri & argenti summas lucrari potuerunt.

Novit iter tuum] Hoc est, tui in hoc itinere curam gerit. Quia quod non novimus, id non curamus; ideò Hebræis *nosse aliquid* interdum periode est ac *curam ejus gerere*. Sic Ps. I, 6. *Novit Jehova viam justorum, sed via injustorum peribit*; hoc est, Deus favet justis, corúmque curam gerit, sed injustos perdere solet. Vide & Ps. XXXVII, 18.

8. *Sed defleximus*] ונעבר vanoahabor, *& transiimus*; hoc est, ab illorum finibus digressi sumus, cùm negassent nobis transitum, nam hæc circumstantia supplenda, ex Num. Cap. XX. verba eò pertinentia hoc in loco habent Samaritæ.

Via planitiei] A via, nempe, quâ ad Idumææ fines venerant, ex maris Erythræi littore. Posset etiam verti *à via deserti*, nam ערבה, ut diximus ad Cap. I, 1. hoc quoque significat, atque eâ viâ Israëlitæ ad extremos Idumæorum fines venerant.

Ab Elatha] אילת *elath*, quod videtur idem esse ac אילות *Eloth*, quod fuit navale maris Rubri, non secus ac Hetsjongeber, ut liquet ex 1 Reg. IX, 26. *Hieronymus* tamen meminit regionis ita dictæ: ELATH, *regio principum Edom & civitas Hesau, in decimo à Petra milliario contra orientem.* At junctum hoc nomen Hetsjongebero videtur omnino significare portum ei vicinum, unde fortè nomen accepit *Elanites* sinus; cujus meminit *Ptolemæus*, ad Arabiæ Felicis ingressum. Idem *Hieronymus* LXX. Intt. pronunciationem sequutus vocat hanc urbem *Ailath*, eámque eodem loco sitam fuisse ait. AILA, *in extremis finibus Palæstinæ*,

ceremus torrentem Zeredum, fuit triginta octo annorum, donec absumeretur om-
nis ætas virorum bello aptorum, è castris, quemadmodum iis juraverat Jehova.
15. Manus etiam Jehovæ iis incubuit, ut eos exturbaret è castris, donec absumti
essent. 16. Cùm itaque absumti fuissent omnes viri bello apti, moriendo, è me-
dio populo, 17. alloquutus est me Jehova, his verbis: 18. Tu hodie transibis per
fines Moabiticos, per Harem, 19. & accedes è regione Hammonitarum; ne eos
hostiliter habeto, aut bello lacesse, neque enim ex terra Hammonitarum tibi he-
reditatem dabo, quóniam eâ possessione Loti posteros donavi. (20. Hæc quoque
terra Rephæorum esse censebatur; Rephæi eam antea habitarant, sed Hammonitæ
eos vocarunt Zamzummæos. 21. Populus is fuit magnus, numerosus & procerus,
Hanakæorum instar. Eos autem exterminavit Jehova ab eorum conspectu, eos ex-
pulerunt & loco eorum *regionem* incoluerunt: 22. quemadmodum fecit in gratiam
Hesavi posterorum habitantium in Sehire; è quorum conspectu exterminavit Cho-
ræos, quos expulerunt & quorum loco, ad hunc usque diem, *regionem* habitarunt.
23. Hav-

mus, eum à Deo transire jussi sumus; 14. & ab eo quidem tempore, quo primùm Kadesbarneam veneramus, ad id quo Zeredum trajecimus, elapsi sunt triginta octo anni; intra quos militaris omnis ætas, quæ ad Kadesbarneam immorigera Deo fuerat, in deserto interiit. 15. Quin & nonnullis Deus fatum acceleravit; adeò ut omnes, qui ad Kadesum viginti annos nati fuerant, eo tempore interiissent, exceptis qui in Deum non rebellarant. 16. Iis ergo mortuis, 17. 18. Deus nos jussit quidem, juxta Moabitarum fines transire, at iterum vetuit ne iis bellum inferremus; 19. eodémque in Hammonitarum gratiam, quando ad eorum fines accessuri eramus, interdixit; se enim Hammonitidem etiam posteris Loti dedisse significavit. 20. Ante eos, eam oram incoluerant *Rephæi*, quos *Zamzummæos* vocarunt Hammonitæ, 21. qui eos illinc expulerunt, quamvis Hanakæos staturâ æquarent, & ingenti essent numero. 22. 23. Sed non hi soli sedibus ab advenis deturbati sunt; Havæi etiam, qui oram ma-

næ, juncta meridianæ solitudini & mari Rubro; unde ex Ægypto Indiam, & inde ad Ægyptum navigatur. Sedet ibi legio Romana, cognomento decima; & olim quidem Ailath à veteribus dicebatur. Nunc verò adpellatur Aila.

Ab Hetsjongebero] Euntes, nimirum, in Septemtrionem, per Moabiticum desertum, magis recedebant ab Hetsjongebero, quàm antea fecerant. *Hieronymus* in locis Hebraïcis: ASIONGABER, *in hoc loco classis Josaphat vi tempestatis adtrita est. Fertur autem ipsa esse Essia, haud procul ab Ailath, in mari Rubro.*

9. *Ne hostiliter te geras cum Moabo*] אל תצר את מואב *al thatsar eth Moab*, ne hostis esto Moabi. Μὴ ἐχθραίνετε, ut rectè LXX. Int. Vide ad Cap. XXV, 17.

Posteris Loti] *Filiis Loti.*

Harem] עָר *har.* Urbs fuit, ex qua videtur tota regio adpellata. Vide Num. XXI, 15, 28. LXX. Intt. mendosè habent Ἀροὴρ, cùm hæc urbs trans Arnonem fuerit & Gaditis cesserit.

10. *Antea Emæi*] אמים *Emim.* Vide Gen. XIV, 5.

Ut Hanakæi] כענקים. De his vide not. ad Num. XIII, 23.

11. *Rephæi*] רפאים Hic videtur esse, non generis nomen, sed potiùs cognomen à vitæ instituto ductum. Fortè latrocinia exercebant, ut Nephilæi, & Hanakæi. Vide Gen. XIV, 5. Num. XIII, 23. & notata ad ea loca.

Emæos] Fortè ab אימה emah, *terror*, ut interpretatur *Hieronymus* in Nom. Hebraïcis. Samaritæ certè scribunt non אמים sed אימים.

12. *Choræi*] החורים *hahhorim.* Vide Gen. XIV, 6.

Ut fecit Israël] In Peræa, nempe, in qua duæ Tribus & dimidia jam sedes habebant. Vide Num. XXI.

13. *Transite torrentem Zeredum.*] Vide Num. Cap. XXII. Samaritæ habent: *surgite* סעו *proficiscimini, transite.* Sic & LXX. ἀνάστητε.

14. *Quò abiimus à Kadesbarnea*] Cùm primùm illuc venissent. Vide Num. XXI.

Virorum bello aptorum] *Virorum belli.* Vide Num. XXI, 12.

15. *Iis incubuit.*] *Fuit super iis.*

Exturbaret è castris] Aut *absumeret.* Vide Jer. LI, 34. Sic LXX. ἐξαναλῶσαι, & Vulg. *ut interirent.*

Accedes è regione Hammonitarum] Victo Sichone. Vide Num. XXI, 24.

20. *Zamzummæos*] זמזמים *zamzummim.* Sunt qui velint eosdem esse, ac *Zuzæos*, de quibus Gen. XIV, 5. quia alii populi, qui hîc memorantur, illic etiam recensentur. Duplex sanè esse potuit nomen hujus populi, ut *Emæorum*, quorum nomen aliud fuerat, antequàm à Moabitis ita vocarentur, & *Chapthoræorum*, qui vocati sunt postea *Philisthæi*. *Zamzummim* dici potuerunt à זמם *zamam*, quod *animo malum machinari* sonat. Vide Psalm. XXXVII, 22.

22. *In gratiam Hesavi posterorum*] *Filiis Hesavi* לבני עשו. Ipse Hesavus partem Idumææ invaserat, ut liquet ex Gen. XXXII, 3. sed ejus posteri dumtaxat videntur totam occupasse. Hoc autem dictum fuerat vers. 12. Sed Hebraico more repetitur.

Quos expulerunt] *Et expulerunt eos, & habitarunt* &c. nempe, Deo favente, & adjuvante. Vide not. ad Num. Cap. XXXII, 4.

23. *Havæi*] עוים *havvim.* Hi oram maritimam, ante Philisthæos, incolebant, & videntur fuisse Chananæi, quandoquidem Chaphthoræi, qui iis successerunt, פלשתים, hoc est, ἀλλόφυλοι à Chananæis dicti sunt. Vide not. ad Exod. XV, 14.

23. Havvæos quoque, habitantes Chatſerimis ad Gazam, Caphthoræi Caphthore egreſſi
exterminarunt, & eorum loco *regionem* habitarunt.)
24. Surgite, proficiſcimini, & trajicite torrentem Arnonem. Vide, in manum
tuam tradidi Chesbonis regem Sichonem Emoræum, ejúſque terram. Incipe, poſ-
ſeſſionem adito, eúmque bello laceſſito. 25. Hodie incipiam metum ac terrorem tui
objicere populis omnibus ſub omni cœlo, qui famam tuam audient, timebúntque &
propter te terrebuntur.
26. Miſi itaque è Kedemotharum deſerto legatos ad Sichonem, Chesbonis regem,
qui pacata hæc verba ad eum deferrent: 27. tranſire per terram tuam mihi liceat, ſem-
per ibo per viam, neque ad dextram, aut ad ſiniſtram deflectam. 28. Cibum quem
comedam pecuniâ mihi vendes, & aquam quam bibam pro pecunia mihi dabis (Tran-
ſire tantùm liceat, quàm celerrimè potero. 29. Sic fecerunt mihi Heſavi poſteri Schi-
rem habitantes, & Moabitæ incolentes Harem) donec, trajecto Jordane, pervenero
in terram, quâ Jehova Deus noſter nos donavit.

30. No-

maritimam ad meridiem Chananææ, obtinebant, à Chaphthoræis, quos Chananæi vocarunt *Philiſthæos*, id eſt, *alienigenas*, expulſi fuerunt.

24. Juſſi poſtea a Deo ſumus tranſire Arnonem, in cujus ulteriore ripa erat regnum Sichonis Emoræi. Eo nos Deus donavit, juſſitque bello laceſſere Emoræos; 25. ex quorum clade ingentem famam adquiſituri, & nominis noſtri terrorem per vicina regna ſparſuri eſſemus.

26. 27. 28. Ne tamen aliena, ſine ulla juris ſpecie, invadere videremur, miſi legatos qui tranſitum per Sichonis regnum nobis peterent, iiſdem legibus, quibus ſimilia ab Idumæis fruſtra petieramus; ut ad Jordanis ripas pervenire nobis pacato agmine liceret, eóque fluvio trajecto, datos à Numine agros invadere. 29. Legati juſſi etiam ſunt addere, ut exemplis Emoræos permoverent, nos juxta Idumæorum & Moabitarum fines, ſine cujuſquam inju-

Chatſerimis] חצרים Videtur urbs fuiſſe in ſeptemtrionalibus Philiſthæorum finibus, ut Gaza fuit in meridianis.

Chaphthoræi verò &c.] Vide not. ad Gen. X, 14. Exempla autem populorum ab aliis, quibus ſavebat Deus, ſedibus ſuis deturbatorum ſtudioſè profert Moſes; ut animum addat Iſraëlitis, qui, ut expellerent Chananæos, Jordanem erant mox trajecturi. Non omiſit etiam commemorare opes & fortitudinem eorum populorum, ne Chananæorum multitudine & famâ terrerentur Hebræi.

24. *In manum tuam tradidi*] Vide Num. C. XXI.

25. *Incipiam*] אחל Samaritæ habent החל & LXX. *ἐνάρχου incipe.*

Objicere populis] *Ponere ad faciem populorum.*

Sub omni cœlo] Hæc non ſunt nimiùm urgenda, cum nemo neſciat Hebræos exiguo terrarum tractu coërcitos terrorem nominis ſui procul, per totum terrarum orbem ſpargere non potuiſſe.

26. *A Kedemotharum deſerto*] Ita dicta eſt ſolitudo ab urbe ejus tractûs, ad ſeptemtrionem Arnonis, quæ Rubenitis ceſſit. Vide Joſ. XIII, 18. At locus, unde Moſes legatos miſit, videtur fuiſſe ad Meridiem Arnonis, qui fuit finis regni Sichonis, ut docemur Num. C. XXI, 26.

Pacata hæc verba ad eum deferrent] *Miſi legatos — verba pacis, dicendo*; hoc eſt, eum verbis pacis. Norat quidem Moſes, ex promiſſione Dei, quæ in antecedentibus verbis refertur, Sichonem negaturum ſibi tranſitum. Sed ne videretur, ſine ulla cauſa, alienos agros invadere; voluit tranſitum petere, ſi negaretur, viam ſibi ferro facturus, & pugnaturus cum copias, ſi quæ ſibi objicerentur, ut contigit. Eo quidem jure non nitebantur Hebræi, ſed Dei ipſius, cujus omnia ſunt, donatione; verùm apud Gentes, quæ eam Dei voluntatem ignorabant, neque poterant, niſi eventu, cognoſcere, alia debuit eſſe cauſa belli; quæ, pro moribus earum Gentium, ſatis gravis fuit, ſi tranſitus negaretur. Vide de hoc jure *Hug. Grotium* de J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 13. & ad eum *J. F. Gronovium.*

27. *Tranſire* &c.] Vide ad ſimilem orationem Num. XX, 17. notata, & ad verſ. 6 Hæc verba ſunt Parentheſi claudenda, ut legenti tranſlationem noſtram liquet.

29. *Sic fecerunt mihi Heſavi poſteri*] Cùm ex Num. Cap. XX, 18. conſtet Idumæos negaſſe Iſraëlitis tranſitum per agros ſuos; verba *ſic fecerunt* &c. Ita intelligenda videntur, ut de victibus emtis ab Idumæis tantum capiantur. Nam quamvis tranſitum per ſuam ditionem negarint, non vetuerunt ſuos vendere victus Hebræis. Vide ad verſ. 37.

Trajecto Jordane, pervenero] *Trajecero Jordanem in terram* &c.

30. *Pati nos per ſua tranſire*] *Facere tranſire nos per ſe.* Hiphil non ſemper actionem, ſed permiſſionem etiam ſonat. Sic *vivificare* החיה paſſim eſt *vivum ſervare.* Vide Num. XXXI, 15. XXXV, 33.

Ejus mentem] *Spiritum ejus*, & poſtea *cor ejus.* Non ſunt hæc intelligenda de ſubita quadam actione Dei in animum Sichonis, qui cùm eſſet antea facilis, poſt hanc Dei actionem pervicax evaſerit. Sed Deus victoriis homini ſuperbo de Moabitis datis, occaſionem præbuit augendæ ſuperbiæ; quæ eum poſtea non ſivit tranſitum petentibus Iſraëlitis concedere. Atque hæc omnia paſſus eſt Deus, non quòd Sichoni aliiſque Emoræis malè vellet; ſed ut Gentes, quibus fruſtra longum tempus ad pœnitentiam agendam conceſſerat, poſtquàm ad ſummum pervenerat earum nequitia, ut diſcimus ad Gen. XV, 16. è medio tolleret. Qui aliter rem intelligunt, Deóque animum malè fa-

30. Noluit autem Sichon, Chesbonis rex, pati nos per sua transire; quia ejus ob-
duraverat mentem Jehova Deus tuus, animúmque confirmarat, ut eum illo die in ma-
num tuam traderet 31. Tum mihi dixit Jehova: vide, cœpi ante te Sichonem, ejús-
que terram ponere; incipe *& tu*, possessionémque ejus regionis adito. 32. Obviam
autem nobis venit Sichon, cùm ipse, tum universus ejus populus Jahatsum, ut prælio
decernerent. 33. Eum verò ante nos posuit Jehova Deus noster; ipsum, ejúsque fi-
lios & universum populum cecidimus. 34. Omnes ejus urbes eo tempore cepimus,
quas omnes internecioni devovimus; è viris, mulieribus & impuberibus, nullum reli-
quimus superstitem. 35. Nobis dumtaxat pecudes, & spolia urbium quas cepimus de-
prædati sumus. 36. Ab Harohere, quæ est ad torrentis Arnonis ripam, urbibúsque
aliis quæ sunt ad eum torrentem, usque ad Galahadum, nullum fuit oppidum, quod
munitius fuerit, quàm ut à nobis capi posset, omnia ante nos posuit Jehova Deus no-
ster. 37. Verùm ad terram Hammonitarum non accessisti, omnem, *nempe*, regionem
Jabboki torrentis, urbésque montanas, & quascumque *à quibus abstinere* jusserat Jehova
Deus noster.

III. Mo-

juria, transiisse, & victus ab iis nobis venditos fuisse.
30. Sichon verò & naturâ superbus, & victoriis
quas de Moabitis retulerat ferox, omnia negavit;
quod passus est Deus, ut pœnas de eo sumeret. 31.
Ideóque nos monuit Numen hos agros brevi fore
nostros, victísque Emoræos invadendos, ut terra
promissa frui inciperemus. 32. 33. Paullo pòst, cum
suis omnibus ad signa vocatis, obviam nobis venit
Sichon, pugnandi copiam facturus; éstque à no-
bis, unà cum filiis, in acie cæsus, universúsque
ejus exercitus deletus. 34. Deinde urbes ejus regni
cepimus, earúmque incolas, sine ullo ætatis aut
sexûs discrimine, occidione occidimus. 35. Pecu-
des dumtaxat, & reliqua spolia nobis diripuimus.
36. Nullum postea oppidum, ab Arnonis ripa ad
Galahadum montem, impetum nostrum sustinere
potuit. 37. Verùm ab urbibus Hammoniticis, circa
Jabboki fontes, aut in montibus vicinis sitis, prout
jusserat Deus, abstinuimus.

P A-

faciendi tribuunt, digni sunt qui amandentur ad Philosophum Ethnicum, ut meliùs de Deo sentire ab eo discant. Ita ille de Republ. Lib. II. Τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον· τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν Θεόν: *bonorum quidem solus Deus causa est dicendus; malorum verò quævis aliæ quærendæ sunt causæ, non Deus.* Paullò pòst: οὐδ' αὖ, ὡς Αἰσχύλος λέγει, ἐατέον ἀκούειν τοὺς νέους, ὅτι

— Θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,
Ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ.

Ἀλλ' ἐάν τις ποιῇ ἐν οἷς ταῦτα τὰ ἰαμβεῖα ἔνεστι, τὰ τῆς Νιόβης πάθη, ἢ τὰ Πελοπιδῶν, ἢ τὰ Τρωϊκὰ, ἢ τι ἄλλο τῶν τοιούτων· ἢ οὐ Θεοῦ ἔργα ἐατέον αὐτὰ λέγειν, ἢ εἰ Θεοῦ, ἐξευρετέον αὐτοῖς σχεδὸν ὃν νῦν ἡμεῖς ζητοῦμεν· καὶ λεκτέον ὡς ὁ μὲν Θεὸς δίκαιά τε καὶ ἀγαθὰ εἰργάζετο, οἱ δὲ ὠνίναντο κολαζόμενοι: *neque quod dicit Æschylus permittendum adolescentes audire*, Deus causa est mortalibus, quando vult domum prorsus perdere. *Sed si quis Poëma faciat, in quo sint hæc jambica, de iis quæ Niobæ aut Pelopidis contigerunt, vel de de rebus Trojanis, aut aliis hujusmodi; aut non permittendum ea dici Dei opera; vel si Dei dicantur, invenienda est in iis ea quam nunc quærimus ratio, dicendúmque Deum quidem bona, justáque fecisse, atque eos puniendo juvisse.*

31. *Ante te ponere*] Vide Cap. I, 8.

Possessionem adito] רש לרשת rasch larescheth, *posside ad possidendum.*

32. *Ut prælio decernerent*] למלחמה *ad prælium.*

Internecioni devovimus נחרם nabharem; justitiæ divinæ ministri. Vide not. ad Num. XXI, v. 2. Alioqui absurdum esset, ne impium dicam, cogitare Deum de Gente innocua victoriam alii daturum, quia hæc vovisset, si vinceceret, se ad internecionem eam Gentem deleturam; quasi humano sanguine, summáque crudelitate ambiretur Dei favor! Sed Israëlitæ non hostes agebant, verùm, ut dixi, divinæ justitiæ ministros.

36. *Urbibúsque aliis*] *Et urbe quæ est in torrente*, בנחל; hoc est, ad torrentem, vel quæ torrente adluitur.

Ad Galahadum.] Vide not. ad Num. XXXII, v. 1.

Munitius fuerit quàm ut à nobis capi posset] שגבה ממנו schageba mimmennou, *altius fuerit quàm nos.* Munitarum, nempe, urbium alta erant mœnia.

Ante nos] לפנינו. Samaritæ בידינו *in manus nostras.* LXX. Intt. εἰς τὰς χεῖρας ἡμῶν, quod glossema sapit.

37. *Non accessisti*] Ut eam invaderes. Antea, sensu proprio, eò *accessuri* dicuntur Hebræi, pro more Linguæ Hebraïcæ, quæ passim eamdem phrasin aliter, atque aliter intelligit, pro re de qua sermo est. Exemplum habuimus v. 29.

Omnem regionem Jabboki] Quæ, nempe, Hammoniticæ ditionis erat, quæ videtur fuisse circa fontes Jabboki; nam ad inferiorem partem erat Basanitis, quam ceperunt Israëlitæ.

Urbes montanas] Hammonitici, nempe, juris. Hi tamen ita fines suos præsidiis firmarant, ut hoc quoque, præter Dei interdictum, obstiterit quominus eos intrarent Hebræi, ut liquet ex Num. XXI, 24.

A quibus abstinere] Vel *ad quas accedere vetuerat.*

III. Moses victoriam de Hogo Basanitidis rege relatam, divisionem agrorum inter Rubenitas, Gaditásque & dimidiam tribum Manassæ, Josuæ electionem in ducem populi, suásque irritas preces memorat.

CAPUT III. 1. AGMEN postea convertimus, & adscendimus per Basanitidis viam. Nobis autem obviam processit Hogus Basanitidis rex, cùm ipse, tum totus ejus populus, ut *nobiscum* prælium committeret, Edrehin. 2. Tum dixit mihi Jehova: ne eum timueris, eum enim, totúmque ejus populum & terram in manum tuam tradidi; eique facies quemadmodum fecisti Sichoni Emoræorum regi, qui Chesbone sedes habebat. 3. Itaque Jehova Deus noster in manum nostram etiam tradidit Hogum Basanitidis regem, omnémque ejus populum, eúmque cecîdimus, donec ei nemo relinqueretur superstes. 4. Eo tempore, omnes ejus urbes cepimus, nec ulla urbs fuit, quam non iis eripuerimus. Sexaginta *erant*, in toto Argobi tractu, *adeóque* Hogi regno, in Basanitide. 5. Omnes eæ urbes munitæ

PARAPHRASIS.

1. SICHONIS regno subacto, rectà in Basanitidem, Deo jubente, ivimus; nobisque obviam, Edrehin usque, processit Hogus Rex Basanitidis, certus prælio nobiscum decernere. 2. Vetuit verò Deus nos eum timere, eamdem ejus ac Sichonis sortem fore pollicitus. 3. Ita, ut promiserat Deus, accidit, interfectóque Hogo, & ejus exercitu cæso, 4. omnes Basanitidis, seu terræ Argobi, urbes cepimus; quarum sexaginta 5. munitissimæ erant, præter ingentem pagorum copiam. 6. Earum verò incolas ad internecionem, quemadmodum Sichoni parentes, delevimus; 7. pecudesque & reliquas manubias nobis diripuimus. 8. Sic quidquid est agrorum, ab Arnone torrente ad Antilibanum, seu Chermonem, duobus Regibus eripuimus. 9. Eum montem, qui ditionem po-

COMMENTARIUS
In CAPUT III.

1. A*Dscendimus* &c.] Vide Num. XXI, 33. & seqq.

Oppidorum sine muris] ערי הפרזי hare hapherazi, *urbes pagani*. Dicitur ita *paganus* à פרז pherez *pagus*, qui opponitur urbi muris cinctæ. Vide Ezek. XXXVIII, 11. & 1. Sam. VI, 18. Malè ergo LXX. Intt. πόλεων τῶν Φερεζαίων, quasi agatur de familia. Interpres Samariticus habet פריגאתה phrigatha, *mercaturæ*. Optimè Vulgatus & alii: *quæ non habebant muros*.

6. *Omnium urbium viros* &c.] *Omnem urbem*, *viros* &c.

9. *Chermonem*] חרמון *chermon* quomodo à plerisque Chananæis, Hebræisque vocabatur. Sed & quinque alia nomina habuit, ut mox dicemus.

Sirjonem] שריון *schirjon*, hoc est, *mons*, nam Arabicâ Linguâ שרי *sera* montem sonat, unde Hispanicum *sierra*, ut observavit *Sam. Bochartus* Chanahan. Lib. II. c. 11. quamvis Chermonis montis nomini hanc etymologiam non aptarit. Apud eosdem Arabas, שראה *saratoa*, est *summa pars rei*, & *regio montibus frequens*. Cùm Antilibanus in Sidoniorum agris adsurgere incipiat, *montem* eum κατ' ἐξοχὴν vocarunt, idque apud vicinos nomen proprium habitum est. Simile quid de Nilo animadvertimus, ad Num. XXXIV, 7. Fortè & הר *har* aut *hor* dicebatur, eodem sensu ab adcolis. Vide Num. XXXIV, 7. ubi LXX. Intt. habent ὄρος ὄρος.

Senirem] שניר *schenir*. Onkelos interpretatur טור תלגא *tour thalga* montem nivis, nescio quare, sed verum est hunc montem nivibus tectum esse. Hinc dicitur לבנון *lebanon*, à candore nivis. Præterea Cap. IV, 48. vocatur שאון *schion*, nisi fortè legendum sit hîc quoque שריון *schirjon*. Videtur autem Moses varia nomina Antilibani recensere, quia intererat Israëlitarum, qui eum finem habebant ad septemtriones, varietate nominum non falli.

10. *Totius montanæ Galabaditidis*] וכל הגלעד *& totius Galabadi*; nempe, tractûs montani, ut à planitie memorata distinguatur. Ideò supplevimus *montanæ*, quod fortè excidit.

11. *Is autem Hogus solus erat*] כי רק chi rak *quia tantùm Hogus supererat è reliquiis Rephæorum*. כי manifestò abundat, ut & alibi.

Rephæorum] Vide not. ad Gen. XIV, 5.

Lectus ejus, lectus est ferreus] Ferro fortè confectus erat is lectus, quia in calidis regionibus non meliùs vitantur molesta ac noxia insecta, ut cimices, quibus lecti lignei infestari solent, quàm si ferrei fiant.

Nonne est Rabbæ] Hammonitæ fortè id rapuerant, direptâ Hogi regiâ, idque monumentum victoriæ suæ ostentabant. Certè Rephæos ex agris, quos obtinebant, expulerant, ut docuit Moses Cap. II. Hoc autem observatur, ut adpareat Hogum ex Rephæorum numero fuisse, quod magnitudo ejus lecti indicabat. *Rabba* autem, quæ vox *magnum* sonat, erat metropolis Ham-

nitæ erant altis mœnibus, portis, & vectibus, præter quàm quòd erat maximus numerus oppidorum fine muris. 6. Eas internecioni devovimus, quemadmodum feceramus Sichoni Chesbonis regi, & omnium quidem urbium viros, mulieres, atque impuberes occidione occidimus; 7. omnes verò pecudes & fpolia urbium nobis diripuimus. 8. Eo itaque tempore, cepimus è manu duorum regum Emoræorum terram, quæ eft cis Jordanem, ab Arnone torrente ad Chermonem montem. 9. Chermonem vocant quidem Sidonii Sirjonem, Emoræi verò Senirem. 10. Omnes autem urbes planitiei, totius *montanæ* Galahaditis & totius Bafanitidis, ufque ad Salcham, & Edrehin, *erant* urbes regni Hogi in Bafanitide.

11. *Is* Hogus, Bafanitidis rex, folus erat è reliquiis Rephæorum fuperftes; en lectus ejus lectus eft ferreus, nonne eft Rabbæ Hammonitarum? Longitudo ejus novem eft cubitorum, latitudo quatuor, pro *folito* viri cubito.

12. Eo ergo tempore, poffeffionem adiimus terræ ejus quæ eft ab Harohere, ad Arnonem torrentem fita; dimidium *præterea* montem Galahadum & urbes ejus Rubenitis ac Gaditis dedi. 13. Reliquum verò Galahadum & omnem Bafanitidem regni Hogi dedi dimidiæ tribui Manaffæ; totum, *nempe*, tractum Argobi, per omnem Bafanitidem. Hæc vocari folebat Rephæorum terra. 14. Jaïr etiam Manaffita

populi Hebræi ad feptemtriones claudit, Sirjonem Sidonii, Senirem Emoræi vocant. 10. Omnes autem urbes inter eum & Jabbokum fitæ, feu in montanis, feu in campeftribus locis, ad Salcham & Edrehin, ad regnum Hogi Batanææ Regis pertinuerant.

11. Is Hogus, ut hoc obiter monam, folus erat fuperftes è Rephæorum numero, qui eas oras, vicináfque olim, ut dixi, tenuerant. Prægrandis autem erat ftaturæ, ut intelligent facilè pofteri, vel ex ejus fponda ferrea, quæ Rabbæ Hammonitidis fervatur; cùm longa fit novem cubitos ordinarios, quatuor verò lata.

12. Cùm eum, quem dixi, terrarum tractum ab Arnone torrente ad Antilibanum occupaviffemus; dimidium montem Galahadum cis Jabbokum, & quidquid inter hunc torrentem & Arnonem interjacet Rubeniticæ & Gaditicæ Tribubus dedi; 13. parte verò reliquâ Galahadi trans Jabbokum, totâque Batanæa, quæ olim in Rephæorum ditione fuerat, dimidiam Tribûs Manaffæ partem donavi. 14. Quin & Jaïr Manaffita partem Batanææ, ad

Hammonitidis, poftea *Philadelphia* dicta, fi *Eufebio* & *Hieronymo* credimus. Vide 2. Sam. XII, 26.

Longitudo ejus novem eft cubitorum] Si fuiffet ordinariæ ftaturæ Hogus, fat longus fuiffet lectus novem aut decem pedum; fed cùm fuerit prægrandis ftaturæ, quales Rephæi defcribuntur, pro pedibus fex, aut feptem, quæ confueta eft hominum ftatura, totidem cubiti videntur ei tribuendi. Sic Goliathus *fex cubitos & fpithamam* procerus fuit, ut difcimus ex 1. Sam. XVII, 4. hoc eft, undecim pedes, & tres uncias, pro menfura Cubiti tradita ad Gen. Cap. VI, 15. Quæ ftatura magna eft & inufitata, fed non fupra fidem. Fuerit verò Hogus feptem cubitos altus, hoc eft, duodecim pedes & tres uncias; nihil etiam erit, quod admitti facilè non poffit. Huic autem homini ut lectus commodus effet, debuit effe aliquantò longior, quàm ejus ftatura; ne caput aut pedes illideret duræ materiæ, quâ lectus conftabat; nec fi novem cubitos longus erat lectus, nimia hæc fuit longitudo homini feptem cubitos alto. Sic & hodie commodiores lecti debent duobus minimùm pedibus fuperare longitudinem ftaturæ ejus qui in iis cubat. Præterea hac in re fortaffe modum neceffarium exceffit Hogus, curavítque ampliorem æquo lectum fibi fieri; ut pofteritas ex lecti magnitudine de ftatura ejus, qui in eo cubare folitus erat, magnificentiùs fentiret. Quod *Alexander* feciffe dicitur, ex India rediturus. *Diodorus Siculus* Lib. XVII. προσέταξε δὲ τοῖς μὲν πεζοῖς κατὰ σκηνὴν ἑκάστῳ δύο στιβάδας πενταπήχεις οἰκοδομῆσαι: *pedites etiam juffit ut in tabernaculo quifque fuo cubilia quinûm cubitorum exftrueret.* Paullò pòft: ταῦτα δὲ πράττων ἔμελλεν, ἅμα μὲν ἡρωικὴν βουλόμενος ποιήσασθαι στρατοπεδείαν, ἅμα δὲ τοῖς ἐγχωρίοις ἀπολιπεῖν σημεῖα μεγάλων ἀνδρῶν, ἀποφαίνοντα ῥώμην σωμάτων ὑπερφυῆ: *Hæc autem facturus erat, cùm ut heroicam expeditionem feciffe videretur, tum etiam ut incolis relinqueret veftigia magnorum virorum, & quæ inufitatum robur corporum fuiffe indicarent.* Vide & *Curtium* Lib. IX. c. 3. De Gigantibus verò adi eruditam Diff. *Theodori Ryckii.*

Pro folito viri cubito] באמת איש. *Onkelos* hoc ita intelligit, quafi איש fignificet *Hogum*, & cubiti ejus, non vulgares, intelligendi fint, habet enim באמת מלך *in cubito regis.* Malim tamen cum Vulg. interpretari *menfuram cubiti virilis*, ut de Geometrico cubito non agatur, qualem defcripfimus, fed minore, qualia funt vulgò hominum cubita; quâ ratione minuitur ftatura Hogi. Ita cenfebat etiam vir fummè Reverendus *Ric. Cumberlundus*, de Menfuris & Ponderibus Scripturæ pag. 38.

12. *Ad Arnonem torrentem*] Samaritæ habent על שפת נחל & LXX. Intt. ἐπὶ τὸ χεῖλος, *ad ripam torrentis* &c.

Dimidium montem] Partem, nempe, ad meridiem Jabboki torrentis fitam; quæ enim ultra feptemtrionalem ripam, ea Manaffitis ceffit. Vide verf. 16.

13. *Omnem tractum Argobi*] כל חבל הארגב *omnem funem argob.* Tractus dicitur *funis*, quia fune folebant terras metiri. Hinc, apud Ægyptios, certus agri modus dictus eft voce quæ *funem* fignificabat, quandoquidem eam Græ-

nassita cepit totum Argobi tractum, usque ad fines Gesuræorum & Mahachathitarum, vocavitque nomine suo Basanitidem Jatris villas, ad hunc usque diem. 15. Machiri dedi Galahaditidem. 16. Rubenitis verò & Gaditis à Galahado usque ad torrentem Arnonem, quod interjacet inter hunc torrentem & fines, ad torrentem Jabbokum Hammonitarum terminum; 17. præterea planitiem & Jordanem & fines à Kinneretha, ad mare planitiei, mare, nempe, salsum, sub Phisgæ radicibus, ortum versùs.

18. Præcepta vobis dedi, eo tempore, dicens: Jehova Deus vester vos hacce terra, ut eam possideatis, donavit; expediti transibitis, omnes viri fortes, ante fratres vestros Israëlitas. 19. Uxores tantùm vestræ & impuberes, pecúsque vestrum (quod multum esse novi) manebunt in urbibus vestris, quas vobis dedi. 20. *Bellum geretis* donec fratribus vestris quietem, ut vobis, largitus sit Deus, ut possideant & ipsi terram, quâ eos trans Jordanem donavit Jehova Deus vester; *tum* verò quisque ad possessionem suam, quam vobis dedi, revertetur.

21. Jo-

ad Gesuræorum & Mahachathitarum fines, à populo Hebræo nondum subactam invasit, villásque ejus, nomine suo, *villas Jatris* nuncupavit. 15. Sic Machiritæ obtinuerunt Galahadum, 16. Rubenitæ vero & Gaditæ memoratum tractum, 17. & ripis Jordani vicinam regionem, à lacu Chinueretthæ ad Alphaliten.

18. Atque eâ tantùm lege ii, quos modò dixi, agros ad ortum Jordanis acceperunt, ut quicumque arma ferre possent expediti, cum ceteris Israelitis, Jordanem trajicerent; 19. mulieribus, senibus, impuberibúsque cum pecore & impedimentis ad ortum Jordanis relictis; 20. nec priùs redirent, quam aliæ etiam Tribus certas sedes haberent.

21. Josuam jussi bono animo esse, quandoquidem quomodo viderat Hogum, & Sichonem, cum omnibus copiis, Deo juvante, cæsos: ita etiam, eodem auxilio, regna ad occasum Jordanis sita subacturus erat; 22. nec causam ullam habebat cur timeret Chananæos, dum Numen sibi propitium erat.

22. Co-

Græci χοῖνοι vertere solent. *Herodotus* Lib. II. c. 6. postquàm dixit, divites agri schœno latifundia metiri solitos: ὁ χοῖνος ἕκαστος, inquit, μέτρον ἐὸν Αἰγύπτιον, ἑξήκοντα στάδια: *singuli Schœni, quæ mensura est Ægyptiaca, sunt sexaginta stadia.* At, apud Hebræos, *funis* quamvis agri mensuram, nunc majorem, nunc minorem sonat. Vide Ps. XVI, 6. Hamos. VII, 17. Mich. II, 5.

Vocari solebat] יקרא *jikkare*, vocabitur. Sed postquàm Israëlitarum fuit, non ampliùs dicta est terra Rephæorum.

14. *Jair Manassita*] Hujus rei meminit Moses Num. XXXII, 41. Non debet autem hîc Jaïr confundi, cum eo qui fuit Judex populi Hebræi, post *Tholam*, & de quo Jud. X. Hic enim, de quo Moses, fuit Manassæ abnepos ex filia, ut diximus ad locum Numerorum, Mosique æqualis; alter verò pluribus ætatibus à Manassa distabat. Videtur tamen ut cognominis erat prisco Jaïri, ita etiam hoc commune cum eo habuisse, quòd villis triginta nomen idem imposuerit. Vide Judicum X, 4. ubi tamen res ferè eodem modo, atque hîc, exprimitur. De ea agemus, quando eò devenerimus.

Gesuræorum & Mahachathitarum] Populi sunt Syriæ, ad septemtrionem agrorum Tribûs Manassæ, ad ortum Jordanis. Vide 2. Sam. XV, 8. Hoc jam narravit Moses Num. XXXII, 41.

Vocavitque nomine suo Basanitidem] ויקרא אותם על שמו את הבשן & *vocavit eas nomine suo Basan, villas Jairis* &c. Est constructio πρὸς τὸ σημαινόμενον, nam אותם non potest referri ad חבל *funem*, seu *tractum*; sed in animo habebat Moses vocem חות *hhavvoth*, villas. Præterea *omnis tractus Argob & Basan* sumitur pro eo quod subigendum supererat, ut tota Basanitis Israëlitis pareret; nam maxima ejus pars à toto populo Hebræo, post victoriam de Hogo relatam, fuerat jam occupata.

Ad hunc usque diem] Sunt qui ex hac loquutione colligunt locum hunc non esse Mosis; quòd paucis mensibus, post rem gestam, non posset dicere, *ad hunc usque diem.* Sed de brevi tempore ostendimus hanc formulam usurpari, in *Diss. de Scriptore Pentateuchi.* §. III. & quamvis soleret, ubi sermo est de longiore tempore, adhiberi, nihil obstat quominùs καταχρηστικῶς aliquot mensium spatium signare posset. Lingua Hebraïca referta est ἀκυρολογίαις, quæ si nimium urgerentur, absurdi passim nascerentur sensus. Neque est de Hebraicæ Linguæ ingenio, ex nostra loquendi consuetudine, judicandum; sed ex ejus Linguæ indubitato usu, qui sæpe à nostro more diversissimus abit. Sic hodie loquentes non diceremus, de re ante hebdomadas aliquot præterita, *tempore illo hoc, aut illud fecimus* &c. nostris enim auribus nescio quid remotius hoc sonat. At in hoc ipso Capite, sexies legitur בעת ההיא baheth hahi *tempore illo*, cùm Moses loquatur de rebus nuperrimè peractis. Vide & notata ad superiora verba.

16. *Quod interjacet inter hunc torrentem* &c.] *Medium hujus torrentis, & termini.* In hoc versu bis est ועד & *usque ad*, pro עד *had*, sed ante hanc particulam frequenter πλεονάζει copula. Vide & vers. sequentem.

17. *Planitiem & Jordanem*] Hoc est, planitiem ad orientalem ripam Jordanis porrectam.

Kinneretha] Hoc est, lacu Gennesaretico, qui ita dicebatur ab urbe sic vocata. Vide not. ad Num. XXXIV, 11.

Mare planitiei] Quod erat in planitie Jordanis. Vide *Dissert. de Sodomæ Subversione.*

Sub Phisgæ radicibus] Sequuti sumus *Onkelon*

[21] Josuam, eo tempore, mandatis instruxi, dicens: oculi tui viderunt omnia quæ fecit Jehova Deus vester duobus regibus istis: sic autem faciet Jehova omnibus regnis, in quæ transibis. [22] Ne timeatis, nam Jehova Deus vester pugnat pro vobis.

[23] Eodem etiam tempore, Jehovæ supplicavi dicens: [24] ô domine Jehova, tu magnitudinem tuam, manúmque prævalidam servo tuo ostendere cœpisti. Quis est enim Deus in cœlo, aut in terra, qui opera qualia tua sunt, résque quales potentiâ tuâ gestæ sunt, fecerit? [25] Transire, quæso, mihi liceat, videámque bonam eam terram, quæ est trans Jordanem, bonum illum montem & Libanum. [26] Sed Jehova, mihi propter vos iratus, *me* non exaudiit, sed mihi dixit: satis esto tibi, ne ampliùs hac de re me alloquaris. [27] Adscende in verticem Phisgæ, & prospice ad occidentem, ad aquilonem, ad austrum & ad orientem, atque oculis tuis hæc vide, neque enim hunc Jordanem trajicies. [28] Præceptis Josuam instrue, eúmque confirma & robora, is enim trajiciet ante hunc populum, eúmque in terram, quam videbis, possidendam intromittet. [29] Consederamus autem in valle, è regione Beth-Phehoris

IV. Mo-

[23] Conatus quidem eram enixis precibus à Deo impetrare, ut mihi Jordanem vobiscum trajicere liceret; [24] & quandoquidem jam tot & tanta specimina potentiæ suæ mihi ostendere dignatus erat, eum oraveram, [25] pateretur etiam me fertilissimum illum terrarum tractum, qui ad occasum Jordanis ad Libanum usque porrectus est, peragrare. [26] At Deus, propter peccatum à me, vobis frementibus, admissum, non satis mihi propitius negavit me trajecturum Jordanem, idque à se ampliùs petere vetuit. [27] Dixit dumtaxat, si vellem videre eum tractum, posse me adscendere in cacumen Phisgæ, unde eum prospicere licet, nam me propiùs eum non aditurum sibi certum esse. [28] Josuam verò, qui vobis in trajiciendo Jordane dux erit, agrósque armis partos dividet, mandatis à me instrui, & adhortationibus firmari voluit. [29] Hoc autem me jussit Deus, in valle quæ est è regione Beth-phehoris.

P A-

lon & Vulg. Interpretem, quos bene vertisse res ipsa ostendit. Nam cùm Phisga sit mons, & dicantur Rubenitæ possidere ei monti subjecta. אשדות nihil significare potest, nisi *radices* montis. Vide de hac voce not. ad Num. Cap. XXI, 15. LXX. Intt. ὑπὸ Ἀσηδὼθ τῆς Φασγά.

18. *Vobis*] Alloquitur Rubenitas, Gaditas & dimidiam partem Tribûs Manassæ, ut sequentia ostendunt. Græcus aut Romanus scriptor addidissent; *ô Rubenitæ, & vos Gaditæ, dimidiáque Manassæ Tribus*, ut Lector intelligeret Legislatorem non alloqui universum populum. Sed Hebræi multa Lectori ex re ipsa conjicienda relinquunt.

Viri fortes] בני חיל *filii fortitudinis.* Hinc videmus, quamvis senes non memorentur, in sequente versu, eos esse intelligendos; quandoquidem soli armis ferendis apti proficiscebantur.

20. *Bellum geretis*] Hoc supplevi manifestò subaudiendum, ne durior esset phrasis & trajectio, *transibitis — donec fratribus vestris* &c.

Fratribus vestris quietem largitus sit] *Fecerit quiescere fratres vestros, ut vos*, hoc est, certas sedes iis largitus sit.

Trans Jordanem] בעבר hoc est, ad occasum Jordanis, nam ea vocula, pro eo qui loquitur, intelligi debet. Vide not. ad Deut. I, 1.

24. *Quis est Deus in cœlo, aut in terra*] Hoc est, multi quidem dicuntur אלים aut אלהים, eùm in cœlo, tum in terra; sed nullus eorum ea fecisse narratur, quæ tu fecisti. Ad hunc locum videtur respexisse Paulus, cùm scriberet 1. Cor. VIII, 5. *Etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cœlo, sive in terra (si quidem sunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus Deus pater, ex quo omnia* &c. Ad quæ verba vide Intt.

Opera qualia tua sunt] *Fecit sicut opera tua, & sicut potentiæ tuæ.*

25. *Transire, quæso, mihi liceat*] אעברה נא *transibo, quæso.* Vide Num. XXI, 22.

Illum montem & Libanum] Montana quæ ad Libanum usque porriguntur. Sic vers. 7. *planities & Jordanes*, prò planitie Jordanis. Intelligit Moses Aseris & Nephthalis agros, seu Galilæam regionem fertilissimam, ut docet *Josephus* de Bell. Jud. Lib. III. C. IV. in Græcis.

27. *In verticem Phisgæ*] Hi montes erant πολυώνυμοι, ut Libanus, nam *Habarim* vocabantur, & vertex montis in quem conscendit Mosis alibi dicitur *Nebo.* Vide Num. XXVII, 12. Scio esse qui vertant hîc פסגה *collem*; sed debuerant cogitare præaltum montem oportere intelligi, non collem, ex quo Chananæa prospici non potuisset; quia collium continua erat series trans Jordanem, juxta ejus ripas à Chinnerethæ lacu ad Asphaltiten, ut ostendimus in Dissert. *de Subvers. Sodomæ.* Hoc voluisse videtur Onkelos, qui pro פסגה habet רמתא, quod *altum jugum* sonat, & quæ significatio est vocis נבא *nebo.*

Prospice] *Tolle oculos.*

C O M-

IV. Moses hortatur Israëlitas, ut ex divinis legibus vitam instituant, propositis præmiis & pœnis, vetat imagines Dei fieri, & urbes asyli ad ortum Jordanis constituit.

CAPUT IV. [1.] AUDITE nunc, Israëlitæ, instituta & jura quæ vos docebo observanda, ut vivatis, ingrediaminique *Chananæam*, & terram, quâ Jehova Deus majorum vestrorum vos donat, possideatis. [2.] Nihil addetis iis quæ vobis præcipio, neque quidquam detrahetis in observatione præceptorum Jehovæ Dei vestri, quæ vobis ego edidi. [3.] Oculi vestri viderunt quæ fecerit Jehova, ob Bahal-phehorem, Jehovámque Deum vestrum eos omnes qui Bahal-phehorem sequuti erant è medio vestri sustulisse; [4.] vos verò, qui adhæsistis Jehovæ Deo vestro, omnes hodie in vivis esse. [5.] Videte, docui vos instituta & jura, quemadmodum mihi in mandatis dederat Jehova, Deus meus; ut ea observetis in terra, in quam possidendam ingrediemini. [6.] *Hæc* observabitis & facietis, nam hæc est sapientia & prudentia vestra apud populos, qui audient omnia hæc instituta, & dicent: hæc dumtaxat magna gens est sapiens ac prudens populus. [7.] Quæ enim magna gens est, cui adeò propinqui sint Dii sui, ut Jehova Deus noster, quotiescumque eum invocamus? [8.] Quæ gens est magna, cui justa sint instituta & jura, qualis est hæc omnis

PARAPHRASIS.

[1.] DILIGENTAR quæcumque vobis præcipio adtendite, ne vos Deus è medio tollat, neve terræ promissæ possessione vos excludat. [2.] Omnes à me acceptas leges, sine additione ac detractione, observatote. [3.] Vidistis enim eos qui Bahal-phehoris sacris contaminati fuerant, divinitus immissâ plagâ, interiisse. [4.] At ceteri etiamnum incolumes sunt, eò quòd solius veri Dei legibus constanter adhæserint. [5.] [6.] Ergo ad Leges à me acceptas summo studio mores vestros exigite, eóque vivendi instituto; ne dubitate quin vobis, apud Gentes ad quas aliqua earum notitia perveniet, sapientiæ ac prudentiæ famam adquisituri sitis. Vos, mihi credite, mirabuntur, solúmque hunc sapientem ac prudentem populum prædicabunt. [7.] Nec sanè ulla gens est in terris, quamvis potens, quæ sibi à Numinibus suis auxilium ferri, qualia præsentissima à Deo nobis feruntur, jactare possit. [8.] Nulli latæ sunt Leges æquitate ac justitiâ temperatæ, quales vestræ sunt.
[9.] Per-

COMMENTARIUS

In CAPUT IV.

1. *Israëlitæ*] *Audi Israël.*

Ut vivatis] Ne moriamini, antequàm in optatas sedes pervenire licuerit, Numine vobis irato. Vide vers. 4.

2. *Iis quæ vobis præcipio*] *Verbo quod vobis præcipio.*

In observatione] *Ad observandum.* Potestatem non facit populo ullius legis abrogandæ, aut ullius ferendæ; quæ, nempe, divinis contraria sit. Sed Prophetis ab eodem Deo missis, à quo primæ latæ erant Leges, os occludere non potuit Moses; nam quamvis Deus non revelasset Mosi Leges, quas eum docuerat, ad tempus dumtaxat esse, aut quidpiam olim iis addi oportere; quid potuit obstare quominùs alii id mysterium aperuerit?

3. *Ob Bahal-phehorem*] Vide Num. Cap. XXV.

5. *Videte*] *Vide.* Sed misturam illam perpetuam singularis & pluralis non fert Lingua Latina, quod semel monuisse satis erit; nam in uno versu unum servavimus numerum, quamquam singillatim mutatas voces non adferimus. Itaque perperam Samaritæ pro ראה habent ראו *videte*, ut LXX. ἴδετε. Sic & Cap. I, 8.

6. *Apud populos*] *In oculis populorum*, qui sapientes judicabunt Hebræos, cùm ab iis peregrina omnia instituta rejici videbunt, & servatis legibus patriis florere; quod in Ægyptiis laudatum est ab *Herodoto*, *Diodoro*, aliisque qui eorum res adtigerunt. Sed & ipsos Judæos, quamquam seriùs notos, laudarunt multi Scriptores Græci, quorum testimonia collegerunt *Clemens* Alexandrinus Lib. 1. Strom. & *Eusebius* Præp. Evang. Lib. IX.

7. *Propinqui sint Dii sui*] Quia eos adjuvamus, à quibus nimiùm remoti non sumus, ideò Deus dicitur *propinquus esse* iis; quibus paratus erat præsens auxilium ferre, si modò invocaretur. Dicere possis de Republica populi Hebræi, si cum aliis conferatur, leges nusquam licuisse pari sapientiâ institutas videre,

Aut tam præsentes alibi cognoscere Divos.

8. *Propono*] *Pono ante facies vestras.*

9. *Vehementer cave*] *Serva animam tuam valde.*

Liberis tuis &c.] *Filiis tuis, & filiis filiorum tuorum.* Sed *filii* passim pro liberis sumuntur.

10. *Congrega mihi hunc populum* &c.] Vide Exod. XIX.

11. *Ad medium cœlum*] *Ad cor cæli*, hoc est, ad

omnis lex ; quam hodie vobis propono. 9. Cave dumtaxat tibi & vehementer
cave, ne oblivioni mandes ea quæ viderunt oculi tui, néve excidant ex animo
tuo, omnibus vitæ tuæ diebus, ut ea liberis tuis & liberis liberorum tuorum pa-
tefacias.

10. Eo die, quo steti coram Jehova Deo vestro, in Chorebo, cùm dixisset mi-
hi Jehova: congrega mihi hunc populum, & faciam ut audiant verba mea, quæ
discant ut me timeant quamdiu in terra vivent, & quæ liberos suos doceant; 11.
accessistis & stetistis sub monte, mons verò igne ardebat ad medium cœlum; erát-
que obscuritas nubis & caligo. 12. Deinde alloquutus est vos Jehova è medio ig-
ne, *&* sonitum *quidem* verborum audivistis, *at* imaginem nullam vidistis, præter
vocem. 13. Aperuit vobis fœdus suum, quod vos jussit observare, decem, nem-
pe, verba, eáque duabus tabulis lapideis inscripsit. 14. Me jussit etiam Jehova,
eo tempore, docere vos instituta, & jura *sua*, ut ea observaretis in terra, in quam
possidendam transituri estis.

15. Quandoquidem autem, quo die Jehova vos alloquutus est in Chorebo, è
medio igne, nullam imaginem vidistis; cavete vobis vehementer 16. ne corrum-
pamini, faciatísque vobis sculptile simulacrum, imaginem ullius figuræ, aut formam
masculi vel fœminæ, 17. formam ullius animalis quod sit in terris, formam ul-
lius volucris quæ volet in cœlo, 18. formam ullius reptilis quod sit in terra, for-
mam denique ullius piscis qui sit in aqua, sub terra. 19. *Cavete* etiam ne tolla-
tis

9. Perpetua ut hæc sit vestra felicitas, ne umquam ea quæ vidistis atque audivistis oblivioni mandate; sed ea liberis, nepotibúsque vestris, posteris ab iis similiter transmittenda, diligenter tradite.

10. Meministis eo die, quo jussus sum concionem populi Hebræi ad Sinaïn montem vocare, ut vocem Dei ipsius audiret, legésque à se observandas & posteris relinquendas acciperet, 11. vos ad radices montis stare, ingentémque flammam nubibus & caligine mistam, & ad summum aërem se se extollentem videre. 12. Divinam deinde vocem audivistis, sed nullam vidistis formam, ex qua prodire videretur, ut nullâ imagine effingendum esse Numen, intelligeretis. 13. Tum Deus potissimas suarum Legum, easque decem numero pronunciavit; quas postea duabus lapideis tabulis, quas in Arca adservamus, inscripsit. 14. Idem mihi jura, quibus in Chananæa uteremini, tradidit; ut ea vos è monte redux docerem.

15. Vos ergo iterum atque iterum moneo, memores sitis nullam formam Dei adparuisse, cùm ejus vocem è medio igne audivistis; 16. ac proinde nullam ejus formam facere adgrediamini, quales Idololatræ solent, nec virilem, nec muliebrem, 17. nec animalis ullius bruti. 19. Cavete ne Solis, Lunæ, aliarúmque stellarum utilitatem, splen-

ad medium aërem. Sic Ezek. XXVIII, 2. dicit Tyrus se habitare בלב *in corde marium*, quæ sita erat in insula à littore non remota.

13. *Fœdus suum*] בריתו, hoc est, leges suas, quarum observantibus præmia pollicetur.

Decem verba] עשרת הדברים, quæ Δεκάλογοι propterea vocarunt Græci. *Verba* autem hîc non significant *dictiones*, sed præcepta: ut λόγος Græcè potiùs *orationem* sonat, quàm *vocabulum*.

14. *Me jussit* &c.] Docuit Mosem quas vellet leges Israëlitis ferri.

15. *In Chorebo*] Confunditur hoc jugum cum Sinaïtico. Vide not. ad Exod. III, 1.

Cavete vobis vehementer] *Servabitis valde animabus vestris.*

16. *Masculi vel fœminæ*] Qualia erant Osiridis & Isidis, innumeráque alia simulacra.

17. *Formam ullius animalis*] Vide not. ad Exod. XX.

18. *Sub terra*] Infra terræ superficiem, quæ aquâ superior est. Quod nullâ figurâ Deum effingi vult Moses, id commune habet cum aliis antiquissimis Legislatoribus. Varii etiam Philosophi idem senserunt. Vide quæ habet *Grotius* ad hunc locum, & quæ notamus ad Exod. XX, 4. Phœnices, antiquissimis temporibus, caruisse simulacris ostendit Gaditanum Herculis templum ab iis conditum, ubi

> —— *nulla effigies, simulacráque nota Deorum,*
> *Majestate locum & sacro implevere timore,*

uti habet *Silius Italicus*, initio Libri III. Cultum autem illic Herculem, Phœnicio ritu, testantur *Diodorus* Biblioth. Lib. V. p. 300. & *Appianus* Ibericorum initio. Persæ etiam nullas habuere imagines Numinis. *Herodotus* Lib. I. c. 31. Πέρσας δὲ οἶδα νόμοισι τοιοῖσι χρεωμένους· ἀγάλματα μὲν, καὶ νηοὺς, καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι: *Persas scio his institutis uti, neque statuas, neque templa, neque aras exstruere consuerunt, sed & facientes stultitiæ incusant.* Rationem addit *Herodotus*: ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέειν, ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, κατάπερ οἱ Ἕλληνες, εἶναι: *ut mihi videtur quod non crediderint, ut Græci, Deos esse formâ humanâ.* Sic & antiquis temporibus observarat *Clitarchus*, ut docet *Laërtius* in Procem. §. 6. Magos τῶν ξοάνων καταγινώσκειν, καὶ μάλιστα τῶν λεγόντων ἄρρενας εἶναι θεοὺς καὶ θηλείας: *statuas damnasse, & eorum quidem præsertim qui Deos mares & fœminas esse dicerent.* Ad quæ verba vide, si vacat, *Æg. Menagium.* Hæc manasse

tis oculos ad cœlum, videntéſque ſolem, lunam, ſtellâſque & omnem exercitum cœli, decipiamini & inflexo corpore ea adoretis, colatiſque quæ populis omnibus ſub univerſo cœlo largitus eſt Jehova Deus veſter.

20. Vos adſumſit Jehova, eduxítque è catino ferri, ex Ægypto, ut ſibi eſſetis populus quem poſſideret, qualis eſtis hodie. 21. At mihi propter vos iratus eſt Jehova, juravítque me non trajecturum Jordanem, neque ingreſſurum in terram bonam, quam Jehova Deus veſter poſſidendam vobis largitur. 22. Ego enim moriar in hacce terra, neque trajiciam Jordanem; ſed vos eum tranſmittetis, & bonam iſtam terram poſſidebitis.

23. Cavete vobis ne obliviſcamini fœderis Jehovæ Dei veſtri, quod vobiſcum ferìit, néve faciatis vobis ſculptile ſimulacrum, *aut* imaginem ullius rei, quam vetuerit Jehova Deus veſter; 24. nam Jehova Deus veſter ignis eſt abſumens, Deus ille eſt zelotypus. 25. Cùm genueritis liberos, & liberos liberorum, atque in terra conſenueritis, ſi corrumpamini, faciatiſque ſculptile ſimulacrum, *aut* imaginem ullius *rei*, & quod diſplicet Jehovæ Deo veſtro, adeò ut eum ad iram provocetis; 26. teſtor hodie contra vos cœlos & terram, vos exterminatum iri quàm primùm ex ea regione, ad quam poſſidendam Jordanem trajecturi eſtis; nec diu in ea futuros, ſed exturbatum iri. 27. Diſſipabit Jehova vos per populos, & pauci manebitis inter gentes, ad quas Jehova vos amandabit. 28. Coletis illic Deos, qui ſunt opera manuum hominum, lignúmque & lapis, qui neque vident, neque au-

ſplendorem & conſtantem motum mirati, aſtra quaſi Numina colatis atque adoretis; cùm ea ſint à Deo, in uſum omnium Gentium, creata.

20. Vos intolerandæ ſervituti, quà premebamini ab Ægyptiis, eripuit Deus, ut ſingulari ratione populus ejus evaderetis, quod fœdere vobiſcum inito perfecit. 21. 22. Itaque vos brevi in agrorum promiſſorum poſſeſſionem miſſurus eſt, poſtquàm ego, in hoc ſolo, animam efflavero; nam mihi iratus Deus, quòd fremitibus veſtris perturbatus, ei ut decebat non crediderim, me non trajecturum Jordanem irrevocabili decreto conſtituit.

23. Vos verò divinarum Legum obſervantes ſitis, ac præſertim ne Deum ullà imagine effingatis, aut aliorum Numinum ſimulacra colatis, cavetote. 24. Quicumque aliter faxit, is à Deo, ut ſtipula igne ſolet, abſumtum ſe iri intelligito; neque enim Deus pati poteſt vel minimam partem cultûs ſibi debiti in ſimulacrum, aut in alium Deum derivari. 25. Cùm diu agros Chananææ incolueritis, poſteriſque veſtris eos reliqueritis, ſi contingat populum Hebræum ſimulacra colere; 26. Deus & homines teſtes mihi ſunto, me prædixiſſe eum ab irato Numine avitis ſedibus brevi expulſum iri. 27. Latè ſpargetur per Idololatrarum Gentes, atque ad paucos redigetur. 28. Dum verò verſabitur inter Idololatras, ad falſa Numina, & ſimulacra colenda pellicietur, neque populus Dei ampliùs habebitur. 29. At

naſſe videntur à Noacho, adeò ut Moſes non tam novam legem tuliſſe videatur, quàm veterem renovaſſe.

19. *Decipiamini*] נדחת *niddahhtha*, impellaris in errorem. Vide Proverb. VII, 21.

Largitus eſt] חלק quod propriè *diviſit* poſſidendum. Sed in commune omnes Solem, Lunam, reliquáſque ſtellas poſſident, ſine ulla diviſione. Moſes quod à Deo datum eſt hominibus in eorum uſum, id ab illis coli non debere, Dei inſtar, docet. Cùm ergo nos non in Solis gratiam creati ſimus, ſed Sol propter nos, coli à nobis nullâ ratione debet, ſed is qui eum dedit. Notum eſt Orientales hac in re maximè peccaſſe, quod copiosè oſtendit *Ger. Joan. Voſſius*, de Idol. Gent. Lib. II.

E catino ferri] In quo, nempe, liquefit ferrum. Significatur ſervitus tam dura, ut in ea *liqueſiat* populus, hoc eſt, intereat præ nimio labore. Vide not. ad Exod. I, 11.

Populus quem poſſideret] *In populum poſſeſſionis ſicut hodie*. Habent LXX. Intt. ἔγκληρον. Vulg. *hereditarium*. Sed cùm נחלה *nahhalah* non magis *hereditatem* ſonet, quàm aliam *poſſeſſionem*, nihil opus erat uti tam dura metaphora, ubi de Deo ſermo eſt. Sed fortè in LXX. Intt. Dialecto κλῆρος & κληρονομεῖν non magis *hereditatem*, & *hereditate accipere*, quàm *poſſeſſionem* quamvis, & quovis modo *poſſidere* ſignificant. Ac ſanè נחלה hîc idem eſt ac סגלה quod verti ſolet *peculium* ſeu *peculiaris poſſeſſio*. Vide infrà VII, 6.

21. *Juravitque*] Ut intelligerem revocari ſententiam à Deo prolatam non poſſe.

24. *Ignis abſumens*] Hoc eſt, ſui contemtorum acerrimus ultor. Ideóque legem ferens igne veluti indutus adparuit. Vide Exod. XXIV, 17. & infrà Cap. IX, 3.

Deus zelotypus] Vide ad Exod. XX, 5.

25. *Si feceritis*] *Et feceritis*.

Et quod diſplicet Jehovæ &c.] *Et feceritis malum in oculis Jehovæ*, nam bis eſt ועשיתם. Ut hoc abundat, ita deeſt nomen דבר *rei*, aut quid ſimile poſt כל *omnis*, aut *ullius*; nam Hebraïcè non dixeris תמונת כל, pro כל תמונה. Meliùs verterunt LXX. Intt. ὁμοίωμα παντὸς, quàm Vulg. *omnem ſimilitudinem*.

26. *Teſtor cœlos & terram*] Vide not. ad Cap. XXXII, 1.

Exterminatum iri] *Pereundo peribitis, de ſuper terra.*

27. *Pauci*] מתי מספר *homines numeri*, id eſt, pauci, conſueto Hebraïſmo.

Amandabit] ינהג jenaheg, *ducet*.

28. *Coletis illic Deos*] Hæc eſt graviſſima ſequela pœnarum cum exſilio conjunctarum; quam-

audiunt, neque comedunt, neque odorantur. 29. Illinc autem quæretis Jehovam Deum vestrum, *eúm*que invenietis, si eum totâ mente, totóque animo quæsieritis. 30. In angustiis in quibus versabimini vobis accident omnia illa, posteris temporibus; tum ad Jehovam Deum vestrum revertemini, vocémque ejus audietis. 31. Jehova enim Deus vester Deus est misericors, non deseret vos, neque perdet, neque fœderis cum majoribus vestris jurati obliviscetur. 32. Sciscitamini nunc, de prioribus temporibus, *eos* qui fuerunt ante vos, à die quo Deus hominem in terra creavit, & ab extremitate cœli ad *alteram* cœli extremitatem, an umquam res, qualis hæc magna est, evenerit, aut umquam similis audita sit? 33. An populus *ullus* audivit vocem Dei loquentis, è medio igne, quemadmodum vos audistis, & *tamen* vixit? 34. An tentavit Deus *ullus* venire ad sumendam sibi gentem, è media *alia* gente, tentationibus, signis, prodigiis, bello, manu prævalidâ, brachio exserto, & terroribus magnis; qualia omnia sunt, quæ pro vobis fecit Jehova Deus vester, in Ægypto, in oculis vestris? 35. Vobis *hæc* ostensa sunt, ut Jehovam esse Deum, nec ullum esse præter eum intelligeretis. 36. Fecit ut audiretis vocem suam è cœlo, ut vos erudiret; ostenditque vobis in terra ignem suum magnum, & verba ejus, è medio igne, audistis.

37. Eo quòd amaverat majores vestros, elegit eorum posteros, & in conspectum suum ex Ægypto, potentiâ suâ magnâ, eduxit; 38. ut pelleretis possessione suâ gentes majores & potentiores quàm vos estis, è conspectu vestro; útque vos

eò

29. At cùm viderit se innumeris calamitatibus premi, quamvis Idololatris obsequutus fuerit, si tum demum eum peccatorum suorum pœnituerit, iisque nuncio remisso ad divinarum legum constantem observationem redierit; denuò Deum sibi sentiet faventem. 30. Postquàm à Deo defecerit, malisque domitus, ad saniorem mentem reversus fuerit; 31. Deus ejus miserebitur, neque promissa olim ejus Majoribus à se edita fieri prorsus irrita patietur; quandoquidem se numquam ea penitus revocaturum pollicitus est. 32. Ne de futuris dubitare possitis, præterita Dei in vos beneficia obstant, quibus similia nulli alii Genti umquam collata compereretis, si grandævos senes de superiorum ætatum historiis interrogaretis, atque ad omnes terrarum orbis Gentes propterea sciscitatum iretis. 33. Nulla Gens umquam vocem Dei ex medio igne loquentis audivit, atque incolumis evasit. 34. Nullum umquam Numen populum alii servientem, sibi soli serviturum evocavit, tótque ac tantis prodigiis & potentiæ suæ editis speciminibus, invitis dominis eripuit. 35. Hæc autem vobis spectantibus fecit, ut se solum Deum esse rebus ipsis evinceret; 36. vósque ideò alloquutus est, ut Leges ab ipso vobis ferri intelligeretis.

37. Non propter religionem ac probitatem vestram, vos ex Ægypto eduxit, sed quia Majores vestros amore prosequutus hoc iis pollicitus erat. 38. Qua etiam de causa, Gentium numerosiorum & potentiorum vobis agros dividere cœpit, & porrò

quamvis eam Deus non inflixerit, sed Judæi ipsi sibi accersiverint. Ut erat summum Dei beneficium Hebræis collatum, quòd ita seorsim ab Idololatris vivere eos curaret, ut neque eorum auctoritate, neque fraudibus, adduci possent ad colenda idola: contrà gravissimum supplicium fuit pati Rempublicam Hebræam dissolvi, adeò ut Hebræi, per varias Gentes Idololatrarum sparsi, ad earum instituta suscipienda pellici possent. Non ergo vult Moses à Deo Hebræos adductum iri in necessitatem ineluctabilem colendorum Idolorum, quod Deo contumeliosum esset; sed eo non ampliùs amovente peccandi illecebras (quod non facit in gratiam pertinaciter, licèt revocentur, peccantium) in Idololatriam fœdissimam prolapsuros. Peccandi occasiones à nobis amoliatur Deum oramus, cùm eum precamur *ne nos inducat in tentationem*; ad quod Orationis Dominicæ caput, adi Interpretes.

Qui sunt opera manuum hominum] Hoc est, statuas quas semel consecratas veluti domicilia Deorum adorabant, imò & Deos vocabant, ut ostendimus ad Gen. XXXI, 30.

Neque comedunt] Deus quidem Hebræorum non comedit, sed non est ἀνθρωποφυὴς, ut Ethnicorum Dii. Vult Moses perperam Idololatras sibi fingere Numina statuis adesse, cùm nulla prorsus intelligens Natura eas incoleret, sed essent meræ statuæ; quæ tantùm aberat ut quidpiam homine excellentius continerent, ut solam humanam figuram externam haberent, adeóque homine inferiores essent. Innumera hanc in rem Veteres Christiani, qui Idololatras impugnarunt, imò & ipsi Philosophi ac Poetæ Ethnici, Philosophorum discipuli, quamquam parum sibi constantes. Quid meliùs ab Hebræo vate dici potuit his *Sophocleis*, ex incerta Tragœdia?

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαν πλανώμενοι
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὰς,
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων, ἢ χαλκέων,
Ἢ χρυσοτεύκτων ἢ 'λεφαντίνων τύπους,
Θυσίας τε τούτοις, καὶ καλὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Hoc est, interprete *Hug. Grotio:*

Unus profectò est, unus est tantùm Deus,
Cæli, solique machinam qui condidit,
Vadúmque ponti cærulum, & vim spiritûs.

 At

eò intromitteret & donaret earum terrâ possidendâ, ut *facit* hodie. 39. Cognoscetis hodie & ad animum vestrum revocabitis, Jehovam esse Deum, in cœlo sursum, & in terra deorsum, nec præterea *alium esse*. 40. Observate itaque instituta ejus & præcepta, quæ vobis hodie edidi; ut vobis, posterisque vestris bene sit, útque producatis dies *vestros* in terra, quâ Jehova Deus vester in perpetuum vos donat.

41. Tunc selegit Moses tres urbes cis Jordanem, ad ortum solis, 42. ut illuc fugeret homicida, qui proximum suum per imprudentiam occidisset, cùm antea eum odio non habuisset; fugeret, *inquam*, in unum ex illis oppidis, & vitæ consuleret. 43. *Elegit* Betserum in deserto, in planitie, quæ Rubenitarum est; Ramo-

rò divisurus est. 39. Atque hinc vos intelligere oportet, neque in cœlo, neque in terris ullum esse Deum, præter eum quem Legislatorem habetis. 40. Itaque Leges ejus, ut vobis, posterisque vestris bene sit in terra, quam invadetis, diuque ac securi in ea vivatis, observate diligenter.

41. 42. Circa idem tempus, quo hi sermones à Mose habiti sunt, tres urbes Perææ futura iis, qui inviti hominem occidissent, Asyla designavit; 43. Bet-

At ducta cæco errore gens mortalium,
Commenta cladis in suæ solatium est
Simulacra divûm facta saxo, aut arbore,
Vel pondere auri, dente vel Lucæ bovis.
His victimarum sanguinem, his festos dies
Cùm dedicamus, ea religio creditur.

Contra Ethnicorum Sacrificuli contendebant certa se habere argumenta præsentium in statuis Deorum. Scriptor de *Dea Syria*, de Templo Hierapolitano: ἔνι δὲ ——— ξόανα θεοπρεπέα, καὶ θεοὶ δὲ κάρτα αὐτοῖσι ἐμφανέες· ἱδρώει γὰρ δὴ ὦν παρά σφισι τὰ ξόανα, καὶ κινέεται, καὶ χρησμολογέει. καὶ βοὴ δὲ πολλάκις ἐγένετο ἐν τῷ νηῷ, κλεισθέντος τοῦ ἱροῦ, καὶ πολλοὶ ἤκουσαν: *insunt & statuæ Diis dignæ, & Dii maximè in illis se conspicuos præbent. Nam statuæ sudant, moventur, & oracula edunt; clauso etiam Templo, clamor in æde sæpe ortus est, cúmque multi audierunt.* Exempla postea profert ejusmodi statuarum, sed quæ Sacerdotum fraudibus debebantur.

29. *Quæretis*] Cognitâ Idolorum vanitate, Deum verum solum invocare iterum incipietis, atque ab eo solo malis vestris remedia exspectare. Quod amisimus id *quærimus*, ideóque *quærere* dicuntur Deum qui, postquàm cum Idololatriâ veluti amiserant, ad ejus cultum redeunt.

Invenietis] תמצא *invenies*. Samaritæ ומצאו & LXX. Intt. εὑρήσετε αὐτόν. Iterum sentietis vobis faventem; nam amissa cùm *invenimus*, iterum iis utimur.

Tota mente, totóque animo] *Toto corde, & tota anima*; Hoc est, non modò non fucatis precibus, sed toto animi adfectu, quo in illius solius cultum constanter feramini. Sic & infrà Cap. VI, 5. Sic Jos. XXIII, 14. *Scire toto corde & totâ animâ* est optimè nosse. Græci & Latini ita quoque loqui solebant. *Herodotus* Lib. VIII. c. 97. de Xerxe simulante se comparare ad novam pugnam: ὁρέοντες δέ μιν πάντες οἱ ἄλλοι ταῦτα πρήσσοντα εὖ ἠπιστέατο ὡς ἐκ ΠΑΝΤΟΣ ΝΟΟΥ παρεσκεύασται μένων πολεμήσειν: *Videntes eum homines alii hæc facientem credebant toto animo parare se ut manens pugnaret.* *Epictetus in Enchir* Cap. XXXV. de iis qui certo vitæ instituto constanter non adhærebant: νῦν μὲν ἀθλητὴς, νῦν δὲ μονομάχος, εἶτα ῥήτωρ εἶτα φιλόσοφος, ΟΛΗι δὲ τῇ ΨΥΧΗι οὐδέν: *Nunc est pugil, nunc gladiator, nunc rhetor, nunc philosophus,* TOTA *verò* MENTE *nihil.* *Cicero* Ep. ad Fam. Lib. XVI. Ep. 8. *Te videre totâ cogitatione cupio.* Vide & ad Cap. VI, 5. ubi plura.

30. *In angustiis, in quibus versabimini*] *In angustia tibi.*

Accident] *Invenient te.*

Posteris temporibus] *In fine dierum.*

32. *Sciscitamini*] כי *nam sciscitamini.* כי abundat, ut suprà Cap. III, 11.

De prioribus temporibus] לימים ראשנים *de diebus primis.* Interroga senes, qui à longævis patribus antiquissimorum temporum historiam acceperunt. Vide Cap. XXXII, 7. Non ineleganter tamen verterunt LXX. Intt. ἐπερωτήσατε τὰς ἡμέρας προτέρας, τὰς γενομένας προτέρας σου: quasi diceret Moses, *historias præteritorum seculorum evolvite*; nam hoc est, priora tempora consulere.

Ab extremitate cœli &c.] Hoc est, ab hominibus, qui cœlo, quod extremis terris cultis imminet, subjacent, initio facto, ad eam cœli plagam, quæ in opposita terrarum parte culta est; à septemtrione in meridiem, aut ab ortu in occasum. Non est ita urgenda hæc phrasis, quasi hinc Mosem extremitates cœlo statuisse, aut *cœlum* pro *terra* dixisse colligere possimus. Phrasis est ab usu vulgi petita, quâ significatur quidquid est hominum in terris cultis.

An umquam res, qualis &c.] *An fuerit sicut hoc verbum magnum, aut an auditum ut hoc.*

33. *Et tamen vixit*] Vide not. ad Gen. XVI, 13. Exod. XX, 19.

34. *Deus ullus*] Addimus *ullus*, quia hæc loquutio *an tentavit Deus*? non satis decet eum qui non tentat facere, sed facit quidquid vult, ideóque Idololatrarum Deos designat.

Tentationibus] במסת *bmassoth.* Intelliguntur prodigia, quibus Deus *tentabat* animum Pharahonis, an eum posset flectere; aut specimina potentiæ suæ, quæ *tentatus* ab Hebræis & Æ-

mothas in Galahaditide, quæ Gaditarum; & Golanem in Basanitide, quæ Manassirarum.

44. Atque hæc lex est, quam proposuit Moses Israëlitis; 45. hæc sunt edicta, instituta & jura quæ dixit Moses Israëlitis, postquàm Ægypto egressi essent, 46. cis Jordanem, in valle, è regione Beth-phehoris; in terra Sichonis Regis Emoræorum, qui sedes habebar Chesbone, & quem Moses, Israëlitæque ceciderunt, postquàm Ægypto egressi essent. 47. Possederunt autem ejus terram, & terram Hogi Regis Basanitidis, duorum regum Emoræorum, qui erant cis Jordanem, ad ortum solis; 48. ab Harohere, quæ est ad ripam torrentis Arnonis, ad montem Sionem, qui & Chermon, 49. & universam planitiem cis Jordanem ad orientem, usque ad mare planitiei, sub Phisgæ radicibus.

V. Mo-

Betserum, nempe, in Rubenitico solo, campestribúsque locis; Ramothas in Gaditarum agris, ad montem Galahadum; & Golanem in Batanæa, Manassitis adtributa.

44 *ad* 49. Hoc autem factum est, postquàm terrarum tractum ab Arnone ad Antilibanum porrectum subegisset populus Hebræus, Rubenitæque, Gaditæ, & Manassitarum pars ejus possessionem adiissent.

P A-

& Ægyptiis edidit. Vide infrà Capp. VII, 19. XXIX, 3.

35. *Vobis hæc ostensa sunt*] *Tu factus est videre.*

36. *In terra*] *Supra terram.* Videtur hoc addi, ut opponatur hic locus, ubi præter ordinem splenduit lux inaccessa, quam habitare Deus solet, cœlo cœlorum, in quo, caligine nullâ admistâ, beatorum oculos pascit. Ac sanè Moses dicit *descendisse Deum in igne* Exod. XIX, 19.

Ignem suum magnum] Hoc est, quo veluti indutus esse solet. Vide notata ad Exod. XIX, 16, 18. XXXIV, 18. XXXIV, 18. & seqq. Sed is ignis caligine & nubibus admistus erat, & temperatus, ne purus homines solo adspectu exstingueret, aut minimùm occæcaret.

37. *Eo quod amaverat*] Abrahamum, Isaacum & Jacobum, sui cultores, eo amore prosequutus est, ut eorum posteros, quamvis alia omnia commeritos, populum suum se facturum promiserit.

37. *In conspectum suum*] In locum, in quo Tabernaculum haberet, unde veluti circa se populum suum solum videret.

Majores & potentiores] Si plures simul considerentur.

40. *Posterisque vestris*] *Filiis vestris post vos.*

In perpetuum] *Omnibus diebus.* Sic *Homerus* non rarò ἤματα πάντα, & Galli *toujours*, pro eo quod est, *in perpetuum.*

41. *Tres urbes*] Ex Lege quæ exstat Num. XXXV, 14.

42. *Cùm antea*] *Et ille non oderat eum ab hesterna die, & nudius tertius*; hoc est, antea. Vide ad Exod. IV, 10.

43. *Betserum*] Græci efferunt Βοσὸρ. Vide Jos. XX, 8. XXI, 36.

Ramothas] *Hieronymus* in locis Hebr. RAMOTH, *in tribu Gad, civitas Sacerdotalis & fugitivorum in terra Galahaditide, in quinto decimo milliario Philadelphiæ, contra Orientem*; nimirum, Jordanis, nam si fuissent ad orientem Philadelphiæ, fuissent in Hammonitide.

45. *Edicta*] עדות *testimonia.* Ita passim vocantur divina præcepta, sed Latinè numquam *testimonia* dicuntur præcepta.

46. *Postquàm Ægypto egressi essent*] בצאתם *betsetham*; quod, nisi circumstantiæ obstarent, verteretur *cùm egrederentur.* Hîc quoque rei, sæpiùs antea repetitæ & postea repetendæ, exemplum habemus. Scriptor Græcus postquàm semel aut iterum quis Sichon ille fuisset indicasset, non repeteret, sed Hebræi repetitiones nusquam refugiunt.

Sionem] שיאן de quo vide dicta ad Cap. III, vers. 8.

V. Moses Decalogum repetit, & interpretatur.

CAPUT V.

1. MOSES convocavit Israëlem, eique dixit, audite, Israëlitæ, instituta & jura quæ vobis audientibus hodie proloquar, eáque discite & recordamini ut ea observetis. 2. Jehova Deus noster nobiscum feriit fœdus, ad Chorebum. 3. Non cum majoribus nostris feriit hoc fœdus Jehova, sed nobiscum, qui etiamnum hodie hic omnes in vivis sumus. 4. Facie ad faciem conversâ loquutus est Jehova vobiscum in monte, è medio igne (5. Ego eo tempore inter Jehovam & vos stabam, ut vobis nunciarem verba Jehovæ; nam propter ignem timuistis, neque adscendistis in montem) dicens:

6. Ego sum Jehova Deus tuus, qui te ex Ægypto, *atque* ex argastulo eduxi. 7. NON erunt erunt tibi coram me alii Dii. 8. NON facies tibi sculptile simulacrum, *neque* imaginem ullam *eorum*, quæ sunt suprà in cœlis, aut infrà in terris, aut in aquis quæ terræ subjectæ sunt; 9. neque ea flexo corpore veneraberis, aut coles; quia ego Jehova, Deus tuus, Deus sum zelotypus, qui ad eos qui me oderunt quod adtinet, delictum patrum in filiis, in nepotibus, atque pronepotibus persequor: 10. ad eos verò qui mei amantes, præceptorúmque meorum observantes sunt, quod spectat, ad

PARAPHRASIS.

1. 2. ADHORTATUS est etiam Moses populum Hebræum, ad divinarum legum observationem, 3. eò quòd plerique, qui aderant, audivissent ipsi vocem Dei è Sinai monte potissima earum capita promulgantis, non divinitus latas à Majoribus accepissent; nec proinde rem in dubium revocare possent. 4. Scire omnes Deum ipsum primùm loquutum, 5. deinde, cùm timerent ut satis

COMMENTARIUS

In CAPUT V.

1. AUdite Israëlitæ] *Audi Israël*, sed postea sequitur pluralis numerus.

Vobis audientibus] *In auribus vestris.*

Recordamini ut observetis] *Servate ea, ut ea faciatis.* שמר *servare* aliquando idem est ac זכר *recordari*, ut alibi ostendimus, & liquet ex vers. 12. collato cum Exod. XX, 8.

3. *Non cum majoribus*] *Patribus*, hoc est, qui mortui essent ante natos Israëlitarum, qui tum vivebant, aut primores, aut plerosque. Quicumque quinquaginta octo annos adtigerant, ne de junioribus loquar, anno ab exitu quadragesimo, ii octodecim annos nati erant, cùm Deus è jugo Sanaïs montis Hebræos alloquutus erat; nec rem usque adeò insignem, & quâ summopere perculsi fuerant, quámque narrari sine dubio sæpiùs audierant, oblivioni mandarant. Erant etiam senes aliquot grandævi, qui rem maturâ ætate viderant, Moses, Elehazar, alii Levitæ, Josua, & Chalebus. Itaque Moses verè, quamvis ætas eorum qui viginti annos nati erant, anno post latam in Sinaï legem, interiisset, dicere potuit superstitibus, fœdus à Deo cum illis fuisse contractum.

4. *Facie ad faciem versâ*] Vide not. ad Exod. XXXIII, 11.

5. *Ego autem* &c.] Parenthesi hæc claudenda res ipsa ostendit; sed præterea observandum hoc referri ad tempus, quod Decalogi promulgationem sequutum est. Vide Exod. XX, 19.

6. *Ego sum*] Hæc interpretati sumus ad Exod. XX, 2.

8. *Neque imaginem ullam.*] פסל כל תמונה *phesel chol themounah*, sculptile omnem imaginem. In Samaritico וכל *& omnem*, ut & in Massorethico Exod. XX, 4. Sic & LXX. Intt. εἴδωλον οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα. Res ipsa ostendit copulam postulari, ideóque eam supplevimus. Ceterum תמונה אשר בשמים *themounah ascher basschamajim*, est elliptica loquutio, pro *imagine rerum quæ sunt in cœlo.*

12. *Memento*] שמור *serva*, nempe, in animo tuo, hoc est, recordare. Vide not. ad vers. 2, 32. Exod. XX. est זכור *memento.*

Quemadmodum jussit te Jehova Deus tuus] Hæc non sunt à Deo pronunciata, ut liquet cùm ex Exod. XX. tum ex re ipsa.

14. *Aut bos, aut asinus*] Hæc quoque à Mose addi videntur.

Ut quiescat servus tuus & ancilla sicut tu] In his verbis & versu sequente, omissâ celebratione Creationis, quæ memoratur Exod. C. XX. finem Sabbathi quietem servorum esse ait Moses; quia, nimirum, potissimus hîc fuit Sabathi finis. Potuit memoria Creationis servari, atque ad posteros transmitti, quamvis septimi diei feriæ neglectæ fuissent; sed sine ejusmodi feriis, miserorum servitiorum saluti consuli non potuit. Continuis laboribus pressa, pro arbitrio imperiosi & sævi heri, quales longè plurimi semper fuerunt, præ nimia defatigatione interiissent, aut in lethales morbos incidissent, qua de re diximus ad Exod. XX.

11. *Memineris te servum fuisse*] Ut benigniùs servos habeas, & libenter patiaris eos septimo quoque die quiescere; memor esto Ægyptiacæ sæ-

ad millesimæ ætatis posteros misericordiam exerceo. 11. NON proferes nomen Jeho-
væ Dei tui, ad vana *confirmanda*; neque enim Jehova, qui nomen suum protulerit
ad vana *confirmanda*, eum innocentem habebit. 12. MEMENTO diei Sabbathi,
ut eum sacrum habeas, quemadmodum jussit te Jehova Deus tuus. 13. Sex *quidem*
diebus labori incumbes, & omne opus tuum facies; 14. die verò septimo, quies
erit Jehovæ Deo tuo *sacra; eo* nullum opus facietis aut tu, aut filius, aut servus,
aut serva, aut bos, aut asinus, aut ullum tuum jumentum, aut peregrinus qui in-
tra tua mœnia erit; ut quiescant servus tuus & ancilla, sicut tu. 15. Memineris
autem te in Ægypto servum fuisse, Jehovámque Deum tuum te illinc, manu præ-
validâ, exsertóque brachio eduxisse. Propterea jussit te Jehova Deus tuus diem
Sabbathi observare. 16. HONORA patrem & matrem, quemadmodum jussit te Je-
hova Deus tuus, ut producant dies tuos, útque tibi benè sit in terra, quâ te do-
navit Jehova Deus tuus. 17. NON occides. 18. NON mœchaberis. 19. NON fu-
raberis. 20. NON dices in proximum tuum testimonium falsum. 21. NON con-
cupisces uxorem proximi tui, neque expetes ejus domum, agrum, servum, ancil-
lam, bovem, asinum, aut quidquam eorum quæ sunt proximo tuo.
22. Hæc verba proloquutus est Jehova, apud universum cœtum vestrum, in mon-
te, è medio igne, nube & caligine, voce magnâ; neque perrexit, sed ea duabus
lapideis tabulis inscripsit, eásque mihi dedit. 23. Cùm autem audissetis vocem è
me-

tis reverenter Dei vocem exciperent, ipso internuncio ad reliqua significanda usum.

* *ad* 21. Tum Moses clarâ voce Decalogum totidem pænè verbis repetiit, nec quidquam adjecit nisi quod omissâ Creationis celebratione, paullò clariùs dixit feriis septimo quoque die redeuntibus miseris servitiis esse consultum, neque ab heris eam iis quietem invideri oportere, quandoquidem quàm durum esset indefinenter servilibus laboribus incumbere, ipsi in Ægypto experti essent.

22. Postea Moses: Deus, inquit, ut meministis, ex igne, cui nubes & caligo mistæ erant, hæc verba, omnibus audientibus, proloquutus est, tabulisque lapideis duabus, quas mihi dedit ad vos se-

sævitiæ, quâ tibi nulla quies concedebatur, sed quotidianum à te pensum crudeliter exigebatur. Vide Exod. V, 6 & seqq. Sic, ut peregrinos bene haberent Hebræi, jubet non semel Moses eos meminisse se fuisse peregrinos in Ægypto. Vide Exod. XXII, vers. 21.

Propterea jussit te Jehova] Quamvis quies septimi cujusque diei ostenderet Hebræos esse liberos, adeóque iis in memoriam revocaret Ægyptiacæ servitutis liberationem; attamen hoc spectari hîc non crediderim, sed potiùs hæc verba referenda esse ad versum 14. Nec sanè credibile est Mosem Decalogi, à Deo ipso pronunciati, præcepto additurum fuisse finem, cujus Deus non meminisset. Quædam, interpretationis causâ, addit, sed nihil novi profert. Præterea Paschale festum fuit ideò institutum, ut celebraretur memoria liberationis Ægyptiacæ; quam ob rem eodem die agitabatur, quo Hebræi ex Ægypto egressi erant. At festum septimo quoque die rediens nihil habuit quod ad Ægyptiacæ liberationis memoriam, ex instituto Legislatoris, pertineret.

16. *Honora patrem* &c.] Hoc in loco, fugitivam observationem, quæ exciderat cùm scriberemus ad Exod. XX. retrahemus, quippe dignam quæ hîc legatur. Leges Hebræas & Atticas, variis in capitibus, similes esse, ubi commodum fuit, ostendimus. Hoc in negotio, verbis etiam consentiunt, fuit enim vetustissima lex Triptolemi, in Eleusiniæ Cereris Templo, γονεῖς ΤΙΜΑΝ, ut docet *Porphyrius* de Abstin. Libro IV. §. 22. ex *Hermippo*: Φασὶ δὲ Τριπτόλεμον Ἀθηναίοις νομοθετῆσαι, καὶ τῶν νόμων αὐτοῦ τρεῖς ἔτι Ξενοκράτης ὁ φιλόσοφος λέγει διαμένειν Ἐλευσῖνι, τούσδε· γονεῖς ΤΙΜΑΝ, θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν, ζῷα μὴ σίνεσθαι. Quæ vertit *Hieronymus* Lib. II. contra Jovinianum: *Xenocrates Philosophus de Triptolemi legibus, apud Athenienses, tria tantùm præcepta in templo Eleusine residere scribit*, HONORANDOS *parentes, venerandos Deos* (fructuum oblatione) *carnibus non vescendum*. Hinc postea & à Solone lex lata est, ἐάν τις γονέας μὴ θεραπεύῃ, τούτῳ δίκην τε ἐπιτιθέναι, καὶ μὴ ἐᾶν ἄρχειν τοῦτον: *Si quis parentes non honorarit, huic dicam scribi, neque eum sinere magistratum gerere*. Vide *Sam. Petitum* ad Leg. Atticas Lib. I. Tit. 4. Alia in re, huc faciente, similitudinem legum Hebræarum & Atticarum videbimus ad Cap. XXI.

Quemadmodum jussit te Jehova Deus tuus] Hæc non leguntur Exod. XX. ut nec aliquot ex sequentibus verbis.

20. *Testimonium falsum*] Hîc est שוא, Exodi verò C. XX. שקר, sed idem sunt, ut observavimus ad præceptum quintum.

21. *Uxorem*] *Domus* præmittitur Exod. Cap. XX. & hîc præterea additur *ager*. Secundo loco est in Exodo iterum תחמד *thabhamod*, hîc verò תתאוה *tisthavveh*. Utroque verbo idem significatur, nimirum, fraudulenta rei alienæ interversio. Ex hisce varietatibus liquet Mosem memoriter, non ex tabula, recitasse hæc præcepta; & præterea, quando oratio directa refertur, non est tamen semper existimandum ipsa loquentis verba recitari. Perperam Samaritæ hoc præceptum, ut exstat Exod. XX. descripserunt, ad prima verba quod adtinet. Iidem ex Cap. XXVII, adducunt hic longam ῥῆσιν, nonnullis mutatis.

23. *Per omnia capita* &c.] Exod. XX, 19.
po-

media caligine, dum mons igne arderet, me convenistis *per* omnia capita tribuum vestrarum, & senes vestros, [24] & dixistis: en Jehova Deus noster suam gloriam ac magnitudinem nobis ostendit, vocémque ejus è medio igne hodie audivimus; vidimus Deum loqui cum homine, & *hunc tamen* vivere. [25] Nunc verò quare moreremur? nos enim absumet ignis ille magnus, si pergamus ampliùs audire vocem Jehovæ Dei nostri, & moriemur. [26] Nam quænam est caro, quæ, quemadmodum nos, è medio igne loquentem audierit vocem Dei vivi, & vixerit? [27] Accede tu, audi quæcumque dicturus est Jehova Deus noster, & quæcumque tibi dixerit, ea apud nos proloqueris, audiemúsque & faciemus. [28] Audivit autem verborum vestrorum sonitum Jehova, cùm me alloqueremini, & dixit mihi: audivi sonitum verborum populi hujus, quæ apud te proloquuti sunt; bonum est quidquid dixerunt. [29] Utinam is esset eorum animus, ut me timerent, útque omnia præcepta mea semper observarent, ut ipsis, eorúmque liberis in perpetuum bene esset! [30] Ito, iisque dicito, revertimini in tentoria vestra; [31] tu verò sta hic apud me, & tibi edisseram omnia præcepta, instituta, & jura, quæ eos docebis, ut *ea* observent in terra quam iis possidendam dabo.

[32] Hæc ergo recordemini, ut *ea* faciatis, quemadmodum vos jussit Jehova Deus vester; nec ad dextram, aut ad sinistram, deflectatis. [33] Per omnem viam, quam præcepit vobis Jehova Deus vester, incedatis, ut vivatis, vobis bene sit, & dies *vestros*, in terra quam possidebitis, producatis.

VI. Ad-

ferendas, inscripsit. [23] Eo autem tempore, cùm Deus loqui desiisset, me convenerunt populi primores, [24] dixeruntque, satis esse Deum à se semel auditum esse loquentem, conspectámque ejus gloriam, & se incolumes evasisse; [25] timendum enim esse ne in tanto populo irreverentius quidpiam committeretur, quo ira Dei moveretur, adeóque ne ingens ille ignis, quem conspexerant, irato Deo, populum Hebræum absumeret. [26] Nullum narrari hominem, qui audisset vocem Dei, incolumem evasisse. [27] Itaque me solum, cui Deus singulari ratione favebat, & quem suæ voluntatis interpretem dudum elegerat, accedere ad Deum posthac oportere; séque, me internuncio, Leges divinas accepturos, quas postmodum summo studio essent observaturi. [28] Non improbavit Deus quæ ab iis dicebantur, ut mihi ipse significavit, [29] adjecitque optare se eos sui reverentes, Legúmque à se acceptarum, propter ipsorum utilitatem, semper observantes esse. [30] Tum me jussit eos ad tentoria dimittere, [31] me verò ad se redire, ut reliquas Leges, in terra Chananæa observandas, acciperem, iisque renunciarem.
[32] [33] Itaque leges, à me sancitas, studiosè observate, neque umquam ulla in re ab iis recedite; ut in terra, quam mox possidebitis, longam & copiis omnibus adfluentem vitam agatis.

P A-

populus, non *capita tribuum*, aut *senes*, Mosem alloquutus dicitur. Verùm alloquutus est, non per se, sed per principes, quod plerumque intelligendum cùm *populus Mosem alloquutus* scribitur; neque enim tota concio populi Hebræi loquebatur, sed pauci ejus nomine.

24. *Vidimus*] Hoc est, animadvertimus, ut Exod. XX, 18.

Hunc tamen vivere] Vide not. ad Gen. XVI, 13.

26. *Quænam est caro*] *Quæ est omnis caro*, hoc est, an est ulla caro? *Caro* autem dicitur *homo*, ut opponatur *Deo*, seu infirmissima creatura omnipotenti Numini. Vide Esa. XXXI, 3.

28. *Verborum vestrorum sonitum*] קול דבריכם *vocem verborum vestrorum*, hoc est, verba.

Bonum est quidquid dixerunt] *Bene fecerunt omnia quæ sunt loquuti.*

29. *Utinam*] מי יתן *quis dabit*. Hæc quidem dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, atque humanum sermonem imitatur Deus; attamen ejusmodi loquutioni necessariò oportet subesse aliquem sensum; nempe, Deum optare ut Hebræi legum suarum sint observantes; quod non potest fieri, si verum sit quod nonnulli volunt, neminem, sine ineluctabili quadam efficacia divini auxilii, quod perpaucis largitur, posse Deo obsequi. Si enim soleret Deus ita agere cum hominibus; aut auxilium omnibus largiretur, quale necessarium est; aut non significaret se optare id ab iis fieri, quod sine eo auxilio fieri non posse novit. Vide Psalm. LXXXI, 14.

30. *Revertimini*] *Redite vobis.*

32. *Recordabimini*] *Servabitis.* Vide ad verss. 1 & 22.

C O M-

VI. Adhortationes, quibus Israëlitæ jubentur solum Deum Israëlis, ex ejus præscripto, colere, & acceptam Religionem posteros suos studiosè docere.

1. HÆc sunt præcepta, instituta & jura, quæ *mihi* in mandatis dedit Jehova; ut vos ea docerem observanda in terra, in quam possidendam transibitis; 2. ut Jehovam Deum vestrum revereamini, adeò ut observetis omnia ejus instituta & præcepta, quæ nunc edo vobis, tu, filiúsque tuus, & nepos, per omnes vitæ tuæ dies, útque dies tuos producant. 3. *Hæc* audies, ô Israël, recordaberísque ut facias, quò tibi bene sit, útque summopere augearis, in terra lacte & melle fluente, quemadmodum tibi promisit majorum tuorum Deus Jehova. **Caput VI.**

4. Audi Israël, Jehova *est* Deus noster, Jehova unus. 5. Amabis verò Jehovam Deum tuum, tota mente tuâ, toto animo, & quàm maximè potes. 6. Hæc quæ tibi hodie præcipio, tibi cordi erunt. 7. Ea iterabis liberis tuis, déque iis loqueris, cùm sedebis domi, cùm iter facies, cùm cubabis, cùm surges. 8. Ligabis ea quasi signum ad manum tuam, erúntque quasi frontalia inter oculos tuos; 9. ea postibus domûs tuæ, januísque tuis inscribes.

10. Cùm intromiserit te Jehova Deus tuus in terram, quam juravit majoribus tuis,

PARAPHRASIS.

1. MOses solita præfatione usus, nimirum, leges à Deo acceptas se Israelitis tulisse, 2. hortatus est Hebræos ad eas mores suos componerent, liberósque & nepotes suos similia docerent, si vellent longam sibi à Deo vitam concedi, 3. secundis rebus uti, atque augeri in fertilissima terra, cujus agris à Deo erant donati, ptout olim eorum Majoribus pollicitus erat.

4. Tum in hanc sententiam perrexit: memores semper estote, ô Hebræi, nobis nullum alium esse Deum, præter unum Jehovam; 5. cui ita parere vos oportet, ut adpareat nihil vobis antiquius esse legum ejus constanti observatione, neque ullâ re ab ea revocari, aut deterreri vos posse. 6. Hæc altè in animum vestrum descendant; 7. hæc liberos vestros studiosè doceatis; de hisce, quacumque occasione datâ, quotidie colloquamini; 8. neque magis ex memoria vestra elabantur quàm ea quæ, ne subeat oblivio, adligatis manui, aut ad frontem ex cidari suspenditis. 9. Hæc postibus ædium vestrarum, januisque, uncialibus litteris, inscribite.

10. Brevi omnes ingrediemini in agros Majoribus vestris dudum promissos, in quibus invadetis,

COMMENTARIUS

In Caput VI.

2. PRoducant] יאריכון ימיך *jaarichoun jamecha.* Quamvis antecesserint מצות חקות & pluralia fœminina, enallagen potiùs generis esse putamus; quàm verbum hoc in Hiphil passivè sumi, contra Linguæ Hebraïcæ analogiam. Scio aliis aliter videri, sed si adtentè legantur loca in quibus occurrit, nominativum & accusativum latere, aut exprimi comperient Lectores. Sic infrà Cap. XXV, 15. mensuræ justæ dicuntur *producere dies* eorum qui iis utuntur. Hoc in loco, leges divinæ observatæ idem efficientes describuntur. Sed insigne, & extra omnem controversiam positum habemus exemplum Proverb. III, 1, 2. ubi similis enallage generis occurrit: *fili mi, ne obliviscaris Legis meæ, & præcepta mea* (מצותי) *servet animus tuus, nam longitudinem dierum* (ארך ימים) *& annos vitæ, & pacem addent* (יוסיפו) *sibi.* Perinde autem est, ac si diceret Salomo, Deum propter observatam Legem suam, vitam Hebræis producturum, ut docet passim Moses. Vide infra Cap. VIII, 1. XXX, 16.

3. *Recordaberisque ut facias*] שמרת לעשות *servabis ad faciendum.* Vide ad vers. 12. Cap. superioris.

In terra] ארץ. Subintelligendum ב aut על.

Tibi promisit] *Tibi dixit.* Vide not. ad Num. X, 29.

4. *Audi*] שמע *ubi* ע est major ceteris litteris, quod fortè festinantis librarii vitio factum; volunt tamen esse signandum maximum hujus præcepti momentum, augendámque adtentionem lectoris. Idem dixeris de majusculo ד vocis אחד *ehhad.*

Jehova est Deus noster, Jehova unus] יהוה אלהינו יהוה אחד hoc est, *nullum habemus Deum, præter unum Jehovam*; nec alium sensum accipiunt voces Hebrææ, si adtentè legantur. Si voluisset dicere Moses esse unicum Deum, dixisset יהוה אלהינו אחד הוא אלהים *Jehova, Deus noster, solus est Deus.* Vox יהוה non potest esse *prædicatum* propositionis; cùm propriè non significet *Deum*, quamvis sit nomen Dei. Nemo dixerit יש י״י אחד *est unus Jehova*, ἀντὶ τοῦ יש אלהים אחד *est Deus unus.* Attamen recentiores plerique Interpretes rem aliter intellexerunt, cùm verbum *est* suppleverint ante יהוה, *Jehova, Deus noster, est Jehova unus*; aut, ut tollatur Linguæ Latinæ ambiguitas, Gallicè: *l'Eternel nôtre Dieu est le seul Eternel*,

 cùm

tuis, Abrahamo, Isaaco & Jacobo, se tibi daturum, *cum* urbibus magnis & opulentis, quas non condideris; 11. ædibus plenis omnibus copiis, quas non impleveris; cisternis excisis, quas non cavaveris; vinetisque & olivetis, quæ non plantaveris; *postquàm* comederis & satiatus fueris, 12. cave tibi ne obliviscaris Jehovæ, qui te ex Ægypto, *atque* ergastulo eduxit. 13. Jehovam Deum tuum revereberis, eum coles, & per nomen ejus jurabis. 14. Alios Deos, e Diis populorum qui sunt circa vos, non sequemini; 15. est enim Jehova in medio tui, Deus zelotypus; ne in te accendatur ejus ira, téque è terra exterminet.

16. Non tentabitis Jehovam Deum vestrum, quemadmodum tentavistis in Massa; 17. *sed* ejus præcepta observabitis, edictáque & instituta quæ vos jussit *observare*.

18. Facies quod rectum est & Jehovæ placet, ut tibi bene sit, adeásque possessionem bonæ terræ, quam *se tibi daturum* majoribus tuis Jehova juravit; 19. *&* expellas è con-

tis, quasi vacuas, magnas & opulentas urbes, ab aliis conditas. 11. Ædes invenietis omnibus rebus ab aliis instructas, cisternas in rupe ab aliis excavatas, vineta & oliveta ab aliis plantata. Illic satiabimini, sine labore vestro, lætissimi soli fructibus; 12. at cavete ne satietas pariat impietatem, oblivionémque adeò Dei, qui vos ex Ægypto eduxit. 13. Eum solum colite, cultorésque ejus vos profitemini; 14. & vicinorum populorum Religiones fugite; 15. Deus enim vester in ea quæ à vobis fient oculos intentos habebit, neque umquam patietur alia Numina secum impunè à vobis coli, sed vos ex Chananæa deturbabit.

16. Cavete ne umquam de ejus potentia, & voluntate, erga eos qui Leges ejus observant, dubitetis, quemadmodum ad aquas Massæ & Meribæ fecistis. 17. De nulla alia re, præter observatio-

cùm vertendum fuerit: *l'Eternel est nôtre Dieu, l'Eternel seul.* Angli etiam: *the* LORD *our God is one* LORD, cùm debuissent: *the* LORD *is our God, the* LORD *alone.*

5. *Totâ mente tuâ* &c.] *Toto corde tuo.* Vide not. ad Cap. IV, 29.

Quàm maximè potes] בכל מאדך *omni valdè tuo*, ἐξ ὅλης τῆς δυνάμεώς σου, ut habent LXX. Intt. non ex *omni fortitudine tua*, ut barbarè Vulg. Hîc repetitio *totâ mente*, *toto animo*, *& quàm maximè potes*, emphasin habet maximam, significátque summam amoris vehementiam. Sic & ardentissimum amorem, sed alîus generis, exprimere cùm vellet *Catullus* in *Argonauticis*, non adquievit in una phrasi, quâ id describeret, sed simili ἰσοδυναμούντων adcumulatione usus est:

— TOTO *te* PECTORE, *Thesen*,
TOTO ANIMO, TOTA *pendebat perdita* MENTE.

Non absimiliter vehementem adfectum descripsit *Plautus* Captiv. Act. II. S. 3. vers. 27.

Id petam, id persequárque CORDE ET ANIMO ATQUE VIRIBUS.

Sic & *Cicero* Philip. X. c. 11. OMNIS VOLUNTAS *M. Bruti*, OMNIS COGITATIO, TOTA MENS *auctoritatem Senatûs, libertatem P. R. intuetur.*

Amor autem, de quo hîc Moses, situs est in ea adfectione animi, quâ ita Deo obsequentes sumus, ut nullâ re ad negligendas aut perfringendas ejus leges scientes & prudentes adduci nos patiamur. Atque ia est demum verus amor Dei, qui se constanti obsequio prodit, ut ipse docet Moses infrà Cap. X, 12. XI, 1. Vide Intt. & potissimum *Hug. Grotium* ad Matth. XXII, 37.

6. *Tibi cordi erunt*] Sic expressimus phrasin Hebraicam *supra cor* aut *ad cor*, על לבב. Vide not. ad Exod. XIII, 9. Quæ nobis cordi sunt de iis non possumus non loqui, quovis tempore; *ex abundantia enim cordis os loquitur*, ut docet Christus Matth. XII, 34. Ideóque Moses, in sequentibus, sermones de Lege perpetuò haberi vult.

7. *Ea iterabis* &c.] Sic facilè præcepta animum subeunt, cùm quovis tempore in memoriam revocantur; sic ea in numerato habemus, ubi sunt variis vitæ occasionibus aptanda. Alioquin aut animo prorsus elabuntur, aut leviter nota in praxin, ubi opus est, non revocantur. Alia omnia multò magis curantur, atque in se ita animum nostrum convertunt, ut à pietate fiat alienus. In Ethicam digressionem facilè delaberemur, nisi ab instituto nostro id foret alienum. Satis est obiter indicasse Mosaici hujus instituti summam utilitatem.

8. *Ligabis* &c.] Vide not. ad Exod. Cap. XIII, 9.

10. *Cum urbibus*] Supplendum videtur את aut עם; nam si *in urbes* vertas, sequentibus non satis convenit.

Opulentis] טובות *bonis.* Sic Galli dicunt *une bonne ville*, Græci μεγάλη καὶ εὐδαίμων, Latini *magna & opulenta*, quæ quamquam varia eodem recidunt.

11. *Copiis*] טוב *bono.* Sic Galli, *de toutes sortes de biens*, hoc est, copiis.

Cisternis excisis] In rupibus, nempe, ut aqua pluvia exciperetur, quales etiamnum hodie variæ per Palæstinam cernuntur.

Postquàm comederis] *Et comedes, & satiaberis.* Proverbium fuit verissimum, apud Græcos, Τίκτει κόρος μὲν ὕβριν, ἀπαιδευσία δὲ μετ' ἐξουσίας ἄνοιαν: *satietas parit ferocitatem, imperitia autem cum potestate conjuncta insaniam.* Habet *Aristoteles*, in libello de virtutibus. *Theognis*:

Τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται
Ἀνθρώπῳ, καὶ ὅτῳ μὴ νόος ἄρτιος ᾖ.

Pa-

conſpectu tuo omnes tuos hoſtes, quemadmodum promiſit Jehova. 20. Cùm poſtea quæret filius tuus, dicétque: quæ ſunt edicta, inſtituta, & jura, quæ vos *obſervare* juſſit Jehova Deus noſter? 21. tum dices filio tuo: Pharahoni in Ægypto ſerviebamus, nóſque Jehova ex Ægypto manu prævalidâ eduxit. 22. Edidit Jehova ſigna ac portenta magna & noxia, in Ægypto, contra Pharahonem totámque ejus domum, nobis ſpectantibus; 23. nóſque illinc eduxit, ut nos *huc* intromitteret, & terrâ, de quâ juraverat majoribus noſtris, donaret. 24. Juſſit autem nos Jehova omnia hæc inſtituta obſervare, ut Jehovam Deum noſtrum timeremus, nobiſque in perpetuum bene eſſet *&* incolumes nos ſervaret, quemadmodum hodie *ſervat*. 25. Juſti autem habebimur, ſi adtendamus ut faciamus hæc omnia præcepta, coram Deo noſtro, quemadmodum nos juſſit.

VII. Mo-

tionem ejus Legum, anxii eſtote, cetera omnia potentiæ ejus & bonitati permittite.

18. Uni Deo placere omni ſtudio enitamini, ut vobis benefacere pergat, viam in promiſſos agros aperiat, & 19. Chananæos ex iis exterminet. 20. Liberationis ab Ægyptiaca ſervitute memoriam, Paſchalis feſti ritibus, quotannis celebrate; ſciſcitantibuſque liberis, quid ſibi velint, 21. narrate ſervitutis ærumnas, quas in Ægypto patiebamini; 22. tum prodigia quæ illic edidit Deus, in veſtri gratiam, atque in perniciem Ægyptiorum; 23. denique quomodo illinc educti ſitis, atque in fœcundos Chananææ agros intromiſſi. 24. Addite vos juſſos eſſe à Deo Paſchale feſtum celebrare, ut de ejus potentia & bonitate cogitantes eum revereamini, amorémque ejus, ut vos incolumes pergat ſervare & tot beneficiis donare, vobis conciliētis; 25. ac tum demum juſtos ac pios vos haberi poſſe, cùm omnia Dei præcepta diligenter obſervaveritis.

P A-

Parit ſatietas ferocitatem, cùm divitias adſequitur vir malus, & cui mens non eſt integra. Idem:

Πολλούς τοι κόρος ἄνδρας ἀπώλεσεν ἀφραίνοντας,
Γνῶναι γὰρ χαλεπὸν μέτρον ὅτ' ἐσθλὰ παρῇ.

Multos ſatietas viros perdidit inſipientes, noſſe enim modum, quando bona adſunt, difficile eſt.

13. *Per nomen ejus jurabis*] Non malè quidem interpretantur: quando jurabis, per Dei Iſraelis nomen jurato; nam alienos Deos teſtes advocare non licebat, hac enim invocatione eorum θειότητα agnoviſſent Hebræi. Attamen non tam hoc reſpici putem, quàm illinc translatâ loquutione, ſignificari, ſolam à Deo inſtitutam Religionem præ ſe ferendam omnibus eſſe. Ita certè intelligenda ea phraſis Eſai. XIX, 18. *Die illo erunt quinque urbes in Ægypto loquentes linguâ Chanahanis, & jurantes Jehovæ Deo exercituum.* Apud eumdem Prophetam Cap. XLV, 23. *Mihi flectetur omne genu, omnis lingua jurabit.* Quod interpretatur Paulus Rom. XIV, 11. *omnis lingua confitebitur Deo.* Sic & Pſalm. LXIII, 12. *per eum jurans* dicitur quivis ejus cultui addictus. Eodem modo loquebantur etiam aliquando Ethnici. *Lucanus* Lib. VII, v. 457.

Bella pares ſuperis facient civilia divos.
Fulminibus manes, radiiſque ornabit, & aſtris,
Inque Deûm templis, jurabis Roma per umbras.

Adraſtus Archemori manes ſic alloquitur, apud *Statium* Thebaid. Lib. VII.

— Inachias nec tantùm culta per urbes
Numina, captivis etiam jurabere Thebis.

Sic cùm *Demoſthenes*, in Oratione de Corona, juraſſet per eos qui pugnarant pro patria ad Marathonem, Salaminem & Platæas, judicatus eſt à *Plutarcho* & *Longino*, eos ἀποθεῶσαι *in Deorum numerum retuliſſe.* Vide *Plutarch.* in Lib. de gloria Athenienſium extremo & *Longinum* de Sublimit. Sect. XVI. hujúſque Jutt.

15. *Ejus ira*] *Ira Jehovæ Dei tui.*

16. *Tentaviſtis in Maſſa*] Vide. Num. XX, v. 13.

18. *Jehovæ placet*] *Bonum in oculis Jehovæ.*

19. *Promiſit*] *Dixit.*

20. *Cùm poſtea*] מחר mahhar, *cras*, quod omne futurum tempus ſonat. Vide Gen. XXX, 33. Videntur autem hîc ſpectari ritus Paſchales. Vide Exod. XIII, 14.

22. *Nobis ſpectantibus*] *Ad oculos noſtros.*

24. *In perpetuum*] *Omnibus diebus.*

Incolumes ſervaret] לחיתנו *lhhajjothenou*, ut nos vivere faceret.

25. *Juſti habebimur*] *Et juſtitia erit nobis.*

Adtendamus ut faciamus] נשמר לעשות *caveamus ut faciamus.*

Hæc omnia præcepta] *Omne hoc præceptum.*

COM-

VII. Moses Israëlitas jubet Chananæos, quorum agros occupaturi erant, ad internecionem delere; electos ait, præ ceteris populis, liberrimo Dei arbitrio; cui si pareant, omnia feliciter cessura pollicetur.

CAPUT VII.

1. CUM te intromiserit Jehova Deus tuus in terram, in quam possidendam ingredieris, atque è conspectu tuo pellet numerosas gentes, Chitthæos, Girgasæos, Emoræos, Chananæos, Pherizæos, Chivvæos & Jebusæos, septem gentes ampliores & potentiores, quàm tu es; 2. cùm eas Jehova tibi exponet, túque eas cædes, internecioni devotas delebis, nullum cum iis fœdus percuties, neque earum

PARAPHRASIS.

1. CUM Jordanem trajeceritis, & victoriam, Deo juvante, retuleritis de septem hisce Gentibus, à quibus maxima Chananææ pars incolitur, Chitthæis, Girgasæis, Emoræis, Chananæis, Pherizæis, Chivæis, & Jebusæis; 2. tum verò eas ad internecionem integras, sine cujusquam ætatis aut sexûs respectu, delete, ut mihi dudùm meritas conscleratorum morum pœnas dent. Ne ergo fœdus ullum cum iis facite, 3. aut connubia miscete. 4. Ab inveterata idololatria nullâ ratione revocari possent, vósque ad eam pellicerent: atque adeò gravissimis à Deo pœnis subjicerent. 5. Ne Idololatriæ quidem ulla in agris occupatis vestigia relinquite, altaria omnia evertite,

COMMENTARIUS

In CAPUT VII.

1. IN *quam possidendum ingredieris*] *Quò tu is ad possidendum eam*, aut *quò tu ingrederis.*

Chitthæos &c.] Vide not. ad Gen. XV, 19,20.

2. *Tibi exponet*] *Ponet ante te.* Vide not. ad Gen. XIII, 9. & Sup. I, 8.

Internecioni devotas delebis] החרם תחרים אתם. Gen. XV, vers. 19, 20. ubi Deus Abrahamo agros harum Gentium pollicetur, decem nomina proferuntur; verùm illic nulla mentio *Chivvæorum*, & præter sex alia hìc memorata, leguntur *Kenæi*, *Kenizæi*, *Kadmonæi*, & *Rephæi*. Sed videntur hæ esse minores familiæ, quæ septem memoratis hoc in loco continentur, & quæ ex tractibus, in quibus degebant, nomina duxerant diversa. Constat sanè decem Chananæorum familias, non in decem dumtaxat diversis tractibus habitasse, sed fuisse mistas, ut ostendimus ad Gen. X, & XV. ubi nomina illa primùm nobis occurrerunt. *Chivæi*, qui Antilibanum habitabant, ut docemur Jud. III, 3. videntur hìc *Rephæi* dici. Rephæi certè loca vicina occupasse dicuntur à Mose Deut. II, 20. *Kadmonæi* videntur ad Kedemotharum solitudinem inter Emoræos sedes habuisse, ut diximus ad Gen. XV, 19. *Kenizæi* verò & *Kenæi*, in partibus meridianis Chananææ. Vide not. ad eumdem Geneseωs locum, & Num. XXIV, 21. Fallebatur *Sam. Bochartus*, qui existimabat *Kenæorum*, & *Kenizæorum* nomen deletum eo temporis intervallo, quod inter Abrahami & Mosis ævum intercessit. Nam quamvis *Kenizæorum* nulla certa mentio occurrat, at *Kenæorum* meminit *Balabamus*, & quidem quasi multò diutiùs sedes suas habiturorum. Vide Num. XXIV, 21. Hinc & Kenæi dicti videntur ipsi Hebræi & posteri Jethronis, qui eadem aut vicina loca colebant, in Historia Judicum, & Samuelis. Vide Jud. I, 16. IV. 1. Sam. XV, 6.

Verùm quæcumque horum nominum ratio fuerit, constat has septem familias, quæ hìc recensentur, internecioni à Deo damnatas; quòd tandem earum scelera *ad summum pervenissent*, ut ipse docet Gen. XV, 16. Decretum divinum exsequuti sunt Hebræi, de cujus caussis diximus partim ad Num. XXXI, 6, 17. ubi simile divinæ justitiæ exemplum. Ita tamen intelligendum ab Hebræis populos illos internecione delendos, ut hoc referatur ad eos de quibus victoriam illis concessit Deus, Josuæ tempore, aut postea, donec sedes certas & sat amplas haberent Israëlitæ. Neque enim si qui evaserant in vicina regna, liberósque susceperant, postea fortè in Hebræorum manus incidentes, unà cum posteris, quicumque capi possent, debuerunt capite pœnas luere. Nec dubium quin multi evaserint in vicinos agros, qui eadem pace, quam Hebræi cum vicinis coluerunt, fruiti sunt, ut populi nequaquam internecioni devoti. Hoc manifestò liquet ex 1. Reg. IX, 20, 21. ubi ita Historicus Sacer: *populum omnem reliquum ex Emoræis, Chitthæis, Pherizæis, Chivæis & Jebusæis, seu qui non erant ex Israëlitis, sed reliqui posteri eorum, quos Israëlitæ non potuerant ad internecionem delere, vectigales fecit Salomo.*

Præter hanc severissimæ Legis aliquo modo emolliendæ rationem, vult *Hug. Grotius* de J. B. & P. Lib. II. C. 13. §. IV, 2. post Rabbinos, eam ita intelligendam, ut excipiantur qui se dedituri erant Hebræis; adeò ut Lex locum non haberet, si qui moniti statim facerent imperata. Hoc existimat colligi posse ex caussa, quæ additur Legi vers. 4. & alibi, ne, nempe, ad Idololatriam pellicerentur Hebræi. Cessabat autem ea caussa in iis, qui imperata illico faciebant, quorum hæc erant potissima, ut Idololatriam ejurarent, & tributa penderent. Adfert exemplum Rahabæ, & eorum quos Salomo vectigales

rum te miserebit. 3. Cum iis connubia non miscebis, filias tuas non collocabis
eorum filiis, neque filiis tuis eorum sumes filias. 4. Filios enim tuos à me aver-
terent, alienósque *hi* Deos colerent; ira autem Jehovæ in vos accenderetur, &
brevi vos perderet. 5. Verùm ita vos in eos geretis, altaria eorum diruetis, sta-
tuas confringetis, lucos cædetis, sculptásque imagines igne cumburetis. 6. Estis
enim populus Jehovæ Deo vestro sacer, vos elegit Jehova Deus vester ex omni-
bus populis, qui in terris sunt, ut peculiaris ipsi populus sitis.
7. Non quia numerosiores eratis omnibus populis, Jehova vobis se adplicuit,
& vos elegit; nam pauciores eratis omnibus populis. 8. Quia vos amabat Jehova,
& jusjurandum, quod juraverat majoribus vestris, servare volebat, *ideò* vos manu
prævalidâ eduxit, & liberavit ex ergastulo, éque manu Pharahonis, Regis Ægyp-
ti. 9. Scito ergo Jehovam, Deum tuum, esse Deum illum *verum*, Deum fidelem,
fœ-

te, statuas omnium Numinum demolimini, frangite, urite, lucósque omnes, quamvis amœnos, cædite. 6. Estis enim populus uni omnium rerum Creatori Deo sacer, atque ab eo ut se solum colatis electus, & à ceteris populis segregatus.

7. Ne autem propterea gloriemini, quasi, aliis Gentibus posthabitis, vos elegerit Deus, quòd ab ingenti populo coli vellet; scitote eam in rem fuisse electam Hebræorum Gentem, cùm in uno Abrahamo, ac pauculis postea capitibus tota contineretur. 8. Liberrimo beneficentiæ suæ exercitio, cœpit Deus generis vestri principi Abrahamo benefacere, eique irrevocabili amore pollicitus est, posteros ejus Chananææ aliquando fore dominos; quam solam promissionem ut exsequeretur, vos Ægyptiacæ tyrannidi eripuit, atque huc ad Jordanis ripas liberos adduxit. 9. Hinc potestis intelligere Deum, quem colitis, unum esse verum Deum, qui

les fecit; tum subjicit huc pertinere, quòd in Josuæ Libro Cap. XI, 19, 20. dicitur, nullam civitatem ex populis septem pacem fecisse, obduratos enim, ne gratia illis fieret.

Verùm diserta sunt Legis verba infrà Cap. XX, 15, 16. ubi excipiuntur septem populi, ne inter eos habeantur, quibus vita offerebatur, si se dederent. Præterea magnum est discrimen inter Legem, quæ jubet populum ad internecionem deleri, ne ad Idololatriam parcentes pelliciat, qualis de septem Chananæorum populis lata est; & Legem, quæ juberet eum populum occidione occidi, nisi vectigalis fiat, & religionem dominorum amplectatur. Si posterius voluisset Moses, ubi mentionem facit Legis de delendis Chananæis, clarè hanc suam mentem expressisset; res enim digna erat, de qua etiam atque etiam monerentur Hebræi. Nunc verò nusquam, ne obscurè quidem, hoc subinnuit Legislator. Ubique deleri eos populos jubet, nusquam hanc addit conditionem, nisi abjectâ Idololatriâ Deum unum colant. Exempla, quæ profert *Grotius*, contrarium non evincunt. 1. Nam Rahabæ exemplum est singulare, nec mirum, si propter ingens meritum, ei pepercerint Hebræi; cùm præsertim iis benefecisset, antequàm patriæ suæ bellum inferrent. 2. Quod Salomo fecit, id debet potiùs intelligi ex eo quod antea diximus, Legem de delendis Chananæis, ad ultimos eorum posteros, non esse extendendam. 3. Loci Josuæ sensus, non is est quem putat *Grotius*, sed non sine providentia divina factum esse ut omnes illi septem populi, exceptis Gabahonitis, salutem suam positam esse existimarent in sola fortitudine, neque ulli ad fidem & clementiam populi Hebræi confugerent; qui non sustinuisset inermes & pandentes urbium portas ad internecionem delere, quod tamen supplicium divina justitia luere eos volebat.

De caussis hujus supplicii alibi partim, ut jam monuimus, diximus. Paucula dumtaxat hîc addemus. Scelera harum Gentium oportet tanta fuisse, ut omnia divina atque humana jura susque déque haberent, eásque ad meliorem frugem numquam redituras adpareret; ac proinde constituerit summus humani generis Judex & ipsis & vicinis fuisse melius, si è medio integræ tollerentur. Simili de ratione, antediluviani homines, Cataclysmi aquis, exceptâ Noachi familiâ; deinde Sodoma & vicinæ urbes, subsidente solo, perierunt; nec multùm interest an hisce pœnis, vel Hebræorum ferro, perierint Chananæi. Sic & ipsi Judæi, cùm sceleribus suis æquassent veterum Chananæorum peccata, maxima ex parte sunt à Romanis deleti, & quidem eodem modo ac Chananæi olim ab eorum Majoribus. Tanta enim plerosque Judæos invaserat rabies, ut cùm deditione possent se, suáque servare, maluerint ad extremum spiritum se se defendere. Ipse *Josephus* sub finem Lib. VI. de bello Judaico, supplicia antediluvianorum & Sodomitarum cum calamitate Judæorum confert, horúmque scelera majora etiam fuisse ait. Οἶμαι, inquit, Ῥωμαίων βραδυνόντων ἐπὶ τοὺς ἀλιτηρίους, ἢ καταποθῆναι ἂν ὑπὸ χάσματος, ἢ κατακλυσθῆναι τὴν πόλιν, ἢ τοὺς τῆς Σοδομηνῆς μεταλαχεῖν κεραυνούς· πολὺ γὰρ τῶν ταῦτα παθόντων ἤνεγκε γενεὰν ἀθεωτέραν· τῇ γοῦν τούτων ἀπονοίᾳ πᾶς ὁ λαὸς συναπώλετο: *Si Romani contra noxios venire tardassent, putem aut hiatu terræ absorbendam, aut diluvio destruendam urbem fuisse, aut Sodomitidis fulminibus perdendam; nam multò magis impiam progeniem tulerat, quàm qui hæc passi fuerunt. Horum ergo desperatione, universus populus unà periit.*

Nullum cum iis fœdus percuties] Intelligit *Hug. Grotius* sociale fœdus, non pactionem, quâ iis vita relinqueretur; sed liquet ex Cap. XX. ne hoc quidem septem devotis populis offerri ab Hebræis debuisse. Idem ostendit quod de Gabahonitis narrat Josua Cap. IX, 14 & seqq. quibus ne vita quidem concessa esset, nisi arte usi essent, & jusjurandum intervenisset. Sed quid opus est verbis? Hæc erat vis voti, quod Hebræi vocant חרם *hherem*, ut hostes, qui eo no-

fœdus & benignitatem præstantem sui amantibus, & præceptorum suorum servantibus, ad millesimam ætatem; [10] rependentem verò sui osoribus in eorum conspectu, ita ut eos perdat; neque enim differt *pœnas* osoris sui, atque in ejus conspectu ei rependit.

[11] Observato itaque præcepta, instituta, & jura, quæ te hodie facere jubeo; [12] atque erit *tibi* merces. *Si* audieris ea jura, *si* ea servaris ac feceris, Jehova Deus tuus fœdus & benignitatem, quam juratus promisit majoribus tuis, præstabit. [13] Amabit te, tibi benedicet, téque augebit; benedicet item uteri, & terræ tuæ fructibus; frumento tuo, musto, oleóque; boum tuorum fœtibus, & gregibus ovium,

qui stat promissis & eorum qui Legibus suis paruerunt seris etiam nepotibus benefacit: [10] ut contrà sæpe impios præsentibus suppliciis adficit, nec semper scelerum suorum fructu diu frui patitur.

[11] Igitur Legibus à me latis parete, [12] & tum demum ingentem à Deo mercedem exspectate. Deus enim quidquid Majoribus vestris pollicitus est vobis obsequentibus repræsentabit. [13] Liberis, servis, pecudibus & terræ proventibus abundabitis. [14] Nulli, ut inter alios populos, inter vos erunt or-

nomine devoti fuerant, necessariò occiderentur. Vide Levit. XXVI, 29. Chananæorum autem septem familiæ sunt ita devotæ, ut passim docet Moses.

3. *Connubia non miscebis*] לא תתחתן בם lo thihhatthen bam; *non adfinitatem contrahes inter illos.* Hoc vult Moses, populum Hebræum non debere in unum populum cum Chananæis coalescere. Vide Gen. XXXIV, 16.

4. *Filios tuos*] *Filium tuum.* Sic & in sequentibus nominibus, est singularis pro plurali.

5. *Lucos cædetis*] אשריהם *ascherehem.* Quæ vox *lucos* quidem sonat, ut habent hîc LXX. Int. & Vulgatus. Sed & statuas Astartes significat, si credimus viris nonnullis eruditis, quamvis nondum ea de re nobis liqueat. Itaque *lucos* vertimus, quæ propria est vocis notio, ubi aliter vertere non necesse est. אשרים autem videntur dicti luci, quòd constarent arboribus aut in quincuncem plantatis, aut recto trunco surgentibus, nam אשר aschar, *ad rectam lineam dirigi*, aut *erigi* significat, imò fortasse utrumque; quamvis aliter censeat *M. Meibomius*, initio Tertii Speciminis Explicationum suarum, quem tamen adiisse non pœnitebit. Nihil est autem notius, quàm ab omnibus ferè Orientis & Occidentis Idololatris lucos esse Diis consecratos. Vide Ezek. VI, 13. Hos. IV, 13. &c. Ex iis autem lucis ligna cædere piaculum habebatur, qua de re vide *Callimachi* Hymnum in Cererem. Hinc ἄλση dicti sunt à Græcis, ἀπὸ τοῦ ἄλδειν, hoc est, *crescere*, quòd arboribus illic, sine securis metu, crescere liceret. Vide descriptionem luci, apud *Lucanum* Lib. III. vers. 399. & seqq. Contrà jubet Deus eos cædi ab Hebræis, cùm ut Idololatriæ monumenta omnia delerent, eísque se ἄσπονδον bellum facere testificarentur; tum ut ne locorum amœnitate capti, in Idololatriam & ipsi prolaberentur. *Plinius* Hist. Nat. Lib. XII. C. 1. de Silvis: *Hæc fuere Numinum templa, priscóque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quàm lucos & in iis silentia ipsa adoramus.* Seneca Ep. XLI. *Si tibi occurrit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas silvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ fidem Numinis facit.* Vide quæ plura hac de re collegit *Phil. Rubenius* Elect. Lib. II. c. 34. Verendum ergo erat ne Hebræi, sub calidiore præsertim cœlo, similia facerent.

6. *Estis enim populus*] *Quia populus sacer es.* &c.

Sacer] קדוש, hoc est, ita vero Deo soli consecratus, ut nihil apud se aliis Numinibus consecrari patiatur.

Peculiaris ipsi populus] לעם סגלה *in populum peculii.* Vide Exod. XIX, 5, 6. Ita dicuntur Hebræi ob singularia beneficia, quibus eos Deus adfecit; quippe quos Ægyptiacæ servituti ereptos cultum suum docuit, legibus ornavit, agris donavit, peculiarémque Rempublicam, in qua solus coleretur, constituere jussit. Nulli Genti similia, ante Christum natum, contulerat; inter quas tamen non remanserat ἀμάρτυρος, ut docet Paulus Act. XIV, 17. & alibi.

7. *Se adplicuit*] חשק hhaschak, quod peculiarem amorem, quo aliquem prosequimur, sonat hîc & infrà X, 15. XXI, vers. 11. Vide & Gen. XXXIV, 8.

Nam pauciores &c.] Cùm primùm Deus Abrahamo promisit se ejus, posterorúmque Deum fore, solus erat Abrahamus, nondum nato Isaaco. Vide Gen. XV, & XVII. Non pollicetur se Deum fore ejus posterorum, postquàm ad ingentem multitudinem excreverint, sed se eos aucturum, quia volebat ejus posterorúmque Deus esse. Ethnici Deorum signa ad ampliora templa, magnificentioráque sacra avehendo, existimabant Numina, quorum signa erant, relictis prioribus sedibus & populis, libentiùs apud potentiores habitare. Vide quæ habet *Livius*, de translatione Vejentinæ Junonis Romam. Lib. V. c. 22.

8. *Quia vos amabat*] מאהבת אתכם *ex amore vestri*; immeritos, nempe, diligebat. Cœperat eos amare antequàm essent, quandoquidem eorum Majoribus, se se iis benefacturum promiserat; propter quæ promissa, non propter eorum virtutes, iis reverâ bene faciebat. Vide Rom. IX, 11, 12, 13. & quæ *Hug. Grotius* & *Henr. Hammondus* ad eum locum. *Amare* autem dicuntur homines eos quibus *bene volunt*, & quorum rebus secundis gaudent; at *amare* id Deo est *benefacere*, & benefacta conservare. Itaque hoc vult Moses, Deum, nempe, benefecisse Israëlitis, quia volebat iis benefacere; liberrimâ beneficentiâ, quâ in hunc plura, quàm in illum confert beneficia, non ex justitia, aut utilitate.

9. *Deum illum verum*] *Ille Deus*, nempe, *verus*, seu solus qui nomine אלהים vocetur dignus,

ovium, caprarúmque tuarum, in terra quam majoribus tuis se tibi daturum juravit. [14.] Melius tibi erit, quàm omnibus *aliis* populis; nullúsque erit apud te *vir* sterilis, aut infœcunda *mulier*, uti nec *ulla* inter pecudes tuas. [15.] Avertet Jehova à te omnem infirmitatem, neque tibi immittet ullos Ægypti molestos morbos, quos novisti; eos verò omnibus, qui te odio habebunt, objiciet.

[16.] Omnes populos, quos Jehova Deus tuus tibi tradit, delebis, iis oculus tuus non parcet, ne eorum Deos colas, essent enim tibi laqueo. [17.] Si apud te dixeris: numerosiores sunt eæ gentes quàm ego, quomodo eas pellere potero? [18.] ne eas *tamen* timeas, sed in memoriam revocato quæ Jehova Deus tuus Pharahoni, om-

orbi, nullæ steriles mulieres, aut infœcundæ pecudes. [14.] Deus à vobis morbos omnes, quibus in Ægypto laborastis, amovebit, atque hostibus vestris immittet.

[16.] Gentes autem, quas acie viceritis, aut quarum expugnaveritis oppida, ad internecionem delete; ne superstites vobis colendorum alienorum Numinum auctores esse possint. [17.] Nec timete earum exercitus, quamvis vestris ampliores; [18.] [19.] sed in memoriam revocate quæ prodigia Deus in gra-

dignus, eo sensu qui nemini alii convenit. Mirum est Vulgatum omisisse hæc verba, cùm LXX. habeant ὄντως Θεός· Θεὸς πιστός. Addimus *verum*, quia ה emphaticum & pronomen demonstrativum ostendunt peculiarem hîc esse ἔμφασιν, quæ non poterat aliter exprimi. Græcè etiam dixeris ὄντως ὁ Θεὸς ὁ ἀληθινός. Inspiciantur aliæ versiones, & supplementi nostri ratio adparebit.

Fœdus præstantem] Hoc est, promissis stantem.

Ad millesimam ætatem] Vide notat. ad Exod. XX, 6. Poterat quidem Deus, tempore Mosis, dici bene facere Hebræis, propter promissa eorum Majoribus edita; sed si quæratur quæ sit prima origo benevolentiæ, quâ Deus Abrahamum gentis conditorem prosequi cœpit; nulla ratio invenietur, præter Dei ipsius bonitatem. Nam Abrahamus Idololatra fuerat, trans Euphratem, ut docemur Jos. XXIV, 2. Neque eum elegit Deus, ut esset populi sui γενάρχης, potius quàm alium, quòd ea electione dignior aliis omnibus esset, sed quia ita visum est.

10. *In eorum conspectu*] *Ad facies eorum, ut perdat eum, non differet osori suo* &c. Hoc ita intelligendum non quasi hoc semper, aut ut plurimum contingat; nihil enim certius, quàm impios sæpe beatam vitam (si beata dici potest impii vita) transigere, nec pœnas in hoc ævo luere. Sed satis est, ut aliquando contingat eos illico à Deo plecti, ut ita loqui possit Moses; nec minùs certum est impios sæpe præsentes pœnas solvisse. Sic Rex Ægypti, qui malè habuit Israelitas, ejúsque futoris satellites, non multò pòst gravissimis suppliciis sunt adfecti. *Osores* autem *Dei* hic videntur dici potissimùm Idololatræ. Vide Exod. XX, 5.

12. *Quam juratus promisit*] *Quam juravit.*

13. *Tibi benedicet*] Vide not. ad Gen. Cap. I, 22. XII, 2.

Benedicet uteri & terræ tuæ fructibus] *Fructui uteri tui, & fructui* &c. Uxor tua liberos pariet, nec infœcundæ erunt servorum conjunctæ; nam *fructus uterorum* & matris familias, & servarum erant heri. Ideò earum uteri dicuntur *uteri ejus.*

14. *Melius tibi erit quàm omnibus*] *Benedictus eris magis quàm omnes populi.* Benedictus ברך est cui omnia ex voto cedunt, & præsertim qui omnibus copiis abundat. Vide Num. Cap. XXIV, 9.

Ægypti molestos morbos] Aut *morbos Ægyptiorum malos.* Intelliguntur morbi quidam Ægypto peculiares, cujusmodi erant variæ cutis adfectiones. *Plinius* Hist. Nat. Lib. XXVI. c. 1. de *Lichenibus*, qui Italiæ antea ignoti, in eam nuper ex Asia advecti fuerant: *advenerunt*, inquit, *ex Ægypto, genitrice talium vitiorum, Medici, hanc solam operam adferentes, magnâ suâ prædâ.* Idem paullò post de *Elephantiasi*: *Ægypti*, inquit, *peculiare hoc malum.* Ad hos morbos etiam referri posse videntur ulcera, quæ ab irata Iside immitti dicebantur; nam quamvis falsum esset Isidem ea immittere, at huic mendacio locum dedit veritas; nempe, frequentia eorum morborum in Ægypto. *Persius* sub finem Satyræ V. vers. 184. de sui ævi superstitionibus:

Hinc grandes Galli, & cum sistro lusca Sacerdos
Incussere Deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris alli.

Juvenalis Sat. XIII. vers. 92. pejerantem per Isidis numen ita loquentem inducit:

Decernat quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodò vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.
Et phthisis, & vomicæ putres, & dimidium crus
Sunt tanti.

Hodiéque in urbe Kairo varii sunt peculiares morbi, de quibus singulare Caput scripsit *Thevenotius* in Itinere Orientali. Est libri II. Cap. LXXX.

16. *Delebis*] *Comedes* אכלת, ad internecionem, scilicet.

17. *Apud te*] *In corde tuo.* Hoc est, si animum tuum subeat ingens Chananæorum numerus.

19. *Magnas tentationes*] Hoc est, miracula. Vide not. ad Cap. IV, 34.

Quoscumque metuis] *A quorum facie metuis.*

20. *Crabrones*] Vide not. ad Exod, XXIII, 28.

Latibula propter te petierint] *Latentes à facie tua.* Intelligit eos qui in silvas, aut montes Chananææ ex urbibus aufugerint, & qui sub dio de-

omnibúsque Ægyptiis fecit, 19. magnas tentationes quas viderunt oculi tui, signáque & prodigia; manum prævalidam, atque brachium exsertum, quo te eduxit Jehova Deus tuus. Sic Jehova Deus tuus populis, quoscumque metuis, faciet. 20. Crabrones Jehova Deus tuus iis immittet, donec superstites, & qui latibula propter te petierint, pereant. 21. Ne propter eos terrearis, nam apud te est Jehova Deus tuus, Deus magnus & terribilis. 22. Paullatim *tamen* Jehova Deus tuus eas gentes è conspectu tuo expellet; neque eas poteris celeriter delere, ne agrestium ferarum augeatur in te numerus. 23. Jehova Deus tuus eas coram te exponet, & exturbabit tumultu magno, donec perierint. 24. In manum tuam earum reges tradet, eorúmque nomen sub cœlo delebis, nec quisquam coram te consistet, donec eos perdideris. 25. Deorum illorum sculpta simulacra igne combures, neque argentum & aurum, quo erunt obducta, concupisces, tibique diripies, ne iis illaqueeris; est enim hoc *metallum* res, quam detestatur Jehova. 26. Non intromittes domum tuam rem detestandam, ne *ipse*, ut illud, exitio devovearis; ab eo abhorrebis, id detestaberis, est enim res exitio devota.

VIII. Mo-

gratiam vestri in Ægypto ediderit, & quantam Ægyptiorum potentiam fregerit; nec dubitate quin ceteros hostes vestros eodem modo sit habiturus. [20] Qui ex acie, aut ex captis urbibus in montes aut silvas profugerint, eos infesti crabrones in latibulis perdent. [21] Ne ergo, Deo omnipotente vestris favente armis, mortalem ullum timete. [22] Non omnes quidem Chananæos, eodem tempore, è sedibus suis expellet, ne vos ampliorem quàm necesse est regionem incolentes feræ ex vicina Arabia frequentes invadant, dum per loca sola vagantur. [23] At tantum eorum populorum numerum, quantus erit necessarius, ut vobis satis agri vacui relinquant, magno tumultu exturbabit, ac vobis cædendum objiciet. [24] Et reges & populos ita exstinguetis, ut posteris destitutorum omnis oblitteretur memoria. [25] Deorum verò simulacra lignea, laminis aureis & argenteis tecta, in ignem conjicite; neque quisquam ea domum auferat, ne Idololatriæ admittendæ olim occasionem præbeant. Polluta & Deo exosa ea esse scitote, [26] adeóque quasi res exitio devotas, non quas diripere liceat, habetote.

P A-

degentes crabronibus summopere infestati poterant.

22. *Paullatim*] מעט מעט *parum parum*. Hac de re vide not. ad Exod. XXIII, 29.

Exturbabit tumultu magno] והמם מהומה *hamam mehoumah*. Vide suprà II, 15. & Exod. XIV, 24. הום, המה & המם significant *tumultum excitare*, *expellere*, *trepidationem injicere* &c. quæ huic loco optimè conveniunt. Sunt enim, non sine ingenti tumultu, excitæ sedibus suis Chananææ Gentes, ut ad arma concurrerent; dein deletæ, aut expulsæ, cum summa omnium trepidatione.

24. *Nomen sub cœlo delebis*] Aut Regum, aut populorum, vel utrorumque, nullis relictis qui de eorum nomine vocentur; sed aut occisis, aut ad alias Gentes profugis.

25. *Quo erunt obducta*] *Super iis.* Intelliguntur statuæ ligneæ, aureis aut argenteis laminis tectæ, non solido auro aut argento constantes.

Concupisces] תחמוד *thahhamod*, hoc est, concupiscens capies. Vide not. ad Exod. XX, 17.

Illaqueeris] Ne servatas statuas tandem incipias colere.

Est enim hoc metallum] כי תועבת יי אלהיך הוא *nam detestatio Jehovæ Dei tui illud*; nempe, aurum & argentum, quæ in usum Idololatricum consecrata fiebant immunda. Sequentia verba ostendunt non agi de actione, sed de simulacris ipsis.

26. *Ne ipse, ut illud, exitio devovearis*] והיית חרם כמוהו *& sis hherem ut illud*, aurum, aut argentum statuæ. Hæc radix, apud Arabas, inter alia significat *illicitum facere*, unde factum ut *res & personæ*, quibus uti nefas erat, dicerentur חרם. Quia autem quæ nulli usui adhiberi poterant, ea è medio tollebantur, ideò החרים significat *exitio devovere*, & חרם hherem *exitio devotum*, quo sensu sæpe in hoc libro hæ voces occurrunt. Vide & Num. XXI, 2.

Ab eo abhorrebis, id detestaberis] שקץ תשקצנו ותעב תתעבנו *abhorrebis ab eo, & detestando detestaberis illud.*

VIII. *Moses Populum Hebræum hortatur ut Dei Leges observet, ostenditque quantâ ejus Providentiâ in Arabicis solitudinibus servatus sit & quàm fertilibus agris sit ab eo donandus.*

1. OMNIA præcepta, quæ tibi hodie do, recordaberis ut ea facias, quò vi- Caput VIII.
vas, augearis, ingrediarisque & possideas terram, de qua majoribus tuis
juravit Jehova. 2. Recordare omnis viæ, per quam, hisce quadraginta
annis, duxit te Jehova Deus tuus, in deserto, ut te adfligeret, atque experimen-
tum tui caperet, quò sciret quid esset in animo tuo, an sua præcepta obsetvatu-
rus esses, necne. 3. Te adflixit, te sivit esurire, tibique comedendam dedit Man-
nam, quam non noveras, neque noverant majores tui, ut te doceret non pane
solo hominem vivere, sed & quavis re quæ ex ore Dei egreditur. 4. Vestimen-
tum tuum super te non inveteravit, neque pes tuus, hisce quadraginta annis, in-
tu-

PARAPHRASIS.

1. LEGUM omnium, quas vobis tuli, observantes estote, ut longam ac beatam vitam, in terris, quas mox adibitis, agere possitis. 2. Conducet eam in rem frequenter in memoriam revocare itinera vestra per Arabiam, in qua Deus quadraginta annis vos detinuit, variisque calamitatibus adfecit; ut vos Legibus suis adsuefaceret, eósque qui verè atque ex animo pii & probi erant ab impiis & improbis secerneret. 3. Solitorum alimentorum copiam vobis suppetere noluit, ut Mannam vobis, Majoribusque vestris ignotam suppeditaret; eóque experimento vos doceret hominibus vitam servari posse, non consuetis modò alimentis, sed & quacumque alia re, quam eorum vicem supplere voluerit Deus; adeóque in ipsius Numine fiduciam omnem vestram poneretis. 4. Ita vobis Providentiâ suâ consuluit, ut neque vestium, neque calceorum, in sterili deserto, co-

COMMENTARIUS
In Caput VIII.

2. UT *te adfligeret*] Potuisset enim Deus rectâ Israelitas ducere per agros Philisthæorum, atque hos profligare, ut in Chananæam Hebræos intromitteret. Sed maluit eos suæ disciplinæ veluti adsuefacere, longâ morâ in solitudinibus Arabicis; quod fecit permittendo ut aqua iis deesset, & victu solito destituerentur. Sic enim feroces spiritus hujus populi sunt paullatim domiti. Quòd si illum Idololatriâ Ægyptiacâ graviter infectum, & nondum legibus latis, nec constitutâ Reipublicæ formâ, illico intromisisset in Chananæorum agros, omnium rerum copiâ adfluentes; abundantia eos magis corrupisset, nec legum novarum jugum rigidis cervicibus ferre potuissent.

Experimentum tui caperet] לנסתך *ad tentandum*, vel *probandum te.* Nullâ enim re magis adparent virtus, ac nequitia, interdum latentes, quàm ubi cum adversis colluctandum est. Qui in rebus secundis probi videntur, amotâ peccandi occasione, in adversis sæpe ostendunt famæ se cupidiores fuisse, quàm probitatis, & constantiæ. Tum latentia vitia erumpunt, quæ non cernebantur, quia erumpendi nulla ratio erat. Contrà qui verè & ex animo virtutis certâ & perspicuâ notitiâ illustrato, ejúsque amore incenso, sunt boni; eorum probitas & fortitudo in adversis magis elucent, quàm in secundis, cùm virtutem sectari, præmii causâ, videbantur.

Ut sciret quid esset in animo tuo] Sequentia verba hæc exponunt. Qui enim verè Deum amant ii parent ejus Legibus, etiam cum incommodo suo; alii verò queruntur, & pietati valedicunt, si nimia eam sequantur incommoda. Moses autem hîc & alibi loquitur, quemadmodum loqueretur qui existimasset Deum nescisse quo animo Leges suas excepturi fuissent Hebræi. Vide Genes. XXII, 12. Sic Paral. XXXII, 31. Deus dicitur *deseruisse* Ezekiam, *ut eum tentaret, ut sciret quidquid erat in ejus animo.* Verùm hæc omnia eò spectant, ut intelligatur Deus fecisse id quod solent homines, quando cujuspiam animum tentare volunt; atque eâ tentatione factum esse, ut boni à malis secernerentur. Sic Deus *pœnitentiâ ductus* dicitur, cùm idem facit quod consuevimus, quando alicujus rei nos pœnitet. Nempe, actionibus externis imponitur nomeo adfectionum animi, quarum illæ effectus solent esse. Attamen tot loquutiones, Divinæ Majestati parum convenientes, ex vulgari Ethnicorum sermone ortæ videntur, ut diximus in Dissert. *de Lingua Hebr.*

3. *Te sivi esurire*] ירעבך *fecit ut esurires*; hoc est, passus est vos eò devenire, ut victibus destituti nescitetis unde possetis fami satisfacere.

Pane solo] על לחם לבדו *bal lebbem lbaddo*, super pane solo. Vox לחם solitum quemvis cibum hîc notare videtur, ut alibi passim.

Quavis re quæ ex ore Dei egreditur] על כל מוצא פי יי *super omni quod egreditur ore Jehovæ.* LXX. Intt. *παντὶ ῥήματι τῷ ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ.* Vulg. *in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Certè מוצא פי *egressio oris* est verbum, seu quod ore profertur. Vide Numer. Cap. XXX, 4, 7. Hoc autem loco intelligitur quid-

tumuit. 5. Conscius tibi es, quemadmodum vir filium suum erudit, ita Jehovam
Deum tuum te erudiisse. 6. Memento præceptorum Jehovæ Dei tui, ut incedas in
viis ejus, eúmque verearis. 7. Jehova enim Deus tuus intromittit te in terram bo-
nam; terram in qua sunt torrentes aquæ, fontes, & latices, in vallibus & montibus
scaturientes; 8. terram tritici, hordei, vitis, ficûs, mali punici; terram olivæ, olei
& mellis; 9. terram in qua non comedes panem in paupertate, in qua nulla re care-
bis; terram, in qua lapides sunt ferrum, & è cujus montibus æs excîdes. 10. Come-
des & saturaberis, Jehovæque Deo tuo, in bona terra, quâ te donabit, benedices.

11. Cave tibi ne oblivioni mandes Jehovam Deum tuum, ut ne observes ejus præ-
cepta, jura & instituta, quæ tibi hodie edidi. 12. Ne *dum* comedis & satiaris; *dum*
domos pulcras ædificas, eásque habitas; 13. *dum* boves tui, & oves tuæ augentur;
dum argentum tuum & aurum tibi crescunt, tuáque omnia ampliora fiunt; 14. effe-
ratur animus tuus *superbiâ*, & obliviscaris Jehovæ Dei tui, qui te ex terra Ægyptia, *at-*

copia umquam defuerit. 5. Probè nostis eum, paterno more, vos Leges suas curavisse edoceri, & peccantes castigasse. 6. Itaque earum observantes estote, 7. ut vobis Deus favere pergat, atque intromittat vos in terram, in qua non restagnantes ac turbidas Nili aquas bibetis, sed fluviis & fontibus limpidissimis, cùm in montanis, tum in campestribus, abundabitis. 8. Fruges & fructus, non qui in paludosis dumtaxat locis proveniunt, sed omnis generis colligetis. Non modò tritici & hordei lætas messes habebitis; sed terram vitibus, ficubus, malis punicis, olivisque consitam, & in qua ingens sit mellis copia, possidebitis. 9. In ea non colluctabimini cum paupertate, necessariisve mercibus ab vicinis emendis exhauriemini. Ferri & æris metalla, in montibus vestris, non deerunt. 10. Fertilis soli fructibus ad satietatem vescemini, sed Deo, qui eo vos donavit, gratias habete atque agite.

11. Cavete vobis ne ejus Leges negligatis, cùm omnium rerum copia abundabitis, 12. cùm ex pleno horreo vescemini, cùm in splendidis ædibus *ha-*

quidquid Dei jussu, aut voluntate, cibo solito substituitur; & vult Moses, Deum posse alere homines sine cibis solitis, si lubeat, aut velit quidpiam aliud in eorum locum succedere; seu, non esse unam viam Deo alendorum hominum, quâ vulgò utuntur. Sic & Matth. IV, 3. dicenti Cacodæmoni: *dic ut hi lapides panes fiant*, respondet Christus: *scriptum est, non pane solo vivet homo, sed omni verbo* &c. hoc est, nou opus est lapides hosce iu panes converti ut alar, uam quidquid visum fuerit Deo substituere paui solito, id me alet. Similiter ex Manua, quæ ciborum solitorum loco fuit, intellexerunt Israëlitæ, nou cibis tantùm quos norant, sed & aliis, quibuscumque vellet uti Deus, homines commodissimè ali posse; adeóque in deserta Arabia nou fuisse sibi timeudam famem, si modò Deum faventem habeٖtent. Vide infrà Cap. XXIX, 6.

4. *Non inveteravit*] לא בלתה מעליך *non inveteravit de super te*. Hoc repetit Moses iisdem verbis infrà Cap. XXIX, 5. ut & Nehem. IX, 21. Existimant vulgò Iutt. vestes, quas induerant Israëlitæ Ægypto egredientes, usu nequaquam fuisse tritas. Addunt & Rabbiui eas quoque cum corporibus crevisse, quod necesse erat, nisi singulis variarum magnitudinum essent vestes. Ad me quidem quod adtinet, nou opinor quemquam esse, cui certior sit fides miraculorum quàm mihi; attameu plura obstant, quo minùs iu vulgari sententia adquiescam. Primùm, incredibile prorsus mihi videtur, Mosem qui hoc potissimùm in animo habuit, ut miraculorum in deserta Arabia à Deo editorum historiam contexeret, obiter dumtaxat & veluti aliud agendo, hujus miraculi, si ejusmodi esset quale vulgò creditur, meminisse, si præsertim consideremus quantum sit. Tot enim fiebant miracula, quot erant homines iu castris; neque semel tantùm, sed quotidie, cùm vestes quotidiano adtritu soleant corrumpi. Si addideris etiam crevisse vestes, quid mirabilius animo iutelligi poterit? Moses tameu, si Iuterpretibus credimus, iu historiæ ipsius narratione, iu qua alia miracula studiosè narrat, quamvis multò miuoris momenti, hoc planè prætermittit; idque adtiugit dumtaxat alieuo loco, duobus Deuteronomii commatibus.

Secundò, cùm Deus non soleat miracula facere, uisi ubi natura deficit, & planè necessaria sunt; longè maximum miraculum, sine ulla uecessitate, fecisset. Nam cùm Israëlitæ greges ovium & caprarum habuerint, in deserto, ut liquet ex Num. Capp. VII. & IX. cùm facultates suas, imò & Ægyptiacas, abstulissent in Arabiam, ut docet Moses Exod. XII, 35. & liquet ex opificio Tabernaculi; cùm texendi artem callereut, ut indidem adparet; cùm nihil obstiterit quominùs commercia cum vicinis Ismaelitis & Arabibus exercuerint; manifestum est ab iis potuisse texi pannos ex lana gregum ipsorum, aut textos emi, aut etiam lanam comparari. Quod cùm ita sit, credibilius non est quod de vestibus uullo usu tritis dicitur; quàm si, in media Chananæa, Mannâ usos esse dicamus, quamvis aliorum victuum copia suppeteret.

Quid ergo sibi volunt Mosis verba: *vestis tua non inveteravit*? Hoc uimirum, tantam fuisse Israëliuis vestium in Arabicis solitudinibus copiam, ut nou magis opus esset eas tritas & laceratas longo usu geri, quàm si vixissent in agris fertilissimis, & lanificio florentibus. Cùm sumus iu re tenui, & paucæ suppetuut vestes, oportet eas veteres & tritas à nobis geri; at cùm nummis aut vestibus abundamus, uon exspectamus donec inveteraverint, ut eas deponamus. Hæc autem fuit sors Israëlitarum in deserto, in quo nihil illis defuisse docet Moses suprà Cap. II, 7. ubi vide uot. Hanc sententiam fuisse *præ-*
stau-

atque ex ergastulo eduxit. [15] *Is* duxit te, per hoc magnum & horrendum desertum, in quo chersydri & scorpiones sunt; per loca siticulosa, in quibus non est aqua, sed *ubi* tibi aquam è petra silice elicuit. [16] In hoc deserto pascendam tibi dedit mannam, quam majores tui non norant, ut te adfligeret, útque tui experimentum caperet, ac tandem tibi benefaceret.

[18] *Cave ne* apud te dixeris: industria mea, & robur manûs meæ mihi hasce opes fecit; [18] sed memor esto Jehovæ Dei tui, nam is tibi industriam dedit, quibus opes comparares, ut ratum faceret fœdus suum, quod majoribus tuis juravit, quemadmodum hodie *vides*. [19] Si oblivioni mandes Jehovam Deum tuum, & alienos Deos sequaris, eos colas & adores, vos hodie contestor vos esse perituros. [20] Ut gentes, quas Deus è conspectu vestro exterminavit: ita peribitis, eo quòd vocem Jehovæ Dei vestri non audieritis.

IX. Osten-

habitabitis, [13] cùm magnus numerus pecoris, aurique & argenti ingens vobis suppetet pondus. [14] Cavete ne oblivioni mandetis quemadmodum Deus vos Ægyptiorum tyrannidi eripuit; [15] quâ curâ vos securos duxit per vastas solitudines, venenatisque serpentibus & scorpionibus infestas, pérque loca siticulosa, in quibus vel ex ipsis silicibus, ad vobis potum præbendum, aquam scaturire jussit; [16] quâ denique inusitatâ beneficentiâ, Mannæ pastu, vobis, Majoribúsque vestris ignoto, castra vestra sustentavit. Non sine molestia, fateor, deserta emensi sumus; sed Deus eam nobis non immisit animo nocendi, verùm ut experimentum nostræ constantiæ caperet, ac postremum nos beneficiis cumularet. [17] Cavete ne numero ac fortitudini copiarum vestrarum felices præliorum eventus, & tantarum opum adquisitionem tribuatis. [18] Totum hoc, quidquid erit, Deo debebitis, qui ita promissa Majoribus vestris facta præstabit. [19, 20] Si verò oblivioni mandato vero Deo, alienos colatis, jam vobis prænuncio, nihil nisi exitium, Chananæorum cladi simile, vobis exspectandum esse.

P A-

stantissimi Jurisconsulti *Ger. Noodt*, non sine singulari voluptate, animadvertimus, cùm hæc edidissemus, insignis Operis de Fœnore & Usuris Lib. I. c. 10.

Pes tuus non intumuit] לא בצקה *lo batsekah.* Hanc radicem Recentiores verterunt *tumere*, ob derivatum בצק *batsek*, quod *massam* farinæ fermento tumescentem sonat. At LXX. Intt. habent hîc ἐτυλώθησαν *occalluerunt*, apud Nehemiam verò διεῤῥάγησαν *rupti sunt.* Ad posteriorem significationem adludit בדק *bedek*, quod *rimam*, seu *fissuram* sonat. Vulg. hîc: *pes tuus non est subtritus*, ut & apud Nehemiam. Maluimus sequi conjecturam Recentiorum, cùm nihil certius occurreret. Hoc autem vult Moses, pedes Israëlitarum, iter faciendo per Arabiam, *non intumuisse*; quòd non deessent iis calcei, neque eos nimis diu gestarent, ut pauperes facere coguntur, unde fit ut detritis soleis lædantur pedes. Hunc esse sensum horum verborum, & superiorum quem diximus, ostendit ipse Moses, qui Deut. XXIX, 7. pro eo quod est hîc, *pes tuus non intumuit*, habet, *calceamentum tuum non inveteravit in pede tuo*; hoc est, paupertate non es coactus ferre calceos usque adeò detritos, ut impedire non possent, quominùs asperiore viâ læderentur & intumescerent pedes.

5. *Conscius tibi es*] *Scis cum corde tuo.*

Erudit] ייסר jejasser, *erudiet*, id est, erudire solet. Alii de castigatione hæc interpretantur. Utrumque conjungi potest.

7. *Latices scaturientes*] תהמות ‎וצאים *abyssi exeuntes.* Vide not. ad Gen. Cap. VII, 11. In inferiore Ægypto, sola lutulenta aqua Nili usu fuerant Hebræi, ideóque hæc descriptio Chananææ summopere eis placere debuit.

9. *Lapides sunt ferrum*] Hoc est, ubi ferri metalla sunt æquè frequentia, ac lapides. Est hyperbole.

Æs excides] Ex fodinis, nempe, in montes actis. Duo hæc metalla sunt longè maximi usûs; nec potuissent Hebræi seorsim ab aliis populis vivere, si iis caruissent. Necessitas enim commerciorum, ut vasa quibus carere non poterant coëmerent, eos ad vicinos ire coëgisset. Hebræis autem ex suis aut vicinis montibus ea fuisse videtur ferri & æris copia, quæ necessaria esset, non tanta ut etiam vicinis ea metalla venderent. Constat certè Tyrios, aliunde æs & ferrum habuisse, atque ab Hebræis frumentum dumtaxat coemisse. Vide Ezek. XXVII, 12, 17, 19. *Aristeas* ad Philocratem, ubi Judæam describit: Ἐλέγετο δὲ καὶ ἐκ τῶν παρακειμένων ὀρέων τῆς Ἀραβίας, μέταλλα χαλκοῦ καὶ σιδήρου συνίστασθαι πρότερον. Ἐκλέλειπται δὲ ταῦτα, καθ' ὃν ἐπεκράτησαν χρόνον Πέρσαι· τῶν τότε προεστώτων ποιησαμένων διαβολὴν, ὡς ἀχρήστου ἡ κατεργασία γίνεται, καὶ πολυδαπάνου: *narrabatur etiam ex vicinis montibus Arabiæ metalla ænea & ferrea prius conflata fuisse. Hæc verò relicta sunt, eo tempore quo rerum potiti sunt Persæ, quia qui illis præerant illa infamarunt, quasi esset inutilis & sumtuosus labor.* Fortasse intelligit *Phunonis* metalla, de quibus diximus ad Num. XXXIII, 42. Sed videntur etiam metalla fuisse in Aseritico agro. Vide infrà Cap. XXXIII, 25.

10. *Benedices*] Laudabis, & nomen ejus omnibus Gentibus venerationi esse optabis.

12. *Ne dum comedis* &c.] *Ne comedas, & satureris.* Potuissemus etiam vertere: *ne postquàm comederis & saturatus fueris* &c. Hunc sensum esse res ostendit, non phrasis, quæ, si de re obscuriore ageretur, vix posset à nobis intelligi.

14. *Efferatur animus*] *Adtollatur cor tuum*; ut in secundis fieri solet. Vide not. ad Cap, VI, 11.

15. *Chersydri*] *Serpentes urentes.* Vide not. ad Num. XXI, 6.

Ttt 2 *Scor-*

IX. Ostendit Moses Israëlitas, in peculiarem populum, à Deo non fuisse electos, ob eorum virtutem; sed ob solam Dei in eos misericordiam, quâ etiam iteratis defectionibus prorsus indigni evaserant.

CAPUT 1. AUDI, ô Israël, Jordanem hodie trajicis, ut eas in possessionem gentium
IX. magnarum & validiorum, quàm tu es, urbiúmque amplarum & ad cœ-
lum usque munitarum. 2. Populus *sunt* magnus & procerus, Hanakæi,
quos nosti, & de quibus audisti *dici*: quis coram Hanakæis consistet? 3. At scis
Jehovam Deum tuum hodie ante te transire, is est ignis absumens, is eos dele-
bit, is eos deprimet coram te, eos expellet & perdet quàm primùm, ut tibi pro-
misit. 4. Cùm eos expellet Jehova Deus tuus è conspectu tuo, ne dixeris apud
te: propter justitiam meam Jehova intromisit me, ut hancce terram possideam;
nam propter iniquitatem earum gentium, eas Jehova è conspectu tuo expellit. 5.
Non propter justitiam tuam, animúmque rectum, tu venis ad possidendam earum
terram; sed propter iniquitatem gentium illarum, Jehova Deus tuus eas expellit
è conspectu tuo, útque ratum faciat id quod majoribus tuis Abrahamo, Isaaco &
Jacobo juravit. 6. Scito ergo, non ob justitiam tuam, Jehovam Deum tuum te
donasse terrâ hac bona, ut eam possideas, quandoquidem populus es rigidæ cer-
vicis.
7. Memor esto, neque oblivíscaris, quemadmodum concitasti iram Jehovæ Dei
tui, in deserto; ab eo die quo ex Ægypto egressus es, donec venires ad locum
hunc, rebellis fuisti Jehovæ. 8. Ad Chorebum irritastis Jehovam, atque *ita* indig-
na-

PARAPHRASIS.

1. BREVI estis, ô Hebræi, Jordanem trajecturi, ot agros invadatis maximarum Gentium, vobis potentiorum & munitissimas urbes iocolentium. 2. Populi, ad occasum hujus fluvii, sunt magnæ staturæ, atque inter eos vivunt Hanakæi, fortitudine usque adeò celebres, ut contra eos neminem posse consistere prisca ferant adagia. 3. Sed mementote vos ducem habere Deum, qui non difficiliùs eos perdet, quàm ignis stipulam absumit, & promissis suis stabit. 4. 5. Cavete tamen ne putetis, propter virtutes vestras, vos in Chananæam intromitti; nam quamvis ob perditos mores, expellantur Chananæi, noo ideò vos, pietatis ac justitiæ causâ, eorum agris donamini. Deus de iis populis pœnas exiget, & quæ Majoribus vestris pollicitus erat præstabit. 6. Multum abest ut, Legum divinarum observatione, vobis Dei benevolentiam coociliaveritis, ut cootrà hactenus earum jugum ægerrimè tuleritis.

7. Si in memoriam revocetis quemadmodum vos in Arabicis solitudinibus gesseritis, intelligetis vos, ex quo Ægypto egressi estis, Dei iram perpetuis rebellionibus concitasse. 8. Cùm ad Chorebum castra haberemus, ita Deum irritastis, ut vos perdere vellet, 9. dum essem in monte ad ejus Leges cognosceodas, & geminas tabulas lapi-

Scorpiones] עקרב *hakrab*. Vide not. ad Num. XXXIV, 4.

Petra silice] מצור חלמיש. LXX. Int. ἐκ πέτρας ἀκροτόμου. Vulg. *de petra durissima.*

17. *Tui experimentum saperet*] *Te tentaret.* Vide ad vers. 2.

Tandem tibi benefaceret] *Benefaceret tibi, in ultimo suo*, באחריתך.

18. *Ne apud te dixeris*] *Et dicas*, nam hæc verba ex eadem constructione pendent ac vers. 14. hoc est, ex vers. 11. Sed ob ῥήσεως longitudinem, & Latinæ constructionis facilitatem, maluimus verbum repetere, השמר לך פן *cave tibi ne.* Vide simile exemplum Levit. XI, 5, 6, 7.

Industria mea] כחי *chobbi*, qnod est propriè *vis mea*, sed videtor hîc φιλοπονίαν seu industriam significare; nam indnstriâ comparantur opes.

Hasce opes fecit] חיל הזה *bhajil bazze.* LXX. τὴν δύναμιν τὴν μεγάλην ταύτην. Vulg. *Hæc omnia.* חיל non rarò *opes* significat. Vide Ps. LXXIII, 12. Prov. XXXI, 29. Posset tamen & hoc modo intelligi: *fortitudo mea & robur manûs meæ peperis mihi hanc victoriam.* Nam עשה חיל *hascboth bhajil*, hoc aliqnando significat. Vide Ps. CXVIII, 15, 16.

19. *Contestor*] העידתי *habidotbi*, hoc est, testes vos voco eorum quæ prædixi vobis; nempe, vos perituros.

COMMENTARIUS

In CAPUT IX.

1. *HOdie trajicis*] אתה עבר *tu trajiciens*, hoc est, brevi trajecturus.

Ut eas in possessionem gentium] לבא לרשת *ut eas, ut possideas gentes*, hoc est, earum agros.

Ad cœlum usque munitarum] Vide not. ad Gen. XI, 4.

2. *Ha-*

gnatus eſt vobis, ut vos perdere vellet. 9. Cùm adſcendiſſem in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas fœderis, quod feriit Jehova vobiſcum, commoratus ſum in monte, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; panem *interea* non comedi, neque aquam bibi. 10. Tum dedit mihi Jehova duas tabulas lapideas, digito Dei inſcriptas, & in quibus erant omnia verba, quibus vos in monte, è medio igne, alloquutus eſt, die conventûs. 11. Poſt quadraginta dies & quadraginta noctes, duas *illas* tabulas lapideas, tabulas fœderis mihi dedit Jehova; 12. & ſurge, inquit, hinc celeriter deſcende, nam corruptus eſt populus *iſte* tuus, quem ex Ægypto eduxiſti; quàm primùm declinarunt à via, quam *ſequi* eos juſſeram, ſibique conflatile *ſimulacrum* fecerunt. 13. Præterea dixit mihi Jehova: hunc populum conſideravi, ecce verò populus eſt rigidæ cervicis. 14. Sine me, eos perdam, nomen eorum ſub cœlo delebo, faciámque ut in gentem validam, iiſque numeroſiorem evadas. 15. Converſus verò deſcendi è monte, mons autem interea ardebat, erántque duæ tabulæ fœderis in manu mea. 16. Proſpexi, ecce verò peccaveratis in Jehovam Deum veſtrum, conflatilem vitulum vobis feceratis, citò abceſſeratis à via, quam vos *ſequi* juſſerat Jehova. 17. Tum adprehenſas duas tabulas è manibus meis abjeci, eáſque in oculis veſtris confregi. 18. Deinde concidi coram Jehova, per quadraginta dies & quadraginta noctes, ut antea; panem non comedi, neque aquam bibi, propter omnia peccata quæ admiſeratis, rem diſplicentem Jehovæ faciendo, ut iram ejus moveretis. 19. Timebam enim, propter iram & excandeſcentiam, quâ in vos *ita* efferbuerat Jehova, ut perdere vos vellet; at eâ quoque vice, me exaudivit Jehova. 20. Ahatoni etiam uſque adeò indignabatur, ut eum perditurus eſſet, ſed eo tempore pto Aharone quoque deprecatus ſum. 21. Peccatum verò quod feceratis, vitulum accepi, igne combuſſi, & probè contrivi molendo, donec in pulverem comminutus eſſet, & pulverem in torrentem ex monte deſcendentem conjeci.

22. Iram

pideas, quibus potiſſimæ ab ipſo inſcriptæ erant, accipiendas; ubi per quadraginta dies, totidémque noctes, jejunus commoratus ſum. 10. 11. Eo in loco, elapſis quadraginta, qoos dixi, diebus mihi dedit duas illas tabulas, quibus inſcripſerat ea quæ clarâ voce, è medio igne, vobis audientibus, erat proloquutus; 12. & me juſſit celeriter ad vos redire, quandoquidem vobis ſimulacrum vituli, quod coleretis, contra diſerta Legis promulgatæ verba, conflaveratis. 13. Poſtea etiam mihi dixit Deus ſe animadvertiſſe populum Hebræum ejus eſſe indolis, ut Legum ſuarum jugum ægrè eſſet ſubiturus; 14. itaque velle ſe eum delere, poſteros verò meos ita augere, ut in iogentem populum vobiſque majorem excreſcerent, verùm ego pro vobis deprecatus ſum. 15. E monte, etiamnum igne divino ardente, deſcenderam, adtulerámque duas tabulas lapideas; 16. ſed cùm viderem vitulum à vobis eooflatum, 17. iratus eas abjeci & confractæ ſunt. 18. Attamen nihilo ſeciùs per totidem dies, quot antea in monte fueram, jejunus eodem in loco vobis Deum exorare adgreſſus ſum; 19. verebar enim ne quod minatus erat, de vobis perdendis, exſequeretur, ſed eum vobis placavi. 20. Oportuit etiam me pro Aharone fratre, qui in Deum graviſſimè deliquerat, deprecatorem eſſe. 21. Noſtis deinde me vitulum aureum in calcem redegiſſe, atque in pulverem comminutum projeciſſe in torrentem ex monte defluentem, unde aquam hauriebatis.

22. Ea

2. *Hanakæi*] בני ענקים *filii hanakæorum*. Vide not. ad Num. XIII, 23.

3. *Ignis abſumens*] Vide not. ad Cap. IV, 24.

Ut tibi promiſit] *Ut loquutus Jehova tibi*. Vide not. ad Num. X, 29.

Nam propter iniquitatem earum gentium] *Et in iniquitate* &c. Qnamvis propter ſoa peccata illine expellerentur Chananæi; non erat conſequens ut eorum loco Hebræi, ob virtntem ſuam, ſuccederent. Nam ſæpe Deus malos, per alios nequaqnam meliores, plectit. Certè ex hiſtoria ſacra liquet Hebræos nec in Ægypto, oec in Arabia, religioſis, probiſve motibns cœleſtem favorem ſibi conciliaſſe.

5. *Animum rectum*] *Rectitudinem cordis*.

6. *Rigidæ cervicis*] *Durus cervice*. Vide not. ad Exod. XXXII, 9.

7. *Memor eſto, neque obliviſcaris*] Videtor eſſe vehementior adfirmatio, cùm non modò id quod volomos adfirmamns, ſed etiam contrariom negamus. Sic iofra XXXIII, 6. *vivat Ruben, neque moriatur*. Talia frequenter occorront, non in ſacris modò Scriptoribus, ſed & apud Græcos & Romanos. Adi *Joan. Pricæum* ad Act. XIII, 11. & *Hug. Grotium* ad Joan. I, 3.

9. *Ad Chorebum*] Vide Exod. XXXII.

Ut vos perdere vellet] להשמיד אתכם *ad perdendum vos*, niſi, nempe, interceſſiſſem. *Hiphil* hîc ſignificat voluntatem, ſine effectn. Vide not. in Geneſ. XXXVII, 2. Exod. XII, 48.

9. *Tabulas fœderis*] Hoc eſt, legnm ex quarnm obſervatione pendebat Hebræorum felicitas.

Panem non comedi &c.] Hoc eſt, nihil quidquam bibi aut comedi, nam *panis* לחם *lehhem*, pro *cibo* qnovis, *aqua* מים *majim*, pro qnovis potu hîc ſumuntnr.

12. *Sur-*

[22.] Iram etiam Jehovæ concitastis in Thabhera, in Massa, in Kibroth-thaava; [23.] & cùm Kades-barnehâ dimittet vos Jehova, his verbis: adscendite, terræ quâ vos donavi possessionem adite. *Tunc* contra Jehovæ Dei vestri imperium rebellastis, ei non credidistis, neque vocem ejus audistis. [24.] Ex quo vos novi, rebelles in Jehovam fuistis. [25.] Procidi coram Jehova, quadraginta diebus & quadraginta noctibus; quibus procidi, quia dixerat Jehova se vos perditurum. [26.] Deprecatus sum Jehovam, & dixi: Domine Jehova, ne perdas populum tuum, possessionem tuam, quam liberasti magnitudine tuâ, & quam manu prævalidâ ex Ægypto eduxisti. [27.] Memor esto servorum tuorum, Abrahami, Isaaci & Jacobi; ne pertinaciæ hujus populi, iniquitatisque & peccati ejus rationem habeas; [28.] ne dicat regio ex qua nos eduxisti: *hoc factum*, quòd Jehova eos in terram quam iis promiserat, intromittere non posset; aut: eduxit eos, quia eos oderat, ut in deserto occideret. [29.] Hi sunt populus tuus, possessio tua, quam magnâ potentiâ tuâ, atque exserto brachio eduxisti.

X. Fæ-

[22.] Ea commisistis etiam, ob quæ pœnas Deo dare commeriti eratis, in Thabera, in Kibroth-thaava & in Massa. [23.] Scitis & Kadesbarneæ vos noluisse parere Deo, qui vos terræ Chananææ possessionem illinc adire jusserat. [24.] Denique, ex quo vos novi, semper contumaces fuistis, quamvis dudum resipuisse debuissetis. [25.] Nec sanè diu impunè vobis Deo obsequium negare licuisset, nisi quadraginta diebus; ut dixi, intentissimis precibus à Deo peccato vestro veniam impetrassem. [26.] Exoravi enim eum, ut condonaret ei populo, quem sibi peculiarem elegerat, & in cujus liberatione tot prodigia ediderat. [27.] Commemoravi apud eum pietatem Majorum vestrorum, ob quam olim eorum posteris perpetuò se fauturum pollicitus erat. [28.] Commemoravi sermones Ægyptiorum, qui, si populus Hebræus in deserto periret, perquàm contumeliosi Deo futuri essent; dicturi enim fuissent Hebræos ideo periisse in deserto, aut quòd Jahvo eorum Deus non potuisset eos intromittere in promissam Chananæam, aut quòd eos odio haberet. [29.] Itaque præstare multò a Deo populum sibi consecratum, & tantâ potentiâ liberatum servari.

P A-

12. *Surge*] Vide Exod. XXXII.
15. *Conversus*] *Et verti me*, &c.
16. *Conflatilem vitulum*] *Vitulum conflationis*, aut *liquefactionis*.
18. *Omnia peccata quæ admiseratis*] *Omne peccatum quod peccaveratis.*
Rem displicentem Jehovæ] *Malum in oculis Jehovæ.*
21. *Peccatum quod feceratis*] Hoc est, quem peccantes in Deum feceratis. Est sermonis compendium, quale est Esai. XXXI, 7.
22. *Concitastis in Thabhera.*] Vide Num. Cap. XI.
23. *Contra imperium rebellastis*] תמרו את פי *rebellastis in os.* Sed פי passim *imperium* sonat.
25. *Procidi*] Redit ad peccatum circa aureum vitulum.
26. *Pertinaciæ*] *Duritiei*, quod pertinaciam in peccando sonat, ut ex Pharahonis exemplo liquet, qui tam sæpe *obduratus* dicitur.
Rationem habeas] *Respicias.*
28. *Quam iis promiserat*] *Quam loquutus fuerat iis.* Vide Num. X, 29, & suprà vers. 3.
Aut quia eos oderat] *Atque quod odio ille eos haberet*, ומשנאתו. Manifestum est ו vertendum *aut*, cùm alterutrum tantùm dicere possent Ægyptii.

C O M-

X. Fœdus instauratum, vocatio Sacerdotum & Levitarum, hortamenta ad Dei cultum, legum ejus observationem, & peregrinos amandos.

1. ILLo tempore, dixit mihi Jehova: duas tibi lapideas tabulas, ut priores, ex- Caput X.
polito, atque ad me in montem adscende. Fac tibi etiam arcam ligneam, 2. in-
scribámque iis tabulis verba, quæ inerant prioribus tabulis quas fregisti, atque
eas in arca repones. 3. Feci itaque arcam è lignis sittinis, expolivi duas tabulas lapi-
deas, ut priores, adscendi in montem cum duabus tabulis in manu mea; 4. scripsit-
que in hisce, prout priùs scriptum fuerat; decem, nimirum, verba, quibus vos Je-
hova in monte alloquutus erat, è medio igne, die conventûs; & eas mihi dedit Jeho-
va. 5. Tum conversus descendi è monte, posuíque tabulas in arca quam feci, & illic
hactenus fuerunt, quemadmodum me jusserat Jehova.
6. Israëlitæ à puteis Bene-jahakanis profecti sunt in Moseram, ubi mortuus & sepultus

PARAPHRASIS.

1. CUm, ut dixi, fractæ à me irato fuissent duæ tabulæ, quibus inscriptus erat Decalogus, jussus sum à Deo duas alias expolire, atque in montem Sinaïn ferre, 2. ut iterum decem illæ leges iis à se insculperentur. Eas tabulas postea in Arca, quæ est in Sacrario, recondere jussus sum. 3. Deo illico parui, 4. qui quod pollicitus erat perfecit, 5. eásque in Arca, ubi nunc sunt, reposui.

6. 7. Cùm verò Deus, ut dixi, condonasset populo Hebræo, Aharoni quoque fratri meo ignovit, nec mortuus est, nisi quadragesimo anno, postquam

COMMENTARIUS

In Caput X.

1. ILlo tempore. Vide Exod. C. XXXIV, 1. & seqq.

Fac tibi arcam ligneam] Ob nexum, Moses duo præcepta, diversis temporibus à Deo edita conjungit. Nam jussus erat facere Arcam fœderis, antequàm Deus de tabulis loqueretur. Vide Exod XXV. Sed quia Arca partim in hunc usum fabricata est, ideò præceptum de ea facienda hîc profert Moses.

3. *Feci arcam*] Postea; nam post ejus reditum facta est arca Fœderis. Sed hîc ordo temporis negligitur.

4. *Prout priùs scriptum fuerat*] *Sicut scripturam priorem.*

5. *Tum conversus descendi*] *Verti me & descendi.*

6. *Israëlitæ* &c.] Hîc est duplex difficultas, quarum altera nascitur ex ordine Mansionum, quæ hîc memorantur, si conferantur cum Num. XXXIII. altera ex loco, in quo Aharon interiisse hîc dicitur.

Hîc Hebræi eunt è puteis Bene-jahakanis in Moseram (ubi dicitur mortuus Aharon) è Mosera in Gudgodam, è Gudgoda in Jotbatham. Numerorum verò Cap. XXXIII, 31. & seqq. eunt è Moserothis in Bene-jahakanem, è Bene-jahakane in Chor-gidgadum, è Chor-gidgado in Jotbatham, è Jotbatha in Habronam, ex Habrona Hetsjongeberum, Hetsjongebero Kadesum, Kadeso ad Horem montem, ubi moritur Aharon. *Moserah* idem planè esse videtur ac *Moseroth*, *Gudgoda* idem ac *Chorgidgad*. Itaque aut hîc, aut in Numeris, perturbatus est mansionum ordo. Præterea aut hîc, aut in Numeris, locus mortis Aharonis perperam notatur. Scio quid conentur Intt. Judæi & Christiani, ut hæc loca in concordiam redigant; sed, si verum dicere liceat, nihil profertur quod manifestò durum non sit, contortum, & contrarium ordini Mansionum; quod ut intelligas, oculos in nostram Tabulam conjicito.

Itaque cum *Hug. Grotio*, aliisque summis viris, Librariorum vitio hîc aliquid esse peccatum crediderim; nam in Numerorum loco, ubi non aliquot Mansiones à Mose obiter, sed datâ operâ omnes recensentur, & mors Aharonis prolixiùs narratur, omnia integra esse videntur. Itaque quamvis Codices Judæorum hodiernorum, & ii quibus utebantur LXX. Intt. consentiant, meliorem existimarim lectionem Samaritarum; aut, si mavis, cum Critico Samarita, emendatione hunc locum indigere censuerim. Habent autem Samaritæ: *Filii autem Israël profecti sunt è Moseroth, & posuerunt castra in Bene-jahakane. Inde profecti sunt, & posuerunt castra in Gudgod. Inde profecti sunt, & castra posuerunt in Jotbatha, terra torrentium aquarum. Inde profecti sunt, & castra posuerunt in Habrona. Inde profecti sunt, & castra posuerunt in Hetsjongeber. Inde profecti sunt, & castra posuerunt in deserto Tsin, quæ est Kadet. Inde profecti sunt, & castra posuerunt in monte Hor, ibi mortuus est Aharon.* Si ita in priscis Codicibus legisse constaret Samaritas, hæc esset sine dubio vera lectio; sed quia fortè, quamvis in antiquis suis Codicibus eadem verba ac nos in nostris legerent, ita emendandum censuerunt eorum Critici, quod sæpe faciunt, non ausim adfirmare sequi eos Mosis manum. Attamen fatendum simile quidpiam à Mose oportuisse dici, ut sibi constaret. Ex Capp. XX. & XXXIII. Numerorum & Deut. XXXII, 50. li-

tus est Aharon, filiúsque ejus Elehazar, loco patris, sacerdotio functus est. 7. Hinc profecti sunt in Gudgodam, è Gudgoda verò in Jotbatham, tractum ubi sunt aquæ torrentes.

8. Eo tempore, separavit Jehova tribum Levis, ut arcam fœderis Jehovæ bajularet, útque coram Jehova staret, ad ei ministrandum, benedicendúmque ejus nomine, ad hunc usque diem. 9. Ideóque Levi non erit pars, neque prædium cum fratribus; Jehova ejus erit prædium, quemadmodum de eo dixit Jehova Deus tuus.

10. Ego autem substiti in monte totidem diebus ac antea, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Jehováque me hac quoque vice exaudivit, nec te delere voluit. 11. Dixit mihi postea Jehova: surge, ito, ut præeas huic populo, ingrediatúrque & possideat terram, quâ me eum donaturum majoribus ejus juravi.

12. Nunc verò, ô Israël, quid à te postulat Jehova Deus tuus, nisi ut se verearis, ut in omnibus viis suis incedas, ut se toto animo, & tota mente ames & colas, út-

quàm Ægypto egressi essemus, & circumiremus Idumæorum fines, ut huc veniremus. Ita etiam se ei placatum ostendit Deus, ut in eum Sacerdotium contulerit, quod Deo volente, à filio ejus Elehazare nunc geritur.

8. Cum autem Sacerdotium conferret Aharonis familiæ, benignissimum quoque se se reliquæ Leviticæ Tribui præbuit, cui adtribuit curam bajulandorum & vehendorum sacrorum supellectilium, & quæcumque ad Tabernaculum pertinebant, sub præfectis Sacerdotibus, commisit. 9. Propter quæ munera, decimas, aliáque ex rebus Deo oblatis, prout Lege definita sunt, utrisque dedit; ut agros iis, quemadmodum reliquis Israelitis, dividere non sit necesse.

10. Cùm verò in monte, per tot dies, quot antea dixi, mansissem, populóque & Aharoni veniam à Deo impetrassem; 11. cumque plerasque Leges ad Sinain accepissemus, jussi sumus, ut antea narravi, ad Septemtriones ire, ut Chananææ possessionem adiremus; à quo tempore, quæ, ad hunc usque diem, nobis contigerint ob oculos vobis jam posui.

12. 13. Ex hisce omnibus intelligitis, pro tot & tantis beneficiis, Deum aliud nihil à vobis postulare, nisi ut omnibus ipsius Legibus toto animo pa-

liquet Aharonem esse mortuum, postquàm alterâ vice Hebræi ad fines Idumææ venissent, & cùm negato sibi per eorum agros transitu, agmen circumegissent, ac in Moabitidem irent. Constat quoque ex Cap. XXXIII. Numerorum, Moseram, Gudgodam, aut Chor gidgadum, & Jothbatbam fuisse Mansiones, in quibus Israëlitæ castra habuerunt, cùm ad mare Rubrum tenderent, & decem minimùm Mansionibus ad Austrum ab Idumæa remotas. At in hoc Deuteronomii loco, describitur Aharon moriens in Mansione, in qua fuerunt Israëlitæ, antequàm ad Idumæam agmen convertissent. Itaque hæc manifestò pugnant, nisi Mosera, Bene-jahakan, Gudgoda & Jotbatha sint alia planè loca, quàm quæ ita vocantur in Numeris, & mons *Hor* dictus etiam sit *Mosera*. At is mons dicitur tertiùm *Hor* infrà Cap. XXXII, 50 neque credibile est ad fines Idumææ fuisse quatuor loca vicina iisdem nominibus adpellata, ac quatuor alia loca, item vicina, non procul à mari Rubro. Volebat *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. VI, 10. 6 & 7. versiculos alieno planè loco infartos, esséque non à Mose, sed à Librarii hallucinatione; cùm planè superflui sint, ac seriem orationis importunè interturbent.

A puteis] מבארת. Hic locus vocatur Numer. XXXIII. simpliciter *Bene-jahakan*. Videntur fuisse *putei* qui dicerentur *filiorum Jahakanis*. Unus ex posteris Hesavi vocatur 1. Par. I, 42. *Jahakan*.

Ubi mortuus &c.] Sunt qui velint hos duos versus ὡς παρενθήκην hîc esse insertos, ac sanè vers. 8. cum quinto non malè connectitur. Alium tamen nexum quæsiverim, quem in Paraphrasi expressi. Respicit, nimirum, Moses ad id quod dixit, Capite superiore, de ira Dei contra Aharonem, cui tamen à se Deum placatum fuisse ostendit, quòd per tot annos vitam post peccatum produxisset. Miscentur, fateor, circumstantiæ nonnullæ, quæ ad eum scopum propriè non pertinent, & sine sensûs jactura abesse possent. Sed Hebræorum Stylus non est ad Rhetorum Canonas exigendus. In oratione Stephani Protomartyris, quæ exstat Act. VII. & in qua, ut hic Moses, peccata Judæis exprobrat, multæ sunt circumstantiæ, quæ ad scopum dicentis non ita faciunt, ut omitti non potuissent.

7. *Tractum ubi sunt aquæ torrentes*] *Terram torrentium aquarum*.

8. *Eo tempore*] Hæ voces neque sunt referendæ ad vers. 5. neque ad proximè antecedentia verba, sed ad tempus quod Aharonis consecrationem consequutum est, quo Levitis reliquis certa munera, circa Tabernaculum, imposita sunt. Vide Num. III, vers. 6. & seqq.

Benedicendum ejus nomine] Hoc pertinebat ad Sacerdotes. Vide Num. VI, 27.

Jehova erit ejus prædium] Vide Num. Cap. XVIII, 20.

De eo] לו *lo*.

10. *Substiti in monte*] Redit Moses ad id quod cœperat dicere, se ægrè veniam populo Hebræo à Deo impetrasse.

11. *Eum donatum*] *Eos*, quod refertur ad populum.

12. *Se verearis*] *Verearis Jehovam Deum tuum*.

Se ames & colas] *Ames illum & colas Jehovam Deum tuum*.

14. *Cœli, cœli cœlorum*] Prius significat aërem & cœlum stelliferum, posterius sedem Dei & Angelorum. Vidde not. ad Genes. I, 1.

Terra &c.] Opponit Moses Deum verum & totius rerum universitatis dominum, qui proinde

ſtitque omnia ſua præcepta & inſtituta, quæ tibi hodie edidi, ut bene tibi ſit, obſer-
ves? 14. Ecce Jehovæ Deo tui ſunt cœli, cœli cœlorum, terra & quidquid in ea eſt.
15. Attamen majoribus tuis ſeſe adplicuit Jehova, ut eos amaret; eorúmque poſteros,
vos, *nimirum*, ex omnibus populis elegit, ut hodie *videre licet*. 16. Circumcidite
præputium cordis veſtri, neque cervicem rigidam *Deo* ampliùs præbete; 17. nam Je-
hova Deus veſter eſt Deus Deorum, dominus dominorum, Deus magnus, potens &
formidabilis, qui perſonæ rationem non habet, neque munera accipit. 18. Jus dicit
pupillo & viduæ, amat peregrinum, ut pane & veſte eum donet. 19. Amabitis etiam
peregrinos, nam in Ægypto peregrini fuiſtis. 20. Jehovam Deum tuum revereberis,
& per nomen hujus jurabis. 21. Ille eſt laus tua, ille Deus tuus, qui res magnas &
terribiles illas, quas oculi tui viderunt, tecum geſſit. 22. Septuaginta animabus cùm
conſtarent majores tui, deſcenderunt in Ægyptum, nunc verò te Jehova Deus tuus
multitudine ſtellis cœli æquavit.

XI. Res

parere inſtituatis. 14. Cùm Deus ſit totius rerum univerſitatis dominus, & undecumque viſum fuiſſet eligere poſſet ſibi populum; 15. Majores veſtros, vóſque, ſingulari prorſus amore, ceteris omnibus prætulit. 16. Itaque adfectus immodicos, quibus fit ut ſanctiſſimis ejus imperiis minùs libenter pareatis, & contumaciam illam veſtram, quâ Legum ejus jugum ſæpe excuſſiſtis, prorſus exuite. 17. Numen enim quod colitis, unum eſt, quod Deus verè vocari poſſit; infinita potentia præditum eſt; unius juſtitiæ rationem habet; ſacrificiis, ut vitio faveat, flecti non poteſt; 18. pauperibuſque ac peregrinis non minùs favet, quàm potentibus atque indigenis. 19. Vos quoque erga peregrinos benigni ſitis, memores vos etiam aliquando in Ægypto peregrinos fuiſſe. 20. Deum veſtrum ſolum timete, ejuſque ſolius cultui conſtanter adhærete; nec religionem, quâ eum colitis, umquam diſſimulate. 21. Ejus favor celeberrimam vobis, apud omnes populos finitimos, famam peperit; ac ſanè Deus res maximas, vobis ſpectantibus, in veſtri gratiam geſſit. 22. Cùm olim Hebræi primùm in Ægyptum irent, ſeptuaginta dumtaxat erant capita; nunc verò in tantam multitudinem excreviſtis, ut numero ſtellas æquare videamini.

P A-

de potuit, undecumque libuiſſet, populum ſibi eligere, Diis Topicis Ethnicorum, qui certæ Zonæ, aut regioni præfecti cenſebantur, adeò ut ejus finibus clauderetur eorum poteſtas. Vide *Th. Stanleji* Philos. Or. Lib. I. S. 2. C. VIII. & *Servium* ad Æneid. XII. 118. Ejuſmodi Dii non poterant, ut ipſi Ethnici fatentur, cultum poſtulare niſi à certis populis.

Se ſe adplicuit] Vide ad Cap. VII, 7.

Eorum poſteros] *Semen eorum poſt eos.*

Circumcidite præputium cordis veſtri] Quænam ſit circumciſionis Symbolica ſignificatio, vidimus ad Gen. XVII, 10. Eò nunc reſpicit Moſes, atque hæc ejus admonitio digna eſt, quæ diligenter expendatur, præſertim ſi meminerimus eum alloqui homines, quorum ingens numerus nondum in carne erant circumciſi, ut liquet ex Joſ. V, 2. & ſeqq. ubi docemur in deſerto intermiſſam protſus fuiſſe circumciſionem. Videtur ergo Moſes Hebræos obiter docuiſſe majorem rationem habendam eſſe *circumciſionis cordis*, hoc eſt, adfectuum divinis Legibus contrariorum, quàm ſuperfluæ pelliculæ. Vide infrà Deut. XXX, 6.

Cervicem rigidam præbete] *Indurate cervicem veſtram*; ערפכם לא תקשו *horphechem lo thakſchou.*

17. *Deus Deorum* &c.] Hoc eſt, cui eximio, & peculiari planè ſenſu, *Dei & Domini* nomina conveniunt. Simili Hebraiſmo, *Cœlum cœlorum* dicitur remotiſſimum cœlum, & *Canticum canticorum* elegantiſſimum canticum. *Macrobius* Saturn. Lib. I. C. 24. eodem modo: *Philoſophia unicum eſt munus Deorum & diſciplina diſciplinarum.* Iterum Lib. VII. c. 15. *Videris mihi rem, conſenſu generis humani, decantatam & creditam, oblivioni dare, Philoſophiam artem eſſe artium, & diſciplinam diſciplinarum.* Quàm verè à Moſe Deus dicitur *Dominus Dominorum*, tam falsò nonnulli Reges Ægyptii eo elogio ſemet ipſi ornarunt. Seſoſtris in terris omnibus, quas ſubegerat, ſtatuerat columnas, ſacris Ægyptiorum litteris inſcriptas, in hunc ſenſum, prout interpretatur *Diodorus Siculus* Lib. I. p. 51. Τήνδε τὴν χώραν ὅπλοις κατεστρέψατο τοῖς ἑαυτοῦ Βασιλεὺς Βασιλέων, καὶ Δεσπότης Δεσποτῶν Σεσόωσις: *hanc regionem armis ſuis ſubegit Rex Regum, & Dominus Dominorum Seſooſis.* Sic etiam Perſarum & Parthorum Reges.

Perſonæ rationem non habet] *Non tollit*, aut *non accipit facies.* Vide not. ad Gen. XIX, 21. & Rom. II, 11.

18. *Jus dicit*] *Faciens judicium.*

Amat peregrinum] Hoſpites Deo curæ eſſe Ethnicorum ſapientiſſimi quique exiſtimarunt. Vide not. ad Exod. XXII, 21. quibus adde hæc Eumæi apud *Homerum* Ξ. verſ. 56.

Ξεῖν', οὔ μοι θέμις ἔστ', οὐδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι,
Ξεῖνον ἀτιμῆσαι· πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες.

Hoſpes nefas mihi eſt, quamvis pejor te venerit,
hoſpitem contemnere, ſunt enim omnes à Jove.

21. *Laus tua*] Is propter quem laudaris, ut alibi *gloria Iſraëlis* dicitur, quòd propter ejus beneficia glorioſus eſſet populus Hebræus, inter gentes finitimas. Vide Pſ. CVI, 20.

22. *Septuaginta animabus*] *In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui.*

Multitudine ſtellis cœli æquavit] *Poſuit te ut ſtellas cœli, ad multitudinem quod attinet*, לרב

Vvv COM-

XI. Res à Deo in gratiam Israëlitarum gestas breviter commemorat Moses, hortatur populares ad obsequium ei præbendum, docendámque Legem liberos suos; terram Chananæam laudibus extollit, perpetuámque iis fore promittit, si Deo pareant; ac jubet in Gerizimorum monte vota in gratiam piorum concipi, in monte verò Hebale diris contumaces precibus devoveri.

CAPUT XI. 1. AMABIS Jehovam Deum tuum, & quod vult observari, instituta ejus; jura, & præcepta semper observabis. 2. Recognoscite hodie (nam non *loquor* cum filiis vestris, qui neque noverunt, neque viderunt) disciplinam Jehovæ Dei vestri, magnitudinem ejus, manum prævalidam, atque exsertum brachium; 3. signa ejus, operáque quæ edidit, in media Ægypto, erga Pharahonem, ejusque regionem; 4. quæ fecit copiis Ægyptiorum, eorum equis & curribus, ac quemadmodum aquas maris algosi inundantes emiserit supra eorum vultus, cùm vos persequerentur, eósque ad hunc usque diem Jehova perdiderit; 5. quæ fecerit vobis in deserto, donec ad hunc locum veniretis; 6. quæ fecerit Dathani & Abiramo, Eliabi Rubenitæ filiis, quemadmodum terra os suum aperuerit, eósque, domos eorum & tabernacula, & omnes facultates, quas secum habebant, in medio Israële deglutierit. 7. Nam oculi vestri omnia magnifica opera Jehovæ, quæ edidit, viderunt. 8. Observate ergo omnia præcepta, quæ vobis hodie edo, ut confirmemini, & adeatis possessionem terræ, ad quam possidendam transitis *Jordanem*; 9. útque diu vivatis in terra, quam Jehova juravit majoribus vestris se iis, posterisque eorum daturum, terra lacte & melle fluente.

10. Terra enim, quam possidendam à te ingrederis, non est ut Ægyptia terra, ex qua egressus es, & in quam semen tuum conjiciebas, irrigabásque tuo pede, ut

PARAPHRASIS.

1. DEUM fideli & constanti amore prosequuti; ex ejus Legibus vitam instituite. 2. Vos autem, qui ex Ægypto egressi estis (juniores enim nunc non alloquor) mecum recognoscite hodie quæcumque vidistis à Deo, summâ potentiâ, fieri; 3. prodigia, quæ in Ægypto edidit; 4. rationem quâ Ægyptios mari Idumæo, quod vos sicco pede trajecistis, submersit, & funditus delevit; 5. beneficia, quibus vos in Arabicis solitudinibus cumulavit, donec in hæc loca venissetis; 6. gravem ultionem, quam sumsit de Dathane & Abiramo, aliisque seditiosis, qui in suos Sacerdotes insurgebant, & qui novo exitii genere, terrâ eos vivos absorbente, petierunt. 7. Omnia hæc divinæ potentiæ longè maxima specimina vidistis. 8. Dei igitur tam benefici, tâmque potentis Leges hilari animo excipite, & studiosissimè observate, ut vobis favere pergat & fertilissimos Chananææ agros, quos promisit, det tandem vobis possidendos, 9. atque in iis tranquillam ac longam vitam agatis.

10. Chananæa, quam mox possidendam ingredie-mini, non est Ægypti instar, in qua semen terræ commissum aquâ Nili, Helicis manibus & pedibus versatilis operâ, sublatâ, ut hortum olerum irrigabitis. 11. Chananæa referta est montibus, in quos ita aqua derivari non potest, & quorum fertilitas pendet ex aqua pluvia; quam etiam abditis fontium receptaculis, & cisternis exceptam bibetis. 12. Quamvis, statis fluvii exundationibus, non fœcundetur, at

COMMENTARIUS

In CAPUT XI.

1. *QUod vult observari*] משמרתו *observationem ejus*. Vide not. in Numer. Cap. I, 33. & alibi.

Semper] *Omnibus diebus*.

2. *Recognoscite*] וידעתם *& noscetis*, hoc est, in memoriam revocate, quod *recognoscere* aliquando dicunt Latini. Alloquitur autem hîc Moses grandiores natu, qui ex Ægypto exierant, & miraculorum in ea factorum recordabantur, quorum sine dubio multi supererant.

Nam non loquor] Hæc parenthesi claudenda, & supplendum אני דובר *ego loquens*, aut simile quidpiam res ipsa docet; & clariùs patebit conferenti versionem hanc cum Interpretibus, qui hoc non animadverterunt.

4. *Quemadmodum*] אשר pro כאשר, ut in sequentibus, non raró.

Inundantes emiserit] הציף *fecit fluere*, aut *inundare*.

Ad hunc usque diem] Hoc est, prorsus, nam qui in aquam delapsi sunt, neque post plures annos usquam conspiciuntur funditus periisse existimantur. Vide Cap. XI, 4.

6. *Domos & tabernacula*] בתיהם ואת אהליהם *domus eorum & tentoria eorum. Domus* sunt *domestici*, seu familia.

Fa-

ut hortum olerum. 11. Terra, ad quam possidendam transis, est terra montium & vallium, *ubi* aquam bibes pluviæ cœlestis. 12. Terra est, in quam Jehova Deus tuus inquirit; oculi Jehovæ Dei tui, à principio anni ad finem, in eam sunt semper *defixi*. 13. Si autem audiveritis præcepta mea, quæ hodie vobis edo, ut ametis Jehovam Deum vestrum, eúmque toto animo & torâ mente colatis; 14. terræ vestræ pluviam tempore suo, *inquit*, dabo, tempestivam pluviam & serotinam, frumentúmque tuum, mustum & oleum colliges. 15. Herbam ponam in agro tuo pecudibus tuis, comedésque & satiaberis.

16. Cavete vobis ne pelliciatur animus vester, recedatisque *à Jehova*, & Deos alienos colatis, atque adoretis; 17. ira verò Jehovæ in vos accendatur, claudátque cœlum, neque sit pluvia, neque terra vestra edat proventum suum; atque ex bona terra, quâ vos Jehova donaverit, quàm primùm exterminemini. 18. Hæc mea verba in animo vestro, & mente reponetis, ea signi instat ad manum vestram adligabitis, eruntque ut frontalia inter oculos vestros. 19. Hæc docebitis liberos vestros, quando cum iis colloquemini, sedentes domi, per viam gradientes, cubantes, surgentes. 20. Hæc inscribes postibus domûs tuæ, & januæ tuæ; 21. ut vos, filiique vestri diutissimè sitis in terra, quâ Jehova juravit majoribus vestris, se eos donaturum, & cœlorum supra terram tempus æquetis.

22. Si enim observaveritis omnia hæc præcepta, quæ vobis edo, ut ea exsequamini, adeò ut Jehovam Deum vestrum ametis, in omnibus viis ejus incedatis, eique adhæreatis; 23. tum verò expellet Jehova omnes eas gentes è conspectu vestro, possidebitísque gentes magnas & vobis validiores. 24. Locus omnis, quem calcaverit planta pedis vstri, vester erit; à deserto ad Libanum, à flumine Euphrate ad mare occidentale vestri erunt fines. 25. Nemo coram vobis consistet, terrorem, metúmque vestri, per totam hanc terram, quam calcabitis, sparget Jehova Deus vester, quemadmodum vobis promisit.

26. Vi-

at Dei singulari providentiâ fiet ut, per totum annum, aquarum satis vobis suppetat. 13. Si præceptis ejus omnibus ex animo parere instituatis, 14. aptis temporibus, pluvia non deerit, seu ut terra proventum suum emittat, seu ut fructus grandiores evadant, antequàm prorsus maturuerint, & colligantur. Frumento, vino, oleo, 15. & fœno abundabitis, atque omnium rerum copiâ diffluetis.

16. At cavete ne stultitiâ vestrà, vicinorúmque exemplo, ad Idololatriam pellici vos patiamini, 17. atque pœnas vobis â divina justitia contrahatis. Tum enim Deus pluvias coërcebit, neque terra fructus necessarios vobis alendis edet, & brevi Deus ex fertili solo ab aliis expelli vos patietur. 18. Hæc mea monita altè in animos vestros descendant, neque umquam oblivioni à vobis mandentur; 19. hæc liberis vestris, quavis datâ occasione, tradite atque inculcate; 20. sententias ex hisce præceptis excerptas, uncialibus litteris, ædium vestrarum Propylæis inscribite; 21. si velitis, perpetuâ possessione, lætissimos Chananææ agros in posterum tenere.

22. Si enim ad divinam Legem totam vitam vestram instituatis, 23. Deus gentes, quæ nunc eos tractus occupant, quamvis majores vestris exercitus habeant, deturbabit; ut earum agros, facultatésque possideatis. 24. Quacumque arma circumtuleritis, intra fines descriptos, Arabiam, nempe, desertam ad Austrum, Antilibanum ad Septemtriones, Euphratem ad Ortum, & mare internum ad Occasum, omnia vestri juris, vestræque ditionis facietis. 25. Tantus erit armorum vestrorum, Deo vobis favente, ubique terror, ut impetum vestrum sustinere nemo sit valiturus.

26. Ex

Facultates quas secum habebant] יקום אשר ברגליהם *jekoum ascher braglehem*, substantiam quæ in pedibus eorum. LXX. Int. ὑπόστασιν τὴν μεθ' αὐτῶν. Vide Exod. XI, 8. & *Chr. Noldium* ad hanc particulam.

8. *Adeatis possessionem*] *Eatis & possideatis.*

9. *Diu vivatis*] *Producatis dies.*

Iis, posterisque eorum] Vide not. ad Genes. XIII, 15.

Irrigabas tuo pede] *Hug. Grotius* hanc in rem adfert eximium *Philonis* Alexandrini locum. Is exstat in libro de *Confusione Linguarum* p. 255. Ed. Gen. Ait ille imperitorum sermonem, quando tentant contra eloquentes adversarios dicere, se habere ὥσπερ ἡ ἕλιξ τὸ ὑδρηλὸν ὄργανον ἔχει, *ut Helix, aquaria machina, se habet*, atque hanc ita describit: κατὰ γὰρ μέσον αὐτῆς γεγόνασι βαθμοί τινες, οὓς ὁ γεωπόνος ὅταν ἐθελήσῃ ποτίζειν τὰς ἀρούρας ἐπιβαίνει μὲν, περιολισθαίνει δ' ἀναγκαίως· ὑπὲρ δὲ τοῦ μὴ πίπτειν συνεχῶς πλησίον ἰσχυροῦ τινος ταῖς χερσὶ περιδράττεται, ᾧ συνειλημμένος τὸ ὅλον σῶμα ἀπηώρηκεν αὐτοῦ· ἀντὶ μὲν τῶν ποδῶν χερσὶν, ἀντὶ δὲ χειρῶν ποσὶ χρῆται· ἵσταται μὲν γὰρ ἐπὶ χειρῶν, δι' ὧν εἰώθασιν αἱ πράξεις· πράττει δ' ἐν ποσὶν, ἐφ' ὧν οἰκεῖος ἵστασθαι: *in cujus medio gradus quidam sunt, quibus rusticus quoties agros vult rigare insistit, necessariò verò circumlabitur. Ne verò perpetuò cadat, fulcrum quoddam proximum manibus adprehendit, ubi adhærens totum suum corpus suspendit; & loco pedum manibus, loco manuum pedibus utitur; insistit enim manibus, quarum est agere, agit verò pedibus, quorum est stare.* Hinc intelligere est quid sit *pede hortum rigare*. Sed fortè etiam *pede* aquam per arearum interstitia derivabant, amotâ terrâ, quâ interstitia claudebantur, quod fieri solet palâ ferreâ. Helices autem aptabantur ripis alveorum Nili, nam in

 Ægyp-

26. Videte, ego coram vobis hodie benedictionem, & maledictionem pono; 27. & benedictionem quidem, si audiveritis præcepta Jehovæ Dei vestri, quæ vobis hodie edo; 28. maledictionem verò, si præcepta Jehovæ Dei vestri non audiveritis, & deflexeritis ex via quam vobis hodie ostendo, ut alienos Deos, quos non nostis, sequamini. 29. Cùm autem Jehova Deus tuus intromiserit te in terram, ad quam possidendam contendis, pronunciabis benedictionem in monte Gerizim, maledictionem verò in monte Hebal. 30. Annon sunt trans Jordanem, juxta viam, ad occasum solis, in solo Chananæi, qui habitat in planitie, è regione Gilgalis, juxta Moræ querceta? 31. Quando ergo trajeceritis Jordanem, ut adeatis possessionem terræ, quâ Jehova Deus vester vos donat, *cùm* eam possidebitis, atque habitabitis; 32. mementote omnia instituta & jura, quæ præpono vobis hodie, observare.

XII. Hor-

26. Ex vestra nunc optione pendet felicitas, aut infelicitas vestra; 27. felices enim eritis, si Deo pareatis, 28. infelices si obsequium negetis, atque ad alia Numina deficiatis. 29. Postquam Chananæam ingressi eritis, ad montes Gerizimos & Hebalem, vos conferte, atque ex Gerizimis, ut postea copiosiùs docebo, faustas adprecationes Legum observantibus, diras verò negligentibus ex Hebale clarâ voce & palam pronunciari curate. 30. Hi autem montes sunt ad occasum Jordanis; juxta viam publicam, in agro eorum Chananæorum qui planitiem tenent, ad Gilgalem usque porrectam, non procul à Moræ quercetis. 31. Postquàm igitur, Jordane trajecto, Chananæam invaseritis, 32. facite ut omnis jura atque instituta à Deo sancita, quorum maxima pars hactenus neglecta est, studiosè ab omnibus observentur.

P A-

Ægypto rarissimi sunt fontes. Duo tantùm hodie celebres sunt, *Matbarea*, & *Puteus Josephi*, de quibus vide *Thevenotium*, in Orientali Itinere, Part. I. Lib. 2. C. VIII, & IX. ubi & de rigatione hortorum, ope *Helicis*, quæ vocatur Arabibus סקי *saki*, quasi *irrigatorium* dicas. Sed in majoribus Helicibus, bubus utuntur.

11. *Aquam pluviæ*] In cisternas decidentis, & fontibus latices suppeditantis.

12. *In quam inquirit*] אשר דרש אתה *quam quærit.* Cùm alicujus prædii curam anxiè gerimus, sæpe id invisimus, & à villico quomodo omnia se habeant quærimus; contrà de agro neglecto, raro quidquam petimus, uti nec eum invisimus. Hinc petitâ translatione, Deus dicitur *inquirere in terram*, cujus magnam curam gerit.

14. *Tempore suo dabo*] Hîc personam Dei induit Moses, ideóque ait *dabo* נתתי, non *dabis* יתן. Hoc cùm non intelligerent LXX. Intt. verterunt δώσει, & Vulg. *dabit.* Samaritæ quoque emendarunt ונתן *& dabit.* Sed Latiuè loquens malui supplere *inquit.*

Tempestivam] יורה *joreh.* LXX. ὑετὸν πρώϊμον, Vulg. *temporaneam pluviam*, alibi *matutinam.* Onkelos בכיר *baccbir.* Derivant vulgò à ירה *jecit*, quod in Hiphil est *ostendit*; quia, inquiunt, *postquàm jacta sunt* in terram semina cadit, aut quia *ostendit* semina dum ea fœcundat, & facit ut herba adpareat. Vide *Nic. Fullerum* Lib. VI. c. 16. Miscell. Apud Arabas ורוה aut ורוה *wariaton*, significat pluviam uubem.

Serotinam] מלקוש *malkosch*, à לקש *likkesch*, quod est *serotinum fructum collegit.* LXX. ὄψιμον. Vulg. *serotinam.* Onkelos לקיש *lakisch*, quod idem est.

15. *Comedes & satiaberis*] Hoc est, ad satietatem comedes, seu habebis quo te saties.

16. *Adoretis*] *Incurvetis vos iis.*

17. *Claudat cœlum*] Vide not. ad Gen. Cap. VII, 11.

E terra exterminemini] *Pereatis de super terra.*

18. *In animo vestro & mente reponetis*] *Ponetis verba hæc mea super cor vestrum & super animam vestram*; hoc est, cordi habebitis. Vide ad Cap. VI, 6.

Ea signi instar &c.] Vide not. ad Exod. XIII, vers. 9.

19. *Quando cum iis colloquemini*] לדבר בם *ldabber bam*, loquendo in illos.

Sedentes domi] *Cùm sedebis domi, & cùm ibis per viam, & cùm cubabis, & cùm surges.*

21. *Diutissimè sitis*] *Multiplicentur dies vestri, & dies filiorum vestrorum super terra* &c.

Cœlorum supra terram tempus æquetis] *Ut dies cœlorum supra terram*; hoc est, tam diu Chananæam Hebræi incolant, *quamdiu cœlum terris imminebit*, ut habet Vulgatus. Sic Psalm. LXXXIX, 30. de Davide ita loquitur Deus: *constituam in perpetuum posteros ejus, & thronum ejus* כימי שמים *ut dies cœli.* Vid. & Psalm. LXXII, 5, 7. & 17.

22. *Observaveritis*] *Servando servaveritis.*

23. *Possidebitis gentes*] Hoc est, deletis aut occisis gentibus potentioribus vobis, agros & facultates earum possidebitis.

24. *Locus omnis, quem calcaverit planta pedis vestri*] Hoc est, quocumque arma circumtuleritis inter hos fines, vincetis atque expelletis veteres colonos.

Ad deserto ad Libanum] ממדבר והלבנון *à deserto & Libano*, pro ועד הלבנון *& usque ad Libanum.* Opponuntur enim hi fines Israëlitici soli, quemadmodum, in sequentibus verbis, mare internum & Euphrates.

A flumine Euphrate] מן הנהר נהר פרת *à flumine, flumine Euphrate.* Solebat, nempe, Euphrates Hebræis vocari הנהר ὁ ποταμὸς simpliciter, ob ejus magnitudinem & celebritatem. Vide Deut. I, 7.

Mare occidentale] ים אחרון *jam abbaron.* LXX. τῆ θαλάσσης τῆ ἐπὶ δυσμῶν, Vulg. *mare occidentale. Onkelos*, ימא מערבא. Oriens, nempe, est קדם kedem *antica pars*; Occidens verò אחור ahhor *postica.* Vide not. ad Exod. XXVI, 33.

25. *Spar-*

XII. Hortatur Moses Hebræos ad omnia Idololatriæ Chananæorum vestigia delenda, ad colendum Deum unum, sacrâque ad Tabernaculum dumtaxat ei facienda, ad benignitatem erga Levitas, ad abstinentiam Sanguinis, denique ad Chananæorum impiam superstitionem fugiendam.

1. HÆc sunt instituta & jura, quorum recordabimini ut *ea* observetis in terra, quâ Jehova Deus majorum vestrorum vos donavit; ut eam possideatis, per omnes dies, quibus in terris vivetis. 2. Destruetis omnia loca, in quibus gentes, quas possidebitis, Deos suos coluerint, in montibus prææltis, in col- CAPUT XII.

PARAPHRASIS.

1. OMNIA vobis exposui, quæ à vobis sunt observanda in Chananæa, ut eam in perpetuum possideatis. 2. 3. Sed potissimùm omnia fana, altaria, simulacra, & nemora Diis Chananæorum consecrata, ita diruite, atque delete, ut nulla eorum sint ampliùs vestigia, nulla apud posteros memona.

4. 5. At

25. *Sparget*] *Ponet supra faciem totius* &c.

26. *Videte*] ראה *vide*. Adi not. ad Cap. IV, vers. 5.

Coram vobis] Hoc est, vobis propono ut eligatis. Vide Cap. XXX, 19.

Benedictionem & maledictionem] Felicitatem & infelicitatem.

27. *Si audiveritis*] אשר תשמעו. Sequentia verba ostendunt אשר esse pro אם *si*.

29. *Pronunciabis*] נתתה *pones*, aut *dabis*. Vide Num VII, 27.

In monte Gerizim] LXX. Intt. Γαριζὶν, prout suo ævo nomen hoc efferebatur, Judaïcâ dialecto, ex Babylonica potius quàm ex Hebraïca natâ. Samaritæ in eo, ut notum est, suum Templum Jerosolimitani æmulum, postea ædificarunt. Scio *Eusebium* & *Epiphanium* controversiam movere hac de re Samaritis, atque hos montes non procul Jerichunte collocare; sed eos jam alii confutarunt, & inter alios dignus est qui hac de re legatur *Christ. Cellarius*, in Collect. Hist. Samar. Cap. I. Fuerunt ergo montes Gerizim & Hebal in media Ephraimi Tribu, non in Benjaminitica, non procul à Jerichunte.

30. *Annon sunt trans Jordanem*] Vir doctus, qui *Josephum* cum suis animadversionibus edera cœperat Oxonii, suspicatur, ad pag. 315. Josuam, aut quempiam ei æqualem hæc verba Mosis orationi inseruisse. Sed non opus est, potuit enim Moses horum locorum situm nosse.

Juxta viam] אחרי דרך *post viam*, quod exponitur postea, *ad occasum*, quia occasus pars postica habetur, ut diximus ad vers. 24.

E regione Gilgalis] Hæc non sunt referenda ad situm montium Gerizim & Hebal, sed ad Chananæos; quorum agri dicuntur à planitie Gilgali vicina porrecti fuisse ad hosce montes. Mentio autem fit Gilgalis, ut loci eo ævo celebrioris, & ad quem fortè erat potissima pars agrorum horum Chananæorum. Itaque malè *Eusebius* & *Hieronymus* hinc colligunt alium fuisse situm eorum montium, ac vulgò putabant Samaritæ. Sic habent in locis Heb. GOLGOL *quæ &* GALGAL, *juxta quam montes esse scribuntur Garizim & Gebal. Galgal autem locus est juxta Hiericho. Errant igitur Samaritani, qui juxta Neapolin Garizim & Gebal montes ostendere volunt, cum ipses juxta Galgal esse Scriptura testetur.* Postea tamen observant aliam Galgalam à nonnullis statui. *Sed & juxta Bethel quidam aliam Galgalam suspicantur*; de qua, nempe, hoc in loco agat Moses.

More querceta] אלני מורה. Vide not. ad Gen. XII, 6. Addunt hîc Samaritæ: מול שכם *è regione Schechem*, quod quidem verum est, ut liquet ex loco Gen. laudato, Jud. IX, 7. & *Josepho* Ant. Jud. Lib. IV. Cap. ultimo; sed ea additione non opus erat.

32. *Mementote observare*] *Servate ad faciendum.*

Propono vobis] *Pono ante facies vestras.*

COMMENTARIUS

In CAPUT XII.

2. D*Estruetis*] *Perdendo perdetis.*

Quas possidebitis] Vide ad Cap, XI, 23.

Sub omni arbore virente] Hoc est, quascumque ædiculas, aut aras sub lucorum umbra invenietis. Vide not. ad Cap. VII, 5.

3. *Nomina eorum*] Solo, nempe, æquatis fanis, nulla ampliùs mentio fiebat Deorum, qui in iis locis culti fuerant.

Ex iis locis exterminabitis] *Perdetis nomen eorum ex illo loco.*

5. *Ad locum quem elegerit*] In quo Tabernaculum suum posuerit.

Ut illic ponat nomen suum] Hoc est, quem Tabernaculo suo ita insigniat, ut is locus dicatur *urbs Jehovæ*. Sic Ps. XLVIII, 1. vocatur Jerosolima *urbs Dei nostri*, vers. 3. *urbs magni Regis*, vers. 9. *urbs Jehovæ Dei exercituum.* Vide & Ps. LXXXVII, 3. CI, 8.

6. *Salutares victimas*] זבחיכם *zibbhechem*. Sic & alibi sumitur ea vox.

Decimas] Sunt decimæ, de quibus infrà Cap. XIV, 22. quandoquidem his epulari licebat, ut sequentia docent.

7. *Epulabimini*] *Edetis*, hoc est, licebit illic epulari.

 Omni-

collibus, & sub omni arbore virente. 3. Diruetis eorum aras, confringetis statuas, igne comburetis lucos, concidetis Deorum imagines sculptas, nominaque eorum ex iis locis exterminabitis.

4. Non ita facietis Jehovæ Deo vestro, 5. sed ad locum, quem elegerit Jehova Deus vester ex omnibus tribubus vestris, ut illic ponat nomen suum atque habitet, sciscitatum ibitis. 6. Eò adducetis holocautomata vestra, *salutares* victimas, decimas, oblationem elatam manûs vestræ, votivas, spontaneásque victimas, & primogenita boum, oviúmque & caprarum vestrarum. 7. Epulabimini illic coram Jehova Deo vestro, & lætabimini vos & familiæ vestræ, omnibus quibus manum injicere licebit, *&* *in* quibus vobis benedixerit Jehova Deus vester.

8. Non facietis omnia quæ hic hodie facimus, quisque quod sibi rectum videtur. 9. Hactenus enim nondum ingressi estis locum quietis, seu possessionem quâ Jehova Deus vester vos donavit. 10. Sed cùm trajeceritis Jordanem, & incoletis terram, quam Jehova Deus vester possidendam dat vobis; cùm dederit vobis requiem ab omnibus hostibus vestris circumquaque, & securè *eam* habitabitis; 11. erit locus quem eliget Jehova Deus vester, ut nomen suum illic mansurum collocet. Eò

4. 5. At postquàm Deus locum elegerit, in quo Tabernaculum suum statuat, cavete ne ejus obliviscamini; verùm illuc ad impetrandam Dei pacem, cognoscendámque ejus voluntatem itote. 6. Victimas omnes vestras, cujuscumque sint generis, eò ducite mactandas. Eodem decimas vestras secundas, excepto tertio quoque anno, primitiasque fructuum deferte. 7. Hisce ad Dei Tentorium epulamini, & pro facultatibus à Deo acceptis, hilaria convivia cum familia vestra, ne servis quidem exceptis, illic agitate.

8. Cavete ne in terra Chananæa, eodem modo vos geratis, ac in solitudinibus, in quibus hactenus vixistis, ubi plerique in multis, non quod legibus divinis consentaneum est, sed quod sibi videtur faciunt. 9. 10. Sed postquàm, trajecto Jordane, de-

Omnibus quibus manum injicere licebit] בכל משלח ידיכם *in omni missione manuum vestrarum*. LXX. Intt. ὃ ἂν ἐπιβάλητε τὴν χεῖρα. Vulg. *ad quæ miseritis manum*. Hoc est, ex vestro epulabimini, postquàm omnia Deo debita solveritis, licebítque eo liberè uti; nam ex Lege non licebat omnibus manum injicere, & antequàm frugibus suis uterentur Hebræi, oportebat decimas esse persolutas. Hæc eadem loquutio significat quasvis facultates infrà Cap. XV, 10. XXIII, 20. XXVIII, 8, 20.

8. *Non facietis omnia* &c.] Deus non exigebat accuratam omnium Legum suarum observationem, dum Israëlitæ erant in deserto, multis rebus ad Sacra necessariis destituti, & nondum satis adsueti novarum Legum jugo. Ideò Moses tam sæpe in hoc Libro ait hæc jura observanda, *in terra quâ Deus Hebræos donabat*, Vide Cap. hujus vers. 1. & alibi passim. Hoc cùm multa alia ostendunt, tum in primis circumcisionis in Arabicis solitudinibus, per quadraginta annos, neglectus; quamvis in Ægypto diligenter observata fuisset, ut docemur Jos. V, 3. & seqq.

Quod sibi rectum videtur &c.] *Rectum in oculis suis*; multis, nimirum, in rebus; nam in omnibus prorsus non licebat, ut Moses superioribus Libris satis docuit. Sic videmus blasphemum pœnas luisse Levit. XXIV, vers. 23. item qui ligna die Sabbathi collegerat Num. XV, 32. qui Sacerdotium Aharonis familiæ eripere conati sunt Num. XVI, 31, &c. Videtur autem hìc Moses respicere potissimùm solutionem eorum quæ ad Sacerdotes & Levitas pertinebant, si sequentia adtendamus. Nec sanè poterant Hebræi ea in deserto solvere.

11. *Erit locus quem eliget*] Vide ad vers. 5.

Electissima quæque votorum] מבחר נדריכם *electionem votorum vestrorum*, hoc est, opimas victimas quas voveritis, alias enim vovere non licebat. Vide Levit. XXII, 20. *&* *seqq.*

12. *Lætabimini*] Hoc jam habuimus vers. 8. Significantur hilaria convivia, quæ agitare illic licebat solventibus vota, aut decimas illic absumentibus. Sapientissimum autem fuit hoc institutum, ne à tristiore per omnia Religione plebis animi alienarentur; cùm præsertim is mos esset omnium Gentium, & præsertim Ægyptiorum, ut festos conventus, cum omni hilaritatis genere conjunctos, celebrarent. Vide ad Exod. Cap. X, vers. 9. Rectè de hac consuetudine *Theodoretus* in Deuter. Quæst. X. Ἐπειδὰν ὁ τῆς ἀσεβείας διδάσκαλος, διὰ γαστριμαργίας καὶ φιληδονίας, ἐξανδραποδίζων τῶν ἀνθρώπων τὸ γένος, ταῖς δαιμόνων ἑορταῖς πολλὰς ἀνέμιξε πανηγύρεις, ἐκείνης τὸν Ἰσραὴλ ἀπαλλάττων τῆς πλάνης ὁ εὐμήχανος Κύριος, καὶ τὰς περὶ τῶν ἑορτῶν ἐνομοθέτησε καὶ τὰς θυσίας συνεχώρησε, καὶ τῶν μουσικῶν ὀργάνων ἠνέσχετο, καὶ ταῖς τοιαύταις ψυχαγωγίαις τὴν τῶν εἰδώλων ἐκκόπτων ἀσέβειαν: *Quandoquidem magister impietatis, per gulæ & voluptatis amorem, servum sibi faciens humanum genus, dæmonum festis multos miscuerat ludos, Israëlem ab hoc errore revocans sapiens Dominus & de festis leges tulit, & sacrificia concessit, & musica instrumenta tulit, & convivari jussit, etiam ejusmodi illecebris Idolorum impietatem exscindens.*

Servi & ancillæ] Ut hanc quoque requiem à laboribus haberent. Vide not. ad Exod. Cap. XX, 10. Similia etiam constituerunt alii Legislatores. *Macrobius* Saturnal. Lib. I. c. 10. *Philochorus Saturno & Opi primum in Attica statuisse aram Cecropem dicit, eósque Deos, pro Jove terraque coluisse, instituisséque ut patres familiarum, & frugibus & fructibus jam coactis, passim cum* SERVIS *vescerentur, cum quibus patientiam laboris, in colendo rure, toleraverant, delectari enim Deum honore* SERVORUM, *contemplatu laboris.* Nec sine causa infelicium servorum rationem habuit Deus, quos li-

Eò autem adducetis quæcumque vobis præcepi, holocautoma vestra, victimas *sa-*
lutares, decimas, oblationes elatas manûs vestræ, & electissima quæque votorum
vestrorum, quæ Jehovæ voveritis. 12. Lætabimini coram Jehova Deo vestro, vos,
filii vestri, filiæque, servi, & ancillæ, ac Levita, qui erit intra mœnia vestra, nul-
la enim ei *erit* pars, aut prædium vobiscum. 13. Cave tibi ne offeras holocauto-
mata tua, in quovis loco quem videris; 14. sed in loco quem elegerit Jehova,
in una tribuum tuarum, illic offeres holocautoma tuum, illic facies omnia, quæ
ego tibi præcepi. 15. Attamen quidquid cupierit animus tuus jugulabis, epulabe-
ris, in benedictione Jehovæ Dei tui, carne, quam tibi dederit, in omnibus mœ-
nibus tuis; immundus & mundus eâ vescentur, ut caprea, & cervo. 16. Sed san-
guinem non edetis, eum in humum, aquæ instar, effundetis. 17. Non poteris co-
medere intra mœnia tua decimam frumenti tui, musti, & olei, primogenita boum,
oviúmque & caprarum, ullas victimas votivas aut spontaneas, & oblationem ela-
tam manûs tuæ; 18. sed hæc coram Jehova Deo tuo comedes, in loco quem
elegerit Jehova Deus tuus, tu, filiúsque tuus & filia, servus ac serva, & Levita,
qui intra mœnia tua erit; lætaberísque coram Jehova Deo tuo, omnibus quibus
lice-

deletisque aut fugatis Chananæis, certas sedes habebitis, & pace fruemini; 11. victimas omnes vestras, ut modò dicebam, eò ducite, decimásque antea à me memoratas, & primitias fructuum ferte, 12. ut illic, cum omnibus vestris, vocatis etiam Levitis, ad Tabernaculum conviveminì. 13. Sacrificia præsertim cavete ne alibi uspiam, 14. quàm in loco à Deo electo, offeratis. 15. Sollemniora verò convivia ubivis celebrare licet, modò ne pecudes quæ propterea mactabuntur, in alio loco, quasi victimæ Deo oblatæ habeantur; & omnibus, immundis juxta ac mundis, ut Cervo & Capreâ, iis vesci liceat. 16. Diligenter dumtaxat curate, ut pecudum convivio mactatarum omnis sanguis in humum effundatur. 17. 18. Victimis verò, aliisque rebus Deo à vobis consecratis, procul à Sacrario vesci nefas semper ducite. Conviviis sacris ipsos, ut dixi, servos adhibete, sed Levitas præfer-

liberi usque adeò interdum spernebant, ut vix homines putarent. Sic Capite sequente *Saturnalium*, Evangelus negat *divina curare de servis*, de qua re vide quæ Prætextatum dicentem inducat *Macrobius*.

Nulla enim ei erit pars &c.] Vide not. ad Num. XVIII.

15. *Quidquid cupierit*] *Pro omni cupiditate animæ tuæ jugulabis*; nempe, pecudes quas comedas.

In omnibus mœnibus] *In omnibus portis.*

Immundus & mundus] A salutarium Sacrorum carne arcebantur immundi. Vide Levit. VII, vers. 20.

16. *Sanguinem non edetis*] Vide not. ad Gen. IX, 3. Leit. XVII, 11.

17. *Non poteris*] לא תוכל, hoc est, tibi non licebit.

Decimam frumenti] Secundam, nempe, de qua adi Differt. *Joan. Seldeni* huic volumini subjectam.

Primogenita boum &c.] Quia primogenitæ pecudes debebantur Sacerdotibus, ut docet Moses XVIII, 15. nec poterant ad Tentorium, aut alibi à pecudum dominis comedi; ideò viri docti rectè judicarunt hîc agi de aliis pecudibus, non primogenitis, sed convivio ad Tentorium celebrando consecratis. Itaque hîc בכרות vocantur non *primogenitæ* pecudes, sed fortè pinguissimæ, nam בכור aliquando significat in suo genere excellentissimum. *Sic primogenitus mortis* est maximus & periculosissimus morbus, Job. XVIII, 18. *primogeniti pauperum*, sunt pauperrimi omnium, Esai. XIV, 30.

Oblationem elatam] Videntur intelligi primitiæ fructuum, quas domini comedebant quidem, sed in loco in quo erat Tentorium, de quibus Levit. XIX, 23. Aliæ enim oblationes elatæ Sacerdotum erant. Vide Num. XVIII. & not.

29. *Cum Jehova Deus tuus fines tuos ampliarit*] Ut hic versus & sequentes intelligi possint, tenendum est Hebræos cùm sollemniùs convivari vellent, pecudésque propterea mactare, solitos esse eas offerre in salutaria Sacra; & postquàm Altari dederant quæ ei debebantur, veteri instituto & postea lege divinâ, reliquiis epulatos; ita ut sollemnius convivium plerumque sacrificium antecederet. Eadem consuetudo fuit Ethnicorum. Vide not. ad Num. XXIII, 40. & quæ collegit *Joan. Dougtæus*, in Anal. Sacris Part. I. Excurs. 138. Igitur monet hîc Deus, ne pietatis obtentu peccarent Israelitæ procul ab Altari degentes, non opus esse pecudes omnes, quæ epularum causâ mactabuntur, Deo offerri; quod fieri ab iis non potuisset, nisi alio in loco, contra Legem, Sacra fecissent. Ad eos verò quod adtinet, qui non procul à Tentorio habitabant, eos non vetat Deus salutaria sacra facere, cùm convivari vellent.

Adpetentiâ comedendæ carnis teneberis] *Concupiscet anima tua comedere carnem, pro omni cupiditate animæ tuæ comedes carnem.*

21. *Ut illuc nomen suum ponat*] Vide ad vers. 5.

Quemadmodum tibi præcepi] Hoc est, effuso omni sanguine. Vide v. 16.

22. *Ut comedi solens capreæ* &c.] *Ut comedetur* (יאכל) *caprea & cervus*; quorum, scilicet, caro, quamquam munda, sacra non habebatur, cùm non liceret ea animalia Deo offerre.

Immundus juxta ac mundus] Hoc non licebat in Sacris salutaribus. Vide Levit. VII, 21.

23. *Constanter in eo persta*] חזק לבלתי אכל *confirmare ne comedas.*

Nam sanguis est anima] Vide not. ad Gen. IX, 3. & ad Levit. XVII, 11.

25. *Quod rectum Jehovæ videtur*] *Rectum in oculis Jehovæ.*

26. *Ea*

licebit injicere manum tuam. 19. Cave ne *umquam*, per omnes dies tuos, in terrâ tua Levitam deferas.

20. Cùm Jehova Deus tuus fines tuos ampliarit, quemadmodum tibi promisit, dicésque, comedam carnem, quia adpetentiâ comedendæ carnis teneberis, pro omni tua adpetentia carnem comedes. 21. Cùm remotus erit à te locus, quem elegerit Deus tuus, ut illic nomen suum ponat, jugulabis è bubus tuis, ex capris aut ovibus, quas tibi dederit Jehova, quemadmodum tibi præcepi; pro omni tua adpetentia, intra mœnia tua edes. 22. Verùm ut comedi solent capreæ & cervi, ita illa comedentur; immundus, juxta ac mundus, illis vescetur. 23. Sed constanter *in eo* persta, ne sanguinem edas, nam sanguis est anima; non comedes autem animam, cum carne. 24. Eum non comedetis, sed in terram, instar aquæ effundetis. 25. Eum non comedetis, ut tibi, posterisque tuis bene sit, quia quod rectum Jehovæ videtur feceris. 26. Ea dumtaxat quæ à te erunt consecrata, & vota tua feres, locúmque quem elegerit Jehova adibis. 27. Offeres holocautomatum tuorum carnem & sanguinem, in altare Jehovæ Dei tui; at *salutarium* victimarum tuarum sanguis effundetur ad altare Jehovæ Dei tui, carnem verò comedes. 28. Observa, & audi omnia quæ tibi præcipio, ut tibi, posterisque tuis in perpetuum bene sit, quia feceris quod bonum & rectum Jehovæ videtur.

29. Quando Jehova Deus tuus exciderit è conspectu tuo gentes, ad quas contendis, ut eas possideas; cùm eas possederis, & earum terram incoles; 30. cave ne post eas in laqueum incidas, postquàm è conspectu tuo exterminatæ fuerint. Ne percuncteris de earum Diis, dicendo: quomodo coluerunt eæ gentes Deos suos, ut sic quoque ego faciam? 31. Non sic facies Jehovæ Deo tuo; nam omnia à quibus abhorret Jehova, *&* quæ odio habet, eæ fecerunt Diis suis, quibus etiam filios suos, & filias igne combusserunt. 32. Quidquid præcipio vobis hoc recordabimini ut faciatis, ei nihil adjicietis, nihil detrahetis.

XIII. Le-

sertim ad ea vocate; 19. neque umquam iis bene facere desinite.

20. 21. Postquàm Deus amplas sedes vobis dederit, in quibus necesse erit plurimos procul à Tentorio remotos esse; cùm convivari procul ab eo habitantes volent, pecudes quidem in habitationibus suis mactent, & conviventur iis in locis. 22. Leges hoc neqnaquam vetant, modò ne pecudes mactatæ, ut dicebam, habeantur sacræ, sicut victimæ salotares, & ab omnibus promiscuè, nullâ immunditiei ratione habitâ, comedantur, quemadmodum Caprearum aut Cervorum caro. 23. 24. 25. Verùm à comedendo earum sanguine, summâ curâ, abstinete, eúmqoe in humum, ut jam monui, totum effundite. 26. 27. Solas victimas necessariò ducendas ad Tabernaculum; earúmque illic adolendas carnes, atque effundendum ad altare sanguinem scitote. 28. His, ceterisque omnibus Legibus studiosè observatis, Dei favor vobis conciliabitur, & beneficiis ejus cumulabimini.

29. Cùm Idololatrarum Gentes ex agris, qnos occupabant, expuleritis, 30. omnem occasionem Idololatriæ simili admittendæ vobis præscindite, ideóqne in earum opiniones & sacros ritus ne inquirite quidem, ne fortè eas imitari postea velitis. 31. Deus vester à sacris earum Gentium abhorret, quæ superstitione usque adeò efferatæ sunt, ut liberos suos fictis Numinibus adoleverint. 32. Ritus Lege sancitos in Sacris observate, nec iis quidquam vicinos imitati addite, aut detrahite.

P A-

26. *Ea dumtaxat quæ à te erunt consecrata*] *Tantùm sanctitates tuas, quæ tibi erunt.* Hoc pertinet ad superiora, docétque Moses nequaquam opus esse ducere ad altare pecudes omnes quibus vesci volebant, sed tantùm eas quæ victimarum loco habendæ, aut voto debitæ erant.

27. *Offeres Holocautomatum tuorum*] *Facies holocautomata tua, carnem & sanguinem altari.* Ritus holocautomatis vide Levit. Cap. I.

Salutarium victimarum] זבחיך *zbabbecha*, quod cùm opponitur holocautomati signat sacrum salutare. Vide v. 11.

30. *Ne post eas in laqueum incidas*] פן תנקש אחריהם *ne illaqueeris post eas*, hoc est, בהלך אחריהם *eundo post eas*, seu eas imitando.

31. *Filios suos & filias suas* &c.] Vide not. ad Levit. XVIII, 21.

32. *Ei nihil adjicietis* &c.] Ex moribus vicinarum Geutium

COM-

XIII. Leges de Pseudopropheta, de singulis hominibus, déque urbibus integris, à veri Dei cultu deficientibus.

1. CUM in medio tui surrexerit Propheta, aut somniator, signúmque aut portentum tibi ediderit; 2. signum autem illud aut portentum, quod tibi pollicitus fuerat, evenerit, & dicet: sequamur Deos alienos quos non nosti, eósque colamus; 3. non audies verba ejus Prophetæ, aut somniatoris, vos enim tentat Jehova Deus vester, ut sciat an ametis Jehovam Deum vestrum toto animo, & totâ mente. 4. Sequemini Jehovam vestrum, eum timebitis, præcepta ejus observabitis, vocem ejus audietis, eum coletis, eique adhærebitis. 5. Propheta autem ille, aut somniator morte adficietur, quia defectionem suasit à Jehova Deo vestro, qui vos eduxit è terra Ægyptia, liberavitque ex ergastulo; *defectionem, inquam, suasit*, ut vos averteret à via, quâ vos jussit incedere Jehova Deus vester; & *sic quidem* malum, è medio vestri, tolletis. CAPUT XIII.

6. Cùm te clam incitarit frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor sinûs tui, aut amicus qui *tibi* instar animæ tuæ erit, dicens: eamus & colamus Deos alienos, quos nec tu, nec majores tui novistis; 7. ex Diis populorum qui sunt circa vos, seu vicini tibi sint, seu à te remoti, ab extremitate terræ, ad *alteram* terræ extremitatem; 8. non adsentieris illi, neque auscultabis; ei non parcet oculus tuus, non ignosces, eum non celabis, 9. sed occides: manus tua prior erit, contra illum, ut eum occidas, posterior manus totius populi. 10. Eum lapidibus obrues, & morietur, quandoquidem conatus est te avertere à Jehova Deo tuo, qui te ex Ægypto, & ergastulo eduxit. 11. Omnis Israël hæc audiet, timebitque, nec perget hujusmodi rem malam, in medio tui, facere.

12. Cùm

PARAPHRASIS.

1. SI quis Prophetam se esse & à Deo missum jactarit, aut somnium divinitus habuisse se contenderit; 2. utque vobis fidem faceret, futurum quidpiam, quod ab hominibus præcognosci non potest, prædixerit, aut prodigium ediderit; idémque vos ad alienorum Deorum cultum abducere nitatur; 3. aures ei nequaquam præbete, talia enim contingere patietur Deus, ut constantiæ amoris vestri erga se experimentum capiat. 4. Huic soli parete, & quidquid contigerit, solum colere constanter pergite. 5. Vates verò ille, aut somniator capite pœnas luito, quòd vos à Deo omnium rerum Creatore, vestróque præsertim Liberatore, avocare conatus sit; neque ejusmodi impietatem impunè inter vos admitti patimini.

6. Si consanguinitate, adfinitate aut amicitiâ vobiscum conjunctus, idem vobis persuadere clam tentarit; 7. seu Deorum vicinarum Gentium, seu remotiorum cultum inducere nitatur; 8. tantùm abest ut eum, propinquitatis causâ, audire liceat, ut ad saniorem mentem frustra revocatus, & testibus convictus, Magistratibus deferendus sit, ut capite pœnas luat. 9. 10. Lapidibus damnatus obruitor; & accusatoris quidem manu primus lapis conjicitor, tum ceteri qui aderunt sequuntor. Quisquis cultum Dei Creatoris, & Liberatoris populi Hebræi oppugnarit, ita plectitor; 11. hoc supplicio omnibus Hebræis metus Dei & sacrorum ejus reverentia injicitor, & qui similia adgredi vellent deterrentor.

12. 13. 14. Cùm

COMMENTARIUS

In CAPUT XIII.

1. *Somniator*] *Somnians somnium*. Qui dicat se somnia ἐνύπνια habere, eáque promulget quasi monita divina.

Signum aut portentum] אות או מופת *oth o mopheth*. Prius *signum* quodvis sonat, posterius propriè quod Ecclesiastico sermone *miraculum* vocamus. Sed hîc idem significant, agit enim Moses de re supra humanam potentiam aut cognitionem posita; quæ fiat hominis precibus, aut ab eo prædicatur, ut ostendat se verè à Deo missum. Talia erant *signa*, aut, si velimus, τεράστια quibus divina Prophetarum missio innotescebat.

Ediderit] *Dederit*, verbis, nempe, prænunciarit.

2. *Quod tibi pollicitus fuerat*] Aut *prædixerat*, דבר, quod *polliceri* frequenter vertendum esse ostendimus.

Sequamur Deos alienos] *Eamus post Deos* &c. Observandum hîc Mosem non damnare eum, *qui interpretetur Legem aliter quàm fieri solet*; aut etiam, *ipsam à Deo Israëlis abrogatam esse contendat*; sed ita describere falsum Prophetam, ut characterem ejus proprium esse velit, abnegationem Dei Israëlis, seu cœli & terræ Creatoris. Ac sanè quamvis nusquam dicat fore aliquando tempus, quo Lex melior à Deo ad Hebræos, reliquúmque humanum genus mittenda erat, imò verò de Legibus suis quasi perpetuis, semper loquatur; non potuit tamen Legislatori ipsi legem imponere, & notum est *perpetuitatem Legum* huic exceptioni semper subjacere, nisi

12. Cùm audiveris de una urbium tuarum, quas Jehova tibi dederit, ut eas in-
colas, dici: 13. egressi sunt homines nequam è medio tui & impulerunt incolas
urbis suæ, dicentes: eamus, colamus Deos alienos, quos non nostis, 14. tum *in hoc*
diligenter inquires, investigabis & percunctaberis; quando *ea* fuerit veritas, res cer-
ta erit, & detestabile hoc scelus in medio tui admissum; 15. incolas urbis illius
gladio concîdes, internecioni devotâ urbe, & omnibus quæ in ea erunt, etiam pecu-
dibus, ut gladio *pereant*. 16. Omnia ejus spolia in mediam plateam coacervabis, at-
que urbem & omnem prorsus ejus prædam Jehovæ Deo tuo combures; erit cumulus in
æternum, neque ampliùs instaurabitur. 17. In manu tua nihil ex re devota hærebit,
ut revocetur Jehova ab iræ suæ excandescentia, in te commiserationem exerceat, tui
misereatur, téque, quemadmodum majoribus tuis juravit, augeat; 18. quia auscul-
taveris voci Jehovæ Dei tui, ut observares ejus præcepta, quæ ego tibi hodie edo, ut
quæ placent Jehovæ Deo tuo faceres.

XIV. Le-

12. 13. 14. Cùm malos viros, in quapiam Hebræorum urbe, idem palam tentasse, nec tamen pœnas ullas tulisse audietis, in eum rumorem diligenter inquirite. Si verus comperiatur, 15. tum verò ad arma vicini concurrant, exitióque eam urbem, & quidquid in ea erit devoveant. Dein homines omnes & pecudes ferro ad internecionem occidant, 16. omnésque incolarum facultates in plateam collatas unà cum urbe incendant, neque umquam ea urbs instauretur. 17. Ex iis quæ ad incolas pertinuerint, & exitio devota fuerint, nihil sibi quisquam diripiat, sed omnia perdantur, atque absumantur. Eo hominum Idololatrarum, ac divinarum Legum negligentium merito supplicio, Dei ira averruncabitur, séque ille misericordem, ac beneficum vobis, prout Majoribus vestris pollicitus est, præbebit, & vos ita augebit, ut Idololatrarum jacturam sensuri non sitis. 18. Hæc merces divinarum Legum observantibus erit.

P A-

nisi aliter Legislatori videatur; nam ad eos quod adtinet, quibus parendi dumtaxat gloria relicta est, Legibus derogare, aut abrogare quidquam illis numquam licet; adeóque ab iis, nisi Legislator ipse mutationem suis Legibus adferat, perpetuæ habentur. Igitur stultè Judæi hanc Legem Christianis objiciunt, quasi hinc adpareat non fuisse audiendos Jesum Nazareuum, ejúsque discipulos. Hi enim non adgressi sunt docere Judæos alium Deum esse colendum, præter eum quem norant, seu cœli & terræ Creatorem.

3. *Vos tentat Jehova*] Dum patitur prodigium à Cacodæmone fieri. Nam verum miraculum fuisse statuitur, alioqui Moses potiùs discrimen verorum & falsorum miraculorum descripsisset, ut ita veri Prophetæ à falsis secernerentur. Vide not. ad Exod. VII, 11.

Ut sciat an ametis &c.] Vide not. ad Cap. VIII, 2.

5. *Morte adficietur*] Certè nullâ ratione defendi potuit, qui dixisset malè facere Israclitas qui colerent Creatorem cœli & terræ; aut perperam ei tribuere prodigia in sui gratiam facta. Nemo potuit, præter hominem nequam & *αὐτοκατάκριτον*, proponere Hebræis alium Deum colendum, præter omnium rerum Creatorem, à quo, tot editis prodigiis, ab omnibus Gentibus discriminati fuerant. Nemo dicere potuit Solem, aut Lunam, aut aliud Sidus, Terrámve, aut Aquam, aut Aërem, & multò minùs homines in Deorum numerum relatos digniores esse qui colerentur ab Hebræis, æterno Numine, à quo omnia creata sunt; nisi furiosus esset, aut vir malus, qui aliud quàm Religionem spectaret. Hæc est potissima ratio capitalis supplicii, quo hæc Lex sancita est, & quæ sponte se se rem paullò adtentiùs pensitantibus ingerit.

Cavendum autem ne putemus Pseudoprophetæ nomine infamatum & pœnas capite luere oportuisse, qui aliter Legem interpretabatur, quàm vulgò solebant Magistri, aut etiam dogma falsum propugnabat; quamvis se à Deo missum non jactaret, neque ab ejus cultu deficeret. Oportebat enim & divinam missionem falsò prætendi, & Idololatriam ab eo propugnari, ut docet Lex; cui non exiguum additamentum adsueretur, si crimen & pœna extenderentur ad omnia quæ falsa Judicibus videri potuissent. Sic, postremis temporibus, errare quidem gravissimè à plerisque Judæis meritò judicati sunt Sadducæi, nec Legem probè intelligere; attamen falsi Prophetæ numquam sunt habiti, nec propterea capite pœnas dare oportere crediti.

6. *Uxor sinûs tui*] Quæ in sinu tuo cubat, vel carissima. Vide Cap. XXVIII, 56.

Instar animæ tuæ est] כנפשך hoc est, quem tui ipsius instar amas, nam *anima tua* est, Hebraïsmo frequentissimo, tu ipse. Sic describuntur amici carissimi. *Zeno*, Stoïcæ sectæ conditor, in Epigrammate, cujus exstat tantùm versio apud *Apuleium*, in Apologia:

Hoc modò sim vobis, unus sibi quisque quod ipse est,
Hoc mihi vos eritis, quod duo sunt oculi.

Vide Intt. ad Galat. IV, 12.

7. *Ab extremitate terræ* &c.] Nempe, cultæ. Vide not. ad Cap. V, 32.

8. *Ei non parcet oculus tuus* &c.] Quamvis taceat Moses, duo hîc intelligenda videntur, quæ non exprimit. Alterum est, antequàm seductor capite plecti posset, eum oportuisse coram duobus testibus id cujus causâ accusabatur dixisse, nam is erat minimus testium numerus in causa capitis, ut docet Legislator Num. XXXV, 30. Alterum, seductorem pertinaci-

ter

XIV. Leges de luctu, de animalibus mundis & immundis, de decimis, de benignitate in Levitas, viduas, peregrinos & orphanos.

1. FILII estis Jehovæ Dei vestri, vosmet non incidetis, neque calvitiem inter oculos vestros inducetis, propter mortuum. 2. Tu populus sacer es Jehovæ Deo tuo, te elegit Jehova, ut fieres ei populus peculiaris, ex omnibus populis, qui sunt in terris. CAPUT XIV.

3. Nullam rem abhorrendam comedes. 4. His animalibus vescemini, Bove, Ovibus, Capris, 5. Cervo, Caprea, Jachmure, Hirco Silvestre, Pygargo, Oryge, & Rupicapra. 6. Omne animal, cujus ungula divisa est, quod fissuram habet integram in duabus ungulis, & quod ruminat, inter pecudes, comedetis. 7. Verumtamen hæc non comedetis ex iis quæ ruminant, aut quæ habent ungulam divisam

PARAPHRASIS.

1. CUM populus sitis uni vero Deo consecratus, ejus solius instituta observate; adeóque neque incisionibus, neque tonsuris Arabum, funerum causâ, corpus aut caput vestrum dehonestate. 2. Solum populum Hebræum, ex omnibus terris, sibi elegit Deus, ut singularibus beneficiis eum adficeret; nec populum Hebræum Legibus à Deo acceptis alias ullas, ab hominibus conditas, addere fas est.

3. Igitur abstinete animalibus, quæ illicita esse voluit Deus, 4. nec nisi licitorum carne epulamini. Ex domesticis pecudibus concessæ vobis sunt Bos, Ovis & Capra; 5. ex silvestribus verò, Cervus, Caprea, Jachmur, Hircus Silvestris, Pygargus, Oryx & Rupicapra. 6. Omne quadrupes, cujus ungulæ prorsus divisæ sunt & ruminat, id vobis est licitum. 7. Ne tamen Camelum comedite, quia ejus ungulæ pelliculâ cohærent, quamquam

ter pertexisse Idololatriam defendere, quamvis monitum. Quis enim credat patri, exempli causâ, non licuisse vitam servare filio, quamvis resipuisset? Itaque hæc duo supplent Rabbini, ut liquet ex *Maimonidis* עבודה זרה Cap. V. § 4. 5.

9. *Eum occides*] Accusatum, nempe, & damnatum à Judicibus.

Manus tua prior] Vide infrà Cap. XVII, 7.

10. *Conatus est te avertere*] בקש להדיחך *quæsivit te dimovere à Jehova.*

12. *De una*] באחת *in una*, ב est pro ל, loquitur enim Moses de urbe, quæ dicatur ad Idololatriam defecisse. Sic ea præpositio sumitur Levit. V, 21. Deut. III, 26. & sæpe aliàs. Itaque malè LXX. Intt. ἐν μιᾷ τῶν πόλεών σου, & Vulg. *in una urbium tuarum.*

13. *Homines nequam*] בני בליעל *filii nequam.*

14. *Quando verò*] *Et ecce veritas.* Vide de hac phrasi Levit. XIII, 5.

Detestabile hoc scelus] התועבה *hattboebah.* Non significatur sola Idololatria, sed cùm eorum facinus qui palam cives ad Idololatriam pellicere ausi sunt, tum etiam eorum qui passi sunt ejusmodi sermones impunè haberi.

15. *Gladio concides*] *Percutiendo percuties ore gladii.*

Internecioni devotâ urbe] Rabbini volunt hanc pœnam tum demum urbi integræ inflictam, cùm maxima pars urbis deliquerat. Varias etiam addunt exceptiones, ingeniosi quippe ad comminiscendum, quas vide apud *Maimonidem* de Cultu peregrino Cap. IV. Ex verbis Mosis hoc colligere posse videmur, si palam homines nequam Idololatriam impunè suasissent, cùm ipsos occisos, tum universam urbem internecioni devotam fuisse. Ac sanè urbis, ubi ejusmodi sermones sine periculo poterant palam haberi, meritò censebatur maxima pars ad Idololatriam propendere, & leges divinas flocci facere. Itaque ceteri Hebræi hos habere debebant, eodem loco ac Chananæos; quandoquidem, spretis Hebræorum legibus, ad aliam Rempublicam deficere velle videbantur, cùm hoc sibi palam suaderi paterentur. De ejusmodi devotionibus, in quibus omnis ætas occidebatur, diximus ad Num. XXXI, 7.

16. *Omnia ejus spolia*] Sapientissimè hoc constitutum fuit, ne ob divitias, vicinis invidiosas atque avidè diripiendas, deleretur urbs innocua. Ratò enim homines ad tanta scelera, sine præmio ullo, deveniunt; nec ullum est tantum scelus, quod, ubi propositum est magnum præmium, committere non possint homines mali.

Jehovæ Deo tuo combures] Ut ei satisfiat, útque honor ei habeatur. Vide ad Num. Cap. XXV, vers. 4.

Instaurabitur] תבנה *ædificabitur.*

17. *Ut revocetur*] *Ut redeat*; ne, nempe, de aliis etiam Hebræis, qui Leges à popularibus suis sperni impunè patiuntur, ob eam negligentiam pœnas sumat. Vide Jos. VII, 1, 11, 12. XXII, 17. & *seqq.*

COMMENTARIUS

In CAPUT XIV.

1. F*ilii estis Jehovæ*] Hoc est, populus ejus, quem decet ejus legibus parere. Vide not. ad Num. Cap. XXI, 29.

Vosmet non incidetis] Vide not. ad Levit. XIX, 28. Furiosa illa consuetudo nondum in Oriente, inter Mohammedanos, exolevit, ut liquet ex Recentiorum Itinerariis. *Petrus Vallensis* Itin. Part. I. Ep. IV. §. 18. in descriptione funeris apud Persas: *Familia nuda ad cingulum procedit, exutis vestibus atque camisiis, iisque extrimsecus pendentibus. Qui patronum maximè*

 omnium

visam & fissam, Camelum, Leporem, & Arctomurem, quia ruminant quidem, sed ungulam non habent fissam, ideóque immunda vobis erunt; & 8. Suem, quia divisam habet ungulam, sed non ruminat, immundus erit vobis. Carne horum non vescemini, neque cadavera tangetis.

9. Hæc comedetis, ex omnibus quæ sunt in aqua; quæcumque habent pinnas & squamas, iis vescemini. 10. Quodcumque non habet pinnas & squamas, eo non vescemini, immundum vobis erit.

11. Omnem avem mundam comedetis. 12. Hæ autem sunt quibus non vescemini, Aquila, Ossifraga, Melanæetus, 13. Milvius, Æsalo, Vultur *niger* pro specie sua, 14. omnis Corvus pro specie sua, 15. Struthio fœmina & Struthio mas, Larus, Accipiter pro specie sua, 16. Onocrotalus, Bubo, Noctua, Pelecanus, Vultur *albus*, Catarrhactes, 18. Ciconia, Anapha pro specie sua, Upupa & Vespertilio. 19. Omne reptile volatile immundum vobis erit, non comedetur. 20. Omni ave munda vescemini. 21. Nullum cadaver comedetis, peregrino qui erit intra mœnia vestra hoc dabitis, idque comedet; aut vendite alienigenis; tu enim es populus Jehovæ Deo tuo sacer; non coques hædum in lacte matris ejus.

22. Decimam sepones proventûs omnis sementis tuæ, quem ager quotannis edit; 23. co-

quamquam divisæ; nec Leporem aut Arctomurem, quia non sunt iis ungulæ divisæ, cùm in singulis digitis singulas, easque solidas habeant; nec denique Suem, quia non ruminat, licèt ungulis sit prorsus divisis. Horum animalium neque carnem comedere, neque cadaver adtingere, sine pollutione, licet.

9. Iis piscibus vescamini, quibus sunt pinnæ & squamæ; 10. alterutris verò, aut ambabus destitutis abstineatis.

11. Omnes aves mundas habebitis, & comedetis, 12. exceptis hisce: Aquilâ, Ossifragâ, Melanæeto, 13. Milvio, Æsalone, Vulture nigro, 14. Corvo, 15. Struthione, Laro, Accipitre, 16. Onocrotalo, Bubone, Noctuâ, Pelecano, Vulture albo, Catarrhacte, 18. Ciconiâ, Anaphâ, Upupâ & Vespertilione. 19. Omni etiam volucre repente, aut quatuor pedibus incedente, abstinete. 21. Pecudem sponte mortuam, aut laceratam à feris ne comedite; sed peregrinis, qui nondum Sacra vestra omnia susceperunt atque inter vos habitant, aut vicinis vendite; vos enim, Deo sacrum populum

omnium amabant, iis erant brachia variis in locis vulnerata, profluente sanguine.

Inter oculos vestros] Hoc est, resectis crinibus, qui imminent oculorum interstitio, ut in orbem adtonsi sitis. Vide ad Levit. II.

2. *Populus peculiaris*] *Populus peculii.* Vide not. ad Cap. VII, 6.

In terris] *Super facie terræ.*

4. *Nullam rem abhorrendam*] *Omnem abominationem* כל תועבה, eibos, nempe, Lege vetitos, qui eo ipso abhorrendi evadunt.

4. *His animalibus*] Vide not. ad Levit. XI.

Ovibus & Capris] שה כבשים ושה עזים *catulo ovium, & catulo caprarum.*

Jachmure] יחמור *jahhmour.* Ita vocatur ab Arabibus animal, quod frequens est circa Euphratem, rufum, cervo simile & serratis cornibus, ut ostendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. 3. Cap. XXII. LXX. Intt. βύβαλον, Vulg. *bubalum* verterunt, quod est *Capreæ* genus, ut idem observavit.

Hirco Silvestre] אקו *akko.* LXX. Intt. τραγέλαφον, Vulg. *tragelaphum* vertunt. Reliqui omnes hirci silvestris speciem esse existimant. Vide *Sam. Bochartum* Ibid. Cap. XIX. & Part. 2. Lib. VI. C. I.

Pygargo] דישן *dischon.* Sequuti sumus LXX. Intt. & Vulg. Est cervi, aut capreæ genus, ita dictum à *clunibus albis*, ut דישן potest esse à דשן *cinere*, quod posteriora habeat hoc animal cinerei coloris. Adi *Hieroz.* Part. I. Lib. 3. Cap. XX.

Oryge] תאו *theo.* Sic verterunt LXX. & alii Græci Intt. quos sequutus est Vulgatus. Fuit capreæ, aut cervi species. Vide eumdem Cap. XXVIII.

Rupicapra] זמר *zemer.* Camelopardalin plerique interpretantur, sed eos confutavit vir summus, & feliciter conjecit esse *Rupicapram*, aut simile animal, ita dictum à radice Arabica זמר *zamara*, quæ significat *saltare saltu capreæ.*

6. *Cujus ungula divisa est* &c.] Vide not. ad Levit. XI, 3.

13. *Vultur*] הדיה *haddajah.* Hæc vox non exstat in Levitico, omissione, ut suspicatur *Sam. Bochartus*, librariorum, qui propter ὁμοιοτέλευτον duarum vocum הראה *haajah* & הדיה *haddaja*, posteriorem omiserunt. Attamen hoc in loco Deut. omittitur à LXX. Intt. & Samaritis. Cùm constet ex Esai. XXXIV, 15. דיות esse gregales aves, existimat vir summus non *Milvios* esse, ut vertunt plerique, qui numquam congregantur; sed *Vultures*, qui solent junctim volare. Non omnis tamen generis Vultures esse vult; sed tantùm *nigros*, quia דיו *dejo* est atramentum. Infrà vero רחם *rabham* est *vultur albus.* Vide *Hieroz.* Part. 2. Lib. II. c. 6.

21. *Peregrino* &c.] Vide not. ad Levit. Cap. XVII, 15.

Vendite alienigenis] *Vende alienigenæ*, nimirum, vicinis Ethnicis. Peregrini, qui erant *Proselyti justitiæ*, non magis audebant adtingere cadaver bestiæ sponte mortuæ, aut à feris occisæ, quàm ipsi Hebræi. Sed *Proselytis portæ* hoc licuit. Sic & Ægyptii peregrinis vendebant, quæ non audebant comedere. Vide locum *Herodoti* adlatum ad Levit. C. I, 8.

Non coques hædum &c.] Vide not. ad Exod. XXIII, 19.

22. *Decimam sepones*] *Decimando decimabis.*

[23] comedésque coram Jehova Deo tuo, in loco quem elegerit, ut illic nomen suum collocet, decimam frumenti tui, mustique & olei, ac primogenita boum tuorum, ovium & caprarum, ut discas timere semper Jehovam Deum tuum. [24] Cùm verò longior erit via, quàm ut eam *decimam illuc* ferre queas, quia longinquior erit locus, quem elegerit Jehova Deus tuus, ut illic nomen suum collocaret; quando tibi benedixerit Jehova Deus tuus, [25] tum commutabis illam pecuniâ, hanc in manu tua vincies, atque in locum, quem elegerit Jehova Deus tuus, ibis. [26] Insumes *illic* pecuniam in quidvis quod cupies, in bovem, in ovilli, aut caprini generis pecudem, in siceram, in quæcumque expetes, comedésque illic coram Jehova Deo tuo, & tu, familiáque tua illic lætabimini.

[27] Levitam, qui erit intra mœnia tua, non deseres, quia nulla ei pars, aut hereditas tecum est. [28] Post tres annos, proferes omnem decimam proventûs tui, *qualis* eo anno *fuerit*, eamque intra mœnia tua depones. [29] Tum venient Levita, quandoquidem ei nulla pars est, neque hereditas tecum, peregrinus, pupillus & vidua, qui erunt intra mœnia tua, comedéntque & satiabuntur; ut omni operi manûs tuæ, quod facies, benedicat Jehova Deus tuus.

XV. Re-

lum, cibis dumtaxat licitis vesci par est. Hædum præsertim, in lacte matris, ne coquite.

[22] Postquàm Decimas fructuum vestrorum Levitis solveritis, alteras quotannis, excepto tertio, seponetis, [23] quibus convivemini ad Dei tentorium, quò & opimas pecudes, eumdem in finem, ducetis, salutares victimas futuras, ut mistâ severitati sacrorum hilaritate faciliùs solum Deum vestrum colere adsuescatis. [24] At qui nimis procul à Tentorio habitabunt, quàm ut domo illuc decimas ipsas vehere, & victimas ducere commodè queant; [25] iis licebit eas vendere, [26] pecuniáque inde confectâ in ipso oppido, ubi erit Tentorium, quod vibebitur ad convivandum emere.

[27] Levitas, inter vos habitantes, quandoquidem nulla inter vos habituri sunt prædia, benignè semper copiis vestris adjuvate. [29] Tertio verò quoque anno, secundas, quas dixi, decimas ad Tentorium nequaquam feretis; sed in patria urbe publicè exponetis, à Levitis & pauperibus auferendas, ut eâ erga homines liberalitate Dei Opt. Max. beneficentiam in vos excitetis.

P A-

bis. Secundam, nempe, de qua vide Dissert. *Joan. Seldeni* huic volumini subjectam. Sect. 2.

Quotannis] *Anno, anno*, שנה שנה. Samaritæ שנה בשנה *anno in annum.*

Quem ager edit] יצא השדה *exeuntis agro.*

23. *Primogenita boum tuorum*] בכורת, hoc est, pinguiores boves &c. Vide not. ad Cap. XII, vers. 17.

Ut discas timere] למען תלמד, hoc est, ut solius Dei colendi consuetudinem contrahas. Nam *discere* hoc interdum significat. Vide Jer. XII, 23. Nec sanè quidquam plebem magis adficit, & sacris addictiorem reddit, quàm πανηγύρεις, & convivia Sacris mista. Adi not. ad Exod. XXXIII, vers. 14.

24. *Cùm longior erit via*] כי ירבה ממך *cùm major erit, quàm tu.*

25. *Commutabis illam pecuniâ*] ונתתה בכסף *& dabis in argentum.*

In manu tua vincies] *Vincies argentum, in manu tua.* Hoc est, in crumenam recondes, quam vinctam tecum feres. Sic LXX. Intt. Καὶ λήψῃ τὸ ἀργύριον ἐν ταῖς χερσί σου.

26. *Insumes pecuniam*] *Dabis pecuniam in omne*, hoc est, permutabis pecuniam quavis aliâ re, ut vers. 25.

Quidvis quod cupies] *Omne quod cupiet anima tua.* Sic pro *quæcumque expetes*, est, *omne quod petet anima tua.*

27. *Levitam*] Vide Cap. XII, 19.

Intra mœnia tua] *In portis tuis.*

28. *Post tres annos*] *A fine trium annorum*; hoc est, tertio quoque anno. Vide *Joan. Seldeni* Diss. de *Decimis.*

XV. Repetit Moses Legem de anno Sabbathico, hortatur ad benignitatem erga pauperes, traditque Leges de servis Hebræis, deque brutorum primogenitis.

CAPUT XV. 1. POst septem annos, remissionem celebrabis. 2. In hac autem re, sita est remissio; *ut* omnis creditor remittat manum suam, *&* qui mutua dederit non exigat *ea* à proximo, seu à fratre suo, quia indicta fuerit remissio Jehovæ. 3. Exiges ab alienigena; sed quod tibi fuerit *rationum*, cum fratre tuo, remittet tua manus. 4. Attamen non esset apud te egenus; nam Jehova tibi benediceret in terra, quâ in hereditatem possidendâ te donabit; 5. si modò voci Jehovæ Dei tui auscultares, ita ut recordareris omnia præcepta quæ tibi hodie edo, ut *ea* faceres. 6. Jehova enim Deus tuus tibi benediceret, quemadmodum promisit tibi; mutuum dares gentibus multis, sed tu non acciperes; dominareris gentibus multis, sed tibi non dominarentur.

7. Cùm *ergo* erit apud te egenus, unus ex fratribus tuis, in una urbium tuarum, in terra quâ te donaverit Jehova Deus tuus, non obfirmabis animum tuum, neque manum tuam contrahes erga fratrem egenum; 8. sed aperies ei manum tuam, mutuum ei dabis quod satis sit, ad ejus inopiæ subveniendum. 9. Cave tibi ne sit in animo tuo scelesta cogitatio, dicásque adpropinquare annum septimum, annum remissionis; & malignus sit oculus tuus in fratrem tuum egenum, neque des illi; invocétque contra te Jehovam, & sit in te peccatum. 10. Dabis ei, neque malignus erit animus tuus in dando; nam propter hoc benedicet tibi Jehova Deus

PARAPHRASIS.

1. SEPTIMO quoque anno, quo agri non serentur, 2. ita se Creditores erga Debitores Hebræos gerant, ut qood mutuum dederint non exigant; erit enim annus *Remissionis*, quo io hoorem Dei, agros eo anno quiescere jubentis, iodulgentiùs Hebræos Debitores habere oportebit. 3. Licebit tamen à vicinis Gentibus, si quid mutui eis dederitis, & sortem & usuras eo anno exigere, quia septimo anno Sabbathismum, in agris suis, noo observant. 4. 5. At hujus Legis oullus esset usus, si toto aoimo Hebræi omnes divinam Legem observarent; neque enim ullus egenus esset, qui mutuum quidquam ab alio acciperet; 6. sed ita Deus omnibus benefaceret, ut in suis nommis semper versaturi essent, aliisque Gentibus mutuum daturi, & jugum imposituri, oon ipsi mutuum & jugum ab aliis accepturi.

7. Verùm vos omnes Deo, ut par est, non obsequuturos, ex vestra indole ooo difficulter prævideo; itaque cùm erunt inter vos egeoi, qui mutuis oummis indigebunt, 8. eorum egestatem liberaliter ditiores sublevent; 9. neque, eò quòd vicinus erit septimus annus, id quo opus eis erit avaro aoimo negent; ne ad illas angustias redacti apud Deum de ditiorum querantur illiberalitate, irámque ejus in eos commoveant. 10. Deot ergo largâ manu quicumque poterunt, &, pro sua liberalitate erga populares, Dei ipsius in se beneficeotiam exspectent.

11. Stu-

COMMENTARIUS

In CAPUT XV.

1. P*Ost septem annos*] Septimo quoque anno, nt vers. 28. Cap. superioris. Vide Exod. XXI, 2. XXIII, 11.

2. *In hac re situ est remissio*] *Hæc est res remissionis* זה דבר השמטה. De hoc actum est Exod. XXI. qoatenns ad servos Hebræos pertioebat, hîc pleniùs totnm hoc negotium traditur.

Omnis creditor] כל בעל משה *omnis dominus crediti*, nt *dominus alæ* pro alato, & similia multa.

Remittat manum] Hoc est, non exigat, ut seqoentia ostendnnt. Cùm septimo quoqne anno terra non sererentur, neque agri colerentur, debitores Hebræi eo anno mutuum, sine nimio incommodo, solvere non poterant.

Mutua dederis] Additur *proximo suo*, sed in seqnentibus repetitur.

A proximo, seu à fratre] *Et à fratre*; Hoc est, ab Hebræo, à quo annus Sabbathicus observator, nam nulla ratio erat remittendæ sortis, aut osuræ anno septimo, ei qui non minùs exercebat agrum eo anno, quàm aliis, aut qui mercaturam faciebat. Itaque à Tyriis, Sidoniis aliisque vicinia exigi osura eo anno potnit, aut sortis etiam solutio, si ita res postularet.

Indictu fuerit] קרא quod passivè sumitur hîc & alibi sæpe. Vide ad Gen. XI, 9.

4. *Attamen non esset*] אפס כי *ephes chi.* Rectè *Chr. Noldius* esse hanc solam hujus particulæ significationem censet. Vide Num. XIII, 28. Sensos est, si Hebræi Leges divinas observarent nullum futurum fuisse usum superioris Legis, quia nulli futuri erant pauperes. Sed quia prævidebat Deus Leges suas observatum non iri, ideò hanc Legem constituit, & pauperes postea fore dicit Moses. Hac de causa non vertimus

non

Deus tuus, in omnibus operibus tuis, & in omnibus tuis facultatibus. 11. Quia non desinet esse egenus, in media terra, ideò tibi præcipio, ac dico: aperies manum tuam fratri tuo, pauperi & egeno, in terra tua.

12. Cùm se se tibi vendiderit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, servieritque sex annis, anno septimo, eum liberum à te dimittes. 13. Quando autem dimittes à te liberum, non dimittes vacuum. 14. Collo ejus impones munus ex ovillo tuo, aut caprino pecore, aut ex area tua, aut ex torculari; prout tibi benedixerit Jehova Deus tuus, eum donabis. 15. Memor eris te in Ægypto servum fuisse, liberatúmque à Jehova Deo tuo; quamobtem hoc hodie tibi præcipio. 16. Cùm autem contigerit eum dicere: non abibo à te; quia te, domúmque tuam amabit, quòd ei bene fuerit tecum; 17. tum subulam sumes, eámque auri ejus immittes & januæ, & tibi in perpetuum servus erit. Ancillæ etiam tuæ ita facies. 18. Ne durum tibi videatur, quòd eum dimittas liberum, nam per sex annos serviit tibi *& operam præstitit quam* duplici mercede mercenarii *perficiendam locasses*; & Jehova Deus tuus tibi, in omnibus quæ facies, benedicet.

19. Omnem primogenitum masculum, qui nascetur inter boves tuos, oves aut capras, consecrabis Jehovæ Deo tuo; non uteris primogenito bovis, neque tondebis primogenitum ovis aut capræ. 20. Coram Jehova Deo tuo, eum quotannis comedes, tu & familia tua, in loco quem elegerit Jehova. 21. Si quod fuerit in eo vitium, *si* claudus sit, aut cæcus, aut quovis *alio* deformi vitio laboret, Jehovæ Deo tuo eum non mactabis. 22. Intra mœnia tua hunc comedes, instar capræ aut cervi, *aderitque* immundus juxta ac mundus.

XVI. Re-

11. Studiosè pauperes vobis commendo, quia facilè prævideo semper inter vos auxilii alieni egenos futuros.

12. Eodem Remissionis anno septimo, servum Hebræum qui se, paupertatis causâ, vendiderit liberum dimittite; 13. nec indonatum abire finite, 14. sed munusculum quodpiam, ex eo quo abundabitis, auferendum ei date. 15. Memores estote vos olim in Ægypto serviisse, & quo animo dominos vestros tunc temporis erga vos esse optavistis, eodem egestatem popularium vestrorum respicite. 16. Quod si quis heri amore, malit apud eum servire, quam liber exire; 17. tum verò herus ei coram Magistratu subulâ aurem ad januam perforet, idque perpetuæ servitutis indicium esto. 18. Nec grave sit cuiquam popularem liberum dimittere, cùm per sexennium duplo majorem operam, quàm mercenarius, ei navaverit, atque benignitatis suæ certissimum præmium à Deo exspectare possit.

19. Quotannis masculum aliquem fœtum vestrarum pecudum, eumque opimum ad salutaria sacra seponite. Ne eo interea ad ullam operam utimini, neve lanam ejus tondete, 20. sed intactum atque illibatum cùm ad Tentorium ibitis, ducite ad altare, ut illic oblati carnibus, cum omni vestra familia convivemini. 21. Si quid verò ei contigerit, quo sacris ineptus factus sit, ut si mutilatus fuerit, aut vitium aliud contraxerit; tum verò eum ad altare non ducetis, 22. sed domi comedetis, ita ut caro ejus sacra nullo modo habeatur, sed immundi æquè ac mundi, ut Cervo & Caprea, ea vescantur.

P A-

non erit pauper, sed *non esset*, & sequentia similiter. Alioquin aut contradicit sibi Moses, aut vis ejus verbis infertur.

Benediceret] *Benedicendo benedicet.*

5. *Recordareris ut faceres*] *Serves* (nempe, in animo) *ad faciendum.*

6. *Mutuum dares gentibus*] Vicinis, nempe, postquàm præsidiis eorum arces occuparis, quod Davidis potissimùm, & Salomonis ævo factum est.

7. *Urbium tuarum*] *Portarum tuarum.*

Non obfirmabis] Non eris immisericors.

8. *Aperies*] *Aperiendo aperies.*

Mutuum ei dabis] *Mutuum dando mutuum dabis ei.*

Quod satis sit ad ejus inopiæ subveniendum] *Sufficientiam defectûs ejus, qui ei defecerit.*

9. *Scelesta cogitatio*] דבר עם לבבך בליעל *verbum cum corde tuo nequitiæ.* Sed *verba cordis* sunt cogitationes, ut *loqui cum corde* est apud animum suum quidpiam pensitare. Ideò Vulg. *impia cogitatio.*

Malignus sit oculus tuus] Hoc est, nolis ei mutuum dare id quo indiget. Contrà *oculus bonus* dicitur animus beneficus. Vide Proverb. XXII, 9. & XXIII, 6. & Intt. ad Matth. VI, 21, 22.

10. *Dabis ei*] *Dando dabis.*

Animus tuus] *Cor tuum*, unde liquet *oculum malignum & cor malignum* idem significare; ac sanè in oculis se produnt omnes vehementiores animi adfectus. *Animus autem malus* est illiberalis ac sordidus, qui, si quid dat, ægrè & parcè dat. Vide Intt. ad hæc verba Pauli 2. Cor, IX, 7. *Unusquisque* (det) *prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.*

In omnibus tuis facultatibus] *In omni missione manûs tuæ*, משלח ידך. Sic singulorum facultates vocantur, quia cuique suis tantùm *manum injicere* licet. Vide infrà Cap. XXII, 21. & suprà Cap. XII, 3. Sic & Esaiæ XI, 14. ubi Propheta victorias de vicinis pollicetur Hebræis, Edom & Moab dicuntur fore משלח ידם *missio manus eorum*, hoc est, eorum possessio.

11. *Non desinet esse egenus*] *Non cessabit è media terra.*

At

XVI. Repetit Moses leges de celebratione trium anniversariorum festorum, docétque constituendos esse Judices & vitandam Idololatriam.

CAPUT XVI. 1. OBSERVATO mensem Abibum, celebratóque in eo Pascha Jehovæ Deo tuo, quia, mense Abibo, nocte eduxit te Jehova Deus tuus ex Ægypto. 2. Mactabis Pascha Jehovæ Deo tuo ex ovillo, caprino & bucero genere, in loco quem elegerit Jehova, ut collocet illic nomen suum. 3. Cum eo non comedes fermentatum *panem*; septem diebus azymis, pane adflictionis, cum eo vesceris; nam festinanter ex Ægypto egressus es; ut, per omnes dies vitæ tuæ, diei egressus tui ex Ægypto memineris. 4. Non cernetur apud te fermentum, intra omnes fines tuos, per septem dies; neque primo die, è carne, quam mactaveris vesperi, ad matutinum usque tempus, *quidquam* pernoctabit. 5. Non poteris mactare

PARAPHRASIS.

1. MENSE Abibo, Pascha, pro ritibus Lege institutis, celebrate, eadem nocte quâ ex Ægypto olim egressi estis. 2. Ea de causa, ite quotannis in locum, in quo erit Altare & Sacrarium Dei, eóque in loco hædos aut agnos paschales mactate, & præterea victimas cùm alias, tum ex bucero genere, Lege definitas, diebus sequentibus immolate. 3. Per septiduum solis Azymis vescimini, initio facto à paschali cœna; ut pane minùs lauto utentibus revocetur in animum liberatio Ægyptiaca, in qua festinantibus panem fermentatum parare non licuit, neque ejus rei umquam subeat oblivio. 4. Itaque omne fermentum, per septem dies, ex ædibus vestris excludatur, neque usquam apud vos conspiciatur. Carnem etiam paschalis agni, aut hædi, cavete ne in sequentem lucem servetis. 5. 6. Nefas autem erit paschales victimas alibi, quàm ad Dei sacrarium, mactare; aut alio tempo-

11. *Ac dico*] *Dicendo.*

12. *Cùm se tibi vendiderit*] Vide not. ad Exod. XXI, 2.

13. *Non dimittes vacuum*] Ne nimia paupertate iterum operam suam, in sexennium, addicere cogatur.

14. *Collo ejus impones*] הענק תעניק לו Vertunt *instar torquis ei imponendo impones*, quia ענק *torquem* sonat. LXX. Intr. habent: *ἐφόδιον ἐφοδιάσεις αὐτὸν*, Vulg. *dabis viaticum.* Spectarunt sensum, nam vis vocis ea est quam expressimus, &, apud Arabas, Radix ענק significat *torque ornare.*

18. *Ne durum tibi videatur*] *Ne durum sit in oculis tuis.*

Et operam præstitit &c.] משנה שכר שכיר עבדך שש שנים *duplicem mercedem mercenarii servivit tibi sex annis*; hoc est, eamdem operam tibi navavit per sexennium, quam duo mercenarii navassent, & quod fecit duorum mercenariorum mercede faciendum locasses. At LXX. Intt. משנה verterunt *ἐνιαύσιον annuam*, non malo sensu, si exemplum aliud hujus notionis exstaret. Maluimus ideò sequi sensum, quem hîc invenit *Onkelos*; cùm revera durior sit conditio servi, quàm mercenarii, & major ab eo labor exigatur.

19. *Omnem primogenitum masculum*] Vide not. ad Cap. XII, 17. Nam primogenitum propriè dictum comedere privatis non licebat, cùm esset Sacerdotum. Vide Exod. XXII, 30. XXXIV, 19. Num. XVIII, 15.

Non uteris &c.] לא תעבד בבכור *non operaberis primogenito.* Moses vetat opimas hasce victimas labore ullo, aut tonsurâ polluere, quod de primogenitis propriè dictis nusquam habetur; ne differri earum mactatio posset, nemo enim juvencum, quo non audebat uti, alere volebat, uti nec agnum, aut hædum, quos tondere nefas erat.

20. *Quotannis*] *Anno in annum.*

21. *Si quod fuerit in eo vitium &c.*] Hæ pecudes ad salutare Sacrum comparatæ erant, ideóque hæc in iis requiruntur. Vide Levit. XXII, vers. 21.

COMMENTARIUS

In CAPUT XVI.

1. O*Bservato mensem Abibum*] De ritibus paschalibus diximus ad Exod. C. XII.

Nocte eduxit] Ante lucem profecti sunt, ut in desertum irent. Vide Exod. XII, 31, 32.

2. *Bucero genere*] ובקר. Propriè hædi aut agni dicuntur פסח *pascha*, quòd eorum mactatio, & convivium ex eorum carnibus instituta essent, in memoriam transitûs Angeli. At hîc minùs propriè sub eodem vocabulo continentur victimæ, quæ sequentibus diebus, ex Lege, mactandæ erant, & de quibus Num. XXVIII, 19 & seqq. Paschatis ita celebrati exemplum exstat 2. Paral. XXXV, 7, 8.

In loco quem elegeris] Primâ institutione Paschatis, omissum hoc fuerat Exod. C. XII. sed cùm Paschalis agnus aut hædus species quædam esset victimæ piacularis aut salutaris; ad altare ejus sanguis à Sacerdotibus effundi debuit, ideóque non procul ab eo mactari.

3. *Pane adflictionis*] לחם עני, hoc est, quo memoria vexationis Ægyptiacæ revocetur.

4. *Apud se*] לך *tibi.*

5. *Circa occasum solis*] כבוא השמש *cùm abit sol.* Vide ad Exod. XII, 6.

7. *Coques eum*] בשלת. Hoc verbum Exod. XII, 9. *elixare* significat, & *tostioni* opponitur, hîc verò est *torrere*, pro Linguæ Hebraïcæ ambiguitate, aut *ἀκυρολογίᾳ.*

Conversúsque matutino tempore] *Et vertes te matu-*

ctare Pascha, in quavis urbium tuarum, quibus te Jehova Deus tuus donaverit; 6. sed
in loco, quem elegerit Jehova Deus tuus, ad collocandum illic nomen suum, macta-
bis Pascha vesperi, circa occasum solis, quâ tempestate ex Ægypto egressus es. 7. Co-
ques illud, comedésque in loco, quem elegerit Jehova Deus tuus, conversúsque ma-
tutino tempore in tentorium tuum ibis. 8. Sex diebus comedes azymos *panes*, die ve-
rò septimo erit clausula Jehovæ Deo tuo, eo nullum opus facies.

9. Septem hebdomadas numerabis tibi, *atque* ex quo cœperis immittere falcem in
segetem, incipies *eas* septem hebdomadas numerare. 10. Tum celebrabis festum heb-
domadum Jehovæ Deo tuo, tributo spontaneo manûs tuæ, quod dabis prout Jehova
Deus tuus tibi benedixerit. 11. Lætaberis coram Jehova Deo tuo, tu, filiúsque tuus,
& filia, servus & serva, Levita *qui erit* intra mœnia tua, & peregrinus, pupillus & vi-
dua, qui *erunt* in medio tui, in loco quem elegerit Jehova Deus tuus, ut nomen suum
illic collocet. 12. Memor eris te in Ægypto servum fuisse, atque hæc instituta obser-
vabis & exsequeris.

13. Festum verò tabernaculorum frondeorum celebrabis, per septem dies, cùm ex
area

pore, quàm olim mactatæ sunt, nempe, paullò
ante occasum solis decimi quarti diei Mensis Abibi.
7. In eodem etiam, quem dixi, loco comedendæ
erunt; at sequente luce, domum redire, si ita vi-
deatur, licebit. 8. Interea omnes, per universam
populi Hebræi ditionem, Azymis septiduo integro
utentur; ac septimo demum die, erunt feriæ, qui-
bus hoc festum claudetur.

9. Septem deinde dierum hebdomadas numera-
bitis, ex quo die primùm falcem in hordeaceam
messem injeceritis; 10. quibus elapsis, festum Heb-
domadum celebrabitis. Tum quisque, pro sua co-
pia, victimam ad altare Dei sponte ducet, 11. sa-
lature Sacrum faciet, & cum universa sua familia,
servis æquè ac liberis, tum etiam Levitis & paupe-
ribus, si qui adsint, illic epulabitur. 12. Omnes
servitutis Ægyptiacæ memores benignos se, eo tem-
pore, servis præbeant, ceterísque Dei Legibus di-
ligenter & accuratè pareant.

13. Postquàm verò fructus omnes vestros in Apo-
thecas recondideritis, mensis, nimirum, septimi
decimo quinto die, festum tabernaculorum fron-
deo-

matutino tempore & ibis. Hæc omnino licitum faciunt quindecimo die mensis abire, quamvis esset illo die *convocatio sacra, nec servile opus facere liceret*, ut docemur Levit. XXIII, 7. Scio postremis sæculis etiam longiusculum iter habitum fuisse, inter opera servilia; ideóque certum spatium constitutum, quod emetiri die Sabbathi liceret, de quo Intt. ad Act. I, 12. Sed cùm altum sit hac de re in Mose silentium, neque ex sequentibus sæculis semper tutum sit consuetudinem antiquioris ævi colligere; crediderim inter opera servilia habitum non fuisse, uti nec reverâ erat.

In tentorium suum] Hoc est, domum, metaphorâ frequenti, atque à Scenitarum moribus ducta.

Ibis] Ire licebit, ut passim; nam non vetabantur, si ita commodum esset, per octiduum ad Tentorium manere, sed nec cogebantur. Sacram Panegyrin celebrabant incolæ loci, in quo erat Tentorium, & qui illic sponte commemorabantur. Nimis diu interdum abfuissent domo, qui in remotissimis finibus ditionis populi Hebræi habitabant, si necesse fuisset ad Tentorium per octiduum manere.

8. *Clausula*] עצרת, de qua voce vide dicta ad Levit. XXIII, 37.

9. *Septem hebdomadas*] De Pentecoste egimus ad Levit. C. XXIII, 15.

10. *Tributo spontaneo*] מסת נדבת missath nidbath, *Tributum spontaneitatis.*

11. *Levita &c.*] Invitatus à ditioribus. Hoc tempore, videntur comedisse *primogenitas* pecudum, de quibus Capp. XII, 17. XIV, 23.

12. *Memor eris te servum &c.*] Ideóque, eo tempore, benignè servos tuos habebis, ut superiora ostendunt. Possent cum hoc & sequente festo *Saturnalia* aliquatenus conferri. Vide not. ad Cap. XII, 12.

13. *Festum verò Tabernaculorum*] De hoc diximus ad Levit. XXIII, 39.

15. *Septem diebus*] Satis erat Paschali festo, per diem unum, mansisse ad Tabernaculum, ut vidimus ad vers. 7. verùm huic festo septiduum adtributum; quia collectis fructibus, magis eo anni tempore otiabantur.

Admodum lætus] אך שמח Particulæ אך sensum hunc elegimus, quo exstat infrà Cap. XXVIII, 29. & alibi. Vide *Christ. Noldium* num. 10. Ac sanè hoc festum summâ lætitiâ celebrabatur. Vide notata ad Levit. XXIII, 40. Scio abusos esse Judæos hac Dei concessione, & in insolentem lætitiam ac petulantiam erupisse, qua de re legendus *Philo* in Lib. de Cherubim p. 95. Attamen non possum probare eorum sententiam, qui אך vertunt hîc *tantummodo*, quid est enim *esto tantummodo lætus*? Nihil profectò, nisi in *Franc. Junii* dictione, quæ ipsâ Hebraïcâ non raro horridior est.

16. *Tribus vicibus &c.*] Vide Exod. XXIII, 17.

17. *Pro copia*] *Pro benedictione* כברכת, de qua voce vide not. ad Gen. XXXIII, 11.

18. *Judices*] Ex senibus cujusque urbis, quo fit ut sæpe *Senes* vocentur. Vide infrà Cap. XIX, 12. *Josephus* Ant. Jud. Lib. IV. c. ult. §. 14. Ed. Oxon. ita hanc Legem describit: *Ἀρχέτωσαν δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν ἄνδρες ἑπτά — ἑκάστῃ δὲ ἀρχῇ δύο ἄνδρες ὑπηρέται διδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευιτῶν φυλῆς: In singulis urbibus viri septem magistratum gerant — singulisque magistratibus duo ministri dentur ex Levitica Tribu.* At Thalmudici in urbibus, magno consensu, Synedria XXIII. Judicum fuisse statuunt. Vide *Joan.*

area tua, & torculari tuo *fructus tuos* collegeris *in apothecas*. [14] Lætaberis in festo tuo, tu, filiúsque tuus & filia, servus & serva, Levita & peregrinus, pupillus & vidua, qui erunt intra mœnia tua. [15] Septem diebus festum agitabis Jehovæ Deo tuo, in loco quem elegerit Jehova; quandoquidem Jehova Deus tuus benedixerit tibi, in omni tuo proventu, omnique manuum tuarum opere, eríſque admodum lætus.

[16] Tribus vicibus, intra annum, comparebunt omnes masculi tui coram Jehova Deo tuo, in loco quem elegerit, festo azymorum, festo hebdomadum & festo tabernaculorum, neque coram Jehova conspicientur vacui; [17] sed quisque cum donario manûs suæ, pro copia quâ te Jehova Deus tuus donaverit.

[18] Judices & adparitores constitues tibi in omnibus urbibus tuis, quas Jehova Deus tuus tibi dederit, pro tribubus tuis; judicabúntque populum justo judicio. [19] Non violabis jus, personæ rationem non habebis, non accipies munus; nam munus excæcat oculos sapientium, & perplexa reddit verba justorum. [20] Justitiam, justitiam, *inquam*, sequeris, ut vivas, possideáſque terram, quâ Jehova Deus tuus te donavit.

[21] Non plantabis tibi lucum, aut ullam arborem, ad Jehovæ Dei tui altare quod tibi feceris. [22] Non eriges tibi statuam, quam Jehova Deus tuus odio habet.

XVII. Le-

deorum per septiduum celebrabitis. [14. 15.] Propterea ad Tabernaculum convenietis, atque à ditioribus Levitæ & pauperes ad convivium vocabuntur, servi cum heris festi hilaritate fruentur, & omnia lætitiâ publicâ perstrepent, ut gratiæ Deo, ob terræ proventus, publicè agantur.

[16.] Ter, singulis annis, omnes Hebræos mares ad Sacrarium se sistere oportebit; tribus, nempe, memoratis festis, neque manibus vacuis illuc ire, [17.] sed unumquemque munus, pro sua copia, ferre.

[18.] Judices in singulis urbibus constituite, iisque adparitores tribuite. Hi ex Legibus jus populo dicant; [19.] causæ solius, non personæ, rationem habeant; munera nulla accipiant, ne jus propterea pervertant. [20.] Jura & leges dumtaxat spectent, & sciant se hac ratione vitam longam & securam, in agris suis, à Deo impetraturos.

[21. 22.] Ad Altare Dei cavete ne lucum ullum plantetis, aut statuam erigatis, quam ullo cultu prosequamini.

P A-

Seldenum de Synedriis Lib. II. c. 5. Eos tamen in concordiam redigit vir doctissimus ad *Josephi* locum laudatum, quem adibunt harum rerum studiosi. Nos hîc, quæ ad sola Mosis verba spectant, sectamur. Judices, auctore Jethrone, constituti cùm in castris dumtaxat locum habere possent, quippe qui certo numero familiarum præfecti erant; exauctorati sunt, ubi pro numero urbium Tribunalia constituenda fuerunt.

Adparitores] שטרים de qua voce vide not. ad Exod. V, 6. &, si vacat, *Seldeni* locum laudatum.

Urbibus] *Portis*; hoc est, *ἐν πόλεσι*, ut LXX. Intt. Hebraïsmus frequentissimus & notissimus.

Justo judicio] *Judicio justitiæ*.

19. *Non violabis jus*] *Non declinare facies judicium*. De officiis Judicum egit Legislator Exod. XXIII, 8. Levit. XIX, 15. & suprà Cap. I, 17.

21. *Non plantabis tibi lucum*] Hîc Moses adversatur moribus Idololatrarum, de quibus passim. Vid. dicta ad C. VII, 5. Frustra alias hujus interdicti rationes quærit *Philo*, initio Lib. II. de Monarchia.

22. *Statuam*] מצבה *mattsebah*, quod non modò simulacrum arte statuariâ fectum & sculptum significat, sed etiam quidvis memoriæ, aut Religionis causâ erectum, etiam lapidem rudem. LXX. *στήλην* verterunt, Onkelos קמא *kama*. Vide not. ad Gen. XXXVIII, 18. & *Joan. Seldenum* de Jur. N. & G. Lib. II. c. 6.

Quam Jehova odio habet] Hoc est, Religionis causâ, nam alio fine erectas columnas non vetuit Deus. Duas etiam non procul ab altari, sine peccato, statuit Salomo. Vide 1. Reg. VII, 17.

C O M-

XVII. Leges veteres & novæ de victimis, de Idololatrarum Hebræorum pœnis, de difficilioribus caufis, de electione Regis, ejúfque officio.

1. JEHOVÆ Deo tuo bovem, aut ovis vel capræ fœtum non mactabis, in quo Caput
vitium, aut quidquam turpe fuerit; talem enim *victimam* deteftatur Jehova XVII.
Deus tuus.
2. Cùm invenietur, in medio tui, in una urbium, quibus te Jehova Deus tuus
donaverit, vir aut mulier, qui fecerint quod difplicet Jehovæ Deo tuo, ita ut fœ-
dus ejus violarint; 3. cùm iverint cultum Deos alienos, cófque adorarint, *ut* So-
lem, Lunam, aut quemvis ex exercitu cœli, quod non juffi; 4. idque nunciatum
tibi audiveris, & diligenter inquifiveris; quando verum *erit*, réfque conftabit, &
deteftandum hoc in Ifraële factum fuerit; 5. tum verò educes eum virum, aut
eam mulierem, qui malum hoc admiferint, ad portas tuas, & lapidibus eos obruent,
adeò

P A R A P H R A S I S.

1. CAVETE nè victimam vitio laborantem, & Lege vetitam, Deo offeratis; nam pro ejus benevolentia, pœnas vobis, ob fpretam Religionem, contraheretis.
2. Cùm quifpiam inter vos fœdus Dei vobifcum initi, in eo capite quod ad unius veri Dei cultum pertinet, violarit, 3. Deófque aliarum Gentium, qualia funt aftra, coluerit; 4. fi hoc ad Judicum aures pervenerit, hi diligentem de re quæftionem exerceant, eámque ubi veram effe compererint; 5. tum hominem Lege damnatum, extra urbis, in qua degit, portas educant, atque illic lapidibus obru-

C O M M E N T A R I U S

In Caput XVII.

1. O*Vis vel capræ fœtum*] שה *vafcheb.*

In quo vitium &c.] Vide not. ad Levit. Cap. XXII, 19.

Quidquam turpe] *Omni res mala.* Pecudes turpes dicuntur *malæ* רעות, pulcræ vero *bonæ.* טובות. Vide Gen, XLI, 5, 19.

Talem victimam deteftatur] *Illa deteftatio Jehovæ* &c.

2. *Quod difplicet Jehovæ*] *Malum in oculis Jehovæ.*

Fœdus ejus violarint] *Ad tranfeundum fœdus ejus*, cujus potiffima lex erat, folum verum Deum oportere ab Hebræis coli.

3. *Cùm iverint cultum*] *Et ivit, & coluit.*

Quemvis ex exercitu cœli] *Omnem exercitum cœli*; hoc eft, ftellam aliquam, quales plurimæ fingularem in modum colebantur, ut *Sothis*, feu Canicula ab Ægyptiis, & feptem Planetæ à variis populis. Putabant, nimirum, Ægyptii animum Ifidis in Canis ftellam, poft ejus mortem, iviffe. *Plutarchus* de Ifide & Ofiride p. 359. οὐ μόνον δὲ τούτων (Ifidis & Ofiridis) οἱ ἱερεῖς λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν, ὅσοι μὴ ἀγέννητοι μηδ᾽ ἄφθαρτοι, τὰ μὲν σώματα παρ᾽ αὐτοῖς κεῖσθαι καμόντα καὶ θεραπεύεσθαι, τὰς δὲ ψυχὰς ἐν οὐρανῷ λάμπειν καὶ καλεῖσθαι Κύνα μὲν τὴν Ἴσιδος ὑφ᾽ Ἑλλήνων, ὑπ᾽ Αἰγυπτίων δὲ Σῶθιν, καὶ τὰ ἑξῆς: *Sacerdotes dicunt non modò horum, fed & aliorum Deorum, quotquot non funt ingeniti & incorrupti, corpora quidem defuncta apud fe effe & coli, animos verò in cœlo fulgere, atque animum Ifidis à Græcis Canem vocari, ab Ægyptiis vero Sothin* &c. In infcriptione Nyfæ, in honorem Ifidis, pofita, ita loquens inducitur: Ἐγώ εἰμι ἡ ἐν τῷ ἄστρῳ τῷ Κυνὶ ἐπιτέλλουσα: *ego fum quæ in Canis fidere exorior*, fi credimus *Diodoro*, Biblioth. Lib. I. p. 24. Iidem vocabant Planetas *Deos*, & pro eorum numero, anni dies in Hebdomadas primi diviferant. *Herodotus* Lib. II. c. 82. Καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐστι ἐξευρημένα, μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστί: *Hæc alia funt etiam ab Ægyptiis inventa, menfis & dies finguli cujus Deorum fint.* *Dio Caffius* Hift. Lib. XXXVI. Τὸ δὲ δὴ ἐς τοὺς ἀστέρας τοὺς ἑπτὰ, τοὺς πλανήτας ὠνομασμένους, τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι, κατέστη μὲν ὑπὸ Αἰγυπτίων; *quod verò dies adfignantur feptem ftellis, quæ Planetæ vocantur, id ab Ægyptiis inftitutum eft.* De Chaldæorum circa hæc doctrina, vide *Thomæ Stanleji* Phil. Orient. Lib. I. Sect. 2. C. XVIII. & XIX. Quare autem ftellæ dicantur exercitus cœli, oftendimus ad Gen. II, 1.

Quod non juffi] Hoc eft, quod vetui. Eft, nimirum, μείωσις. Sic Jer. VII, 31. *Ædificarunt excelfa Thopheth, quæ funt in valle filii Hinnom, ad comburendos filios fuos & filias igne, quod non juffi* (אשר לא צויתי) *neque in mentem meam venit.* At hoc non modò præceptum non fuerat, fed & difertè vetitum variis in locis Pentateuchi.

4. *Nunciatum audiveris*] *Et nunciatum tibi fuerit, & audieris.*

Quando verum erit] *Et ecce veritas.*

5. *Ad portas tuas*] Hoc eft, extra urbis portas; nam non eft fermo de judicio ad portam ferendo, ut folebat fieri, fed de damnato plectendo. Vide Act. VII, 58. & not. ad Num. XV, 35.

Adeò ut moriantur] *Et morientur.*

6. *Ex ore duorum* &c.] Vide Num. XXXV, 30. & infrà C. XIX, 15. *Jofephus* Ant. Jud. Lib. IV. c. ult. fœminas & fervos negat ad tefti-

adeò ut moriantur. 6. Ex ore duorum, aut trium testium, morte adficietur mortis reus; sed nullus adficietur morte, ex ore unius testis. 7. Manus testium in eum erit prior, ad eum occidendum, posterior manus totius populi; atque *ita* è medio tui malum tolles.

8. Si quid te fugerit in judicio cædis, aut litis, aut plagæ, de qua causa dicta sit in oppido tuo; tum surges, & in locum, quem elegerit Jehova Deus tuus, adscendes. 9. Adibis *illuc* Sacerdotes Levitas, aut Judicem, qui erit tempore illo; eos interrogabis, atque indicabunt tibi quid sit jus. 10. Te autem geres, prout tibi indicarint, è loco quem elegerit Jehova; & memor eris, ut per omnia facias,

obrutum occidi jubeant. 6. Verùm ut morti quispiam damnari queat, trium aut duorum minimùm testium consensu convictum eum esse oportebit; neque unus umquam testis, ad cujusquam damnationem, in capitis causa, sufficiet. 7. Primi autem lapides in damnatum conjicient testes, quos qui aderunt sequentur. Ita semper, qui impietatem hanc admiserint, è medio tullite.

8. Si causa capitis, aut pecuniaria, aut de ictibus, aut alia quævis inciderit, de qua quid Lege statuendum sit non satis intelligant singularum urbium Judices; tum verò se ad Tentorium conferant, 9. & Sacerdotes ex Levitica Tribu, qui illic aderunt, de jure interrogent, si nullus sit populo

testimonium admitti posse, sed fortè ille usus Mose recentior.

8. *In judicio cædis*] למשפט בין דם לדם *judicii inter sanguinem & sanguinem.* דם dam, *sanguis* passim *cædem* significat; itaque *judicium inter sanguinem & sanguinem*, est judicium de cæde, de qua quæritur, an ab imprudente, & invito, an verò à sciente & volente commissa sit; qua in re, possunt etiam multi casus proponi, lege nequaquam definiti & sapientiæ Judicum permissi. Nonnulli etiam possunt ita esse, circumstantiarum varietate, dubii, ut non mediocri prudentia opus sit, ad secernendum verum à falso.

Litis] בין דין לדין *inter judicium & judicium*, hoc est, ubi dubium est quæ causa sit melior. Vide Prov. XXII, 10.

Plagæ] בין נגע לנגע *inter plagam & plagam*, hoc est, de ictibus inflictis, de quibus extant Leges Exod. XXI, 20. LXX. Intt. ἀφὴν verterunt, Vulg. *lepram*, Onkelos מכתש סגירו *plagam lepræ.* Sed quamvis Hebraïca vox sæpe *lepram* sonet, attamen lepram non intelligi liquet ex eo quòd agatur hîc de Judicibus singularum urbium, ad quos non pertinebat ea cognitio, cùm solorum esset Sacerdotum. Vide Levit. XIII. & XIV.

Surges] Ipse, nimirum, Judex oppidi, non reus qui ab ejus judicio provocaret.

9. *Sacerdotes Levitas*] Horum, nempe, erat, de jure respondere, nisi, præter ordinem, Deus Judicem excitasset.

Aut Judicem] ואל השפט *& ad Judicem.* Sed ו hîc significat *aut*, neque enim videntur consulti Sacerdotes & Judex. Ideóque vers. 12. pro ואל, legimus או אל *aut Judici.* Intelligebat, nimirum, Moses Rempublicam populi Hebræi eamdem formam postea aliquamdiu habituram, quam habebat suo tempore. Ipse autem erat summus Judex, seu ἀρχιδικαστὴς populi Hebræi, ad quem difficiliores causæ referebantur, ut vidernus Cap. I, 17. Sic fuit Josua post eum Judex, & alii multi, nequaquam Sacerdotalis, aut Levitici generis. At si deesset ejusmodi summus Judex, tum quem potius consulerent, quàm Sacerdotes, nemo erat; horum enim fuit studio Legis incumbere. *Sacerdotes* verò *Levitas* vocat hîc & inferiùs Moses, ne umquam Sacerdotium in aliam Tribum transferendum judicaretur, & ut distinguatur ab iis Judex, quem non opus erat esse è Levitico genere.

Tempore illo] *Diebus illis.*

Quid sit jus] דבר משפט *rem*, aut *verbum judicii*, seu *juris.* Poterat esse quæstio de sensu Legis, & utrum ad certum factum pertineret, quales quotidie Jurisconsultis proponuntur.

E loco] Si Sacerdotes, nempe, consulerentur, aut si illic commoraretur Judex.

10. *Memor eris*] *Servabis ut facias.* Vide not. ad Cap. V, 12.

11. *Ad dextram, aut ad sinistram*] Metaphora à via ducta, à qua, sine errandi periculo, deflectere non licet. Potestatem autem pronunciandi de sensu Legum, ad causas civiles quod adtinet, Sacerdotibus & Judicibus tantam hîc concedit Moses, ut major esse non possit; quia sine ejusmodi potestate, stare nulla Respublica potest. Si enim singulis liceret sibi sensum Legum, pro arbitrio, fingere, tum verè essent, ut fert dictum vetus, quot capita tot sensus; nam sibi omnes favent, & pro adfectu præsente, de se & suis judicant; unde manifesta pernicies Reipublicæ nasceretur. At non facit Moses Sacerdotibus, aut Judicibus potestatem eodem modo de rebus ad Religionem pertinentibus judicandi; nam mutandæ Religionis potestatem, eadem operâ, eis contulisset, quo nihil magis contrarium ejus Legibus fingi potest. Certè quisquis pro arbitrio Leges ad Religionem pertinentes interpretatur, ita ut ejus sententiæ omnes suam necessariò adscribere oporteat, is impunè sensus planè alienos à Legislatoris mente iis potest adfingere. Neque dixeris Mosem hîc statuere Sacerdotes & Judices fore, ut par erat, Legi divinæ addictos; nam hoc & rei ipsi contrarium est, & Mosis de hoc populo vaticiniis. Vide Levit. Cap. XXVI. & Deut. Cap. XXXI, 16.

12. *Quisquis autem superbè se gesserit*] *Vir qui fecerit in superbia, ne auscultet Sacerdoti &c.*

Stanti ad ministrandum] Servos, ut ministeria obeant, stare oportet, ideóque *stare* est *ministrare.* Vide not. ad Num. III, 5.

Morte mulctabitur.] ומת האיש *& mortuus vir ille.* Etiam iniqua judicantibus Sacerdotibus aut Judice, neque enim ἀναμαρτησίας spiritu erant adflati; quia præstabat iniquis interdum pareri judi-

cias, quæ te docuerint. 11. Pro lege, quam te docuerint, & jure, quod tibi dixerint, facies; neque ab eo quod tibi indicarint, ad dextram, aut ad sinistram, deflectes. 12. Quisquis autem superbè se gesserit, ut ne parêret sacerdoti stanti ad ministrandum illic Jehovæ Deo tuo, aut Judici, morte mulctabitur vir ille, atque ex Israële malum tolles. 13. Universus autem populus hoc audiens timebit, neque ampliùs se superbè geret.

14. Cùm ingressus fueris terram, quâ te donat Jehova Deus tuus, cùm eam possidebis & habitabis, si dixeris: imponam mihi regem, quemadmodum omnes aliæ gentes quæ sunt circa me; 15. tum verò tibi impones regem, quem elegerit Jehova

pulo Hebræo Judex instar mei; ant, si fit, ad bunc eant, quærántque quid factu opus sit. Hi Judicibus quid ex Lege fieri oporteat indicabunt, 10. sententiâque ab his pronunciata exsequutioni mandabitur, 11. sine mutatione, aut provocatione ulla. 12. Quisquis superbo Legum contemtu, iis parere detrectaverit, capite pœnas luat; neque patiatur populus Hebræus; malum ejusmodi virum, in medio sui ampliùs versari; 13. ut omnes, qui talia audere vellent, iis exemplis deterreantur, atque in officio contineantur.

14. Si postquàm pacatè Chananæam habitabitis, malitis Regem habere, ut gentes vicinæ, quàm eâ formâ Reipublicæ, quæ nunc est, diutiùs uti; 15. Regem ex

judiciis, in rebus civilibus; quàm unicuique, in una Republica, Legum exponendarum arbitrium permittere. Quod ut in rebus ad Societatem civilem pertinentibus verissimum est, quia Respublica, nisi ita te geras, illicò detrimentum patitur: ita falsum est, in iis quæ ad Religionem spectant, circa quam mutari possunt variæ opiniones, ut tamen eadem maneat civilis Societas, eædémque sint civiles leges; & cujus potissima utilitas, si vera sit Religio, in hac vita non percipitur, uti nec sentiuntur falsæ incommoda, si leges civiles eædem maneant, & rationi sint consentaneæ. Si, pro arbitrio, licuisset Sacerdotibus & Judicibus Legem Mosaicam in omnibus interpretari, nulli usui fuisset lex de falso Propheta, quæ habetur Cap. XVIII, 20. si contigisset Sacerdotes ei favere.

In hac ipsa Lege, satis indicat Moses non necesse fuisse per omnia parere Sacerdotibus, de quacumque re quomodocumque pronunciarent, voculâ בזדון *bzadon*, in superbia; quæ significat adfectum non hominis dubitantis de Legis sensu, ac multò minùs clarè intelligentis falli Sacerdotem, sed hominis Legem ipsam, & ordinem à Deo institutum aspernantis. Vide not. ad Num. XV, 29. Fateor, in rebus civilibus, etiam iniquis judiciis, ut dixi, fuisse parendum, non tam Judicum reverentiâ, quàm totius Societatis amore, quæ alioqui dissolveretur. At In opinionibus theoreticis, aut rebus dubiis, vel obscuris, quæ pertinebant ad singulorum erga Deum officium, cujus præmia solus Deus largiebatur, eáque ad hanc vitam non spectantia; ut nec delinquentium pœnæ erant hujus ævi, nec ab alio infligebantur quàm à Deo; ita singuli à solo Deo pendebant, cujus judicio erant permittendi.

Nec objeceris morti damnari eos, qui alienorum Deorum cultum invehere nitebantur; nam quæ hactenus diximus non pertinent ad eos qui Legem ipsam rejiciebant, sed ad eos tantùm, qui solum Deum Israelis colentes, Legémque ejus sequi se solam profitentes, errores Sacerdotum aut Judicum, in Religionis negotio, sequi noluissent. Hebræus, qui malebat alios Deos colere, quàm Creatorem cœli & terræ, quem solum coli Leges patiebantur Leges ipsas & civiles & religiosas rejicere se profitebatur.

14. *Si dixeris*] אמרת & *dices*. Quomodocumque vertas hæc verba, non sunt prædicentis eventum futurum, sed præmonentis, si hoc contingeret, quid fieri oporteret. Vocula כי *chi*, quâ inchoatur oratio, seu *cùm*, seu *si* vertatur, non est adfirmantis. Hinc LXX. verterunt *ἐὰν si*, & Vulg. qui eos passim sequitur *cùm*. Nos verò ו ante אמרת vertimus *si*, כי verò *cùm*, quia cùm dubium non esset an Hebræi Chananæam ingressuri essent, dubium esse poterat an Regem olim essent electuri.

15. *Quem elegerit Jehova*] Per Prophetam, nimirum, aut per sortem; quod utrumque factum est in electione Saülis. Vide 1. Sam. X, 1, 20. & seqq. cùm prius tantùm contigerit Davidi Cap. XVI, 13. ejusdem Libri.

E fratribus tuis] Si Deus ipse eligebat Regem, quid opus erat hoc addi? Quia, nimirum, poterat fieri ut contra Regem, à Deo electum, alius per ambitum à parte aliqua populi intrusus insurgeret. Vetantur autem peregrini eligi, cùm ut honor populo Hebræo habeatur, tum ut ne Idololatra ex vicinia eligeretur, qui leges omnes everteret.

16. *Ne sibi multos equos habeat*] Hoc est, ne alat magnos greges equorum, aut magnum equitatum, cujus rei ratio postea redditur.

Ut equos suos augeat] *Ut equum augeat.* Hinc colligimus, tempore Mosis, ex Ægypto potissimùm solitos comparari equos, quod ad Salomonis tempora factitatum esse liquet ex 1. Reg. X, 28, 29. Tempore etiam hujus filii, *Sesach*, sive *Sesostris*, Rex Ægypti, Jerosolimam obsessum ivit, cùm mille ducentis curribus, sexagies verò mille equitibus, ut constat ex 2. Par. XII, 3. At postquàm Sesostris incilia plurima, in usum Ægyptiorum, per totam regionem duxisset, equis & curribus Ægyptus minùs pervia evasit, & deferbuit paullatim Ægyptiorum vetus equos alendi studium, ut rectè animadvertit *Joan. Marshamus*, ad sæcula XIII. & XIV. rerum Ægyptiacarum, quem vide. In hanc legem peccavit quidem Salomo, ut liquet ex 1. Reg. X, 26. sed minùs periculosè, quàm peccasset Rex qui fuisset electus paullò post mortem Mosis; cùm periculum erat ne redeundi in Ægyptum cupido populum Hebræum invaderet, quod tempore Salomonis non fuit timendum.

hova Deus tuus; è fratribus tuis tibi impones regem, neque poteris tibi præficere regem virum alienigenam, qui è fratribus tuis non fit. 16. Ne dumtaxat fibi multos equos habeat, néve redire jubeat populum in Ægyptum, ut equos fuos augeat; nam Jehova dixit vobis: non ampliùs per eam viam redibitis. 17. Non habebit multas uxores, neque animus ejus deflectet *à Dei legibus*; neque argentum atque aurum fibi multum comparabit. 18. Cùm fedebit in folio fuo regio, defcribet fibi exemplar hujus legis, ex libro *quem acceperit* è confpectu Sacerdotum Levitarum. 19. Cum illo erit *hoc exemplar*, atque in eo leget omnibus diebus vitæ fuæ, ut difcat timere Jehovam Deum fuum, *&* recordetur omnium verborum legis hujus, atque horum inftitutorum, ut ea obfervet; 20. néve efferatur animus ejus fupra fratres, aut deflectat à præceptis hifce, ad dextram, aut ad finiftram; ut cùm ipfe diu regnet inter Ifraëlitas, tum etiam ejus filii.

XVIII. Sa-

ex popularibus veftris, & quidem à Deo electum, accipite, peregrinum numquam eligire. 16. Rex vero electus meminerit horum, quæ hodie proferam, mooitorum. Ne equorum nimios greges, aut magnum equitatum alat; ne populus Hebræus equorum, ejus juffo, emendorum causâ, in Ægyptum redire cogatur, quam rem Deus oftendit fibi difplicere. 17. Ne nimium uxorum numerum, à quibus ad vitia pellici poffit, habeat. Ne ingentes divitias, tyrannidis præfidium & luxuriæ inftrumentum futuras, fibi coacervet. 18. Exemplar Legis, è libro à Sacerdotibus accepto, defcribi fibi curet, id ftudiosè totâ vitâ fuâ legat, ut Leges divinas difcat, ùtque fibi caveat à tyrannica fuperbia, quâ fpretos cives foos conculcare incipiat, ac jura fibi fcripta negare. Sciat autem, fi ad Legis præfcriptum vitam inftituat, féque, ut poftulant juftitia atque æquitas, erga populares gerar, fibi, filiifque fuis longum & fauftum imperium io populum Hebræum à Deo coocesfum iri; fin fecus faxit, cootraria omnia exfpectet.

P A-

Non ampliùs per eam viam redibitis] Non exftat qnidem lex diferta hanc in rem, fed conftat Deo fommopere difplicuiffe confilia redeundi in Ægyptnm, quæ aliquando Hebræi agitavere. Vide Num. XV, 3,4. & feqq.

17. *Non habebit multas uxores*] A quibus ad violandas Leges divinas addnci poffet, qnod Salomoni contigit. Vide 1 Reg. XI, 1. & feqq. Plnres octodecim dnci oxores à Rege non potniffe aiunt Rabbini, de qnorum fententia vide *Joan. Seldenum* de Ux. Hebr. Lib. I. c. 8.

Neque argentum, atque aurum &c.] Hoc qnoqoe fecit Salomo, nt docet Hiftoria Sacra 1 Reg. X, 14. & feqq. Quamvis legis hujna ratio nulla addatnr, facile eft iotelligere, non fine graviffimis ratiooibos fuiffe latam. Nimias divitias Regnm feqnitnr lnsuria & mollities, noxiæ non iis modò, fed toti populo, qni exemplum Regum feqnitur. Sic Reges Perfarum & fe & fubditos perditum iverunt, ionnmerique alii olim, & ooftrâ memoriâ. Nimiæ etiam divitiæ fuperbiam & crudelitatem, uno verbo, tyrannicam animi adfectionem pariunt; quod eorumdem Regnm, & potentiffimorum qnorumqne exempla oftendunt. Salomo, apud Hebræos, his qnoque vitiis laboravit. Vide 1 Reg. X. & XI.

18. *In folio fuo regio*] *In folio regni fui.*

Defcribet fibi exemplar &c.] Quod faluberrimnm monitum ufque adeò neglectum poftea foit à Jndæorum Regibus, ut *Jofias* numqnam vidiffet exemplar nllum Legis Mofaicæ, cùm jam octodecim annos regnaffet. Vide 1. Paral. XXXIV. 18 & feqq.

Ex libro quem acceperit è confpectu] על ספר מלפני *ad librum è confpectu.* Ex libro, nempe, Legis qoem adfervari oportebat à Sacerdotibus. Vide infrà Cap. XXXI, 9.

19. *Recordetur*] *Ad fervandum.*

20. *A præceptis hifce*] *Ab hoc præcepto*, quod cùm totam Legem fonat, tnm præfertim proximè fuperiora præcepta.

Ut cùm ipfe diu regnet] *Producat dies, fuper regno fuo, ipfe & ejus filii in medio Ifraëlis.*

COM-

XVIII. Sacerdotum & Levitarum præmia, interdictio omnium divinationum, promissio de excitandis inter Hebræos Prophetis, discrimen veri & falsi Prophetæ.

1. NOn erit sacerdotibus Levitis, *adeòque* toti Leviticæ tribui pars aut prædium cum Israële; *ex* Jehovæ oblationibus igne absumendis, *quasi ex* prædio suo, victum *illi* habebunt: 2. huic etiam non erit prædium inter fratres suos, Jehova *enim* ipse erit ejus prædium, quemadmodum ei promisit. 3. Hoc autem erit jus sacerdotum *iis tribuendum* à populo, nempe, à mactantibus pecudem; sive *sit* bos, sive capræ aut ovis fœtus; dabit *qui mactat* sacerdoti armum, maxil- Caput XVIII.

PARAPHRASIS.

1. SACERDOTIBUS ceterisque Levitis nulli dividentur agri, quemadmodum aliis Tribubus; nam Sacerdotibus satis erit opum ex iis quæ Deo oblata iis cedent; 2. & Levitis pro opera, quam rebus sacris navabunt, à Deo erit pariter stipendium, quo fiet ut prædiis possint carere. 3. Præter victimarum partes Sacerdotibus adtributas, quisquis mactabit pecudem ex bubus, capris aut ovibus, convivii causâ, Sacerdotem, si quis adsit, armo, maxillis, & omaso donabit. 4. Iidem pri-

COMMENTARIUS

In Caput XVIII.

1. NOn erit sacerdotibus &c.] De toto hoc negotio, diximus ad Num. XVIII.

Ex Jehovæ oblationibus &c.] אשי יי נחלתו יאכלון *empyra Jehovæ possessionem suam comedent.* Quod solos Sacerdotes spectat. Vide Levit. C. VI & VII. & Num. XVIII.

2. *Quemadmodum ei promisit*] Vide Num. C. XVIII, 20.

3. *Mactantibus pecudem*] זבחי הזבח *mactantes mactationem.* זבח significat non modò victimam, sed & pecudem convivandi causâ mactatam, ut טבח Gen. XLIII, 15. Vide Prov. XVII, v. 1. Ezek. XXXV, 6. Intelliguntur ergo hîc qui convivii causâ pecudes, in oppido suo, mactabant. Videtur autem subintelligendum, *si adfuerit sacerdos, vel pecuniam iis venditis confectam*; nam neque ubique aderant Sacerdotes, neque caro procul ferri potuit. Multa Moses Sacerdotum sapientiæ supplenda permisit, aut ex re ipsa intelligenda nequaquam expressit: unde natæ sunt infinitæ traditiones & commenta Rabbinorum, silentio Legislatoris abutentium.

Ventriculum] Sic vertimus קבה *keba*, post LXX. Intt. & Vulgatum, sed videtur debere intelligi infima pars ventriculi, nam hoc est quod ἤνυστρον vocatur, aut ἔνυστρον, qua voce utuntur LXX. Intt. *Philo* & *Josephus*, ubi de hac re loquuntur. *Aristoteles* Hist. Animal. Lib. II. cap. 17. docet quadrupedes viviparas, cornigeras, & alterâ maxillâ dentatas habere quatuor meatus, per quos alimenta transeunt, antequàm ad intestina perveniant; primum & summum vocat κοιλίαν μεγάλην, alterum κεκρύφαλον, tertium ἐχῖνον, quartum & infimum ἤνυστρον, quæ est pars pinguissima, quam Latini *Omasum* vocant. Curiosi harum rerum conferant verba *Aristotelis* cum Fig. IV. Tab. 3. Blasianæ Brutorum Anatomes. *Philo* de præmiis Sacerdotum p. 644. ἀπὸ δὲ τῶν ἔξω τοῦ βωμοῦ θυομένων ἕνεκα κρεωφαγίας, τρία προστέτακται τῷ ἱερεῖ δίδοσθαι βραχίονα καὶ σιαγόνα, καὶ τὸ καλούμενον ἤνυστρον: *ex iis quæ mactantur extra altare, convivii causâ, tria jubentur dari sacerdoti, armus, maxilla, & quod vocatur omasum.* *Josephus* Lib. IV. Ant. Jud. Cap. IV. εἶναι δὲ καὶ τοῖς κατ' οἶκον θύουσι, εὐωχίας ἕνεκα τῆς αὐτῶν, ἀλλὰ μὴ θρησκείας, ἀνάγκην κομίζειν τοῖς ἱερεῦσιν ἤνυστρόν τε καὶ χελύνιον καὶ τὸν δεξιὸν βραχίονα τοῦ θύματος: *ii verò qui domi mactant, convivii privati causâ, non religionis, necesse habent adferre ad sacerdotes omasum, pectus* (aut potiùs *maxillam*) *& dextrum armum mactatæ pecudis. Sam. Bochartus*, ex *Kimchio* & Arabibus, interpretatur *ventriculum pecudis lactantis.* Vide Hieroz. Part. 1. Lib. II. c. 45.

4. *Primitias*] Vide de hisce infrà Cap. XXVI, v. 2.

Ut stet ad ministrandum] Vide ad Num. Cap. III, 5. Samaritæ hîc addunt: לפני יהוה אלהיכם *coram Jehova Deo vestro*, ut & LXX. Intt. ἔναντι κυρίου Θεοῦ σου.

Nomine Jehovæ] בשם יי *in nomine Jehovæ*; hoc est, ut Sacerdotes Jehovæ. *In nomine suo* dicuntur facere quidpiam, qui id faciunt quod sibi videtur, & quod totum in suum usum vertitur. Vide Joan. V, 43. At *nomine Dei* aliquid fit, quod & jubente Deo & propter eum fit, ut hîc & passim. Sensum optimè expresseris, si vertas, Gallico sermone, *en qualité de Sacrificateurs de l'Eternel.* Hebraïsmum ad verbum vertimus, quòd sit frequens, & vix sine longâ circumloquutione, aut obscura, exprimi queat. Malè LXX. addiderunt εὐλογεῖν ἐν τῷ ὀνόματι, ut & Critici Samaritarum, qui habent לשרתו ולברך בשמו *ad ei ministrandum & benedicendum nomine ejus.* Vide vers. 7.

6. *Quocumque Israëlitidis tractu*] *Ex omni Israële.* Servamus quidem vocem *Israël*, ubi sermo est de populo, sed ubi Israëlitarum terra intelligitur, *Israëlitidem* vertimus, more Græco: quemadmodum pro *Edom* aliquando Idumæam, pro *Aram* Aramæam, & similia habemus.

Totâ animi sui cupiditate] בכל אות נפשו *bechol avvath naphscho*; hoc est, ut satisfaciat cupiditati

maxillas & ventriculum. 4. Huic etiam dabis primitias frumenti tui, musti & olei, & primitias lanæ pecoris tui; 5. quia eum elegit Jehova Deus tuus, ex omnibus tribubus tuis, ut stet ad ministrandum nomine Jehovæ cùm ipse, tum ejus filii, inter omnes ejus fratres Levitas, qui illic stant coram Jehova.

6. Cùm veniet Levita ex una urbium tuarum, *&* quocumque Israëlitidis *tractu*, ubi commorabatur, veniétque totâ animi sui cupiditate, in locum quem elegerit Jehova, 7. & ministrabit nomine Jehovæ Dei sui, ut omnes fratres ejus Levitæ, qui stant illic coram Jehova; 8. partem solitam comedet, præter id quod ei datum fuerit, *pro domo* patrum.

9. Cùm

primitias frumenti, vini, & olei, primitiásque lanæ pecudum habebunt. 5. Hæc in illos conferentur, ut mercedem accipiant sacerdotii sui, in quod à Deo, ut curam Sacrorum publicorum populi Hebræi perpetuò gerant, electi sunt.

6. Cùm Levitæ, in quacumque Israeliticæ reipublicæ parte degant, cupient ad locum, in quo Tentorium Dei erit, ire; 7. ad sacra ministeria, quemadmodum alii Levitæ, qui illic aderunt, admittuntor; 8. dúmque iis occupabuntur, præter id quod domo adtulisse poterunt ut se sustentent, à Sacerdotibus certo congiario donantur.

9. Quando Chananæam ingressi fueritis, cavete ne scelera Gentium, à quibus incolebatur, imitemini.

tati videndi loci, in quo Dei Tentorium erit. Ante Davidis tempora, nondum erant Sacerdotes & Levitæ in classes suas distributi, ut vicibus ad Tentorium venire possent. Vide 1. Paral. C. XXII. *& seqq.*

Nomine Jehovæ] Ut Jehovæ administer, ab ipso Deo constitutus. Vide ad vers. 4.

8. *Partem solitam*] חלק כחלק hhelek chehhelek, *partem ut partem*, hoc est, qualem solent habere, qui Sacerdotibus adsunt, quam Lex non definit. Hinc Vulg. *partem eamdem ciborum quam & cæteri.* LXX. verò *μερίδα μεμερισμένην* quasi pro כחלק legissent סְחֻלָּק *divisam.*

Præter id quod ei datum fuerit] ממכריו mimcharau. LXX. obscurissimè *τῆς πράσεως τῆς κατὰ πατριάν.* Vulg. clariùs: *excepto eo quod in urbe sua ex paterna successione debetur.* Qui videtur esse sensus, adeò ut ממכר *mimchar* deducendum sit à מכר, prout hæc vox significat *tradidit*, non prout sonat *vendidit.* Onkelos habet: *præter id quod per vices Sabbathi ei venerit, sicut patres constituerunt.* Respicit, nempe, ad classes vicibus ministrantes, de quibus 1 Par. C. XXIII, *& seqq.* sed tempore Mosis nondum erant constitutæ.

Pro domo patrum] על האבות *secundùm patres*, hoc est, על בית אבות *pro domo patrum*, *κατὰ πατριάν*, ut habent LXX. *pro paterna familia.* Intelligitur autem domus in urbe Levitica, & agellus suburbanus; præter quæ bona, Levitæ habebant partem aliquam Sacrorum, quando Tentorio ministrabant.

10. *Qui transmittat*] מעביר mahabir. LXX. Intt. *περικαθαίρων*, Vulg. *qui lustret.* Sed intelligi planè videtur combustio, ut diximus ad Levit. C. XVIII, 20. Vide & quæ ad hunc Deut. locum habet *Hug. Grotius*, quibus idem comprobatur.

Divinationibus utatur] קסם קסמים LXX. Intt. *μαντευόμενος μαντείαν* Vulg. *qui sciscitetur hariolos.* Videtur esse species divinationis, sed quæ non liquet.

Augur] מעונן. Vide not. ad Levit. XIX, 26.

Auspex] מנחש. Vide not. ibidem.

Hariolus] מכשף, de qua voce diximus ad Exod. VII, 11. Ex toto orationis nexu, sequentibúsque & antecedentibus vocibus, nescio quam speciem divinorum ita vocari manifestum est. LXX. tamen habent *φαρμακὸς* & Vulg. *maleficus*, quæ huc non faciunt.

11. *Incantamentis deditus*] חבר חבר *hhober hheber.* LXX. *ἐπαείδων ἐπαοιδήν.* Vulg. *incantator.* Adparet esse incantatorem ex Ps. LVIII, 6. *Sicut aspis surda, quæ obturat aurem suam ne audiat vocem mussitantium, aut incantamentorum peritum* חובר חברים מחכם. Rabbini putant ita dictum, quòd carminibus *consociaret* seu *congregaret serpentes*; quia חבר significat *sociare*, quasi ejusmodi incantatores artem calluissent cogendorum in unum locum serpentium. Malim deducere à significatione Arabica radicis חבר *hhabara*, hoc est, *scire, cognoscere*; ut sit idem re & significatione, ac ידעני quod est à ידע *scivit.* Hinc postea factum חָבָר, quod artis ejus qui חוֹבֵר dicitur effectum sonat, seu sit incantatio, seu divinatio, aut simile quidpiam.

Spiritus fatidicos aut præscios] אוב וידעני *spiritum & divinum.* Vide not. ad Levit. XIX, 31.

Interroget mortuos] *Necyomantis*, uno verbo Græco. Duo superiora verba significant hominem, qui consulit hariolos; hoc verò eum, qui harioli munere ipse fungitur. Possunt tamen omnia de divinis ipsis intelligi, nec multùm interest utrum verius videatur. Una eadémque mulier, quàm consuluit Saül, potest non modò בעלת אוב & ידענית *spiritum fatidicum habens & præscia* dici, sed & דרשת אל מתים *interrogans mortuos.* Vide 1. Sam. XXVIII, 8.

Orientales porrò semper summopere dediti fuere cum incantationibus, tum etiam prædictionibus; futurísque cognoscendi summâ cupiditate flagrarunt, & præcognosci posse existimarunt. Nihil adgredi audebant, nisi priùs consultis hariolis. Vide *Joan. Selden.* de Diis Syris Synt. I. Cap. 2. & *Thom. Stanleji* Philos. Orient. Lib. I. Sect. 2. C. XXII. *& seqq.* Ideóque sæpiùs Moses his artibus uti vetuit.

Detestatur Jehova] *Detestatio Jehovæ.*

13. *Integer eris*] תמים *thamim*, quâ voce videtur hîc significari non tam vitæ quæ dicitur integritas; quàm ea animi adfectio, quâ totos in se solum ferri Hebræos volebat Deus, sine ulla adfectuum inter vicinorum & sua instituta divisione. Opponitur ergo תמים non simpliciter malo viro, sed ei qui cum divinis idololatrarum

9. Cùm ingressus fueris terram, quâ Jehova Deus tuus te donat, non disces fa-
cere res detestandas, quales fecerunt gentes illæ, *quæ eam incolunt.* 10. Non inve-
nietur, apud te, qui transmittat filium suum aut filiam per ignem, qui divinatio-
nibus utatur, augur, auspex, hariolus, 11. incantamentis deditus, qui sciscitetur
spiritus *fatidicos*, aut præscios, aut qui interroget mortuos. 12. Detestatur enim
Jehova omnes, qui hæc faciunt, & propter detestanda illa, Deus gentes istas è
conspectu tuo expellit. 13. Integer eris cum Jehova Deo tuo.
14. Gentes istæ, quas expulsurus es, audiverunt divinos & augures; at tu non
sic *facies*, *nec hoc* tibi permittit Jehova Deus tuus. 15. Prophetam mei instar, è
me-

mini. 10. 11. Nemo inter vos sit, qui liberos Numini adoleat, nemo qui ullo divinationis genere, apud eas Gentes, adhiberi solito, utatur. 12. Hæc Deo summopere displicent, nec ulla alia de causa Chananæos è sedibus avitis deturbat, quibus vos donet, quam propter horrenda ea Sacra, artésque nefarias, quæ inter eos in pretio adhuc fuerunt.

13. Vos verò ita solis Dei institutis adhærete; ut obsequium, quod ei debetis, cum nullo alio communicetis.

14. Ne igitur divinos ullos aut hariolos, ut eæ Gentes solent, de ulla re consultum itote. 15. Deus eorum loco Prophetas ad vos mittet, & eximium in primis Vatem, mei similem, olim excitabit.
Ab

trarum miscet instituta. Sic Prov. XXVIII, 18. opponitur תמים ei qui duplici viâ ingreditur. *Incedens integer* (תמים) *servabitur*, *sed implicitus duabus viis cadet in altera.* Vult itaque Deus hic se solum, & suos Prophetas consuli, superstitiosásque hariolorum artes ab Hebræis caveri.

14. *Audiverunt*] Hoc est, nihil gravius suscipere ausæ sunt, nisi auctoribus hariolis

Non sic facies] לא כן *non sic.* Subauditur תעשה *facies*, nec rara est ea ellipsis. Vide Ps. I, 4.

Nec hoc tibi permittit] נתן *dat*; sed repetenda negatio quasi esset ולא נתן זאת *neque dat hoc.* Sic LXX totum hoc κῶλον interpretantur: καὶ σοὶ οὐχ οὕτως ἔδωκε κύριος ὁ θεός σου. Vulg. *A Domino Deo tuo aliter institutus es.* Posset, eodem manente sensu, ואתה & *tu*, esse nominativus absolutus, quasi diceret Moses: ad te verò quod attinet, *non sic permisit tibi* &c. Vide Esai. LIV, 21. LXVI, 18. & *Sal. Glassium*, in Gram. Sacræ Tr. I. *Canone* 28.

15. *Prophetam mei instar* &c.] Hoc vult Moses; si quid populus Hebræus, aut etiam privati adgredi cupiant, ne eant ad vicinarum Gentium hariolos, ut eventum priùs cognoscant; nam habebunt vates, mei similes, divinitus adflatos quos consulant. Tota orationis series eò tendit, rémque non malè expressit *Jonathan*, hoc modo: *Quoniam populi isti, quos possessuri estis, præstigiis & divinationibus auscultant; vos autem similes illis non eritis, sed Sacerdotes interrogabunt per Urim & Thummim, & prophetam rectum dabit vobis Jehova Deus vester.* Sequentia etiam idem suadent, ubi satis perspicuè Propheta is dicitur loco Mosis excitandus. Itaque aut voce singulari נביא *nabi*, intelligendus solus Josua, qui Mosi successit; aut si ei sequentium ætatum Prophetæ conjungantur, erit numerus singularis pro plurali. Nec deest ratio hujus Enallages, quâ nihil in Lingua Hebraïca frequentius; quòd, nimirum, plerumque unus eximius Propheta dumtaxat excitaretur, quamvis alii etiam simul essent. Sic Samueli, dum vixit, par nemo fuit, nemo Eliæ, nemo Elisæo; quamquam erant, eorum ævo, Prophetarum collegia. Vide 1. Sam. X, 5. XIX, 20. Hunc ipsum sensum inesse huic loco existimavit *Origenes*, qui Lib. I. contra Celsum, allatis Mosis verbis ex verss. 14. & 15. subjicit: εἴπερ οὖν τῶν ἐθνῶν χρωμένων μαντείαις εἴτε διὰ κληδόνων, εἴτε δι' οἰωνῶν, εἴτε δι' ὀρνίθων, εἴτε δι' ἐγγαστριμύθων, εἴτε καὶ διὰ τῶν θυτικὴν ἀπαγγελλομένων, εἴτε καὶ διὰ Χαλδαίων γενεθλιαλογούντων, ἅπερ πάντα Ἰουδαίοις ἀπείρητο· Ἰουδαῖοι εἰ μηδεμίαν εἶχον παραμυθίαν γνώσεως τῶν μελλόντων, ὑπ' αὐτῆς ἂν τῆς ἀνθρωπίνης περὶ τὴν γνῶσιν λιχνείας τῶν ἐσομένων ἀγόμενοι, κατεφρόνησαν μὲν ἂν τῶν ἰδίων, ὡς οὐδὲν ἐχόντων θεῖον ἐν ἑαυτοῖς καὶ οὐκ ἂν μετὰ Μωσέα προφήτην παρεδέξαντο, οὐδ' ἂν ἀνεγράψαντο αὐτῶν τοὺς λόγους, αὐτόμολοι δὲ ἐπὶ τὰ τῶν ἐθνῶν μαντεῖα καὶ χρηστήρια μετέστησαν, ἢ ἐπεχείρησαν ἂν ἱδρῦσαί τι τοιοῦτον καὶ παρ' ἑαυτοῖς: *Itaque Gentibus futurorum cognitionem petentibus ex oraculis, auspicibus, Engastrimythis, sacrificulis, Chaldæis Genethliacis, quæ omnia Judæis sunt vetita; si ipsi nullum solatium habuissent è futurorum præscientia, certè impulsi humanâ futura cognoscendi libidine, contemsissent res suas, ut nihil divinum in se habentes, nec alium post Mosem prophetam recepissent, nec sermones eorum mandassent litteris, transfugissentque ad oracula gentium, aut ipsi conati fuissent simile aliquod apud se instituere.* Vide & sequentia quæ, brevitatis causâ, omittimus.

Attamen si in animum revocemus, in Vetere Testamento, non tantùm esse vaticinia, quorum verba pertinent dumtaxat ad res sub Messia futuras; sed & alterum genus vaticiniorum, quæ ita concepta sunt, ut respiciant quidem, si series orationis spectetur, res ante Messiam impletas; sed tamen & ulteriùs urgeri possint, quippe plenum eventum, & verborum magnificentia dignum ante Christum nondum sortitas; si, inquam, hoc perpsitemus, ut par est, intelligemus in hoc loco latere sensum subliniorem.

Nec quidquam etiam obstat, quominùs hæc Mosis verba ita interpretemur, ut complectantur Prophetas omnes, post eum à Deo missos, adeóque ipsum novi fœderis Prophetam; cui eò meliùs conveniunt, quò est non modò ceteris Prophetis, post Mosem natis, sed & ipso Mose potior, excellentiórque. Certè Legislatoris præceptum hoc nititur certissimo dogmate: Deo credendum esse, seu sine hominum ministerio, seu per homines voluntatem suam patefaciat; adeóque auscultandum esse Prophetis omnibus, à Deo verè missis. Nec dubito quin veteres Ju-
dæi

medio tui, ex fratribus tuis, excitabit tibi Jehova Deus tuus, huic auscultabitis; 16. pro omnibus quæ petiisti à Jehova Deo tuo ad Chorebum, die conventûs, cùm diceres: ne ampliùs audiam vocem Jehovæ Dei mei, neç ampliùs hunc magnum ignem videam, ne moriar. 17. Tum verò mihi dixit Jehova: bene loquuti sunt, 18. Prophetam instar tui excitabo iis, è mediis eorum fratribus, ponam verba mea in ejus ore, iisque quidquid jussero dicet. 19. Si contigerit quemquam non auscultare verbis meis, quæ ille nomine meo proferet, ego ab eo pœnas exigam.

20. At

Ab his quid facere vos deceat accipite, & dictis horum obsequentes estote. 16. Meministis, cùm Dei vocem è medio igne audivissetis, vos territos petere ne Deus amphùs vos ipse alloquetetur, sed me internuncio potius uteretur; 17. neque à Deo vestram hanc postulationem repudiatam fuisse. 18. Tum mihi dixit, se posthac non ampliùs vos ea ratione alloquuturum, sed, quod modò dicebam, se vates voluntatis suæ interpretes, postquàm obiissem, excitaturum; atque inter eos, longè præstantissimum Prophetam aliquando missurum; qui Dei mandatis instructus ad vos veniet, & quæ ab eo acceperit summâ fide proloquetur. 19. Minatus autem est Deus se de iis qui cùm

dæi crediderint Mosem uno hoc promisso, cui adnectitur illud præceptum, ita complecti omnes Prophetas, ut singulari protsus ratione ad Messiam respexerit. Ideò Petrus Actor. III, 22. qui, ut solent Apostoli, apud Judæos ex admissis opinionibus ratiocinatur, hæc verba Jesu Nazareno, vero Messiæ & novi Fœderis Prophetæ, aptat. *Moyses dixit*, inquit, *quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus* &c. — *vobis primùm suscitans filium suum misit* &c. Eodem modo interpretatur Stephanus Act. VII, 37. Reliquiæ hujus traditionis superesse videntur in *Midrasch Kobeleth*, seu interpretatione allegorica Ecclesiastæ, iu qua Magistri docent Messiam plurimis in rebus similem fore Mosi ad Eccles. Cap. I, 9. Hæc eorum verba profert *Raymondus Martini*, in Pugione Fidei Part. 2. C. XV. nam ipsum librum non vidi: אמר רבי ברכיה בשם רבי יצחק כגאל הראשון כך גאל האחרון מה גאל הראשון שנאמר ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על החמור כך גאל האחרון שנאמר עני ורכב על החמור: *Dixit Rabbi Barachia, nomine Rabbi Isaaci: qualis liberator prior? ut dictum est:* & sumsit Moses uxorem & filios & eos vexit asino: *sic & liberator posterior, sicut dictum:* pauper & vectus asino.

Mei instar] כמוני *chamoni*. Rectè quidem observavit *Hug. Grotius*, vocem כמוני communitatem quamdam nominis atque auctoritatis, non omnimodam æqualitatem, notare; quo sensu, omnes veri Prophetæ possunt dici fuisse כמשה *instar Mosis*; attamen eadem verba amplius quiddam etiam significant. Primùm enim ex sequentibus verbis adparet à Deo *prophetam instar Mosis* promissum esse, quòd satis esset semel ex nube ignea vocem divinam à toto populo auditam esse, & satius esset Prophetas in posterum internunciorum munere fungi. Sic Propheta, quem loco Mosis excitaturum se pollicetur Deus, debuit divinam voluntatem à Deo accipere, quemadmodum Moses eam acceperat; hoc est, non per somnia, aut voces, quas sine nimio terrore possent audire vulgò Hebræi. Alioqui ratio internunciis Prophetis utendi, quæ postea adsertur, ducta ex terrore populi, qui vocem divinam audiverat, non esset tanti ponderis. Secundùm, in hoc ipso Libro Cap. XXXIV, 10. negatur post Mosis mortem surrexisse Propheta כמשה *instar Mosis*. Igitur quamvis dilutiore sensu hæc de omnibus Prophetis, qui post Mosem vixere, intelligi queant; multò tamen pleniore de Jesu Christo prædicari possunt. Is enim ab ipso Deo, sine somniis aut aliis ejusmodi visis, sed vigilans & sui compos accepit doctrinam quam promulgavit. *Ego quod vidi*, inquit, *apud patrem loquor*. Joan. VIII, 38. Præterea ut Moses fuit mediator fœderis inter Deum & homines: eodem etiam munere functus est Christus, qui fœdus Evangelicum ad homines adtulit. Similitudo Christi & Mosis, in hisce duobus, ut alia nunc omittam, eò majoris est momenti, quòd hæc iis planè sint singularia, neque ulli alii Prophetæ contigerint. Ante Christum natum, post mortem omnium Prophetarum qui à Mose ad eum vixerunt, verè dicere quis potuisset quod legitur ad calcem Deuteronomii: *non surrexit denuo in Israële Propheta ut Moses, qui Jehovam viderit facie ad faciem conversâ*. Sed cùm Christus adparuit, tum demum *Propheta ut Moses*, imò Mose multò major surrexisse potuit dici.

Huic auscultabitis] Ex hoc præcepto, Judæi debuerunt omnibus Prophetis à Deo missis aurem præbere, quamvis iu iis quæ modò dicebamus Mosi similes non essent; quia ea saltem in re Mosem referebant, quòd ab eodem Numine ad Israëlitas essent missi. Quod cùm ita sit, multò potiore jure debuerunt audire Prophetam, qui in eo quod singulare adhuc Mosi fuerat, eum non referebat tantùm, sed etiam superabat. Nemo enim poterat dubitare quin verè à Deo missus esset Jesus, veráque essent quæcumque docebat, quisquis expenderat miracula ab eo edita, animadvertebátque omnia ejus dicta, eò tendere, ut unius veri Dei cultum confirmaret apud Judæos, & ad Gentes alias propagaret, nedum ut harum Idulolatriam Judæis imitandam proponere adgrederetur.

Ad hunc locum, existimarim omnino Christum respexisse Joan. V, 45. cùm diceret: *Nolite putare quia ego accusaturus sum vos, apud Patrem; est qui accuset vos, Moyses in quo speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Judæi non poterant negare à Mose ita descriptum fuisse Prophetam verum, & dignum qui audiretur, ut ea descriptio ad amussim Jesu Nazareno conveniret. Itaque, si verè credidissent Mosi, hoc est, si animo cognoscendæ ejus doctrinæ cupido, vitæque ad eam normam instituendæ, scripta ejus legissent, & amplexi essent, facilè agnovissent & Jesum esse verum Prophetam ex Mosis

20. At Propheta, qui *usque adeò* superbè se gesserit, ut proloquatur meo nomine, quæ eum dicere non jussero, & quicumque nomine Deorum alienorum loquetur, illi Prophetæ morte adficiantur. 21. Si verò dixeris apud te: quomodo dignoscemus id quod Jehova non dixerit? 22. Quod proloquutus fuerit Propheta, nomine Jehovæ, neque *tamen* fuerit, nec evenerit; hoc est quod non dixit Jehova, id ex superbia dixerit Propheta, eum non timebis.

XIX. Le-

cùm aliis, tum etiam huic summo Prophetæ auscultaturi non essent, gravissimas pœnas sumturum. 20. Addidit præterea, si quis Propheta, nomine Dei, ad vos veniret, nec tamen verè à se missus esset, eum capite pœnas luere, ob impium mendacium, oportere. 21. 22. Vos autem verum Prophetam à falso facilè, ex eventu prædictionis, cognoscere posse; nam id quod prædixisset impostor, nequaquam eventurum; quod cùm animadvertet populus Hebræus, ab eo vatis minas non ampliùs timeri oportere. Sed & in animum revocandum quod antea dixi, eum à vero Deo missum esse non posse, qui adgrediatur suadere, alium esse colendum Deum, præter eum qui omnia creavit, & à quo Leges nostras accepimus.

P A-

sis descriptione, & singulari quadam ratione eam descriptionem ei convenire.

16. *Pro omnibus quæ petiisti*] Cùm significasset populus Hebræus, se non posse audire vocem Dei ἀμέσως se alloquentis, sine terrore nimio; Deus promisit posthac se internunciis Prophetis usurum, quæ circumstantia omittitur Exod. XX.

18. *Prophetam instar tui excitabo*] Hoc primùm velle videtur Deus, Mosem, dum foret in vivis, internuncium futurum, nec se ἀμέσως ampliùs alloquuturum populum; atque, eo mortuo, similiter se alios Prophetas excitaturum, qui interpretes sui sint apud populum Hebræum. Sed quia, inter eos Prophetas, unus futurus erat longè præstantissimus, animadvertendum est, Mosem ita rem expressisse, ut verba huic Prophetarum omnium longè principi, aptiùs multò quàm ceteris, conveniant. Unde colligere licet, Deum, in hoc promisso, potissimùm ad Christum, olim inter Hebræos nasciturum, respexisse.

19. *Ego ab eo pœnas exigam*] אדרש מעמו *inquiram ab eo*; hoc est, puniam, quia Judices cùm inquisiverunt in crimen, quod verum esse comperiunt, de reo pœnas sumunt. Est ergo antecedens pro consequente. Ideò LXX. Intr. *ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ*. Vulg. *ultor exsistam.* Similiter Petrus Act. III, 23. interpretatur *ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ exterminabitur ex populo*, hoc est, morietur.

20. *Superbè se gesserit*] יזיד לדבר *superbierit ad loquendum*; hoc est, ita spreverit Religionem Hebræorum, ut Prophetiam nihil præter fallaciam esse putet; adeóque, sine ulla revelatione, Prophetam audacter agat. Similem animi adfectionem, conjunctam cum verbis impiis, observavimus זדון *zadon* dici à *Jonathane* ad Numer. Cap. XV, 29. Vide & suprà Cap. XVII, v. 12.

Illi prophetæ morte adficiantur] ומת הנביא ההוא *& mortuus propheta ille*; hoc est, uterque morte pœnas luat, nam series orationis manifestò ostendit ad utrumque has pœnas referri.

Apud te] *In corde tuo.*

22. *Neque tamen fueris*] *Neque verbum hoc erit, neque veniet.*

Hoc est quod non dixit] *Hoc verbum quod non dixit.* Non erat quidem certum indicium divinæ missionis, si quod prædictum à vate fuerat contingeret, ut docuit Moses suprà Cap. XIII, 2. at non prædictum Dei jussu fuisse quod non eveniebat certum erat, si modò prædictio absoluta, seu sine conditione ulla fuisset. Jonæ prædictio de Ninivitis, quamvis Deo jubente edita, eventum non est sortita; quòd, nimirum, conditio latens non contigisset. Vaticinabatur enim Jonas Niniven intra quadraginta dies perituram, si Ninivitæ peccare pergerent; licèt hæc conditio à Propheta non esset expressa, imò etiam ignoraretur; nam pleræque omnes Dei minæ ex conditione pendent. Hoc in animum revocare par erat Prophetam, potiùs quàm dolori indulgere, quòd vaticinium suum non contigisset. Nam non erat quod timeret, ne Pseudopropheta haberetur à Ninivitis, qui facilè intelligere poterant, id sine dubio eventurum fuisse quod prædixerat Jonas, nisi pœnitentiam egissent; quandoquidem pœnitentiam in Jonæ Prophetia memoratam acturi non fuerant, nisi vaticinii ejus eventum ex ea conditione pendere judicassent. Verùm de hac re, ad ipsum Jonam, aliquando copiosiùs agemus.

Eum non timebis] Quamvis minetur Dei iram, minæ ejus spernendæ erunt, atque ad supplicium ducendus. Ac sanè vix ullum potest esse Religioni exitialius scelus, quàm revelationis fictio, cùm hoc pacto omnis generis fraudibus via aperiatur; præterquàm quòd vix quisquam fingere revelationem possit, nisi insaniat, aut ipsam Religionem flocci faciat. Quicumque ita peccabat erat αὐτοκατάκριτος, & ultimo supplicio dignissimus.

COM-

XIX. *Leges de Asylis, de homicida invito, de homicida qui de industria alium occidit, de limitibus agrorum, de testibus.*

CAPUT XIX. 1. CUM Jehova Deus tuus exciderit eas gentes, quarum terrâ te donat, eásque possidebis, & earum urbes ac domos habitabis; 2. in media terra tua, quam dat tibi possidendam Jehova Deus, tres urbes tibi seliges. 3. Parabis tibi viam, & in tres partes divides fines terræ tuæ, quâ possidendâ te donat Jehova Deus tuus, eritque *unaquæque earum urbium*, ut fugiat illuc omnis homicida.

4. Hic est autem homicida, qui illuc fugiet & vivet, quisquis imprudens percusserit proximum suum, cùm eum antea odio non haberet. 5. Cùm quispiam iverit in silvam cum proximo suo, ad cædenda ligna, & dum manu securim ad cædendum lignum vibraret, fugerit ferrum è ligno, incideritque in proximum ejus, ita ut moriatur, fugiet ille in unam earum urbium & vivet; 6. ne vindex sanguinis sequatur homicidam, dum animus ejus *dolore* ardebit, eúmque adsequatur, quia via longior erit, & occidat, quamvis non esset in eum judicium mortis, quandoquidem eum *quem occidit* antea non oderat.

7. Ideò tibi hoc dedi præceptum, dicens: tres urbes tibi selige. 8. Si verò ampliarit Jehova Deus tuus fines tuos, quemadmodum majoribus tuis juravit, dederitque tibi omnem terram, quam se *tibi* daturum majoribus tuis promisit; 9. quia memor fue-

PARAPHRASIS.

1. POSTQUAM, expulsis aut deletis veteribus colonis, Chananæam invaseritis; 2. tres alias urbes Asyli, ad occasum Jordanis, vobis constituite. 3. Diviso in tres partes æquales eo terrarum tractu; in singulis tribus partibus Asylum aperite, viasque quibus adiri possit munite, ut homicidæ eò confugere facilè queant.

4. Omnibus tamen homicidis incolumitatem non præstabunt, sed iis tantùm quos constabit invitos hominem, quem non oderant, occidisse; 5. ut si cujus ligna cædentis, cum alio, in silva securis è manubrio elapsa, dum ligna cædit, alium fortè occidat. Huic patebit Asylum, in quod confugiat, 6. ne vindex cædis, dum recens est ob consanguineum amissum dolor, hominem innoxium occidat.

7. 8. 9. Si verò ita Legi divinæ addicti fueritis, ut Deus, quod olim obsequentibus promisit, fines vestros ampliet, tum alias tres urbes, commodis locis sitas, Asyla vobis constituetis. 10. Eo pacto impedietis quominùs, privatorum irâ, innocentes interficiantur; nec vobis, ob innocentiam proditam, pœnas contrahetis.

11. Sed

COMMENTARIUS

In CAPUT XIX.

1. TE donat] *Jehova Deus tuus te donat.*

2. *Tres urbes tibi seliges*] *Tres urbes separabis*, aut *distingues*; nimirum, ad occasum Jordanis.

3. *Parabis tibi viam*] Hoc est, munies vias omnes, quibus ad urbem Asyli aditus erit. Alioqui si nimis difficiles viæ fuissent, ut si urbs in montis jugo sita fuisset, aut in paludibus, nec potuisset adiri, nisi unâ viâ eáque difficili, vix quisquam eò celeriter pervenire potuisset, adeóque ferè inutile fuisset Asylum.

Divides in tres partes] שלשת *schillaschtha*; hoc est, divisis agris, quos occupabis ad occasum Jordanis, in tres partes æquales, in singulis mediis partibus aperies Asylum, ut, quantum licebit, ab omnibus finitimis æquè sit remotum.

Omnis homicida] Donec constet an sit de industria homicida, an vero casu; nam in gratiam eorum dumtaxat, qui inviti occiderant, constituta erant Asyla. De Asylis diximus ad Num. XXXV, 6.

4. *Hic est homicida*] זה דבר הרצח *hoc verbum homicidæ*; hoc est, is censebitur ejusmodi homicida, cui patere oportet Asylum. Vide similem loquutionem Cap. XV, 2.

Imprudens] בבלי רעת *in sine scientia.*

Cùm eum antea odio non haberet] *Et ille non oderat eum heri & nudius tertius.*

5. *Cùm quispiam iverit*] ואשר *vaascher.* Est exemplum, cui alia similia fingi possunt.

Fugerit ferrum] נשל *naschal*, exuerit se ferrum. Vocem Romani Juris, quæ idem sonat, adhibuimus. Commodè dicas Gallicè, uno verbo: *si le fer se démanche*, hoc est, è manubrio sponte exsiliat.

Inciderit in proximum] *Invenerit proximum.*

6. *Dolore ardebit*] כי יחם *cùm calebit*; nempe, primùm irâ, aut dolore flagrabit, & cupidiùs ad vindictam esset decursurus.

Quamvis non esset] ולו *& ei nullum judicium mortis.*

8. *Majoribus tuis juravit*] Juraverat Deus se Hebræos in Chananæam intromissurum, sine conditione, quam excludit jusjurandum, ut diximus ad Cap. I, 24. Sed promiserat, sub conditione pietatis, se amplissimos fines Hebræis concessurum; quod, numquam præstitâ conditione, numquam etiam fecit. Hæc, quæ sunt hîc mista, accuratè distinguenda. Sine conditione pietatis promissam Hebræis Chananæam, sal-

fueris omnium horum præceptorum, ut ea faceres, quæ ego hodie te jubeo, ut ames
Jehovam Deum tuum, incedásque semper in ejus viis; tum verò tibi adjicies tres alias
urbes, præter tres istas. 10. Neque sanguis innocens effundetur in media tua terra,
quam Jehova Deus tuus tibi in hereditatem dat, neque eris cædis reus.
11. Sed si quis odio habuerit proximum suum, insidiásque ei struxerit, & insurgens
ei lethale vulnus inflixerit, ita ut *læsus* mortuus sit, ac fugerit *homicida* in unam urbium
illatum; 12. senes oppidi in quod degebat mittent qui eum adducant illinc, hominémque tradent in manum vindicis cædis, & morietur. 13. Ei oculus tuus non parcet, nec
patieris sanguinis innoxii effusi reum esse Israëlem, & tibi bene erit.
14. Non removebis terminum proximi tui, quem posuerint priores, in prædio tuo,
quod habebis in terra, quam tibi possidendam dat Jehova Deus tuus.
15. Non surget testis unus in aliquem, quodcumque fuerit delictum, quodcumque
peccatum, quæcumque noxa admissa; ex ore *dumtaxat* duorum aut trium testium res
constabit. 16. Cùm steterit testis injurius in aliquem, ut contra eum dicat perversum
testimonium; 17. tum duo viri, quibus lis erit, se sistent coram Jehova, coram Sacerdotibus, aut Judicibus qui diebus illis erunt. 18. Probè inquirent Judices, & quando testis ille *erit* testis falsus, *atque* in fratrem suum falsum testimonium dixerit; 19.
tum verò illi facies quemadmodum machinatus erat facere fratri suo, & malum è medio tui tolles. 20. Reliqui verò *rem* audient, timebúntque, neque ampliùs in medio
tui scelus admittent, quale hoc est. 21. Nemini parcet oculus tuus, *sed erit* anima
pro anima, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede.

XX. Belli

11. Sed si constet à quopiam hominem, quem oderat, circumventum & lethali vulnere læsum interiisse; 12. tum verò Judices oppidi, in cujus agro cædes erit admissa, hominem ex Asylo ad supplicium trahunto, 13. neque cædem hominis innoxii, si Deum sibi faventem esse velint, inultam esse patiuntor.
14. Limites agrorum ab iis, à quibus primùm divisi fuerint, positos, nemo convellito.
15. Unus testis ad nullius damnationem satis esse existimator; sed tres, aut minimum duo à Judicibus, priusquam quemquam damnare queant, consentientes audiuntor. 16. Si quis alium falsi testimonii in se dicti accuset, 17. oppidi, in quo degent, Judices rem ad Sacerdotes, aut ad Judicem totius populi Hebræi referunto. 18. Hi summâ diligentiâ in rem inquirunto, & quando certis argumentis compererint falsum dictum esse testimonium, 19. calumniatorem iisdem pœnis, quas luisset innoxius, si sontem esse constituisset, adficiunto; neque hominem sceleratum inter se impunè vivere sinunto. 20. Ejusmodi exemplis, si qui similia committere vellent, deterrebuntur ne easdem pœnas luant. 21. Hoc in negotio, nulla in quemquam misericordia exercetor; sed quisquis, per calumniam, conatus fuerit pœnæ alium insontem subjicere, eadem pœnâ mulctator.

P A-

saltem ad breve tempus, satis docet Moses suprà Cap. IX, 4, 15.

9. *Quia memor fueris*] *Quia servaveris omne id præceptum ad faciendum illud.* Summa præceptorum Mosaïcorum huc redit, 1. ut nihil fieret quod supplicio capitis plectendum esset: 2. ne præsertim per superbiam, hoc est, contumeliosè spretâ Lege, violarentur divina præcepta: 3. ne scientes & prudentes Hebræi violarent, quæ à Deo præcepta esse norant: 4. ut ea quæ mulctis aut sacrificiis lui poterant, eo modo expiarentur. Nusquam Lex exigit ut nulla, ne per ignorantiam quidem excusabilem, committantur peccata; sed ut, iis agnitis, ea fiant quæ ex Lege fieri debent. Nusquam etiam Dei iram intentat iis, qui quatuor illa observaturi erant. Hæc autem *impossibilia* nequaquam erant observatu; maléque adeò nonnulli adnotant ad hunc locum, cùm *hæc conditio esset legalis, adeóque homini observatu impossibilis*, promissionem Dei de ampliandis ad Euphratem, Libanum, mare internum, & Arabiæ deserta, Hebræorum finibus, numquam esse impletam. Sed numquam maxima Hebræorum pars ea observavit quæ diximus, & quæ poterant observari. Verum hæc Theologica sunt, nec possent sine longiore disputatione exponi, & vindicari ab objectionibus eorum qui aliter sentiunt. Ejusmodi autem excursus non est nostri instituti.

10. *Neque eris cædis reus*] *Erunt sanguines super te.* Vide ad Levit. XX, 9.

11. *Lethale vulnus inflixerit*] *Percusserit eum* נפש *in anima*, hoc est, ita ut vitam eo ictu eripere possit.

12. *Urbis in qua degebat*] עירו *urbis ejus. Senes* autem sunt judices, ut alibi passim.

Mittent qui eum adducant illinc] *Mittent & sument eum illinc.*

13. *Nec patieris sanguinis innoxii effusi reum esse Israëlem*] *Auferes sanguinem innocentem ex Israële*; quod cùm Hebræis auribus non sit obscurum, à Latinè tantùm scientibus non modò non intelligeretur; sed etiam in contrariam sententiam torqueretur.

14. *Non removebis terminum*] Non mirum est Legislatores penè omnes in hoc consensisse; cùm enim termini agrorum indicia sint possessionum omnium, nihil certò possideretur, si removeri impunè possent. Vide eos quos *Grotius* ad hunc locum laudat, *Frontinum* de Limit. Agrorum p. 36. & seq. Ed. *Turnebi*, & in eodem volumine Collectanea de Limitibus p. 177. Videtur autem Moses hîc limitum meminisse,

 ex

XX. Belli inter Hebræos jura, cùm erga cives, tum erga hostes.

CAPUT XX.

1. CUM egredieris in prælium contra hostes tuos, equitésque, currus, & mul-
titudinem majorem, quàm tu eris, conspicies, ne tamen eos timeas; ti-
bi enim Jehova Deus tuus, qui te eduxit ex Ægypto, aderit. 2. Quan-
do verò ad prælium progrediemini, tum sacerdos accedet, populúmque alloque-
tur, 3. & dicet: Audite Israëlitæ, hodie contra hostes vestros ad prælium proce-
ditis, ne mollescat cor vestrum, ne timeatis, ne trepidetis, néve eos formidetis;
4. Jehova enim Deus vester vobiscum vadit, pro vobis cum hostibus vestris pugna-
turus, ut vos servet.

5. Tum

PARAPHRASIS.

1. CUM instructâ acie progressi in hostes vestros animadvertetis in eorum exercitu esse currus & equites, quibus vos caretis, & præterea majorem pedestrium copiarum numerum quàm in vestro, ne tamen unquam eos timeatis; vobis enim ita Deus aderit, ut facilè superiores sitis futuri. 2. 3. 4. Quotiescumque signa cum hostibus collaturi eritis, adsit in exercitu Sacerdos, qui similiter animum militibus addat, divinúmque auxilium polliceatur.

5. Post-

ex occasione urbium Asyli; quòd, nimirum, urbis ejusmodi fines, seu agrum suburbanum ingressum homicidam vindici cædis occidere non liceret. Itaque limites ejus agri vindicem cædis ab homicida veluti arcebant, nec poterant convelli, nisi jus Asyli violaretur. Sed mirum est pœnas in limitum translatores non esse additas. *Josephus* etiam Lib. IX. c. 8. ubi hanc Legem profert, pœnæ mentionem nullam facit. Rabbini conjecerunt eamdem esse pœnam avulsorum per vim limitum ac rapti, clam verò eamdem ac furti. Sed quamvis sit species furti, non sequitur easdem ei fuisse impositas pœnas.

15. *Non surget testis unus*] Hoc est, non admittetur ejus testimonium, ut sententia ex eo feratur. Vide Num. XXXV, 30. XXII, 16.

16. *Dicat perversum testimonium*] לענות בו סרה *ad respondendum in eum recessionem*, nempe, à Lege. Retulimus hanc vocem ad ipsum falsum testem, qui deflectit à via Lege instituta, cùm mentitur in proximum. Infra vers. 18. ubi eadem constructio שקר ענה באחיו *mendacium respondit in fratrem*, non est, accusavit fratrem mendacii, sed, ipse in fratrem mentitus est. At LXX. Intt. κατέλεγεν αὐτοῦ ἀσέβειαν & Vulg. *accusans eum prævaricationis.*

17. *Sacerdotibus aut Judicibus*] והשפטים *& judicibus*. Vide not. ad Cap. XVII, 9.

18. *Quando testis erit testis falsus*] *Et ecce testis mendacii testis ille.*

Falsum testimonium dixerit] *Respondit mendacium*, interrogatus, nempe, à Judice.

19. *Illi facies quemadmodum machinatus* &c.] Similis lex fuit, apud Ægyptios, eámque adtulimus ad Exod. XX, 15.

20. *Scelus quale hoc est*] *Ut rem malam hanc.*

21. *Erit oculus pro oculo* &c.] Pro gravitate pœnæ quam tulisset innocuus, si reus fuisset, plecti debebat falsus testis. Vide quæ de hac loquutione diximus ad Exod. C. XXI, 24. Hîc veluti παροιμιωδῶς adhibetur, non ad significandas ipsas pœnas quas falsus testis patiebatur, sed ad signandam tantùm supplicii paritatem; nam ex Legibus Hebræorum neque effodiebantur oculi, neque membra abscindebantur; adeóque falsus testis pati non poterat quod nemo reus patiebatur.

COMMENTARIUS

In CAPUT XX.

1. IN *prælium*] Aut *in bellum* למלחמה *lammilhhamah*; plerumque prælio certabatur, ut ex ejus unius eventu sæpe belli totius fortuna penderet. Vide Num. XXI, 23, 33.

Equitésque & currus] *Equum & currum.* Sed סוס *sous* singulari equo merentes sonat. Vide not. in Exod. XV, 19.

Multitudinem] עם ham, *populum*; quod multitudinem quamvis passim significat.

Aderit] *Erit tecum.*

2. *Quando progrediemini*] בקרבכם *bkorbechem*, cùm adpropinquabitis, hoc est, jam instructâ acie, antequàm classicum canat.

Sacerdos] Hunc Sacerdotem volunt Rabbini unctum fuisse in hanc rem dumtaxat, ut exercitui populi Hebræi adesset, cúmque propterea vocant משוח מלחמה *unctum belli.* Negant hunc fuisse perpetuum, atque hanc dignitatem ad posteros propagasse. Vide *Joan. Seldenum* de successione in Pont. Lib. II. c. 1. Parum certæ sunt ejusmodi traditiones Rabbinicæ, sola hominum vanissimorum auctoritate nixæ.

3. *Audite Israëlitæ*] *Audi Israël.*

Ne mollescat cor vestrum] Quamvis repetitiones sint Hebræis frequentissimæ, & sine ulla passim Emphasi; attamen quatuor hîc synonyma significantiora esse, quam unum, existimo.

Néve eos formidetis] *Ne terreamini à facie eorum.* Hoc est, propter eos.

5. *Præcones*] Adparitores Magistratuum, qui præconum vice in exercitu fungebantur. Vide not. ad Exod. Cap. V, 6.

Quis est qui &c.] *Quis est vir, qui.*

Nec dum tamen eam dedicarit] *Et qui eam non dedicarit.* Hæc sapientissima lex est, quâ quicumque apud alias Gentes inviti cogebantur militiæ nomen dare, adeóque parum strenuè se gerebant, ignaviáque aut timiditate suâ animos

alio-

5. Tum etiam præcones populum alloquentur, his verbis: Quis eſt, qui novam domum ædificarit, necdum tamen eam dedicarit? Abeat, domum revertatur, ne in acie cadat, aliúſque eam dedicet. 6. Quis eſt, qui plantarit vineam, nec tamen ſibi colligere fructus ejus cœperit? Abeat, redeat domum, ne in prælio moriatur, aliúſque fructus ejus colligere incipiat. 7. Quis eſt, qui deſponderit *ſibi* uxorem, necdum tamen eam domum duxerit? Abeat, repetat domum, ne in pugna occidat, aliúſque eam ducat. 8. Hoc quoque præcones, populum alloquentes, dicent: Quis eſt timidus, & animi mollioris? Abeat, domum revertatur, ne fratrum ſuorum animum, ſui inſtar, molliat. 9. Cùm autem populum alloqui abſolverint præcones, tum duces in fronte exercitûs, numerum *armatorum* inibunt.

10. Cùm acceſſeris ad oppidum *quodpiam*, ut id oppugnes, id ad pacem invitabis.

5. Poſtquàm ille exercitum alloquutus fuerit, tum verò præcones, ut viri fortes à timidis ſecernantur, pronuncient, ſi quis in exercitu domum ædificarit, quam nondum habitarit, licere ei redire ut eam habitet; ne deſiderio relictæ domûs ignavè ſe gerat, dum timet ne occidatur, antequàm ædibus ſuis uti cœperit, néve ad alium laboris ſui fructus perveniat. 6. 7. Idem etiam, eadem de causâ, proclametur in gratiam eorum qui vineam plantarint, cujus fructus attingere nondum iis licuerit, & qui uxorem deſponſam nondum domum duxerint. 8. Iidem præcones poteſtatem quoque faciant timidis abeundi, ne pravo exemplo ceteros, ne fortiter ſe gerant, deterreant.

10. Cum urbi in ultimis finibus veſtris, aut in vicinorum agris, non apud Chananæos, ſitæ exer- * citum

aliorum minuere poterant, excuſabantur; quo pacto fiebat, ut ad ſigna ii dumtaxat remanerent, qui alacrem ac ſtrenuam operam erant Imperatori ſuo navaturi. Conſtat eos, qui ædes nuper conſtructas nondum habitarunt, aut quid ſimile inchoatum reliquerunt ægrè à cœptis aut adfectis operibus avelli, & quàm primùm poſſunt, ad ea redire; ideóque ejuſmodi homines non poterant libenter ac diu, ſi neceſſe eſſet, militare. *Dedicare ædes* חנך בית *hhanok bajith*, eſt incipere eas habitare, adhibitis ritibus patriis. Quinam verò eſſent, apud veteres Hebræos, hoc in negotio, non ſatis conſtat. Cantatum tamen ſollemne canticum in dedicatione ædium Davidis diſcimus ex titulo Pſ. XXX. Dedicatos etiam, omni hilaritatis genere, & hymnis fuiſſe muros Jeroſolimitanos, docet Nehemias Cap. XII, 27. & ſeqq. *Joſephus* vult annuam ſaltem domûs fruitionem poſtulatam, ut quis poſſet cogi militiæ nomen dare. Sic ille Lib. IV. c. 8. Τοὺς νεωστὶ δειμαμένους οἰκίας, οἷς οὔπω χρόνος ἀπολαύσασιν αὐτῶν ἐνιαύσιος — ἐᾶν κατὰ χώραν: *eos qui nuper ædificarunt domos, quibus nondum per annum fruiti ſunt, in regione relinqui.* Aliam dedicationis rationem volunt eſſe Rabbini recentiores, de quorum opinione, totóque adeò dedicationis negotio, copioſiſſimè egit *Joan. Seldenus* de Synedr. Heb. Lib. III. c. XIV. *& ſeqq.* Eum adeant, quibus variarum gentium dedicationes cognoſcere cordi erit.

6. *Colligere ſibi fructus ejus cœperit*] חללו hhillelo, *eam profanarit*; hoc eſt, fructibus ejus veſci cœperit. Docet enim Lex XIX, 24, 25. per tres annos non potuiſſe colligi arborum fructus, quarto ſacros eos Deo fuiſſe, ac quinto demum communes habitos. Hinc *Joſephus*, loco laudato, inter eos qui non cogebantur militare, recenſet τοὺς φυτεύσαντας, οὔπω δὲ καρπῶν μετεσχηκότας *qui plantarunt, nec dum fructuum participes fuerunt.* Vites autem inter ejuſmodi arbores, quarum fructus quinto demum anno erant communes, habitas fuiſſe docere videtur Jeremias Cap. XXXI, 5. Hinc LXX. Intt. habent, οὐκ εὐφράνθη ἐξ αὐτοῦ, & Vulg. *nec dum fecit eam eſſe communem de qua veſci omnibus liceat.*

8. *Quis eſt timidus* &c.] *Quis vir timens.* Rectè obſervat *Joſephus* τὸ δειλὸν ἀποπέμπειν, μὴ τοὺς πολεμίους παρὰ τὸ ἔργον τρεπεῖν εἰς φυγὴν ἀφελόμενον: *eos qui timidos dimiſiſſent non adjuvare hoſtes, cùm in fugam convertantur, ubi ad manus deventum eſt.* Sic Judas Maccabæus, in prœlio quod narrat idem Hiſtoricus, Ant. Jud. Lib. XII. c. 11. dicitur τοὺς νεογάμους ἀπολῦσαι καὶ τοὺς τὰς κτήσεις καινὰς πεποιημένους, ὅπως μὴ διὰ τὴν τούτων ἀπόλαυσιν φιλοζωοῦντες ἀτολμότεροι μάχωνται, *qui recens uxores duxerant dimiſiſſe, & eos qui nuper prædia emerant, ne propter horum fruitionem vitæ amantes timidiùs pugnarent.* Laudati, & apud alias Gentes, duces, qui ſalutis ſacramento timidis, cum fortibus dumtaxat obviam hoſti iverunt. Iphicrates eo ſtratagemate feliciter uſus dicitur à *Polyæno.* Ἰφικράτης ἐπὶ τοὺς πολεμίους προῆγε τὴν φάλαγγα· τῶν στρατιωτῶν τινὲς ὀκνηροὶ καὶ δειλοὶ, καὶ ὠχριῶντες εἵποντο· τούτους ἰδὼν Ἰφικράτης κατὰ βραχὺ προελθὼν ἀνεβόησε τῆς στρατείας ἄφνω γενομένης, εἴτις ἀπολέλοιπέ τι ἀναστρεφέτω, καὶ παρασκευασάμενος καλῶς ἐπανιέτω· ἥσθησαν οἱ δειλοὶ, καὶ αὐτίκα ἀνέστρεψαν, καὶ τὰ ἑξῆς: *cùm Iphicrates phalangem in hoſtes duceret, quoſdam trepidos ac timidos, pallentéſque ſequi conſpicatus, progreſſus aliquantulum, cùm mox eſſet ineundum prælium, clamare præconem juſſit: cùm expeditio fuerit ſubitò ſuſcepta, ſi quis aliquid reliquit revertatur, & bene inſtructus redeat. Hoc audito, timidiores lætabantur, & continuò reverſi ſunt* &c. Addit *Polyænus* Iphicratem victoriam, eâ ratione, de hoſtibus retuliſſe. Stratag. Lib. III. c. 9. Sic *Cato*, apud *Lucanum* Lib. IX. verſ. 396. in oratione ad milites.

Si quibus in nullo poſitum eſt evadere voto,
Si quibus ire ſat eſt (neque enim mihi fallere quemquam
Eſt animus, tectóque metu perducere vulgus)
Hi mihi ſint comites, quos ipſa pericula ducent,
Qui, me teſte, pati vel quæ triſtiſſima pulcrum,

Ro-

bis. 11. Si pacatum responsum dederit, *portásque* aperuerit, populus omnis qui in
eo reperiotur, vectigalis tibi erit & serviet. 12. Quòd si pacem tecum non ineat,
sed bello tecum experiatur, tum verò oppidum obsidebis, 13. & *cùm* Jehova Deus
tuus id in manum tuam tradiderit, omnem ejus marem acie gladii concîdes. 14.
Fœminas tantùm, impuberes, & pecudes, quidquid erit in urbe, omniáque spolia
tibi diripies; & præda ex hostibus tuis, quâ Jehova Deus tuus te donaverit, vesceris. 15. Atque ita quidem te geres erga omnes urbes à te admodum remotas,
quæ non erunt ex numero urbium istarum gentium. 16. Ex urbibus dumtaxat populorum istorum, quas Jehova Deus tuus possidendas tibi dat, animam nullam vivere

citum admovebitis, antequàm eam oppugnetis, præconem mittite qui incolis vitam & incolumitatem polliceatur, si se dediderint. 11. Si se, hoc audito, in fidem populi Hebræi dedant, vectigales dumtaxat fiant, vitaque & facultates eis concedantur. 12. Si verò malint obsidionis periculum subire, atque extrema exspectare, urbem oppugnate, 13. & cùm eam, Deo vobis favente, ceperitis, tum omnes masculos ad internecionem delete; fœminas vero, puberes atque impuberes, captivas abducite, omnésque earum facultates vobis diripite. 15. Sic vos gerite erga omnes urbes remotiores, quarum incolæ non erunt ex septem gentibus exitio devotis. 16. Hisce enim pacem nullam offertote, neque ulli apud eos aut sexui, aut ætati parcite. 17. Eæ autem gentes sunt Chitthæi,

Românámque putant. At qui sponsore salutis
Miles eget, capitúrque animæ dulcedine, vadat
Ad dominum meliore viâ.

Fratrum suorum animum, instar sui molliat] *Liquefaciat cor fratrum suorum, ut cor suum.* *Liquefieri cor* eorum dicitur, qui animum despondent.

9. *Duces*] *Principes exercitûs.*

In fronte exercitûs] *In capite populi.* Ut *cauda* dicitur extrema pars exercitûs: ita primum agmen vocatur hîc caput. Sic autem vocatum extremum agmen adparet ex verbo זנב *zinneb*, de quo ad Cap. XXV, 18.

Numerum inibunt] פקדו *phakedou*, quod verbum sæpe significat *recensere*, & quidem exercitum, ut 1. Sam. XIII, 15. Esai. XIII, 4. At hunc locum aliter intellexerunt LXX. Intt. qui habent καταστήσουσιν ἄρχοντας τῆς στρατιᾶς προηγουμένους τοῦ λαοῦ, quasi legissent בראשי *capita populi*, non בראש *in capite*. Vulgatus magis etiam à verbis recessit, habet enim: *cúmque siluerint duces exercitûs, & finem dicendi fecerint, unus quisque suos ad bellandum cuneos præparabit.* Verùm videntur sensum, quem non inveniebant, finxisse. Aliæ interpretationes non minùs sunt coactæ, & à re ipsa alienæ. Nihil planius & aptius hîc comminiscaris, quàm dimissis iis, qui abire volebant, numeratos esse reliquos.

10. *Ad pacem invitabis*] *Vocabis eum* urbem *ad pacem*, hoc est, missis præconibus, qui quærant an pacem malit, potiùs quàm armis tecum experiri. Ex vers. 15. manifestò liquet hæc dumtaxat pertinere ad eas urbes, quæ procul à finibus agrorum, quos divisurus erat Josua Israëlitis, sitæ erant; quales erant Syriæ Damascenæ urbes, aut Euphrati propiores, aliæque. Attamen vir eruditissimus *Pet. Cunæus*, qui eleganter juxta & doctè Hebræorum origines illustravit Lib. II. c. 20. contendit, post *Maimonidem*, legatos de pace missos etiam ad septem populos, quorum agros Israëlitis Deus promiserat. Idem etiam censuit *Hug. Grotius*. Nititur uterque loco Josuæ XI, 19, 20. qui tamen nihil ad rem facit, ut ostendimus, ad Cap. VII, 2. Rabbinicam de bello doctrinam copiosè tradit *Joan. Seldenus* de Jure N. & G. Lib. IV. c. 12. & seqq. Eum, si ita videatur, adi; neque enim quæcumque habent Thalmudici ea ad Mosis illustrationem faciunt.

11. *Pacatum responsum dederit*] *Si pacem responderit tibi*, hoc est, se tibi dediderit.

Vectigalis tibi erit] יהיו לך למס *erunt tibi in vectigal.* Vide not. ad Gen. XLIX, 15. Attamen מס aliquando non *vectigal*, sed operam, quæ navatur principi à subditis, significat. Vide not. ad Exod. I, 11. &, si vis, *Joan. Seldenum* de Jure N. & G. Lib. VI. c. 14.

13. *Omnem ejus marem*] Rebellionis, nempe, metu; nam qui extrema obsidionis exspectare sustinuerant, ii, si sibi parceretur, facilè poterant, datâ occasione, novas res moliri. Ideò videtur David subactæ Idumææ masculos omnes occidione occidisse. Vide 1 Sam. VIII, 13. 1 Reg. XI, 15, 16. Sic & vicini Chananæorum, iis non multò meliores, flagitiosæ vitæ pœnas Deo dabant. Alioqui crudelius fuisset bellum, si homines, sine divina auctoritate, masculos omnes gentis occidissent.

14. *Impuberes*] Nempe, puellas.

15. *Remotissimis*] Ad extremos fines, atque extra septem populorum ditionem sitis.

16. *Nullum sines vivere*] *Non vivificabis omnem animam.*

Jebusæos] Omissi sunt *Girgasæi*, quorum nomen exstat in Samaritico Codice & versione LXX. Intt. Ac sanè septem erant populi exitio devoti. Vide Cap. VII, 1. Attamen non semper septem illi populi recensentur, & Girgasæi omittuntur Exod. C. III, 8.

18. *Imitari detestanda*] *Facere ut omnes abominationes earum.*

19. *Arbores ejus*] Nempe, frugiferas, ut sequentia docent. Est in singulari, *arborem ejus* &c. Solebat hoc fieri ut machinæ muris admoveri possent. Sic cùm Titus Jerosolimam obsideret, καταβληθέντος παντὸς ἕρκους καὶ περιφράγματος, ὅσα κήπων προεβάλοντο καὶ δένδρων οἱ οἰκήτορες, ὕλης τε ἡμέρου τῆς μεταξὺ πάσης ἐκκοπείσης, ἀνεπλήσθη μὲν τὰ κοῖλα, καὶ χαραδρώδη τοῦ τόπου: *cunctis maceriis ac sepibus dirutis, quibus hortos ac prædia incolæ præmunierant, omnique oppositâ, quamvis frugiferâ, silvâ excisâ, reple-*

vere fines. [17] Chitthæum enim, Emoræum, Chananæum, Pherizæum, Chivvæum, & Jebusæum, ut te jussit Jehova Deus tuus, internecioni devovebis; [18] ne vos doceant imitari detestanda omnia, quæ erga Deos suos fecerunt, néve in Jehovam Deum vestrum delinquatis.

[19] Cùm oppidum multis diebus obsidebis, ut id oppugnes & capias, non corrumpes *agri* ejus arbores, immissâ in eas securi; ex eis vesceris, neque eas succides; num enim arbor agri vir est, qui in obsidione obviam tibi procedat? [20] Arborem dumtaxat, quam frugiferam non esse nosces, eam corrumpes, cædésque & eâ construes vallum contra urbem, quæ tecum bellum geret, donec ceciderit.

XXI. Le-

thæi, Emoræi, Chananæi, Pherizæi, Chivæi, Jebusæi & Girgasæi, qui omnes erunt internecioni devovendi, ob inquinatissimos mores, & fœdissimam idololatriam; [18] ne vos, exemplo suo corruptos, à divinarum legum observatione avertant.

[19] Cùm autem diuturna erit oppidi in Chananæa obsidio, machinisque & vallo opus erit ut capiatur, cavete ne arboribus frugiferis ea in opera utamini, sed potiùs earum fructibus vescimini; nam cùm fructibus prodesse queant, nihil vobis urbem obsidentibus detrimenti adferunt. [20] Arboribus tantùm infrugiferis ad vallum & machinas utimini, cùm alium vobis obsidentibus usum præstare nequeant.

P A-

pletum est quidquid erat cavum & vallibus impeditum. *Josephus* de Bello Jud. Lib. VI. Cap. 12. in Græcis. Vide & Cap. 17.

Ex iis vesceris] Hoc est, earum fructibus. Vide Gen. III, 1. Hæc ratio est, ob quam arboribus frugiferis parcendum fuit; quòd, nimirum, plus sibi obsidentes nocuissent Israëlitæ, quàm obsessis hostibus, dum se fructibus arborum privarent. Quia autem semel in anno arbores fructus ferunt, potuissétque contingere ad initium hiemis continuari obsidionem; videtur hæc lex intelligenda de ipsa terra Chananæa, quam habitaturi erant Hebræi, & in qua consitas arbores frugiferas servare sibi debebant, etiam in alium annum. Nam ad terras quod adtinet, quas invadere nolebant, parum eorum intererat an in iis remanerent arbores; an verò cæderentur. Sic videmus, jussu Elisæi, in Moabitide arbores cæsas, quòd illic habitare nollent Hebræi 2, Reg. Cap. III, vers. 19. *Philo* in Lib. *περὶ φιλανθρωπίας*, & *Josephus* Lib. IV. c. 8. Ant. Jud. recentioréſque post eos Interpretes volunt speciem quamdam misericordiæ hîc symbolicè innui; sed quæ potest esse misericordiæ significatio, ubi occisis omnibus viris, mulieribúsque captivis abductis, arboribus frugiferis dumtaxat parcitur? Cùm Maximinus obsessurus esset Aquileiam, ejus milites *ἀμπέλους καὶ δένδρα πάντα ἐξέκοπτον*, *vites & arbores omnes secuerunt*, quibus alioquin abundabat regio. Deinde cùm traheretur obsidio, serò eos facinoris pœnituit. Sic rem narrat *Herodianus* Lib. VIII. Cap. V. §. 8. *ὁ δὲ στρατὸς πάντων ἐν σπάνει, τῶν τε καρποφόρων δένδρων ἐκκεκομμένων, καὶ τῆς γῆς ὑπ' αὐτοῦ δεδῃωμένης*: *exercitus verò omnium rerum egenus erat, excisis feracibus arboribus, agroque omni ab ipso pervastato.*

Si quid sit hîc symbolicum, existimarem potiùs arbores frugiferas Symbolum esse hominum, à quibus virtutis alicujus fructus exspectari possunt; infrugiferas verò eorum, qui inutiles planè sunt societati. Sic inter Pythagorica præcepta, quorum pleraque symbolica fuere, hoc legitur: *Φυτὸν ἥμερον μήτε φθείρειν, μήτε σίνεσθαι*: *mansuetam stirpem neque cædendam, neque lædendam.* Diog. Laërt. Lib. VIII. §. 23.

Estne enim vir arbor agri] כִּי הָאָדָם Ex canonibus Grammaticorum deberet esse הַאָדָם Sed seu hæc sit anomalia punctationis, seu punctandum fuerit ה puncto *Segol*, vix alius esse potest sensus, quo factum ut interrogativè etiam sumserint LXX. Intt. & Vulg. qui negatione interrogationem expresserunt: *lignum est & non homo, nec potest bellantium contra te numerum augere.*

Obviam tibi] מפניך *à facie tua*, hoc est, à loco tibi opposito.

20. *Donec cadat*] עד רדתה had ridthah, *donec descendat*, quod intelligendum de muris cadentibus; ut infrà Cap. XXVII, 52.

XXI. *Leges de expiatione cædis, cujus auctor ignotus erit, de captivæ nuptiis, de primogenitorum jure, de liberis contumacibus, de sepultura eorum quos Magistratus morte adfecerint.*

CAPUT XXI. 1. CUM in terra, quâ possidendâ Jehova Deus tuus te donat, invenietur confossus & jacens in agro, neque notum erit quis eum occiderit; 2. tum exibunt senes tui, seu judices, & metientur *viam* ad oppida quæ erunt circa confossum. 3. Urbis verò, quæ proxima erit confosso, senes sument vitulam, quæ ad opus *rusticum* nondum adhibita fuerit, neque sub jugo *plaustrum aut aratrum* traxerit; 4. deinde senes ejus urbis vitulam ducent in asperam *quampiam* vallem, quæ neque coli, neque seri soleat, atque illic vitulæ caput amputabunt. 5. Accedent quoque sacerdotes Levitæ, quandoquidem eos elegit Jehova Deus tuus, ut ministrent, útque benedicant nomine suo; atque ex eorum ore pendebit lis omnis, & omnis plaga. 6. Omnes verò senes urbis ullius, proximi confosso, manus suas abluent supra vitulam, cui in valle caput amputatum fuerit, 7. & respondentes dicent: manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, neque oculi nostri *cædem* viderunt. 8. Propitius esto, ô Jehova, populo tuo Israëli, quem liberasti, ne-

PARAPHRASIS.

1. POSTQUAM quietas sedes in Chananæa habebitis, sicubi ruri inveniatur cadaver hominis hominis recens confossi, 2. exeant ex vicinis oppidis Judices, & metiantur distantiam vicinarum urbium, ab eo loco in quo jacebit cadaver. 3. Urbis vero, quæ omnium proxima esse comperietur, Judices vitulam nondum ulli operi adhibitam 4. ducant, in incultam quampiam vallem; atque illic ei caput amputent 5. Sacerdotes, qui aderunt, ut potè causarum difficiliorum judices, & sacrorum omnium populi Hebræi administri. 6. Tum iidem Judices manus aquâ abluent, supra vitulæ cadaver, & interrogati num cædis auctorem norint, 7. respondebunt sibi planè ignotum esse; 8. & ad Deum conversi, eum orabunt, ne sanguinis innoxii, non procul ab urbe sua effusi, pœnas abs se repetat, quandoquidem se insciis effusus fuit. His ritibus, pollutus ager, sanguine hominis innocui, expiabitur;

COMMENTARIUS

In CAPUT XXI.

1. J*Acens*] נפל *cadens*, aut *qui cecidit*.

2. *Senes tui seu judices*] *Et judices*, nimirum, urbium vicinarum, nam qui Synedrium magnum intelligunt mores antiquioris ævi ex posterioribus temporibus frustra interpretantur.

3. *Urbs verò quæ proxima erit*] *Et erit urbis proximæ cæso, capient senes urbis ejus.*

4. *Asperam vallem*] Incultam, ut sequentia ostendunt, ne locus cultus pollueretur sanguine vitulæ, quæ species quædam inusitata victimæ piacularis fuisse videtur. Polluebat enim victima piacularis. Vide Levit. XVI, 26.

Neque coli, neque seri soleat] *Non coletur, neque seretur*; ob lapidosum, nempe, solum.

Vitulæ caput amputabunt] Ministerio, ut videtur, Sacerdotum qui aderant. Vitula autem hæc videtur simul veluti victima quædam piacularis fuisse, & simul symbolum homicidæ qui ignorabatur. Significabant Judices se ita occisuros fuisse homicidam, si eum novissent, ut occiderant vitulam; eadémque operâ victimam Deo offerebant pro peccato. Sic Nazaræus, si quis subitò coram eo mortuus concidisset, victimas aliquot debebat, ut docemur Num. C. VI, 10. & seqq. quamvis ipse non magis peccasset, quàm Judices proximæ urbis, quibus insciis, occisus fuerat is cujus cadaver inventum erat.

5. *Benedicant nomine suo*] Vide Numer. VI, vers. 27.

Ex eorum ore pendebit] *Erit ad os eorum.* Hoc est, pronunciabunt de omnibus litibus difficilioribus à Judicibus oppidorum consulti. Vide Cap. XVII, 9, 12.

6. *Manus suas abluerit*] Symbolica fuit hæc actio, quâ significabant hi Magistratus, se planè innocentes esse, circa hanc cædem. Eò respicit Psaltes Ps. XXVI, 6. & LXXIII, 13. De eo vide *Hug. Grotium* ad Matth. XXVII, 23.

Supra vitulam] Aliis victimis manus imponebatur, quo symbolico ritu sacra faciens victimam loco suo substituebat, & peccatum suum in eam veluti transferebat, ut alibi diximus; hîc verò cùm rei cædis non essent Judices, non poterant suo loco victimam offerre. Erat ergo, ut dicebamus, Symbolum non Judicum, sed homicidæ, à quo se pœnas repetituros, si eum nossent, significabant; simúlque piacularis erat victima, non peccati quidem propriè dicti, sed legalis cujusdam pollutionis.

7. *Respondentes dicent*] וענו ואמרו *& respondebunt & dicent*; Interrogati fortè à Sacerdotibus, num esset eis notus auctor cædis. Sed & ענה priorem loqui, & palam quidem *prologui* sonat. Vide Cap. XXVII, 14.

Non effuderunt] שפכה quasi antecessisset ידנו *manus nostra*, non ידינו *manus nostræ*. Sed Massoretharum *Keri* significat esse legendum שפכו, ut

neque cædem hominis innoxii imponas populo tuo Israëli. Sic expiabitur illis is sanguis. 9. Tu verò sanguinis innocentis, in medio tui *effusi*, *pœnam* averruncabis; etenim facies quod justum videtur Jehovæ.

10. Cùm egressus fueris in bellum contra hostes tuos, eósque Jehova in manum tuam dederit, & captivos abduxeris; 11. si videris inter captivos mulierem formâ præstantem, animumque ei adplicueris, & eam uxorem ducere velis; 12. tum verò eam domum tuam duces, caput suum illa radet, ungues secabit; 13. vestem quam captiva gesserit amovebit, domi tuæ manebit, parentésque per mensem deflebit. Postea ad eam ingredieris, maritus ejus fies, & erit tibi uxor. 14. Quod si *deinde* tibi non placuerit, prout volet eam dimittes; neque eam pecuniâ vendes, neque servam retinebis, quia eam compresseris.

15. Cùm fuerint cuipiam duæ uxores, quarum unam amaverit, alteram odio habuerit, eique & amata & invisa filios pepererint, ac primogenitus fuerit invisæ filius; 16. quando eorum quæ sibi erunt hereditatem filiis suis dividet, non poterit primogeniti jure donare amatæ filium, coram primogenito, invisæ filio. 17. Primogenitum agnoscet filium invisæ, ita ut det ei partem duplicem ex omnibus quæ ei invenientur; quia fuit principium roboris ejus, & ad eum jus primogeniti pertinet.

18. Cùm

tur; 9. neque Deus ejus cædis pœnas à populo Hebræo exiget.

10. Cùm victoriam de hostibus vestris remotioribus, & nequaquam ex septem devotis populis, retuleritis, captiváque mulieres abducetis, 11. si quis formâ captivæ incensus eam uxorem ducere velit, liceto, sed antea hæc observantor. 12. Domum amantis ducitor, caput radito, ungues secato, 13. vestem quam habebat exuito, lugubrem induito, atque ita per mensem integrum parentes intacta lugeto. Quo demum peracto, viro ejus amanti ducere uxorem eam liceto. 14. Quod si viro postea displiceat, vendere eam, aut servarum numero à se compressam habere nefas esto, sed eam ille liberam dimittito.

15. Si contigerit ex duabus oxoribus, quarum altera viro grata & jucunda fuerit, altera contrà invisa, nasci liberos, ita ut primogenitus filius sit invisæ; 16. hunc heredem habeto, nec primogeniti jura ad dilectæ uxoris filium transferre liceto. 17. Duplò majorem partem, jure primogeniti, filius invisæ accipito.

18. Cùm

nt est in Samaritico Codice, útque legerunt LXX. Intt.

8. *Cædem hominis innoxii imponas populo*] *Ne des sanguinem innocentem in medium populi tui* &c. Hoc est, ne imputes hanc nobis cædem, pœnámque propterea à nobis exigas.

Expiabitur illis] Hoc est, postquàm publico ritu testificati fuerint, se insciis cædem esse admissam; eâ cæde eorum ager non habebitur pollutus, ipsíque adeò immundi. Sic Nazíræus piaculares victimas offerebat, si fortè subità cujuspiam morte pollutus fuisset, quamvis nulla ea in re esset ejus culpa. Vide Num.C. VI, 10. & seq. Ostendimus, apud Athenienses, ob cædem, cujus auctor ignorabatur, expiatum fuisse solum, in quo admissa fuerat, ad Num. XXXV, 32.

9. *Sanguinis in medio tui effusi pœnam averruncabis*] *Tolles sanguinem innocentem è medio tui*, quod si ita efferretur, contrario sensu Mosaïcæ menti à Latinè tantùm scientibus intelligeretur. Hinc & Vulgarus, sed obscurè: *alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est*. Onkelos verò habet: *tolles effusionem sanguinis innocentis*, hoc est, cædem. Sed cùm *imponere sanguinem* vers. 8. sit reposcere cædis pœnas; contrà *tollere sanguinem*, est pœnas cædis averruncare.

10. *Captivos abduxeris*] Hinc liquet non agi de bello septem devotis Gentibus inferendo, quæ ad internecionem deleri debebant, sed de iis de quibus Cap. XX, 10, 11. & seqq.

11. *Uxorem ducere velis*] לקחת לך לאשה *ceperis tibi in uxorem*. At sequentia ostendunt de voluntate dumtaxat agi, quo factum ut sequeremur Vulg. qui habet *volueris habere uxorem*. Nec raró verba activa voluntatem tantùm agendi sonant. Vide not. ad Gen. XXXVII, 21. Jus autem Thalmudicum hac de re tradidit *Joan. Seldenus* de Jure N.&G. Lib. VI. c. 13.

12. *Caput illa radet*] Hæc sunt luctûs indicia. Vide not. ad Levit. XIX, 27. XXI, 5.

Ungues secabit] *Faciet ungues*. LXX. Intt. *περιονυχιεῖς αὐτὴν*. Vulg. *circumcidet ungues*. Quod in luctu videtur etiam factum.

13. *Vestem quam captiva gesserit*] Ut lugubrem, nempe, induet.

Parentes] *Patrem & matrem*; aut, in bello occisos, aut quia patriæ æternùm valedicebat, adeóque parentes veluti amittebat. Addunt meritò Thalmudici ejusmodi mulierem Judaïcam Religionem amplecti debuisse. Certè nulla Idololatriæ indicia impunè poterant, inter Hebræos, adparere. Vide Cap. XIII, 6. & seq. & *Seldenum* loco laudato.

14. *Prout volet*] לנפשה *ad animam ejus*, hoc est, prout animus ei feret, aut quocumque voluerit ire. LXX. Intt. *ἐλευθέραν*. Vulg. *liberam*.

Servum retinebis] תתעמר בה *tithammer bah*. Vide ad Cap. XXIV, 5.

15. *Unam amaverit* &c.] Ut Jacobus.

16. *Primogeniti jure donare*] Hebraïcè unâ voce בכר *baccher*. Jura Thalmudica, hac de lege, apud *Joan. Seldenum* vide, de Success. in bona Defuncti Capp. V, VI. & VII.

Coram] על פני *in faciem*, hoc est, eo vivente.

17. *Par-*

[18] Cùm cuipiam fuerit filius contumax & rebellis, qui non auscultet voci patris, neque voci matris, eúmque corripuerint, neque tamen iis obsequutus sit; [19] eum comprehendent pater & mater, educéntque ad senes urbis, atque ad portam ejus loci. [20] Tum dicent senibus ejus urbis: filius hic noster contumax & rebellis est, non paret voci nostræ, comessator est & ebriosus. [21] Dein lapidibus eum obruent omnes viri ejus oppidi, & morietur. Ita malum è medio tui tolles, & omnis Israël *hoc* audiens timebit.

[22] Cùm quis reus fuerit delicti, quod morte plecti jus est, interfectúsque fuerit & è ligno à te suspensus; [23] non pernoctabit ejus cadaver in ligno, sed illo ipso die id sepelies; nam suspensus est Deo exsecrationi, neque terram, quam Jehova Deus tuus *in* hereditatem tibi dedit, pollues.

XXII. Le-

[18] Cùm fuerit cuipiam filius perditis moribus, qui sæpe a parentibus castigatus frustra fuerit, eósque & eorum monita contumeliosè spreverit; [19] parentibus adolescentem ad Judices trahere liceto. [20] Vitia ejus & scelera illic exponunto, eáque si gravia & sine spe emendationis sint, parentum suffragio æquè ac Judicum damnatus, [21] lapidibus à popularibus suis obruitor, exemplúmque liberis contumacibus & parentes spernentibus statuitor.

[22] Cùm quis morte fuerit ex Lege adfectus, atque in patibulum, ut omnibus spectaculo sit, sublatus, [23] in eo tamen ne pernoctato, sed eodem die sepelitor; pendente enim cadavere nihil esse immundius scitote, neque terram vestram eo diutiùs funestari patimini.

P A-

17. *Partem duplicem*] פי שנים *os duorum.* Vide ad Gen. XLIX, 3.

18. *Contumax & rebellis*] סורר ומורה *sorer oumoreh.* Est LXX. Interpretibus, ἀπειθὴς καὶ ἐρεθιστής. Vulg. *contumax & protervus.* Videntur debere intelligi contumacia & protervia intolerabiles, atque in rebus magni momenti; ut si contumeliosè parentes adpellaret, & graviter peccans castigari ab iis nollet. Alioqui vitio, quod ferri posset, tam gravis pœna inflicta non fuisset, neque à parentibus flagitata.

19. *Ad portam ejus loci*] Ad quam senes solebant sedere, & jus dicebant. Vide infrà XXII, 15. XXXV, 7.

20. *Tum dicent*] Uterque, scilicet, nam consentiente utroque res dubia esse non poterat, ut ad hunc locum rectè observat *Theodoretus.* Lex apud Athenienses fuit: ὁ τοὺς γονέας τύπτων, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν, καὶ τὰ ἐπιτήδεια, ἄτιμος ἔστω: *si quis parentes pulsaverit, aut non aluerit, aut locum ad habitandum, aut necessaria non præbuerit, ignominiosus esto.* Leg. Att. Lib. 1. Tit. IV. ad quem vide *Sam. Petitum.*

21. *Deinde lapidibus eum obruent*] Damnatum, scilicet, à judicibus, ad quos trahi eum necesse non fuisset, si res ex solorum parentum arbitrio, ut apud nonnullas gentes, pependisset. Quod cùm ita sit, miror summum virum dicere, nullam hîc requisitam fuisse judicis auctoritatem.

22. *Reus fuerit delicti* &c.] *Cùm fuerit in viro peccatum judicii mortis.*

In ligno à te suspensus] Postquàm lapidibus obrutus fuisset, nam, si Rabbinis credimus, neminem suspendebant nisi mortuum, útque spectaculo esset. Vide 2. Sam. IV, 12.

23. *Suspensus est Deo exsecrationi*] קללת אלהים. Hoc est, cadaver è cruce, aut ligno pendens res est immundissima, ex lege divina, & quæ summopere funestaret locum, in quo diu maneret. Sic תועבת אלהים *abominationes Dei* varia id genus dicuntur. Suprà Cap. VII, 25. תועבת י״ *thobebath jehova*, dicitur metallum, quo simulacra Deorum constant. Probè observandum Legislatorem non dicere mortis reum esse suspendendum, quòd sit *exsecrationi Deo*; sed esse tollendum è patibulo, quòd sit suspensus Deo exsecrationi. Si enim prius diceret, significaret ipsum hominem maledictionem divinam subire; cùm posterius significet, cadaver suspensum diu hærens, rem esse quam exsecratur Deus. Sequentia verba idem ostendunt, *neque terram pollues* &c. unde liquet *exsecrationem* illam non ferri in hominem, quasi reum, sed in cadaveris pollutionem. Ac sanè nihil erat lege immundius cadavere, nec ad id quisquam propiùs accedere poterat, quin funestaretur. Vide Levit. XXI, 1. & Num. Cap. XIX.

Qui hominem suspensum *Dei maledictioni* obnoxium esse putant, quasi Deo invisum, ostendant oportet quare id infamiæ genus Deo hominem invisum faciat. Crimina hominibus Dei maledictionem contrahunt, non supplicia; nec post mortem suspensus fit magis Deo invisus, quàm si illico sepultus fuisset. Deinde quisquis suspenditur, aut vivus, aut mortuus, etiam propter scelera præterita, si resipuerit, Dei maledictioni obnoxius dici nequit, quia suspensus est.

Hac Lege adversatur Moses institutis multarum Gentium, quæ quos cruci adfixerant in ea relinquebant, donec eos ipsa natura sepeliret; hoc est, putredine dilaberentur. Sic Polycrates, Samiorum Tyrannus, ab Orœta Satrapa in crucem sublatus ἀνακρεμάμενος — ἐλοῦτο μὲν ὑπὸ τοῦ Διὸς ὅκως ὕοι, ἐχρίετο δὲ ὑπὸ ἡλίου, ἀνιεὶς αὐτὸς ἐκ τοῦ σώματος ἰκμάδα: *pendens lavabatur quidem à Jove, cùm pluebat, ungebatur verò à Sole, cùm ipse demitteret sudorem ex corpore,* ut narrat *Herodotus* Lib. III. c. 125. Quinetiam ne sepelirentur suspensi à propinquis, custodiæ interdum addebantur. Sic apud *Petronium* Cap. LXXXI. Cùm *Imperator provinciæ latrones jussisset crucibus adfigi*, additus fuerat *miles qui cruces servabat, nequis ad sepulturam corpora detraheret.* Vide ad eum locum Intt. Species quædam est crudelitatis cadaver hominis exstincti ludibrio habere, quam rectiùs omitterent hodie Christiani; si per sceleratos homines liceret,

quos

XXII. Leges de rebus amissis ei cujus sunt restituendis, de sexuum vestibus non permutandis, de matre & pullis unà non capiendis, de tecti lorica, de misturis illicitis, de fimbriis, de notis virginitatis, adulterio, scortatione & incestu.

1. NON videbis bovem fratris tui, aut catulum ovis vel capræ errantes, cósque quasi tibi laterent præteribis, sed ad fratrem tuum reduces. 2. Quod si ille tibi vicinus non sit, aut eum non noveris, *pecudem* in domum tuam coges, eritque apud te, donec *eam* quærat frater tuus, atque ei restituas. 3. Sic etiam facies ejus asino, sic vesti, sic rebus omnibus quas amiserit frater tuus, & quas CAPUT XXII.

PARAPHRASIS.

1. SI videritis pecudem cujuspiam errantem, procul à grege, aut stabulo, ne eam diutiùs errare finite, sed ad dominum quàm primùm reducite, si sit vicinus. 2. Si verò procul à vobis habitet, aut nesciatis cujus sit pecus, in vestrum stabulum, donec à domino repetatur, agite, & repetenti illico restituite. 3. Idem, si quid aliud amissum à quopiam sit, facite. 4. Ne pecudem cu-

quos ne illud quidem spectaculum in officio continet. Quod de homine suspenso Lex habet, hoc ad quemvis mortuum meritò porrigit *Josephus* Lib. IV. c. 8. Νεκρὸς, inquit, μηδὲ εἰς γῆς ἄμοιρος κείσθω, περαιτέρω τῆς δικαίας τιμωρίας τινόντα: *mortuus nemo sine terra jaceat, præter æquum pœnas pendens.*

Scio huic nostræ interpretationi objici posse Galat. III, 13. Sed eamdem esse mentem Pauli ostendimus ad eum locum, in additamentis adnotationum *Henr. Hammondi.* De hoc loco prolixè agit *Hieronymus*, in Comment. in Ep. ad Galatas, cujus observationes non excutiemus. Paucula dumtaxat proferemus, quæ prætermitti nequeunt. Cùm ergo Apostolus ita locum hunc proferat. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, sic habet inter alia *Hieronymus: Scire non possum quare Apostolus, in eo quod scriptum est:* maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno, *vel subtraxerit aliquid, vel addiderit. Si enim semel auctoritatem LXX. Intt. sequebatur, debuit sicut ab illis editum est,* & Dei *nomen adjungere. Sin verò ut Hebræus ex Hebræis, id quod in sua lingua legerat, putabat esse verissimum,* nec omnis, nec in ligno, *quæ in Hebræo non habentur adsumere. Ex quo mihi videntur aut veteres Hebræorum libri aliter habuisse quàm nunc habent, aut Apostolum (ut ante jam dixi) sensum Scripturarum posuisse, non verba; aut quod magis est æstimandum, post passionem Christi, & in Hebræis & in nostris Codicibus, ab aliquo* Dei *nomen adpositum, ut infamiam nobis inureret, qui Christum à Deo maledictum credimus.* Sensum potiùs respexit Paulus, nec ullâ ratione verisimile fit Judaicos & Samariticos Codices, ac versionem LXX. Intt. sensisse manum falsarii. Phrasis est sat nota קללת יי & quæ, si probè intelligatur, non est contumeliosa Christo, ut jam ostendimus.

Non dissimulandum Magistros has voces ita interpretari קללת יהוה, quasi significarent hominem non *à Deo maledictum*, sed qui ipse *maledixisset Deo*, quem solum suspensum volunt. At hoc grammaticæ verborum structuræ & perpetuo loquutionis sensui contrarium est. Idem tamen acceperat à Magistris sui ævi *Symmachus*, qui verterat, ut docet *Hieronymus* ad Gal. III. *propter blasphemiam Dei est suspensus.* Meliùs sine dubio *Josephus* Lib. IV c. 8. ad omnes supplicio adfectos rem pertinere censet, cui favent omnes Intt. Græci veteres, quorum verba vide apud *Hieronymum.* Loca Thalmudicorum indicabit *Joan. Seldenus* de Jure N. & G. Lib. II. c. 12.

COMMENTARIUS

In Caput XXII.

1. ERrantes] נדחים *niddahhim*, hoc est, procul à reliquo grege, aut à stabulis pulsos, à fure, aut sponte vagantes.

Eósque quasi tibi laterent præteribis] *Abscondes te ab eis.* Loquutio ducta est ab eo quod fit, quando hominem fortè videmus, à quo ipsi cerni, aut conveniri nollemus; si enim nos non viderit, illico nos domi abdimus, ut possint servi negare nos esse domi, aut ne nos videns ad nos veniat. Ubi verò sermo est de pecudibus, aliter phrasis intelligi nequit, quàm eo modo quo interpretati sumus, nam quid aliud est *occultare se* à bove? LXX. Intt. verterunt ὑπερίδῃς αὐτὰ, hoc est, *negliges.* Vulg. *præteribis.* Paullò pluribus verbis usi sumus, sed vim vocis meliùs expressimus.

2. *Domum tuam*] *In medium domûs tuæ.*

Ei restituas] Ex lege de re amissa, de qua Lev. VI, 3. ubi vide notata.

3. *Sic vesti*] *Sic facies vesti, & sic facies omni amissæ rei.*

4. *Cum illo eriges*] *Erigendo eriges.*

5. *Ornatus virilis*] כלי גבר *vas* aut *instrumentum virile.* Oppositionis ratio ostendit *vestem* significari, seu *ornatum.* Esai. LXI, 10. *Sponsa, quam ornant* כליה *vasa ejus*, est sponsa nuptialibus vestibus ornata. *Josephus* Lib. IV. c. 8. ita hanc Legem interpretatur: φυλάσσετε μάλιστα ἐν ταῖς μάχαις ὥστε μήτε γυναῖκα ἀνδρικῇ σκευῇ χρῆσθαι, μήτε ἄνδρα στολῇ γυναικείᾳ: *cavete quàm maximè in pugnis, ne mulier armis virilibus, neve vir stola muliebri utatur.* Videtur deceptus significatione vocis σκευὴ, quâ utuntur LXX. Intt. quæ *arma* sæpe sonat; alioqui hæc nihil faciunt ad bellum.

quas inveneris, non poteris eas quasi tibi lateant præterire. 4. Non videbis asinum fratris tui, aut bovem jacentem in via, eósque quasi tibi lateant præteribis, sed eos cum illo eriges.

5. Mulieri non imponetur ornatus virilis, neque vir induet vestem muliebrem; nam detestationi est Jehovæ Deo tuo, quisquis hæc facit.

6. Cùm tibi in via occurret nidus avis, in arbore qualibet, aut humi, *videbisque* pullos aut ova, matrem cum pullis non capies. 7. Dimittes matrem & pullos tibi capies, ut tibi bene sit & producas dies *tuos*.

8. Cùm ædificabis domum novam, facies loricam ejus tecto, neque domui tuæ sanguinem impones, cùm quispiam ex eo prolapsus fuerit.

9. Non feres vineam tuam duobus generibus *fructuum*, ne consecretur id quo referta erit, semen quod severis & proventus vineæ. 10. Non arabis bove & asino simul. 11. Non indues pannum lanâ & lino simul contextum.

12. Funiculos impones tibi, quatuor extremitatibus vestis tuæ, quâ tegeris.

13. Cùm quis duxerit uxorem, & cum ea congressus fuerit, deinde odio eam ha-

cujusquam in via jacentem præterite, sed dominum ad erigendam, abducendámque adjuvate.

5. Mulier viriles vestes, aut vir muliebres, ut fit in nefandis fictorum nonnullorum Numinum sacris, ne induito. Rem Deo esse invisam omnes intelliguntο.

6. 7. Humanitatis, etiam in pœnis exigendis, memor esto; quam in rem symbolicam hanc legem, ne ejus obliviscaris, observato. Quotiescumque invenies nidum avis, matrémque pullis, aut ovis incubantem, & matrem cum pullis aut ovis ceperis; sola ova, aut solos pullos tibi servato, matrem verò, in spem generis, dimittito. Humanitati autem longævam & felicem vitam promitti à Deo omnes sciunto.

8. Tecta domuum, ne quis ex iis prolapsus domum, quæ iis carebit, sanguine suo foedet, periboio cinguntor.

9. Ut vites & peregrina connubia, & libidines præter naturam, hisce symbolicis legibus admonetor. Ne in vinea aliud quidquam, præter vites, sento; qui secus faxit, vineæ suæ fructum devolum

Unicè spectare videtur Moses mores nonnullorum Orientalium, qui in Sacris vestes utriúsque sexûs miscebant, & nefandis postea libidinibus se dedebant. *Julius Firmicus* de Errore Profanarum Relig. ita habet de Assyriis: *Assyrii & pars Afrorum aërem habere ducatum elementorum volunt, & hunc imaginatâ figuratione venerantur. Nam hunc eumdem nomine Junonis, vel Veneris Virginis — consecrarunt*, &c. Paullò post: *Dic mihi hoccine est quod in viro fœminam quærunt? cui aliter servire sacerdotum suorum chorus non potest, nisi effœminent vultum, cutem poliant, & virilem sexum ornatu muliebri dedecorent. Videre est in ipsis templis, cum publico gemitu, miseranda ludibria, viros muliebria pati, & hanc impuri & impudici corporis labem gloriosâ ostentatione detegere.* Rursus de iisdem: *Quid hoc monstrum est, quódve prodigium? Negant se viros esse, & sunt; mulieres se volunt credi, sed aliud qualiscumque qualitas corporis confitetur. Servius* ad Æneid. Lib. II. v. 632. *Est*, inquit, *in Cypro simulacrum barbatæ, corpore & veste muliebri, cum sceptro & natura virili, quod* Ἀφρόδιτον *vocant, cui viri in veste muliebri, mulieres in virili veste sacrificant.* Lib. III. c. 8. Atque hæc satis erant ad ostendendum Mosis, in condenda hac lege, consilium. Alia tamen ex *Maimonide* adfert *Joan. Spencerus* de Leg. Ritual. Lib. II. c. 17. quæ apud eum legantur. Nos enim non numeramus interpretationes, sed ponderamus.

Detestationi est Jehovæ] Quòd, nempe, illæ mutationes vestium non modò lasciviæ, sed libidinis causâ fierent, ut ex *Firmico* vidimus.

6. Tibi occurret] *Occurret in faciem tuam.*

Matrem cum pullis] Symbolica hæc esse videtur lex, quâ commendatur humanitas; cui nihil magis est contrarium, quàm si usque adeò malè quis habeatur, ut nulla ei spes salutis relinquatur. Ejus infelicitatis Symbola sunt *pulli*, quorum mater occiditur, & *mater* quæ super occisis pullis jugulatur; unde nata loquutio παροιμιώδης *matrem super liberis occidere*, de qua diximus ad Gen. Cap. XXXII, 11. *Theodoretus* Quæst. XXI. in hunc Librum: Φιλανθρωπίαν παιδεύει, εἰ γὰρ τοὺς τεκόντας λάβοι καὶ καταλείποι τοὺς νεοττοὺς, ἀπόλλυνται πάντες οὐκ ὄντος τοῦ τρέφοντος: *docet humanitatem, si quis enim parentes ceperit, & reliquerit pullos, omnino peribunt, cùm non erit qui eos alat.* Simili metaphorâ Andromache, apud *Euripidem*, cùm Menelaus ei minaretur ejúsque filio mortem, respondet:

Ἦ καὶ νεοσσὸν τόνδ' ὑπὸ πτερῶν σπάσας;

An & pullum hunc sub alis avellens? Tenebat enim filium, quem ex Pyrrho pepererat. Androm. vers 441. Quæ translatio sæpiùs apud eumdem Poëtam occurrit, ut Troad. vers 746. Heraclid. 240. & alibi. *Phocylides*, aut Semi-Judæus, qui ita vocatur, causam hujus interdicti ait esse, ut ex eadem matre pulli iterum haberi queant, sic enim Mosaicum præceptum effert:

Μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω,
Μητέρα δ' ἐκπρολίπῃς, ἵν' ἔχῃς πάλι τῆσδε νεοττούς.

Ne quis è nido aves simul omnes auferat, matrem verò dimittes, ut iterum habeas ejus pullos. Sed promissio quam addit Moses, *ut tibi bene sit & producas dies tuos*, ostendit de avibus non agi, sed de humanitate. *Thomas* quidem *Aquinas* fortè ex libro *de Agricultura Ægyptiorum*, cujus versionem habebat, vult hanc legem oppositam esse Idololatris, qui existimabant omnia sibi

habuerit ; præbueritque occasiones *pravis* de ea sermonibus, & malam famam ei
creaverit, ac dixerit : hanc uxorem duxi, ad eam accessi, nec in ea viginitatem
inveni ; 15. tum verò pater & mater puellæ capient indicia virginitatis puellæ, eá-
que producent coram senibus urbis , ad portam. 16. Dicet deinde pater puellæ
senibus: filiam meam huic viro collocavi, eámque odio habuit; 17. ecce verò præ-
bet occasiones *pravis* sermonibus, dicendo: non inveni virginitatem filiæ tuæ; hæc
autem sunt indicia virginitatis filiæ meæ. *Simul* explicabunt vestem, coram senibus
urbis. 18. Tum senes virum vocabunt , corripiéntque, 19. & mulctabunt centum
argenteis *siclis*, quos dabunt patri puellæ, quandoquidem malam famam virgini Is-
raelitidi *ille* creavit, ei erit uxor, neque omnibus suis diebus poterit eam dimittere.
20. Sin verò fuerit hoc verum , neque inventa sit virginitas in puella ; 21. educent
puellam ad ostium domûs patris ejus , homines urbis , in qua deget, eam lapidibus
obruent, & morietur, quia flagitium commisit in Israële, domi quippe patris sui scor-
tata. *Sic* malum tolles è medio tui.
22. Cùm deprehendetur vir concumbens cum muliere cui est maritus ; ambo mo-
rien-

tum esse scito. 10. Ne bove & asino, aut aliis di-
versarum specierum brutis arato. 11. Pannum lino
& lanâ mistum ne gestato.
12. Quatuor extremitatibus tunicæ tuæ hyacin-
thinas fimbrias, in memoriam consecrationis, quâ
Dei solius populus factus es, addito.
13. Si quis uxorem odisse cœperit, 14. & rumo-
rem spargat mulieri contumeliosum, quo virginem
eam à se inventam non esse significet; 15. parentes
puellæ sanguineam vestem , virginitatis ejus indi-
cium, ad Judices ferunto. 16. 17. Tum pater puel-
læ rem exponito, simúlque cruentum velum expli-
cato. 18. Hoc conspecto, Judices mulieris infa-
matæ virum castiganto ; 19. & centum argenteis si-
clis, patri mulieris numerandis , mulctanto ; nec
viro illi postea uxorem, quam infamarat, dimitte-
re liceto. 20. At si ille evicerit puellam , quam
virginis nomine duxerat , reverâ virginem non
fuisse; illa ad ostium domûs paternæ, quam for-
nicatione polluit , lapidibus obruitor , & decepti
viri sic pœnas luito.
22. Quando vir cum muliere nupta alii viro cu-
buisse

sibi ex voto cessura, si matrem cum pullis capere possent. *Prim. 2. Qu. 102. art. 6 sub finem.* Verùm ille liber & alii Zabiorum , quos citat *Maimonides*, mihi quidem valde suspecti sunt. Eos fortè ipse aut alius Judæus fecit, ut posset Legum Mosaïcarum rationem reddere. Certè graves sunt rationes, quibus elevatur eorum fides, quas hîc non proferemus.

8. *Loricam*] מעקה *mahaka*. LXX. Intt. *στεφάνην coronidem* habent. Vulg. *murum tecti*. Plana, nimirum , erant tecta Orientalium , ut etiamnum hodie , & nisi peribolo cincta fuissent , in iis sine periculo ambulare non licuisset. Vide Jos. II, 6. 2 Sam. XI, 2. Matth. X, v. 27.

Sanguinem impones] Hoc est, negligentiâ tuâ, eam sanguine hominis prolapsi pollui non patieris.

9. *Duobus generibus fructuum*] כלאים de qua voce, ut & de præcepto vide not. ad Levit. XIX, 19.

Consecretur] תקדש *thikdasch*. *Onkelos* habet תסתאב *polluatur* ; sed LXX. Intt. *ἁγιασθῇ* & Vulg. *sanctificentur*. Ac sanè nusquam קדש *polluere* sonat. Scio *Joan. Spencerum* Lib. II. c. 18. de Rit. Mos. Leg. dicere eos qui *Hebraicè hiscere norunt* scire verbum hoc *aliquando polluendi significatum gerere*. Adfert deinde Hag. II, 13. ubi ita vertitur à Chaldæo interprete. Sed neque in Haggæi loco , neque in ullo alio , ita sumitur; & vir doctissimus temerè prorsus contrarium adfirmavit. At quid sibi vult hîc Moses, inquies, cùm dicit: *ne consecretur*? Hoc, nimirum , ne sacro fisco addicatur quidquid in agro aut vinea creverit , quæ fuit pœna præceptum hoc violantis , ut hinc discimus ; quasi , nempe , dominus eos fructus Deo vovisset.

10. *Non arabis bove & asino simul.*] Hæc Lex eadem planè esse videtur , ac quæ exstat Levit. XIX, 19. *Pecudes vestras non curabitis coire diversorum generum* , & quæ conjungitur cum duabus aliis , quæ hîc leguntur. Itaque idem significare utramque necesse est, quamvis iisdem verbis non conceptam ; quod confirmat quod diximus ad Leviticum, esse, nimirum, legem symbolicam. Cùm autem *bos & asinus* hîc habeantur, pro eo quod dicitur in Levitico כלאים *duo genera* ; exempli loco , videntur proferri , nec minùs vetitum fuisse conjungi camelum ac bovem , aut bovem & equum , quàm bovem & asinum. *Joan. Spencerus* diversas tamen hasce leges existimat , & veteres Idololatras solitos jungere in arando bovem & asinum , in honorem Cacodæmonis; sed nullum exemplum profert, neque sanè umquam factum videtur, quidquid ille conjiciat de Cacodæmonis hac in re fine. Multo simpliciùs & verisimiliùs hanc legem exponas , ut diximus , & verba hæc quasi *παροιμίαν* quamdam intelligas ; quâ significentur connubia Hebræorum cum aliis gentibus , & nefandæ libidines , quibus miscentur quæ natura misceri noluit. Sic & apud Latinos , ut ipse *Spencerus* animadvertit, conjunctio bovis & asini pro imparis conjunctionis exemplo adferri solet. *Planti & Paulini* loca , hanc in rem , ille protulit ; & prioris quidem ex *Aulularia* Act. 2. Sc. 2. vers. 52. & seqq. posterioris ex Epist. ad *Ausonium* , quæ *Ausonii* operibus subjecta est.

Confirmatur hæc interpretatio loco Pauli 2 Cor. XI, 14. in quo hæc respicere videtur : *ne sitis*, inquit , *ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις ne jugum cum infidelibus ferte* ; nam LXX. Intt. quæ Hebræis vocantur כלאים *chilajim* ea vocant *ἑτερόζυγα*, Levit. XIX, 19.

12. *Funiculos*] Hoc est , fimbriam funiculis con-

rientur, qui cubuerit cum muliere, & mulier. *Sic* malum tolles ex Israële. 23. Cùm virgo fuerit viro desponsa, inveneritque eam *alius* vir in urbe, & cum ea cubuerit; 24. ambos educetis ad portam ejus urbis, eos lapidibus obruetis, ac morientur; & puella quidem *morte adficietur*, quia in urbe non clamaverit; vir verò, quia compresserit uxorem proximi sui. *Sic* malum è medio tui tolles. 25. Si verò ruri *alius* puellam desponsam invenerit, eámque adprehenderit & cum ea cubuerit, vir ille dumtaxat qui cum ea cubuerit, morietur; 26. puellæ verò nihil facies, cùm puellæ non sit delictum morte *plectendum*; nam quemadmodum quispiam in proximum insurgit, eique vitam eripit: ita est hoc negotium. 27. Etenim eam ruri invenit, clamavit verò puella desponsa, neque quisquam fuit, qui eam liberaret.

28. Cùm vir inciderit in virginem non desponsam, eam adprehenderit, cum ea cubuerit, & deprehensi fuerint; 29. vir qui cum ea cubuerit dabit patri puellæ quinquaginta argenteos *siclos*, eritque ea ei uxor, quia illam vitiavit, neque mulierem, omnibus diebus suis, dimittere poterit.

30. Nemo ducet uxorem patris sui, neque reteget extremitatem *vestis* patris.

XXIII. Le-

cubuisse deprehendetur, uterque capite pœnas luito. 23. Cùm puella desponsa ab alio in urbe vitiata fuerit, 24. uterque extra urbis portam lapidibus obruitor; puella quidem quia, cùm clamore nullo popularium auxilium implorarit, libenter offerri sibi vitium passa censebitur; vir verò, qui eam compresserit, quia cum puella alius mox uxore futura concubuerit. 25. Si verò ruri idem contigerit, ubi clamores puellæ à nemine audiri potuerunt, solus vir qui ei vitium obtulerit, capite pœnas luito; 26. puellæ verò, ex insidiis quippe oppressæ, impune hoc esto; 27. implorato enim clamoribus auxilio, à nemine, in locis solis, audiri potuit.

28. Cùm quispiam puellæ non desponsæ vitium obtulisse deprehendetur, 29. patri ejus quinquaginta siclos numerato, puellámque uxorem ducito, nec eam umquam postea dimittito.

30. Eam, quæ uxor patris fuit, filius ne ducito.

P A-

constantem, quæ vocatur ציצת *tsitsith*, Num. XV, 38. ubi vide notata.

Quatuor extremitatibus] *Quatuor alis* כנפות *chanphoth*. Tunica Hebræorum videtur fissa fuisse à fronte & à tergo, saltem aliquatenus; unde nata quatuor extrema, sive quatuor anguli. Aut intelligendum pallium, in quo deorsum quatuor anguli fuere. Vid. Exod. XXVIII, 7.

14. *Præbuerit occasiones pravis de ea sermonibus*] שם לה עלילת דברים. LXX. Intt. *ἐπιθῇ αὐτῇ προφασιστικοὺς λόγους*. Vulg. *quæsierit occasiones quibus dimittat*. Sequentia verba hæc exponunt. Alioqui עלילה significat *actionem pravam*.

Malam famam ei creaverit] *Fecerit exire super ea nomen malum.*

15. *Indicia virginitatis*] *Capiet pater puellæ & mater ejus, & producent virginitates* (בתולי) *puellæ*. Hæc verba statuunt vulgò creditum virginem non potuisse deflorari, sine sanguinis emissione; quod tamen hodie à plerisque Anatomis prorsus negatur. Sed fortè & regionis & ætatis habenda ratio. Certè Thalmudici hæc ad puellam majorem duodecim annis & sex mensibus pertinuisse negant; quamquam ineptiunt, in eo quòd minorem annis duodecim hac Lege nequaquam teneri volunt. Quidquid id est, facillimè potuit hac in re à sponsæ parentibus, aut à sola sponsa sponso illudi. Multa de hoc negotio collegit *Joan. Seldenus*, in Uxor. Hebr. Lib. III. C. 1. quæ præstat apud eum legi, quàm hîc.

18. *Corripient*] יסרו *jisseron*. Verbis, nam satis fuit mulctam solvi, sine qua verbera viderentur intelligenda. LXX. *παιδεύσουσι*, quod de verbis intelligi solet. At Vulg. *verberabunt*, quomodo hanc legem interpretatus est & *Josephus* Lib. IV. c. 8. *Τῷ τολμηρῶς καὶ προπετῶς ἐπενεγκεῖν αἰτίαν καὶ διαβολὴν, προστίμιον ἐκτινέτω πληγὰς τεσσαράκοντα μιᾶς λειπούσης λαμβάνων, καὶ πεντήκοντα σίκλους ἀποτινέτω τῷ πατρί*: *eò quòd temere & petulanter crimen & calumniam imposuerit, pœnas luat quadraginta, unà minus, plagis acceptis, & quinquaginta siclos solvat patri.*

19. *Centum argenteis*] LXX. Intt. *ἑκατὸν σίκλοις*, & *Hieronymus*: *centum siclis argenteis*. Sic passim supplere solent. Vide Gen. XX, 16.

20. *Neque inventa sit virginitas*] Mirum est non addi, quia linteum nullum cruentum produci potuerit. Sed facile erat matribus filiarum saluti consulere, dolo quopiam, quo sponsi falleretur zelotypia, nec sponsæ sibi ea in re deerant.

21. *Eam lapidibus obruent*] Intelligendum hoc nonnulli censent de ea quæ, cùm desponsata esset, deflorata ab alio fuerit, quod erat species adulterii. Verùm hac de re vers. 23. & seqq. Hîc manifestò intelligitur puella, quæ se virginem finxerit, cùm non esset; quæ non luebat hujusmodi pœnas, ob scortationem à non desponsa commissam, nisi postea quasi virgo nuberet. Vide Exod. XXII, 16. Hinc *Josephus* hujus legis expositionem ita orditur: *εἴ τις ὡς παρθένον μνηστευσάμενος, ἔπειτα μὴ τοιαύτην εὕροι*: *si quis ut virgine desponsa puella, postea talem non inveniat.*

Flagitium] נבלה *nbala*, quod ex Etymologia *stultitiam* vertunt, sed atrocius quiddam significat; nam iis, quæ stulta dumtaxat habentur, supplicium capitis non infligitur. Vide Jos. VII, 15.

Scortata] *Scortando*, & fingendo se esse virginem, cùm non esset; alioqui sola infamia vi-
de-

XXIII. Leges de iis qui poterant in Hebræam civitatem admitti, de munditie castrorum, de servo fugitivo, de meretricibus & cynædis, de usura, de votorum celere solutione, de eo quod à prætereuntibus ex prædio alieno decerpi potest.

CAPUT XXIII.

1. MUTILUS contritione aut abscissione testiculi non ingredietur in cœtum Jehovæ. 2. Non ingredietur spurius in cœtum Jehovæ; & ne decima quidem ab eo ætas in cœtum Jehovæ ingredietur. 3. Hammonita & Moabita non ingredietur in cœtum Jehovæ; & ne decima quidem ab iis ætas umquam in Jehovæ cœtum ingredietur; 4. quia non occurrerunt vobis in viam, cum pane & aqua, quando egressi eratis ex Ægypto, & conduxit *Moabita* contra te Balahamum Behoris filium, Phethorâ Mesopotamiæ, ut tibi mala imprecaretur. 5. Sed noluit Jehova Deus tuus exaudire Balahamum, convertitque maledictionem ejus in benedictionem, quia te amat Jehova Deus tuus. 6. Numquam prosperitatem, commodáque eorum

PARAPHRASIS.

1. SPADONI Israëlitidem uxorem ducere ne liceto, neque ille civis Hebræus habetor. 2. Spurius eodem loco esto, neque ipse, neque ii qui ab eo ortum ducent umquam inter cives censentor. 3. Hammonitæ, & Moabitæ in æternum Hebræâ civitate excluduntor; 4. quia cùm, ob communem vobiscum à Theracho ortum, debuissent cum victibus vobis obviam procedere, quando per eorum fines transiistis, tantùm abest ut ita se gessennt, ut Moabitæ Balahamum vatem ex Mesopotamia accersiverint, cujus ore vos diris devoverent. 5. At noluit Deus audire Balahami preces, & pro diris imprecationibus, faustas adprecationes proferendas ei subjecit, quia vobis benefacere volebat. 6. Itaque ne ullum umquam fœdus populo Hebræo cum illis esto. 7. At ab Idumæis

detur non deponsæ fornicationis pœna fuisse.

23. *Alius vir*] Suppleudum, nempe, אחר *abher*, ut Num. V, 13.

24. *Non clamarit*] Unde liquebit sponte suâ vitiatam fuisse.

26. *Eique vitam eripit*] רצחו נפש *retsabbo nephesch*. Fortè רצח propriâ significatione idem sonat ac הכה *biccah*, hoc est, percussit; nam similiter dicunt Hebræi הכה נפש *percussit animam*, ἀντὶ τȣ͂ *occidit*. Vide Cap. XIX, 11.

29. *Eritque ei uxor.*] Si modò pater velit, cui licuit filiam servare, quamvis vitiatam. Exod. XXII, 16. Jus Rabbinicum hac de re vide apud *Joan. Seldenum*, de Uxore Heb. Lib. I. c. 16.

30. *Uxorem patris sui*] Vide ad Exod. XVIII, 7.

COMMENTARIUS

In Caput XXIII.

1. M*Utilus contritione* &c.] Videtur duplex fuisse ratio reddendi hominem generationi ineptum; atterere testiculum, aut abscindere. Saltem hoc fiebat vervecibus. Vide notata ad Levit. XXII, 24.

Ingredietur in cœtum Jehovæ] Hoc est, non habebitur Israëlita, nec nomen ejus, in censualibus libris, scribetur. Ejusmodi homini non licebat ducere Israëlitidem. Tum demum peregrinus habebatur civis Hebræus, ut more Romano loquamur, cùm Israëlitidem duxerat; aut ei ducere licebat, non priùs. Sed ante omnia, oportebat avum ejus omnium Legum observationem suscepisse, nemo enim poterat Reipublicæ populi Hebræi, ut nec aliarum, civis fieri, qui Leges ejus observare nolebat. Ita phrasin *ingredi in cœtum Jehovæ* vulgò exponunt Rabbini. Sic Jonathan: *Non est idoneus qui est castratus, & cui abscissus est nervus* למסב איתא מקהל עמא דיי *ad ducendam uxorem ex cœtu populi Jehovæ*. Vide & *Joan. Seldenum* de Jure N. & G. Lib. V. c. 14.

2. *Spurius*] ממזר *mamzer*, hoc est, natus ex illegitima uxore; qualis erat peregrina mulier, quam Hebræus fortè compressisset, nec tamen duxisset: aut meretrix, aut cujus matrimonium lege vetitum erat. Vide *Joan. Seldenum* de J. N. & G. Lib. V. Cap. 16.

Decima ab eo ætas] *Ætas decima non ingredietur ei.* Hoc est, nulli umquam posteri, ut ostendit vers. 3. & Nehem. XIII, 1. Contraria hæc Lex est Ægyptiacis institutis, ut liquet ex iis quæ ex *Diodoro* adtulimus ad Gen. XXI, 10. Attica lex fuit Hebraïcæ similis: Μηδὲ νόθῳ, μηδὲ νόθῃ ἀγχιστείαν εἶναι μήθ' ἱερῶν, μήθ' ὁσίων: *Notho nothæve cognationis nullum jus esto, ne in quidem iis quæ sive sacra, sive publica spectant.* Leg. Att. à *Sam. Petito* digestarum. Lib. II. Tit. 4.

4. *Non occurrerunt vobis*] Ut debebant facere erga consanguineum populum, quippe qui è Loto, filio fratris Abrahami, oriundi erant.

4. *Moabita*] Hoc supplevimus, cùm ex Historia Num. XXII. tum ex eo quòd verbum שכר *conduxit* sit singularis numeri, cùm antecesserit קדמו *occurrerunt*.

5. *Convertitque*] Additur *Jehova Deus tuus*. Hoc est, effecit ut Balahamus tibi bene precaretur, quamvis vehementer optaret te diris devovere, ut liquet ex Historia.

6. *Prosperitatem, commodáque eorum procurabis*] *Non quæres pacem & bonum eorum, omnibus diebus, in perpetuum*; hoc est, eos numquam ulla in re adjuvabis. Quod de publico populi Hebræi auxilio, populo Moabitico ferendo, non malè interpretantur, quia Moses po-

eorum procurabis. 7. *At* non averſaberis Idumæum, quia frater tuus eſt; neque deteſtaberis Ægyptium, quoniam in ejus ſolo peregrinus fuiſti. 8. Horum poſteri, tertiâ ætate, congregationem Jehovæ ingredientur.

9. Cùm egreſſa fuerint caſtra *tua* contra hoſtes tuos, ob omni re mala tibi cavebis. 10. Si inter vos fuerit vir, qui non erit mundus, *ob* fluxum nocturnum, egredietur ille caſtris, neque in ea revertetur, 11. antequàm, adventante veſperâ, ſe aquâ abluerit; at poſt occaſum ſolis, veniet in caſtra. 12. Erit tibi ſpatium extra caſtra, atque illuc egredieris. 13. Paxillus etiam erit tibi, præter arma tua, & cùm ſedere voles extra, eo effodies *humum*, & reverteris, cùm excrementa tua texeris. 14. Nam Jehova Deus tuus ambulabit in caſtris tuis, ut te liberet, útque tibi exponat hoſtes tuos; prop-

mæis alieni ne eſtote, quia à Jacobi fratre oriundi ſunt; neque etiam Ægyptios averſamini, quia in eorum agris diu, illis non invitis nec malè erga vos adfectis, peregrinati eſtis, quamvis ſub finem temporis quo illic manſiſtis malè vos habuerint. 8. Idumæorum itaque & Ægyptiorum, inter vos peregrinantium & Religionem veſtram amplexorum nepotes Iſraëlitidem, ſi ita videatur, ducunto, atque inter Hebræos cives habentor.

9. In caſtris, quando bellum cum hoſtibus geretur, eadem puritatis & munditiæ cura, ac in urbibus, eſto. 10. Si quis vigilans aut dormiens ſemen emiſerit, caſtris poſterâ luce egreditor; 11. nec in ea, ante occaſum ſolis, & aquâ quidem ablutus revertitor. 12. Excrementa in caſtris ne egeruntor, ſed locus extra caſtra, eam in rem, eligitor. 13. Ligonem, præter arma tua, ſemper tecum ferto, ut eo ad fodiendum, tegendáque in humo excrementa utaris; nec in caſtra, antequàm ea texeris, revertitor; 14. ſcitote enim Deum caſtris veſtris præſentem, ut vobis auxilio ſit, adeſſe; eáque propterea quaſi locum ei conſecratum, munda & pura, in

populum Hebræum alloquitur. Ac ſanè periculoſum erat auxiliari Genti Idololatriæ dudum ſummopere deditæ, ut apparet ex Num. XXI, 29. Eadem autem phraſis adhibetur de Chananæis Eſdr. IX, verſ. 12. ubi videtur aliquid ampliùs ſignificare. Hìc LXX. Intt. vertunt: οὐ προσαγορεύσεις εἰρηνικὰ αὐτοῖς, καὶ συμφέροντα αὐτοῖς, & Vulg. *non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona.* Sed non jubentur Iſraëlitæ bellum internecinum gerere cum Moabitis & Hammonitis, quemadmodum cum Chananæis. Connubia etiam cum Moabitibus illicita non fuiſſe oſtendit Ruthæ Moabitidis hiſtoria. Interceſſit etiam Davidi amicitia cum Hammonitarum Rege, ut liquet ex 1. Sam. X, 3. Præterea hæc verba videntur hoc quaſi certum ſtatuere; numquam, nempe, eos populos improbaturos quod contra Hebræos eorum Majores olim geſſerant neque umquam Idololatriæ nuncium remiſſuros, quod eventus comprobavit. Alioqui ſi utrumque publicè feciſſent Moabitæ, Lex hæc per ſe abrogata fuiſſet, quia rationes, ob quas lata eſt, deſiiſſent. Rectè etiam Intt. ad privatos hæc non pertinere obſervant, ut ex eo quod de Rutha dicebamus liquet.

8. *Horum poſteri tertiâ ætate*] *Filii qui nati iis fuerint generatione tertiâ.* Idumæus aut Ægyptius, qui peregrinabatur inter Iſraëlitas, nuncio Idololatriæ remiſſo, non admittebatur quidem in cœtum Iſraëlis, nec ejus filius, ſed licebat iis degere in Iſraëlitico ſolo; nec injuriam pati poterant, ex legibus viventes. At nepos poterat Iſraëlitidem ducere & civis Hebræus habebatur. Nepotes enim *tertiam generationem* vocari cenſent Magiſtri, quorum placita vide apud *Joan. Seldenum*, de J. N. & G. Lib. V. c. 14.

9. *Caſtra*] מחנה *mahhane*, id eſt, exercitus, non locus ubi tendebat. Vide & Num. II. ubi plus ſemel ita ſumitur.

Ab omni re mala] Hoc eſt, Legi contraria, & præſertim ab immunditie, ut innuunt ſequentia.

10. *Fluxum nocturnum*] מקרה לילה *mikreh lajlah*, fluxu noctis. Vulgò ὀνειρωγμὸν eſſe putant, ſed, ut obſervavit vir doctiſſimus *Guil. Guiſius* ad *Berachoth* Cap. III §. 5. *Maimonides* aliique Rabbini tam de voluntaria ſeminis emiſſione, quàm de involuntaria, hanc vocem accipiunt, & verè, nam utráque polluti erant. Vide Levit. XV, 16, 17. Itaque veriùs eam vir eruditiſſimus deducit à radicis קרה priſca ſignificatione, quâ *fluere* ſonabat, quemadmodum, apud Arabas, קרי aut קרא *kara.* Alii deducunt à קרה *contigit*, quaſi *caſum nocturnum* ſonet. *Chæremon* de Sacerdotibus Ægyptiis, apud *Porphyrium* de Abſt. Lib. IV. §. 7. Εἰ δέ ποτε συμβαίη καὶ ὀνειρώττειν, παραχρῆμα ἐκκαθαίρειν λουτρῷ τὸ σῶμα: *ſi eos, vel in ſomnis, ſemen emittere contingeret, ſtatim corpus ablutione purgabant.*

Quæſiverit quiſpiam, quare militibus tanta corporis mundities imponeretur, præſertim cùm non levia incommoda hinc poſſint naſci? Nam ſi מקרה contingeret Imperatori, aut aliquot ex præcipuis ducibus, tempore quo periculoſum erat abeſſe caſtris, aut ubi bene gerendæ rei occaſio ſe offerebat; non poterat hoc fieri, ſine Reipublicæ detrimento. Nimirum, aliud quiddam ſpectari videtur, quod mox dicemus, poſtquàm obſervaverimus ejuſmodi pollutiones nihili fuiſſe, ſi conferantur pollutioni, quâ oportebat infici milites, ſi pugna iniretur; nihil enim magis polluebat cæde & contactu cadaverum, ſine qua re victoria obtineri tamen non poterat. Quare ergo qui tantopere polluebantur, & ſponte eam pollutionem veluti adibant, ſibi à multò minore anxiè cavebant? Scilicet, ea pollutio potiſſimùm hìc non ſpectatur à Moſe, ſed pollutos ait eſſe, & caſtris abeſſe oportere, qui ſemen emiſiſſent, ut impediret quominus mulieres ac meretrices in caſtra ducerentur, quod expeditionibus ſummopere nocere potuit. In omnibus legibus, ſæpe veræ rationes diſſimulantur, aliæ proferuntur, quæ ad continendos vulgi animos efficaciores futuræ videntur. Apud Romanos etiam meretricibus in caſtra ingredi non licebat. *Quintilianus* Decl. III. *Meretrices ab exercitu ſubmoventur, intrare caſtra fæminis*

propтereáque erunt castra tua munda, neque, conspectâ apud te re quapiam fœdâ, à te abscedet.

15. Non trades hero servum, qui ab hero suo ad te confugerit. 16. Tecum manebit, apud te, in loco quem elegerit, in una urbium tuarum, ut bene ei sit, neque eum opprimes.

17. Non erit ex Israëlitidibus meretrix, neque ex Israëlitis cynædus. 18. Non intromittes in ædem Jehovæ Dei tui donum prostibuli, neque pretium canis, quodcumque sit votum; nam ambo sunt exsecrationi Jehovæ Deo tuo.

19. Non dabis fœnori fratri tuo pecuniam, cibum, aut quidquam aliud quod fœnori dari solet. 20. Alienigenæ fœnori dabis, non fratri tuo, ut benedicat tibi Jehova

in ejus honorem, servate; ne irreverentiæ causâ pœnas ei detis.

15. Cùm ex vicinia servi ab heris suis, in agros vestros, confugerint, eo animo ut in ditione vestra vitam agant; heris repetentibus, ne redduntor, 16. sed ubicumque voluerint, modò legibus vestris pareant, habitanto, neque cujusquam injuriæ obnoxii sunto.

17. Nulla meretrix inter Israëlitidas, nullus cynædus inter adolescentes Israelitas, quasi Numini sacri, inter vos sunto. 18. Quæstum quem corpore suo fecerint, ut vicini vestri solent, Deo consecratum Sacerdotes ne accipiunto. Utrumque detestationi esse Deo intelligitor.

19. Hebræo pecunia aut fructus, aut aliud quidvis, ut fœnus solvat, aut majore copiâ restituat, mutua ne dantor. 20. Alienigenis, qui non, ut Hebræi, agriculturâ sed mercaturâ vitam sustentant & quæstum faciunt, fœnori pecuniam dare liceto. Ab Hebræis nihil, præter sortem, exigitor, & quicumque liberaliter eos habuerint mercedem à Deo beneficentiæ suæ, bonorum omnium augmentum, exspectanto.

21. Quis-

nis non licet. Sed leges hujusmodi rituales non usque adeò observatas fuisse crediderim.

11. *Post occasum solis*] כבוא השמש *ut abit sol*; hoc est, aut occidente, aut cùm jam occidit. Sic legunt hunc versum Samaritæ: כי אם רחץ בשרו במים ובא השמש ואחריבן יבוא אל המחנה: *sed abluet carnem suam aquâ, & occidet sol, & postea ingredietur castra.*

12. *Erit tibi spatium extra castra*] Cavendum est ne hoc intelligatur de castris Israëliticis in deserto, ut nonnulli Intt. faciunt; nam hæc omnia pendent à versu 9. ubi de militaribus castris sermo est. Fieri non potuisset, in castris totius populi Hebræi, ubi erant fortè trecentæ capitum myriades, & quibus amplissima terrarum spatia occupabantur, ut quotiescumque egerenda erant excrementa, omnes iis egrederentur. Sed in castris militaribus, multò minoribus, & in quibus nemo procul à vallo aberat, potuit hoc observari. Ratio hujus legis videtur fuisse, ne fœtore aër corrumperetur, & epidemici morbi crearentur. Cùm ubique fœtor sit noxius, in calido climate potissimùm valetudini obesse potest.

13. *Præter arma tua*] על אזנך *hal azenecha.* LXX. Intt. ἐπὶ τῆ ζωνῆς, Vulg. *in Balteo.* Sed ζωνὴ, in versione Græca, *arma* omnia sonare videtur, ut ostendit *Nic. Fullerus* Miscell. Lib. VI. c. 5. qui & ex Syriaca Lingua, in qua זין zajen *armare* sonat, vocem Hebraïcam rectè *arma* interpretatur. Eum vide.

Sedere] Honestè, excrementa egerere.

Et reverteris] *Et reverteris, & teges.* Sed tegenda erant excrementa, ante reditum; ideò ובכית vertimus *cùm texeris*, aut *postquàm texeris*, quæ significatio particulæ ו rara non est. Vide Gen. XLIV, 4. XLVII, 30.

14. *Nam Jehova Deus tuus*] Hæc quidem efficax erat ratio, apud populum; cui Ægyptii persuaserant Numen munditie delectari, sordibus offendi; qua de re, vide not. ad Gen. XXXV, 2. Homines, quorum animis insederat ejusmodi opinio, judicassent ipsi se parum reverentes esse Numinis, si excrementa egessissent in loco, in quo erat. Itaque hoc iis vetandum fuit, ut Numinis, in castris præsentis, reverentia iis injiceretur, útque Numen in castris suis versari ipsi crederent. Sic &, apud Ethnicos, nefas fuit in locis sacris excrementa egerere; quod cùm fiebat, summâ contumeliâ affici Numen existimabatur, aut loco non ampliùs præsens adesse. Sic Sacerdos Jovis Servatoris, apud *Aristophanem*, Pluto Act. V. Scen 2. ut describat summum contemtum fani, cujus custos erat:

——— νῦν δ' ὐδὲ εἷς
Θύει τοπαράπαν ὐδὲν, ὐδ' εἰσέρχεται
Πλὴν ἀποπατησόμενοι.

Nunc ne unus quidem quidquam mactat, neque ingreditur templum, nisi cacaturi. Multa collegit in hanc rem *Sam. Petitus* ad Legg. Att. p. 8. & seq.

Castra munda] מחניך קדוש *mahhanecha kadosch*, castra sancta; sed hìc קדוש *mundum*, non *sacrum*, aut *sanctum* sonat, ut res ipsa ostendit. Vide not. ad Exod. III, 5. Levit. XI, 44.

Re quapiam fœda] ערות דבר *nuditatem rei*; hoc est, fœdum quidpiam, metaphorâ ab hominum nuditate ductâ. LXX. ἀσχημοσύνη πράγματος. Vulg. *nihil fœditatis.*

A te abscedet] שב מאחריך *retrogrediatur à te.* Ut Deus *adesse* iis dicitur, quibus favet; ita etiam *abscedere* ab iis, quibus adversari incipit. Minatur autem hoc Moses Israëlitis, si castra immunda esse patiantur, duabus de causis. Prior est, ut legem hanc, valetudini exercituum utilissimam, accuratiùs observarent. Posterior, & quidem potissima, quia cùm Hebræi crederent se munditie reverentiam erga Numen testari, non poterant, eâ opinione animis eorum hærente, immunda pati esse loca, in quibus Deum præsentiorem esse putabant, quin eadem operâ Deum ipsum spernerent. Nam quamvis ejusmodi immundities Deo neque grata, neque ingrata sit; attamen ei est ingratus eorum animus, qui id quod ipsi putant Deo deberi negligenter faciunt.

 15. Non

va Deus tuus, in omnibus tuis facultatibus, in terra cujus possessionem adis.

21. Cùm votum nuncuparis Jehovæ Deo tuo, non differes illud solvere; nam hoc postulat Jehova Deus tuus à te, essétque in te peccatum. 22. Si abstineas à vovendo, non erit quidem in te peccatum; 23. at quod labia tua protulerint observabis & facies, quemadmodum voveris Jehovæ Deo tuo, & quod sponte ore tuo promiseris.

24. Cùm ingressus eris vineam proximi tui, pro tua adpetentia uvas comedes, ad satietatem tuam, at in vase tuo nullas pones. 25. Cùm ingressus eris segetem proximi tui, manu tuâ spicas decerpes, at falcem in segetem proximi tui non injicies.

XXIV. Le-

21. Quisquis voverit quidpiam, votis damnatus, id quàm primum persolvito; nisi fecerit Dei iram, ob spretam voti religionem, in se commoturum esse scito. 22. Vovere quidem nemo cogitor, nec minùs pius propterea habetor; 23. sed quisquis voverit, quod pollicitus fuerit, id re ipsâ præstandum esse intelligito.

24. Si quis fortè juxta vineam alienam, quâ tempestate maturæ sunt uvæ, transierit, ei ex ea decerpere racemos, quos ex tempore illic comedat, liceto; at domum in vase auferre ne liceto. 25. Similiter si quis juxta alienas segetes transierit, obiterque spicas aliquot avulserit, triveritque ut grana excuteret, & comederet, furtum id ne habetor; at si quis in segetes alienas falcem injecerit, furti reus esto.

P A-

15. *Non trades* &c.] Intelligunt hæc Rabbini de servis vicinarum gentium, qui ad Hebræos fugiebant, horúmque Religionem amplectebantur. Hinc *Onkelos* habet *servum* עממין *gentium*, & Jonathan: *Non trades peregrinum in manus colentium idola ejus, sed liberabitur inter vos &c.* Hoc si ita fuit, ager Hebræorum Asylum fuit omnium servorum fugitivorum totius viciniæ, quod inimicitiarum cum vicinis non levis fuit fomes. Attamen alibi etiam similia fuere Asyla. *Herodotus* Lib. II. c. 113. de Ægypto: Ἦν δὲ ἐπὶ τῆ ἠϊόνος, ὃ καὶ νῦν ἐστι, Ἡρακλέος ἱρόν· ἐς τὸ ἢν καταφυγὼν οἰκέτης ὅτευ ἀνθρώπων ἐπιβάληται στίγματα ἱρὰ, ἑωυτὸν διδοὺς τῷ Θεῷ οὐκ ἔξεστι τούτου ἅψασθαι. ὁ νόμος οὗτος διατελέει ἕως μέχρις ἐμεῦ τῷ ἀπ' ἀρχῆς: *erat eo in littore Herculis templum, quod nunc quoque est, ad quod si quis cujuscumque hominis servus confugiens capiat sacras notas, se so Deo tradens, eum nefas est tangere. Quæ sunctio ad meam usque ætatem, ut erat ab initio, perseveravit.* Apud Hebræos, circumcisio fuit στίγμα ἱρόν; quo sumto, tuti fuere servi ad eos confugientes.

Hero suo] אדניו *heris.* Vide ad Gen. Cap. XXXIX, 2.

16. *Apud te*] *In medio tui.*

Ut bene ei sit] בטוב *in bono.*

17. *Meretrix*] קדשה *kdeschah.* Hac voce significatur quidem quodvis *prostibulum*, sed propriè Deæ *Mylidthæ* aut *Asturtæ* sacrum, ut diximus ad Gen. Cap. XXXVIII, 21. Hujusmodi scorta hîc videntur intelligi, ob verba sequentia. LXX. Intt. hoc confirmant, quamvis glossemate laboret eorum versio, habent enim: οὐκ ἔσται πόρνη ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται πορνεύων ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. Cùm bis idem vertatur, oportet alterutrum esse supervacuum, adeóque delendum. Priora autem posteriorum esse glossema omnino videntur, cùm enim τελεσφόρος & τελισκόμενος non intelligerentur vulgò, priora verba margini addita fuerant, unde in contextum irrepserunt. Τελεσφόρος autem est *ferens initia*, & τελισκόμενος *initiatus*, ut ex *Theodoreto* observavit *Isaacus Vossius* de Transl. LXX. Intt. Cap. XVII. Scortatione litasse quibusdam Diis Orientales ostendimus ad Exod. Cap. XXXIV, 14. Adi & *Joan. Spencerum* de Ritual. Mos. Leg. Lib. II. c. 22.

18. *Donum prostibuli*] Hoc est, pecuniam, quam ex fœdissimæ artis quæstu, quasi primitias, Diis offerebant scelerrimæ mulierculæ, de quibus ad locum Exodi laudatum. Copiosè etiam egit hac de re *Spencerus*, Cap. sequente.

Pretium canis] Cynædum intelligimus, qui antea dicitur קדש *kadesch*, & subjungitur meretrici, ut hîc. *Canis* autem dicitur ejusmodi impurus adolescens, quòd canes in via coëuntes imitetur, unde & κίναιδος Græcè. Impudici homines Κύνες etiam vocantur Apoc. XXII, 15. Attamen *Sam. Bochartus* Hier. Part. I. Lib. 2. c. LVI. verum canem mavult intelligere, *quia*, inquit, *Legislatores Tropis & Metaphoris uti non solent, sed edicta sua verbis propriis efferre, ne ulla subsit æquivocatio.* Sed sunt voces multæ tropicæ ita usu tritæ, ut in certa vocum junctura, nullam habeant ampliùs ambiguitatem. Certè postquàm Moses memoravit *meretricem & cynædum*, & iterum loquitur de *meretrice & cane*, quis dubitet quin idem sit utrobique intelligendum, si præsertim in animum revocet quod diximus de meretricum & cynædorum consecratione? Præterea falsum est quod ait, non esse tropos in legibus Mosaïcis; in quibus non modò tropi, sed & symbolicæ multæ leges sunt.

Existimat vir summus vetari ἀντάλλαγμα canis, quod immundissimum est brutum, úque simul Deus Anubidis cultum suggillaret. Idem defendit *Joan. Spencerus* Lib. II. c. 23. Sed parum verisimilis hæc est conjectura, cùm constet animalium immundorum primogenita debuisse redimi, sine ulla exceptione, canúmque adeò, quemadmodum aliorum omnium. Vide Num. XVIII, 15, 16. Præterea sequentia verba eam planè jugulant.

Quodcumque sit votum] לכל נדר *omnis voti.* Nemo persuaserit voveri solitum Deo canem, aut pretium ex canibus venditis confectum; sed constat impuros Phœnicas mercedem usuræ corporis sui Deo vovisse; quod vetare debuit Moses,

XXIV. Leges de uxoris repudio, de immunitate novorum maritorum, de pignoribus capiendis, de plagio, de lepra, de mercenario, de jure omnibus dicendo, de ſpicilegio, & racematione.

1. CUM quiſpiam uxorem duxerit, maritúſque ejus factus fuerit, ſi contingat eam gratiam apud eum non nanciſci, quòd fœdum quidpiam in ea deprehenderit; tum verò ſcribat *ille* ei libellum repudii, tradátque in manum ejus & eam domo ſuâ dimittat. 2. Egredietur illa ejus domo, abibítque & erit alii viro. 3. Si autem vir quoque poſterior eam odio habuerit, ſcripſerit ei libellum CAPUT XXIV.

PARAPHRASIS.

1. SI cujuſpiam uxor legitimo matrimonio ducta, cœperit ei ingrata fieri, eò quòd quidpiam quod diſplicuerit in ea animadverterit, repudiaréque eam propterea volet; libellum, quo eam à ſe repudiari ſignificet, ſcribito, eúmque mulieri, antequàm domo ejus exeat, tradito. 2. Tum demum illi, prioris viri domo egreſſæ, alii nubere liceto. 3. Si & alteri viro diſplicuerit, is quoque ad eam dimittendam eadem formula utitor. At à poſteriore viro repudiatæ, aut etiam viduæ mor-

ſes, ne quis res turpiſſimas poſſe fieri crederet, ſi modò quæſtus Deo voveretur. Nec tamen hoc obſtitit, quominùs ſequentibus ſæculis, in ipſa Dei Iſraëlis Æde, Cynædi habitarent. Vide 2. Reg. XXIII, 7.

19. *Non dabis fœnori*] Vide not. ad Exod. XXII, 25. & Levit. XXV, 36. & Thalmudica jura, apud *Joan. Seldenum* de J. N. & G. Lib. VI. Cap. IX. & X.

Fœnori dari ſolet] ישך *fœnori dabitur.*

20. *Alienigenæ*] Sidonio, Philiſtæo, aliiſque qui ex commerciis vitam ſuſtentabant, & qui poterant induſtriâ ſuâ majorem fructum pecuniæ mutuò acceptæ percipere, quàm erat uſura quam ſolvebant. Ne Proſelytos quidem excipiunt Magiſtri, ut docet *Joan. Seldenus* de J. N. & Gent. Lib. VI. c. 10. At Hebræi, qui agricolæ erant, uſuras nonniſi ægrè ſolvere potuiſſent, ut oſtendimus ad Exod. XXII, 25. Sed & hiſce de rebus adi priſci juris, ut & elegantiorum litterarum, peritiſſimum *Ger. Noodtium*, in pulcherrimi Operis *de Fœnere & Uſura* Lib. I. c. 10.

In omnibus tuis facultatibus] *In omni miſſione manûs tuæ*, quia ſuis bonis dumtaxat manum injicere unicuique licet, ut alibi diximus.

21. *Non differes illud ſolvere*] Ne differendo ſolvere, cùm ſit ejus ſolvendi copia, videatur religio voti ſperni, & numquam fortè, rebus mutatis, ſolvatur. Idem præcipit Deus de primitiis & decimis Exod. XXII, 29.

23. *At quod labia tua protulerint*] *Egreſſionem labiorum tuorum.* Vide Num. XXX, 3. & not.

Sponte ore tuo promiſeris] נדבה *Spontaneum quod ore tuo loquutus fueris.*

24. *Pro tua adpetentia*] *Secundùm animam tuam* כנפשך. Intelligendum hoc de eo qui fortè tranſit, juxta vineam, non de eo qui quotidie, datâ operâ, eò ſe conferret; ſi enim plures ſimul in unam vineam ſæpiùs iviſſent, non parvum detrimentum vineæ domino creaſſent. Onkelos intelligit de mercenario, habétque: אי מתגר *ſi conductus fueris in vineam* &c. Sic & Jonathan, quaſi velit Moſes eos qui vindemiant poſſe comedere racemos, qui metunt manibus grana à ſpicis excutere quæ comedant, ſed nihil domum auferre. Rectiùs *Joſephus* Lib. V. c. 8. legem hanc exprimit; *μηδὲ ὀπώρας ἀκμαζούσης κωλύειν ἅπτεσθαι τοὺς ὁδῷ βαδίζοντας*: *nec maturos autumni fructus adtingere tranſeuntes oportet prohibere.*

COMMENTARIUS

In CAPUT XXIV.

1. GRatiam apud eum non nanciſci] *Si non invenit gratiam in oculis ejus*, hoc eſt, ei diſpliceat, nam ſæpe negatio adfirmationi contrarii æquipollet. Vide Exod. XX, 7. Levit. X, v. 1.

Fœdum quidpiam] ערות דבר *nuditatem rei*, quam loquutionem habuimus Cap. antecedente v. 14. & quo loco, non ex incertis conjecturis, eſt exponenda. Verùm non ſatis conſtat quo modo *res fœda* poſſit definiri, & tacente Lege, latiſſima hîc patebat viris area; nam ſi quid diſplicebat in uxore, rem fœdam in ea eſſe dicere poterant, erántque ſoli fœditatis judices; neque enim vocabantur ad Judicem, ut dicerent quid in muliere fœdum judicarent. Ideò Moſes v. 3. omiſſâ *fœditate*, odium dumtaxat viri tamquam cauſam repudii memorat. Hinc tamen nata inter Legis petitos controverſia, quorum alii adfirmabant in uxore, ut repudiaretur, oportuiſſe eſſe *rem turpem.* Sic ſentiebat שמי *Sammai*, ejúſque diſcipuli. Alii verò, quorum princeps erat הלל *Hillel*, ita ערות דבר interpretabantur, ut quamvis cauſam intelligerent. Vide hac de re *Joan. Seldenum*, de *Ux. Hebr.* Lib. III. c. 18. & ſeqq. Rabbinicam etiam doctrinam copioſè perſequutus eſt *Joan. Buxtorfius* in Lib. de *Sponſalibus & Divortiis.* Sed quamvis diverſa ſenſiſſe videantur Magiſtri, attamen praxis omnium eadem fuit, nam cùm, ut dicebam, vir judex eſſet *turpitudinis*, quidquid diſplicebat eo nomine vocabat. *Philo* Lib. de Specialibus Leg. p. 603. ubi dicit viro non licuiſſe à ſe repudiatam & alteri nuptam iterum ducere, ita incipit: *ἐὰν ᾖ, φησί,* (nempe *νόμος*) *ἀνδρὸς ἀπαλλαγεῖσα γυνὴ καθ' ἣν ἂν τύχῃ πρόφασιν*:

lum repudii, tradideritque in manum ejus, & eam domo suâ dimiserit; aut si vir posterior, qui eam uxorem duxerat, mortuus sit; 4. non poterit maritus ejus prior, qui eam dimiserat, iterum eam ducere, ut sit sibi uxor, postquàm polluta *ei* est; res enim hæc est detestanda coram Jehova, neque pollues terram, quâ possidenda te donat Deus tuus Jehova.

5. Cùm quispiam novam uxorem duxerit, non egredietur in exercitum, neque quidquam *simile* ei imperabitur; immunis erit domi suæ, per annum unum, atque exhilarabit uxorem suam, quam duxit.

6. Ne *quis* pignori accipiat molam, aut catillum, ille enim pignori vitam acciperet.

7. Cùm

morte relictæ, 4. priori viro denuò nubere ne liceto; polluta ei altero conjugio habetor. Iteratæ ejusmodi nuptiæ Deo summopere displicere, & terram ipsam quam habitabitis polluere, si contrahantur, intelliguntor.

5. Quisquis uxorem duxerit, is per annum, initio à nuptiis facto, immunis militiæ, & omnium ejusmodi laborum esto. Domi, ut novam uxorem exhilarare queat, maneto.

6. Nemo integram molam, aut dimidiam ejus partem, pignori sumito; nec re usque adeò vitæ necessaria, quisquam carere cogitor.

7. Qui

si mulier, inquit, à viro dimissa, quocumque de prætextu. Josephus Lib. IV. c. 8. *γυναικὸς δὲ συνοικούσης βουλόμενος διαζευχθῆναι, καθ' ἃς δηποτοῦν αἰτίας· πολλαὶ δ' ἂν ἀνθρώποις τοιαῦται γίγνοιντο· γράμμασι μὲν περὶ τοῦ μηδέποτε συνελθεῖν ἰσχυριζέσθω: ab uxore, quæ secum habitarit, si quis voluerit separari, quibuscumque de causis, quales multæ inter homines, litteris se numquam cum ea coiturum confirmet.* Quod à se factum esse docet ipse, in vita sua.

Adparet autem ex hac Lege, jam tempore Mosis, in usu fuisse divortia, & quidem quacumque de causa, de hisce enim nihil definit: sed tantùm cavet mulieri, in sequentibus, libello divortii. Sic videmus, apud alias Gentes, divortia in usu vulgò fuisse. At erat discrimen inter mores Hebræorum, hac in re, & aliarum Gentium, quod ita exprimit *Josephus*, Ant. Jud. Lib. XV. Cap. XI. in Græcis, IX. in Latinis: *ἀνδρὶ μὲν γὰρ ἔξεστι παρ' ἡμῖν τοῦτο ποιεῖν* (repudiare uxorem) *γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὑτὴν γαμηθῆναι μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος: viro quidem licet apud nos hoc facere, mulieri verò ne separatæ quidem & seorsim viventi nubere licet, nisi postquàm eam prior vir dimiserit.* Apud Græcos & Romanos, paria fuerunt, ut omnibus notum est, viro & uxori jura, unde majus societati incommodum.

Si Hebræa gens, cùm Legem accepit, eo animo fuisset, ut quidquid sibi à Deo imponeretur observatura esset, divortia planè vetuisset Deus; quippe non modò primæ conjugii institutioni contraria, sed & summopere humanæ Societati noxia. Quis enim non videt ditiorum præsertim libidini apertam fuisse latissimam fenestram, cùm repudiare uxores possent, quotiescumque vellent? Quis non intelligit sequiorem sexum injuriæ virorum obnoxium ita fuisse? Quis non animadvertit, hac licentiâ, liberis occasionem præbitam violandi præcepti *de honore parentum*? Quis enim animus debuit esse liberorum, qui videbant matrem à patre, levi aut nulla de causa, dimitti? Sed cùm ita rei essent adsueti Hebræi, ut non possent ab ea consuetudine revocari; Moses, *ob illorum duritiem cordis, permisit iis dimittere uxores suas*, ut loquitur Christus Matth. XIX, 8. ad quem locum adi *Hug. Grotium*.

Post verba *uxorem duxerit*, addunt Samaritæ ובא אליה & *ingressus fuerit ad eam*, sine necessitate, nam sequens vox ובעלה *& maritus ejus factus sit*, hoc ipsum exprimit.

Scribat ei libellum repudii] Ne, scilicet, mulier dimissa meretrix haberetur, néve eam dimittere & recipere, pro libidine, viro liceret. Apud *Athenienses*, ubi non viro tantùm ἀποπέμπειν sed mulieri etiam fuit jus ἀπολείψεως, lex erat à Solone lata: *τὴν γυναῖκα τὴν ἀπολείπουσαν τὸ τῆς ἀπολείψεως γράμμα παρὰ τῷ Ἄρχοντι θέσθαι, μὴ δι' ἑτέρων ἀλλ' αὐτὴν παροῦσαν: uxorem à viro abeuntem, derelictionis libellum apud Archontem ponere, non per alios, sed ipsam præsentem.* Quod Lege sancitum docet *Plutarchus*, Alcibiade, ut, si fieri posset, gratia conjugum resarciretur. Sed, apud Hebræos, nulla Judicis hac in re mentio.

Ceterùm duo erant uxorum genera, quas repudiare non licebat, 1. quæ falsò accusatæ fuerant prælibatæ virginitatis, ut liquet ex Cap. XXII, 19. 2. vitiatæ ante nuptias, ut docet Legislator eodem Capite vers. 29.

2. *Erit alii viro*] Hoc est, tum demum ei alii nubere licebit. Poterat enim fieri, ut rixæ inter virum & uxorem orirentur, propter quas viri domo exibat uxor ad parentes, & quæ postea componebantur; modò, accepto repudii libello, alteri non nupsisset uxor.

4. *Non poterit*] Hoc est, ei non licebit, ut passim. Rationes hujus legis variæ esse potuerunt; duas tantùm adtingemus. Primùm, hoc modo obstitit Legislator ne temerè, & per subitam iram, viri repudiarent uxores, quandoquidem pœnitentiæ nullus hîc locus erat relictus. Deinde obiam ivit mutationibus, quæ speciem præbuissent lenocinii publici, aut communionis uxorum, si eamdem sæpiùs repudiare, & postquàm aliis nupta fuisset, ducere licuisset. Vitio versum est à Romanis, apud quos licitum hoc fuit, Catoni Uticensi, quòd Martiam uxorem repudiatam tradidisset Hortensio, deinde, mortuo Hortensio, eam recepisset. Vide *Plutarchum* in ejus vita.

Postquàm polluta ei est] Ab alio, nempe, compressa.

5. *Neque quidquam simile ei imponetur*] *Neque transibit super eum ad omne verbum.* Ratio

est,

7. Cùm quispiam deprehensus fuerit furans aliquem è fratribus suis, ex Israëlitis, eúmque in servitute detinuerit & vendiderit, morietur ille fur, & malum *sic* è medio tui tolles.

8. Date operam, in plaga lepræ, ut probè memineritis omnium eorum quæ vos docuerint sacerdotes Levitæ, ut *ea* faciatis quemadmodum eos jussi; eorum *inquam*, memores eritis, ut *ea* faciatis. 9. Memento eorum quæ Jehova Deus tuus fecit Mirjamæ, in via, cùm egressus esses ex Ægypto.

10. Cùm mutuum dederis quidpiam proximo tuo, non ingredieris domum ejus, ut pignus ab eo accipias. 11. Stabis foris, vir verò cui mutuum dederis foràs ad te pignus proferet. 12. Si sit ille vir pauper, non ibis cubitum, cum ejus pignore; 13. re-

7. Qui plagium, adversus Israëlitam, commiserit, capite pœnas luito.

8. Si quis leprâ adfectus fuerit, quæcumque ex Lege dixerint Sacerdotes observato. 9. Ne quis se immunem, ob dignitatem, eorum rituum crediderit, is Sororem meam prophetidem leprâ adfectam in deserta Arabia, castris per septiduum abesse coactam recordator.

10. Qui mutuum quidpiam Hebræo dederit, is ad pignus accipiendum, ne vis ulla adhiberi videatur, domum ejus ne ingreditor; 11. sed foris, donec ad eum pignus proferatur, exspectato. 12. Si qui pignus

est, quia si domo eo tempore avocaretur, illibenter pareret, ignavè desiderio uxoris se gereret, aut, si posset, clanculum domum rediret. Præstat autem ejusmodi milite carere, quàm invitum in hostem ducere. Vide not. ad Cap. XX, 5. Non parum ejusmodi militis animum mollire possent mandata nuper ductæ uxoris. Si Protesilaus ab uxore Epistolam accepisset, qualem hujus nomine scripsit *Ovidius*, ab Hectore interfectus non fuisset, neque ullum viri fortis specimen edidisset.

Hectora quisquis is est, si sim tibi cara, caveto,
Signatum memori pectore nomen habe.
Hunc ubi vitaris, alios vitare memento,
Et multos illic Hectoras esse puta.
Et facito dicas, quoties pugnare parabis,
Parcere me jussit Laodamia sibi.

Quisquis acceperit ejusmodi mandata, uxorisque amans erit:

Ille ferens dominæ mandata recentia secum
Pugnabit cautè, respiciétque domum.

Protesilai casum miserabiliter luxere Poëtæ, quicumque adtigerunt, & dum eorum carmina legimus, satis intelligimus ejusmodi cogitatione animum emolliri. Ceteris præivit *Homerus* Iliad. B. in Catalogo vers. 207.

5. *Molam*] רחים *rebbajim.* Numerus dualis ostendit intelligi & metam & catillum, μύλον καὶ ἐπιμύλιον, seu, ut loquitur Vulgatus, *superiorem & inferiorem molam*, hoc est, integram molam.

Aut catillum] ורכב *verecheb.* Sic propriè superior pars molæ vocabatur, quòd insideat alteri. Sed hîc significatur alterutra pars molæ, adeò ut Moses velit, neque integram molam, neque ejus dimidiam partem, sine qua altera inutilis est, pignori opponi. Perinde enim est, seu tota mola, seu altera tantùm ejus pars pignori opponatur.

Vitam] *Animam*, hoc est, instrumentum quod ad vitam sustentandam planè necessarium est. Videtur esse exemplum, quo vetantur Hebræi pignori accipere ea quibus dantes carere nequeunt, sine gravissimo incommodo. Vide Exod. XXII, 26.

Aliquem è fratribus] *Animam è fratribus.* Vide ad Exod. XXI, 16.

In servitute detinuerit] התעמר בו *bithammer bo*, ut suprà Cap. XXI, 14.

8. *Ut probè memineritis* &c.] *Ad recordandum valde & faciendum pro omnibus quæ docuerint* &c. Vide hac de re Levit. XIII, & XIV. Pro ולעשות in Samaritico est לעשות sine *Vau*, & post ככל legitur vox התורה *secundùm omnem legem.*

9. *Memento eorum* &c.] Num. XII, 10. Cùm ne Mirjama quidem, Mosis soror, eadémque prophetis, potuisset in castris, leprâ adfecta, manere; nemo alius id sibi licere poterat sperare.

10. *Cùm mutuum dederis* &c.] Mirum est hoc non conjunctum cum vers. 6.

Non ingredieris] Ut adpareat vim nullam adhiberi.

12. *Non ibit cubitum* &c.] Vide ad Exod. XXII, 26.

16. *Justè factum*] צדקה *justitia*, quod omnia quidem bona opera significat, sed interdum pro misericordiæ operibus sumitur. Hinc à LXX. Intt. ἐλεημοσύνη. Vide *Henr. Hammondum* ad Matth. I, vers. 19.

14. *Non opprimes mercenarium*] Vide Levit. XIX, 15.

15. *Neque ea nondum solutâ sol occidet*] *Neque occidet super eam sol.*

Ea vitam sustentat] אליו נשא את נפשו *ad eam fert animam suam.*

16. *Patres propter filios*] Erat fortasse, tempore Mosis, apud Ægyptios aut alios ex viciniis populis, eadem lex, quæ postea apud Persas & Macedonas fuit, ut consanguinei, propter consanguineorum quædam peccata, pœnas luerent. *Ammianus Marcellinus* Lib. XXIII, c. 6. de Persis: *Leges apud eos impendio formidatæ, inter quæ diritatem exsuperant latæ contra ingratos, & desertores, & abominandæ aliæ, per quas ob noxam unius omnis propinquitas perit.* Ad quæ verba, vide *Henr. Valesium.* Sic &, apud Macedonas, lege *cautum erat, ut propinqui eorum, qui Regi insidiati erant cum ipsis necarentur*, ut auctor est *Curtius* Lib. VI. c. 11. ubi vide quæ habet *Joan. Freinshemius.* Contrà 2. Reg. XV, 5, 6. Rex Amatsja ob legem hancce Mosis obser-

[13] restitues illi pignus ante occasum solis, cubabit in vestimento suo, bene tibi adprecabitur, atque hoc à te justè factum erit, apud Jehovam Deum tuum.

[14] Non opprimes mercenarium pauperem atque egenum, ex fratribus tuis, aut ex iis qui in terra, urbibúsque tuis peregrinabuntur. [15] Die suo dabis mercedem ejus, neque eâ nondum solutâ sol occidet, quoniam est pauper, eáque ille vitam suam sustentat; ne invocet contra te Jehovam, sítque in te peccatum.

[16] Patres propter filios non adficientur morte, neque filii propter patres; sed quisque, ob peccatum suum, morte adficietur.

[17] Non pervertes jus peregrini, *nec* pupilli, neque pignori accipies vestem viduæ. [18] Memor eris te servum fuisse in Ægypto, & liberatum illinc à Jehova Deo tuo; qua de causa, te hoc facere jubeo. [19] Cùm metes in agro tuo, & prætermiseris manipulum in agro, nequaquam reverteris ad eum accipiendum; peregrino, pupillo & viduæ erit, ut in omni opere manuum tuarum tibi benedicat Deus tuus Jehova. [20] Cùm excusseris olivas tuas, ramos postea non scrutaberis; *quod supererit* peregrino, pupillo & viduæ erit. [21] Cùm vindemiaris vineam tuam, postea non racemabis, *racematio* peregrino, pupillo & viduæ erit. [22] Memor eris te fuisse servum in Ægypto, qua de causa hoc te facere jubeo.

XXV. Le-

pignus dedit pauper sit, neque eo sine gravi incommodo carere possit, [13] ante solis occasum ei restituitor. Sic ditior pauperis faustas adprecationes sibi conciliato, Deoque id gratissimum futurum esse scito.

[14] Mercenarium & egenum, seu Hebræus sit, aut alienigena, qui in Hebræorum ditione vitam aget, ne umquam mercede debitâ defraudato. [15] In diem ei, si velit, ea merces solvitor; qui non solverit preces ejus timeto, Deóque pœnas se luiturum scito.

[16] Parentes innoxii, propter peccata liberorum; aut liberi, propter peccata parentum, quorum conscii non fuerint, ne puniuntor.

[17] Peregrino, pupillóque, æquè ac aliis omnibus, jus ex legibus dicitor. Viduæ vestis in pignus na capitor. [18] Potentiorum injuriæ in Ægypto obnoxium fuisse populum Hebræum omnes recordantor, neque quod ægerrimè illic tulit aliis Hebræi faciunto. [19] *ad* [21] Si quæ aristæ in metendo fortè prætermissæ sunt, ad eas colligendas dominus agri ne revertitor; nemo excussis suis oleis, ramos, si quæ sint relictæ, curiosiùs perscrutator; nemo, in vinea sua, racemato; reliquiæ peregrinis, viduis & pupillis pauperibus relinquuntor. [22] Omnes servitutis Ægyptiacæ memores sunto; ideóque tenuioris sortis hominem nemo spernito.

P A-

servatam, adversùs eorum filios, qui ipsius patrem occiderant, laudatur. Laudatus etiam merito suo M. Aurelius Antoninus, qui de rebellionis, ut eo tempore loquebantur, propinquis, in oratione ad senatum: *Filiis*, inquit, *Avidii Cassii & genero & uxori veniam dabitis. Et quid dico veniam, cùm illi nihil fecerint? Vivant igitur securi, scientes sub Marco se vivere. Vivant in patrimonio parentum, pro parte donato* &c.

17. *Peregrini nec pupilli*] גר יתום ger jathom. Deest *Vau*, nam perpetuò peregrinus & pupillus ita conjunguntur. Vide Exod. XXII, 21, 22. Sic suppleverunt LXX. Intt. & Vulg.

Vestem viduæ] Aut aliud quidpiam, quo, sine gravi incommodo, carere non liceat. Vide Exod. XXII, 26.

19. *Cùm metes*] Vide Levit. XIX, 9. Scita Rabbinica hac de re vide apud *Joan. Seldenum*, de Jure N. & G. Lib. VI. c.6.

20. *Ramos postea non scrutaberis*] לא תפאר אחריך LXX. Intt. *καλαμήσασθαι τὰ ὀπίσω σου*, quod est propriè *spicas legere*; sed nec Græci nec Latini vocem habent, quâ significent, ramos olearum postquàm sunt excussæ oleæ perscrutari, ut si qui relicti fuerint fructus capiantur. Hoc verbum est à פארה phurah. *ramus*.

22. *Qua de causa hoc te facere jubeo*] Hoc jam antea habuimus vers. 18. Vult Deus pauperes, & qui propulsare injuriam non possunt, liberaliter atque humanè ab Hebræis haberi: quemadmodum Hebræi Ægyptios, cùm iis servirent, erga se liberales atque humanos esse optaverant. Perinde ergo est, ac si diceret: quod vobis fieri ab aliis olim cupivistis, hoc nunc facite aliis; quo præcepto omnia hominum, inter se, officia continentur.

COM-

XXV. Leges de numero ictuum infligendorum, de bove triturante, de uxore fratris ducenda, de supplicio mulieris quæ pudenda viri adtigerit, de ponderibus & mensuris, de delendis Hamalekitis.

Caput XXV.

1. CUm inter *duos* homines lis erit, & accedent ad judicium; *judices* de iis
judicabunt, absolvéntque eum qui justus fuerit, & sontem damnabunt. 2. Si
reus dignus fuerit plagis, judex jubebit eum prosterni & cædi coram se *certo*
numero *ictuum*; donec satis sit, pro crimine cujus reus erit. 3. Quadraginta ictibus
eum cædi jubebit, non ampliùs; ne dum super hisce pergit eum cædere multis ictibus,
vilis apud te fiat frater tuus.
4. Non capistrabis bovem, dum triturat.
5. Cùm unà fratres habitabunt, unúsque eorum sine liberis mortuus fuerit, uxor
mortui non nubet foris viro *ab ea familia* alieno, sed levir ejus ad eam ingredietur,
uxorem eam sibi ducet, & leviri jure erga eam utetur. 6. Primogenitus autem, quem
pariet, succedet in nomen fratris mortui, neque nomen ejus ex Israële delebitur. 7.
Quod si vir ille glorem suam ducere noluerit, ibit glos ad portam oppidi, ad senes,
dicétque: renuit levir meus excitare fratri suo nomen in Israële, non vult leviri jure
erga

PARAPHRASIS.

1. JUDICES, in omnibus judiciis, innocentes absolvunto, reos damnanto. 2. Si quis crimen, flagro dignum admiserit, is, non pro arbitrio, sed pro gravitate delicti, certo numero plagarum, coram Judicibus, cæditor; 3. nec plures umquam quadraginta ictibus infliguntor. Vitæ & corporis hominis Hebræi magna semper ratio habetor.

4. Omnibus laboris sui aliqua merces esto, cujus rei ne subeat umquam oblivio, symbolicæ legis observatione cavetor; bos, scilicet, dum triturat numquam capistrator.

5. Cùm fratres aut propinqui in iisdem ædibus, aut in eodem oppido habitabunt, & eorum quispiam sine liberis mortuus erit, viduámque reliquerit, ea in aliena familia, aut in alio oppido pro arbitrio ne nubito; sed aut à leviro, aut à proximè agnato ducitor. 6. Si liberi ex eo matrimonio nascantur, primogenitus filius prioris viri dicitor, atque in ejus familiam, ne deleatur nomen ejus ex censualibus libris, succedito. 7. Quòd si contigerit fra-

COMMENTARIUS

In Caput XXV.

1. ABsolvent &c.] הצריקו את הצריק *justificabunt justum*, hoc est, eum cujus justa est causa.

Sontem damnabunt] הרשיעו את הרשע hoc est, eum *cujus causa deterior erit deteriorem pronunciabunt*. Manifestum est hanc esse significationem nominis רשע & verbi הרשיע, ex ratione oppositionis, aliisque locis. Vide not. ad Exod. II, 13. LXX. Intt. καταγνῶσι τοῦ ἀσεβοῦς, & Vulg. *condemnabunt impietatis.* Sed ea non est propria significatio vocis רשע, neque hîc *impietas* locum habet. Debuerant vel hinc discere vocem hanc malè verti ἀσεβῆ *impium.*

2. *Dignus plagis*] בן הכות *filius verberandi*, hoc est, *verberationis*. Infinitivus est loco nominis. Ceterùm Hebraïsmus hîc frequens, ut *filius mortis*, *filius iræ* &c.

Certo numero ictuum, donec satis sit, pro crimine cujus reus erit] *Pro sufficentia criminis ejus in numero.* Flagello, nempe, eos quos mores ictibus damnabant (Lex enim nusquam hoc definit, relictâ re arbitrio Judicum, unde natæ Magistrorum definitiones) cædi jubebant; ita ut quadragenarium numerum ictuum numquam excederent, sed intra eum pauciores, aut plures, pro gravitate criminis, infligerent. Ne autem quadragenarium numerum excederent, ictibus fortè malè numeratis, numquam plures quàm quadraginta novem impingebant. Vide 2. Cor. XI, 24. & locum *Josephi* adlatum ad Cap. XXII, 18. Sapientissimè autem Lex numerum definivit, ne sæviores Judices ad necem flagris cædi juberent, quod apud Romanos sæpe factum legimus. Vide *Verrinam* quintam. Cujusmodi supplicio an sævius excogitari ullum possit nescio.

3. *Non ampliùs*] *Non addet.*

Vilis apud te] *Vilescat in oculis tuis*; ne, nimirum, judices adsuescant contemnere populares suos, aut eorum vitam parvi facere. Nihil enim magis adsuefacit vitæ vulgi spernendæ, quàm atrocia supplicia.

4. *Non capistrabis bovem*] Certissimum hoc est legis symbolicæ exemplum, cujus interpretem habemus Paulum 1 Cor. IX, 7. & seqq. Eâ significat Legislator, æquum non esse quemquam rei cuipiam operam dare, nec tamen ex sua opera fructum ullum colligere; cujus infelicitatis symbolum est bos, qui triturat capistratus, ac proinde paleam, ex qua grana excutit, degustare non potest. Audiamus Paulum hanc in rem: *Quis militat*, inquit, *suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum* est

erga me uti. 8. Tum senes ejus urbis hominem vocabunt, atque eum alloquentur; se verò sistet *coram iis* & dicet : nolo eam ducere. 9. Postea glos ejus coram judicibus ad eum accedet, calceum ejus pedi detrahet, faciem ejus conspuet, & conceptis verbis dicet : Sic fiat viro, qui non ædificarit domum fratris sui. 10. Vocabitur autem *domus* hujus, in Israële, domus ejus cui detractus est calceus.

11. Si viris inter se rixantibus, quolibet, nempe, cum fratre, accedat uxor unius ad liberandum virum suum è manu cædentis, exsertáque manu pudenda hujus arripuerit; 12. abscindes mulieris manum, neque oculus tuus ei parcet.

13. Non erit in loculo tuo duplex pondus, majus & minus. 14. Non erit tibi domi duplex Epha, major & minor. 15. Tibi erit pondus integrum & justum, Epha item integra & justa; ut producant dies tuos in terra, quâ te Jehova Deus tuus donat. 16. Nam detestationi est Jehovæ Deo tuo quisquis hæc facit, quisquis iniqui quidpiam designat.

17. Memento ejus quod tibi fecit Hamalekita, in via, cùm Ægypto egressus esses; 18. quemadmodum occurrit tibi in itinere, & cecidit in extremo agmine omnes qui debiles erant, dum fessus esses, & laborares, neque Deum reveritus sit. 19. Cùm verò Jehova Deus tuus quietem tibi concesserit, ab omnibus hostibus tuis, qui erunt circa te, in terra quâ te hereditariâ possidendâ donat, delebis sub cœlo memoriam Hamaleki, neque *hujus rei* oblivisceris.

XXVI. Le-

fratrem, aot propinquum nolle eam uxorem ducere, is in jus ambulato, & apud Judices hoc profitetor. 9. Tum illic mulier ei calceum detrahito, faciem ejus conspuito, & dicito : eo dedecore quicumque liberos in propinqui nomen successuros procreare noluerit adficitor. 10. Ab eo tempore, ejus familia hac notâ inuretur, ut familia hominis, cui exutus est calceus & vultus sputis adspersus, dicatur.

11. Si duobus viris pugnaotibus, cootigerit alterutrius uxorem, viro auxilium ferentem, pudenda inimici adprehendere, 12. manus impuræ mulieris abscinditor.

13 *ad* 16. Ponderibus & mensuris semper æqualibus & justis utitor, ac longævam vitam justitiæ præmium exspectato. 16. Qui secus faxit Deo invisum se futurum, pœnásque daturum esse scito.

17. Ne injuria immerenti populo Hebræo ab Hamalekitis illata, oblivioni umquam mandator. 18. Nostis enim, cùm versaremur in Sinaitica solitudine, eos nullâ injuriâ à nobis lacessitos extremum agmen nostrum carpsisse, & morbo tardiores excepisse atque occidisse; quo spontaneo bello, ostenderunt nullo se Numinis metu teneri. 19. Itaque postquàm, confecto cum aliis finitimis bello, quietas sedes habitabitis, bellum ei geoti inferte, eámque ad internecioo em delete.

P A-

est enim in Lege Moysis : non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos utique scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructûs percipiendi. Similia habet 1. Tim. V, 18. Miror *Maimonidem* non finxisse Zabios bobus tritorantibus os capistrasse, ut hujus legis rationem redderet. *Philo*, in libro περὶ φιλανθρωπίας, frigidè de humanitate erga bruta interpretatur.

Dum triturat] Pedibus, nimirum, ut solet multis in locis fieri, aut trahâ, de qua vide uot. ad Gen. XLI, 22.

5. *Cùm unà fratres habitabunt*] Vox אחים significat primum *fratres* propriè dictos; deinde etiam alios *consanguineos*, qui in locum fratrum propriè dictorum succedunt; cujus rei exemplum habemus in historia Ruthæ Cap. III, & IV. *Unà habitare* potest intelligi de ædibus paternis, aut de eadem urbe; unde colligere est extra patrium solum degentes coactos nou fuisse glorem ducere; quod hac ratione nititur, quia uon poterant prædia fratris aut consanguinei, doctâ ejus viduâ, colenda accipere. Magistrorum, de hac Lege, doctrinam vide apud *Joan. Seldenum* de Uxor. Heb. Lib. I. c. 12.

Sine liberis mortuus fuerit] *Et mortuus unus eorum, & filius nullus illi.* Pro filio habent LXX. Intt. ἄτεκνα, hoc est, *absque liberis*, ut vertit Vulgatus, neque euim sexus hîc respicitur. Sic passim בנים nou *filios*, sed *liberos* sonat. Vide *Joan. Seldenum*, de success. in bona defuncti Cap. XIV. & *Hug. Grotium* ad hunc locum.

Uxor mortui non nubet foris] Non est hæc lex primùm à Mose lata, sed priscæ Hebræorum consuetudinis confirmatio, ut liquet ex Gen. Cap. XXXVIII, 8. ubi vide notata. Præter rationes ad Genesin adlatas, legis hujus finis fortè esse potuit, ne dotatæ uxores, quales erant ἐπίκληροι, de quibus diximus ad Num. Cap. XXXVI, 8. in aliam familiam dotem transferrent, non sine familiæ, in qua priùs nupserant, jactura.

Ab ea familia alieno] זר *zar.*

Leviri jure erga eam utetur] יבמה *jibbemah*, quæ vox non nisi periphrasi exprimi potest. Propriè de Leviro, qui יבם *jabam*, sed & latiùs de propiuquo qoovis dicitur.

6. *Succedet in nomen*] *Stabit super ejus nomine*, hoc est, ejus filius dicetur. Vide Ruth. IV, vers. 17.

Ex Israële delebitur] Vide not. ad Numer. XXVII, 4.

7. *Ibit*] *Adscendet.*

Ad senes] Hoc est, ad Judices, ut passim.

9. *Conceptis verbis dicet*] ענתה ואמרה *respondebit & dicet.* Observavimus ענה esse *prologui* ad Cap. XXI, 7. Sed videtur præterea esse con-

ceptis

XXVI. Leges de ritibus servandis in oblatione primitiarum ; & de decimis tertii cujusque anni. Felicitas eorum qui Legem observant.

1. CUm ingressus fueris terram , quam Jehova Deus tuus tibi hereditariam Caput
dat, eámque possidebis & habitabis ; 2. tum verò sumes ex primitiis om- XXVI.
nium fructuum ejus soli , quas adferes ex agro tuo , quo Jehova Deus
tuus te donarit, ponésque in canistro; deinde ibis in locum, quem elegerit Jeho-
va Deus tuus , ut nomen suum illic collocet. 3. Tum venies ad sacerdotem qui
erit diebus illis, eíque dices: nuncio hodie Jehovæ Deo tuo me ingressum esse in
terram, quam se nobis daturum Jehova majoribus nostris juraverat. 4. Capiet ve-
rò sacerdos canistrum è manu tua , idque juxta altare Dei tui ponet. 5. Deinde
conceptis verbis dices , coram Jehova Deo tuo : Syrus erat periturus pater meus ,
descendit autem in Ægyptum , & peregrinatus illic cum paucis hominibus evasit
in gentem magnam, potentem & numerosam. 6. Postea malè nobis fecerunt Æ-
gyptii , vexarunt nos , imposueruntque nobis duram servitutem. 7. Tum clamore
invocavimus Jehovam Deum majorum nostrorum , audivit verò Jehova vocem no-
stram,

PARAPHRASIS.

1. CUm in terra Chananæa vobis agri divisi fuerint, eósque possidebitis, 2. tum verò mementote primitias omnium vestrorum fructuum , in locum, ubi erit Tentorium , ferre. 3. Sacerdotes, qui illic erunt, convenite, iisque nunciate vos eò venisse ut profiteamini agrorum , à Deo olim promissorum, possessionem ejus auxilio vos adivisse; 4. simulque Sacerdoti canistrum, in quo erunt fructus , tradite , qui id ad altare deponat. 5. Deinde recepto ab eo canistro, dum id tenebitis, clarâ voce hanc professionem edite : Jacobus à quo ortum ducimus , cùm ex Mesopotamia in Chananæam venisset , hîc fame erat cum suis periturus , nisi Deus ei singulari providentiâ subvenisset. Sed profectus in Ægyptum à filio Josepho, quem mortuum esse crediderat , sustentatus est ; atque illic usque adeò crevimus ut ex septuaginta capitibus, quæ eò iverant, orta sit gens populosissima. 6. Nos quidem malè habuerunt illic Ægyptii, sub finem temporis, quo in Ægypto fuit populus Hebræus; 7. sed invocato Dei auxilio , exauditi, 8. & liberati , ingentibus ab eo editis pro-

ceptis verbis aliquid dicere , quoniam præfigitur formulis , quas mutare non licebat. Vide Cap. XXVII, 17.

Ædificarit domum fratris] Hoc est , genuerit heredem ejus nomine adpellandum , ne familia ejus pereat. Vide de hac phrasi notata ad Gen. Cap XXX, 3.

10. *Vocabitur domui hujus*] *Vocabitur nomen hujus in Israële* ; hoc est , familia ejus hac notâ inuretur , quòd fuisse dicetur in ea pater familias, qui noluerit fratri sobolem excitare.

11. *Si viris inter se rixantibus*] *Si*, aut *quando rixati fuerint* (& ad pugnos res devenerit) *unà* , *quivis cum fratre* , *& accesserit* &c.

17. *Abscindes mulieri manum*] Non vetat lex eam pro viro pugnare, sed dumtaxat inhonestè, & cum summo inimici periculo.

13. *Duplex pondus*] *Lapis & lapis.* Vide Levit. XIX, 36.

15. *Ut producant dies tuos*] Vide de hac phrasi not. ad Cap. VI, 2..

16. *Quisquis iniqui quidpiam*] כל עשה עול *Omnis faciens iniquitatem.*

17. *Memento ejus* &c.] Vide Exod. XVII, vers. 14.

18. *Cecidit in extremo tuo agmine*] זנב בך האחרין *jezanneb bcha abbarechu.* LXX. Intt. ἔκοψε τὴν οὐραγίαν. Vulg. *extremos agminis tui ceciderit.* Galli dicunt : *battre en queuë* , Latini : *extremum agmen carpere.* Hæc circumstantia Exodi XVII. est omissa, ubi tantùm mentio fit prælii , cum Hamalekitis commissi , quo Israëlitæ superiores fuerunt.

Neque Deum reveritus sit] Deum auctorem & conservatorem humanæ societatis non timent, qui nullâ re læsi alii populo sponte suâ , & prædæ , aut imperii dumtaxat cupiditate , bellum inferunt ; quemadmodum fecerant Hamalekitæ adversùs populum Hebræum.

COMMENTARIUS

In Caput XXVI.

2. P*Rimitiis fructuum*] Qui eo tempore erunt maturi. Vide Exod. XXIII, 16. & Levit. XXIII, 10.

3. *Nuncio hodie*] Hoc est , palam hisce primitiis testificor me pacatè possidere agros in Chananæa , & posthac primitias pariter huc adlaturum spondeo.

5. *Conceptis verbis dices*] Respondebis & dices. Vide ad Cap. superioris versum 9.

Syrus erat] ארמי *Aramæus* , quod nomen est commune variis populis , ad utramque ripam Euphratis sedes habentibus. Vide *Joan. Seldeni* Prolegomena in Lib. de *Diis Syris.* Intelligitur hîc Mesopotamiæ incola, qualis per multos annos fuerat Jacobus. Hoc nomen nescio quid contumeliosi sonare observavimus ad Gen. XXXI, 20. ubi vide notata.

Periturus] אבד *obed.* Sic occurrit Job. XXIX, 13.

ſtram, & vidit vexationem, ærumnam atque oppreſſionem noſtram. 8. Eduxit deinde nos Jehova ex Ægypto, manu prævalidâ, brachio exſerto, terrore magno, ſigniſque & portentis. 9. Tum nos adduxit ad hunc locum, & donavit hacce terra, terra lacte & melle fluente. 10. Nunc autem adtuli primitias fructûs hujus terræ, quâ me donaſti, ô Jehova. *Cùm hæc dixeris*, depones eas coram Jehova Deo tuo, eúmque inflexo corpore adorabis. 11. Lætaberis deinde omni bono, quod tibi, domuíque tuæ dederit Jehova Deus tuus, tu & Levita & peregrinus, qui in medio tui erit.

12. Cùm abſolveris dare omnes decimas proventûs tui, anno tertio, quî annus eſt harum decimarum & dederis Levitæ, peregrino, pupillo & viduæ, comederintque intra mœnia tua, & ſatiati fuerint, 13. dices coram Jehova Deo tuo: amovi domo meâ rem conſecratam, eámque dedi Levitæ, peregrino, pupillo & viduæ, pro omnibus præceptis quæ mihi dediſti; nihil feci præter præcepta tua, neque

prodigiis, fuimus. 9. Huc adducti poſtmodùm, ſingulari ejus curâ, ſumus, & fertiliſſimis agris fruimur. 10. Hos ut Deo me debere palam agnoſcerem, gratiáſque ei, propter omnia beneficia, quibus me cumulavit, agerem, primitias huc adtuli, ex fructibus quibus me, ô Deus, donaſti. His dictis, caniſtrum deponetis, & adorato Numine abibitis. 11. Sed antequam domum redeatis, convivium in eo oppido celebrate, ad quod Levitas & peregrinos, qui aderunt, vocate.

12. Tertio quoque anno, poſtquam prímas & ſecundas decimas ſolveritis, & ſecundas quidem, in oppido, in quo degetis, Levitis & pauperibus dederitis, 13. ſimiliter coram Deo in hanc ſententiam hoc à vobis factum eſſe profiteamini: Decimas omnes debitas Levitis & pauperibus dedi, prout Lege cautum eſt. 14. Eas, more Ægyptiaco, lugens non comedi; neque in uſum immundum abſum-

13. de paupere, qui, niſi auxilium ei ferretur, periret. Vide & Prov. XXXI, 6, 7. Ac ſanè participia paſſim futuri ſenſum habent. Videtur autem reſpicere Moſes ad Jacobi ſortem, paullò antequàm in Ægyptum deſcenderet; quo tempore periturus erat fame, cum ſuis, niſi à filio ſuſtentatus fuiſſet.

Paucis hominibus] *Hominibus numeri.*

Evaſit in gentem] *Et peregrinatus eſt — & fuit in gentem* &c.

10. *Depones eas*] Hinc intelligimus eum, qui ſuperiorem teſtificationem pronunciabat, caniſtrum manu tenuiſſe, dum ita loqueretur, quaſi manu ſuâ id Deo offerentem. Finis hujuſce cærimoniæ hic fuiſſe videtur, ut palam agnoſcerent Hebræi, ſe facultates, libertatem ac vitam Deo debere, adeóque legum ejus obſervantes fierent. Hæc quoque fuit ſpecies quædam jurisjurandi, quâ omnes primitias ſe ſolviſſe ſignificabant, quod alioqui vix certò ſciri potuiſſet.

11. *Lætaberis*] Hoc eſt, lætè convivaberis, ut alibi, ubi ſermo eſt de re ſimili. Vide ſuprà Cap. XVI, 14.

Qui annus eſt harum decimarum] Nimirum, in urbe patria ſolvendarum, nam alioquin erant ferendæ Jeroſolimam, aut pecunia hinc confecta. Vide *Joan. Seldeni* Diſſ. de Decimis Cap. II. § 3.

13. *Nihil feci præter præcepta*] *Non tranſivi à præceptis tuis, neque oblitus ſum.* Intelliguntur præcepta ad decimarum ſolutionem pertinentia.

14. *In luctu meo*] באוני *beoni.* Jubebantur, ut vidimus, has decimas & primitias hilares comedere, pollutæque cenſebantur, ſi à triſti abſumerentur. *Sacrificia eorum*, ait Hoſeas Cap. IX, 4. *erunt eis quaſi panis lugentium, omnes ea comedentes polluentur.* Veriſimillimè conjecit *Joan. Spencerus* de Leg. Moſ. Rit. Lib. I t. c. 24. Sect. 1. ubi hac de re agit, opponi hoc moribus Ægyptiorum, qui lugentes ſolebant primitias frugum Iſidi offerre, ut docet *Diodorus*, loco à nobis allato ad Levit. XXIII, 10. Plura hanc in rem *Spencerus*, quem adeat Lector, ſi ita videatur.

14. *In uſum immundum*] בטמא *in immundum*, εἰς ἀκάθαρτον. At Vulg. *in qualibet immunditie.* Verùm ab immundis comedi primitias aut decimas lex nuſquam vetat, ut obſervavit *Spencerus.* Conjicit *in immundo* ſignificare, aut in immundo loco, qualis eſt domus immunda, vel etiam Idoli templum; aut in uſum immundum, ut eſt convivium in honorem ficti Numinis agitatum. Certè Deus vetat decimas haſce, ab iis qui eas ſolvebant, domi comedi. Vide ſuprà Cap. XII, 18. XIV, 22, 23. Ideóque quicumque ſecus feciſſet polluere decimas cenſebatur, hoc eſt, ſacras non habere, quibus in profano loco veſceretur. Hinc antea dicit: *amovi domo meâ rem conſecratam.* Non minùs verum Idololatras decimas, & primitias Diis ſolviſſe, quod vetitum lege erat. Sed cùm *in uſum immundum* vertentes utrumque complectamur, ſic interpretari maluimus.

Neque ex eo dedi mortuo] למת *lammeth.* Dii Gentium vocantur quidem מתים methim, *mortui*, Pſalm. CVI, 28. Sed cùm hîc in ſingulari habeatur מת, rectè conjicere videtur *Joan. Spencerus*, qui ad *Oſiridem* reſpici cenſet, quem quaſi mortuum lugebant Ægyptii, ut & *Iſidem.* Vide *Diodorum* Lib. I. & omnes qui de rebus Ægyptiacis ſcripſere, aut de Numinibus ſuperſtitioſiſſimæ Gentis loquuti ſunt. Verè *Lucanus* Lib. VIII. verſ. 833. Ægyptum alloquens:

— Tu plangens hominem teſtaris Oſirin.

Idem Lib. IX. verſ. 157. ita Pompeii filium loquentem inducit:

Omnia dent pœnas nudo tibi, Magne, ſepulcra

Evol.

que *ullius* oblitus ſum. [14] Nihil ex illa in luctu meo comedi, nihil abſtuli ex ea in *uſum* immundum, nihil ex ea dedi mortuo; obſequutus ſum voci Jehovæ Dei mei, & per omnia feci quemadmodum mihi præcepiſti. [15] Reſpice *nos* è ſancto tuo habitaculo, è cœlis, benedicito populo tuo Iſraëli, & terræ quam nobis dediſti, prout juraveras majoribus noſtris, terræ lacte & melle fluenti.

[16] Hodie juſſit te Jehova Deus tuus obſervare hæc inſtituta & jura; eáque toto animo & totâ mente obſervabis & facies. [17] Hodie Jehovæ ſignificari curaſti, ſi eſſet tibi Deus, fore ut incederes in ejus viis, obſervaréſque ejus inſtituta, præcepta & jura, ac voci ejus obſequereris. [18] Jehova verò ſignificari tibi hodie curavit te fore populum ſuum peculiarem, quemadmodum tibi pollicitus eſt, ſi omnia ipſius præcepta obſervares; [19] te ſupra omnes gentes, quas fecit, ſublimem poſitum iri, laude, famâ, & gloriâ; te *denique* fore populum Jehovæ Deo tuo ſacrum, quemadmodum promiſit.

XXVII. De

ſumſi; neque quidquam ex iis Oſiridi; homini mortuo, non Deo, conſecravi. Deo Iſraëlis ſoli, excluſis omnibus aliis Numinibus, parui. [15] Itaque, ô Deus, toti populo Hebræo, atque huic fertiliſſimo ſolo, quo nos donaſti immerentes, ob promiſſa Majoribus noſtris facta, benefacere pergito.

[16] Expoſitæ vobis nuncſunt divinæ leges, ideóque iis ita parete, ut nulla alia inſtituta admiſceatis. [17] Promiſiſtis enim Deo, ſi vobis favens ac propitius eſſet, vos omnes ejus leges obſervaturos; [18] Deus verò pollicitus eſt, ſi id faceretis, ſe populum Hebræum, ſingulari favore poſthac proſequuturum, [19] eúmque Gentes omnes alias opibus ac gloriâ longe ſuperaturum, & quaſi ſibi peculiari modo conſecratum habitum iri.

P A-

Evolvam buſto jam numen Gentibus Iſin,
Et tectum lino ſpargam per vulgus Oſirin.

Quæ clarè oſtendunt quàm meritò Oſiris המת ὁ τεθνηκὼς vocetur, quamvis ſacrificuli rem figmentis conarentur occultare.

15. *Reſpice*] Hoc eſt, fave. Vide not. ad Gen. IV, 4. & Num. C. VI, 26.

16. *Toto animo* &c.] Vide not. ad Cap. IV, 29. VI, 5.

17. *Jehovæ ſignificari curaſti*] את יי האמרת *Jehovæ feciſti dicere*, nam particula את frequentiſſimè ἀντὶ τȣ̃ ל occurrit, & Dativo præfigitur. Vide *Chr. Noldium* num. 24. Hoc vult Moſes: per me ſignificaſtis Deo, vos velle ejus præceptis parêre; nam Moſe internuncio, apud Deum, utebantur. Videtur reſpicere Moſes ad renovationem fœderis, qualis legitur infrà Cap. XXIX. in qua Deus & populus Hebræus promiſſa mutua iterarint.

Si eſſet tibi Deus &c] *Ut eſſet tibi Deus, & ut incederes in ejus viis* &c. Latinè rem aliter exprimere non potuimus, niſi האמיר vertiſſemus *elegit*, cum LXX Intt. *Onkeloſo & Vulgato.* Sed maluimus propriam & perpetuam ſignificationem Radicis hîc ſervare.

18. *Significari tibi curavit*] האמירך *fecit tibi dicere hodie, ut ſis ei in populum peculii, quemadmodum tibi dixit & ad ſervandum &c.* Deus autem Iſraëlitis, per Moſem, hoc diei curaverat.

XXVII. *De statuendo altari, eique inscribendis legibus divinis, & de precibus ex montibus Gerizimis & Hebale concipiendis.*

CAPUT XXVII. 1. MOSES cum senibus Israëlis præcepta dedit populo, his verbis: observa omnia præcepta, quæ tibi hodie edidi. 2. Eo autem die quo trajeceris Jordanem, in terram qua te donat Jehova Deus tuus, statues tibi lapides magnos, eósque tectorio oblines, 3. & inscribes eis omnia verba legis hujus; cùm transieris, ut ingrediaris In terram quâ Jehova Deus tuus te donat, in terram lacte & melle fluentem, quemadmodum tibi promisit Jehova majorum tuorum Deus. 4. Itaque postquàm trajeceris Jordanem, statues eos lapides, quos te hodie jubeo, in monte Hebale, eósque tectorio lines. 5. Ædificabis illic altare Jehovæ Deo tuo; altare ex lapidibus, super quibus ferrum non agitaris. 6. Lapidibus integris ædificabis altare Jehovæ Dei tui, eique in illo offeres holocautomata, 7. & mactabis victimas salutares; *tum* convivaberis illic, lætaberisque coram Deo tuo Jehova. 8. Inscribes autem lapidibus omnia verba legis hujus admodum clarè.

9. Mo-

PARAPHRASIS.

1. CUM superiora proloquutus esset Moses, hanc quoque in sententiam, cinctus populi Hebræi primoribus, orationem habuit: Legum à me vobis latarum, Hebræi, ita mementote, ut eas omnes observetis. 2. Quarum ut supersit monumentum publicum, postquàm Jordanem trajeceritis, in solo quo vos Deus donaverit statuite ingentes lapides, non politos, in altaris formam, eósque firmo ac tenaci tectorio oblinite, ita ut quadrata figura politis lateribus fiat; 3. deinde verba Legis, quam postea memorabo, iis lateribus insculpite. 4. In monte Hebale, hoc altare, exstruite; 5. rudibus lapidibus, prout Lege antea sancitum est, constans. 6. 7. In eo deinde holocautomata & victimas salutares Deo offerte, & eo die læta convivia agitate. 8. Ita autem verba quæ dicam tectorio insculpite, ut facilè à quovis possint legi.

9. Moses etiam, stantibus circa eum Sacerdotibus, monuit denuò Hebræos, quoniam iterum promiserant se leges Dei observaturos, & populus ejus

COMMENTARIUS
In CAPUT XXVII.

1. MOses cum senibus Israëlis &c.] *Præcepit Moses, & senes Israëlis populo.*

Hodie] Hæc vocula, quæ tam sæpe repetitur à Mose, non significat diem unum, sed totum illud tempus quo in Moabiticis campis fuit.

2. *Eo die quo trajeceris*] Quando trajeceris, non illo ipso die, quasi differre in sequentem non licuisset. Vide Jos. VIII, 31.

Lapides magnos] Hi postea accuratiùs describuntur.

Tectorio oblines] שדת אותם בשיד *lines eos calce.* Maluimus *tectorium*, quia nec calce solâ potuerunt magni lapides contineri, nec calx ita tempus fert, ut diu ejusmodi altare posset stare, & insculptæ calci litteræ perdurare. Sunt autem varia tectorii genera quæ diuturnissimè durant, & tempore indurescunt. Ejusmodi tectorium opus ex marmore, arena & calce constans describit *Vitruvius* Lib. VII. c. 3. ubi docet id tectorium picturas servare, quod fortè etiam hîc considerandum est. *Tectoria, quæ rectè facta*, inquit, *neque vetustatibus fiunt horrida, neque cùm extergentur remittunt colores, nisi si parum diligenter & in arido fuerint inducti.* Paullò post: *Itaque veteribus parietibus nonnulli crustas excidentes, pro abacis utuntur, ipsáque tectoria abacorum & speculorum divisionis circa se prominentes habent expressiones.*

3. *Inscribes eis*] Hoc est, tectorio, nam rudibus lapidibus eo tectis nihil inscribebatur. Scriptio autem hæc potuit fieri colore, ut modò ex *Vitruvio* docebamus, aut sculptura, aut etiam utroque; si, nempe, insculptis litteris niger color lineretur. Sculpturam maluimus in Paraphrasi intelligere, quia diutiùs durat, præsertim in altari sub dio posito.

Omnia verba legis hujus] Quærunt Intt. quæ lex hîc intelligenda sit. Alii Decalogum intelligunt, alii totam planè Legem Mosaïcam, alii maledictiones dumtaxat quæ postea habentur, & benedictiones iis oppositas. Atque hæc postrema sententia videtur sola audienda. De Decalogo nihil habet hîc Moses, nihil Josua Cap. VIII. ubi hujus præcepti exsequutionem narrat. Totam legem, hoc est, omnia Mosis præcepta altari inscripta nemo dixerit, nisi qui inusitatæ planè magnitudinis altare somniarit; præsertim si grandioribus litteris essent scripta, quod videtur jubere Moses.

Itaque *hanc legem* התורה הזאת intellexerim de maledictionibus, & benedictionibus contrariis, quarum priores disertè exprimuntur, posteriores facilè ex oppositione intelliguntur. Nec aliam legem intelligit Josua Cap. VIII, 32. collato cum v. 34. Sic intellexit *Josephus* Lib. Ant. Jud. IV. c. 8.

5. *Ædificabis illic altare*] Non est novum hoc mandatum, à superiore diversum; sed Moses docet lapides, quos antea dixit statuendos, & tectorio oblinendos debere in formam altaris inter se componi.

Super quibus ferrum non agitaris] Vide not. ad Exod. XX, 25.

8. *Ad-*

9. Moses, cum sacerdotibus Levitis, alloquutus est omnem Israëlem dicens: ad-
tende, ô Israël, & audi: hodie factus es populus Jehovæ Dei tui; 10. audias ita-
que ejus vocem, faciásque ejus præcepta & instituta, quæ ego hodie tibi edo.
11. Præcepit quoque Moses populo, eo die, dicens: 12. Hi stabunt, ut bene pre-
centur populo, in monte Gerizim, cùm trajeceritis Jordanem: Simehon, Levi, Ju-
da, Issachar, Joseph & Benjamin; 13. illi verò stabunt, maledictionis causâ, in
monte Hebale, Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan & Nephthali.
14. Tum conceptis verbis, Levitæ dicent omnibus Israëlitis, altâ voce: 15. ma-
ledictus *sit* quisquis faciet sculptum aut conflatum simulacrum, quæ destationi sunt
Jehovæ, operáque manuum artificis, eáque clam posuerit. Universus autem popu-
lus respondebit, & dicet, Amen.
16. Maledictus quisquis patrem aut matrem spernit; & dicet universus populus,
Amen.
17. Maledictus qui movet limitem proximi sui; & dicet universus populus,
Amen.
18. Maledictus qui facit ut cæcus in via erret; & dicet universus populus, Amen.
19. Ma-

ejus singularis facti erant, ea promissa constanter præstari oportere; quod nisi fieret, quidquid actum erat irritum futurum.

11. Ad faustas & diras adprecationes, quod adtinet, quas Moses ex Montibus Gerizimis & Hebale pronunciari oportere dixerat, & altari inscribi, hæc mandata dedit. 12. In monte Gerizimorum, ex quo faustæ adprecationes, in gratiam Israëlis, fient, stent principes harum Tribuum, Simehoniticæ, Leviticæ, Judaicæ, Issaschariticæ, Josephiticæ, & Benjaminiticæ. 13. In monte verò Hebale, unde diræ imprecationes in legum spretores proferentur, sint principes Rubenitarum, Gaditarum, Aseritarum, Zabulonitarum, Danitarum & Nephthalitarum.

14. Cùm hi loca sua occuparint, Levitæ nonnulli ex monte Hebale, clarà voce, ita, omnibus audientibus, proloquentur: 15. Ei qui imaginem, aut statuam fecerit quam clam colat, malè sit. Contrà verò ex monte Gerizimorum Levitæ alii dicent: ei qui solum inconspicuum Israëlis Deum, sine imagine ulla, coluerit, bene sit. Populus verò universus respondebit: esto. 16. Tum singillatim eodémque modo, bene precabuntur colentibus virtutes oppositas vitiis ac peccatis clam commissis, quæ singillatim diris devovebunt. Devovebuntur autem ii qui parentes spernent; 17. qui limites agrorum convellent; 18. qui iis nocebunt, qui ab

8. *Admodum clarè*] באר היטב *buer heteb*, declarando bene. LXX. Intt. σαφῶς σφόδρα Vulg. *planè & lucidè*; hoc est, iis litteris quæ commodè legi possint, adeóque majusculis; quod evertit eorum sententiam, qui integram Legem huic altari inscriptam volunt.

12. *Ut bene precentur populo*] לברך את העם Mirum est has benedictiones, verbo tenus non esse additas hîc, aut Jos. VIII. Conjecimus, post alios, eas fuisse maledictionibus contrarias, adeò ut quot vicibus peccantibus malè precabantur ex monte Hebale, tot vicibus ex monte Gerizim ab iis peccatis caventibus fausta omnia adprecarentur. At Rabbini faustas adprecationes priores pronunciatas volunt, deinde diras. Sic rem describit *Jonathan*, cui paria habet *Jerosolimitana* Paraphrasis, ad vers. 15. *Sex tribus stabunt in monte Gerizim, & sex super monte Hebal, & arca & Sacerdos & Levitæ in medio. Benedicentes convertent facies suas ex adverso montis Gerizim, & dicent: Benedictus sit vir, qui non facit imaginem & figuram aut ullam similitudinem, id quod abominandum est coram Jehova, opus manuum artificis, neque ponit in abscondito. Maledicentes vero convertent facies suas ex adverso montis Hebal, & dicent: Maledictus sit vir qui facit imaginem* &c. Ita & *Josephus* L. IV. c 8.

14. *Omnibus Israëlitis*] *Omni viro Israël.*

15. *Maledictus*] ארור Inter eos qui diris devoventur, sunt qui ex Lege debebant capite pœnas luere, alii morti non damnantur, ut ii de quibus versf. 17, 18. Attamen omnia sunt gravia peccata, quorum rei hîc recensentur. Jussit Moses, ut videtur, non modò peccata hæc plecti aliis Legibus, sed etiam peccantibus maledici; quòd pœnæ iis demum possint infligi, de quorum peccato Judicibus constat, sed qui clam peccarunt pœnis non sint obnoxii; qui tamen, ne se evasisse propterea putarent, palam hîc diris devoventur. Adparet autem de occultis delictis hîc sermonem esse, ex verbis hujus versûs, *eáque clam posuerit*, & vers. 24. ac sanè ubi pœnæ infligebantur, nihil adtinebat maledicere. Vox *maledictus*, perinde videtur esse ac dignus cui omnia adversa eveniant.

Apud alias Gentes, erant etiam exsecrationes, non prorsus dissimiles. Sic Athenis lex fuit τὸ κήρυκα τοῖς θεοῖς εὔχεσθαι, εἴ τις δῶρα λαμβάνων, μετὰ ταῦτα λέγῃ καὶ γνώσκῃ περὶ τῶν πραγμάτων ἐξώλη ποιεῖν αὐτὸν καὶ γένος, καὶ οἰκίαν: *Præco diris devoveto, si quis, muneribus acceptis, pro concione verba faciat, & ad Remp. accedat, ut hunc Dii cum gente & familia malè perdant.* Leg. Att. Lib. III. Tit. 1. ad quem vide *Sam. Petitum*. Sic in Legibus XII. Tabb. *Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto.*

Amen] LXX. Intt. γένοιτο. Vide not. ad Num. V, 21. Postquàm Levitæ malè precati fuerant iis qui peccata, de quibus hîc sermo est, admiserant quicumque essent; Israëlitæ singuli respondentes *Amen* sibi privatim ipsi imprecabantur, si ea delicta umquam committerent. Quæsiverit fortè quispiam, quare delictorum, quæ hîc memorantur, rei diris nominatim devoveantur, non verò aliorum æquè atrocium, imò nonnullis eorum, quæ hoc in loco habentur, atrociorum. Quamvis difficile sit in re ejusmodi

19. Maledictus qui pervertit jus peregrini, pupilli, aut viduæ; & dicet universus populus, Amen.

20. Maledictus qui concumbit cum uxore patris sui, quia amovet extremitatem vestis] patris sui; & dicet universus populus, Amen.

21. Maledictus qui cum bruto quopiam concumbit; & dicet universus populus, Amen.

22. Maledictus qui concumbit cum sorore sua filia patris sui, aut filia matris suæ; & dicet universus populus, Amen.

23. Maledictus qui concumbit cum socru; & dicet universus populus, Amen.

24. Maledictus qui clam occidit proximum suum; & dicet universus populus; Amen.

25. Maledictus qui munus accipit ad occidendum, *effundendúmque* sanguinem innocentem; & dicet universus populus, Amen.

26. Maledictus qui non habuerit rata verba hujusce legis, ut ea faciat; & dicet universus populus, Amen.

XXVIII. Mo-

ab injuriâ sibi cavere non possunt; 19. qui peregrinum, pupillum aut viduam, contra Leges, damnabunt; 20. qui cum uxore aut vidua patris concumbent; 21. qui brutum inibunt; 22. qui cum sorore concumbent; 23. qui socrum cumpriment; 24. qui clam humicidium committent; 25. qui munere acceptu innocentem murti damnabunt; 26. quicumque denique apud se ratam hanc habere legem uolent, & ejus aucturitatem aspernabuntur.

P A-

di conjicere, crediderim disertè hîc fieri mentionem peccatorum, quæ frequentissima erant apud Chananæos, eorúmque vicinos; ut populus Hebræus palam sacramento se obstringeret se consceleratorum illorum populorum mores nequaquam imitaturum. Hîc enim est species quædam sacramenti, perinde est enim ac si dicerent Levitæ: *Deus ei malè faciat, qui hoc aut illud peccatum admiserit*; responderítque populus, *malefaciat.* Vide Num. V, 21. & Levit. XX, 23.

16. *Patrem aut matrem spernit.*] Quod clam esse poterat, adeóque legum pœnis nequaquam obnoxium; præterquàm quòd à malis hominibus fraus legi fieri poterat. Momentum hujus legis ostendimus ad Exod. XX, 11. & contulimus cum aliarum Gentium scitis suprà Cap. V, 16.

17. *Movet limitem*] Quod clam fit, neque enim vidente domino quisquam hoc facere tentarit, dum jus à Magistratibus dicitur, éstque aliqua Legum reverentia.

18. *Ut cæcus in via erret*] Sensum hujus phraseos ostendimus ad Levit. XIX, 14. Hoc quoque clam fieri potest; adeò ut quæri non possit, apud Magistratum, is cui fit injuria.

19. *Qui pervertit jus*] Quod ita fit, ut Judex accusari nequeat.

20. *Qui concumbit*] Quamvis clam fiat, & omnibus ignotum maneat.

Extremitatem vestis] *Retegit alam.* Vide Cap. XXII, 30.

21. *Qui cum bruto concumbit*] Quamvis pœnas Lege sancitas effugiat, quòd res sit ignota. Nefanda ejusmodi facinora, ut & sequentia, clam fiebant.

Cum sorore sua] Hoc clam fiebat, nec revelabatur ab iis qui unà concubuerant. Vid. not. ad Levit. XVIII, 9. & adde egregium locum ex *Philone de* specialibus Leg. ad VI. Præceptum, cujus hæc sunt prima verba: *ὁ Ἀθηναῖος Σόλων ὁμοπατρίους ἐφεὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν· ὁ δὲ Λακεδαιμονίων νομοθέτης ἔμπαλιν τὸν ἐπὶ ταῖς ὁμογαστρίοις γάμον ἐπιτρέψας, τὸν πρὸς τὰς ὁμοπατρίους ἀπεῖπεν· ὁ δὲ Αἰγύπτιος χλευάζων τὴν ἑκατέρων εὐλάβειαν, ὡς ἡμίεργα διατεταγμένων, ἐξέφερεν εἰς ἀσέλγειαν καὶ τὰ ἑξῆς*: *Athemensis Solon eodem patre genitas permittens duci, uterinas vetuit; Lacedæmoniorum verò Legislator contrà uterinarum nuptias permittens, eodem patre genitis interdixit. At Ægyptius ridens utriusque simplicitatem, quippe qui semiperfecta constituerunt, laxavit lubidinem* &c. Lege & sequentia.

24. *Clam occidit*] בסתר *in arcano*, nam si fieret palam, capite pœnas luebat.

25. *Qui munus accipit*] Judex qui, muneribus corruptus, innocentem morti damnat; nam de sicario superiora verba agere videntur.

Ad occidendum] *Ad percutiendum animam sanguine innocentis.*

26. *Non habuerit rata*] לא יקים. Hæc perpetua est significatio hujus conjugationis verbi קום, quando sermo est de fœdere contracto servando, & promissis. Vide Num. XXX, v. 15. 1. Sam. XV, 11. & passim. Hoc ergo sonat hæc imprecatio, Hebræum qui auditâ Lege, à Mose datâ, apud animum suum diceret, se tamen eam Legem ratam non habere, nec observare velle, dignum esse cui omnia imprecentur mala. Vide infrà Cap. XXIX, 19. Ejusmodi homo ratam non haberet Legem, ad se quod spectat, & improbaret fœdus cum Deo contractum. LXX. Intt. verterunt non satis commodè, *ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις*, & Vulg. *qui non permanet in sermonibus*, quasi legeretur, non יקים את דברי, sed יקים כדברי. Attamen Samariticus Codex habet quoque יקים את כל דברי, nec differt à nostro ulla in re, nisi quòd addit כל *omnia*, ut LXX. Intt. Ex horum versione adseruntur verba Mosis à Paulo Gal. III, v. 10. propter receptam Hellenistarum consuetudinem. Possent de Pauli citatione quædam observari, quæ non sunt hujus loci, ubi non Paulum, sed Mosem interpretamur. Vide additam. nostra ad *Henr. Hammondi* Adnotationes in N. T. ad Pauli locum.

C O M-

XXVIII. Moses Legum suarum observantibus Hebræis omnia fausta pollicetur, negligentibus contraria minatur.

Caput XXVIII

1. SI obsequutus fueris voci Jehovæ Dei tui, adeò ut sis memor omnium præ-
ceptorum ejus, quæ tibi hodie edo, ut *ea* facias; Jehova Deus tuus te su-
blimem, supra omnes terrarum gentes, collocabit. 2. Tibi evenient omnes
hæ benedictiones, téque adsequentur, si vocem audias Dei tui Jehovæ. 3. Felix
eris in urbe, felix ruri; 4. felix *in* fructu uteri tui, *in* fructu terræ tuæ, *in* fructu
pecudum tuarum, *in* fœtu boum tuorum, & gregibus ovium & caprarum; 5. fe-
lix *in* canistro tuo, & mactra tua; 6. felix *denique* eris in ingressu tuo, & felix in
exitu. 7. Dabit Jehova hostes tuos, qui insurrexerint in te, cæsos in conspectu
tuo; unâ viâ contra te egressi, septem viis te fugient. 8. Jubebit Jehova tecum
esse benedictionem in horreis tuis, & in omnibus facultatibus tuis; benedicétque
tibi

PARAPHRASIS.

1. SI Leges à Deo acceptas observaveritis, is supra omnes alios populos rerum gestarum gloriâ, imperio, divitiisque vos extollet, 2. & omnia vobis ex voto evenire curabit. 3. Quidquid agitabitis in urbe, quidquid facietis ruri secundabit. 4. 5. Numerosam prolem, multos servos, uberes agros, amplos omnis generis pecudum greges habebitis. 6. Quæcumque inceptabitis vobis, familiisque vestris felicia & fausta erunt. 7. 8. Si qui armis vobiscum experiri audeant, Deo adjuvan-

COMMENTARIUS

In Caput XXVIII.

1. O*Bsequutus fueris*] *Audiendo audiveris.*
Sis memor &c.] *Ad servandum ad faciendum.*

Sublimem] Imperio & gloriâ. Vide C. XXVI, vers. 19.

2. *Si*] Quod posset etiam verti, *postquàm adjuveris.*

3. *Felix eris*] ברוך *benedictus*, hoc est, cui res ex voto cadunt, uno verbo, *Felix.*

4. *Felix in fructu*] ברוך פרי subaudiendum ב, quasi esset בפרי *biphri*, ut sequentia satis ostendunt.

Uteri tui] Uxorum & ancillarum sobole. Vide ad Cap. VII, 13.

5. *In canistro*] Hoc est, canistra habebis fructibus plena. Vide suprà Cap. XXVI, 2. Heb. est טנאך *taneacha*, quod LXX. Intt. vertunt ἀποθήκας, Vulg. *horrea*, minùs commodè.

Mactra tua] משארתך *mischarthecha.* Vide Exod. VII, 28. XII, 34. LXX. Intt. τὰ ἐγκαταλείμματά σου, *reliquias tuas*, Vulg. à significatione radicis שאר *superesse.* Significatur panis copia.

6. *In ingressu & in exitu*] Hoc est, omnibus tuis cœptis. Vide notata ad Num. XXVII, 17.

7. *Unâ viâ contra te egressi*] Est proverbialis loquutio, quâ maxima fuga describitur, quæ non potest esse major, quàm cùm hostes palati sine ordine & duce fugiunt. *Septem viæ* dicuntur pro multis. Vide not. ad Gen. IV, 7. & Levit. XXVI, vers. 18, 21.

8. *In omnibus facultatibus tuis*] *In omni missione manûs tuæ.* Vide not. in Cap. XII, 7.

9. *Confirmabit te*] יקימך יי לו *confirmabit te Jehova sibi, in populum sacrum.*

10. *Videbunt*] Hoc est, audient, seu animadvertent.

Vocari te de nomine Jehovæ] Quòd *nomen Jehovæ vocetur super te* נקרא עליך. Hoc est, vocari te populum Jehovæ. Vide de hâc phrasi not. ad Gen. XLVIII, 16.

11. *Fructu uteri* &c.] Repetitio est eorum quæ habentur vers. 4.

12. *Thesaurum suum bonum*] אוצרו הטוב Videtur אוצר apothecam significare, in qua tam mala, quàm bona possunt recondi. Ideóque addit Moses *bonum.* Sic Græci θησαυρὸν κακῶν, & Latini *thesaurum mali* dixerunt, æquè ac *thesaurum boni.*

Ut det pluviam] Tunc enim *cœlum aperiri* dicitur. Vide not. ad Genes. VII, 11.

13. *Caput non cauda*] Hoc est, aliis imperabis & præibis, non alios qui tibi imperabunt sequeris. Vide & vers. 14.

14. *A nulla re* &c.] *Non deflectes omnibus rebus.*

15. *Ut memineris facere*] לשמר לעשות *ad servandum ad faciendum.* Vide & vers. 13. Sæpe observavimus שמר conjunctum cum עשה esse *meminisse.*

16. *Infelix*] ארור quod verti solet *maledictus*, sed commodiùs hîc verteris *infelix*, ut suprà contrarium ברוך *felix.*

20. *In omnes facultates quas comparaveris*] *In omnem missionem manûs tuæ quam feceris. Facere* interdum est *adquirere.* Vide not. ad Gen. XII, 5.

22. *Ardore, inflammatione*] Sunt hîc quinque voces deductæ à radicibus, quæ *calere*, *ardere*, *siccari & æstuare* significant; videntúrque ardentes febres, aliósve ejuscemodi morbos sonare. At singularum propriam significationem tradere ejus esset, qui vixisset eo tempore quo Lingua Hebraïca vigebat. Ante eas est שחפת quod LXX. Intt. ἀπορίαν, Vulg. qui hîc eos per omnia ferè sequutus est, *egestatem.* Vide ad Levit. XXVI, 16. Deinde קדחת vertunt πυρετὸν *febrem*, דלקת ῥῖγος *frigus*, חרחר ipse-

tibi in terrâ, quâ te donaverit. 9. Confirmabit te Jehova, ut sibi sis populus sa-
cer, quemadmodum juravit tibi; si observes præcepta Jehovæ Dei tui, atque in
ejus viis incedas. 10. Videbunt autem omnes terrarum populi vocari te de nomi-
ne Jehovæ, & te metuent. 11. Faciet Jehova ut abundes bonis, fructu uteri tui,
fructu pecudum tuarum, & fructu agri tui, in terra, quam se tibi daturum majo-
ribus tuis jurarat. 12. Aperiet Jehova tibi thesaurum suum bonum, cœlos, *nimi-
rum*, ut det pluviam terræ tuæ hujus tempore, útque benedicat operi omni ma-
nuum tuarum. Fœnori dabis gentibus multis, tu verò non accipies. 13. Faciet
Jehova ut sis caput, non cauda, sisque dumtaxat supra, numquam infra *alios*, si
parueris præceptis Jehovæ Dei tui, quæ tibi hodie edo, ut eorum memor & ob-
servans sis. 14. A nulla re earum, quas tibi hodie præcipio, deflectes ad dextram
aut ad sinistram, ut sequaris Deos alienos, eósque colas.
15. Quòd si non obsequaris voci Jehovæ Dei tui, ita ut memineris facere om-
nia ejus præcepta, & instituta, quæ hodie tibi edo; obvenient tibi omnes male-
dictiones, & te adsequentur. 16. Infelix eris in urbe, infelix ruri; 17. infelix *in*
tuo canistro, atque *in* tua mactra; 18. infelix *in* fructu uteri tui, *in* fructu terræ
tuæ, *in* fœtu boum tuorum, & gregum caprarum & ovium; 19. infelix *denique* eris
in ingressu tuo, & infelix in exitu. 20. Mittet Jehova in te maledictionem, tre-
pidationem, & exitium in omnes facultates quas comparaveris, donec delearis &
pereas quàm primùm, propter nequitiam actionum tuarum, quibus me reliqueris.
21. Fa-

vante, cæsos, fugatósque procul à finibus vestris
agetis. 9. Deus ratum habebit fœdus, quo sacer
ei populus facti estis; 10. vósque ceteræ Gentes po-
tentissimo Numini singulari ratione consecratos re-
verebuntur. 11. (*Eadem ac v. 4 & 5*) 12. Pluvias
tempestivas, quæ agros vestros fœcundent, au-
geántque eorum proventum demittet Deus. Ita
nummis abundabitis, ut eos fœnori aliis daturi, à
nemine acceptum sitis. 13. Hoc vobis concedet
Deus, ut aliis imperetis, ipsi nullius imperata fa-
cere cogamini, si modò Legum ejus observantes
sitis. 14. Itaque ad eorum normam vitam vestram
instituite, & alienorum Deorum cultum diligentis-
simè vitate.
15. At si divinas Leges observare detrectaveritis,
contraria omnia à Deo exspectate, nec pœnas vos
fugituros scitote. 16 *ad* 19. Omnia quibus vos dixi
abundaturos, si Deo pareretis, vobis deerunt, ne-
que quidquam ex voto cadet. 20. Omnes faculta-
tes, Deo à vobis averso, amittetis, donec ad ex-
tremam paupertatem redacti sitis; quia ejus institu-
tis aliena prætuleritis. 21. 22. Graves ac pestilentes
mor-

ἐρεθισμὸν ardorem, חרב φόνον (ex Cod. Alexandrino) *æstum*, שדפון *ἀνεμοφθορίαν aërem corruptum.*

Morbo regio] ירקון LXX. habent ὤχρον Vulg. *rubiginem*. Sed à significatione radicis, quæ *luteum esse* sonat, non malè intelligitur morbus regius. Nec *rubigo*, frugum morbus, alia de causa, dicitur ירקון 1. Reg. VIII, 31. quàm quia quæ virere oportebat, ea lutea citiùs æquo fiunt.

Persequentur] רדפוך Morbi ac calamitates in hoc Capite *persequi* & *adsequi* dicuntur, Prosopopœa simili Horatianæ, quâ curas *sequentes*, & *post equitem sedentes* describit.

23. *Eris cœlum tuum*] Vide ad Levit. XXVI, vers. 19.

24. *Loco pluviæ arenam*] *Pluviam terræ pulverem*. In calidis illis regionibus, æstivo tempore, nisi subinde pluat, vento adtollitur ingens copia tenuissimi pulveris, qui omnia pervadit, & molestissimus est. Vide *Thevenotium* Itiner. Orient. Part. I. Lib. 2. C. LXXX.

Agitaberis] *Eris agitationi omnibus regnis.* Hoc est, undique expelleris, neque usquam certas sedes habere poteris.

26. *Eris cadaver*] Hoc est, qui inter vos occidentur non mandabuntur sepulturæ; quâ re solent homines terreri, quamvis ad eos nihil pertineat.

27. *Inflammatione Ægypti*] Vide not. in Exod. IX, 9. *Thevenotius* in eodem Capite, ubi de morbis Ægypti agit, hæc inter alia habet, ut Latinè versa sonant: *Est & alius morbus, aut potiùs incommodum aliud, est enim incommodius quàm periculosum. Quando aqua Nili crescere incipit, exanthemata per totum corpus oriuntur, quæ admodum cruciant. Cùm conaris potu te recreare, & refrigerare, tum verò bibendo & postquàm bibisti, pungi te sentis, quasi acubus confodereris.* Hic, aut alius ejusmodi morbus significari videtur.

Mariscis, scabie &c.] Ægyptiaci morbi esse videntur. Vide ad Cap. VII, 15.

29. *Palpaberis*] Videtur esse proverbialis loquutio, quâ significatur tanta animi perturbatio, ut qui ea adfectus est, etiam in rebus manifestis nesciat quid à se fieri debeat, & dubius hæreat, quasi difficile esset scire quid optimum factu sit. Vide Job. V, 14. XII, 25.

Palpari solet] *Palpabitur.*

In caligine] Quæ ei, ob cæcitatem, perpetua obversatur.

Nihil prosperè ages] *Non facies prosperare vias tuas*, לא תצליח דרכיך.

33. *Uxorem desponsabis &c.*] Vix quidquam contingere potest, quod majorem dolorem creet, his quæ hic memorantur. Viro cordato, cui eripitur sponsa, ut ejus adfectum Virgilianis verbis exprimam:

——— *æstuat ingens*
Imo in corde pudor, mistóque insania luctu,
Et furiis agitatus amor & conscia virtus.

Ejus fructus colligere non incipies] *Non profanabis.* Vide ad Cap. XX, 6.

33. *Da-*

21. Faciet Jehova ut adhæreat tibi peſtis, donec abſumſerit te è terra, quam poſſi-
dendam ingreſſurus es. 22. Percutiet te Deus phthiſi, ardore, inflammatione, æſtu,
ſiccitate, uredine, morbo regio; atque *hæc*, donec perieris, te perſequentur. 23. Erit
cœlum tuum, qui eſt ſupra caput tuum, æs; terra verò, quæ eſt ſub te, ferrum.
24. Dabit Jehova terræ tuæ loco pluviæ arenam, & pulvis è cœlo in te deſcendet, do-
nec deletus fueris. 25. Dabit te Jehova cæſum in conſpectu hoſtium tuorum; viâ unâ
contra eos egredieris, & per ſeptem vias eos fugies. Agitaberis per omnia terrarum
regna. 26. Erit cadaver tuum eſcæ omni avi cœli & beſtiæ terræ, nec quiſquam *erit*
qui eas terreat. 27. Percutiet te Jehova inflammatione Ægyptiacâ, mariſcis, ſcabie
& prurigine, quæ curari non poterunt. 28. Percutiet te Jehova amentiâ, cæcitate,
atque trepidatione animi. 29. Palpaberis in meridie, quemadmodum palpari ſolet
cæcus in caligine, nihil proſperè ages, prætereáque opprimeris & diripieris quotidie,
neque ullus *tibi exſiſtet* liberator. 30. Uxorem deſpondebis, vir verò alius cum ea con-
cumbet; domum ædificabis, at eam non habitabis; plantabis vineam, at ejus fructus
colligere non incipies. 31. Bos tuus mactabitur in oculis tuis, neque ex eo *quidquam*
comedes; aſinus, è conſpectu tuo raptus, nequaquam tibi reſtituetur; capræ & oves
tuæ dabuntur hoſtibus tuis, neque quiſquam tibi *exſiſtet* liberator. 32. Filii tui & filiæ
dabuntur alii populo, oculique tui hoc videbunt, & deficient, dum ad eos *reſpicis* per
totum diem, neque ullus in manus tuas *redibit*. 33. Fructum terræ tuæ & omnis la-
boris tui comedet populus, quem non noſti; eriſque ſummopere oppreſſus, & quoti-
die

morbos vobis immittet. 23. Nullæ cadent in agros
veſtros pluviæ, non ſecus ac ſi cœlum aheneum
eſſet; non plures emittet fructus terra, quàm ſi
ferro conſtaret. 24. Pro humore, quo fœcundatur
ſolum, moleſtiſſimo pulvere omnia erunt obſita.
25. Hoſtes veſtri vos ubique agent, cædéntque, &
per finitima regna palantes fugabunt. 26. Inſepulta
manebunt veſtrorum cadavera, feriſque lanianda
exponentur. 27. Ægyptiacis omnibus morbis, &
qui curari nullâ arte poterunt, laborabitis. 28. Ter-
rore atque amentiâ perturbati 29. quid è re veſtra
ſit non intelligetis, atque in rebus manifeſtis pec-
cabitis. Quotidie ab hoſtibus vexabimini, neque
ullus erit qui vos tot malis eripiat. 30. 31. Quæ-
cumque ſperaveritis, ea vobis ab aliis auferri vi-
debitis, & omnium laborum veſtrorum fructibus
alii fruentur. 32. Liberi veſtri captivi ab alio po-
pulo abducentur, & fruſtra eorum reditum ex-
ſpectabitis. 33. Populi remoti à finibus veſtris, &
cum quibus nulla vobis erant commercia, in eos
ir-

32. *Dabuntur alii populo*] Aut ſe dedent, aut prædæ inſtar dividentur.

Videbunt &c.] *Videntes & deficientes ad eos per totum diem.*

Deficient] Hoc eſt, defatigabuntur dum exſpectas an ſint redituri, & quà putas eos poſſe redire proſpicis. Eadem loquutio occurrit Pſ. LXIX, 4. CXIX, 82. & alibi.

33. *Summopere*] רק *rak.* Vide Joſ. VI, 18.

34. *Propter viſum*] מִמַּרְאֵה *à viſione.* Hoc eſt, tam atrocia facinora, támque nefanda in tuos admitti videbis, quibus ſceleribus obviam ire non poteris, ut in furorem pænè incidas. Dubium non eſt, quin in Captivitatibus Aſſyriaca & Babylonica multi Hebræi viderint, quæ Hecubam vidiſſe finxerunt Poëtæ Græci, & propter quæ eam in rabiem incidiſſe dixerunt.

35. *Inflammatione malignâ in genibus* &c.] Morbi ſunt Ægyptiaci. *Thevenotus* in Itin. Orient. Part. I. Lib. 2. c. LXXX. *Morbi crurum Cairi ſunt graviſſimi, & multorum crura portentoſæ craſſitiei cernuntur.*

36. *Te, regémque tuum*] In captivitatibus Aſſyriaca & Babylonica, hæc impleta ſunt. Vide 2. Reg. XVII. & XXIX, 12. *& ſeqq.* 2. Paral. XXVI, 6. *& ſeqq.*

Quam non noras, uti nec majores] Cum qua tibi exiguum commercium intercedebat, propter longinquitatem; alioquin Aſſyrii & Babylonii non erant Hebræis prorſus ignoti, antequàm ab iis captivi abducerentur, ut ex ipſo Moſe conſtat, & Hiſtoria Regum. Vide ad verſ. 64.

Coles Deos alienos] Vide not. ad Cap. IV, 28.

37. *Exemplo*] למשל *lmaſchal*, hoc eſt, ſimilitudini. Vult Moſes uſque adeò miſeros futuros Hebræos, ut cùm aliæ Gentes calamitates maximas deſcribere volent, ſint dicturæ calamitates iis, quas patiuntur Hebræi, ſimiles. Vide 1. Reg. IX, 7. Jer. XXIV, 9.

Dicterio] לשנינה, quod propriè *aculeatum dictum* ſonat. Ex Hebræorum infeliciſſima ſorte dicteria in alios deſumturæ erant Gentes finitimæ, ut fieri ſolet.

38. *Abſumſerit locuſta*] Vide not. ad Exod. X, 13.

39. *Vermis id comederit*] *Convolvulus*, de quo *Cato* de R. R. Cap. XCV. & *Plinius* Lib. XVII. c. 28. Convolvulus propriè non comedit *vinum*, ſed *racemos*; at quia expreſſo racemorum ſucco fit vinum, qui racemos abſumſit dicitur vinum abſumſiſſe.

42. *Locuſta*] צלצל *tſelatſal.* LXX. Intt. *ἐρυσίβη*, Vulg. *rubigo*, ſed Onkelos פקאה *locuſta*, ut & alii plerique, quorum ſententiam ſequitur *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 2. Lib. IV. C. I. quem adi.

43. *Te evadet multò ſuperior*] *Adſcendet ſupra te, ſuperiùs, ſuperiùs*; hoc eſt, ditior multò erit quàm indigenæ.

Multò inferior illo fies] *Inferiùs, inferiùs deſcendes.*

44. *Mutuum tibi dabit*] Licebat Hebræis fœnori dare peregrinis, ſed non ex eodem ſanguine oriundis. Hîc verò inverſo ordine ipſi Hebræi fœnus ſoluturi dicuntur peregrinis, quòd hi ditiores futuri eſſent.

die vexatus. 34. Vesanus eris, propter visum oculorum tuorum, quod conspexe-
ris. 35. Percutiet te Jehova inflammatione malignâ, in genibus & in cruribus, quæ
curari non poterit, *serpétque* à planta pedis tui, usque ad tuum verticem. 36. Du-
cet Jehova te, regémque tuum, quem tibi imposueris, ad gentem quam non no-
tas, uti nec majores tui; atque illic coles Deos alienos, lignum & lapidem. 37.
Eris stupori, exemplo, & dicterio, inter omnes populos, ad quos abducet te Je-
hova. 38. Sementem multam proferes ad agrum *serendum*, atque exiguam colli-
ges, quia eam absumserit locusta. 39. Vineas plantabis & coles; sed vinum non
bibes, neque colliges, nam vermis id comederit. 40. Tibi, in omnibus tuis fini-
bus, erunt oleæ; sed oleo non ungeris, quia excussæ fuerint oleæ. 41. Filios &
filias generabis, neque tibi erunt, quia in captivitatem abierint. 42. Omnem ar-
borem tuam, & omnem fructum terræ tuæ depascet locusta. 43. Peregrinus, qui
est in medio tui, te evadet multò superior, tu verò multò inferior *illo* fies. 44.
Ille mutuum tibi dabit, tu verò non dabis mutuum; ille caput evadet, tu verò
cauda. 45. Tibi obvenient omnes hæ maledictiones, te persequentur & adsequen-
tur, donec deletus fueris; quia non parueris voci Jehovæ Dei tui, ut observares
ejus præcepta, & instituta, quæ tibi dedit. 46. Erunt *hæc mala* in signum & in
portentum, in te & sobole tua, in perpetuum. 47. Eo quòd non colueris Jeho-
vam Deum tuum hilarè atque animo lubente, quia omnibus rebus abundabas; 48.
servies hostibus tuis, quos in te immittet Jehova, in fame, siti, nuditate, & om-
nium

irrumpent, & agrorum vestrorum fructibus ves-
centur. 34. Ea videbitis ab iis in vos & vestros
committi, quæ vos ad furorem adigent. 35. In-
flammatione molestissimâ, per totum corpus, in-
festabimini. 36. Vos, Regésque vestros abducent
Gentes, quarum potentiam neque vos, neque
Majores vestri antea formidaveratis. Captivi apud
eas agentes, earum Deos & simulacra metu, aut
exemplo subacti, loco Creatoris omnium rerum,
turpissimè coletis. 37. Non sine stupore de cala-
mitatibus vestris loquentur finitimi. Exemplum
miserrimæ omnium sortis eritis, atque ex vestris
malis desumta aculeatissima convicia in vos,
aliósque jacientur. 38. Ex horreis multam semen-
tem prolatam terræ mandabitis, verùm antequàm
segetes maturuerint, à locustis absumentur. 39. Vi-
neæ diligentissimè cultæ vinum nullum proferent,
quia racemi à convolvulis comesti fuerint. 40.
Quamquam oliveta plurima in vestris agris habe-
bitis, nullum colligetis oleum; quia vento aliis-
que casibus excussæ fuerint oleæ, antequàm ma-
turescerent. 41. Liberos vestros, quorum auxilio
in senectute vos usuros speraveritis, captivos ab-
duci, senectutémque vestram orbam destituere vi-
debitis. 42. Omnium arborum vestrarum fructus
depascent locustæ. 43. Peregrinos inter vos ver-
santes, antea tenues, videbitis divites fieri, dum
vos ad paupertatem redigemini; 44. & qui iis pe-
cuniam fœnori dare solebatis, ab iis accipere co-
gemini. Auctoritate, ut divitiis, superiores vobis
erunt. 45. Hæc omnia mala non evenient vobis
casu, sed ea dumtaxat de causa, quòd Legibus
di-

Caput evadet] Vide ad vers. 13.

46. *In signum & in portentum*] לאות ולמופת de quibus vocibus vide not. ad Cap. XIII, 2. Vult Moses calamitates populi Hebræi tot & tantas fore, ut singulari Dei providentiâ, non aliter ac, si prodigia essent, evenisse eas facilè omnes essent intellecturi. Vide C. XXIX, 24, 25.

47. *Hilarè atque animo lubente*] *In lætitia, & in bonitate cordis.*

Quia omnibus rebus abundabas] מרב כל *propter copiam omnium.* Vide not. ad Cap. VI, 11.

49. *Adducet*] ישא *adferet.*

Ab extrema terra] *Ab extremitate terræ*; hoc est, non è finitimis regionibus, sed ex remotioribus. Alii Chaldæos, alii Romanos spectari censent; verùm hîc non est tam vaticinium, quàm comminatio, ex conditione pendens, ut ex tota serie orationis adparet. Itaque & hi & illi intelliguntur, & quicumque è remotioribus populis à Deo in Judæos rebelles immitti potuissent. Neque debet phrasis *extremitas terræ* urgeri, quasi viciniores fuerint Chaldæi, quàm ut illinc venturi fuisse dici possent; nam & potest esse aliqua hac in re Hyperbole, & hujusmodi phrases *relativæ*, ut loquuntur Dialectici, ampliorem aut arctiorem passim potestatem subjectam habent, & hæc ipsa loquutio alibi significat gentem non multùm remotam. Sic Esai. XIII, 5. populi venturi dicuntur ad perdendos Babylonios *ex extremitate terræ*, quos postea Medos fore significat Propheta vers. 17. & eventus docuit. Ipsi Babylonii, Judæos perdituri, dicuntur à Jer. C. V, 15. venturi *è longinquo.* Vide & Cap. VI, 22.

Quemadmodum advolat aquila] Aut *advolare solet*, ידאה *advolabit.* Hoc addit Moses, ut intelligant Hebræi, nisi pareant Legibus divinis, sibi timendum esse vel ab iis gentibus, quas ob longinquitatem, aut difficultatem itinerum, nullo modo sibi formidandas putarent. Has enim minatur, instar Aquilarum, nec longinquitate, nec difficultatibus impeditum iri. Vide ad Exod. XIX, 4.

Gentem cujus linguam non intelliges] Sic Jer. V, 15. de Babyloniis; *ecce, ait Jehova, adducam contra vos gentem è longinquo, ô domus Israëlis, gens est potens, gens antiqua, gens cujus ignorabis linguam, & quæ quid dicat non intelliges.*

50. *Perfrictæ frontis*] עז פנים *duram facie.* LXX. Intt. ἔθνος ἀναιδὲς προσώπῳ, Vulg. *gentem procacissimam.* Videtur significari ferocia, quæ nullo pudore coërceatur. Dan. VIII, 23.

עז

nium terum egestate. Imponet collo tuo jugum ferreum, donec te deleverit. 49. Gentem adducet Jehova contra te è longinquo, ab extrema terra, *venietque* quemadmodum advolat aquila; gentem cujus linguam non intelliges; 50. gentem perfrictæ frontis, quæ nec rationem ullam habebit senis, nec pueri miserebitur. 51. Absumet fructum pecudum tuarum, & fructum terræ tuæ, donec te exhauserit; non relinquet tibi *ullum* frumentum, *aut* mustum, *aut* oleum, *aut* fœtum boum, gregúmque ovium & caprarum, donec te perdiderit. 52. Obsidebit te, in omnibus urbibus tuis, donec ceciderint muri tui prælti & muniti, quibus fidebas, per totam ruam terram. Obsidebit te in omnibus oppidis tuis, per totam terram, quâ te Jehova Deus tuus donaverit. 53. Comedes fructum uteri tui, carnem filiorum & filiarum tuarum, quos tibi dederit Jehova Deus tuus, in obsidione atque in angustia, in quam te adiget hostis tuus. 54. Vir *antea* apud te mollis, & deliciis summopere deditus, parcus erit erga fratrem suum, erga uxorem sinûs sui, erga reliquias filiorum, quos sibi reliquos fecerit; 55. ne det uni eorum aliquantum ex carne filiorum quos comedet, quia nihil sibi reliquerit in obsidione, atque in angustia, in quam te adduxerit hostis tuus, in omnibus tuis urbibus. 56. Mulier tenera & delicata, apud te, quæ præ deliciis & mollitie, non tentabat plantam pedis in terram ponere, parca erit erga virum sinûs sui, erga filium & filiam; 57. *nec iis dabit* secundinam quæ è mediis suis pedibus egressa erit, aut filios quos pepererit, quia in omnium rerum penuria eos clam comedet; in obsidione, & in angustia, ad quam adegerit te hostis tuus, in omnibus urbibus tuis.

58. Nisi

divinis parere nolueritis; 46. atque hoc ita manifestum erit, ut omnes propter hoc solum miseros vos esse facilè intellecturi sint. 47. Quandoquidem, cùm omnium rerum copia abundaretis, non libenter Deo parueritis; 48. omnium rerum egeni hostibus vestris servietis, & qui jugum divinarum Legum excusseritis, iidem gravissimæ servitutis jugo ab hominibus prememini. 49. Non modò vicinos populos, vobis notos, in vos immittet Deus; sed & in longinquioribus oris habitantes, qui longitudinem & difficultates viæ facilè superabunt, quorum linguam non intelligetis, 50. qui, humanitate spretâ, nullam provectæ aut teneræ ætatis rationem habebunt. 51. Proventus omnes terræ, & greges omnes vestros depopulabuntur; nec reliquum quidquam vobis facient. 52. Non modò villas, & oppida nequaquam munita invadent, sed munitissimas quasque urbes expugnabunt, per totam populi Hebræi ditionem. 53. Tanta erit in urbibus obsessis penuria, & tantus metus hostis, ut ne parentes quidem liberorum carni sint parcituri. 54. Viri antea fastidiosi & divites, qui plebeios cibos sprevissent, & frequentia convivia agitare solebant, clam fratribus, uxoribus & aliis liberis, 55. nefando illo cibo, omnibus aliis deficientibus, avidè vescentur. 56. Mulieres divites & antea deliciis diffluentes idem factitabunt, 57. fœtusque ipsæ suos (horrendum dictu!) clam editos, unà cum secundinis, solæ devorabunt.

58. Nisi

עז פנים vocatur Rex crudelis, qui censetur esse Antiochus Epiphanes.

Rationem nullam habebit] *Non adtollet*, aut *accipiet facies.* Vide not. ad Gen. XIX, 21.

51. *Absumet fructus* &c.] Idem de Chaldæis habet Jer. Cap. VII, 17.

Mustum] תירוש quod vinum quodvis hîc & alibi sæpe significat.

53. *Obsidebit te in omnibus urbibus*] *In omnibus portis tuis.*

Donec ceciderint] עד רדת *donec descenderint.* Vide & Jer. V, 17.

53. *Comedes fructum uteri tui* &c.] Vide ad Num. XXVI, 29.

In angustia in quam te adiget] *In angustia in qua te anget.*

54. *Parcus erit*] *Malus erit oculo suo.* Vide ad Cap. XV, 9. LXX. Intt. habent *βασκανεῖ invidebit*, hoc est, non dabit; sic & Vulg.

Uxorem sinûs sui] Vide not. ad Cap. XIII, 6.

56. *Non tentabat plantam pedis*] Carpento, nimirum, semper vehebatur. Hoc charactere describitur opulenta ac delicata matrona, quæ proinde non solebat ullis cibis, nisi lautis, vesci.

Parca erit] *Mala erit oculo suo.*

57. *Nec iis dabit secundinam*] Postquàm dixit Moses, parca erit באיש חיקה ובבנה ובבתה *in virum sinûs sui, in filium suum, in filiam suum*, pergit eadem constructione, ובשליתה *& in secundinam suam.* Attamen sensus ostendit non posse dici *parcum erga secundinam & filium, quem comedit.* Itaque eodem modo vertimus, ac si legeretur ולא תתן להם משליתה *neque dabis eis è secundina* &c. Vide vers. 55. Legantur aliæ versiones, conferantúrque cum verbis Mosis, & liquebit eas vim inferre aut sensui, aut verbis. Possemus hic eas proferre, variis Linguis, sed vitanda invidia. Interea hîc observabimus, hoc & similibus locis, in quibus verbis cum sensu non satis convenire videtur, factum esse ut Veteres Intt. sæpe grammaticas regulas, in vertendo, neglexerint; quod tamen, nonnisi in re manifesta, fieri par est.

58. *In hoc libro*] In Exodo, Levitico, Numeris, & hoc ipso Deuteronomio, quod ex ore Mosis excepisse videntur scribæ. Sic Moses simul ore & scriptis Hebræos alloquebatur.

59. *Imponet tibi, sobolique tuæ mirabiles plagas*] הפלא את מכותך *miras faciet plagas tuas, & plagas seminis tui* &c. Vide ad vers. 46.

Perpetuus] נאמנים *fidas*, seu *constantes*, hoc est, quæ non minuentur, aut levabuntur, sed semper tibi incumbent, donec te confecerint.

60. *Omnes morbos Ægypti*] Vide not. ad v. 27.

58. Nisi memineris exsequi omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc libro; ut timeas nomen illud gloriosum & formidandum, Jehovam Deum tuum; 59. imponet Jehova tibi, sobolique tuæ mirabiles plagas, magnas & perpetuas, morbósque malos & perpetuos. 60. In te adducet morbos Ægypti, quos timuisti, tibique adhærebunt. 61. Omnem etiam *alium* morbum, atque omnem *aliam* plagam, quæ scripta non fuerit in libro hujus legis, Jehova tibi imponet, donec deletus fueris. 62. Superstites eritis perpauci, cùm multitudine stellas cœli æquaveritis; quia non auscultaveritis voci Jehovæ Dei vestri. 63. Quemadmodum antea lætatus fuerit propter vos Jehova, cùm vos beneficiis suis adficeret atque augeret: ita *idem* Jehova gaudebit propter vos, dum vos perdet & delebit. Exterminabimini ex terra, ad quam possidendam nunc itis. 64. Sparget te Jehova per omnes populos, ab una extremitate terræ ad *alteram* ejus extremitatem; colésque illic Deos alienos, quos nec tu, nec majores tui noveratis, lignum & lapidem. 65. Inter gentes illas quietus non manebis, neque locus *tibi* erit, in quo requiescat planta pedis tui. Dabit tibi Jehova illic mentem trepidam, rabem oculorum, mœrorem animi. 66. Erit vita tua tibi è regione suspensa, pavebis noctu, neque interdiu fides vitæ tuæ. 67. Mane dices, utinam *advenisset* vespera! & vesperi dices, utinam *advenisset* tempus matutinum! propter pavorem animi tui quo terreberis, & visum oculorum tuorum quod conspexeris. 68. Reducet vos Jehova navibus in Ægyptum, per viam de qua vobis dixi: non ampliùs eam videbitis, atque illic prostabitis vendendi hostibus vestris, ut sitis servi & ancillæ, neque *erit* qui vos emat.

XXIX. Mo-

58. Nisi Legibus quas voce vobis exposui, & scriptas relinquam, pareatis, Deique reverentes sitis; 59. stupendis calamitatibus, neque umquam desituris, vos obruet. 60. Ægyptiacis omnibus morbis, quos usque adeò timuistis, 61. & aliis à me memoratis, aut omissis, vos adfliget. 62. Cùm nunc in ingentem populum excreveritis, unáque collecti sitis, tunc perpauci simul eritis. 63. Quemadmodum antea Deus vobis benefaciendo veluti delectatus fuerit: ita plectendo vos, delectabitur, atque ex terra, quâ vos donavit, expellemini. 64. Disjiciet vos in exsilium per varias gentes, inter quas aut metu domiti, aut exemplo adducti, pro inconspicuo Deo & omnium rerum Creatore, Deos antea vobis ignotos, & qui nihil præter lignum & lapidem sunt, turpiter coletis. 65. Imò verò ne apud illas quidem gentes, ullas certas & perpetuas sedes habere poteritis. In summo sæpe timore illic versabimini, tantáque erit vestra anxietas, 66. ut neque noctu, neque interdiu quieturus sit æger animus, 67. & multas dies, noctésque vobis fore ultimas ex nimio pavore, credituri sitis, ob nefanda facinora quæ passim in vestros admitti videritis. 68. Vetuit vos Deus, umquam in Ægyptum redire, nec certè sponte eò revertemini, sed alienis navibus avecti, cum aliis mercibus, vendendi illuc transferemini, & usque adeò macie & miseriis confecti eritis, ut ægrè qui vos emere velint sitis inventuri.

P A-

62. *Superstites eritis perpauci*] *Remanebitis in hominibus paucis*; nempe, in uno loco manentibus, iisque collatis cum tota Republica populi Hebræi, Chananæam incolente. Fuit enim semper ingens Hebræorum, per vicinas omnes terras, numerus; si collectim considerentur, ex quo à Babyloniis subacta fuit Judæa. Præterea observandum in hisce minis, ut in aliis ferè omnibus, multa esse hyperbolica, & quæ numquam à clementissimo Numine sunt exsequutioni, totâ suâ amplitudine, mandata.

64. *Quos nec tu, nec majores tui noveratis*] Quemadmodum Jer. IX, 16. & XVI, 13. Judæi dicuntur sparsi per gentes atque oras, *quas & ipsi & patres eorum ignorarant*, cùm fuerunt captivi trans Euphratem abducti, quia eas oras numquam antea adiverant: ita hîc Deos *ignorasse* dicuntur, quorum numquam simulacra, & cultum viderant, quamvis potuissent multa de iis inaudivisse. Hinc lux verbis Christi Joan. IV, 22. ad Samaritidem: *colitis numen quod ignorabatis*, hoc est, cujus cultum à majoribus vestris non accepistis, ut Hebræi.

65. *Tabem oculorum*] כליון עינים *chiljon henajim*. Hoc conjungitur cum summa animi ægritudine, quia contrahuntur oculi, & lividis, ut ita dicam, arcubus succinguntur, ob insomniam, quæ solet tristitiam diuturniorem comitari.

66. *E regione suspensa*] מנגר תלאים לך hoc est, æquè tibi dubia, ac dubium an ea quæ ex tenuissimo filo, quod facillimè frangi potest, suspensa cernis, filum pondere suo fractura non sint. Simili metaphorâ Græci κρεμᾶσθαι, & Latini *pendere* rem incertam dicunt. *Ennius:*

Hac noctu filo pendebit Etruria tota. Ovidius:
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuere ruunt.

67. *Utinam advenisset vespera*] Descriptio summæ anxietatis, quâ fit ut tempus præsens semper nobis displiceat, & ultimum nobis diem, ultimámve noctem adesse suspicemur.

68. *Reducet vos Jehova navibus in Ægyptum*]. Nempe, Sidoniorum aut Tyriorum, qui emta mancipia ab Assyriis, ac Babyloniis, aut aliis vicinis Gentibus vehebant in Ægyptum vendenda, inter quæ erant plurimi Hebræi. Vix enim dubitare possumus quin Assyrii ac Babylonii captivos abducentes Hebræos, quàm plurimos, ut fieri solebat, vendiderint. Multos certè Hebræos in Ægypto postea fuisse liquet ex Esai. XI, 10. Hos. IX, 3.

De

XXIX. Moses Dei beneficia erga populum Hebræum commemorat, fœderis cum eo contracti memoriam revocat, & fœdifragis exitium minatur.

1. HÆc sunt verba fœderis, quod Jehova jussit Mosem ferire cum Israëlitis, CAPUT
in Moabitide, præter fœdus, quod cum iis ad Chorebum fecerat. 2. Con- XXIX.
vocavit ergo Moses omnes Israëlitas, iisque dixit: vidistis omnia quæ Je-
hova fecit coram vobis, in Ægypto, Pharahoni, omnibúsque ejus servis & toti
terræ. 3. Tentationes magnas viderunt oculi vestri; signa & prodigia ingentia illa
fuerunt. 4. Annon dedit Jehova vobis cor ut intelligeretis, oculos ut videretis,
& aures ut audiretis, usque ad hodiernum diem? 5. Dum duxi vos quadraginta
annis per desertum, non inveteraverunt vestes vestræ super vobis, neque etiam cal-
cei in pedibus vestris inveteraverunt. 6. Panem non comedistis, neque vinum aut
siceram bibistis, ut me esse Jehovam Deum vestrum sciretis. 7. Venistis deinde in
locum hunc, & obviam nobis egressi sunt Sichon rex Chesbonis, Hogúsque rex
Basanitidis, ut pugnarent *nobiscum*, eósque concîdimus. 8. Invasimus eorum ter-
ram, eámque possidendam dedimus Rubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manassi-
tarum. 9. Itaque recordemini verba fœderis hujus, eáque observetis, ut feliciter
vobis cedat quidquid facturi estis.

10. Vos

PARAPHRASIS.

1. CUm Hebræi in Moabiticis campis tenderent, paullò ante mortem Mosis, jussus est à Deo, ritus fœderis ad Chorebum mootem cum Hebræis à se contracti iterare; ut ejus, Chananæam mox ingressuri, memores essent. 2. Quibus peractis, Hebræos ad Tentorium convocatos in hanc sententiam alloquutus est Moses: Vidistis quæcumque in vestri gratiam, in Ægypto, à Deo facta sunt, 3. & stupenda prodigia, banc in rem ab eo edita, contemplati estis. 4. A Deo profectò & sensus & rationem accepistis, ut quæ oculos & aures vestras percellerent ea ad animum revocaretis, oihilque satius vobis esse, quàm ut ei pareatis, intelligeretis. 5. Per quadragiota annos, quibus vobis in Arabia Petræa & Deserta præivi, neque calcei vobis, neque vestes defuerunt. 6. Solito quidem cibo & potu destituti fuistis, at Deus alium cibum, aliúmque potum vobis suppeditavit, quibus non minùs commodè ac antea sustentati estis; ut sciretis Numen quod colitis efficere quidquid videtur, oec solitis subsidiis, quando vult indigere. 7. Sichonem & Hogum reges, qui cum exercitibus oobis occurrere ausi sunt, à nobis cæsos ac fugatos esse; 8. eorúmque agros Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ Tribui Manassæ jam esse adtributos, nostis. 9. Itaque, si vobis fausta omnia evenire velitis, fœderis à me ho-

De qun vobis dixi] Vide ad Deot. XVII, 16.

Prostnbitis vendends] התמכרתם *bithmacchartbem*. Hinc adparet Mosis verba non esse simpliciter intelligenda, de multitudine Hebræorum qui in Ægypto erant, & sponte illuc aufugerant, ut vitæ, ac libertati suæ coosulerent; sed de iis qui, ut diximus, à Sidooiis & Tyriis eo devecti fuerant. Multi quoque, dum staret Persicum Imperium, & sob Alexandri successoribus, in Ægypto serviebant, ut colligere est ex historia *Aristeæ*; qoi narrat Ptolemæum Philadelphom in redimendis Judæis servieotibus in regno suo absumsisse sexcenta sexagiuta talenta, cùm in singula capita viginti drachmas heris solveret. Adi ipsum *Aristeam*, qoi Edictum Ptolemæi profert.

Neqne erit qui vos emat] Usque adeò contemoemini, ut vix emtores invenire possitis, adeóqoe à mangouibus malè habeamini.

COMMENTARIUS

In Caput XXIX.

1. H*Æc sunt verba fœderis*] Iterati sunt ritus fœderales, paullò antequàm Hebræi terram Chananæam ingrederentur; ut in memoriam iis revocaretur quod olim ipsi, aut eorum patres promiserant; Idque, eo tempore, quo mox Legem prorsus observari volebat Deus, qoi in Arabicis solitudiuibus accuratam ejus observationem non exegerat. Vide Deut. XII, 1. *& seqq.*

3. *Tentationes*] Vide not. ad Cap. IV, 34.

4. *Annon dedit Jehovn vobis*] ולא *& non*. Interpretatur vir summus: non accepistis, seu noluistis accipere qood vobis dabat Deus. Quod non dubito quin aliis locis optimè conveniat, verùm, hoe io loco, maluimus interrogando vertere, qoia sic hunc locum intellexisse videtur Jeremias Propheta; qui Cap. V. *& seqq.* vaticiniorum suorum ita minator Judæis, ut sæpe à Mose verba mutuatus esse videatur, ut conferentibus eum Prophetam cum Legislatore liquebit. Nos aliquot ejus dicta, Mosaicis similia, ad Caput superius adtulimus; sed bæc sunt planè gemella eorum quæ hîc habet Moses: *Audito, quæso, hoe, populæ stulte & cui non est cor; sunt enim eis oculi, nec tamen vident; sunt eis aures, nec tamen audiunt*, Cap. V, 21. Ait Propbeta esse quidem aures & oculos Judæis, sed eos illis uti negat, qoemadmodum hîc Moses ait aures & oculos iis esse à Deo data, ut iis oterentur; sed frustra. Sic & Esaias, in simili expostulatione, non negat Judæos *videre*

10. Vos omnes hodie ſtatis coram Jehova Deo veſtro , capita tribuum veſtra-
rum, ſenes veſtri & adparitores veſtri, omnes viri Iſraëlitæ; 11. impuberes etiam
veſtri, uxores & peregrini qui ſunt in caſtris veſtris; ab iis qui vobis ligna cædunt,
ad eos qui aquam vobis hauriunt ; 12. ut tranſeatis in fœdus Jehovæ Dei veſtri,
ejúſque ſacramentum; quod *fœdus* vobiſcum hodie ferit Jehova Deus veſter, 13. ut
confirmet vos hodie in populum ſuum , ſitque ipſe vobis Deus , quemadmodum
vobis promiſit, & majoribus veſtris, Abrahamo, Iſaaco & Jacobo juravit. 14. Ne-
que vobiſcum tantùm ego fœdus hoc pango, aut ſacramento hoc *vos tantùm rogo* ;
15. ſed *fœdus facio* cum iis, qui ſtant hodie nobiſcum, coram Jehova Deo noſtro,
& cum iis qui non ſunt hic nobiſcum hodie.

16. Noſtis

hodie iterati leges ſummâ fide obſervate. 10. Omnes hic ſtamus, coram Deo, cùm Magiſtratus, tum privati; 11. ne impuberibus quidem, mulieribus, aut peregrinis, mercenariiſque exceptis; 12. ut fœdus inſtauremus cum Deo, ſacramentumque ei iterum dicamus. 13. Confirmabit verò ille promiſſa nobis, Majoribúſque noſtris edita, quibus ille ſe nos, quaſi populum ſibi ſingulari ratione conſecratum, habiturum ſpopondit. 14. Neque vobiſcum tantùm, qui nunc vivitis, fœdus hoc Dei nomine contraham, 15. ſed & cum ultima veſtra poſteritate; ut & illa, obſervatis Legibus, divinorum beneficiorum particeps fiat.

16. Quæ geſta ſint in Ægypto, cùm illic eſſemus, &

dere atque audire, ſed tantùm eos uti, prout par erat, beneficiis Dei Cap. VI, 9. *Audite quidem, ſed ne intelligatis; videte, ſed ne cognoſcatis.*

Nec mirum videri debet הלא verti *annon*, plura enim ſunt ejus ſignificatûs exempla. Sic Exod. VIII, 26. *Si in oculis Ægyptiorum quod deteſtantur mactemus, nonne* (הלא) *nos lapidibus obruent?* 1. Sam. XX, 9. *Si cognovero*, ait Jonathan Davidi, *patrem meum planè decreviſſe malè tibi facere, annon* (הלא) *hoc tibi indicabo?* Vide alia exempla, apud *Chr. Noldium* num. 2. Cùm hæc pronunciaret Moſes, ex voce facilè intellexerunt adſtantes interrogativè dici. Lectores verò ex ipſa re colligere hoc oportuit; ſublatâ enim interrogatione, Moſes videretur non incuſare Iſraëlitas, qui eſt ejus animus, ſed potiùs excuſare.

3. *Non inveteraverunt* &c. Vide not. ad Cap. VIII, 4

6. *Ut me eſſe Jehovam* &c.] Hoc eſt, ut intelligeretis me eum eſſe Deum qui quod volo facio, adeóque non indigeo ſolitis alimentis ut homines ſuſtentem, ſed eos iis quibus non ſolent ſuſtentari alere poſſum. Vide not. ad Cap. VIII, 3. & ad Exod. VI, 3. Oportuiſſet dicere כי הוא *quòd ille eſt Jehova* &c. non כי אני *quòd ego ſum* &c. nam Moſes loquitur, non Deus. Sed ita aliquando ſubitò mutatur perſona loquens. Vide Cap. XI, 14.

7. *Ut pugnarent nobiſcum*] למלחמה *lammilhhamah.* Vide not. ad Cap. II, 32.

9. *Recordabimini*] *Servabitis.*

Feliciter vobis cedat] תשכילו *faciatis feliciter cadere.*

10. *Capita tribuum veſtrarum*] *Capita veſtra tribuum veſtrarum.*

Senes veſtri] Judices, nimirum, Jethronis conſilio inſtituti.

Adparitores] שטריכם. Vide not. ad Exod. V, 6.

11. *Peregrini qui ſunt* &c.] *Peregrinus tuus.* Quales ex Ægypto venerant Exod. XII, 38. aliique qui Legem obſervandam ſuſceperant.

Ab iis qui vobis ligna cædunt, ad eos qui aquam vobis hauriunt] *A cædente lignum tuum ad haurientem aquam tuam*; hoc eſt, ne iis quidem exceptis, qui viliſſima miniſteria obeunt, quales ſunt ligna cædentes, & aquam haurientes. Ejuſmodi fuerunt poſtea Gabahonitæ, de quibus Joſ. XI, verſ. 21, 27.

12. *Tranſeatis in fœdus*] Hoc eſt, fœdus faciatis, loquutione ductâ ex ritu de quo Geneſ. XV, 17.

Ejúſque ſacramentum] שבועה. Sacramentum enim Deo dicebant, promittentes ſe ei pariturος, eúmque teſtem ſuorum promiſſorum vocantes, ultorem etiam futurum, niſi iis ſtarent. Vide Eccleſ. VIII, 2. Nehem. X, 29.

Quod fœdus] Addidimus *fœdus*, quia Latinè dici nequit *ferire jusjurandum.* Sic verſ. 14. addere aliquot verba coacti ſumus, quòd eodem verbo *fœdus* & *jusjurandum* regi non poſſent Latinè, ut Hebraïcè.

15. *Cum iis qui non ſunt*] *Cum eo qui non eſt*, hoc eſt, cum poſteris, quamdiu Deus hoc fœdus ratum eſſe volet, naſcituris.

16. *Noſtis*] כי אתם ידעתם *nam vos noſtis.* כי abundat.

17. *Deteſtandos ac ſtercoreos Deos*] שקוציהם ואת גלוליהם *abominationes eorum & ſtercora eorum*, hoc eſt, quod nos meritò in iis ſpernimus & deteſtamur.

18. *Ne ſit*] פן *phen.* Hoc eſt, Deus voluit vos videre, quàm abſurdæ ſint Religiones vicinorum, ne ab iis falleremini, dum eas aliter verbis deſcribunt, quàm re ipsâ ſunt. Intelliguntur autem hîc populi, quorum ſedes ad ortum Jordanis occuparant Hebræi.

Ne ſit inter vos radix] Loquutio eſt παροιμιώδης, quâ ſignificatur, hoc loco, opinio falſa de Diis vicinorum, ex qua poſtea impia conſectaria deducantur. Hæc radix eſt, quam animis Hebræorum prorſus evellere nitebatur Moſes.

Venenatam aut amaram herbam] ראש ולענה *venenum & abſinthium*, aut amaram quamdam herbam. LXX. verterunt χολὴν ϗ πικρίαν. Vulg. *fel & amaritudinem.* Conſtat quidem לענה eſſe *venenum*; ſed an hoc amarorem quoque ſonet, non ſatis liquet.

19. *Felicitatem ſibi promittat*] והתברך *& benedicat.*

Incolumitas] שלום *pax.*

Incedam pro cogitationibus animi mei] בשרירות לבי אלך *in cogitatione cordis mei ibo*; hoc eſt, vivam, prout mihi videbitur, Legis nullâ ratione habitâ.

Ut

16. Noſtis quemadmodum habitaverimus in Ægypto, & quemadmodum tranſie-
rimus per medias gentes, per quas tranſiiſtis. 17. Vidiſtis earum deteſtandos &
ſtercoreos Deos, lignum & lapidem, argentum & aurum, quæ apud eas ſunt; 18.
ne ſit inter vos vir, aut mulier, aut familia, aut tribus, quæ animum ſuum hodie
avertat à Jehova Deo noſtro, ut eat cultum Deos illarum gentium; ne ſit inter
vos radix quæ emittat venenatam aut amaram herbam, 19. & *ne quis* cùm audiet
verba hujus ſacramenti, felicitatem ſibi promittat apud animum ſuum, dicátque:
incolumitas mihi erit, quamvis incedam pro cogitationibus animi mei, ut addat
irrigationem *terræ* ſitienti. 20. Nolet Jehova ei parcere, ſed tunc fumabit ira Je-
hovæ, ejúſque zelotypia in eum virum; ei incumbent omnes exſecrationes ſcriptæ
in

& poſtea in Arabia noviſtis. Scitis nobis, favente Deo, per Gentes idololatriæ deditas tranſitum patuiſſe, 17. & ſtatuas eorum Numinum, haud aliter ac lignum, ſaxum, aurum, aut argentum quodvis, à nobis fuiſſe impunè confractas atque everſas. 18. Hoc à vobis cerni voluit Deus, ne quiſquam ejuſmodi Numen colere umquam in animum inducat, útque omnem idololatriæ radicem, amaros fructus olim edituram, ex pectoribus veſtris evellat. 19. Cavete ne, auditis diris, quibus devoventur qui Legem divinam violant, iis fidem detrahatis, néve ſperetis incolumes vos futuros, quamvis obſervantes ejus non ſitis, atque ita cupiditatibus veſtris indulgere pergatis. 20. Deus Legis ſuæ minas

Ut addat irrigationem terræ ſitienti] לספות הרוה את הצמאה. Proverbialis hæc quoque loquutio eſt, ſed quid ſignificet non ita liquet. Si tamen antecedentia diligenter adtendas, videbis hunc aut ſimilem requiri ſenſum: ita ut ſibi ipſe blandiatur, & quod cupiet verum eſſe putet. Itaque credibile eſt צמאה *ſitientem*, ſupplendo ארץ aut ארמה *terram*, ſignificare animum cujuſpiam rei cupidum, quæ ſanè aptiſſima eſt metaphora; רוה verò eſſe *irrigationem*, ſeu ſubſtantivum, non minùs ac רויה *revajah* quod ex eadem Radice, non adjectivum *irriguam* aut *ebriam*, quod nullum ſenſum parit. Ac ſanè nihil irrigatione aptius terræ ſitienti; neque animo cupido quidquam ſuavius, quàm indulgere cupiditati.

Huic noſtræ interpretationi optimè cum verbis convenit. רוה *ravah* hoc tantùm loco legitur, & æquè poteſt eſſe ſubſtantivum, ac אוה *avvah*, concupiſcentia, דוה *davah* fœtor, & ſimilia. Propriâ ſignificatione radicis רוה *ravah*, non eſt *inebriare*, ſed *irrigare*, ut docent Lexicographi.

צמא *tſame*, ſitire, apud Hebræos, non minùs ac apud Latinos, dicitur terra arida, æquè ac homines *ſitientes*. Vide Ezek. XIX, 13. Terra ſiticuloſa vocatur צמאון Deut. VIII, 15. & alibi. Hîc verò צמאה dicitur *ſitiens*, ſubaudiendo *terra*, quemadmodum יבשה *ſicca* Gen. I, 9, 10. & paſſim. Hoc quoque verbum ad animi cupiditatem ſæpe transfertur, apud Hebræos, ut in aliis Linguis. Vide Ham. VIII, 11.

Igitur is videtur eſſe aptiſſimus ſenſus, quem ſequuti ſumus; quod veriſimilius erit, poſtquàm adtulero locum Eſaiæ, ubi ſimilis eſt loquutio proverbialis, ad ſignificandum dare alicui id quod maximè cupit. Exſtat Cap. XLIV, 3. *Ne timeas, ſerve mi Jacobe, & Jeſurun quem elegi, nam effundam aquam in ſitientem* (על צמא) *& fluenta in ſiccam* יבשה, nempe, humum. Eodem planè modo, apud Moſem, dicitur addi *irrigatio ſitienti* terræ; niſi quòd de re mala hîc ſermo eſt, apud Eſaïam de beneficio divino; ſed eadem eſt utrobique tranſlatio.

Hæc cùm ita ſint, non opus eſt alias interpretationes adferre, quæ ſe obſcuritate ſuâ, aut etiam audaciâ ipſæ confutant. LXX. exempli causâ habent: ἵνα μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν ἀναμάρτητον. Vulg. *abſumat ebria ſitientem* Onkelos: *ut addantur ei peccata ignorantiæ peccatis ſuperbiæ*. Alios non moramur.

20. *Nomen ejus delebit*] Nullos patietur ſuperſtites ei eſſe poſteros. Vide Num. Cap. XXVII, 4.

21. *Calamitate diſcriminabit*] הבדילו לרעה *dividet eum malo*. Vide ſimilem loquutionem, in re contraria Exod. VIII, 22. IX, 4.

Pro omnibus exſecrationibus &c.] Hoc eſt, omnes ei incumbent diræ imprecationes, quæ hac lege continentur.

Scripti in libro] Dictabat, nempe, Moſes quæ in hoc libro habentur, ut alibi jam diximus. Fortè per eos qui שטרים *adparitores*, aut *præcones* dicuntur, prælegebantur variis in locis caſtrorum, ut omnes ea poſſent audire.

22. *Poſteriores ætates*] הדור האחרון *ætas poſterior*. Sequentibus verbis hæc exponuntur.

23. *Sulfur & ſal aduſtum*] *Aduſtionis* שרפה. Vide dicta in Diſſert. *de Sodomæ ſubverſione*. §. V. Quamvis Hebræi ſummopere in Deum peccarint & graviſſimas pœnas ei dederint, ob violatam Legem; attamen hæc numquam contigerunt, quia licet ſemper Legiſlatori eas minas exſequi, aut omittere, quas ipſi videtur. Hic verſus Parentheſi includendus neceſſariò eſt, ut ex ſtructura vocum grammatica adparet.

Ejus ſolum] ארצה *terra ejus*, ſed quò refertur ſuffixum ה? Nempe, ad ארץ *terram*. Itaque *ſolum* poſteriore loco vertimus, quod ſignificat id quod Gallicè dicimus, *le terroir*. Mira eſt ruditas Hebraïcæ Linguæ, quæ patitur dici הארץ לארץ *terram terræ*, pro eo quod dicunt Latini *ſolum regionis*, & Galli *le terroir du pais*.

Non feretur &c.] Vitis tamen in ejuſmodi ſolo feliciter creſcit. Dignus eſt locus *Strabonis* è Lib. XIII. de Phrygia aduſta, qui huc transferatur. Μετὰ δὲ ταῦτ' ἐστὶν ἡ Κατακεκαυμένη λεγομένη χώρα — ἄπασα ἄδενδρος, πλὴν ἀμπέλου τῆς Κατακεκαυμενίτην φερούσης οἶνον, οὐδενὸς τῶν ἐλλογίμων ἀρετῇ λειπόμενον. Ἔστι δὲ ἡ ἐπιφάνεια τεφρώδης τῶν πεδίων, ἡ δ' ὀρεινὴ καὶ πετρώδης μέλαινα, ὡς ἂν ἐξ ἐκπυρώσεως: *poſt hæc eſt quæ Aduſta dicitur regio, per omnia arboribus carens, exceptâ vite quæ Aduſtum vinum gignit, nullo nobilium vinorum inferius. Camporum ſuperficies eſt cinericia; montana & ſaxoſa regio nigra, quaſi ex* aduſtio-

in hoc libro, & nomen ejus sub cœlo delebit Jehova. 21. Calamitate eum discriminabit Jehova ab omnibus aliis tribubus Israëlis, pro omnibus exsecrationibus fœderis scripti in libro hujusce legis.

22. Dicent posteriores ætates, liberi vestri qui post vos exorientur, & alienigenæ *qui* è terra longinqua venerint, videbúntque plagas hujusce terræ, morbos quos ei immiserit Jehova (23 sulfur & sal adustum erit universum ejus solum, non seretur, nihil emittet, nulla herba crescet, & simile erit subversioni Sodomæ, Gomorrhæ, Admæ, & Tseboïmorum; quas *urbes*, in ira & excandescentia sua, subvertit Jehova) 24. dicent, *inquam*, omnes gentes: quare sic fecit Jehova huic terræ? unde orta est excandescentia magnæ hujus iræ? *Alii verò*, quia, inquient, deseruerunt *incolæ* fœdus Dei majorum suorum, quod contraxerat cum illis postquàm eos ex Ægypto eduxerat, 26. iverunt cultum Deos alienos, adorarúntque Deos quos non norant, & quorum *nullus* eis *quidquam* largitus erat. 27. Ideò Jehova huic terræ iratus est, ita ut omnes maledictiones scriptas in hocce libro, illi immiserit. 28. Jehova incolas ex eorum terra, irâ, excandescentiâ, atque indignatione magnâ, evulsit, & in aliam terram ejecit, quemadmodum hodie *cernere est*.

29. Quæ latent Jehovæ Dei nostri *sunt*, revelata verò nostra & liberorum nostrorum in perpetuum, ut omnia Legis hujusce verba exsequamur.

XXX. Mo-

nas spernentibus nequaquam ignoscet, sed malè mulctatos é medio tollet. 21. Nec vulgares pœnas ex iis sumet, verùm calamitatibus, quas iis immittet, insignes, inter omnes Hebræos, faciet.

22. 23. Si minas à Deo intentas populus Hebræus spernat, tota hæc fertilissima terra, quæ mox vobis dividetur, haud secus ac Sodomensium, & vicinorum agri olim subversi sunt, devastabitur. Tum verò quicumque certissima iræ divinæ argumenta in ea animadvertent, & ipsi posteri vestri 24. quærent admirabundi, quibus rationibus permota divina justitia tam graves pœnas de ejus terræ incolis exegerit? 25. Nec aliud responsum ferent, nisi eos Leges à Deo, à quo fuerant ex Ægyptiaca servitute liberati, acceptas olim esse aspernatos, 26. ignotósque Deos, & à quibus nulla umquam acceperant beneficia, coluisse. 27. Hac sola de causa, inquient, Deus minas, in libro eorum Legis quondam scriptas, in eos exsequutus est. 28. Innumeris propterea cladibus ac miseriis adtritos, sedibúsque patriis avulsos procul in exsilium, in quo nunc sunt, exegit.

Cùm hæc dixisset Moses, quæsivere qui aderant, num aliquando futurum esset ut populus Hebræus eas sibi pœnas re ipsa contraheret. 29. Respondit verò Moses, non rectè facere eos, qui vellent ejusmodi res ocultas scire, quæ Deo soli erant permittendæ; sed ex revelatis ejus Legibus vitam esse instituendam, atque in has, non in obscuros futuri temporis eventus, populum Hebræum inquirere oportere.

P A-

adustione. Postea docet hoc ortum ex bituminoso solo, subterraneis ignibus incenso.

24. *Unde orta est*] מה meh, *quæ excandescentia iræ* &c.

25. *Alii verò*] *Et dicent quia*. Omittitur nominativus, ut apud Latinos, quando dicimus *aiunt*. Sed hîc supplevimus, quia durior erat ea Ellipsis ob superiora verba.

Incolæ] Nominativus hic iterum suppletus. Hebræi durè omittunt interdum nominativum, quem alibi sine necessitate sæpiùs repetunt. Vide vers. 20, & 21. ubi ter est *Jehova* quod satis fuit semel esse.

26. *Iverunt cultum*] *Iverunt & coluerunt*.

Quorum nullus eis quidquam largitus erat] ולא חלק להם *nec diviserat iis*, agros, aut prædam; quasi scriptum fuisset אשר לא אחד מהם חלק להם מאומה Sensus quis alius esse possit non video, neque enim verbi חלק nominativus potest esse Jehova. Quid sibi vellet *Jehova non distribuit* aut *dedit Israëlitis Deos*? An ergo cuiquam dedit alium Deum, præter se? Certè hîc sensus consentaneus esset opinioni Ethnicorum, qui Jovem aliis Diis terras, in quibus colerentur, divisisse aiebant. Vide *Callimachum* Hymnis in Dianam & in Delum. At Hebræi nihil simile umquam somniarunt. Igitur maluimus sequi *Onkelosum*, qui habet: ולא אטיבו להון *nec benefecerunt illis*, nempe, Hebræis.

27. *In hocce libro*] Moses sua verba veluti mutua dat eis, quos loquentes inducit; nam potiùs dicendum fuisset, *in libro legis eorum*.

28. *Incolas*] *Evulsit eos*.

Ejecit] וישלכם ubi ל est majusculum, ad significandam, aiunt Magistri, magnitudinem exsilii. Vide *Joan. Buxtorfium* in Com. Mass. Cap. XIV.

22. *Quæ latent* &c] Si hæc avellantur à serie orationis, & quasi generalis quædam sententia habeantur, facilia sunt intellectu; nempe, ea quæ Deus non revelavit hominibus esse ei relinquenda, & notæ revelationi, seu ejus præceptis parendum. Sed quid hoc facit ad superiora, aut ad ea quæ sequuntur? Certè non potest occultum dici, quare Deus immorigeros Hebræos Chananæâ exegerit; quandoquidem hoc se facturum Deus ipse prædixit. Crediderim Mosem respondere quæstioni ab Hebræis propositæ, postquàm superiora dixisset, sed ab iis qui ejus sermones excipiebant, ut aliquoties diximus, prætermissæ. Nimirum, cùm sæpe ita loquutus esset, ut non modò minari, sed prædicere futura videretur; rogarunt fortè Hebræorum principes, an re ipsâ posteri sui usque adeò in Deum olim essent delicturi, ut pœnas memoratas sibi contracturi essent? Cui quæstioni sapientissimè respondit Moses ejusmodi eventus, in futuri temporis caligine latentes, Dei solius cognitioni relinquendos, quippe qui nihil ad officium hominum pertinent; sed revelatis ejus Legibus interea parendum. Atque hoc solum responsum sapientibus satis fecisset, sed genti, futuri

XXX. Moses, Dei nomine, resipiscenti populo Hebræo veniam pollicetur; monétque Leges divinas ita fuisse expositas, ut nemo ampliùs earum ignorantiam peccatis prætexere posset, nec earum negligentibus, præter exitium, quidquam esset exspectandum.

1. CUM autem tibi contigerint hæc omnia, benedictio & maledictio quas ti- CAPUT
bi proposui, eáque ad animum revocabis per omnes gentes, ad quas te XXX.
expulerit Jehova Deus tuus;
2. redibis ad Jehovam Deum tuum, obsequerisque ejus voci, per omnia quæ tibi hodie præcipio, tu, filiíque tui, toto animo & totâ mente.
3. Tum verò Jehova Deus tuus revocabit captivos tuos, tuíque miserebitur; reducet te & colliget ex omnibus populis, per quos te disjecerit.
4. Si exsilium tuum fuerit ad extremum usque cœlum, congregabit te *tamen* illinc Jehova Deus tuus, atque illinc adsumet.
5. Intromittet te *denuo* in terram quam possederint majores tui, eámque possidebis; tibi benefaciet & plus quàm majores tuos augebit.
6. Circumcidet Jehova Deus tuus cor tuum, & cor sobolis tuæ, ita ut eum ametis totâ mente & toto animo, propterea̍que vivatis.
7. Immittet verò Je-

PARAPHRASIS.

1. SUAJACIT tamen postea Moses, populum Hebræum interdum faustarum adprecationum, iter dum dirarum eventum experturum, foréque olim ut omnibus quæ sibi evenerint, observanti aut repudianti Leges divinas, in animum revocatis, in ipso exsilio, 2. ad officium esset rediturus, abjectáque idololatriâ, & omnibus alienis institutis, solis Legibus divinis obsequuturus. 3. Tunc temporis, inquit, Deus vestri misertus vos reducet in patriam, ex omnibus locis in quæ disjecti fueritis, 4. quantumlibet a patrio vestro solo remotis. 5. Vos in hoc revocatos beneficiis iterum cumulabit, & mirum in modum augebit. 6. Sic fiet ut Deus vos adfectibus omnibus, Legum suarum observationi contrariis, liberet, útque in posterum, ei soli parentes, vitam longam & beatam consequamini. 7. Omnia mala, quæ vobis incubuerant, hostibus atque inimicis vestris immittet Deus.

turi cognoscendi æquo avidiori, fuit respondendum re ipsâ hoc olim futurum, quod in sequentibus habet Moses. Nisi sit hæc Mosaïcæ orationis series, fateor eam mihi esse prorsus ignotam.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXX.

1. T*Ibi contigerint*] *Venerint super te.* Nexum horum cum superioribus vide ad Capitis superioris vers. ultimum.

Hæc omnia] Magna ex parte contigerunt, si Hyperboles excessum resecueris.

Per omnes gentes &c.] Assyriis & Babyloniis primùm parentes, atque à Cyro postea subactas. Legendus de victoriis Cyri *Herodoti* Lib. I.

2. *Redibis ad Jehovam*] Quem antea reliqueras, ut fictos Deos coleres. *Redire* ergo *ad Deum* est eum iterum, prout jussit, colere, ut passim videre est.

Per omnia quæ tibi præcipio &c. toto animo & totâ mente.] Hoc enim, Deo opitulante, fieri poterat, & re verâ factum est à multis piis, ante reditum ex captivitate Babylonica. Vide not. ad Cap. XIX, 9.

3. *Revocabit captivos*] Quod factum temporibus Hesdræ & Nehemiæ.

Ex omnibus populis] Cùm primùm Cyrus Judæis redeundi potestatem fecit, ex tribus ferè solis Tribubus redierunt, Judaïca, Benjaminitica & Levitica; sed postea alii ex decem Tribubus redire etiam potuerunt, & redierunt, quamvis plerique trans Euphratem remanserint. Vide *Josephum* Ant. Jud. Lib. XI. c. 7.

4. *Si exsilium tuum fuerit*] נדחך niddahhacha *expulsio tua.*

Ad extremum usque cœlum] *Ad extremitatem cœlorum.* Vide not. ad Cap. IV. 32.

Congregabit te illinc] Si modò velis; quod factum operâ Cyri, qui Hebræis potestatem fecit ad sua redeundi, quâ nonnulli usi sunt, alii noluerunt uti, ut dicebamus. Vide Esd. I, 9. & *seqq.*

5. *Intromittet*] Repetitur nominativus: *Jehova Deus tuus.*

6. *Circumcidet*] Hoc est, liberabit iis adfectibus, quibus ad cultum alienorum Deorum & vicinorum instituta antea ferebamini. Vide not. ad Gen. XVII, 11.

Totâ mente, & toto animo] Ita ut ne sitis animo inter vicinorum Religiones & vestram dubio. Quod reverâ contigit, post captivitatis Babylonicæ solutionem; ab eo enim tempore, sacris patriis addictissimi & à peregrinis alienissimi fuerunt Judæi, ut ex Maccabaica & *Josephi* historia liquet. De loquutione *totâ mente* &c. vide dicta ad Deut. IV, 29. VI, 5.

Propterea̍que vivatis] *Propter vitam tuam.*

8. *Tu iterum ausculabis*] *Redibis & audies.*

Exsequerisque] Prout ea observari posse diximus ad Cap. XIX, 2.

9. *Adeò ut tibi bene sit*] לטובה *ltobah* in bonum.

Iterum gaudebit]. *Revertetur ad gaudendum.*

10. *Itaque*] כי *chi.*

Scripta in libro] Vide not. ad Cap. XXIX, 22.

11. *Præcepta quæ*] *Præceptum quod.*

 Pro-

Jehova Deus tuus omnes hasce exsecrationes hostibus atque inimicis tuis, qui te fuerint hostiliter persequuti. 8. Tu iterum auscultabis voci Jehovæ, exsequerisque omnia ejus præcepta, quæ ego tibi hodie edo. 9. Faciet Jehova Deus tuus ut abundes omni opere manuum tuarum, fructu terræ tuæ, adeò ut tibi bene sit; quia iterum gaudebit Jehova propter te, in utilitatem *tuam*, quemadmodum propter majores tuos lætatus erat.

10. Itaque auscultabis voci Jehovæ Dei tui, ita ut observes præcepta ejus & instituta scripta in libro hujusce legis; nam reversus fueris ad Jehovam Deum tuum, toto animo, & totâ mente; 11. neque enim præcepta, quæ tibi hodie edo, sunt tibi ignota, neque procul petenda. 12. Non sunt in cœlo, ut dicas, quis nobis adscendet in cœlum, ut ea nobis accipiat, & audientibus referat, eáque faciemus? 13. Non sunt trans mare, ut dicas, quis nobis mare trajiciet, ut ea nobis accipiat, & audientibus referat; eáque faciemus? 14. Etenim proxima hæc tibi sunt, in ore tuo, atque in animo tuo, ut ea facias.

15. Vide, proposui tibi hodie vitam, & bonum; mortem item, & malum. 16. Tibi enim præcipio hodie ames Jehovam Deum tuum, in viis ejus incedas, observésque ejus præcepta, institura, & jura; *quod si feceris* vives, augeberis, benedicétque tibi Jehova Deus tuus in terra, in quam possidendam ingressurus es. 17. Si verò animus tuus *aliò* se converterit, neque *mihi* auscultaris, sed persuadearis ut adores Deos alienos, eósque colas; 18. tibi hodie denuncio te periturum, neque dies producturum in terra, ad quam possidendam Jordanem trajecturus es. 19. Contestor hodie in te cœlum & terram, me proposuisse tibi vitam & mortem, felicitatem & infelicitatem. Eligito ergo vitam, ut tu, sobolésque tua vivatis; 20. adeò ut ames Jehovam Deum tuum, auscultes ejus voci, eique adhæreas; nam ille est vita tua, & longitudo dierum tuorum; ut maneas in terra quam juravit Jehova majoribus tuis, Abrahamo, Isaaco & Jacobo, se eis daturum.

XXXI. Mo-

Deus, 8. dum ejus parebitis Legibus à me acceptis. 9. Vobis verò omnium rerum copiam largietur, & quemadmodum Majorum vestrorum rebus secundis gaudebat: ita in beneficiis vobis conferendis veluti lætabitur.

10. Tum demum divinas Leges fideliter observabitis, ad cultum enim ejus solius ita redieritis, ut adfectum vestrum inter eum & commentitios Deos nequaquam ampliùs divisuri sitis. 11. Nec certè aliena instituta iis quæ à me accepistis miscere, quòd Leges divinæ satis vobis notæ non sint, potestis. 12. Deus non dissimulavit quo cultu vitæque instituto ipsius gratia iniri à vobis posset, ut vobis id latere, quasi in cœlo dumtaxat notum esset, dicere possitis. 13. Hancce doctrinam à populis, procul ab hac terra mari divisis, petere necesse non habetis; ut itineris longinquitatem caussari possitis, ne eam sequamini. 14. Res est memoriæ vestræ usque adeo infixa, & tot vestris sermonibus disputata, ut ignorantiam delictis vestris prætexere ampliùs nequeatis.

15. Hodie vobis optionem offero, hinc longævæ vitæ & felicitatis, illinc immaturæ mortis & infelicitatis. 16. Ut vitam beatam ducatis, Dei Legum observantes estote, & tum demum ab eo omnis generis beneficia, in terra Chananæa, exspectate. 17. Si verò repudiatis Legibus à me latis, alienos Deos colere malitis, 18. vos non diu victuros in terra, cujus possessionem mox adibitis, atque omnia vobis adversa experturos, scitote. 19. Testis mihi est Deus, testes homines, me horum vobis optionem proposuisse. Igitur vitam ac felicitatem eligite, 20. à solo Deo, eo modo quem vos docui culto, eas exspectate, atque in terra Majoribus vestris olim promissa, ejus solius voluntate, longam & omnibus copiis adfluentem futuram vobis vitam putate.

P A-

Procul petenda] רחוקה הוא *rhhokah hi*, longinquum illud.

12. *Non sunt in cœlo* &c.] Hoc est, Deus eorum partem non occuluit, sed omnia quæ voluit ab Hebræis observari revelavit.

Non sunt trans mare &c.] Petenda à Javanis posteris, qui insulas & continentem Europam occuparant, difficili iis temporibus & periculosâ navigatione.

14. *Proxima hæc tibi sunt*] *Hac res proxima tibi est.*

In ore tuo] De iis quotidie colloqui cum peritis tibi licet, nempe, Sacerdotibus, aliisque. Non erant in Mosaica lege mysteria, paucis nota, & de quibus loqui inter paucos licebat, quemadmodum in Ægyptiorum sapientia. Imò verò Deus jusserat perpetuos ferè sermones de lege sua haberi. Vide Cap. XI, 19.

In animo tuo] *In corde tuo*; hoc est, memoriæ tuæ frequentibus sermonibus infixa. In *animo scripta* esse dicuntur ea quorum probè meminimus, quod facilè ostendere possemus, sed in alium aptiorem locum servamus. Dubitare non possumus, quin hæc verè sint à Mose de Legibus suis dicta; ceterùm, multò meliore jure, hæc verba Evangelicæ Legi aptat Paulus ad Rom. X. Cùm enim non facillimum sit tot ritualium Legum meminisse, nihil est facilius, quàm Leges Evangelicas memoriæ infigere, quod hîc non ostendam, ad Paulum aliquando fortè pleniùs explicaturus. Vide Artis Criticæ P. II. Sect. I. C. IV, 8.

15. *Vitam & bonum*] Hinc intelligendum Legis promissum *& vives*; hoc est, vitam lon-

XXXI. Moses significat populo Hebræo se brevi moriturum, eum hortatur ut fortiter possessionem terræ Chananææ adeat, Josuam mandatis instruit, Leges in libro descriptas Sacerdotibus tradit, eásque septimo quoque anno publicè prælegi jubet. Deus verò prædictâ Hebræorum rebellione, jubet Canticum scribi, in hujus suæ prædictionis memoriam.

1. HÆc quoque verba Moses, ad totum Israëlem, habuit; 2. &, centum vigin- Caput
ti annos, inquit, hodie natus sum, nec possum ampliùs egredi aut in- XXXI.
gredi; Jehova verò mihi dixit: Jordanem hunc non trajicies. 3. *At* Je-
hova Deus tuus ante te trajicit, exterminabit istas gentes è conspectu tuo, eásque
possidebis. Josua autem vobis trajicientibus præibit, quemadmodum pollicitus est
Jehova. 4. Faciet Jehova illis *populis, qui sunt ad occasum Jordanis*, ut fecit Sichoni
& Hogo regibus Emoræorum, eorúmque terræ in qua eos delevit. 5. Eos vobis
exponet Jehova, iisque facietis per omnia, quemadmodum vobis præcepi. 6. For-
tes & constantes estote, neque timeatis aut trepidetis coram iis, quandoquidem Je-
hova Deus vester vobiscum vadit, neque vos destituet, aut relinquet.
7. Vocavit quoque Moses Josuam, eique in oculis totius Israëlis, fortis, in-
quit, & constans esto, ingredieris enim cum hoc populo terram, quam juravit
Jehova ejus majoribus se ei daturum, cúmque in ejus possessionem intromittes.
8. Jehova qui ante te ibit, idem tibi aderit, te non destituet, neque relinquet;
ne timeas, néve terrearis.
9. Scripsit autem Moses hanc Legem, eámque dedit sacerdotibus Levitis bajulanti-
bus arcam Jehovæ, & omnibus senibus Israëlis. 10. Præceptum autem illis dedit Mo-
ses,

PARAPHRASIS.

1. POst instauratum fœdus cum Deo, Moses, in hanc sententiam, populum Hebræum alloquutus est: 2. Cùm nunc viginti & centum annos natus sim, non possum ampliùs Rempublicam administrare, præterquàm quòd Deus à me Jordanem vobiscum trajici non patitur. 3. Ne tamen quidquam, ô Hebræi, metuatis, Deus enim vobis adesse perget; & Josua quidem, meo loco, in id munus ab ipso Deo electus, vobis præibit. 4. Deo favente, gentes ad occasum Jordanis habitantes cædetis atque expelletis; quemadmodum eas, quæ ad ortum ejus fluvii sedes habebant, Deo cœptis nostris adspirante, concidimus atque expulimus. 5. Cum victis autem Chananæis ita vos gerite, qnemadmodum jussi. Nulli eorum ætati, nulli sexui parcite; ut, Dei nomine, meritas pœnas ab impiis populis exigatis. 6. Fortiter in hostes vadite, Deus enim, donec, deletis aut fugatis sceleratis gentibus, earum sedes occupaveritis, vos non deseret.

7. Vocatum etiam ad se Josuam jussit Moses, audiente populo Hebræo, forti animo esse, promisitque Deum, qui ejus operâ uti volebat ad intromittendos in Chananæam Hebræos, 8. constanter ei adfuturum.

9. Cùm autem Moses omnes Leges à Deo acceptas scribi curasset, ut & orationes quas ipse ad populum Hebræum habuerat, quæ hoc Deuteronomii libro continentur; exemplar earum Legum & orationum Sacerdotibus & Principibus Tribuum diligentiâ summâ adservandum commisit, 10. & eo tradito, hæc mandata adjecit: Septimo quoque anno, qui Sabbathicus erit, & quo majore otio, ob intermissum terræ cultum, fructur populus Hebræus,

longam & omui bonorum genere adfluentem ages.

Mortem & malum] Infelicem vitam, ac tandem miseram mortem, eámque immaturam. Vide vers. 18.

19. *Contestor cælum & terram*] Omnes quos possum contestari, Deum & homines. Vide v. 1. Cap XXXII.

20. *Ille est vita tua* &c.] Ille solus faciet ut longam, beatámque vitam agas. Sic Joan. XI, 25. & alibi Christus dicitur ζωὴ, hoc est, auctor vitæ de qua illic sermo est.

COMMENTARIUS

In Caput XXIII.

1. V*Erba habuit*] *Et ivit & proloquutus est hæc verba.*

2. *Egredi & ingredi*] Rempnblicam administrare. Vide not. ad Num. XXVII, 17.

3. *Trajicientibus præibit*] *Transiens ante faciem tuam.*

5. *Exponet vobis*] *Ponet ante facies vestras*; hoc est, cædendas præbebit.

Scripsit hanc legem] Aut scribendam dictavit.

Sacerdotibus Levitis bajulantibus] Hoc est, Sacerdotibus & principibus populi diligenter servandum id Legis exemplar commendavit. Hic

 Sa-

ses, his verbis: Post septem annos, stato remissionis anno, festo Tabernaculorum frondeorum, 11. cùm omnis Israël veniet, ad videndam faciem Jehovæ Dei tui, in locum quem elegerit, præleges hanc Legem toti Israëli, eóque audiente. 12. Coges populum, viros & mulieres & impuberes & peregrinos, qui erunt intra mœnia tua, ut *eam* audiant, discántque; timeant Jehovam Deum vestrum, & meminerint facere omnia hujusce legis verba; 13. útque filii eorum, qui non norint *legem*, *eam* audiant & discant, ita ut timeant Jehovam Deum vestrum, omnibus diebus, quibus vivetis in terra, ad quam possidendam Jordanem trajicitis.

14. Dixit deinde Jehova Mosi: ecce proximum est tempus quo morieris, voca *ad te* Josuam, vos sistite ad tabernaculum conventûs, eúmque mandatis instruam. Ivit verò Moses cum Josua, & se stiterunt ad ostium tabernaculi conventûs. 15. Tum conspectus est Deus ad tentorium, in columna nubis, stetitque columna nubis ad ostium tentorii. 16. *Ibi* dixit Jehova Mosi: ecce cubitum ibis cum majoribus tuis, surgétque iste populus, & impuro cultu prosequetur Deos alienos terræ in quam ingressus fuerit; me relinquet, & irritum faciet fœdus meum, quod cum illo pepigi. 17. Eo autem tempore in illum ira mea accendetur, eum relinquam, abscondam ei faciem meam, eò deveniet ut absumatur, ei mala multa & angustiæ accident, & dicet eo tempore: annon quia nullus est Deus, in medio mei, hæc mala mihi obvenerunt? 18. Abscondam ego faciem meam, eo tempore, propter omne malum quod fecerit, & quia se ad alienos Deos converterit. 19. Nunc autem scribite vobis hoc canticum, id docete Israëlitas, ponitéque in eorum ore, ut mihi hoc canticum testis sit in Israëlitas. 20. Nam eum quidem populum intromittam

bræus, tempore festi Tabernaculorum, 11. cùm convenerit ad locum in quo sacra publica populi fient, eo audiente, tota Lex publicè prælegitor. 12. Propterea universus populus, qui illic erit, convenito, Legésque observandas studiosè audito atque addiscito. 13. Earum cognitio, hoc modo, ad seros nepotes propagator; & cultus ac reverentia Dei Israëlis, in terra Chananæa, in perpetuum vigento.

14. Mosem eo tempore monuit Deus, non procul abesse horam, quâ rebus humanis eximi eum oportebat, jussitque unà cum Josua ad Tentorium se sistere, ut extrema moriturus mandata à se acciperet. Paruit Moses, & cùm ad ostium Tentorii cum Josua accederet, 15. ecce verò nubes descendit, atque eo in loco hæsit. 16. Hinc emissa vox eos, in hanc sententiam, est alloquuta: Brevi, ô Moses, ad plures ibis, populúsque iste tuus, spretis legibus meis, aliquanto pòst tempore Chananæorum Numina colere incipiet. 17. 18. Ego verò ei propterea infensus favere desinam, & calamitates immittam, quibus non parum minuetur; donec intelligat ea mala sibi, ob spretas leges meas, evenisse, atque ad officium revertatur.

19. Ne autem casu ea omnia contigisse quis umquam suspicetur, Canticum scribite, quo id ipsum prædicatur, & curate ut ab omnibus Hebræis memoriæ mandetur. 20. Intromittam quidem eos in terram eorum Majoribus à me promissam, & illic copiis omnibus donabo; sed illis ipsis beneficiis abutentur, & omisso mei cultu, alienos Deos honore sacrilego prosequentur. 21. Tum verò pœnas

Sacerdotes dicuntur *bajulare arcam*, quia quamquam Levitarum hoc munus erat, ut liquet ex Num. Capp. III, & IV. nihil obstabat quominùs Sacerdotes, si vellent, eam bajularent; nam his parere oportebat Levitas, ut iisdem locis docet Moses. Hinc & alibi Sacerdotes arcam bajulasse dicuntur. Vide Jos. Cap. III, 3,6,8. VI,6. 2. Sam. XV, 29. 1. Reg. VIII, 6. Adito & *Joann. Buxtorfium* de Arca Fœd. Cap. VIII.

10. *Post septem annos* &c.] Satis liquet otium anni Sabbathici, ad hanc sollemnem Legis lectionem, quæsitum; sed mirum est Mosem non jussisse præterea exemplaria Legis plurima describi, & per populum spargi. Soli enim Regi hoc præcipit Cap. XVII, 18. At fortè perpauci illo ævo, inter Hebræos, legere & scribere poterant.

11. *Ad videndam faciem*] Phrasis desumta à populis, qui subinde *Regis faciem* invisunt, hoc est, eunt in locum in quo degit, ut Regem præsentem videant.

Præleges hanc legem] Non docet Moses quis legeret, quia nihil intererat à quo hoc fieret. Heldras eo munere fungitur Nehem. VIII, 1, 2. & seqq. Regis tamen hoc munus fuisse volunt Thalmudici in *Sota* Cap. VII. §. 8. At illi quod nesciebant comminiscebantur, ne quid veterum institutorum suæ Gentis ignorare viderentur. *Josephus* Pontificem Maximum legisse ait Ant. Jud. Lib. IV. c. VIII.

12. *Intra mœnia tua*] *In portis tuis.*

Meminerint facere] *Servent ad faciendum.*

14. *Proximum est tempus quo morieris*] *Adpropinquarunt dies tui ad moriendum.*

15. *Ad tentorium*] באהל. Vide not. ad Num. IV, 3, 4.

16. *Cubitum ibis*] שכב *cubans.*

Impuro cultu prosequetur Deos] *Scortabitur post Deos.* Vide ad Exod. Cap. XXXIV, 15.

17. *Abscondam ei faciem meam*] Hoc est, infensus ero. Metaphorâ à Regibus desumtâ, qui eos quibus indignantur in conspectum suum admitti vetant. Contra amicos, quoties placet, admittunt. Vide *Hug. Grotium* ad Matth. XVIII, 10.

18. *Abscondam*] *Abscondendo abscondam.*

Ei accident] *Invenient eum.* Sic & in sequentibus verbis, iterúmque vers. 21.

19. *Docete*] *Doce & pone*; Mosem, nempe, potissimùm alloquitur. *Ponere in ore* est effi-

tam in terram lacte & melle fluentem, de qua ejus majoribus juravi, comedétque, satiabitur, & pinguis fiet; at se convertet ad Deos alienos, eos colet, me verò aspernabitur, & fœdus meum irritum faciet. 21. Cùm deinde ei acciderint mala multa, & angustiæ, tum verò hoc canticum in os ejus testimonium dicet (quippe quod numquam oblivione excidet ex ore sobolis ejus) novi enim quid sibi hodie *animo* fingat, antequàm eum intromittam in terram, quam juratus *es* promisi.

22. Illo itaque die scripsit Moses hoc canticum, idque Israëlitas ediscere curavit. 23. Dein *Deus* mandatis instruxit Josuam, Nunis filium, &, fortis, inquit, ac constans esto; tu enim intromittes Israëlitas in terram, quam juratus eis promisi, ego verò tibi adero.

24. Cùm verò absolvisset Moses scribere verba hujus legis in libro, donec perfecisset, 25. mandatis instruxit Levitas arcam fœderis Jehovæ ferentes, his verbis: 26. accipite librum hujusce legis, eúmque collocate ad latus arcæ fœderis Jehovæ Dei vestri, atque illic in testem erit contra vos. 27. Novi enim vestram indolem rebellem, & rigidam cervicem; ecce, me etiamnum vivente vobiscum, rebelles hoc tempore fuistis in Jehovam, *eritisque* etiam postquàm mortuus fuero. 28. Congregate ad me omnes senes tribuum vestrarum, omnésque vestros adparitores, ut iis audientibus ea verba proloquar, cœlúmque & terram in eos contester. 29. Novi enim vos, postquàm mortuus fuero, depravatum iri, deflexurósque ex via, quam vos *sequi* jussi, & mala posthac vobis obventura, quia malè vos gesseritis coram Jehova, dum eum operibus manuum vestrarum provocaretis. 30. Tum Moses, audiente universo cœtu Israëlis, verba hujus cantici, donec absolvisset, proloquutus est.

XXXII. Can-

nas ab iis exigam, & cladibus oppressi recordabuntur hujusce Cantici, quo ea mala prænunciata sibi fuerint; neque enim patiar hoc Canticum umquam oblivioni mandari, & ita pravam indolem illius populi novi, ut mala, ab hoc ipso tempore, ab eo agitari consilia intelligam.

22. Moses vero totum hoc Canticum, à Deo sibi dictatum, conscripsit, & operam dedit ut ab Israëlitis disceretur. 23. Deus etiam Josuam jussit bono & forti animo esse, pollicitusque est se ei, populum Hebræum in Chananæam intromittenti, semper adfuturum.

24. 25. Canticum autem hoc Legum divinarum volumini additum, tradidit Moses Sacerdotibus Arcæ Dei curam gerentibus, 26. & librum, inquit, Legis unà cum hocce Cantico, juxta Arcam, in Adyto collocate, ut æterna sint divinæ voluntatis, delictorumque vestrorum monumenta. 27 *ad* 29. Novi enim pervicax Hebrææ gentis ingenium, & jugi Legum divinarum impatiens; nec si, me vivente, in Deum tam sæpe rebellavit, me mortuo, obsequentiorem ei se præbebit. Itaque Principes Tribuum, omnésque Magistratus populi Hebræi, unà cum Adparitoribus, ad me convocate; ut, antequàm moriar, Deum & homines contester, si Leges divinas violetis, quod vos facturos satis intelligo, id non futurum meâ culpâ, quòd officii vestri vos commonefacere, aut pœnas quas Deo daturi estis prædicere neglexerim. 30. Hæc cùm dixisset Moses, clarâ voce Canticum sequens, coram omnibus, à capite ad calcem recitavit.

P A-

efficere ut quispiam memoriter recitare possit, ut *habere in ore* est quidpiam ita tenere, ut sæpe id recites. Vide Cap. XXX, 12.

Testis sit] Ut sit veluti monumentum, quo constet me eos satis, supérque monuisse, nec, si iis faveam, id propter eorum virtutem me facere; útque intelligant pœnas, quas dabunt, à me, qui eas prædixi, esse profectas.

20. *Satiabitur* &c.] Vide not. ad Cap. VI, 11.

Pinguis fiet] Fiet dives, metaphorâ à pecudibus ductâ. Sed cùm hæc omnia verba sint conjunctione *Vau* copulata, & *pinguescere* significet haberem fieri, potuissemus etiam vertere; *sed pinguis fiet, se convertet ad Deos* &c. Vide Esai. Cap. VI, 10.

21. *In os ejus testimonium dicet*] *Respondebit in faciem ejus. Respondere* testes solent dici. Vide not. ad Exod. XX, 16.

Oblivione excidet] *Mandabitur oblivioni ex ore*, תשכח מפי.

Quid sibi hodie animo fingat] *Figmentum ejus, quod facit.* יצרו אשר עשה Vide not. ad Genes. Cap. VI, 5.

Juratus promisi] *Juravi.*

24. *Cùm verò absolvisset*] Cùm superiora omnia dictasset, sequentia contigerunt, quæ, jubente Mose, etiam scriptis mandata sunt.

26. *Accipite librum*] לקח *lakoahh*, accipiendo. Samaritæ legunt לקחו likhhou *accipite*. Fortè hoc excidit, & fuit לקח לקחו *accipiendo accipite*.

Ad latus arcæ] Unde tamen vetitum non fuit eum sumere, ut describeretur. Vide Cap. XVII, vers. 18.

In testem contra vos] Hoc cùm fortè aliàs, tum etiam tempore Josiæ contigit, ut videre est 2. Reg. XXII, 10. & seqq.

27. *Indolem rebellem*] מריך merjecha *rebellionem tuam.*

Hoc tempore] היום *hodie*, me vivente.

28. *Senes tribuum*] Capita tribuum.

Cœlumque & terram] Vide not. ad Cap. XXXII, vers. 1.

29. *Depravatum iri*] השחת תשחיתון *corrumpendo corrumpetis*, nempe, *vias vestras* דרכיכם, quæ est integra phrasis. Vide Gen. VI, 12.

Mala] *Malum.*

Operibus manuum vestrarum] Hoc est, statuis commentitiorum Deorum, nam passim dicuntur מעשה ידי אדם *opus manuum hominis.*

30. *Proloquutus est*] Recitavit ex scripto, & postea etiam vulgò exscribendum dedit, ut ab omnibus addisci posset.

C O M-

XXXII. Canticum Mosis.

Caput XXXII. 1. AUres præbete Cœli, & loquar; audiat Tellus sermones oris mei. 2. Pluviæ instar stillabit doctrina mea, ut ros sermo meus defluet, & velut *decidunt* imbres in herbulam, atque in herbam majorem tenuiores pluviæ. 3. Invocabo enim nomen Jehovæ, Deum nostrum magnificate.

4. Pe-

PARAPHRASIS.

1. DEum & homines eorum quæ dicturus sum, ut sempiterna sit dictorum meorum memoria, testes voco. 2. Quemadmodum roribus & pluviis tempestivis oritur atque adolescit herba: ita doctrina mea, pio animo excepta, eum faciet virtutum omnium feracem. 3. Neque enim hæc profero sponte meâ, sed à Deo, quem invocavi, jussus; ideòque Numini, per me loquenti, honorem exhibete.

4. Deus noster justitiæ & æquitatis est amantissimus,

COMMENTARIUS

In Caput XXXII.

1. A*Ures præbete Cœli* &c.] Si quæsieris, quare Moses testes cœlum & terram vocet, ab eorum perpetua duratione petendam rationem esse, ut faciunt Interp. nonnulli, non censuerim. Malim dicere testes, Deum, Angelos & homines vocari. Vide simile exemplum Deut. IV, 26. & Jos. XXIV, 27. Esai. I, 2. Scriptor *Quæstionum ad Orthod.* Quæst. XLVII. quærentibus si Elementis sensus non est, quare Moses cœlum & terram testetur? τὰ λεγόμενα, respondet, πρὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν πρὸς τοὺς ἐν αὐτοῖς λέγεται λογικοὺς, ὡς τὰ λεγόμενα πρὸς τὴν πόλιν πρὸς τοὺς πολίτας, καὶ τὰ ἑξῆς. *Quæ cœlo & terræ dicuntur, Ratione præditis dicuntur quæ in illis sunt, ut quæ dicuntur urbi civibus dici censentur.* Similiter Latini dicunt *cœlum & terram contestari*, quod idem sonat ac *Deûm atque hominum fidem implorare* &c.

2. *Pluviæ* &c.] Ut pluviâ sitienti herbæ nihil salubrius: ita divinæ voluntatis cognoscendæ avidis mortalibus nihil gratius accidere ejus revelatione potest. Nascenti herbulæ copiosiores imbres conducunt, adultiori minores, quia majoribus sternitur & putrescit. Sic & doctrina, hoc Cantico tradita, Israëlitarum captui accommodatissima. Verba avidiùs audita alibi similiter pluviæ conferuntur: *Verbis meis*, ait Job. XXIX, 22. *nihil addebant, in eos stillabat* (ut hîc) *sermo meus, exspectabant me instar pluviæ, & ad serotinum imbrem os aperiebant.* Ceterùm vaticinium sint, an præceptum verba hæc Mosis non satis constat. Oratio enim, per Futurum concepta, tam imperantis potest esse, quàm prædicentis; &, ut debuit, doctrina Mosaïca, interdum saltem, ab Israëlitis avidissimè excepta est. Hujus certè Cantici in calamitatibus suis meminisse debuerunt; in quo earum causæ & remedia aperiuntur. LXX. & Latinus Intt. quasi præceptum hæc habuere, cùm illi Imperativo, hic Subjunctivo usi sint. Similitudine eadem interdum οἱ ἔξω usi. *Homerus* Ulyssi tribuit Il. Γ. 222. — ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν *verba pluviis procellosis similia*, διὰ τὸ τάχος τῶν νοημάτων, si *Eustathio* credimus, διὰ τὸ πυκνὸν, διὰ τὸ τῆς σαφηνείας διαλάμπον: *propter cogitationum celeritatem, copiam, & perspicuitatem.* Quæ etiam, si ita videatur, de Mosaïca comparatione dici poterunt; quamvis hîc non tam dicentis facundiam, quàm effectus ejus in audientium animis spectari crediderim.

Stillabit] Metaphora desumta ex pluvia, aut rore, quâ utitur Jobus, loco adlato. De Prophetis aliquoties occurrit, ut Ezek. XX, 46. XXI, 2. Moses hîc usus est voce יערף *jaharoph* quæ hîc tantùm & Cap. XXXIII, 28. *stillandi* notione legitur. LXX. Intt. habent hîc προσδοκάσθω *exspectetur*, infrà συννεφὴς ἔσται *obscurus erit.* Vulg. hîc *concrescat*, infrà *caligabunt.* Utrobique absurdè, quod cùm ex re ipsa, tum ex sequente Colo, Hebræorum more, aliis verbis idem exprimente liquet. *Onkelos* qui interpretatur יבסם *jibsas*, suavis sit, sensum duntaxat respexit; ut vel ex sequentibus ejus Paraphraseos verbis adparet: *excipiatur*, inquit, *sicut ros verbum meum.* Non puto legisse eum יערב jaharob, *grata erit*, ut vult *Hug. Grotius*: uti nec ex eo quod יתקבל jithkabbal, *excipiatur*, posuit pro תזל thizzal, *fluet*, aliter ab eo hunc locum lectum esse quisquam collegerit. Vid. & ad XXXIII, 28.

Doctrina mea.] לקחי *likhhi.* Verbum לקח, inter alia significata, *doceri*, seu *doctrinam accipere* sonat, ut Prov. I, 3. IV, 10. Hinc derivatum לקח *lekahh* est doctrina, quam, nimirum, ab alio accipimus. Apud Græcos & Latinos, παραλαμβάνειν & *accipere* passim etiam *audire* significat, ut 1. Cor. XI, 23. & XV, 3. Leve ergo est eorum argumentum à notatione vocis desumtum, qui non quamvis, sed *accipiendam doctrinam* vertunt, quia Radix *accipere* sonat.

Imbres] Heb. שעירים *schehirim.* LXX. Intt. vertunt ὄμβρον. Vulg. *Imbrem.* Onkelos רוחי מטרא rouhhe mitra, *venti pluviæ*, hoc est, vehementior pluvia, & quæ non sine vento cadit. Ac sanè שערה *scheharah* tempestatem significat. Itaque frustra esse videntur, cùm inter Hebræos, tum inter Christianos Intt. qui tenuem pluviam vertunt ex conjectura. Est enim unicus locus, in quo ea vox pluviæ notione occurrat. Iis etiam adversatur res ipsa, nam cùm דשא *desche* teneram herbam sonet, ut ostendimus ad Gen. I, 11.

mul-

4. Petræ perfectum est opus, omnes enim ejus viæ sunt justæ, Deus est veritas,
nulla *in eo* iniquitas, justus ille & rectus est. 5. Corruperunt se, ejus non sunt
filii *homines* maculosi, perversa & prava ætas. 6. Hæccine Jehovæ rependis, po-
pule stulte & insipiens? Nonne pater ille *ac* genitor tuus? nonne te ille fecit &
firmavit?
7. Dies antiquos memoriâ recolito, in animum revocato ætatum singularum an-
nos; interroga patrem tuum, atque narrabit tibi, senes item tuos, & tibi dicent.
8. Cùm

simus, nec quidquam facit quod utrámque eam virtutem non exprimat. 5. Itaque Hebræi, injusti atque iniqui homines, eum nequaquam imitantur, & indigni sunt qui progenies ejus vocentur. 6. An pro tot & tantis beneficiis, ô gens insipientissima, hoc Deo rependis, ut negligas ejus instituta? An non Majorum tuorum sobolem auxit, atque ad singularem Rempublicam constituendam evocavit ex Ægypto, & legibus instruxit?
7. Historias præteritarum ætatum revolve, longævósque senes de Dei beneficiis interroga, & quid ei tu, Majorésque tui debeatis cognosces.
8. Ita

multò meliùs huic loco convenit copiosioris pluviæ significatio, quod jam obiter ostendimus. Nascentibus enim herbis conducunt majores imbres, dum eis copiosum alimentum suppeditant; grandiores verò herbas humi adfligunt, & putrefaciunt. Hoc, nisi experientiâ omnibus notum esset, *Theophrasti*, ejúsque interpretis *Plinii* auctoritate confirmari posset. Vide hunc *Hist. Nat.* Lib. XVIII. c. 17. illum *Hist. Plant.* Lib. VIII. c. 6. & de *Causis Plant.* Lib. II. c. 3.

Tenuiores pluviæ] רביבים *rbibim* dicuntur tenues pluviæ, à רבב rabab, *multus fuit*, propter guttarum multitudinem. Hinc LXX. habent νιφετὸς, Vulg. *stilla*, Onkelos כרסיסי מלקושא chirsise malkoscha, *ut guttæ pluviæ serotinæ*. Alibi etiam à LXX. Intt. σταγόνες *guttæ*, vertitur. Certè, ut diximus, altiori fœno melior est tenuis pluvia, quæ, ut Plinianis verbis utar, *non universa ingurgitans, diluénsque, sed quomodo sititur destillans, velut ex ubere alit omniaque inundat*. Michææ V, 6. ubi hæc vox conjungitur cum voce עשב, ut hîc: *erunt reliquiæ Jacobi* כרביבים עלי עשב chirbibim hale hescheb, *instar minutæ pluviæ in majorem herbam*, habebat *Aquila*: ὡς ψεκάδες ἐπὶ πόαν, *Theodotion* ὡσεὶ νιφετὸς ἐπὶ χόρτον.

3. *Invocabo enim*] In tanta particulæ כי *chi* ambiguitate, non satis liquet quomodo verti hîc debeat. Si *enim*, aut synonymâ particulâ interpretemur, erit αἰτιολογικὸν, & Moses rationem reddet spei, quam de effectu hujus Cantici concepit, aut præcepti in antecedentibus verbis expressi. Si *quando* vertatur, ut quidam fecere, erit ratio ob quam subjicit *magnificate Deum nostrum*. Perinde erit, si παρέλκον intelligatur.

Magnificate] *Date magnitudinem*, aut *magnificentiam*; hoc est, agnoscite quantus sit Deus, ejúsque magnitudinem adorate. Magnitudo autem Dei in ejus potentia, qualis ex operibus adparet, sita est Vid. sup. IX, 26.

4. *Petræ*] Nota est significatio vocis צור *tsour*, quâ Deus, in hoc Cantico, ter designatur. vss. 15, 18, 37. Quidam volunt, cùm de Deo legitur, eâ significari idem ac יצר jotser, *fictor*, seu *creator*, quia צור, ut יצר, aliquando *fingere* ac *formare* sonat. LXX. quidem Intt. 2. Sam. Cap. XXII, vers. 32. κτίστην transtulere, alibi plerumque, ubi de Deo sermo est, Θεὸν, κύριον, βοηθὸν, φύλακα &c. Notationémne vocis, an sensum respexerint mihi parum liquet. Verùm licèt huic loco, aliísque haud malè *Creatoris* significatio conveniat, malim tamen in usitata *petræ* notione manere. Quamobrem autem Deus ita dicatur, ratio est in promtu; nimirum, ut *petræ*, seu *rupes* perfugia sunt ubique, atque in Syria præsertim, contra hostium exercitus, ac latrocinia: sic Deus Israëlitis asylum. Hinc infrà vers. 15. *petra salutis* dicitur, hoc est, instar petræ, in quam, ut saluti suæ consulant, accolæ confugiunt. Commate etiam 37. ubi Moses ita Gentium Deos irridet: *ubi sunt eorum Dii*, צור *petra in qua confidebant*? optimè convenit *rupis* significatio, nullo modo *fictoris*. Vid. not. in Habdiam, ad comma 3. & *seqq.* Cùm autem Deus צור diceretur, propter certum perfugium, quod in eo pii inveniunt; eadem illa vox, ubi de perfugio non agitur, de Numine etiam usurpatur, ut hîc comm. 4. & 18. Ceterùm in pluribus Editionibus, Venetis, Basileensi, Buxtorfiana, Plantinianis, aliísque, *Tsade* hujus vocis est רבתי *magna*, quod & in margine notatur. *Joannes* tamen *Buxtorfius Comm. Massorethici* C. XIV. malè hoc vult fieri & contra Massoram Esai. LVI, 10. & in principio Libri Geneseos, ac Lib. Chronicorum, ubi majusculæ litteræ recensentur, hac præteritâ. Sed Massora fortè hinc emendanda; aut potiùs, ut observatio Massoræ inanis est diligentiæ: ita etiam hîc *Tsade* sine ratione majusculum est. Quod in Codice Massorethartum non fuit, in alio, aut casu, aut librario sic volente, scriptum est. Vid. ad vers. 6.

Perfectum est opus.] Hebr. *Petra, perfectum est ejus opus.* Passim, apud Hebræos, substantivum aut pronomen abundat. Vid. Abd. VI. com. Hebraïca vox תמים *thamim*, quam *perfectum* vertimus, significat etiam id in quo nihil reprehendi potest, sanctum & immaculatum; sed nec vox *perfectus* hæc excludit, & paullò generalior est, ac Etymologiæ Hebraïci vocabuli consentanea. Perfectio itaque videtur hîc sanctitatem respicere, adeò ut nihil aliud velit Moses, nisi Deum sanctè & justè agere, quod adparet ex sequentibus vocibus synonymis. Providentiæ divinæ summa justitia hîc à Mose prædicatur, ut ab Ezekiele XVIII, 25. cui, in sequentibus, opponuntur Israëlitarum mali mores.

Omnes ejus viæ sunt justæ] *Judicium.* Vide Ezekielis locum laudatum.

Deus est veritas] Vox Hebr. אמונה *emounah* latiùs patet vocibus ἀληθείας & *veritatis*; justitiam enim, misericordiam, benignitatem, fideli-

8. Cùm gentibus agros incolendos divideret Excelsus, cùm filios Adami disperti-
retur, pro numero Israëlitarum, fines populorum constituit; 9. quia pars Jehovæ
est populus ejus, & Jacobus tractus ejus possessionis.
10. In terra deserta eum invenit, & in vastis locis, *in quibus audiuntur* ululatus
solitudinis. Circumduxit eum, erudiit, & instar pupillæ oculi sui custodivit. 12.
11. Quem-

8. Ita ille hominibus per orbem terrarum incolendos agros, Providentiâ suâ, divisit, ut plurium populorum fines solis Hebræis dare constituerit; quia Jacobi posteros, ut ceteris gentibus negata beneficia in eos profunderet, elegit.

10. Dum in vastis Arabiæ solitudinibus versarentur, Deus eorum Rempublicam constituere cœpit. Dux illis viarum fuit, virtutum omnium præceptor, & totius Reipublicæ diligentissimus atque amantissimus custos. 11. Quemadmodum aquila te-

delitatem complectitur, quod *Concordantiæ* & *Lexica* satis docebunt. Veteres Chaldæi dicebant Deum ἐοικέναι τὸ μὲν σῶμα φωτὶ, τὴν δὲ ψυχὴν ἀληθείᾳ *similem esse corpore luci, animâ veritati*, ut auctor est *Porphyrius*, in vita Pythagoræ.

Nulla in eo iniquitas, &c.] Vid. Jerem. II, 5. Ceterùm synonyma hîc congesta, aut more Hebræorum παραλλήλως; aut vim addunt orationi, quod & apud Ethnicos scriptores sæpe fit. *Cicero* Lib. II. *Tuscul. Quæst. Nihil habet natura præstantius, nihil quod magis expetat quàm honestatem, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus. Hisce ego pluribus nominibus rem unam declarari volo, sed utor iis ut quàm maximè significem pluribus.* Hac de re accuratè, multisque exemplis allatis Græcis & Latinis egit *A. Gellius* Lib. XIII. c. 24.

5. *Corruperunt se*, &c.] Heb. ad verbum: *corrupit se ei, non filii ejus, macula eorum, generatio.* Adparet quidem, atque hac in re consentiunt plerique Intt. quos vidi, eum esse sensum quem expressimus; sed vocum structura vix ulla iniri potest. *Hieronymus*, qui eodem modo legit ac nos hodie habet: *peccaverunt ei, & non filii ejus in sordibus*, valde durè. At Samaritanus Codex: שחתו לא לו בני מום *corruperunt se, non sunt ejus filii maculæ*, quod expresserunt LXX. Intt. ἡμάρτοσαν, οὐκ αὐτῷ τέκνα μωμητά, *peccarunt, non ei sunt filii vituperabiles.* Nec dubium est, quin hæc lectio Grammaticæ Hebraïcæ convenientior sit. שחתו *scihhbethou* commodius ad בני *bene* refertur, quàm שחת in singulari. Pro לו לא *ei non*, commodius est לא לו *non ei*. Etiam בני מום *bene moum*, *filii maculæ*, pro filiis maculosis, analogiæ adprimè convenit. An constructionis leges usque adeò violare licuerit, per Hebraicæ Linguæ ingenium, ac violatæ sunt in nostris Codd. non mihi tam constat; quàm certum est rectam & analogicam esse Samaritici Codicis lectionem. Verùm seu hæc sit à Mosis manu lectio, seu hodierna Judaïcorum Codicum, idem ex utraque exsculpitur sensus; nempe, ex Deo sancto & justo non esse natam ejusmodi sobolem corruptam & pravam. Patri, nimirum, filios oportet esse similes, quem sensum expressit Christus Joan. VII, 39. & *seqq.*

Ejus non sunt filii] *Si filii Abrahæ estis*, ait Christus, *opera Abrahæ facite — hoc Abraham non fecit, vos facitis opera patris vestri — vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Vid. Ezek. XVI, 3. Ejusmodi est illud *Virgilii:*

Non tibi diva parens, generis nec Dardanus
auctor.

Maculosi] Heb. מומם moumam, *macula eorum.* LXX. Intt. sensum, adludentes ad Hebraïcæ vocis sonum, eleganter voce μωμητὰ expressere, quod & aliàs fecerunt. מום propriè videtur de vitio corporis dici, ut colligere est ex Levit. XXI, 17. & *seqq.* unde ad animum translatum est, Prov. IX, 7. Id in quo nullum est vitium Hebræi voce, de qua egimus ad vers. 4. תמים *thamim* adpellant, quæ cùm de integri corporis victima, tum de viro vitæ integræ dicitur. Igitur Deo, cujus opus est תמים, propriè opponuntur בני מום *filii maculæ.* *Maculosos* vertimus, quia eâ voce Latini homines vitiis inquinatos significant.

Perversa & prava] עקש ופתלתל *hikkesch ouphthaltbol.* LXX. σκολιὰ καὶ διεστραμμένη. Sunt voces synonymæ, ut adparet ex Ps. XVIII, 23. & Prov. VIII, 8. Repetitio radicalium in voce פתלתל significationem intendit, adeò ut *contortissimam*, seu *depravatissimam* gentem significet, cujus rei exempla suppeditabit *Sam. Bochartus* in *Hierozoico* Cap. VI. Lib. V. P. 2.

6. *Jehovæ*] Hebr. הליהוה. Primum ה magnum esse notat Massora, qua de re fortè factum ut *Tsade* suprà vers. 2. majusculum scriberetur, scilicet, ut intelligeret Lector vocem צור, in qua צ majusculum est, huic ἰσοδυναμοῦν. Qui Massoræ plus æquo tribuunt, ii volunt majusculam hîc scriptam litteram ה, quæ quinarii numeri nota est, ad excitandam majorem admirationem, quòd *Hebræi* Domino, Patri, Redemptori, Factori, & Rectori suo adeò ingratos se præberent; ut benefactori, quintuplici titulo, ratione quintuplici displicerent, quia erant corrupti, perversi, contorti, stulti & insipientes, quæ iis vitia hîc exprobrantur. At duo posteriora unum, idémque sunt, ut tria priora unum etiam, non diversa significant. Itaque inanis hæc est argutia. Non majoris est momenti nota Massorethica, quæ significat hîc *Soriensibus scribi* ה *seorsim &* יהוה *seorsim*; *in aliis verò libris unam esse dictionem*, cùm manifestum sit hanc solam postremam lectionem esse rectam. At hinc adparet Massuram integram Tiberiade non esse factam, sed aliquas ejus partes saltem, postquàm Scholæ in Babyloniam fuissent translatæ, conscriptas. Vid. *Joan. Buxt. Comm. Mass.* C. VI.

Stulte & non sapiens] Hoc est, stultissime. Vid. not. ad C. IX, 7.

Genitor tuus.] קנך *kanecha.* Quædam diximus ad Genes. IV, 1. & XIV, 19. unde liquet קנה idem interdum esse κτίζειν, quod inde etiam derivandum videtur. Hoc in loco, synonyma conjuncta interpretationem nostram omnino comprobant. Deus erat Israëlitarum *genitor*, non

11. Quemadmodum aquila excitat nidum suum, volitat supra pullos suos, & pan-
dit alas: *ita* eum sumsit, atque in alas suas sustulit. 12. Jehova solus eum duxit,
neque ei adfuit Deus ullus alienus. 13. Eum vexit in edita loca terræ, & come-
dit proventus agrorum. Potandum ei dedit mel ex rupe, atque oleum ex petra
silice. 14. Butyrum boum, lac ovium & caprarum, cum adipe agnorum & arie-
tum

teneros pullos ad volatum excitat, & volare suo exemplo docet, volantibúsque præit: sic Deus nube sua, per quadraginta annos, imminente castris Hebræorum, signum illis profectionum dedit, pérque invias solitudines iter monstravit. 12. Nulli alii Numini deberi hoc quisquam fingere potest, cùm ex solius nubis Dei Israelis motu pependerint. 13. Ex deserta dein Arabia Hebræos adduxit in Galahaditicum montem, eósque fertilissimorum collium proventu donavit. 14. In Basanitide, quam subigen-

non modò creatione, quæ hîc tacitè poni, potiùs quàm respici videtur, sed etiam constitutione Hebraïcæ Reip. cujus erat pater & auctor; quod sequentia ostendere videntur. Eò etiam respicit Esa. XLIII, 7, 21. XLIV, 21.

Fecit te] Hebr. עשך *basecha*, quod idem עשך *bosecha* factor tuus. Hoc est, qui te populum fecit; non enim agit Moses de singulis Israëlitis, sed de toto populo. Sic, apud Græcos *κτίζειν* & *condere* apud Latinos, ubi de Gente usurpatur, ejus Rempublicam constituere significat.

Firmavit] ויכוננך *vaichonenecha*, in Futuro, cùm duo priora sint participia, pro more Hebræorum, qui omnia tempora miscent. כונן *chonen* sæpiùs cum verbo עשה *fecit* conjungitur, ut Esai. XLV, 18. Ps. CXIX, 73. nec dubium quin sit adfinis significationis. *Condere* aut *instaurare* urbem sonat Num. XXI, 27. Ps. LXVIII, 10. Hab. II, 12. cui notioni eum antecedentibus optimè convenit. Attamen vulgarem significationem *firmavit* retinuimus, quia non excludit jam adlatam.

7. *Dies antiquos*] Hebr. ימות עלם *jemoth bolam*. Vox עלם, ut notum, longum tempus significat, & tam de præterito, quàm de futuro dicitur. Cùm hoc Canticum non scriptum sit Israëlitis modò, qui Mosi æquales erant, sed futuris etiam ætatibus; quæ ejus ævo facta fuerant, quasi dudum præterita hîc describuntur.

In animum revoca] Heb. בינו binou, *cogitate*. Numeros miscent Hebræi, quod Latinis indecorum esset.

Ætatum singularum] Hebr. דר ודר dor vador, *ætatis & ætatis*, quæ repetitio *quamque* ætatem, notat. Hoc vult Moses: à tua ætate, ad priorem considerandam transeas, ab hac rursus ad superiorem, & sic porrò, ut beneficia à Deo in Israëlem collata cognoscas.

8. *Cum Gentibus agros* &c.] Mira ex hoc loco exsculpserunt Patres Græci, quia in Versione LXX. Virali pro vocibus *filiorum Israël*, sunt voces Ἀγγέλων Θεοῦ. Videntur legisse בני אל *bne el* filii Dei, & fortè litteræ ישר erant in eorum Codice deletæ, aut oculos fugiebant. Fortè & habuerunt alias rationes haud indignas relatu, quas in *Indice* ad vocem *Angeli* adseremus, ne nos extra oleas vagari cogant. Cùm filii Israëlis, seu Jacobi, qui in Ægyptum descenderant, fuissent septuaginta admodum, si sequimur Codices nostros, septuaginta quinque in Codice τῶν LXX; fuere qui crediderint esse per totum Terrarum orbem septuaginta, aut septuaginta quinque Gentes. Sed cùm hæc conjectura, obscuro loco unicè nixa, à re ipsa arguatur, aliud quærendum. Qui receptam lectionem retinent, nec ad figmenta confugiunt, ii hoc modo hunc locum interpretantur: Deum inter homines terrarum orbem ita divisisse, cùm post linguarum confusionem diversæ familiæ varias occuparent regiones, ut Israëlitis tantùm terræ reservarit quantùm numerosissimo populo necesse erat. Ex hac interpretatione, *fines populorum*, sunt *fines tribuum*; ac sanè Tribus interdum *populi* dicuntur, ut diximus ad Gen. XLIX, 10. Attamen durius hoc est, quia videtur vox *populi* eodem sensu sumenda ac vox gentes, quæ priore Colo occurrit. Sunt quidem qui velint עמים esse septem populos, qui ab Israëlitis internecione delendi fuere, & quorum agri iis cesserunt, quasi diceret Moses: cùm Deus terras humano divideret generi, septem Chanahanitidis populis tantùm agri dedit, quantùm olim Israëlis posteris excipiendis & alendis sufficeret. At hoc sine exemplo est, ut Chanahanitidis incolæ *populi* ἁπλῶς dicantur, & tota interpretatio durior est. Præterea *constituere* dicetur Deus *fines* Israëlis, eo tempore quo aliis Gentibus constituebat; quod verum non est, cùm fuerint Israëliticâ Gente multæ antiquiores. Neque dixeris hæc esse de decreto divino intelligenda, nam præterquàm quòd mera hæc est conjectura, de quavis Gente, quæ regionem quampiam invasit, similia dici possent. Deus eodem jure Romanis, Turris Babylonicæ tempore, diceretur fines dedisse eos, quibus Romanum imperium postea clausum fuit. Hæ atque aliæ difficultates, quominùs hæc sententia nobis probetur, impediunt. Nullus alius horum verborum, prout jacent, commodior occurrit sensus, quàm si dicamus hoc sibi velle Mosem; Deum, scilicet, qui fines omnibus populis providentiâ suâ adtribuit, Israëlitis dedisse fines, qui antea non unius populi fuerant. Nam septem populorum eos agris donavit. Sed vide notas ad hoc Canticum metricè descriptum.

Agros incolendos divideret] Hebr. בהנחל *banhbel*, quod de quavis possessione usurpatur, hîc de prædiis sumi debere manifestum.

Partiretur] Hoc est, cùm in varias oras, ut eas seorsim possiderent, amandaret. Quod ita factum esse non est intelligendum, quasi, Dei jussu, instar Israëlitarum, omnes Gentes, quæ tunc possidebant, occupassent. Dei Providentia hîc tantùm spectatur, quæ Idumæis, exempli causâ, Sehirem montem incolendum, expulsis veteribus colonis Deut. II, 5. & Harem Moabitis, Ibid. 9. dederat.

Fines populorum constituit] Hæc meliùs exprimi nequeunt, quàm Pauli verbis Act. XVII, 26. *Fecit* (Deus) *ex uno sanguine omne genus hominum, ut habitaret super universa terra, definient*

tum Basaniticorum, hircos cum adipe renum, *&* triticum *comedisti*, ac sanguinem
uvæ merum bibisti.
[15] At pinguis factus Jesurun recalcitravit; pinguis, & crassus factus es, *adipe*
es obductus; deseruit Deum, *qui* eum fecit, sprevit rupem salutis suæ. [16] Zelo-
typiam ejus commoverunt, peregrinis *Diis*; iis quæ detestatur eum irritarunt. [17]
Sacra fecerunt Cacodæmonibus, non Deo. Dii *quos* non norant, novi Dii
è vicinia venerunt, quos non timuerant vestri majores. [18] Rupis *quæ* te genuit
oblitus es, nec meminisiti Dei qui te peperit.

[19] Vi-

gendam eis tradidit, ingenti copiâ pinguissimi pecoris sunt potiti, vinique & frumenti maximum numerum prædati sunt, ac in lætissimis agris consederunt.

[15] Cùm hæc & multò plura Deo deberent Hebræi, postquàm omnium rerum copiâ abundarunt, divinas Leges spreverunt; [16] &, Deorum alienorum cultu, in Deum Opt. Max. deliquerunt, quamvis probè scirent socii eum esse impatientem. [17] Vicinorum Diis, iisdémque Cacodæmonibus antea sibi ignotis sacra fecerunt. [18] Deum denique, qui veluti utriusque parentis loco toti Reipublicæ fuerat, tantámque curam ejus gesserat, colere desierunt.

[19] Quod

nient statuta tempora (quibus eas terras occuparent) Gen. XV, 16. *&* *terminos habitationis eorum*, ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν.

9. *Tractus*] חבל *hhebel*. Vide not. ad Cap. III. 13. Metaphora hæc in Scriptura frequens, ducta est ab hominum consuetudine, à quibus certus tractus terrarum possidetur: quo modo Deus populi Hebræi, singulari ratione, dominus dicitur. Vide not. ad Cap. VII, 6.

10. *In deserta terra*] *In terra deserti.* Quia in deserta Arabia primùm in peculiaris Reipublicæ formam Israëlitæ consenserunt. Vide Hos. XIII, 5.

In vastis locis] בתהו Vide not. ad Gen. I, 2.

Ululatus solitudinis] ילל *jelel*, hoc est, non voces humanæ, sed ferarum dumtaxat ululatus, qui alibi non audiuntur. Sic describitur vasta solitudo Esai. XIII, 22.

Instar pupillæ &c.] Proverbialis loquutio, quæ summam curam, summúmque amorem sonat; nihil enim, si vitam excipias, carius est oculis, nihil quod majore curâ conservetur. Vide Sirach. XVII, 17.

11. *Quemadmodum aquila* &c.] Vide not. ad Exod. XIX, 4. Hunc totum locum copiosè interpretatus est & illustravit *Sam. Bochartus*, in Hieroz. Part. 2. Lib. II. Cap. 3.

Volitat] ירחף, de qua voce, vide dicta ad Gen. I, 2. Hac similitudine aptissimè describitur nubes imminens Israëlitarum castris, cujus motu excitabantur ad proficiscendum, & quæ semper pendula supra eos hærebat, Aquilæ instar, quæ expansis alis circa nidum suum volitat.

13. *Ad edita loca terræ*] Ex deserto Hebræi in Galaaditidem venerant, & Galaadum quidem montem fertilissimum occuparunt. Vide Deut. Cap. III.

Agrorum] שדי *schadai*, quæ est singularis forma pluralis numeri. Videntur autem hîc campestria loca intelligi, ut opponantur montibus, de quibus in superioribus verbis. Certè Hebræi Moabiticam planitiem, à Galaado ad Jordanem, invaserant.

Mel ex rupe & oleum ex petra] Est loquutio παροιμιώδης, quâ significatur fertilissima regio, ut illâ frequentissimâ *melle & lacte fluens.* Regio ex qua *mel ex rupibus fluit, & oleum ex silicibus*, alia intelligi non potest, nisi fertilissima. Fertilitatem terrarum, sæculo aureo, non multò aliter descripserunt Poëtæ. *Virgilius* Eclog. IV, 29.

Incultisque rubens pendebit sentibus uva
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

14. *Arietum Basaniticorum*] *Filiorum Basan*, quæ regio fuit pecori aptissima. Vide Numer. XXXII, 1. & not. ad Gen. XLIX, 26.

Cum adipe renum] Non licuit hunc adipem ex victimarum carne comedere, sed nihil vetuit quominùs aliarum pecudum pinguedo comederetur. Vide not. ad Levit. III, 17.

Et triticum comedisti] non *hhitta.* Primùm supplevimus ו quod passim abest, aut etiam excidit, (Vid. v. 43. Cap. XXXIV, 8. & Chr. *Noldium* num. 75.) nam absurda est loquutio quæ hîc ab Interpretibus esse creditur, *adeps renum tritici.* Deinde addidimus *comedisti*, quia verbum *bibisti*, quod solum in hoc commate est, non potest superioribus omnibus convenire. Ita tamen solent Hebræi. Vide Exod. XX, v. 18.

Sanguinem uvæ] Elegans metaphora ad vinum significandum, ob similitudinem quæ intercest inter vinum rubrum & sanguinem; sed quæ similitudo est inter *renes* animalium, & tritici grana? Vide ad Gen. XLIX, 11.

15. *Pinguis factus*] *Et pinguis factus est Jesurun & recalcitravit*; instar equi qui pabuli nimiam copiam comedit, & difficiliùs propterea domatur. Significatur Hebræi divites facti Legum minùs observantes fore. Vide Cap. VI, v. 11.

Jesurun] ישרון Sic vocatur Israël infrà Cap. XXXIII, 5, 26. & Esai. XLIV, 2.

Rupem salutis] Vide ad v. 4.

16. *Zelotypiam ejus commoverunt*] Vide not. ad Exod. XX, 5. & infrà v. 21.

Iis quæ detestatur] *Abominationibus*, id est, idolis, ut passim.

17. *Cacodæmonibus*] שדים *Schedim*, quod à שדד *vastavit*, quod maleficos Spiritus signari ostendit. LXX. δαιμονίοις Vulg. *dæmoniis.* Alii sic dictos volunt, quòd in vastis locis habitarent; eosdémque putant ac eos qui שעירים dicuntur Lev. XVII, 7.

18. *Te peperit*] Hoc videtur dici, ut Israëlitæ intelligentes Deum erga se instar utriusque parentis fuisse, peccatorum suorum atrocitatem faciliùs animadverterent. Vide ad v. 6. Sic Paulus modò patri se comparat, ut 1. Cor. IV, 15. Philem. v. 10. modò matri ut Gal. IV, 18.

20. *Ab-*

19. Vidit Jehova, & præ ira filios ſuos & filias abdicavit. 20. Dixit : abſcon-
dam faciem meam ab illis, videbo *quis futurus* ſit eorum finis ; ſunt enim ætas
perverſa, *&* filii in quibus nulla eſt fides. 21. Illi meam zelotypiam commove-
runt *eo quod* non eſt Deus, irritaverunt me inanitatibus ſuis ; ego verò eorum ze-
lotypiam excitabo eo *qui* non eſt populus, & gente ſtultâ eos irritabo. 22. Ignis
enim accenſus, in ira mea, ardebit uſque ad infima ſub terra loca, abſumet ter-
ram & ejus proventum, inflammabitque fundamenta montium. 23. Adjiciam iis
mala, & ſagittas meas contra eos abſumam. 24. Erunt tabidi fame, abſumti an-
ti

19. Quod cùm videret Deus, diutiùs eos populi ſibi conſecrati inſtar habere jure merito noluit. 20. Conſtituit iis non ampliùs opitulari, ut hactenus fecerat, atque eos pereuntes, nullo ſubmiſſo auxilio, propter eorum nequitiam, & in divinis legibus obſervandis inconſtantiam, ſpectare. 21. Voluerunt, inquit Deus, mihi præferre, aut mecum culere ea quibus nullum ineſt Numen, & quæ nullâ ratione Deorum nomine adpellari poſſunt ; at ego eos Gentibus, apud quas humanæ ſocietatis leges vix obſervantur, Gentibus inſanis ſubigendos atque abducendos tradam. 22. Cùm juſtas pœnas de Idololatris Hebræis exigam, univerſam eorum Rempublicam evertam, 23. 24. innumeriſque calamitatibus

20. *Abſcondam faciem*] Vide ad Num. VI, 25. Ab hoc verſu uſque ad 29. loquitur Deus, quod probè obſervandum, ut intelligatur hoc Canticum.

21. *Zelotypiam commoverunt*] Vide v. 6.

Inanitatibus ſuis] הבליהם *bablehem*. LXX. εἰδώλοις. Ac ſanè intelliguntur inania Numina. Sic vocantur Jerem. VIII, 19. XIV, 22. & alibi ſæpe.

Eo qui non populus] Hoc eſt, quorum leges tam malæ ſunt, ut eorum Reſpublica ſimilior ſit latrocinio, quàm πολιτείᾳ. Ejuſmodi erant Babylonii, qui ſub Regum ſuorum tyrannide vivebant ; ut non tam certis legibus, quàm voluntati Regum parerent. Accedebant & malæ leges, humanæ & civilis ſocietatis utilitatibus contrariæ, quarum plures profert *Herodotus* Lib. I. Hi, ſimiléſque iis alii, digni ſunt potiùs ſervorum aut latronum nomine, quàm populi. Ideò *gens ſtulta* vocantur. Deus autem victoriis, quas Babyloniis aliiſque de Hebræis conceſſit, horum zelotypiam commovit.

22. *Ignis accenſus* &c.] Quod contigit ſubverſione Sodomæ, de qua vide Diſſert. ſubjectam Comment. in Geneſin. Hac autem imagine deſcribitur ingens Reipublicæ Hebræorum mutatio. Vide & Cap. XXIX, 23.

Infima ſub terra loca] שאול תחתית *ſcheol thabbthith*. LXX. Intt. ἕως ᾅδου κάτω. Vulg. *ad inferni noviſſima*. Sed hæ phraſes nimiùm Ethnicifmum ſapiunt, & regna Plutonis in animum revocant. De voce שאל vide quæ notavimus ad Gen. XXXVII, 35.

23. *Sagittas meas*] Hoc eſt, tot iis immittam calamitates, ut nullæ ſuperſint. Nam mala à Deo immiſſa *ſagittæ Dei* vocantur, Job. VI, 4. Pſ. XXXVIII, 2, 3. XCI, 5. & alibi.

24. *Tabidi*] מזי mze. LXX. Intt. τηκόμενοι. Vulg. *conſumentur fame*.

Anthrace] רשף *reſcheph*, pruna. *Anthracem* vertimus, morbi genus, quod *carbunculum* vocat *Celſus* de Medicina Lib. VII. c. 28. Aut idem eſt morbus, aut adfinis, ſi ex nomine conjecturam facere licet.

24. *Ferarum*] בהמות *behemoth*, quod majora bruta ſonat, domeſtica, & ſilveſtria.

Cum veneno in pulvere repentium] Eſt venenatorum ſerpentium poëtica periphraſis. Vide Job. XL. 24.

25. *Viro cano*] *Viro canitiei*.

26. *Eos delebo*] אפאיהם *ad extremitatem redigam*, nam פאה *extremitas* agri aut alîus rei. Videtur hoc velle Deus : eos ita perdam, ut non plures ſuperſint, quàm reliquæ ſunt ſpicæ in agro, quem meſſor הפאיה, *ad extremitatem uſque demeſſuit*. Sequentia verba hunc eſſe ſenſum ſuadent. LXX. Διασπερῶ αὐτούς. Vulg. *ubinam ſunt*, quaſi legiſſet : אפו הם *epho hem*. Samaritæ legunt אפי הם *ira mea illos*, & *Onkelos* neſcio quid ſimile in animo habuiſſe videtur, qui vertit : *manebit ira mea ſuper iis*. Sed commodiſſima eſt lectio noſtra, ex adlato ſenſu.

27. *Niſi iram hoſtium* &c.] Moſes Deo plus ſemel qui forent ſermones aliarum Gentium, ſi Hebræos perderet, commemoravit, ut eum placaret. Vide Exod. XXXII, 12. Num. XIV, 13. & in hoc libro Cap. IX, 28.

Ab alio factum cenſerent] ינכרו *jenaccheron*. נכרי *nochri* eſt *ignotus*, *alienus*, unde התנכר *inſtar ignoti*, aut *alieni ſe geſſit*, ut Geneſ. XLII, 7. Hinc quoque in *Pihel* נכר eſt *tribuit alieno* quod ejus non eſt. Sic Jerem. XIX, 4. *Reliquerunt me*, ait Deus, *aliis tribuerunt* (נכרו) *hunc locum*, *&* *adoleverunt Diis aliis* &c. LXX. Intt. συνεπιθῶνται. Vulg. *ne fortè ſuperbirent*. Eodem ſenſu *Onkelos*. Conjecturæ ſunt & quibus nullum in ſignificatione Radicis, aut ejus derivatorum, eſt fundamentum.

Elata manus] Hoc eſt, ſummâ vi hoc ipſi perfecimus. Vide not. ad Exod. Cap. XIV, 8.

28. *Quæ inſanis utitur conſiliis*] אבד עצות *obad hetſoth*. LXX. Intt. ἀπολωλεκὼς βουλήν. Obſervavit *Lud. de Dieu* hanc Radicem ſignificare, apud Æthiopas, *ſtultum eſſe*, cui ſignificationi locum hîc eſſe meritò cenſet, ut & Jerem. IV, 9. Sequentia ei adſtipulantur.

29. *Extrema ſua*] Hoc eſt, calamitates quæ tandem ſibi contigerunt. Vide v. 20.

30. *Quomodo unus millenos* &c.] Vide ad Levit. XXVI. 8. Hæc quaſi præterita Cantico deplorat Moſes, quòd ea ita futura prævideat, & quaſi in illas ætates futuras ſe animo transferat, eáque dicat quæ tum demum debebant dici. Iterum hîc loquitur Moſes ad v. 33.

31, *Rupes eorum*] Hoc eſt, Dii eorum. Vide ad v. 4.

Vel hoſtibus judicibus] Hoc eſt, fatemur Deum Hebræorum ea geſſiſſe in gratiam populi ſui, quæ à nemine alio Deo geſta ſunt, in gratiam

ti anthrace, & lue amarâ; dentem ferarum in eos immittam, cum veneno in pulvere repentium. 25. Foris orbabit gladius, in penetralibus verò terror & adolescentem & virginem, lactentémque unà cum viro cano *perdet*. 26. Dixeram: eos delebo, fecissémque ut eorum inter homines desineret memoria; 27. nisi iram hostium veritus essem', ne ab alio factum censerent eorum adversarii, néve dicerent: elata nostra manus, non verò Jehova, omnia hæc fecit. 28. Sunt *enim* gens, quæ insanis utitur consiliis, & in qua nulla est prudentia. 29. Utinam saperent, intelligeréntque hoc, & extrema sua animadverterent!

30. Quomodo unus persequutus fuisset millenos, & bini fugassent decies millenos,

bus, & morbis eos ad paucos redigam. 25. Non modò cædentur, qui ruri erunt ac in locis apertis; sed eos etiam qui in munitas urbes confugerint, tantus terror invadet, ut eas defendere ausuri non sint, & victoris sævitiæ, nec ætatis, nec sexûs rationem habituræ, se se sint dedituri. 26. Imò verò Hebræum nomen hostili ferro penitus delendum traderem, 27. nisi scirem eorum hostes non divinæ justitiæ extremam hanc Hebræorum cladem, ut par est, adtributuros, sed copiarum suarum fortitudini. 28. Alioqui digni erant Israëlitæ, qui ad internecionem delerentur, quippe qui furiosis consiliis, de colendis alienis Diis, obsequuntur, & homines mortuos, aut res inanimas mihi præferunt. 29. At velim eos resipiscere, & agnoscere cùm meam in se clementiam, quâ factum ut funditus deleti non sint; tum etiam justitiam quâ, ob peccata in me commissa, meritissimas pœnas à se repetitas videbunt.

30. Hæc tamen facilè intelligerent, si in animum recultorum. Vide Exod. XIV, 25. 1 Sam. IV, 8.

32. *Eorum vitis*] Hoc est, propagines habent ex vitibus Sodomiticis; quæ proverbialis est loquutio, ad significandum Hebræos imitari Sodomitas, aliarúmque subversarum urbium incolas. Hîc autem כי *chi* vertimus *scilicet*, quia cùm hîc ratio sit eorum quæ dicuntur v. 30. nec tamen posset *nam* verti, ob superiora verba, vis ejus αἰτιολογικὴ aliter exprimi commodè nequiret.

34. *Apud me reconditum est*] Hoc est, quæcumque fiunt ab Hebræorum hostibus, Chaldæis, aliisque, ea in tabulas relata adservantur, ut suo tempore inspiciantur, & pœnæ de peccatoribus sumantur. Metaphora desumta à Regibus, qui in Tabulariis aliquando servant accusationes in suos, donec aptiore tempore rem cognoscere possint. Vide not. ad Exod. XXXIII, 32. & Job. XIV, 17. Iterum hîc loqui incipit Deus, & reliqua hujus Cantici dicit; excepto versu ultimo, quem ex persona Mosis proferri intelligere necesse est.

Obsignatum] Jobus, loco laudato: *obsignatum est in fasciculo delictum meum*. Locis adlatis ad Exodi locum laudatum adde hæc *Euripidis*, apud *Stobæum* Eclog. Phys. Lib. I. c. VII. p. 8.

Δοκεῖτε πηδᾶν τ' ἀδικήματ' εἰς θεὺς
Πτεροῖσι, κἄπειτ' ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς
Γράφειν τιν' αὐτά· Ζῆνα δ' εἰσορῶντά νιν
Θνητοῖς δικάζειν.

Creditis delicta subsilire ad Deos
Alata, deinde & in Jovis membranis,
Aliquem eadem scribere, illisque inspectis, Jovem
Mortales judicare.

Thesauris] אצרות significat hîc *Tabularia*, vel conclavia in quibus chartæ regiæ, commentariique adservantur. Γραμματοφυλακεῖα, & Ἀρχεῖα Græcè vocantur, barbarè *Archiva*. Sic Esdr. VI, 1. legimus inventum Cyri edictum *in domo librorum, quæ & gazarum illic repositarum*. Ejusdem libri Cap. IV, 15. provocant inimici Judæorum ad *commentarios* regios, qui illic adservabantur.

35. *Properant quæ sunt eis futura*] חש עתדות למו *properat futura illis*. Frequens hæc enallage, cujus rationem alibi non quæsivero, quàm in Linguæ Hebraïcæ ruditate; nam hîc suppleri *quisque* non potest, uti nec alibi. Vide *Joan. Buxtorfium* Thes. Gram. Lib. II. c. 10.

36. *Judicabit tamen*] כי *chi* quod non potest verti *enim*, nam ratio superiorum non redditur. Nec desunt exempla, ubi כי *tamen* significat. Vide Jer. II, 20. & *Chr. Noldium* num. 27. Ceterùm *judicare* Israëlem, est pœnas exigere à gentibus à quibus malè habitus est. Quamvis enim meritas pœnas Deo luisse statuatur, attamen non minus peccarunt hostes Chaldæi, alisque, qui eum crudelissimè habuerunt; non ut Deo parerent, sed ut sævitiæ indulgerent. Vide Ps. XLIII, 1.

Pœnitebit eum] Vide not. ad Gen. VI, 21.

Vires eorum evanuisse] אזלת יד *azelath jad*. *Manus* significat *vires*, quia in ea sunt præcipuæ hominum vires. Sic *brachium*, eadem de caussa, idem sonat. Gen. XLIX, 23. ubi vide not. Adi & Exod. XIV, 31. & *Val. Schindlerum* in hac voce. Hinc LXX. verterunt παραλελυμένους. Verbum אזל adhibetur Job. XIV, 11. ubi sermo de aqua, quæ effluit, nec redit.

37. *Dicens*] אמר *dicet*, quispiam, nimirum, qui videbit hostes Judæorum, conversâ rerum humanarum vice, cum rebus adversis conflictari. Absolutè sumitur verbum אמר, quasi passivam significationem obtineret, ut videbatur *Th. Gatakero*, in Diss. de stylo N. T. C. VII. Vide & quæ habemus ad Gen. XLVIII, 1.

38. *Qui comederunt adipem*] Irridet Ethnicorum Deos, quos adipem Sacrorum comedentes, & libamina bibentes describit, quia in eorum honorem adeps adolebatur, & vinum effundebatur; nec tamen in eorum gratiam, qui sumtus tantos in iis colendis fecerant, quidquam poterant. Ipsi Ethnici talia Diis suis exprobrarunt, quod plus semel apud *Homerum* occurrit. Vide & *Luciani* libellum *de Sacrificiis*. Idem in *Timone* Mercurium & Jovem hæc non negantes, deridiculi causâ, inducit. Mercurius ita

nos, nisi quòd rupes eorum eos vendidisset, & Jehova eos tradidisset? 31. Ne-
que enim rupes eorum est ut rupes nostra, vel hostibus nostris judicibus. 32. Sci-
licet, eorum vitis est ex Sodomitica vite, atque ex agris Gomorrhæ *sunt* eorum
uvæ; uvæ *sunt* illis venenatæ, botri amari. 33. Vinum eorum est venenum draco-
num, & sævum aspidum virus.

34. Nonne apud me reconditum est, & obsignatum in meis thesauris? 35. Mi-
hi *erit* ultio & vindicta, tempore apto labetur pes eorum, nam proximus est dies
eorum exitii, & properant quæ sunt eis parata. 36. Judicabit tamen Jehova po-
pulum suum, pœnitebitque eum, propter servos suos, cùm viderit vires *eorum* eva-
nuisse,

revocarent quàm pauci hostes ingentes Hebræorum copias fugaverint; quod numquam factum fuisset, nisi Deus pavore & formidine militum nostrorum animos implevisset. 31. Neque enim Dei nostri potentiam inferiorem esse Deorum suorum potentià, adeòque victam ab his fuisse, ipsi hostes nostri dicere ausint. 32. 33. Sed tanta admiserunt Hebræi peccata, ut Sodomitis, & vicinis populis, qui subversione agrorum suorum olim perierunt, meliores haberi nequeant.

34. Ne tamen hostes Hebræorum, ait Deus, existiment propterea nullam sævitiæ suæ erga victos Hebræos, mihi luituros pœnam; sciant mihi notissima esse sua scelera, nec oblivioni à me mandari putent, eò quòd illico ea non plectam. 35. Erit tempus, quo ultionem etiam de iis sumam. Incipient brevi res eorum retrò sublapsæ referri, neque enim diu mihi ab iis debitæ pœnæ differentur. 36. Calamitates Hebræorum quibus neque animi quidquam, neque facultatum supererit, misericordiam

ita loquitur de Timone: *ὗτός ἐστιν ὁ πολλάκις ἡμᾶς κατ' ἱερῶν τελείων ἑστιάσας, ὁ νεόπλουτος, ὁ τὰς ὅλας ἑκατόμβας, παρ' ᾧ λαμπρῶς εἰώθαμεν ἑορτάζειν τὰ Διάσια: hic est qui nos plerumque sacro convivio excepit, ex hostiis eximiis parato, ille repente dives factus, ille qui totas hecatombas, apud quem splendidè Diasia consuevimus agitare.* Jupiter quoque meritò conqueri Timonem pauperem factum agnoscit, *ἐπεὶ καὶ ὅμοια*, inquit, *πεπόνθαμεν τοῖς καταράτοις κόλαξιν ἐκείνοις, ἐπιλελησμένοι ἀνδρὸς, τοσαῦτα ταύρων τε καὶ αἰγῶν πίονα καύσαντος ἡμῖν ἐπὶ τῶν βωμῶν· ἔτι γοῦν ἐν ταῖς ῥισὶ τὴν κνῖσαν αὐτῶν ἔχω: siquidem imitati sumus exsecrandos illos adulatores, obliti viri qui tot pinguissimos tauros & capras nobis in altaribus adolevit, quorum nidor mihi etiamnum in naribus residet.*

Auxilientur iis] *Auxilientur vobis, & sit vobis latibulum.* Sed illa mutatio personæ Latinè ferri non posset עליכם eodem modo vertimus, ac si esset לכם aut אליכם *vobis.* Ac sanè על frequenter Dativo præfigitur. Vide Gen. II, 16. Exod. III, 18. Deut. VII, 16. & *Christ. Noldium* Num. 36. De Babyloniorum clade, & Deorum illorum eversione, vide Esai. XXI, 9. XLVI, 1. Jerem. L, 2. LI, 44.

39. *Ad vitam revoco*] ואחיה *& faciam vivere. Morte* extremæ calamitates significantur, *vitâ* verò res secundiores. Vide 1. Sam. II, 6. Job. V, 18. Hos. VI, 1.

40. *Ad cœlum sustuli* &c.] Juravi. Vide not. ad Gen. XIV, 22. & Gen. XXII, 16.

Ne vivam ego si &c.] *Vivus ego in æternum, si acuero.* Latinè negatione exprimi debuit, aut periphrasi. Vide not. ad Gen. XLII, 15.

41. *Aciem gladii*] ברק *fulgur gladii*, ob splendorem.

Hostibus meis] Idololatris. Vide ad Exod. XX, vers. 5.

42. *A capite quod dominabatur*] מראש פרעות *à capite dominationum*; nam פרעה interpretamur à significatione Arabica Radicis פרע, de qua vide ad Gen. XII, 15. Qua in re, præeuntes habuimus LXX. Intt. qui habent *ἀπὸ κεφαλῆς ἀρχόντων ἐχθρῶν.* subauditur autem hîc, *ad infimæ sortis homines*, עד עם הארץ, nam sic solent loqui Hebræi. Vide Exod. XI, 4, 7.

Dithyrambicus Canticorum stylus scatet Ellipsibus. Si hæc de Babylonis expugnatione intelligenda sunt, ut videntur, *Caput* de quo hic sermo est, erit *Nabonnadus* Babyloniorum Regum ultimus, quem captivum cepit Cyrus, ut docet *Berosus* apud *Josephum* Lib. II. in Appionem, Eum Regem *Λαβύνητον* vocat *Herodotus* Lib. I. c. 188. Sed נבואנדא videtur verum fuisse nomen. Occisum enim in Regia narrat *Xenophon*, de Inst. Cyri Lib. VII. at suspecta est, multis de causis, ejus historia.

43. *Terræ suæ ac populo suo*] וכפר אדמתו עמו *expiabit terram suam, populum suum.* Deest, *Vau*, sup. vers. 14. Samaritæ habent ארמת עמו *terram populi sui*, ut LXX. Intt, *τὴν γῆν λαοῦ αὐτοῦ* & Vulg. *terram populi sui.* Ceterùm hoc comma non à Deo, sed à Mose dicitur.

44. *Hosea*] Vide Num. XIII, 17.

45. *Cùm absolvisset*] *Et absolvit — & dixit eis.*

46. *Animadvertite*] *Ponite cor vestrum*, hoc est, diligenter adtendite.

Eorum sint memores] *Ad servandum ad faciendum.*

47. *Inanior quàm ut eam animo mandetis*] רק הוא מכם *inanior quàm vos*, quæ phrasis Hebraïca nonnisi periphrasi potest exprimi. Vide similem Hebraïsmum Gen. XXXII, 10.

Est vita vestra] Hoc est, ex eorum observatione pendet vestra incolumitas, ut sequentia verba docent. Simili loquutione usus Christus Joan. Cap. XVII, 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, qui es solus verus Deus* &c. Ad quæ verba vide *Hug. Grotium.*

49. *Jugum Nebuntis*] *Montem Nebo*, sed intelligitur singulare jugum montium, qui *Habarim* dicebantur. Vide not. ad Num. XXVII, 12. Crediderim dictum נבו à Radice נבא quæ, apud Arabas, significat *excelsus fuit, eminuit supra alios*; nec Moses videre potuisset Chananæam, ultra Jerichuntinos montes sitam, nisi ex altissimo jugo.

Morieris] *Morere & congregare.* Imperativus pro Futuro, ut alibi. Vide *Sal. Glassii.* Gram. Sacr. Tract. III. Can. XLIII.

Adgregaberis &c.] Vide not. ad Num. XX, v. 24.

51. *Sanctum non habuisti.*] Vide not. ad Num. XX, 14.

CAN-

nuisse, nec quidquam esse clausum ac relictum. 37· Tum *demum* dicent : ubi sunt eorum Dii ? *ubi* rupes, in qua spem suam sitam habebant? 38· Qui comederunt adipem eorum victimarum, qui biberunt vinum eorum libaminum, surgant, auxilientur iis , sitque iis latibulum. 39· Videte nunc me, me, *inquam*, eum esse *qui hæc feci*, neque mecum ullum esse *alium* Deum. Ego morte adficio, atque ad vitam revoco; confodio, atque sano; neque quisquam è manu mea liberat. 40· Etenim

diam meam movebunt, & eorum præces exaudiam, ut injustos eorum hostes puniam. 37· Eo tempore, irridebuntur Idololatrarum Dii, à quibus frustra auxilium sperarint. Quærent qui eorum clades videbunt, ubi sint illi Dii, 38· & quare tot opiparis sacris culti , suis cultoribus nihil prosint; neque asylum ullum præbeant ? 39· Tum demum omnes intelligent me esse, non alium ullum Deum, qui hæc fecerim. Ego solus is sum, qui populos ad extremas angustias, quando videtur, adduco ; dein,

CANTICUM MOSIS

Deut. XXXII.

In similiter desinentes versiculos divisum.

האזינו השמים ואדברה	Aures præbete Cœli , & loquar;
ותשמע	& audiat
הארץ אמרי פי:	Terra verba oris mei.
יערף כמטר לקחי	Stillabit ut pluvia doctrina mea,
תזל כטל אמרתי	fluet ut ros sermo meus:
כשעירים	ut imbres
עלי דשא וכרביבים	super herbulam , útque tenuis pluvia
עלי עשב : כי שם יהוה	super majorem herbam. Nomen Jehovæ
אקרא הבו	invocabo ; date
גדל לאלהינו:	magnitudinem Deo nostro.
הצור תמים פעלו	Rupis perfectum est opus ,
כי כל דרכיו משפט אל	quoniam omnes ejus viæ judicium , Deus
אמונה ואין עול	veritas & nulla iniquitas ;
צדיק וישר הוא:	justus & rectus ille.
שחת לו לא בניו	Corruperunt se , non *sunt* filii ejus,
מומם דור עקש ופתלתל	macula *est* eorum, generatio prava & detorta.
הליהוה תגמלו זאת עם נבל	An Jehovæ rependetis hoc , popule stulte,
ולא חכם	neque sapiens?
הלא הוא אביך קנך	Nonne ille pater tuus , genitor tuus ,
הוא עשך ויכננך:	ille factor tuus , & qui te condidit?
זכר ימות עלם	Memento dierum antiquorum,
בינו שנות דור	cogitate annos ætatis
ודור	& ætatis.
שאל אביך ויגדך	Interroga patrem tuum , & aperiet tibi;
זקניך ויאמרו לך:	senes tuos , & dicent tibi. (bus,
בהנחל עליון גוים	Cùm agros incolendos Excelsus divideret Genti-
בהפרידו בני אדם	cùm divideret filios Adami,
יצב גבלות עמים	constituit limites populorum,
למספר בני ישראל:	pro numero eorum colonorum.
כי חלק יהוה עמו	At pars Jehovæ populus ejus,
יעקב חבל נחלתו:	Jacobus tractus possessionis ejus.
ימצאהו	Invenit eum
בארץ מדבר ובתהו	in terra deserta, & in vastis locis,
ילל ישמן	ubi auditur ululatus solitudinis.
יסבבנהו	Circumduxit eum,
יבוננהו יצרנהו	erudiit eum , servavit eum,
כאישון	sicut pupillam
עינו:	oculi sui.
כנשר יעיר קנו	Ut aquila excitat nidum suum,
על גוזליו	supra pullos suos
ירחף יפרש כנפיו	volitat , & pandit alas suas:
יקחהו	sumsit eum,
על אברתו ישאהו:	in alam suam eum sustulit.
יהוה בדד ינחנו	Jehova solus eum duxit,
ואין עמו אל נכר : ירכבהו	nullus cum eo Deus ignotus. Vexit eum
על במותי	supra edita loca
ארץ ויאכל תנובתי	terræ , & comedit proventus

שדי

nim ad cœlum ſuſtuli manum meam, & dixi: *ne* vivam ego in æternum, 41. niſi acuam aciem gladii mei, apprehendat manus mea judicium, ultionem ſumam de hoſtibus meis, & rependam iis qui me odio habent. 42. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus comedet carnem, *tingam eas* ſanguine confoſſorum, & captivi *erunt* a capite quod dominabitur hoſtibus.

43. Celebrate gentes populum ejus, quia cædem ſervorum ſuorum ulciſcetur, vin-

dein, ſi lubeat, ſplendorem eis priſtinum reddo. Nemo eum, quem perditum volo, mihi eripere poteſt; neque juſtitiam meam effugient hoſtes populi Hebræi. 40. 41. Irrevocabili enim conſilio decrevi de Idololatris, qui populo mihi conſecrato bellum intulerint, pœnas exigere. 42. Eorum exercitus ingentibus ſtragibus cædentur, & reliqui, ne Rege quidem excepto, in captivitatem abibunt.

43. Hæc dixit Deus. Quamobrem, ô vos totius

שדי וינקהו
דבש מסלע ושמן
מחלמיש צורהן:
חמאת בקר וחלב
צאן עם חלב
כרים ואילים
בני בשן ועתודים
עם חלב
כליות חטה ודם ענב
תשתה חמר : וישמן
ישרון
ויבעט שמנת
עבית כשית
ויטש אלוה עשהו
וינבל צור ישעתו :
בזרים יקניאהו
בתועבת יכעיסהו :
יזבחו לשדים
לא אלה אלהים
חדשים לא ידעום
מקרוב באו אבותיכם לא שערום
צור ילדך
תשי ותשכח אל מחללך:
וירא יהוה
וינאץ מכעס בניו
ובנותיו :
ויאמר אסתירה
פני מהם אראה מה
אחריתם
כי דור תהפכת המה
בנים לא אמן בם
הם קנאוני
בלא אל כעסוני
בהבליהם ואני אקניאם
בלא עם גוי נבל אכעיסם:
כי אש קדחה
באפי ותיקד עד שאלת
תחתית ותאכל ארץ ויבלה
ותלהט מוסדי הרים : אספה
עלימו רעות חצי אכלה
בם : מזי רעב
ולחמי רשף וקטב
מרירי ושן בהמות
אשלח בם עם חמת
זחלי עפר * :
מחוץ תשכל חרב
ומחדרים אימה
גם בחור גם בתולה
יונק עם איש שיבה :
אמרתי אפאיהם
אשביתה מאנוש זכרם
לולי כעס אויב אגור פן ינכרו
צרימו פן יאמרו
ידינו רמה
ולא יהוה

agrorum, & potandum dedit ei
mel ex rupe, atque oleum
ex ſilice petrarum illorum,
butyrum boum, & lac
ovium & caprarum, cum adipe
agnorum & arietum
filiorum Baſanis, & hircos,
cum pinguedine
renum, & tritico, & ſanguinem uvæ
bibiſti purum. At pinguis factus eſt
Jeſurun,
& recalcitravit. Pinguis factus es,
craſſus & tectus *adipe* evaſiſti.
Deſeruit Deum, *qui* eum fecit,
ſprevit rupem ſalutis ſuæ.
Peregrinis *Diis* zelotypiam ejus movit,
deteſtandis eum irritavit.
Sacra fecerunt Cacodæmonibus,
non Deo. Dii
novi, *quos* non norant, (rant.
è vicinia venerunt, patres eorum eos non timue-
Rupis quæ te genuit,
oblitus es, nec meminiſti Dei qui te peperit.
Vidit Jehova,
& abdicavit præ ira filios ſuos,
& filias ſuas,
& dixit: abſcondam
faciem meam illis, videbo quis *ſit*
finis eorum;
nam ſunt ætas perverſa,
filii quibus non ineſt fides.
Illi zelotypiam meam moverunt,
eo, quod non eſt Deus, irritarunt me (bo
inanitatibus ſuis; at ego eorum zelotypiam moveo,
eo, qui non eſt populus, gente ſtultâ eos irritabo.
Ignis enim accenſus eſt
in ira mea, & ardebit uſque ad loca (ejus
infera ſub terra, abſumétque terram & proventum
& inflammabit fundamenta montium. Addam
iis mala, & ſagittas abſumam
contra eos. *Erunt* tabidi fame,
abſumti carbunculo & lue
amarâ; dentem ferarum
immittam in eos, cum veneno
repentium in pulvere.
Foris orbabit gladius,
ex penetralibus verò terror
& juvenem & virginem,
lactentémque unà cum viro cano.
Dixeram: eos delebo, (memoriæ,
feciſſémque ut eorum inter homines deſineret
niſi iram hoſtium veritus eſſem, ne ab alio factum
adverſarii eorum, néve dicerent: (cenſerent
manus noſtra elata,
non verò Jehova,

vindictam sumet de hostibus suis, & terræ suæ, ac populo suo propitiabitur.

44. Venit ergo Moses, & proloquutus est omnia verba cantici hujus, audientibus populo & Hosea, Nunis filio. 45. Cùm autem absolvisset omnia hæc proloqui, apud universum Israëlem, 46. ei dixit : animadvertite omnia verba, quibus vos hodie contestatus sum, ut liberis vestris præcipiatis eorum sint memores, quò omnia legis hujus verba observent. 47. Neque enim res hæc inanior est, quam *ut eam* vos *animo mandetis*, nam est vita vestra ; atque hac re dies *vestros* producetis in terra, ad quam possidendam Jordanem trajicitis.

48. Eodem

tius terrarum orbis populi , laudibus ad cœlum tollite felicitatem Hebræorum , qui eum colunt, à quo & peccatis suis veniam, & Idololatris , à quibus crudeliter habiti fuerint , perniciem exspectare possunt.

44. 45. Cùm Moses hoc Canticum integrum, audiente Josuâ, & toto populo Hebræo, recitasset, 46. iterum atque iterum eos jussit ejus esse memores, & liberos suos id docere , ut ad divinarum legum observationem adducerentur. 47. Neque enim rem parvam agi, sed eorum incolumitatem, ac felicitatem in agris, quos possidendos brevi à Deo accepturi erant.

48. Mo-

פעל כל זאת:	fecit hæc omnia.
גוי אבד עצות	Gens, quæ insanis utitur consiliis,
המה	sunt,
ואין בהם תבונה	neque ulla est in iis prudentia.
לו חכמו זאת ישכילו	Utinam saperent, hoc intelligerent,
לאחריתם יבינו:	& extrema sua animadverterent!
איכה ירדף	Quomodo persequutus fuisset
אחד אלף	unus millenos,
ושנים יניסו רבבה	& duo fugassent myriadem;
אם לא כי צורם	nisi quòd rupes eorum
מכרם ויהוה	vendidisset eos, & Jehova
הסגירם:	eos tradidisset?
כי לא כצורנו צורם	Neque enim ut rupes nostra est rupes eorum,
ואיבינו פללם	vel hostibus nostris judicibus.
כי מגפן סדם גפנם	Scilicet, eorum vitis *est* ex Sodomitica vite,
ומשדמות עמרה ענבמו	atque ex agris Gomorrhæ sunt eorum uvæ
ענבי רוש אשכלת מררת למו:	uvæ illis venenatæ & botri amari.
חמת תנינם יינם	Venenum draconum vinum eorum est.
וראש פתנים אשכלותם:	virus aspidum botri eorum.
הלא הוא כמוס עמדי	Nonne reconditum hoc apud me,
חתום באצרתי:	obsignatúmque in thesauris meis?
לי נקם	Mihi *erit* ultio,
ושלם לעת תמוט רגלם	& vindicta tempore apto. Vacillavit pes eorum,
כי קרוב יום אידם	quia proximus est dies eorum exitii,
וחש עתדות למו:	festinantque quæ sunt iis parata.
כי ידין יהוה עמו	Nam judicabit Jehova populum suum,
ועל עבדיו יתנחם	pœnitebitque eum propter servos suos,
כי יראה כי אזלת יד	quia videbit evanuisse vires,
ואפס עצור ועזוב*:	nec quidquam clausum aut relictum.
ואמר אי אלהימו	Tum dicet *quispiam :* ubi sunt eorum Dii?
צור חסיו בו:	*ubi* rupes in qua sperabant?
אשר חלב זבחימו	Qui adipem eorum victimarum, (vestrarum,
יאכלו ישתו יין נסיכם	comederunt, & biberunt vinum libationum
יקומו ויעזרכם	surgant, vos adjuvent,
יהי עליכם סתרה: ראו	sit vobis latibulum. Videte
עתה כי אני אני הוא	nunc me, me illum esse *qui hæc faciam*,
ואין אלהים עמדי	neque Deum ullum mecum *esse*.
אני אמית ואחיה	Ego occido, & ad vitam revoco;
מחצתי ואני ארפא	confodio, & ego sano,
ואין מציל מידי	nec quisquam liberat è manu mea.
כי אשא שמים ידי	Etenim sustuli ad cœlum manum meam,
ואמרתי חי אנכי לעלם:	& dixi: *ne* vivam ego in perpetuum
אם שנותי ברק חרבי	nisi acuam aciem gladii mei,
ותאחז במשפט ידי	adprehendat judicium manus mea,
אשיב נקם	ultionem sumam
לצרי ולמשנאי	de hostibus meis, & iis qui me habent odio
אשלם: אשכיר חצי	rependam. Inebriabo sagittas meas
מדם וחרבי תאכל	sanguine, & gladius meus comedet
בשר מדם חלל	carnem, *tingam eas* sanguine confossorum
ושביה מראש פרעות אויב*:	& *abducam* captivos, à capite dominante hostibus.

הרנינו

48. Eodem illo die, Mosem alloquutus est Jehova, his verbis: 49. adscende in montem hunc Habarimorum & quidem in jugum Nebuntis, qui est in terra Moabitica, è regione Jerichuntis, & prospice terram Chananæam, quam in possessionem do Israëlitis. 50. Dein morieris in monte, in quem adscenderis, atque adgregaberis populis tuis: quemadmodum mortuus est Aharon frater tuus, in monte Hore, & populis suis adgregatus est; 51. quia in me deliquistis, inter Israëlitas, ad aquas rixæ Kadesi, in deserto Tsinis; & quia me sanctum non habuistis, inter Israëlitas. 52. Videbitis enim è regione eam terram, sed illuc in terram, quâ Israëlitas dono, non ingredieris.

XXXIII. Be-

48. Monitus est Moses à Deo, eodem die, 49. tempus adesse quo è Nebuntis jugo, è regione Jerichuntis sito, terram Chananæam prospicere eum oporteret, si eam videre ante mortem vellet. 50. Tum in eo monte fato suo functurum, quemadmodum in Horis jugo mortuus erat frater ejus Aharon; 51. eò quod se non satis magnificè de Deo sentire, coram populo Hebræo, significassent; 52. è Nebunte enim eum prospecturum Chananæam, ad occasum Jordanis sitam, sed in eam pedem non illaturum.

P A-

הרנינו גוים עמו	Celebrate gentes populum ejus,
כי דם עבדיו	quia cædem servorum suorum *Deus*
יקום ונקם ישיב לצריו	ulciscetur, vindictam sumet de hostibus suis,
וכפר אדמתו עמו	& propitiabitur terræ suæ, ac populo suo.

NOTULÆ IN
CANTICUM MOSIS
metricè descriptum.

VErs 2. אשמעו] Hanc vocem componimus cum ארברה *adabberah*, quia ע haud multò aliter quàm ה ab Orientalibus pronunciatur.

50. יעלו] *Phobolo* hîc cum יהוה comparatur, quia legendum credimus *Jahavoh*, cum plurimis Eruditis; quod cùm aliis rationibus, tum ὁμοιοτελεύτοις edocti sumus. Vide not. ad Exod. III, 15.

55. בניו] *Banau* desinere potuit ut הוא *hou*, si aliquantùm inflecteretur pronunciatio, quæ nobis non est usque adeò nota; præter quàm quòd ὁμοιοτέλευτα tolerare potuerunt non admodum felicia.

17. נבל] *Nabal*, fortè pronunciarunt *Nabol*, aut פתלתל *phthalthal*.

29. בני ירשם] bne jerescham, *filii possessionis eorum*; hoc est, possessores, seu coloni. Sic בני גולה bne golah, *filii captivitatis* sunt captivi; aliáque similia passim occurrunt. Cùm impeditissimus sit, ex vulgata lectione, sensus, hîc observato ὁμοιοτελεύτῳ, levi mutatione commodissimus est, quod est versuum Hebraicorum τῶν ὁμοιοτελεύτων non leve argumentum, ut ostendemus in *Diatriba de Poëtica Hebræorum*. Hoc vult Moses: cùm Deus Gentes passus est regionem aut vacuam, aut incolis pulsis occupare, tantùm permisit agri ab iis capi, quantùm coli necesse erat, ut ali possent. Petitum hoc est à consuetudine eorum, qui colonias deducebant, & colonis singulis pro ratione familiæ agrum dividebant; quod etiam jussus est Josua erga Israëlitas observare Num. XXIII, 54. Cùm ita se erga omnes populos gessisset divina Providentia, quod nec Israëlitis denegavit; præterea hosce singularibus beneficiis, quæ sequentibus versiculis recensentur, cumulavit, qualia in nullam aliam gentem contulit. Cùm hæc sit non absimilis vero conjectura, attamen neque hanc, neque alias, quamvis verisimiles, in contextum Mosaicæ orationis inferri volumus. Ideóque omnem lapidem movimus, ut sensum alium commodum inveniremus, & si qui melior inveniatur, eum amplectemur. Non est locus agendi hîc de ejusmodi conjecturis, & præstat tacere, quàm nimis pauca dicere.

50. צור] *Legimus* צוריהן tsoureheu, *lapides eorum*, nempe τῶν במות *editorum locorum*, seu Galahaditicorum montium.

62. ישועת] Seu ישועתה jeschouhathah *salutis*, pro ישועתו salutis ejus.

92. עור] Hîc ὁμοιοτέλευτον invenire non potuimus, uti nec vers. 552.

507. ואת] Accusativum hîc ut seq. versu ante verbum posuimus.

525. אשכלתם] Est in Codd. nostris אכזר *sævum*. At ratio styli poëtici postulat id quod posuimus, aut quid simile; est enim inter singula Cola [illegible], ut sic loquar. Quod ut sentias, Lector, Cola subjiciam, veluti paria parallela:

1. *Vitis eorum est ex Sodomitica vite:*
2. *ex agris Gomorrhæ sunt eorum uvæ.*
1. *Uvæ sunt illis venenatæ,*
2. *& botri amari.*
1. *Vinum eorum est venenum draconum,*
2. *&* BOTRI *eorum aspidum virus.*

Attamen in contextu nihil muto, nihil mutandum censeo, quod sæpiùs repeto, ne mihi creetur propterea invidia; quam nunc rationibus placare non adgrediar.

 C O M-

XXXIII. *Benedictio Mosis.*

CAPUT XXXIII 1. HÆc est benedictio, quâ vir Dei Moses, ante obitum suum, Israëlitis be-
nedixit.
2. Jehova, infit, è Sinaï est profectus, ortus est eis è Sehire, illuxit è
monte Pharane; atque è myriadibus sanctis venit eis ignis, è dextra ejus, *quasi*
edictum. 3. Profectò amat populos *Israëlis*; omnes sancti ejus in manu tua, atque
ad pedes tuos provoluti sunt. Accepit ex verbis tuis legem 4. Moses, *quam* ob-
servandam tradidit nobis, *ut esset* hereditas cœtui Jacobi. 5. Fuit enim rex in Je-
surune, cùm convocarentur capita populi, unà cum tribubus Israëlis.
6. Vi-

PARAPHRASIS.

1. HÆc Israëlitis, morti proximus, adprecatus est Moses Propheta.
2. Dei, inquit, Nubes è Sinaï, Sehire & Pharane montibus potissimùm profecta, ad eos enim diutissimè commorati sumus, nobis per Arabicas solitudines iter facientibus interdiu dux fuit; noctu verò igne cœlesti nobis datum est profectionis signum. 3. Hinc colligere licuit quantopere nos amaret, nec de ea re possunt pii & religiosi homines cogitare, quin se paratissimos omnibus ejus imperiis exsequendis ostendant, gratiásque adorato ejus Numini agant. Ab illo Leges accepi, quas populo Hebræo tuli, ut à parentibus ad liberos, hereditatis instar, transmittantur & in perpetuum ab eo observentur. 5. Quo enim die, convocatus est universus populus Hebræus ad montem Sinain,

COMMENTARIUS

In Caput XXXIII.

1. B*Enedictio*] Vid. not. ad Gen. XXVII, 4. Benedictio hæc à Scribis ex ore Mosis excepta, eo jubente, Legi addita videtur.

Vir Dei] Hoc est, Propheta, ut 1. Sam. IX, 6, 7. Psf. XC, 1.

2. *E Sinai*] Cùm adparuisset in hujus montis jugo, hinc profectus signum dedit proficiscendi Israëli, & unà cum illo huc venit; nempe, ad Moabi campestria, ubi tum erat Moses. Sic Hab. III, 3. *Deus ab Austro venit, & sanctus è monte Pharane.* Vid. & Jud. V, 4, 5.

Ortus est eis è Sehire] Quando, nempe, motâ nube, profecti sunt Israëlitæ è vicinia Idumææ, in qua mons Sehir Deut. II, 1, 4.

E monte Pharane] Cùm in deserto Pharani monti subjecto castrametaretur Israël, quò venit è deserto Sinaï, Num. X, 12. XIII, 1. Diutissimè autem Israëlitæ circa hosce montes castra habuerunt; qua de causa, hîc præ ceteris nominantur.

E myriadibus sanctis] Voce רבבות *ribeboth* significari hîc credidi Israëlitas, quoniam hac ipsâ voce designantur Num. X, 36. ubi de hoc negotio agitur. Cùm enim ex humeris ferentium deponebatur Arca, dicebat Moses: *Revertere, Jehova, ad myriades millium Israëlis.* Alibi etiam multitudinem populorum signat, ut Genes. XXIV, 59. 1. Sam. XVIII, 8. Ceterùm רבבות *myriades* vertimus cum LXX, non quòd putemus vocem Hebraïcam *decem millia* significare proprio sensu, cùm pro indefinita sumatur multitudine; sed quia μύριοι interdum, apud Græcos, ingentem etiam quemlibet numerum denotat. Mosis verba alii de Angelis intelligunt, atque hîc respici volunt legislationem ministerio peractam Angelorum, atque è medio igne. Reverâ innumeri Angeli Deo adstantes imperia exspectant Dan. VIII, 10. eósque ἁγίας μυριάδας vocat Judas in Ep. vers. 15. Sed præter ea quæ jam diximus, sequentia ostendent simpliciorem esse priorem interpretationem, & verbis etiam convenientiorem. Huc adludit locus obscurus Psf. LXVIII, 17.

Sanctis] *Sanctitatis.* Substantivum pro adjectivo קדושים *kedoschim*, sanctorum, licèt usitatissimum sit. Ita *caro sanctitatis* pro *carne sancta* Jer. XI, 15. Hag. II, 2. & similia passim. Sed hîc est peculiari de causa קדש *kodesch*, potiùs quàm קדושים *kedoschim*, ut statim dicemus.

Venit eis ignis] Conjungimus verbum ואתה atha, *venit*, cum vocibus אש esch, *ignis*, & דת dath, *edictum*, quæ alioqui carent verbo ad quod referantur, & durissimam constructionem faciunt. Mirum esset LXX. Intt. hîc vocem אש *ignis* transtulisse Ἀγγέλους, nisi satis adpareret ex impedita hujus loci translatione, intellectum ab iis non esse: σὺν μυριάσι Κάδης, inquiunt, ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ. Non videtur prætermittendum inversa esse in Hebr. Textu aliquatenus verba, ut captaretur ὁμοιοτέλευτον, non modò inter duplex למו *lamo*, sed etiam inter אש *esch* & קודש *kodesch*.

מרבבות קודש *meribeboth kodesch*
מימינו אש *mimino esch.*

Alioqui dicendum potiùs fuisset ואתה אש מר״ *& venit ignis è myriadibus sanctitatis, è dextra ejus*, ut esset *edictum iis.* Ceterùm reliqua non possunt in ὁμοιοτελεύτους versus resolvi; itaque hîc quidem est משל, sed non מזמור, qua de re alibi dicemus.

E dextera ejus.] Si abesset י in voce מימינו *mimino*, omnino vertendum censerem *è meridie*, ut esset locus parallelus Hab. III, 3. Nempe, è meridie Moabiticæ regionis, & universæ Palæstinæ venerat Deus, unà cum Arca. Sed pronomen possessivum vix aliò referri potest,
quàm

6. Vivat RUBEN, neque moriatur, & sint ejus mortui pauci.
7. Hoc autem dixit de JUDA: audi, Jehova, vocem Judæ, eum intromitte ad
populum suum; manus ejus satis ei erunt, túque auxiliator contra ejus hostes.
8. De LEVI dixit: Tui Thummim, & tui Urim sunt viro pio tuo, quem ten-
tasti in Massa, & cum quo contendisti ad aquas Meribæ. 9. Dicit de patre &
matre: eos non vidi; nec fratres suos agnovit, nec filios quasi notos habuit, quia
dicto tibi audiens fuit, & fœdus tuum observavit. 10. Docebit jura tua Jacobum
& legem tuam Israëlem; suffitum ponet in naribus tuis, & holocaustum in altari
tuo. 11. Benedicito, ô Jehova, ejus opibus, atque operi manuum ejus propitius
esto. Eorum qui in se insurgent, & inimicorum suorum confodiet lumbos, ne re-
surgant.

nain, divinæ vocis audiendæ causâ; Deus prolatis præcipuis suis Legibus, æternum se Regem nostrum esse velle ostendit.

6. RUBENIS & SIMEHONIS posteritas, in Arabia imminuta, iterum augeatur, neque umquam exstinguatur.

7. JUDAM in agros, qui ei sorte obvenient, quàm primùm Deus intromittat, ejusque copiis, hostes invadentibus, auxilium ferat.

8. LEVITICÆ Tribui principi collatum est Sacerdotium, quod ad aquas Massæ & Meribæ tentatus à populo Hebræo, in officio erga Deum mansisset, & quòd Levitæ, sine ullo consanguinitatis, propinquitatis aut amicitiæ respectu, de iis qui vitulum aureum coluerunt, à Deo jussi pœnas sumsissent. 10. Ideò Sacerdotibus è Levitica Tribu docendarum divinarum Legum, offerendarúmque victimarum & sacri suffitûs, quod ab aliis fieri nefas est, commissa. 11. Omnibus Leviticæ Tribûs cœptis faveat Deus, opes ejus augeat, ita ut facilè inimicos, qui ei Sacerdotium eripere vellent, coerceat.

quàm ad Deum. *Dextra Dei*, unde ignis profectus dicitur, videtur thronum Dei designare, ut Ps. CX, 1.

Quasi edictum] Hîc duo observanda. Primò, vox *quasi*, hîc subaudita in Hebræo Textu, à nobis expressa est, quod pluribus in locis facere necesse est, ut Ps. CV, 41. Ps. CXIX, 119. Secundò, דת *dath* vertimus *edictum*, quod id ferè Chaldaïca vox, in libris post Captivitatem scriptis, in quibus solis exstat, excepto hoc Deuteronomii loco, atque in Esthera præsertim, significet. Intelligo autem *edictum* castrorum movendorum, cùm nubes noctu ignea recedebat à Tentorio. Cùm enim movebatur nubes, hoc perinde habebatur, ac si vasa conclamarentur, ut adparet ex Num. IX, 15. & *seqq.* unde *ex ore Jehovæ* refixisse tentoria & castra posuisse eodem in loco dicuntur Israëlitæ. Alii, qui hîc de Lege, è Sinai data, agi putant, voces אש דת למו esch dath lamo, *ignis lex ipsis*, interpretantur Legem vocibus ex igne missis latam. Durè, ut mihi quidem videtur. *Hieronymus* habet: *ad dexteram ejus ignea lex.*

3. *Profectò*] אף *aph.*

Populos Israëlis] עמים hîc dicuntur Tribus, ut observavimus ad Gen. XLIX, 10. Adde Jud. V, 14. Ideò *Onkelos* hîc pro populis habet שבטיא *tribus.*

Omnes sancti ejus] Hoc est, omnes sancti *Israëlis*, quod necessariò subaudiendum expressimus, ut constructionis ratio constaret. Onkelos: *sancti domûs Israëlis.* Intelliguntur omnes boni viri, qui erant inter Hebræos.

In manu tua] In tua potestate, seu tibi per omnia obsequi parati. Vide Num. IV, 28, 33.

Ad pedes tuos provoluti sunt] תכו לרגלך *thucchou lraglecha*, ad pedem tuum. Optimè *Edm. Castellus* verbum תכו *procubuerunt* interpretatur, ex Radicis Arabicæ תכא significatione. Reliquæ omnes interpretationes contortæ sunt, & Grammaticæ parum consentaneæ. Significat Moses, pios quosque Deum unum colere, ejúsque solis imperiis parere; maximum enim summæ venerationis indicium est ad pedes ejus, quem veneramur, provolvi. Hinc LXX. Intt. ὑπό σε εἰσί, & Onkelos: *ducebantur sub nube tua & proficiscebantur ad verbum tuum.*

Accepit ex verbis tuis] ישא מדברתיך Hæc ad Mosem referri oportere sequentia ostendunt, à quibus malè divelluntur. Rectè LXX. Intt. ἀπὸ τῶν λόγων αὐτοῦ νόμον ὃν ἐνετείλατο ἡμῖν Μωυσῆς, eósque sequuti sumus.

4. *Ut esset hereditas* &c.] מורשה hoc est, possessio propria & perpetua. Sic Psaltes Ps. CXIX, 11. נחלתי עדותיך לעלם *possessio mea testimonia tua in perpetuum.*

5. *Fuit enim Rex*] Mutationes personarum, quæ in hoc Dithyrambico charactere sunt perpetuæ, ambiguum faciunt hunc locum. Alii enim volunt *Mosem* intelligi, alii *Deum*. Posteriorem tamen sententiam priori præferendam censemus, quòd eo die quo lex à Deo lata est, in Monte Sinaï, Moses munere regio nequaquam functus sit, sed Deus. Hunc autem diem intelligi sequentia, & antecedentia ostendunt, ut mox dicemus. Regis est leges condere, præmiisque ac pœnis eas sancire, quod fecit Deus; internuncii verò, seu ministri regii eas acceptas ad populum ferre, quo ministerio functus est Moses. Quin & ipse Moses se negat Regem fuisse Cap. XVII, 14. ubi satis innuit Hebræos non credidisse se parere Regi cùm ei parerent, aut aliis Prophetis. Regis est tributa subditis imponere, in suum emolumentum, iisque imperare, non nomine Dei, sed suo; quod nequaquam fecit Moses. Vide Num. XVI, 14, 15. Similiter Samuel, qui eodem jure præerat Hebræis ac Moses, hoc est, prophetico, numquam Rex Israëlis esse creditus est, ut adparet ex 1. Sam. VIII, & XII. Dum per Judices administrata est Respublica populi Hebræi, *Deus* solus Rex esse putabatur, ei soli tributum solvebant Hebræi, solísque ejus legibus obsequi cogebantur. Vide Jud. VIII, 22, 23. 1. Sam. VIII, 7. & eruditam Dissert. *Joan. Spenceri* de Theocratia Judaïca.

12. De Benjamine dixit: quem diligit Jehova *is* securè apud eum habitabit, quasi in portu erit apud eum toto die, atque inter colles ejus manebit.

13. De Josepho dixit: benedicta à Jehova terra ejus *erit*, munere pretioso cœli, rore, & abysso deorsum jacente; 14. munere pretioso proventuum solis, & munere pretioso fructuum lunarum; 15. cacumine montium æternorum, & pretioso munere collium perpetuorum; 16. pretioso munere terræ, iisque quibus est plena. Favor ejus, qui incolit rubum, veniet in caput Josephi, & in verticem principis fratrum suorum. 17. Decor ejus est *ut decor* primogeniti bovis; comua ejus sunt cor-

12. Benjaminitæ circa locum quem sibi elegerit Deus, securè babitabunt, atque inter colles ei sacros, quasi in tutissimo portu, degent.

13. Josephi posteri, ad ortum & ad occasum Jordanis, agros possidebunt tempestivis pluviis fœcundandos, & fontibus innumeris irriguos; 14. in quibus colligent omnis generis fructus, & olera, seu semel intra annum, seu sæpiùs nascantur. 15. Quidquid meliùs in montibus provenit habebunt, 16. nec fructibus planitie magis gaudentibus carebunt. Deus benefaciet oriundis ex Josepho, qui inter fratres principis loco fuit, & alterâ parte juris primogeniti à patre Jacobo donatus est. 17. Florentissimæ nunc sunt eorum Tribus, iisque viri-

Scio *Hug. Grotium* ad hunc locum, & *Joan. Seldenum* de Syned. Jud. Lib. II. Cap. I. & II. contendere Mosem non quidem nomine & pompâ, sed jure regio populum gubernasse. At illi jus regium, contra perpetuam Scripturæ consuetudinem, cum prophetico miscent, ob aliquam similitudinem; quòd, nimirum, judex esset Moses. Eodem jure, si vera esset eorum sententia, omnes alii Judices reges fuere; nec objeceris Mosis majorem auctoritatem fuisse, nam orta erat non ex jure regio, sed quòd major esset Propheta.

In Jesurune] ישרון quod Israëlem significat Cap. XXXII, 15. Fortè ea voce utitur Moses, quòd tres priores litteræ sint eædem in ישרון & in ישראל. Vide not. ad Num. XXIII, 10.

Cùm convocarentur capita populi] Ille dies vocatur *dies conventûs* Deut. XI, 10. XVIII, 16. Vide Exod. XIX, 7, 19.

6. *Vivat Ruben, neque moriatur*] Hoc est, ea Tribus numquam intercidat. De hac loquutione diximus ad Cap. IX, 7. Vide & C. XXXII, v. 7. Hoc autem vovet Moses Rubenitis, quòd in Arabia imminuta fuisset eorum Tribus, ut observavimus ad Num. XXVI, 7.

Sint mortui ejus pauci] יהי מתיו מספר *sint mortui ejus numerus.* Solet quidem hæc loquutio מתי מספר verti *pauci homines*, ut Gen. XXXIV, 30. & suprà Cap. IV, 7. Sed מתים vertimus hîc *mortuos*, quòd Moses bene adprecetur Rubenitis, & superiora verba ostendant eum optare ne ea Tribus intercidat. Ideò LXX. Intt. verterunt: ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ. Absurdè *Hieronymus* & qui eum sunt sequuti: *Vivat Ruben & non moriatur, & sit parvus in numero.* Samaritæ legunt hîc מאתו meittho *ex illo pauci.* Alexandrinus Codex versionis LXX. Intt. hæc verba, quasi in Simehonis gratiam, cujus nomen interponit, pronunciata, sic repræsentat: καὶ Συμεὼν ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ. Similiter concepta est benedictio Zabulonis & Issascharis infrà v. 18.

Certè quærunt Intt. quare nomen Simehonis sit omissum, cùm ceteris omnibus Tribubus bene adprecetur Moses. Alii volunt sub nomine Judæ Simehonem etiam contineri, quòd hujus agri ambirentur agris Tribûs Judæ. Verùm hoc durius videtur, cùm non minùs distincta esset Tribus Simehonis, & Daniticæ etiam agros complecterentur ii qui Judaïcæ adtributi erant. Malim Simehoniticam cum Rubenitica conjungere, cùm Simehon Rubenem natalibus proximè sequutus sit, & maximè omnium hac Mosis adprecatione indigeret; nam nulla Tribus tantam imminutionem passa erat in deserto, ac Simehonitæ. Vide Num. XXVI, 14. & not. Itaque hunc versum in Paraphrasi eodem modo interpretati sumus, ac si dixisset Moses יחי ראובן ושמעון *vivant Ruben & Simeon, neque moriantur* &c.

7. *Hoc autem dixit de Juda*] ואת ליהודה ויאמר *& hoc ad Judam, vel de Juda, & dixit.*

Intromitte ad populum suum] Hoc est, in locum, quem expulso populo, qui eum nunc habitat, occupare eum oportet. Sic alibi sæpe *possidere populos* Hebræi dicuntur, quorum agros invaserant. Vide Cap. IX, 1. XII, 29. XXXI, 3. Hæc verba LXX. Intt. & Onkelos non intellexerunt, ut nec alii multi Intt. Rectè *Hieronymus: introduc eum ad populum suum*; nec תביאנו *thebiennou* aliud significare potest. Itaque malè Græci & ἔλθοις & alii *reduc.* Hæ autem preces Mosis à Deo exauditæ sunt, ut liquet ex Jud. I, 2. *& seqq.* ubi docemur, post mortem Josuæ, hanc Tribum primam omnium Chananæos ex agris sibi adtributis expulisse.

Manus ejus satis ei erunt &c.] Hoc est, satis magnas, Deo adjuvante, habebit copias, ut hostes suos vincat, atque expellat.

8. *Tui Thummim* &c.] Intelligitur totum illud ornamentum, quod Sacerdotali pallio impositum erat; hoc est, pectorale, & monile, quæ quia semper juncta erant, ideò altero nominato utrúmque intelligitur. Vide quæ notavimus ad Exod. XXVIII, 29.

Viro pio tuo] לאיש חסידך, hoc est, Aharoni, qui est vir pius inter tuos, ô Tribus Levitica. Significatur Sacerdotium Aharoni ejúsque familiæ collatum. Nam soli Pontifici Maximo licebat gestare *Urim & Thummim.*

Quem tentasti in Massa] Hoc est, quem vos, ô Hebræi, tentastis ad aquas Massæ & Meribæ, quod bis contigit. Vide Exod. XVII, 2. *& seqq.* & Num. XX, 2. & seqq. Utrobique adparet ab Hebræo populo *tentatum fuisse Aharonem*, non minùs ac Mosem, hoc est, auctoritatem quâ Deus Aharonem, ut Prophetam & Pont. Maximum, ornarat, in dubium fuisse revocatam ab Hebræis; quasi eam non Dei jussu, sed sponte suâ arripuisset. Hoc autem est *tentare.* Vide not. ad Exod. XVII, 2.

9. *Di-*

cornua orygis, quibus petet populos, simúlque fines terræ. Ejusmodi *sunt* myria-
des Ephraimi, ejusmodi chiliades Manassæ.
18. De ZABULONE *&* *Issaschare* dixit : lætare Zabulon , cùm egredie-
ris ; & tu Issaschar , in tentoriis tuis. 19. Populos ad montem convocabunt, at-
que illic mactabunt victimas justitiæ; quia exundationem marium sugent, & abscon-
ditos thesauros arenæ.
20. De GADO dixit: benedictus sit qui ampliat Gadum , leænæ instar habita-
bit, & rapiet armum ac verticem. 21. Vidit sibi primitias, qui illic parte legisla-
toris

viribus pollent, quibus hostibus suis superiores fa-
cilè evadent.
18. ZABULONITÆ commerciis cum vicinis di-
tescent , iisque vicini ISSASCHARITÆ cultu a-
grorum fertilissimorum qui iis obtingent. 19. Za-
bulonitæ frequentes victimas salutares ad montem,
Deo singulari ratione olim consecrandum, ducent,
atque ad sacra convivia illic agitanda plurimos vo-
cabunt; mercibus enim mari ad se advectis, pisci-
busque abundabunt , & in ipsa littoris sui arena , ex
qua vitrum conflabitur, abditos thesauros invenient.
20. GADITÆ fortissimos viros , inter tribules
suos, videbunt, qui ex hostibus suis prædas agent.
21. Primi omnium, cum Rubenitis & Manassitis ,
agros

9. *Dicit de patre & matre* &c.] האמר *dicens.* Hoc ad totam Tribum Leviticam pertinet, quæ, Deo jubente Idololatras plecti, nullam rationem necessitudinis, aut consanguinitatis habuit. Vide Exod. XXXII, 27. & seqq.

Quasi notos habuit] *Cognovit* ידע , hoc est , perinde ac ignotos occidit, ob Idololatriam admissam.

Dicto tibi audiens fuit] *Servarunt dictum tuum, & fœdus tuum custodiverunt.* Manifestum est hoc dici, non de iis qui nominibus *patrum*, *fratrum* & *filiorum* designantur , hoc est , de Idololatris qui à Levitis sunt occisi ; sed de iis qui eos *non agnoverunt* , seu Levitis divinarum Legum ultoribus. Itaque singulari numero usi sumus , ut & in sequentibus verbis; quia Latinæ aures non ferunt perpetuas illas numerorum mutationes. Levitæ autem Deo *dicto audientes fuerunt* , *& fœdus ejus servarunt*, facinore memorato , quo Mosi , Dei nomine jubenti , illico paruerunt.

10. *Docebunt jura tua* &c.] Hoc enim fuit munus Sacerdotum , ut liquet ex Levit. X, 11. Deut. XVII, 9. & seqq. XXIV, 8.

Suffitum ponet &c.] Juris hæc fuerunt Sacerdotalis. Vide Exod. XXX, 8. 2. Paral. XXVI, 18. De Sacrificiis res est nota ex Levit. Capp. I, II, & III.

Holocaustum] כליל *chlil.* Unâ specie sacrificii nominatâ , aliæ omnes significantur.

11. *Propitius esto*] *Aut opus manuum ejus probabis* , פעל ידיו תרצה.

Eorum qui in se insurgent] Hoc est , nemo poterit Leviticæ Tribui & Aharonis familiæ collatum Sacerdotium eripere. Vide Num. XVI.

12. *Apud eum*] Jehovam, nempe, apud quem Benjaminitæ habitarunt ; quòd circa Jerosolimam , Dei sedem , agros haberent. Nam eam urbem in eorum agris fuisse certum est. Vide *And. Masium* ad Jos. XV, 63.

Quasi in portu erit] חפף *hhopheh* , cujus significationem derivamus à חוף *hhoph*, portus. Qui חפף ad Deum referunt , illi vertunt *protegens eum.* Sed commodius visum ad Benjaminem referre , ob superiora verba.

Toto die] Metaphora desumta à navi , quæ cùm per totum diem in portu hæret , naufragium timere non potest.

Inter colles ejus] בין כתפיו *inter humeros ejus.* Hæc est quidem propria & perpetua significatio vocis כתף *cheteph* , sed cùm *habitare inter humeros* hominis , aut *Dei* nihil significet , ex re ipsa vocem interpretati sumus ; quòd , nimirum , Benjaminitæ habitarint *inter colles Dei* , hoc est , colles quorum uni impositum fuit Templum Dei. Eleganti certè metaphorâ , colles dici possunt *humeri terræ* , & notum est apud Poëtas Atlantis juga vocari ejus *humeros.* Frequenter meminerunt omnis generis Scriptores *dorsi & pedis* montium. Simili translatione , Hebræi vocant *montes gibbosos* הרי גבנונים Ps. LXVIII, 16, 17.

13. *Benedicta* &c.] Pleraque quæ hac in benedictione Josephi habentur interpretati sumus ad Gen. XLIX, 25, 26.

Munere pretioso cœli rore] ממגד שמים מטל *à munere pretioso cœli à rore* , hoc est , *scilicet* , *à rore* : מגד *meged* munus pretiosum vertimus à Radice Arabica מגד *magada* , hoc est , *honore excellere*, quo factum ut מגד significet quidquid in honore ac pretio habetur. *Ros* autem etiam *pluviam* hîc complectitur.

Abysso] Laticibus subterraneis. Vide ad Gen. XLIX, 25.

14. *Proventuum solis*] · Fructuum qui semel tantum intra Solarem Periodum , seu annum , proveniunt.

Fructuum Lunarum] גרש ירחים *protrusionis lunarum* ; hoc est , quæ plus semel in anno , aliquot Lunæ periodis præterlapsis , colliguntur, ut fœnum , olera &c.

15. *Cacumine montium*] Montanis fructibus. Vide ad Gen. XLIX, 26.

16. *Terræ*] Campestris , nam opponitur montibus.

Iis quibus est plena] *Plenitudine ejus.*

Ejus qui incolit rubum] Dei , allusione ad Exod. III, 2.

In verticem principis] Vide ad Gen. XLIV, 26.

17. *Decor ejus est ut decor*] *Primogeniti bovis decor ejus.* Videtur intelligere *cornua* , quæ sunt *decor boum.* Hîc autem *primogenitus bovis* dicitur bos præstantissimus. Vide not. ad Cap. XII, 17.

Cornua Orygis] Vide not. ad Num. XXIII, vers. 22.

Ejusmodi sunt &c.] והם רבבות *illæ myriades* &c. Ephraïm præponitur Manassæ , ut Genes. XLVIII, 20.

18. *Et Issaschare*] Hoc addidimus , ob sequentia.

Cùm

toris cohonestatus est; venit *cum* capitibus populi, justitiam Jehovæ & judicia ejus cum Israële exsequutus est.

22. De DANE dixit: Dan est catulus leonis, qui è Basanitide exsilit.

23. De NEPHTHALI dixit: ô Nephthalis, qui satur es favore, plenus benedictione Jehovæ, occasum & meridiem posside.

24. De ASERO denique dixit: Benedictus *est* filiis Aser, gratus sit fratribus suis, tingátque oleo pedem suum. 25. Ferrum & æs *erunt* calceamenta tua, & fama tua instar dierum tuorum.

26. Ne-

agros à me colendos acceperunt; nec eo seciùs cum reliquo populo Hebræo Jordanem trajicient, ut pœnas de Chananæis, nomine Dei sumendas, exigant.

22. DANITÆ fortissimis viris abundabunt.

23. NEPHTHALITIS fertilissimus obtinget tractus, isque ad occasum & ad meridiem agrorum Danitarum aliquot situs.

24. ASERITÆ viris potentes, & ubertate soli erunt; 25. nec modò oleis abundabunt, sed etiam ferri & æris metallis, quibus celebres fient.

26. Nullum est Numen, ô Hebræi, ullà ratione cum

Cùm egrederis] Vel *egressu tuo.* Videntur significari navigationes, aut commercia cum vicinis Tyriis & Sidoniis, unde Zabulonitæ divitias sibi comparare potuerunt. Vide ad Gen. XLIX, 13.

In tentoriis] Domi manendo, dum in colendis agris es occupatus. Vide ad Gen. XLIX, 15.

19. *Populos ad montem convocabunt.*] Ad montem, nempe, Templi Jerosolimitani. Significat Moses divites fore has Tribus, quia nonnisi divitum erat frequentes victimas ad montem Dei ducere, atque ex salutaribus sacris multos convivaturos invitare. De conviviis post sacra, passim in hisce libris.

Victimas justitiæ] זבחי צדק hoc est, victimas quæ non offeruntur pro peccato, quales sunt spontaneæ, votivæ ac salutares. Sic Ps. IV, 6. *Timete, ne peccetis, hoc cogitate apud animum vestrum in cubilibus vestris & silete, selah. Tum mactate victimas justitiæ, confidite Jehovæ.* Vide & Ps. LI, 21. Intelligit ergo Moses eas, quas diximus, victimas, ad quarum carnes solebant amicos, & potissimùm Levitas, vocare. Vide Cap. XVI.

Exundationem marium] שפע *schephah*, ubi sermo est de aqua, *exundationem* sonat, ut Job. XXII, 11. XXXVIII, 34. Metaphoricè *exundatio maris* hîc dicuntur opes ex commerciis maritimis confectæ. Hinc LXX. Intt. πλοῦτος θαλάσσης θηλάσει σε. Onkelos habet: *divitias populorum* (mare, nempe, navigantium) *comedent.* Jonathan paullò aliter, quod tamen non spreverim: *Quoniam ad littus maris magni habitant, deliciabuntur thynno, & ostream capient & tingent sanguine ejus purpuram in fila palliorum suorum.* Piscatu, nempe, poterant ditescere; nec modò in mari Occidentali, sed & in Orientali, hoc est, in lacu Gennesarethico, ad cujus ripas porrecti erant eorum agri.

Absconditos thesauros arenæ] שפוני טמוני חול *tectos thesauros arenæ.* Alii de emporiis maritimis intelligunt, ut LXX. Intt. alii Mosaicam phrasin servant, non explicatam, ut *Onkelos.* Unus *Jonathan* rem acu tetigisse videtur, qui habet: *ex arena producent specula & vasa vitrea, quoniam thesauri limitum revelati sunt ipsi.* Nimirum, in finibus Zabulonitarum, fuerunt ostia fluvii Beli, qui arenas vitrarias in mare effundit, atque ex quibus solis diu vitrum confectum est. *Strabo* Lib. XVI. p. 521. Μεταξὺ τῆς Ἄκης καὶ Τύρου, θινώδης αἰγιαλός ἐστιν, ὁ φέρων τὴν ὑαλῖτιν ψάμμον. ἐνταῦθα μὲν οὖν φασὶ μὴ χεῖσθαι, κομισθεῖσαν δὲ εἰς Σιδῶνα τὴν χωνείαν δέχεσθαι: *inter Acen & Tyrum est littus arenæ tumulis obsitum, quod fert vitrariam arenam. Hic negant eam liquefieri, sed delatam Sidonem fusioni parere. Plinius* Hist. Nat. Lib. XXXVI. c. 26. *Ex ea* (palude Cendevia) *creditur nasci Belus amnis, quinque millibus passuum spatio in mare perfluens, juxta Ptolemaidem coloniam. Lentus hic currit, insalubri potu, sed cærimoniis sacer, limosus, vado profundus. Nonnisi refuso mari arenas fatetur; fluctibus enim volutatæ nitescunt, detritis sordibus. Nunc & ii marino creduntur adstringi motu, non priùs utiles. Quingentorum est passuum, non amplius, littoris spatium, idque tantum multa per sæcula gignendo fuit vitro.* Vide & *Tacitum* Hist. Lib. V. c. 7. *Josephus* de Bel. Jud. Lib. II. c. 9. Τῆς δὲ ἄστεως (Ptolemaïdis) ἀπὸ δύο σταδίων ὁ καλούμενος Βήλεος ποταμὸς παραρρεῖ παντάπασιν ὀλίγος, παρ' ᾧ τὸ Μέμνονος μνημεῖόν ἐστιν, ἔχον ἐγγὺς αὐτοῦ τόπον ἑκατοντάπηχυν θαύματος ἄξιον· κυκλοτερὴς μὲν γάρ ἐστι καὶ κοῖλος, ἀναδίδωσι δὲ τὴν ὑαλίνην ψάμμον, ἣν ὅταν ἐκκενώσῃ πολλὰ πλοῖα προσχόντα, πάλιν ἀναπληροῦται τὸ χωρίον, καὶ τὰ ἑξῆς: *Duobus stadiis distans ab ea urbe Beleus fluvius præterlabitur omnino parvus, apud quem est monumentum Memnonis, habens juxta se centum ferè cubitorum locum admiratione dignum. Est enim specie vallis rotundæ, vitreámque emittit arenam, quam postquàm exhauserunt multæ naves adpellentes, iterum impletur locus* &c. Quæcumque hac de re dicuntur expendere non vacat, neque est hujus loci. Nunc satis est ostendisse quinam fuerint *occulti thesauri arenæ* Zabuloni promissi.

20. *Benedictus sit qui ampliat Gadum*] Hoc est, ejus fines profert. Vide Cap. XIX, 8. Videntur Gaditæ postea armis sibi ampliores agros adquisivisse in Hammonitide. Vide Jud. XI. Dum autem Moses Deo Gadum amplianti benedicit, ipsi Gado benevolentiam suam ostendit. Vide Gen. XIV, 19.

Leænæ instar &c.] Describitur Gaditarum fortitudo, eadem similitudine ac Judæ Tribûs, Genes. XLIX, 9. ubi vide notata. Adi & 1. Paral. XII, 8.

21. *Vidit sibi primitias*] Nam *primitiæ* terrarum cesserunt partim Gaditis. Vide Numer. XXXII.

Patre Legislatoris] חלקת מחקק. Pro כחלקת; hoc

26. Nemo est sicut Deus Jesurunis, qui in auxilio tibi ferendo vehitur cœlis, & in excellentia sua nubibus. 27. *Sursum* habitaculum *tibi erit* Deus sempiternus, deorsum verò vires æternæ; ejiciet è conspectu tuo hostem, & dicet: *eum* perde. 28. Habitabit Israël securè & solus; fontes Jacobo *erunt* in terra frumenti & vini feracе, cœlique ejus rorem stillabunt. 29. Beatum te, ô Israël, quis populus est instar tui, qui es servatus à Jehova, qui clypeus est auxilii tui, & gladius excellentiæ tuæ? Mentientur tibi hostes tui, tu verò edita eorum loca calcabis.

XXXIV. Mo-

cum Deo vestro conferendum, qui nubibus quasi curru vectus palam vobis auxiliatur. 27. Deus æternus vos perpetuo auxilio tutabitur, atque hostes vestros cædendos ac fugandos vobis tradet. 28. Securè agros fertilissimos incoletis, sine ulla gentium aliarum mistura. 29. O beatos vos, quibus nullus populus æquiparari potest! quippe quos Deus non modò periculis innumeris antehac eripuit, sed & in posterum tutaturus est, & victores de hostibus vestris, si ei pareatis, in perpetuum præstiturus. Vobis divinarum Legum observantibus inimicissimæ gentes humiliter servire cogentur, earúmque munitissimas arces præsidiis vestris tenebitis.

P A-

hoc est, parte sibi concessâ à Mose, qui est Israëlis Legislator, & ita vocatur Num. XX, 18. Qui ad occasum Jordanis sedes habuerunt, non à Mose ipso, sed à Josua & Eleazare, per sortitionem, agros acceperunt. In tota hac ultima oratione, Moses de se tertiâ personâ loquitur.

Cohonestatus] ספון *saphoun*, quod ex significatione Chaldaica Radicis interpretati sumus. Versiones pleræque hîc planè carent sensu, quod animadvertent qui eas consulent.

Cum capitibus populi] Hoc est, cum ceteris Tribubus trajicit Jordanem. Vide Num. XXII. & Jos. I, 14.

Justitiam Jehovæ &c.] Hoc est, sententiam quam Deus pronunciavit in Chananæos, ad occasum Jordanis degentes, non minùs quàm ceteri Israëlitæ, exsequetur. Præterito tempore utitur Moses, pro more Prophetarum, qui rem futuram quasi præteritam intuentes, ita passim loquuntur. Vide Jos. XXII, 1. *& seqq.*

22. *Catulis leonis*] Vide ad Gen. XLIX, 9.

Qui è Basanitide exsilit] Ex Basanitidis montibus leones solebant irruere in campos. De hac Tribu, vide not. ad Gen. XLIX, 16, 17.

23. *Plenus benedictione*] Ob Galilææ fertilissimum tractum, quem occupavit. Vide not. ad Gen. XLIX, 15, 21.

Occasum & meridiem] ים ודרום *jam vedarom*, quod alii vertunt *mare & meridiem*, quòd habuerint Nephthalitæ *maris* Genuesarethici ripas, & tractum qui est ad *meridiem Laisæ* sive *Danis*; adeò ut Moses loquatur de situ agrorum Nephthalis, collato cum situ ejus urbis, quam Danitæ, de quibus in superioribus, occuparant. Nec certè alius esse posse videtur sensus horum verborum, prout & nunc & à multis sæculis leguntur. Consentiunt enim Judaïci & Samaritici Codd. veterésque omnes Intt. contra quos quis ausit, solâ conjecturâ fretus, quidquam pronunciare? Novi tamen, qui non illibenter legeret pro ודרום *vedarom*, minimâ mutatione, מרום *merom*, ita ut Moses dicat: *posside* ים מרום *mare Merom*, hoc est, *lacum Merom*, quem reverà possidebant Nephthalitæ. Vide de hoc mari Jos. XI, 5. Profectò durum est dicere *Nephthalitas* possidere *meridiem*, quia Danitæ, de quibus loqnutus erat Moses, unum oppidum, divulsum à ceteris eorum agris, ad septemtrionem ejus tractûs occuparunt. Nihil aptius contrà, quàm si dicas Nephthalitas possidere ים מרום *mare Merom*, circa cujus occidentales ripas habitabant. Antiquissimis certè temporibus, potuerunt menda irrepere in Vetus Testamentum, ut irrepserunt in Novum; incolumi tamen historiâ, & Religione Judaicâ: quemadmodum incolumi historiâ Christi, ejúsque doctrinâ, quædam menda in Codd. Novi Testamenti ab Eruditis notantur. Verùm hæc non sunt hujus loci, & hanc causam copiosissimè egit *Lud. Capellus*, atque apud peritos omnes judices obtinuit.

24. *Benedictus filiis Aser*] ברוך מבנים hoc est, auctus multâ sobole. Vide Num. XXVI, 47.

Tingat oleo pedem suum] Aut *immergat oleo*, hoc est, oleis abundet. Vide ad Gen. XLIX, v. 20.

25. *Ferrum & æs erunt*] Oportet, in montibus, ad ortum Tyri & Sidonis sitis, fuisse olim metalla ferri & æris; quæ fortasse postea exhausta sunt, aut desierunt exerceri. Nam sequentibus sæculis nulla, aut perobscura eorum est memoria. Mulier Sidonia ita loquitur, apud Homerum Odyss. O. v. 424.

Ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι.

Glorior me esse ex Sidone, ubi est multum æs. Ad quem locum Scholiastes habet: στερρᾶς, ἐν αὐτῇ γὰρ χαλκὸς οὐ γίνεται, ἢ πλουσίας: *firma, in ea enim non est æs, vel divite.* At antiquissimis temporibus potuerunt, ut dicebamus, in Scala Tyriorum, vicinisque montibus esse metalla. Tempore quidem Ezekielis Prophetæ non ampliùs erant, ut satis liquet ex ejus C. XXVII.

Calceamenta tua] מנעלך *calceamentum tuum.* Ferro & ære calceamenta ornabant, sed ut hoc fieret, oportebat utriusque esse copiam.

Fama tua] דבאך *dobecha*, quod adfine voci דבה *dibbah*, quæ *famam* malam sonat. LXX. Intt. ἰσχὺν. Sic & Onkelos. Vulg. *ut dies juventutis tuæ, sic & senectus tua.*

26. *Vehitur cœlis*] Hoc est, nubibus, ut sequentia docent. Vide Psalm. XVIII, 9, 10.

27. *Sursum*] Quasi esset מעלה *mahalah*, quia sequitur מתחת *deorsum*.

Habitaculum tibi erit] מענה *mehonah*. Sic Ps. XC, 1. ipse Moses: *habitaculum* מעון *tu fuisti nobis, ab ætate in ætatem*; hoc est, perfugium. Sensus est, esse in Deo certum Israëlitis auxilium.

Æternus] Sic supra v. 15. *montes æterni* קדם.

XXXIV. *Moses in Nebuntem adscendit, & moritur. Ejus elogium.*

CAPUT XXXIV 1. E campis Moabiticis adscendit Moses in montem Nebo, *&* in verticem Phisgæ, qui è regione Jerichuntis; ostenditque ei Deus omnem terram Galaaditicam, ad Danem usque; 2. universum Nephthalin; terram Ephraimi & Manassæ; omnem terram Judæ, ad mare usque occidentale; 3. meridiem & planitiem vallis Jerichuntinæ urbis Palmarum, usque ad Tsoharem. 4. *Ibi* Jehova illi: hæc est, inquit, terra de qua juravi Abrahamo, Isaaco & Jacobo, *unicuique bo-*

PARAPHRASIS.

1. POSTQUAM Moses Hebræis bene precatus fuit, ex planitie Moabitica in altissimum Nebuntis, sive Phisgæ jugum, ut à Deo jussus fuerat, adscendit; unde totam Galahaditin ad ortum Jordanis, usque ad fluvii ejus fontes porrectam, prospexit. 2. Vidit etiam, juxta occidentalem Jordanis ripam, agros quos Nephthalitæ, Ephraïmitæ, & Manassitæ postea occuparunt. Dein ad meridiem Chananææ conversus tractum omnem, qui Judæ Tribui ad mare usque obtigit, 3. totámque vallem Jerichuntinam, circa Asphaltiten lacum, ad Tsoharem, contemplatus est. 4. Tum vero enim mo-

Videtur tamen קדם *anteriorem* partem æternitatis, si ita loqui licet, significare; עלם verò, hoc in loco, posteriorem. Illud, nempe, præteritum semper sonat; hoc passim futurum, licèt & de præterito etiam dicatur. Fortasse autem Deum hoc elogio ornat Moses, ut eum opponat Diis Ægyptiorum & Phœnicum qui homines fuerant, ut alibi ostendimus.

Vires æternæ] זרעת עלם *brachia æterna*. Vide ad Gen. XLIX, 24.

28. *Securè & solus*] Sine Chananæorum mistura, inter quos vivere tutò non potuissent. Vide not. ad Num. XXIII, 9.

Fontes] *Fons*. Opponitur aquæ cœlesti. Vide similem sensum v. 13.

Jacobo] יעקב omissum est ל, ut sæpe alibi.

Cœli ejus] Ita loquuntur Hebræi, ad significandum aërem terræ, quam quis incolit, imminentem. Vide Cap. XXVIII, 23.

29. *A Jehova*] ביהוה *in Jehova*, hoc est, per Jehovam.

Mentientur tibi hostes tui] Hoc est, se tibi amicos fingent præ metu, aut si quid in te deliquerint, non audebunt fateri, ne tibi pœnas dent; quæ obnoxii sunt animi, significántque formidolosos hostibus suis fore Hebræos. Vide Ps. XVIII, 45. Sic & apud *Lucanum* Lib. V. v. 386. *mentiri dominis est* adulari:

Namque omnes voces, per quas, jam tempore tanto,
MENTIMUR *dominis, hæc primùm repperit ætas.*

Edita eorum loca] Hoc est, arces eorum, in montibus positas, præsidiis occupabis. Vide Cap. XXXII, 13.

COMMENTARIUS

In CAPUT XXXIV.

1. IN *montem Nebo* &c.] Vide not. ad Cap. III. v. 27.

In verticem Phisgæ] Vide not. ad eumdem locum, & adde Josephi verba Lib. IV. c. 8. sub finem: ὡς δ' ἐπὶ τῷ ὄρει τῷ Ἀβαρεῖ καλουμένῳ ἐγένοντο· τοῦτο δὲ ὑψηλὸν Ἱεριχοῦντος ἀντικρὺς κεῖται καὶ τὰ ἔξω: *cùm esset in monte Abari vocato, is altus est & è regione Jerichuntis situs* &c.

Ad Danem] Cùm hoc Caput non sit à manu Mosis, non mirum est nomen urbis recentius hîc legi. Vide not. ad Gen. XIV, 14.

2. *Universum Nephthalin* &c.] Hæc satis indicant scripta hæc esse, post divisionem Chananææ.

3. *Meridiem*] Judæ. Vide not. ad Gen. XIII, v. 1. & Num. XIII, 18, 23.

Planitiem vallis Jerichuntinæ] Quæ vallis Siddim pars erat. Vide Gen. XIV, 3. Beatissimus ille fuit tractus, de quo hæc inter alia *Josephus* de Bello Jud. Lib. V. c. 4. in Lat. 27. in Græcis. Fons Jerichuntis πεδίον μὲν ἔπειτα ἑβδομήκοντα σταδίων μῆκος, εὖρος δὲ εἴκοσιν ἐπιτρέφει τε ἐν αὐτῷ παραδείσους καλλίστους τε καὶ πυκνοτάτους· τῶν τε φοινίκων ἐπαρδομένων γένη πολλὰ ταῖς γεύσεσι καὶ ταῖς προσηγορίαις διάφορα· τούτων οἱ πιότεροι πατούμενοι, καὶ μέλι δαψιλὲς ἀνιᾶσιν, οὐ πολλῷ τοῦ λοιποῦ χεῖρον, καὶ μελιττοτρόφος δὲ ἡ χώρα· φέρει δὲ ὀποβάλσαμον, ὃ δὴ τιμιώτατον τῶν τῇδε καρπῶν, κύπρον τε καὶ μυροβάλανον, ὡς οὐκ ἂν ἁμαρτεῖν τινὰ εἰπόντα θεῖον εἶναι τὸ χωρίον: *septuaginta stadiis longam, viginti latam planitiem permeat. Optimos autem in ea Paradisos ac densissimos educat, palmarúmque irriguarum genera, tam sapore, quàm nominibus varia. Quarum pinguissimæ calcibus pressæ plurimum mellis emittunt non multum alio melle deterius, quamquam & mellis altrix est illa regio. Fert etiam Opobalsamum, qui est pretiosissimus fructus eorum qui illic sunt, Cyprúmque & Myrobalanum; ut qui divinum esse illum tractum dixerit non erraverit.*

Urbis palmarum] Ob palmas, de quibus modò Josephum audivimus. Vide & Jud. I, 6. III. v. 13. 2. Paral. XXVIII, 15.

Usque ad Tsoharem] Ad ortum Asphaltitæ sitam. Vide not. ad Gen. Cap. XIX, 22.

6. *Sepeliitque*] Digna sunt quæ expendantur hac de re verba *Josephi*: Ἀσπαζομένου δὲ τὸν Ἐλεάζαρον αὐτοῦ καὶ τὸν Ἰησοῦν, καὶ προσομιλοῦντος αὐτοῖς ἔτι, νέφους αἰφνίδιον ὑπὲρ αὐτοῦ στάντος, ἀφανίζεται κατά τινος φάραγγος· γέγραφε δὲ αὑτὸν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τεθνεῶτα, δείσας μὴ δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς πρὸς τὸ θεῖον αὐτὸν ἀναχωρῆσαι τολμήσωσιν εἰπεῖν: *cùm salutasset Eleazarum, & Josuam, & cum illis loqueretur, nube subitò super ipso stante, in quamdam vallem raptus inconspi-*

cuus

borum dicens: soboli tuæ eam dabo. Effeci ut eam oculis tuis videres, at illuc
non transibis.
5. Deinde mortuus est illic Moses, servus Jehovæ, in terra Moabitica, prout
Jehova dixerat; 6. sepeliitque eum in valle, in terra Moabitica, è regione Beth-
phehoris; neque quisquam, ad hodiernum diem, sepulcrum ejus novit.
7. Moses autem natus erat centum viginti annos; cùm moreretur, non caliga-
verant oculi ejus, neque fugerat vigor. 8. Defleverunt verò Israëlitæ Mosem, in
campis Moabiticis, per triginta dies; atque *illic* exacti sunt dies fletûs & luctûs
Mosis.

9. Jo-

monuit Deus se jam promissis stetisse, quibus pollicitus erat se ei videndam, at non intrandam præbiturum Chananæam.

5. Hoc autem in loco animam efflavit Propheta, prout ei prædixerat Deus, 6. qui, fine hominum opera, cum in valle, è regione Beth-phehoris sepeliendum curavit; sed monumentum ei nullum, unde cognosci posset quâ parte vallis jaceat, excitavit, quo factum ut is locus omnibus adhuc ignotus fuerit.

7. Moses eo tempore centum viginti annos natus erat, attamen neque oculorum ejus perspicacitas imminuta, neque aliorum membrorum vigor fractus senectute fuerat. 8. Luctus publicus post mortem ejus, per triginta dies, indictus est, atque in Moabiticis campis à toto populo Hebræo celebratus.

9. Jo.

cuus factus est. Scripsit verò se (αὐτὸς) *in sacris libris esse mortuum, timens ne, ob eximiam virtutem, ad Deum abiisse auderent dicere.* Nimirum, à Mose hoc Caput esse vult, ut & *Philo*, Lib. III. de Vita Mosis, quod non confutabo. Quisquis enim, lecto hoc Capite, ei sententiæ suffragium adscribere potest, is frustra rationibus oppugnatur. Nescio quare periculosum judicet Josephus, si credatur Moses ἀναχωρήσας πρὸς τὸ θεῖον, modò ne ipse colatur. Quod Henocho & Eliæ contigisse narrant Sacræ Litteræ, id, fine periculo, de Mose æquè innoxiè credi potuit. Ac sanè crediderunt multi Judæi, à quibus olim probatus fuerat liber inscriptus ἀνάληψις Μωσέως, de quo vide *Hug. Grotium* ad Judæ Ep. vers. 9. Paraphrastes Chaldæus ad Psal. LXVIII, 19. *Adscendisti in firmamentum, ô Moses Propheta, & captivam duxisti captivitatem* &c. Sed pleniùs ad Cant. Cap. I, 5. *Moses magister eorum adscendit ad firmamentum & posuit pacem inter eos & Regem eorum.* Antiquioribus tamen temporibus, verè mortuum fuisse creditum Mosem adparet ex hoc Deut. Capite; sed non negat Scriptura eum resurrexisse. Cui sententiæ videndum annon faveat quod habetur Matth. XVII, 3.

Ad hodiernum diem] Non possum satis mirari hæc à Mose vaticinante scripta à viris nonnullis doctis existimari.

Sepulcrum ejus novit] Ne, scilicet, ad ejus monumentum adoratum irent.

7. *Moses autem natus erat*] *Josephus* ait eum mortuum esse τῷ ὑστάτῳ μηνὶ τοῦ ἔτους, ὑπὸ μὲν Μακεδόνων Δύστρου καλουμένου, Ἀδάρου δὲ, inquit, ἐφ' ἡμῶν, νουμηνίᾳ: *ultimo mense anni, à Macedonibus Dystro vocato, Adaro verò apud nos, & quidem Novilunio.* At *Jonathan* vult Mosem obiisse, *die septimo Adar*. Vide hac de re virum doctum ad verba Josephi. Sub finem anni, mortuum esse Mosem constat ex iis quæ diximus ad Cap. I, 3.

Oculi ejus] *Non caligaverat oculus ejus.*

Vigor] לחה *lebhob*, viror, aut humiditas ejus, nam לח est *viride*, aut cui non deest suus *humor*. Samaritanus Int. habet רטובה *viror ejus*. Sic Latini dicunt *viridem senectutem*, & Græci χλωρὰ vocant *recentia*. *Eustathius* etiam observat dici γόνυ χλωρὸν τὸ νεαρὸν, καὶ διὰ τοῦτο εὐτονώτερον καὶ οὐχ οἷον ἔχουσιν οἱ ξηροὶ καὶ ἀλίβαντες: *genu viride, juvenile, & propterea firmum, non quale habent sicci, atque exsucci.* Ed. Rom. p. 1001. LXX. Intt. crediderunt adfine esse τῷ לחי *maxillæ*, habent enim χελώνια, hoc est, *labia* aut *genæ*. Vulg. *Nec dentes illius moti sunt*; ratus ad verbum vertendum fuisse, *maxilla ejus fugit*. Ac sanè indicium est viridis senectutis, habere omnes dentes. At Onkelos: *non mutatus est* יקרא זיו *splendor gloriæ faciei ejus*. Certè Arabicè לאח *labba* est *splenduit*. At præstat de vigore totius corporis intelligere, quàm de inusitato splendore vultûs Mosis, ob antecedentia verba.

8. *Per triginta dies*] Ut Aharonem. Vide Num. XX, 29.

9. *Repletus fuerat spiritu* &c.] Vide not. ad Num. XXVII, 18.

10. *Non surrexit autem ampliùs*] Hæc non modò Mosis non sunt, sed nequidem hominis, qui non multò pôst scripserit. Nam si Moses hoc scripsisset, deberet verti, *non surget ampliùs Propheta* &c. quod contrarium est prophetiæ quæ exstat Cap. XVIII, 15. ubi vide notata. Præterea quamvis Hebræi misceant tempora, non est putandum, in serie orationis, ubi narratam historiam sequeretur vaticinium, præterito tempore quemquam usurum fuisse, adeò ut non possit prædictio à narratione secerni. Hic autem est ולא קם non ולא יקום *non surget*. Hinc LXX. οὐκ ἀνέστη ἔτι, & Vulg. non *surrexit ultra*. Sic & alii omnes Interpretes. Vocula עוד significat *ampliùs*, ab eo, nempe, tempore quo mortuus est Moses, ad id quo hoc Caput scribebatur, seu *adhuc*, quod longiusculum tempus signat; neque enim mirum esset brevi tempore postea non ortum esse tantum Prophetam. Quis autem addiderit hæc Mosi fateor me nescire, sed summæ auctoritatis virum, ut Pontificem Maximum, aut Prophetam crediderim. Fortè Hesdræ sunt tribuenda. *Hieronymus* contra Helvidium: *Hodiernus dies illius temporis existimandus est, quo historia ipsa contexta est, sive Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi,*

9. Josua verò, Nunis filius, repletus fuerat spiritu sapientiæ, quia Moses ei ma-
nus suas nitendo imposuerat; eique paruerunt Israëlitæ, & fecerunt quemadmodum
Mosem jusserat Jehova. 10. Non surrexit autem ampliùs propheta in Israële simi-
lis Mosis, quem Deus facie ad faciem *conversâ* norat, 11. omnibus signis & por-
tentis ad quæ edenda eum miserat Jehova in Ægyptum, contra Pharahonem, om-
nésque ejus servos, & universam terram; 12. atque omni manu prævalidâ, & ter-
rore magno quem *sibi* fecerat Moses, in oculis universi Israëlis.

DEUTERONOMII FINIS.

9. Josua verò, à Deo sapientia instructus qoæ tanto muneri sustinendo necessaria erat, cùm Moses, ut antea dictum, ei manus imposuisset, populo Hebræo ab eo tempore præesse cœpit, obseqoentémque eum sibi habuit. 10. Ceterùm hactenus nullus Propbeta exortus est, qoem Deus veluti familiari alloquio dignatus sit, ut Mosem, 11. 12. aut cui potestatem fecerit tot edendorum prodigiorum, tantúmqoe rerum gerendarum; quot & quantas, Mose rogante, in Ægypto atque in Arabia, spectantibus omnibus Israelitis, perpetravit.

Paraphraseus Deuteronomium

FINIS.

ebi, sive Hesdram ejus instauratorem operis mavis, non recuso. Quæ tamen ita dicta sunto, ut illibata Pentateucho maneat sua auctoritas.

Quem Deus facie ad faciem conversâ norat.] Perinde est ac: *qui noverit Deum facie ad faciem*, de quo diximus ad Exod. XXXIII, v. 11.

Commentarii in Deuteronomium

FINIS.



A P-

APPENDIX COMMENTARII IN EXODUM.

DISSERTATIO DE MARIS IDUMÆI TRAJECTIONE.

I. Occasio Dissertationis. II. Divisio ejus & finis. III. Exponuntur verba Mosis, & in tempus, quo ortus est & flavit ventus, qui mare divisit, inquiritur. Quàm brevi tempore trajicere potuerint Israëlitæ. IV. Ventum auxisse æstum maris in Oceanum reflui, non divisisse aquas utrimque coacervatas, ut, perperam intellecto Mose, vulgò creditur. Quàm facilè fieri hoc potuerit. Quàm aliena sit à sensu Mosis sententia eorum, qui semicirculum in mari factum docent. V. Ventum, quo sinûs Arabici fluctus in Oceanum sunt rejecti, septemtrionalem fuisse. VI. Josephum rem hoc modo intellexisse, cùm trajectui Israëlitarum contulit Alexandri transitum per littus Pamphylium, cui potuisset addere P. Scipionis egregium facinus. VII. Confirmatur proposita sententia circumstantiis cladis Ægyptiorum. VIII. Memoria hujus trajectûs, qualis descriptus est, apud Ichthyophagos. Fabella Pauli Orosii. *IX. Trajectum Israëlitarum miraculum fuisse. X. Epilogus.*



PRODIGIORUM amor nimius non rarò, ut Deus ordinem naturæ consuetum mutasse perperam crederetur, effecit; cujus rei exemplum satis luculentum, in Dissertatione *de Salina Statua*, adtulimus. Ejusmodi autem opiniones, etsi laudandæ non sunt, cùm quia superstitiosâ quadam credulitate animos irretiunt, tum quia Historiam Sacram profanis hominibus ridendam præbent, & verorum portentorum fidem elevant; attamen ideò veniam à nobis impetrare debent, qui eas amplectuntur, quòd, si quid Scripturæ Sacræ adjiciunt, nihil saltem detrahant, atque ex animo, maxima quæque divinæ potentiæ tribuente, eæ sententiæ oriantur. At ii ferri nequeunt, qui manifesta prodigia perperam interpretati, omnia consueto naturæ ordini, nihil ampliùs novi moliente Deo, tribuere sustinent. In hujusmodi enim sententiam delabuntur, insitâ quadam pertinaciâ, ac superbiâ; per quæ vitia, nihil credere insoliti, nihil admirari iis licet. Fortasse etiam quia non audent apertè negare eventus certissimis testimoniis, firmissimisque argumentis demonstratos; eorum fidem occultiùs labefactare conantur, dum nonnisi inviti, præter solitum naturæ ordinem, quidquam evenire fatentur.

Quidquid oritur, ut Ethnici Philosophi verbis sententiam à Christiana Religione abhorrentem exprimam, *causam habeat*, ut illi opinantur, *à natura necesse est, ut etiamsi præter consuetudinem exstiterit, præter naturam tamen non possit exsistere. Causa igitur investiganda in re nova atque admirabili, si possumus; si nullam reperiemus, illud tamen exploratum habebimus nihil fieri*

posse sine causa, *eâmque errorem*, *quem nobis rei novitas adtulerit*, *naturæ ratione depellemus.* Verba sunt *Ciceronis*, de Divinatione Lib. II. in quibus verè quidem nihil sine causa fieri contendit, omnia enim fiunt aut à Natura æterna, singulari voluntatis ejus arbitrio, aut ab inferioribus causis, quibus agendi vires largita est; sed perperam existimat nihil interesse inter rariores eventus, & omnia quæ prodigia vocari solent. Possunt quidem ordine naturæ multa fieri rarò usitata, nullâ aliâ vires exserente causâ, nisi quæ vulgò consueverunt agere; possunt ea perperam interdum insuitatis causis tribui, & reverâ tributa ab imperitis sunt; sed potest etiam Natura æterna ordini olim instituto addere, aut detrahere quod videtur; & sunt certa argumenta, quæ res portentosas ab ea, præter ordinem, editas fuisse ostendunt, de quibus postea nonnulla dicemus.

Nunc, aliquamtisper omissis, quæ de genere toto prodigiorum dici possunt, unum à cavillationibus vindicare, perspicuâ ejus expositione conabimur. Id est quod à Mose narratur Exodi Cap. XIV, ubi quâ ratione, sicco pede, Israëlitæ *Mare Idumæum* trajecerint ostendit. Qui hoc in negotio nihil, præter consuetum naturæ ordinem, evenisse volunt, ii Mosem aiunt, qui regionum peritus erat, tempus æstûs observasse, & recedente, ut solet, mari, facilè sicco pede illac transiisse; at virum callidum id pro prodigio, apud imperitam multitudinem, venditasse, quod solitis naturæ legibus factum erat. Hoc autem vel inde constare volunt, quòd Ægyptii idem iter ac Israëlitæ impavidè ingressi fuerint; quos, si miraculo mare fissum esse vidissent, numquam ausi essent sequi; ne qui maris aquas, in Israëlitarum dumtaxat gratiam, divisisset, eas in alveum solitum, ut submergerentur Ægyptii, curaret redire. Addunt & Mosis cœptis forte fortunâ favisse ventum, qui æstum mirum in modum auxerit, ut ejus historiæ Scriptor innuit; cùm observat *Jehovam fecisse*, *vento vehementissimo*, *ut mare discederet.*

II. Nostri non est instituti Mosis veracitatem hîc defendere; satis erit, hoc in loco, si ostenderimus quod adfirmant id Mosis narrationi contrarium esse; & enim homines ita sibi confidunt, ut sententiam suam ex Scripturæ ipsius narratione à se defendi posse existiment. Itaque ante omnia, Mosis verba interpretabimur, nec statim ad vim Numinis portentificam confugiemus, sed quid institutarum ab rerum initio causarum efficaciâ fieri potuerit quæremus. Postea quid earum viribus, quidve à Deo factum fuisse videatur exponemus, & adversariorum objectionibus respondebimus.

Ut multi *ante tenentur adstricti*, *quàm quid esset verum judicare potuerunt*; *deinde infirmissimo tempore ætatis*, *aut obsequuti amico cuidam*, *aut unâ alicujus*, *quam primùm audierunt*, *oratione capti de rebus incognitis judicant*, & *ad quamcumque sunt disciplinam*, *quasi tempestate delati*, *ad eam tamquam ad saxum adhærescunt*: ita negari nequit quin nonnullis, id extremum vitantibus, novarum quarumvis opinionum amor intempestivus nocuerit. Atque hi sæpe, non aliter ac alii, postquàm impetu quodam in partes iverunt, fidenter cetera omnia, nullo adhibito examine, damnant; quod iis contigisse, qui portentum in Maris Idumæi transitu factum à Deo esse nolunt, ex sequentibus liquebit.

III. Deus Exodi Cap. XIV, 16. sic Mosem alloquitur: *tu verò adtolle virgam tuam*, *manúmque extende in mare*, & *id findito*, *ut medium mare*, *per siccum humum*, *ingrediantur Israëlitæ.* Hoc jussum fuisse Mosem, sub vesperam, adparet ex versibus 20, 21. Tum Moses Deo jubenti obsequutus mare quidem percussit, sed illico fissum non est; sic enim res vers. 21. narratur: *Extendit Moses manum*, *effecitque Jehova ut recederet mare*, *vento per totam eam noctem vehemente*, *maréque exsiccavit*, & *aquæ sunt fissæ.* Postquàm ergo Moses mare percusserat, ortus est vehemens ventus, qui paullatim aquas divisit; quod non satis observaverat *Josephus*, qui percussione ipsâ marinas aquas disjectas narrat, Ant. Jud. Lib. II. c. 7. Τύπτει, inquit, τῇ βακτηρίᾳ τὴν θάλασσαν, ἡ δὲ ὑπὸ τῆς πληγῆς ἀνεχώρει, καὶ εἰς ἑαυτὴν ὑποχωρήσασα γυμνὴν ἀφίησι τὴν γῆν: *percutit virgâ mare*, *hoc autem percussione divisum est*, & *in se ipsum recedens nudam relinquit humum.* Sed Moses ipse docet ventum *per totam eam noctem*, בכל הלילה *bechol hallailah* vehementem marinas aquas expulisse; hoc est, per totam ferè noctem, nam *vigiliâ matutinâ*, jam mare, post Israëlitas, ingressi fuerant Ægyptii, ut narrat vers. 24.

Notum est Hebræos in tres *vigilias* noctem divisisse, axioma est enim Thalmudicum: אשמורת שליש הוא של לילה *vigilia est tertia pars noctis*, qua de re vide Hebræos Interpretes ad Judic. VII, vers. 19. Quod cùm ita sit, & doceat Historia sacra *matutinâ demum vigiliâ* mare rediisse; credibile est ventum, per duodecim ferè horas, ab occasu solis ad ejus ortum, spirasse; nam paullò post æquinoctium vernum profecti sunt Israëlitæ. Si sciremus quâ noctis aut diei vigiliâ, mare littora aquis texerit, aut ab iis recesserit, exponere hæc adcuratiùs possemus; sed cùm mare, intra duodecim horas, influat ac refluat, credibile est initio noctis cœpisse refluere, & refluxum quidem vehementiore vento acceleratum, atque auctum fuisse; accessum verò qui proximè sequebatur, eodem durante vento, & undas aliquamdiu sustinente, tardiorem fuisse; quo temporis intervallo, per nudatum aquis maris alveum, transierint Israëlitæ. Ponamus, exempli causâ, mare circa secundæ vigiliæ initium, cùm in Austrum refluxisset, iterum influere ad Septemtrionem debuisse, si ventus nullus fuerit; potuit mare vehementiâ venti, ante secundam vigiliam, effluxisse, nec rediisse in septemtrionalia maris Idumæi littora, nisi aliquot horis seriùs, ut per integram secundam vigiliam, id est, per quatuor horas minimùm transire potuerint Israëlitæ. Certè jam mare trajecerant, cùm matutina vigilia adesset, quâ Ægyptii omnes alveum maris subierunt & submersi sunt.

Ut autem tot hominum myriades, tam brevi tempore, sinum Erythræum trajicere potuisse intelligantur, duo potissimùm in animum sunt revocanda. Primum est eum sinum quà desinit, arctissimum esse, ut omnes testantur, qui de eo egerunt; quod aliquot testimoniis firmare, cùm res sit hoc in loco maximi momenti, supervacaneum non erit. *Strabo* Lib. II. p. 69. Ed. Gen. Ἀράβιος κόλπος ποταμῷ δίκην στενός ἐστι καὶ μακρός: *sinus Arabicus est instar fluvii arctus* &

& longus. Accuratiùs etiam in intimo recessu latitudinem describit *Diodorus* Biblioth. Lib III. p. 172. Ed. Rhodom. Εὖρος δὲ τῆς μὲν τὸ στόμα καὶ τὸν μυχὸν ὑπάρχει περὶ ἑκκαίδεκα σταδίους: *latitudo ad ostium & ad sinum est circiter quindecim stadiorum. Petrus Vallensis* Epist. XI. Caïro datâ, ubi describit reditum ex monte Sina in Ægyptum, cùm ad sinum Arabicum accessisset: *pervenimus*, inquir, *ad locum Arabicè trajectum dictum, ubi sunt aliquot scaphæ, & unde trajiciunt qui volunt Suësum ire, quod est in occidentali littore, ad Ægyptum pertinente. Qui pedestri itinere eò ire volunt, eos nescio quot milliaribus oportet circuire ad ultimum sinûs recessum, sed mari (usque adeò eo loco arctum est) non magis distat, quàm Pausilypus à Neapolitana mole.* Vide & *P. Belonium* Lib. II. Obser. Cap. LIX. Hæc circiter duobus milliaribus à se invicem distant. Difficile ergo non fuit, quamvis ingenti multitudini, citato gradu pauculis horis maris alveum trajicere, quod alioquin intelligi non posset, si latior esset. Hinc quoque colligimus aquam refluam ad meridiem non modò relinquere coactam littora sicca, sed etiam propter angustias loci ipsum medium alveum nudare, nisi sicubi profundior sit. Non opus est, ut opinor, probemus Israëlitas ad intimum sinûs recessum, eum trajecisse, quandoquidem hoc manifestò liquet ex situ loci, in quo castra posuerant, ut describitur Exod. XIV, 2. ubi vide quæ adnotavimus.

Præterea, quod secundo loco animadvertendum, Israëlitas ordine militari & longo agmine necesse non habuisse fugere. Latissimo spatio vento exsiccato, latâ fronte trajicere potuerunt, quemadmodum tentarunt post eos Ægyptii; totus enim exercitus Ægyptius submersus non fuisset si pauci simul processissent, cùm longi agminis postrema acies multùm fuisset à fronte abfutura. Verùm ad unum perierunt Ægyptii, unde liquet, latè patente aciei fronte, maris alveum esse ingressos.

IV. Sed paullò accuratiùs expendenda vis venti, quâ mare disjectum dicitur. Res ita describitur. vers. 29. *Israëlitæ siccâ viâ, per medium mare, iverunt, & aquæ à dextra & à sinistra iis murus fuerunt* חמה מימינם ומשמאלם. Quæ verba propriè nimium intellexit Philo Judæus, qui Lib. III. de Vita Mosis pag. 534. Ed. Gen. ita loquitur: ἀπέβαινε τὰ χρησθέντα θείαις δυνάμεσι μύθων ἀπιστότερα. ῥῆξις θαλάσσης, ἀναχώρησις ἑκατέρου τμήματος, πῆξις τοῦ κατὰ τὸ ῥαγὲν μέρος διὰ παντὸς τοῦ βάθους κυμάτων, ἵν᾽ ἀντὶ τειχῶν ᾖ κραταιοτάτων: *contigerunt quæ à divinis Potentiis prædicta fuerant, fabulis incredibiliora; ruptio maris, discessio utriusque fragmenti, concretio fluctuum, qui ad partem divisam erant, per omne profundum, ut loco murorum essent firmissimorum.* Quod in memoriam revocat ineptias nescio cujus Poëtæ Galli, qui ad crystallinos hosce muros, pisces quasi per fenestram transeuntes Israëlitas spectaturos adduxit. Profectò hæc additamenta verissimam historiam in fabulam mutant, qualis *Aristæi*, quem *Cyrene* mater exceptura Georg. Lib. IV.

> *— alta jubet discedere latè*
> *Flumina, quà juvenis gressus inferret, at illum*
> *Curvata in montis speciem circumstetit unda,*
> *Accepitque sinu vasto.*

Moses quidem in Cantico Exod. XV, 8. Poëticè haud absimiliter rem descripsit, sed fidi Interpretis fuit figuras secernere à propriè dictis. Quis autem non videt ἐμφατικὸν hunc esse sermonem: *vento narium tuarum coacervatæ sunt aquæ, steterunt fluenta quasi granorum acervus, in medio mari coagulatæ sunt abyssi?* 1. Deus naribus non emittit ventum, nec emisisse à Mose creditus est, qui Deum ab humana specie abhorrere ubique docet: 2. Granorum acervus, & glaciei massa multùm differunt, nec simul utrique aquarum in Oceanum rejectio, potuit conferri, nisi figurato sensu, adeòque neutrum propriè posse intelligi satis adparet: 3. Si concreta fuisset hinc atque inde aqua, non opus erat *vento per totam eam noctem vehemente*, quo ejus pondus sustineretur; ex quo enim divisa fuit, aqua, utrimque crystallino aggere coërcita, in interjectum alveum, nisi tabescente crystallo, redire non potuit. Similiter ut aqua *muri instar* Israëlitis fuisse dicatur, satis est ad dextram & ad sinistram aquam imperviam fuisse; nec quidquam obstat quominùs ad sinistram in profundioribus lacunis aqua hæserit, quamvis longè maxima ejus pars refluo æstu ad dextram defluxisset, & vadum per quod transivere Israëlitica siccum esset. Sic Nah. III, 8. ubi sermo est de *Alexandria*, ut Veteres censuerunt, aut de *Thebis* seu *Diospoli*, ut existimavit *Sam. Bochartus*, mare ei urbi *murus* esse dicitur. *An melior es*, inquit Propheta, *No-amone, inter fluvios sita, circa quam sunt aquæ, cujus propugnaculum est mare, & cujus aqua est murus*, ים חומתה. Similia ex Scriptoribus Græcis ejus loquutionis exempla adduxit vir summus, sui *Phalegi* Lib. c. I. c. I.

Itaque existimamus divisionem illam aquarum Idumæi maris ejusmodi fuisse, ut postquàm omnem aquam, nisi quæ in profundioribus hæsit lacunis, ab intimo sinu ad ejus ostium expulit ventus æstum augens, è regione Israëlitarum latissimum vadum exstiterit & transitum in adversum littus eis præbuerit. Atque hoc eò faciliùs fieri potuit, quòd cùm sit vadosissimum illud mare, si æstus sit paullò major, vada prorsus nudentur; quamquam, ut postea ostendemus, divinitus excitato vento recessit mare longiùs quàm umquam antea, & postea recessisse memoriæ proditum est.

Vadosum esse hoc mare testantur omnes ferè, à quibus descriptum est. *Diodorus* Siculus Biblioth. Lib. III. p. 173. ἡ θάλασσα τεναγώδης οὖσα, τὸ βάθος εὑρίσκεται οὐ πλειόνων τριῶν ὀργυιῶν: *mare cænosum cùm sit, non deprehenditur profundius tribus orgyis*, hoc est, pedibus octodecim, ubi, nimirum, est profundissimum. Quod, in sequentibus, copiosiùs exponit *Pet. Belonius* Observat. Lib. II. c. LVIII. *Hoc mare rubrum*, inquit, *est tantùm arctus canalis, non latior quàm Sequana inter Haverostorium & Hondestorium, quodque nonnisi ægrè & magno cum periculo navigari potest, propter frequentes rupes.* Similia habet *Pet. Vallensis* in Ep. XI. Cairo datâ.

Testatur etiam *Diodorus* ingentem esse maris illius æstum Lib. III. p. 172. Ἔχει νήσους μακρὰς, στενὰς μὲν διαδρόμους ἐχούσας, ῥοῦν δὲ πολὺν καὶ σφοδρόν: *habet insulas longas, & angustos transitus, æstum verò multum & vehementem.* Similiter *Pet. Belonius* Obs. Lib. II. c. 67. de urbe quæ *Tor* nunc dicitur: *situs ejus*, inquit, *est editus, mare enim interdum usque adeò intumescit, ut*

agros

agros inundet & vicum circumdet aquis. Nec sanè aliter in angusto freto fieri potest, præsertim à meridie ad septemtrionem porrecto; ex meridie enim, per angustias, æstus magno impetu adscendit, & cùm non habeat locum per quem latè exspatietur, altus necessariò est; & contrà ubi descendit, plurima undare eum oportet vada, & intimum recessum ferè siccum relinquere. Hinc sæpe deprehensas in vadosis locis naves, iisque hærentes, nisi priusquàm redeat æstus frangantur, servat ὁ τῆς πλημμυρίδος κλύδων, ut docet in sequentibus idem Scriptor. *Herodotus* Lib. II. Cap. XI. Ῥηχίη ἐν αὐτῷ καὶ ἄμπωτις ἀνὰ πᾶσαν ἡμέρην γίνεται: *in eo quotidie accessus est & recessus maris.*

Sunt qui velint maris alveum Israëlitis, à littore in quo castra posuerant, non patuisse rectà in adversum littus, sed eos *semicirculo in mari facto* in littus Ægyptium rediisse. Quam sententiam amplexi sunt, quod cùm, antequàm in maris alveum descenderent, in *Ethami* deserto essent, per idem postea desertum iter fecisse Israëlitæ narrentur, Num. XXXIII, 6, 8. Succhotis enim ivere *Ethamum, quod in extremo deserto*; tum *profecti Ethamo redierunt Phi-hachirothas*; unde postquàm discesserant, *mari trajecto, iter trium dierum confecerunt per desertum Ethami, & Maræ castrametati sunt.* Verùm hinc potiùs colligendum fuit *Ethamum* oppidum quidem fuisse ad occidentale Maris Idumæi littus, in deserti finibus, quà superiorem Ægyptum respicit; ab eo tamen oppido nomen esse factum toti illi solitudini, non modò ad occidentem sinûs Erythræi sitæ, sed etiam ad orientem porrectæ, adeòque intimum sinûs recessum ambitu suo complectenti. Certè cùm post divisi maris miraculum, Israëlitæ tridui iter in deserto Ethami confecerint, sat amplum oportet fuisse id desertum, ut ab occidentali littore Idumæi Maris ad orientale porrigi potuerit. Sed rem extra dubitandi aleam ponit situs *Maræ*, ad quam pertinebat desertum Ethami, & quæ ad occidentem hujus maris fuit, cùm tertio demum die, post trajectum, eò pervenerint Israëlitæ.

Deinde hæc circuli pars, quam per maris alveum confecisse dicuntur, longa fuit, aut brevis. Si longior, adeòque multorum milliarium dicatur; difficile erit intellectu qui trecentæ hominum myriades, tam brevi tempore, potuerint tantum iter conficere. Nec dixeris eum circularem tramitem latissimum fuisse, sic enim totus maris alveus exhaustus esset, cùm eo in loco sit arctissimus. Si brevis fuit via, eàque arcta; quæremus qui totus Ægyptiacus exercitus intra eam contineri potuerit, quod nemo, ut opinor, ostendet. Denique qui potuisset ventus circularem tramitem in mari secare? Sunt & aliæ rationes, quæ hanc sententiam prorsus jugulant, quas postea proferemus.

Itaque haud paullò verisimilior est sententia nostra, cui tamen, ne quid dissimulemus, objici queat locus Psalmi CXXXVI, 14. ubi laudatur Deus, quia *algosum mare in segmenta diviseras* גזר ים סוף לגזרים, quâ loqutione videatur fortè significari ejusmodi marinæ aquæ divisio, quâ partes divisæ vento utrimque ex æquo rejectæ fuerint. Sed & *in segmenta divisæ* dici possunt, si utrimque aqua superfuerit, quamvis vi venti in utramque partem congesta non sit; aqua enim quæ in meridiem defluxit avulsa est ab ea, quæ in septemtrionalibus lacunis mansit; quæ aqua lacunarum dici potest גזר *gezer*, sive *segmentum*, quòd venti vehementiâ à reliquis fluctibus separata fuerit.

Idem autem contigit, ac quod in maximis tempestatibus interdum fit, quibus pars fundi maris fluctibus destituitur; sed hoc & diutiùs duravit, & per majorem alvei partem porrectum est. *Lucanus* Lib. V. in descriptione procellæ:

> *— Pelagus quâ parte sedet, non celat arenam,*
> *Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est.*

Quod de hoc miraculo aptissimè dici potest, cui & aptiùs hæc ex *Senecæ* Troade aptaveris, vers. 1032.

> *—— Mare cùm, coactis*
> *Fluctibus, Corus prohibet reverti.*

Nam reverà Corus rediturorum ex meridie in septemtrionem fluctuum pondus sustinuit, ut postea videbimus. *Diodorus* Siculus de Mari Erythræo & piscatione Ichthyophagorum, postquàm dixit eos capere pisces qui redeunte æstu in cavis rupibus destituuntur: ἐνίοτε δὲ, inquit, τηλικοῦτον ἐκ τοῦ πελάγους εἰς τὴν χέρσον κυλινδεῖται κῦμα, καὶ τὰς ῥαχίας ἐφ' ἡμέρας πολλὰς κατακλύζει λάβρον, ὥστε μηδένα τοῖς τόποις προσεγγίζειν: *aliquando etiam tam vasti fluctus se à mari in terram evolvunt, & crepidines multis diebus adeò submersas tenent, ut nemo ad loca accedat.* Paullò pòst: ἐπειδὰν δὲ διὰ τὴν συνέχειαν τῶν ΠΝΕΥΜΑΤΩΝ ἐπὶ πλείονα χρόνον πληθύειν συμβαίνῃ τὸν Ὠκεανὸν, καὶ τὴν εἰωθυῖαν θήραν τῶν ἰχθύων ἐκλείπῃ τὸ τῆς περιστάσεως ἀδύνατον, ἐπὶ τὰς κόγχας τρέπονται: *Cùm verò continuo* VENTORUM *flatu, longiore tempore contingit Oceanum littora inundare, & solitam venationem piscium excludit aëris tempestas, quâ fieri nequit, convertuntur ad conchas.* Est in annalibus Reip. Genevensis anno Mcccccxc tantum impetum Austri fuisse, ut Rhodani, rapidissimi fluvii, fluctus ex Lemanno lacu in Austrum labentes, per quartam horæ partem, steterint. Quod observatur etiam ad calcem Translationis Gallicæ *Fasciculi Temporum* eo anno Genevæ editæ. Similiter potuit refluì maris augeri motus, & rediturì impetus vento sisti. Observatum est in Hollandia, anno MDCLXXII, pridie Idus Julias, ventone, an alia de causa, non satis constat, refluum maris motum per duodecim horas durasse, quo prodigio impedita est Anglorum exscensio. Quidni idem aquarum motus, in Arabico sinu, divinâ voluntate, diutiùs solito durare potuit, reditúsque fluctuum ad littora serior esse?

V. POSTQUAM Mosis verba exposuimus, quæ rem ipsam spectant, non supervacuum tamen erit quærere ex quo cœli cardine spirarit ventus, quo mare Erythræum divisum est. *Effecit Jehova*, inquit Moses, *ut recederet mare, per totam eam noctem, vento vehemente* ברוח קדים עזה *brouahh kadim hazzah.* LXX. Intt. verterunt νότῳ βιαίῳ, *vehemente noto*, sed Notus ab Oceano spirans in sinu Erythræo πλημμυρίδα dumtaxat augere & diutiùs solito sustinere potuit, quod Dei consilio planè contrarium erat;

erat; nisi dixeris ventum in certam dumtaxat maris partem incidisse, tantóque impetu aquas disjecisse, ut vada latè destituerint, & utrimque, dum trajicerent Israëlitæ, fluctus veluti suspensi fuerint, nullâ soliti æstûs ratione habitâ. Verùm præterquàm quòd Mosaica verba tale nihil suadent, certè quî tanto turbine viam illam perflante transire potuerint Israëlitæ, nemo capiat. Mira quidem procellosis illis ventis, qui *Uragani* dicuntur, fieri in littoribus Americanis & Indicis accepimus; sed, illis flantibus, nemo ausit iter facere, nec profectò eorum vi stans resistere possit. Neque vox קדים *kadim* necessariò *Notus*, ex Etymologia, aut usu Linguæ Hebraicæ, verti debet, ut aliò confugere non liceat. Cùm ea vox ἀπὸ τῦ קדם *kedem*, oriens, derivari ab omnibus censeatur, *orientalem* potiùs dici oportuit; aut, si ex alia vocis קדם significatione deduci debeat, ut mox videbimus, nihil est cur *Notum*, potiusquàm *Boream*, vertamus.

Nos quidem orientalem ventum hîc significari posse non putamus, quòd ejusmodi ventus aptior fuerit fluctibus in Troglodyticum littus, in quo erant Israëlitæ, impellendis, quàm aquis dividendis; nisi intelligamus eum in certam dumtaxat maris partem spirasse, ut vi suâ quominùs utrimque influerent illuc aquæ impedierit. Sed eædem, quæ modò à nobis movebantur in australem ventum, imò majores oriuntur difficultates; quis enim tam vehementi turbine adverso, non dicam stare in maris alveo, sed brevissimo tempore trajicere eum potuisse trecentas hominum myriadas intelligat? Erunt fortasse, qui pauciores paullò Israëlitas fuisse dicant, at certè multitudo magna fuit Hebræorum, quamvis numorum chiliadum, aut myriadum nemo definire queat.

Itaque voce קדים, hoc quidem in loco, non respici ad plagam cœli, unde hic spirarit ventus, existimarim; sed *ventum vehementem*, undecumque flaverit, significari, quod vidit *Hieronymus*, qui habet *vento vehementi & urente*; quia, nimirum, ventus קדים adurere alibi dicitur. Vide Gen. XLI, 6. Nec addidit Moses vocem עזה hazzah *vehemens*, quòd קדים vehemens esse non soleat; sed quia ventus ille, quo in Oceanum Arabici sinûs rejecti sunt fluctus, præter modum vehemens erat. Nam alioqui solâ voce קדים vehemens significatur ventus; sic Psalm. XLVIII, 8. *vento* קדים *kadim, conteris naves Tharsis*, ubi habent LXX. Intt. ἐν πνεύματι βιαίῳ. Ezek. XXVI, 26. *Ventus* kadim *contrivit te in medio mari*. Omnia subvertere & dispergere dicitur Job. XXVII, 21. Jer. XVIII, 17. vocatur ventus durus Esai. XXVII, 8. & strepitu suo surditatem inducere dicitur Jon. IV, v. 8. Unde autem vox קדים in hanc transierit significationem, non est facile dictu. Fortasse ejusmodi erat in Judæa orientalis ventus, ex Arabia spirans; unde postea factum sit ut quocumque ex cardine cœli flarent venti vehementiores, eo nomine καταχρηστικῶς adpellarentur. Fortè etiam vocem קדים hoc significatu sumtam, non ἀπὸ τῦ קדם kedem, *oriens*, deducere nos oportet, sed à verbo ipso קדם *kadam*, quod *antevertit* & *maturavit* significat; ut ita dictus sit vehementior ventus, quòd celeritate suâ omnia *antevertat*. Hinc hyperbole frequens, apud Poëtas, ad significandam summam celeritatem, *Ocyor Euro*, & laudata *Virgilio* Camillæ velocitas, quam Æneid. VII. adsuetam dicit:

Dura pati, cursûque pedum prævertere ventos.

Sed quamquam non est inepta hæc Etymologia; mihi satis est, voce קדים ventum vehementem, undecumque spiret, significari. Quod cùm ita sit, hoc in loco, possumus hunc ventum רוח *septemtrionalem* fuisse statuere; nequaquam repugnante Linguæ Hebraicæ usu, & re ipsâ suadente; ostendimus enim septemtrionali dumtaxat vento Arabici maris vada, ita potuisse nudari, ut sicco pede ea trajicerent Israelitæ.

VI. CUM huic nostræ sententiæ res ipsa, ut vidimus, patrocinetur, neque quidquam ex Mosis verbis satis firmum objici possit; eam fortè novitate, ut fit, objectâ, evertere nonnemo tentet. Sed auctoritate *Josephi* invidiam placare hîc possumus, quippe qui simile quiddam in animo habuisse videtur, cùm transitum Israëlitarum itineri Alexandri, per mare Pamphylium, contulit, hisce verbis, ad Lib. II. Ant. calcem: Θαυμάσῃ δὲ μηδεὶς τῦ λόγυ τὸ παράδοξον, εἰ ἀρχαίοις ἀνθρώποις καὶ πονηρίας ἀπείροις εὑρέθη σωτηρίας ὁδὸς καὶ διὰ θαλάσσης, εἴτε κατὰ βύλησιν θεῦ, εἴτε κατ' αὐτόματον· ὁπότε καὶ τοῖς περὶ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν βασιλέα τῆς Μακεδονίας χθὲς καὶ πρώην γεγονόσιν ὑπεχώρησε τὸ Παμφύλιον πέλαγος καὶ ὁδὸν ἄλλην οὐκ ἔχουσι παρέσχε δι' αὐτῦ, καταλῦσαι τὴν Περσῶν ἡγεμονίαν τῦ θεῦ θελήσαντος: *nemo mirabitur incredibilem hunc historiæ eventum, si priscis hominibus & malitiæ ignaris, inventa est, etiam per mare, salutis via, seu Deo volente, seu casu; quandoquidem & Alexandro Macedoniæ Regi, qui non ita pridem vixit, Pamphylium mare cessit, nec viam aliam habenti, per se præbuit, cùm Deus Persarum imperium destruere vellet.* Non inquiram an per omnia hi eventus, auctore *Josepho*, conferri possint; certè falsum est nullam aliam Alexandro fuisse viam, & alia sunt dissimilia; at hoc utrobique simile judicavit, nec immeritò, quòd per mare patuisset ei iter, mutato vento, quo flante illac transire non licebat. Rem ex *Arriano* huc transferemus, qui ita Lib. I. eam narrat: παρὰ τὴν θάλασσαν διὰ τῦ αἰγιαλῦ ἦγε τὺς ἀμφ' αὐτὸν, ἔστι δὲ ταύτῃ ἡ ὁδὸς οὐκ ἄλλως ὅτι μὴ τῶν ἀπ' ἄρκτυ ἀνέμων πνεόντων· εἰ δὲ νότοι κατέχοιεν ἀπόρως ἔχει διὰ τῦ αἰγιαλῦ ὁδοιπορεῖν· τότε δὲ ἐκ νότων σκληρῶν βορέαι ἐπιπνεύσαντες, οὐκ ἄνευ τῦ θείυ (ὡς αὐτός τε καὶ οἱ ἀμφ' αὐτὸν ἐξηγῦντο) εὐμαρῆ καὶ ταχεῖαν τὴν πάροδον παρέσχον: *secus mare, per littus, eos qui secum erant duxit. Est autem hæc via non aliter, nisi flantibus aquilonibus, si verò noti invaluerint, non potest per littus iter fieri. Tunc verò ex vehementibus austris, boreales venti exorti, non sine numine (ut ipse & qui cum eo erant prædicabant) facilem & celerem trajectum præbuerunt.* Novimus quæ ex *Strabone* & *Plutarcho* hanc in rem dici possint, sed de veritate hujus eventûs hoc in loco anxii non sumus, qui quid voluerit *Josephus* dumtaxat quærimus; postea rem ipsam, ad calcem hujus Dissertationis, ad examen revocaturi. Certè ex hisce *Arriani* verbis, rem, prout à *Josepho* intelligebatur, narrantis, liquet hunc Scriptorem de trajectu maris Arabici idem ac nos sensisse.

Potuisset etiam *Josephus*, si scivisset, ut Romanis historiæ Hebræorum fidem detrahentibus os occluderet, addere ex *Livio* Lib. XXVI. c. 45. histo-

historiam, ubi quâ ratione Carthago Nova à P. Scipione Africano capta sit narrat: *Ipse, ut ei nunciatum est, æstum decedere; quod per piscatores Tarraconenses, nunc levibus cymbis, nunc, ubi eæ siderent, vadis pervagatos stagnum, compertum habebat, facilem pedibus ad murum transitum dari, eò secum armatos duxit. Medium fermè diei erat, & ad id quod suâ sponte, cedente in mare æstu, trahebatur aqua*, ACER *etiam* SEPTEMTRIO *ortus inclinatum stagnum, eodem quò æstus ferebat, & adeò nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. Hoc curâ ac ratione compertum, in prodigium ac Deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterent, & stagno auferrent, viásque ante numquam initas humano vestigio aperirent, Neptunum jubebat ducem itineris sequi.* At hoc saltem ratione comperire non potuit Scipio, uti nec Alexander, Septemtriones tum spiraturos, cùm spirare eos necesse sibi foret; & quandoquidem Deus Ethnicorum res, non Hebræorum dumtaxat, providentiâ complexus est, nihil obstat quominùs eum naturæ causas interdum adjuvisse, datâ operâ, existimare possimus.

VII. MARE eo modo, quem diximus, fuisse divisum ex pernicie Ægyptiorum, temerè Israëlitas consequutorum, colligere etiam licet. Primùm Moses narrat, cùm Israëlitæ mare essent ingressi, ipsâ nocte *sequutos Ægyptios, & post eos medium mare ingressos esse equos Pharahonis, currus ejus & equites.* Crediderunt, nimirum, Ægyptii Israëlitas æstûs, præter solitum, majoris occasione uti; ideóque sibi etiam quàm primùm transeundum, ne redeuntibus fluctibus via intercluderetur. Quamquam irâ furebant Ægyptii, non sunt tantæ insaniæ incusandi, ut si prodigium hîc esse suspicati essent, attamen in maris alveum descendere non dubitassent; prodigium autem sine dubio factum hîc vidissent, nisi rem insolito æstui tribuere, cum aliqua veri specie, potuissent.

Postquàm totus Ægyptiorum exercitus mare ingressus erat, Israëlitæque ad littus adversum pervenissent, hoc est, tertiâ noctis vigiliâ, ut sequentia docent; Moses jubetur mare ferire, quo peracto, *mare primo diluculo ad vehementiam suam rediit.* Quod non videtur factum esse sensim, ut in ordinario æstu fieri solet. Contrario vento, hoc est, Austro Deus usus est, qui fluctus vi Boreæ suspensos magno impetu & brevissimo tempore retulit. Hoc docet Moses in Cantico, v. 10. *Vento tuo flavisti, texit eos mare, fundum petierunt* &c. Si hinc atque inde concretæ, aut coacervatæ erant aquæ; quid opus fuit vento, ut in suum locum redirent? Ut Dei voluntate solâ stabant: eadem solâ in alveum reverti poterant, si modò Deus eam potentiæ suæ efficaciam revocaret; pondere enim suo, instar tabescentis glaciei, defluxuræ erant.

Ne possent redeuntis æstûs impetum cursu effugere Ægyptii, præter Austrum quo acceleratus est, Deus à Mose dicitur eos *conturbasse, amovisse rotas eorum curruum, & lentè eos duxisse*, Exod. XIV, 24, 25. Quod ut pleniùs intelligatur, meminisse nos oportet Ægyptium exercitum curribus dumtaxat, & equitatu constitisse; quò, nimirum, Israëlitas faciliùs adsequeretur Pharaho, nullum secum peditatum adduxerat, neque opus eo erat, cùm imbellem & inermem populum solo equitatu & curribus conterere facile esset. Præter remoram, sensus fugientem, equis, curribúsque injectam, arcanâ divinæ potentiæ efficaciâ, tria potuerunt viam illam difficiliorem Ægyptiis reddere, quàm Israëlitis I. Quibusdam enim in locis, potuit esse multum & profundius lutum, quàm ut per ea, sine gravi molestia, currus & equi agi possent; cùm pedites non ægrè eâ possent transire, præsertim Israëlitæ per Ægypti paludes errare cum pecoribus adsueti. Quamvis sit varia locorum & fundi maris natura, mirum nemini videbitur, si in spatio, quod latitudine aliquot passuum millia patuit, lutosa hîc illic loca fuisse dixerimus, paullò postquàm inde mare recessisset. II. Si lutum aliis in locis nullum fuit, at erat profunda arena, in quam etiam altè immittuntur rotæ, & per quam nonnisi lento gradu incedere equi possunt. Ingentem esse eo in mari luti & arenæ copiam docet *Diodorus* Siculus Lib. III. loco ante §. IV. laudato, unde nonnulla, præter adlata, huc transferemus. Πλήρεσι ἱστίοις θέουσαι (nempe, naves quibus Elephantes in Ægyptum advehebantur) καὶ διὰ τὴν τῶν πνευμάτων βίαν πολλάκις νυκτὸς φερόμεναι, ποτὲ μὲν πέτραις προσπίπτουσαι ναυαγοῦσι, ποτὲ δὲ εἰς τεναγώδεις ἰσθμοὺς ἐμπίπτουσι: *passis velis decurrentes & vehementiâ ventorum sæpe noctu pulsæ, interdum in scopulos incidentes, naufragium patiuntur, interdum cœnosis isthmis impinguntur.* Paullò pòst de eadem navigatione: χωρὶς δὲ τούτων τῶν κακῶν ὁ κλύδων ἐν ἀκαρεῖ τῷ χρόνῳ τῷ κύτει τῆς νεὼς τοσοῦτο πλῆθος ἄμμου περιβάλλει καὶ συσσωρεύει παραδόξως, ὥστε τὸν κύκλῳ τόπον περιχώννυσθαι, καὶ τὸ σκάφος ὥσπερ ἐπίτηδες ἐνδεσμεύεσθαι τῇ χέρσῳ: *præter hæc mala, brevissimo tempore, tantam copiam arenæ fluctus ad carinam navis conjicit & adcumulat, contra exspectationem, ut locus circumquaque aggere cingatur, & navis quasi datâ operâ terræ adligetur.* Hisce sine dubio multùm Ægyptiorum currus & equos tardari necesse fuit. Nec objeceris *siccam* fuisse viam, quod Moses plus semel ait: neque enim hoc ita intelligendum, quasi ne humida quidem ac lutosa fuerit. *Sicca* dicitur humus, supra quam non sunt undæ, opponitúrque non uligini, sed aquæ, ut Gen. I, 9. *Tum dixit Deus*, inquit Moses, *colligatur aqua quæ est sub cœlo, & adpareat sicca humus — siccam humum vocavit Deus terram.* Vide & Cap. VIII, v. 13. & quæ ad eum locum scripsimus. Nimiùm ergo hanc vocem ursit *Philo* qui, laudato loco, vult propterea Israëlitas transiisse per mare ὡς ἐπὶ ξηρᾶς ἀτραποῦ, καὶ λιθώδους ἐδάφους: *tamquam per siccam semitam & lapidibus stratum pavimentum:* ἐκραυρώθη γὰρ, inquit, ἡ ψάμμος, καὶ ἡ σποράς αὐτῆς οὐσία συμφυεῖσα ἡνώθη: *induruerat enim arena, & sabuli ipsius natura concreta unam massam confecerat.* Non raro ad exponendas voces Scripturæ, nimis propriè intellectas, ficta sunt miracula, de quibus Scriptores Sacri ne somniando quidem cogitarunt; quod peccatum Judæis præsertim interpretibus familiare est, ut norunt omnes qui eorum scripta triverunt. III. Fundum maris inæquale, rupibúsque & fruticibus variis in locis asperum non facilè curribus peragrabatur. Imò vix potuit fieri quin aurigæ Ægyptii festinantes, & quidem noctu, primùm ad sequendos Israëlitas, mox ut ad littus Ægyptium evaderent, se invicem turbarent iis in locis, aliósque alii impedirent, quin & currus ever-

everterant, rotásque rupibus adlisas frangerent. Eversi autem, aut fracti aliquot currus totum agmen turbabant, confusisque ordinibus, concitatísque quantùm licebat equis, dum quisque antevertere alios nititur, lentiùs sine dubio exercitum procedere necesse fuit. Atque hoc, adlatis verbis, significare videtur Moses. Maris autem fundum nonnullis in locis asperum, ut diximus fuisse, jam partim liquet ex adlatis locis *Diodori*, quibus nonnulla ex aliis Scriptoribus addemus. *Theophrastus* Hist. Plantar. Lib. I. Cap. VIII. postquàm dixit circa Arabicum sinum, nullum arbustum crescere, præter spinam, quæ δίψας dicitur, addit: ἐν δὲ θαλάττῃ ἐρυθρᾷ δένδρα τινα φύεται· καὶ καλοῦσιν αὐτὰ δάφνην καὶ ἐλαίαν: *in mari rubro arbores quædam nascuntur, & eas vocant laurum & oleam.* Paullò inferiùs: ἐν δὲ τῷ κόλπῳ, inquit, καλουμένῳ Ἡρώων, εἰς ὃν καταβαίνουσιν οἱ ἐξ Αἰγύπτου, φύεται μὲν δάφνη τε καὶ ἐλαία καὶ θύμον, οὐ μὲν χλωρά γε, ἀλλὰ λιθοειδῆ τὰ ὑπερέχοντα τῆς θαλάττης — μῆκος δὲ τῶν δενδρυφίων, ὅσον εἰς τρεῖς πήχεις: *in sinu, qui vocatur Herous* (ad intimum recessum hujus maris) *in quem descendunt Ægyptii, nascitur quidem laurus & olea & thymum, non viridia quidem, sed lapidosa quæ aquas supereminent. — Longitudo arbustorum est ad tres cubitos.* Hæc exscripsit more suo *Plinius* Hist. Nat. Lib. XIII. c. 25. *Christoph. Fürerus*, nobilis Germanus; in descriptione itineris quod anno 1565. per Orientem fecit, *pag.* 35. ubi de mari Erythræo: *Cùm in rubro mari*, inquit, *cum sociis lavarem, corallio acuto, quorum tam alborum, quàm rubrorum maxima ibi copia est, dextram pedem graviter sauciavi.* Similia narrat *Pet. Vallensis* Ep. XI. Cairo data, ubi dicit *se coralliorum, aliarúmque maris quisquiliarum illinc sumsisse, quibus quatuor aut quinque cistas impleverat* &c. deinde addit: *nascuntur hi lapides, ut vidi, in maris Arabici vadis.* Hæc omnia currnum & equitatûs iter morari debuerunt, & sine dubio remorata sunt.

Quod cùm viderent Ægyptii, & fortè mutati venti auram ex Meridie jam spirantem sentirent; quàm primùm mare reciprocaturum intellexerunt, & seriùs de fuga cogitare cœperunt. Tum demum animadverterunt Israëlitarum Deum non minorem potentiam in mari Idumæo contra se exserere, quàm in Ægypto. Itaque, damnatâ temeritate suâ, ad Ægyptium littus, circumacto agmine, festinabant, cùm irruentibus fluctibus submersi sunt. *Josephus* non modò vento aquas marinas in Ægyptios impulsas tradit, sed simul coortam ingentem procellam, quod fortasse ab Ægyptiis Sacerdotibus ævi sui, ut alia, habuit: ἐπιχεῖται, inquit, πάλιν ἡ θάλασσα, καὶ συγκαταλαμβάνει ῥοώδης ὑπὸ πνευμάτων κατιοῦσα τοὺς Αἰγυπτίους· ὄμβροι τε ἀπ' οὐρανοῦ κατέβαινον, καὶ βρονταὶ σκληραὶ προσεξαπτομένης ἀστραπῆς, καὶ κεραυνοὶ κατηνέχθησαν: *adfunditur retro mare, & à ventis fluctus impulsus deprehendit Ægyptios; imbres è cœlo descenderant, vehementiáque tonitrua, accensis fulgetris, & fulmina demissa sunt.* Addebant Ægyptii tempestatibus coactos Majores suos domum redire, omissis Israelitis; sed Moses nos docet eos in mari omnes periisse, ut ne nuncius quidem cladis superfuerit. Ideóque *Josephus* eam Ægyptiacæ traditionis partem omisit, quia Mosis historiæ contraria erat; quod verò cum hujus historia stare poterat non invitus, ut solet, adripuit. Ægyptios autem hoc narrasse quod dicebamus colligimus ex *Justino*, qui Lib. XXVI. c. 2. ex *Trogo* Judæorum contexens origines, inter alia Ægyptiacis traditionibus consentanea, hæc habet: *Ægyptii domum redire tempestatibus compulsi sunt.*

VIII. Si exstaret *Manethonis* historia, aliorúmque qui priscas Ægyptiorum res illustrare adgressi erant, multa fortè veri vestigia in iis inveniremus, quæ *Josephus*, qui iis usus est, non vidit; certè in illis ipsis fragmentis, quæ nobis non servavit, nulla ab eo perperam intellecta esse non obscurum est & à plurimis observatum. Ad maris Idumæi trajectionem omnino pertinere videtur quod habet *Strabo* Lib. XVI. & in vicina regione evenisse narrat: Ἱστορεῖται δὲ παράδοξον πάθος τῶν πάνυ σπανίων κατὰ τὸν αἰγιαλὸν τοῦτον τὸν μεταξὺ Τύρου καὶ τῆς Πτολεμαΐδος. καθ' ὃν γὰρ καιρὸν οἱ Πτολεμαεῖς μάχην συνάψαντες πρὸς Σαρπηδόνα τὸν στρατηγὸν, ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ τροπῆς γενομένης λαμπρᾶς, ἐπέκλυσεν ἐκ τοῦ πελάγους κῦμα τοὺς φεύγοντας ὅμοιον πλημμυρίδι. καὶ τοὺς μὲν εἰς τὸ πέλαγος ἀφήρπασε καὶ διέφθειρεν, οἱ δ' ἐν τοῖς κοίλοις τόποις ἔμειναν νεκροί· διαδεξαμένη δὲ ἡ ἄμπωτις πάλιν ἀνεκάλυψε καὶ ἔδειξε τὰ σώματα τῶν κειμένων ἀναμὶξ ἐν νεκροῖς ἰχθύσι: *Memoriæ proditum est mirum quidpiam, & ex iis quæ rarò contingunt, in littore accidisse inter Tyrum & Ptolemaidem; cùm Ptolemaici prælium cum Sarpedone imperatore commisissent, fugâ insigni factâ, pelagi adfluxu æstui simili obrutos esse fugientes, atque alios in pelagus abreptos, alios in locis depressis mortuos relictos fuisse. Pòst, cùm sequutus esset refluxus, corpora detecta, atque ostensa inter pisces mortuos promiscuè jacentia.* Quod contigerat in mari Idumæo id malè in Tyrium littus translatum est, & falsis circumstantiis interpolatum. *Sarpedon* etiam malè quasi nomen proprium habitum, cùm שר פדון *sar-phadon*, sit *dux liberationis*, aut liberatorum, quod elogium Mosi optimè convenit. Simile quid à Troglodytis acceperat *Diodorus Siculus*, cujus hæc sunt verba, ex Lib. III. p. 174. Παρὰ τοῖς πλησίον κατοικοῦσιν Ἰχθυοφάγοις παραδίδοται λόγος ἐκ προγόνων ἔχων φυλαττομένην τὴν φήμην, ὅτι ΜΕΓΑΛΗΣ τινὸς γενομένης ΑΜΠΩΤΕΩΣ ἐγυμνώθη τοῦ κόλπου ξηρὸς πᾶς ὁ τόπος, ὁ τὴν χλωρὰν ἔχων τοῦ τόπου πρόσοψιν, μεταπεσούσης τῆς θαλάττης εἰς τἀναντία μέρη. φανείσης δὲ τῆς ἐπὶ τῷ βυθῷ χέρσου, πάλιν ἐπανελθοῦσαν ἐξαίσιον πλήμμυραν ἀποκαταστῆσαι τὸν πόρον εἰς τὴν προϋπάρξασαν τάξιν: *apud Ichthyophagos accolas traditur historia, servatâ à majoribus famâ, cum fuisset* INGENS REFLUXUS, *exsiccatam esse totum sinûs alveum, qui viridis erat adspectu, mari in contrarias partes refuso. Cùm adparuisset autem in fundo terra, iterum gravem æstum supervenisse, & in pristinum statum alveum restituisse.* Quibus verbis non malè res describitur, quemadmodum eam se habuisse antè ostendimus.

Certè si nihil aliud dicebant Ichthyophagi, prudentiores erant quàm nonnulli Christiani, qui postquàm ea loca ipsis cessere, innumeris fictis fabulis omnia dehonestarunt. Cujus τερατολογίας insigne exemplum ex *Orosio* referam Lib. I. C. 10. *Exstant etiam nunc*, inquit, *certissima horum monumenta gestorum. Nam tractus curruum, rotarúmque orbitæ non solùm in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, pervideatur. Et si fortè ad tempus, vel casu, vel curiositate turbantur, continuò divinitus in pristinam faciem ventis, fluctibúsque re-*

paratur; at quisquis non docetur timorem Dei, propalatæ religionis studio, iræ ejus traufactæ ultionis terreatur exemplo.

IX. Ex iis, quæ hactenus diximus, satis quidem constat quem ad modum Deus Erythræum mare fugientibus Hebræis aperuerit; sed nondum quid ex solitis naturæ legibus factum fuerit, quid divinæ potentiæ inusitatâ efficaciâ, exposuimus. Quod posteriore ratione fit, Ecclesiastico Christianorum stylo, *miraculum* solet vocari, prioris verò generis eventibus id vocabulum negatur. Duo iterum sunt rerum genera, quæ extra ordinem Deus ipse operatur. Aliæ ejusmodi sunt, ut non possint naturalibus causis, hoc est, vi humanæ, vel rebus corporeis ab initio insitæ, prout nunc res sunt, tribui; exempli causâ, si corpus alio gravius intra id non descendat, ut si ferrum in aquam injectum fundum non petat; si corpus tenuioris texturæ vim ignis, sine damno, ferat, ut si humanum corpus in mediis flammis illæsum maneat. Aliæ in se spectatæ possent quidem effectus naturalium causarum haberi, qualis est vehementior ventus, aut major solito marinus æstus. Hos possunt gignere causæ Naturæ, & sæpe gignunt. Sed si Naturæ causis ad eos effectus edendos nequaquam comparatis, aut etiam ad contraria versis; Deus, singulari voluntate, non exspectato ordine à se rerum initio constituto, hæc & talia fecerit; tum demum quæ, suâ naturâ, miracula non erant eo nomine meritò adpellantur. Si, cùm nullus ordine Naturæ oriturus esset ventus, neque æstus solitum modum excessurus, Deus singulari voluntate oriri ventum, & fluctus longiùs quàm fieri solet rejici curet, hæc miracula erunt, & dicentur.

Quod cùm ita sit, in iisque contigerunt mari Idumæo, duplicis hujus generis miracula esse potuerunt. Fortasse nullus erat oriturus Septemtrio, aut etiam Auster spiraturus, nisi Deus pacato Austro, Septemtrionem induxisset. Fortasse etiam tanta fuit venti illius in undas efficacia, ita volente Deo; ut nullus naturalis ventus tam procul mare rejicere potuisset. Idem de æstu dixeris, fortè enim fluctus, ex statis vicibus, in Oceanum eo tempore quo rediit, non rediturus erat, nisi Deus impulisset; aut in meridiem non satis procul recessurus ut vada, eâ quâ oportebat, amplitudine, undaret, viámque latissimam tot myriadibus aperiret. Non ineptè de hoc similibúsque miraculis *R. Levis* Barcinonensis ad legem quæ exstat Levit. VI, 13. hoc est, CXXXII. pro *Hottingeri* ordine: ידוע הדבר בינינו ואצל כל חכם כי נסים גדולים אשר יעשה האל אל בני אדם בטובו הגדול לעולם יעשה דרך סתר ונראים הענינים נעשים קצת כאלו הם דרכי הטבע ממש או בקרוב לטבע כי גם בנס קריעת ים סוף שהיה נס מפורסם כתוב שם ויולך את הים וגו׳: *constat inter nos & apud omnem sapientem, magna illa portenta quæ erga homines bonitate suâ magnâ facere solet Deus, semper fieri modo occulto, ita ut res factæ videantur vel purè naturales, vel ferè naturales; nam & de miraculo divisi maris algosi, quod est manifestum miraculum, scriptum est: & recedere fecit mare vento* &c.

Itaque jam hoc nobis concedatur necesse est, vel à pertinacibus, potuisse hoc in eventu propriè dicta esse *miracula*; si modò res, ut narratur, contigerit, quod nunc quidem adsumere nos posse censemus. Verùm quæretur à nobis, unde inusitatâ divinæ potentiæ efficaciâ, non legibus Naturæ, hæc contigisse cognoscamus? Primùm vis venti planè insolita, & reciprocatio maris tanta, quanta nulla umquam similis conspecta fortè est, hoc suadent. Deinde si nihil hîc, præter solitum, contigisset, non erat cur Ægyptii gauderent, aut cur Israëlitæ usque adeò terrerentur, cùm se clausos viderunt inter mare & montes, exspectato enim refluo maris motu, evadere poterant; neque etiam ignorasse videntur tot hominum myriades Oceani naturam, à quo perpaucorum dierum itinere eorum pristinæ sedes aberant. Denique ea in re fuit etiam *miraculum*, quòd Moses, qui alioqui nihil nisi solitum æstum exspectare potuit, prædixerit Israëlitis exitium instare Ægyptiis, eos verò incolumes evasuros. *Ne timeatis*, inquit, *quiescite*, & *videte salutem quam Jehova vobis hodie adferet; nam quos hodie vidistis Ægyptios, eos non ampliùs in æternum videbitis.* Unde poterat prudentia hæc prævidere, & satis amplum fore spatium alvei maris Idumæi fluctibus destitutum, ut intra pauculas horas trecentæ hominum myriades id trajicere sine periculo possent; & Ægyptios usque adeò irâ occæcatum iri, ut nihil præter solitum esse rati illico Israëlitas sequuturi essent? Si Deus revelasse hæc Mosi dicatur, quod volumus habemus; sola enim revelatio summum erit miraculum. Atque hoc est certissimum miraculi ejusmodi κριτήριον, cùm prædicitur antequàm eveniat; hinc enim manifestò colligimus singularem esse Dei erga eum voluntatem, quem præmonet; rémque inusitatam contingere, quæ, nonnisi præmonente Deo, cognosci possit. Hoc meritò recenseas inter illa beneficia Numinis, quæ vocat *Seneca* de Beneficiis Lib. III. c. 4. non modò *magna*, sed *tempestiva* & *ingentes minas interventu suo solventia.*

Certè nisi prædiceretur ejusmodi eventus, quem Naturæ vires superare naturâ suâ non constat; non posset, postquàm contigisset, quasi certum miraculum in eorum gratiam, quibus profuisset, factum prædicari. Quis enim non videt fieri posse ut vir prudens, inexspectato eventu subitò in rem suam utatur, quamvis in ejus gratiam non contigerit? Ea de causa, licèt non sine prodigio facta fuisset mutatio venti, cùm Alexander ad radices Climacis montis transiit; non potuit ea quasi divini favoris singulare indicium jactari, quî enim ostendere potuisset eam in sui gratiam à Numine factam? Illuc ivit, ut videret an posset eâ viâ transire, eâ usurus, si fieri quiret; sin minùs, exspectaturus, aut aliò conversurus agmen. Hoc satis significat *Strabo* Lib. XIV. p. 458. Περὶ Φασηλίδα δ' ἐστὶ τὰ κατὰ θάλατταν στενὰ δι' ὧν Ἀλέξανδρος παρήγαγε τὴν στρατιάν· ἔστι δὲ ὄρος Κλῖμαξ καλούμενον· ἐπίκειται δὲ τῷ Παμφυλίῳ πελάγει, στενὴν ἀπολεῖπον πάροδον ἐπὶ τῷ αἰγιαλῷ ταῖς μὲν νηνεμίαις γυμνουμένην, ὥστε εἶναι βάσιμον τοῖς ὁδεύουσι· πλημμύροντος δὲ τοῦ πελάγους ὑπὸ τῶν κυμάτων καλυπτομένην ἐπὶ πολύ· ἡ μὲν οὖν διὰ τοῦ ὄρους ὑπέρβασις περίοδον ἔχει καὶ προσάντης ἐστί, τῷ δ' αἰγιαλῷ χρῶνται κατὰ τὰς εὐδίας: *apud Phaselidem sunt ad mare angustiæ, per quas exercitum traduxit Alexander. Est enim mons qui Climax dicitur, & Pamphylio mari incumbit, qui propter littus transitum relinquit, tranquillo quidem mari nuda-*

datum, ut à viatoribus perambulari possit, mari verò exundante, ut plurimum fluctibus tectum. Transitus verò per montem circuitum habet & arduus est, & tranquillo quidem cœlo littore utuntur.

Deinde addit: ὁ δὲ Ἀλέξανδρος εἰς χειμέριον ἐμπεσὼν καιρὸν, καὶ τὸ πλέον ἐπιτρέπων τῇ τύχῃ, πρὶν ἀνεῖναι τὸ κῦμα ὥρμησε, καὶ ὅλην τὴν ἡμέραν ἐν ὕδατι γενέσθαι τὴν πορείαν συνέβη, μέχρις ὀμφαλοῦ βαπτιζομένων: *Alexander autem incidis in tempus procellosum, cùmque fortunæ plurimum permitteret, prinsquàm fluctus remitteretur, profectus est, & totam diem per aquas esse iter contigit, ad umbilicum demersorum.* Hinc satis liquet Alexandrum audacter occasione usum, quæ etiam commodior fuisset, si exspectasset; ideóque si viam quasi divinitus sibi apertam jactavit, στρατήγημα hoc fuit, ad augendum militum rudiorum animum. Fortè etiam, hac de causa, in Epistolis, nullum prodigium hîc sibi contigisse narrabat ipse Alexander, ut nos docet in ejus vita *Plutarchus*, cujus hæc verba sunt: Ἡ δὲ Παμφυλίας παραδρομὴ πολλοῖς γέγονε τῶν ἱστορικῶν ὑπόθεσις γραφικὴ πρὸς ἔκπληξιν καὶ ὄγκον, ὡς θείᾳ τινὶ τύχῃ παραχωρήσασαν Ἀλεξάνδρῳ τὴν θάλασσαν, ἄλλως ἀεὶ τραχεῖαν ἐκ πελάγους προσφερομένην, σπανίως δὲ λεπτοὺς καὶ προσεχεῖς ὑπὸ τὰ κρημνώδη καὶ περιῤῥωγότα τῆς ὀρεινῆς πάγους διακαλύπτουσαν: *Pamphyliæ percursus multis Historicis fuit argumentum elegans, ad excitandam admirationem, stylumque inflandum; quasi divinâ quadam sorte Alexandro cessisset mare, quod semper alioquin asperum ex alto inveheretur, rarò autem tenuia, & resonantia, sub abruptis & confragosis rupibus, aperiret saxa.* Δηλοῖ δὲ καὶ Μένανδρος ἐν Κωμῳδίᾳ παίζων πρὸς τὸ παράδοξον,

Ὡς Ἀλεξανδρῶδες ἤδη τοῦτο· κἂν ζητῶ τινα,
Αὐτόματος οὗτος παρέσται· κἂν διελθεῖν δηλαδὴ
Διὰ θαλάσσης δέῃ τόπον τιν', οὗτος ἔσται μοι βατός.

Αὐτὸς δὲ Ἀλέξανδρος ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς οὐδὲν τοιοῦτον τερατευσάμενος, ὁδοποιῆσαί φησι τὴν λεγομένην Κλίμακα καὶ διελθεῖν ὁρμήσας ἐκ Φασηλίδος: *Hoc significat Menander in Comœdia, ad rem præter exspectationem contingentem adludens: Quam hoc germanum Alexandri fortunæ! ubi quempiam quæro, sponte ille adest. Quin & locum quempiam per mare peragare si oporteret, ille fieret mihi permeabilis. At ipse in Epistolis Alexander, nullo prodigio memorato, iter se fecisse per Climacem ait, profectum à Phaselide.*

Hincquantum sit discrimen inter hunc transitum Alexandri per littus Pamphylii maris, & sinûs Erythræi trajectionem satis liquet; ne dicamus Alexandro aliam viam per montem fuisse, cùm mons esset Israëlitis impervius. Non minùs differt ab Hebræorum trajectu Publii Africani militum ad Carthaginis murum accessus; & quamvis vir callidus, ac nescio quem divinum adflatum præ se ferens, ut alacriùs parerent milites, *rem in prodigium ac Deos verteret, qui ad transitum Romanis mare verterent, & stagno auferrent, viásque antè numquam initas humano vestigio aperirent, Neptunúmque juberet ducem itineris sequi*; attamen certam urbis expugnationem suis polliceri non est ausus, & nisi bene cessisset memoratam στρατήγημα, irritus hic conatus ne memoriæ quidem fortè mandatus esset.

Similia dixeris de iis quæ narrantur de Lucullo, qui, ad Euphratem castris positis, dolebat se non posse illico trajicere exercitum, quòd tumidius esset flumen, cùm ἀρξάμενον ἀφ' ἑσπέρας ὑποχωρεῖν τὸ ῥεῦμα, καὶ μειούμενον διὰ τῆς νυκτὸς ἅμ' ἡμέρᾳ κοῖλον ὀφθῆναι παρέχειν τὸν ποταμόν, *fluentum incipiens à vespera recedere & minutum per noctem, unà cum die, cavum alveum exhibuit videndum.* Sic *Plutarchus* in ejus vita, p. 507. Nihil mirum erat, si pluviis aut nivalibus aquis auctus Euphrates, deficientibus illis aquis, exhauriretur; nec simile etiam quidquam exspectaverat *Lucullus*, nec tanti erat eum aliquot diebus citiùs Euphratem trajicere. Itaque stultè fluvii accolæ νησῖδας ἐν τῷ πόρῳ μικρὰς διαφανείσας θεασάμενοι καὶ τεναγίζοντα τὸν ῥοῦν ἐπ' αὐταῖς, προσεκύνουν τὸν Λεύκολλον, ὡς δὴ ὀλιγάκις τούτου συμβεβηκότος πρότερον, *exiguas insulas in trajectûs loco adparentes conspicati & fluctus in illas limum inducere, adorabant Lucullum, cùm hoc priùs rarò contigisset.*

X. Hisce, ut speramus, non parum illustratur cùm historia trajectûs maris Erythræi, tum etiam *Josephi* de eo locus; quem tamen non ideò addusimus, quasi ejus auctoritati, in ejusmodi rebus, multùm tribueremus; sed quia non desunt viri eruditi, quorúmque adeò non spernenda est in Litterarum Republica auctoritas, qui ferè magis ejus testimonio quàm rationibus adficiantur. Hi alisque novitatem sententiæ, quam alibi non legerunt, ita objiciunt interdum, quasi certum esset falsitatis indicium; nec possunt nisi veteris Scriptoris suffragio placari. Verùm iis potissimùm satisfacere conati sumus, quibus nimia non satis peritorum, aut incautorum Interpretum τερατολογία, dubitationes circa veteres, eásque verissimas Historias creat. Sæpe enim animadvertimus, non alia de causa, hominum ceteroqui non ineptorum, vacillasse animos; quàm quòd de Historiis antiquissimis, non ex ipsarum introspectione atque examine, sed ex vulgari sententia eorum quibuscum viverent, judicium ferrent. Quod profectò iniquissimum est, quid enim minùs justitiæ consentaneum fieri potest, quàm si pronuncietur sententia non prout res ipsa, quam compertam atque exploratam judici oportet esse, postulat; sed prout patronus causam diligenter, aut oscitanter defendit? Quòd si cui videar non satis commodè causam susceptam ipse perorasse, meliora suggerenti non invitus adsentiar, & haud secus ac si nihil umquam hac de re cogitassem aut scripsissem, rudem me discipulum atque integrum accipiet.

APPENDIX COMMENTARII IN NUMEROS.

JOANNIS SELDENI DISSERTATIO DE DECIMIS, SEU

Ejus Historiæ Decimarum Tria priora Capita,

Ex Anglica Lingua in Latinam translata, & Notulis illustrata.

SECTIO PRIMA

DE DECIMIS ANTE LEGEM.

I. Melchisedeko decimas ex hostilibus dumtaxat spoliis ab Abrahamo esse datas. Voce ἀκροθίνια *ejusmodi spolia significari, & fortè etiam quod* Ruta Cæsa *vocant Jurisconsulti. II. Jacobi votum & decimarum persolutio. Abrahamum & Jacobum Sacerdotes fuisse, cùm solverunt decimas. Quorum esset Sacerdotium ante Legem. III. An certa quædam rerum oblatarum copia observata sit, in Oblationibus Kaïnis & Abelis. IV. Cabbalistica supputandi ratio, ex qua colligunt Decimis & Primitiis ab Abele oblatis eamdem fuisse mysticam significationem. Ejusmodi supputationes in usu fuisse, inter veteres Christianos, sed planè inanes.*

1. MELCHISEDEKUS Rex Salemi, idémque altissimi Dei Sacerdos, Abrahamo redeunti ex liberatione Loti fratris filii, ejúsque facultatum, & omnium Sodomitarum ac Gomorrensium opum, bene precatus est; Abrahamus verò Melchisedeko *decimam de omnibus dedit*. Sic habet Scriptura, sed quæritur quæ sint illa *omnia*. Nonnulli intelligunt מכל אשר לו, *ex omnibus quæ ei erant*, quæ est interpretatio *Salom. Jarchii.* Sic quoque disertè exponunt *Syriaca* & *Arabica* versiones Novi Testamenti, ubi hac de re sermo est, nimirum, Ep. ad Hebr. VII, 2. At vix vocem *omnia* de alia re possumus intelligere, (1.) quàm de *omnibus facultatibus*, *omnibúsve spoliis*, quæ Abrahamus hosti eripuerat, in ea expeditione. Eò nos deducit sacræ orationis series. Ita eam veteres Judæi

JOANNIS CLERICI.

Notulæ in superiorem Sectionem & Curas Secundas.

Ad §. 1.

(1.) ITA interpretati sumus locum Mosis, in Commentario.

dæi intellexerunt, nam absque eo esset, numquam (2.) summus Historicus *Flavius Josephus* tam confidenter dixisset, fuisse has decimas *δεκάτην τῆς λείας spoliorum decimam*, Archæol. Lib. II. Norat receptam hanc esse Gentis suæ opinionem, nec alioqui eò progressus esset, ut ita rem exponeret. Idem confirmatur *Thargume*, quod præfert nomen *Jonathanis filii Uzielis*, ubi legimus מכל כח ראתיב *ex omnibus quæ reduxerat.*

Ut hoc extra omne dubium collocetur, observandum Scriptorem Sacrum Epistolæ ad Hebræos, usum his verbis Geneseos *δεκάτην ἀπὸ πάντων*, paullò post eam interpretari *δεκάτην ἐκ τῶν πάντων ἀκροθινίων decimam ex omnibus spoliis.* In eo loco *Syrus* habet *decimam* ורישיתא *& primitias. Arabs* verò, *decimam & eleemosynam*, ולזכאת; quo sensu sæpiùs hæc vox occurrit in *Alcorano*, ut monuit vir tam humanitate, quàm doctrinâ singulari, *Guil. Bedwellus*, Linguarum Orientalium callentissimus. Vide *Azoar.* 23, 34, & 92. Certè *ἀκροθίνια* significat etiam *primitias*, sive *potissimas partes*, quæ apud Ethnicos Diis consecrabantur; qua de causa, Vulgatus Interpres transtulit, *de præcipuis*. Orientales translationes videntur quidem innuere, in Codicibus nonnullis, olim fuisse *δεκάτην καὶ ἀκροθίνια*, attamen propterea existimandum non est veteres Codices tam longè à nostra hodierna lectione abiisse. Ad verba Vulgati Interpretis quod adtinet, credibiléne est Abrahamum *de præcipuis* tantùm decimas dedisse? Quî hoc consentit cum verbis Mosis, qui *ex omnibus* solvisse ait? Itaque de *spoliis* hoc intelligendum est. Sic *Chrysostomus* Homil. XII. in Epist. ad Heb. eam vocem intellexit: *ἀκροθίνια*, inquit, *τὰ λάφυρα λέγεται*, hoc est, *spolia vocantur*, quorum, ut idem observat, participem fecit Melchisedekum, cùm eum primitiis expeditionum suarum donavit. Similiter *Sulpicius Severus* Hist. Sacr. Lib. I. ait fuisse *decimam prædæ*, quod & *Hieronymo* probatur, qui sæpe has vocat *decimas spoliorum, prædæ & victoriæ*. Attamen hic fatetur, (3.) nisi res aliter, in divina ad Hebræos Epistola exposita fuisset, narrationem quæ in Genesi legitur æquè posse ita intelligi, ut Melchisedekus Abrahamum decimâ parte bonorum suorum, munifici progenitoris instar, donasse existimetur. Verba certè cùm Hebraica, tum Græca versionis LXX. Intt. ita sunt concepta, ut cùm nullum nomen antecedat muneris mentionem, non satis liqueat, quis munus dederit. *Utrumque*, ait *Hieronymus* in Epist. ad Evagr. T. IV. *intelligi potest & juxta Hebraicum, & juxta LXX. Intt. quòd & ipse acceperit decimas spoliorum, & Abrahæ dederit decimas substantiæ; quamquam Apostolus, in Epistola sua ad Hebræos, apertissimè definiat non Abraham suscepisse à Melchisedek decimas divitiarum ejus, sed de spoliis hostium partem accepisse Pontificem.*

Neque hæc interpretatio abit à prisco usu Græcæ Linguæ, circa vocem *ἀκροθίνια*. (4.) Nam quamvis rarò eo significatu occurrat, manifestò tamen ita intelligenda, in vetere dicto, *ἀκροθίνια πυγμαίῳ Κολοσσῷ ἐφαρμόζειν arma Pygmæi aptare Colosso*; ubi liquet esse *σκῦλα* vel *λάφυρα*, seu spolia vivo aut mortuo erepta, quemadmodum vocem *ἀκροθίνια* interpretantur *Suidas & Hesychius*. Vide & *Philostratum* Vit. Sophist. in *Niceta*, unde emendes oportet *Suidæ* Codices. Hinc conjicio vocem hanc translatam etiam fuisse ad significanda commoda ex agro percepta, quæ in Jure Civili vocantur *ruta cæsa*, hoc est, interprete *Ulpiano* Digg. Lib. XIX. Tit. I. Leg. 17. §. 6. *quæ eruta sunt, ut arena, creta & similia; & quæ cæsa sunt, ut arbores & carbones & his similia.* Ea Græci Jurisconsulti vocant *τὰ ἀπὸ γῆς λαμβανόμενα*, hoc est, *quæ ex solo percipiuntur*. Vide *Vett. Gloss. verborum Juris* in *ῥυτά*. Hujus autem conjecturæ primùm in animum venit, cùm legerem in *Glossis Græco-Latinis H. Stephani ἀκροθίνια ruticilia*. Nam quid sibi volunt *ruticilia*? Depravatam lectionem esse opinor, pro *Ruta, Cæsa*, quod sæpe scribitur quasi una esset dictio; nec quisquam negarit *Ruta Cæsa exuvias* vel *spolia villæ*, facili translatione ex bellicis spoliis petitâ, dici posse. Multa loca corrupta, à primigenia lectione remotiora, in eodem Glossario leguntur.

II. Al-

(2.) Quasi verò *Josephus* non auderet, in rebus nullius momenti, conjecturas suas proferre, qui passim Historiam Sacram figmentis exornat! Nimis *Seldenus* auctoritati, rationibus destitutæ, credebat; quo vitio plerumque laborant, qui non tam judicio utuntur, quàm oculis.

(3.) Etiamsi abest Gen. XIV, 20. nominativus *Abraham*, attamen ita manifestum est eum subaudiri, ut in dubium revocari nequeat, quamvis divinus Scriptor Ep. ad Hebræos tacuisset. Quid enim? Redeunti Abrahamo spoliis onusto occurrit Melchisedekus, panémque & vinum offert, tum etiam ei bene precatur. Abrahamus verò quid? A Melchisedeko accipit præterea partem decimam bonorum, & abit. Imò verò, liberalitati ac propensæ voluntati Melchisedeki *ἀντιχαρίζεται*, solutâ decimâ ex præda. Res est nimis manifesta, & solent passim Hebræi, quando duorum sermones, aut mutua in se invicem facta referunt omittere alterius nomen, ex re ipsa facilè subaudiendum. Vide à nobis not. ad Gen. XXX, 31.

(4.) Non rarò *ἀκροθίνια* selectam ex prædæ cumulo partem sonat, apud Græcos, contra quàm putabat *Seldenus*. Ἀκροθίνιον propriè est *ἄκρον, τυ-πίσιν, ἄριστον θινὸς, ἤγουν σωροῦ, summa pars, seu optima cumuli* ut docet Etymologicum Magnum. Ille autem *cumulus* potuit esse cùm frugum, tum spoliorum congestorum. Hic spolia intelliguntur, solvit enim Abrahamus, post victoriam, Decimas *ἐκ τῶν ἀκροθινίων*, hoc est, selectissimam partem prædæ, quæ decima censebatur esse pars pretii spoliorum. Ἀκροθίνια prædæ vocatur Crœsus, cum quatuordecim Lydis, ab *Herodoto* Lib. I. cap. 86. Idem Scriptor, Cap. 89. inducit Crœsum consilium dantem Cyro opes Lydias *δεκατευθῆναι τῷ Διΐ*, & Cap. sequenti *ἀκροθίνια* vocat vincula Crœsi missa ad Apollinem, quasi relatam prædam ex victoria, quam ei frustra promiserat Deus. Vide eumdem Historicum Lib. VIII. Cap. 121, 122. Sic & apud *Xenophontem*, Lib. de Inst. Cyri, VII. p. 192. Ed. Wechel. Cyrus captâ Babylone, *ὡς δοριαλώτου τῆς πόλεως οὔσης, ἀκροθίνια θεοῖς καὶ τεμένη ἐκέλευσεν ἐξελεῖν*: *quia bello capta urbs erat, manubiarum primitias & templa jussit separari.* Similiter à *Dionysio* Halicarnasseo dicitur Romulus Cæninâ captâ, retulisse *ἀκροθίνια λαφύρων θεοῖς opima spolia Diis.* Lib. II. pag. 101. Ed. Wechel. Non opus fuisset hæc probari, nisi dubitasset vir summus de usu frequenti hujus vocis, & nisi illustraretur factum Abrahami, his exemplis. Potuissemus alia exempla ex *Pindaro, Euripide & Thucydide* proferre.

II. Alter locus, in quo mentio fit Decimarum, exstat Gen. XXVIII, 22. ubi hoc votum Jacobi legimus: *lapis hic, quem erectum statui, fiet Dei domus, & omnium quæ mihi dederis decimam tibi, ô Deus, persolvam. Josephus* Archæol. Lib. I. c. 19. vocat *δεκάτην πεπορισμένων decimam omnium quorum sibi facta esset copia*, quam redux viginti pòst annis persolvit. At in cujus manus Decimam hanc tradiderit, non liquet. (5) Sed eo tempore, Pontifex Maximus erat pater ejus Isaacus, nam ante Aharonem Judæi docent Sacerdotium primogeniti familiæ fuisse; quod cum præcepto à Deo in Ægypto edito, de consecrandis primogenitis, consentit. Vide Exod. XIII, 1. Hinc fit ut (6.) Melchisedekus vulgò putetur fuisse Semus, primogenitus filiorum Noachi; quod hoc in loco admitti nihil vetat, quamvis non levis sit controversia, utrum Semus, an Japhethus primogenitus fuerit. Noachus, Abrahamus & Jobus, ut docet *Origenes* Lib. I. in Jobum, eodem jure his temporibus Sacerdotes fuisse videntur. Cùm autem Abrahamus decimus esset à Semo, ei Decimas solvit, ut primogenitorum suorum natu maximo, vel primogenito, adeóque Sacerdoti Salemi. Itaque incredibile non est Jacobum solvisse votum (7.) Isaaco parenti; quippe familiæ tunc temporis principi, & primogenito, ac proinde Sacerdoti. Attamen recordari nos hîc oportet, Jacobum, quamvis natu juniorem, Sacerdotio ornatum fuisse sibi à fratre Hesavo vendito: cùm jura primogeniti, in quibus erat Sacerdotium, ei venderet. Ita sentiebant olim Judæi, ut docet *Hieronymus* in Ep. ad Evagrium: *simul & hoc tradunt*, inquit, *quod usque ad Sacerdotium Aharon omnes primogeniti ex stirpe Noë, fuerint Sacerdotes, & Deo victimas immolarint, & hæc esse primogenita quæ Esau fratri suo vendiderit Jacob.* Ac sanè liquet ex Gen. XXXI, 54. vivo patre Jacobum offerendarum victimarum sacro munere esse defunctum. Cùm enim adeptus esset jus primogeniti, procúlque abesset paternâ domo, & familiam suam seorsim haberet, (8.) quamvis pater viveret, attamen eo Sacerdotii jure gaudebat. Ac sanè nisi sacrum hoc jus devolveretur ad eum, qui in familia sua natu maximus erat, æquè ac ad primogenitum, quo jure Sacerdos habitus fuisset Abrahamus? Eum autem *Origenes*, aliique Sacerdotio ornatum fuisse censuerunt, quod etiam ex oblatione Isaaci ejus filii liquet. Numquam fuit Abrahamus simul primogenitus, & maximus natu gentis suæ. Semus enim, post eum, circiter quadraginta annos vixit, neque hi tituli ad Abrahamum umquam transierunt. At primogenitus erat, atque à paterna familia seorsim habitabat, eo tempore quo Decimas solvit. Obiter observandum Abrahamum & Jacobum, pro jure ejus ævi, Sacerdotes fuisse, quo tempore memoratas Decimas solverunt. Nulla alia Decimarum, ante Mosis ætatem, mentio occurrit; nisi cum Judæis somniemus, ante Creationem, Leviticam Legem scriptam fuisse.

III. (9.) Attamen Veteres videntur observasse rationem habitam copiæ rerum, quibus intra annum aucti fuerant homines, in iis quæ consecrabantur Domino, & quidem in primo sacrificio, cujus memoria posteris mandata sit. Oblatio Kaïnis Deo accepta non fuit, ut vult *Tertullianus* Lib. adversùs Judæos, & alii sæpiùs dixerunt, quia *quod offerebat non rectè dividebat*; quod rerum oblatarum copiam, non eam quæ debebat esse, indicare videtur, quasi eo etiam tempore certa fructuum pars exacta fuisset. Verùm hæc petita sunt ex vitiosa translatione verborum Mosis, in Historia Kaïnis, Gen. IV, 7. cùm enim ita sit in Hebraicis: (10.) *quare vultus concidit? si rectè feceris, nonne est remissio? si verò malè te gesseris, peccatum ad fores cubat*, vertebant: *quoniam nonne, si rectè quidem offeras, non rectè autem dividas, peccasti? quiesce*; ex versione, nimirum, LXX. Intt. quæ eo ævo potissimùm usitata erat, & quæ habet: *ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς.* Atque hunc locum *de bene dividendo* aptum judicavit olim *Julianus* ille, ingeniosus Apostata, ad irretiendum Episcopum, cui explicandum eum proponeret. At interpretatio ei translationi aptissima, neque à verbis Mosis aliena, est Kaïnem

Ad §. II.

(5.) Decimam solvisse videtur Jacobus, mactando decimam partem sui pecoris, in eo loco. Nihil est simplicius. Nam quod postea dicitur de Sacerdotio primogenitorum, id inane est commentum Judæorum, quos sine examine sequuti sunt Scriptores Christiani. In *Secundis Curis* vult *Seldenus* traditionem esse veterem Judæorum & Christianorum. Debuisset addere, *à Mose ipso παραδεδομένας deductam, usque ad Onkelosi tempora*; sed hæc sunt, cum ejus manium venia, inania. Vide notata à nobis ad Gen. XXV, 31. Itaque quæcumque operosè hac de re congessit potuisset compendii facere.

(6.) Melchisedekum Semum fuisse qui volunt ostendere debuissent, qui verisimile sit, relictis posterorum suorum sedibus, quæ circa Euphratem erant, grandævum senem habitatum venisse & regnum habuisse inter Chami fratris posteros. Consensus Interpretum in re tam antiqua, & de qua nulla alia habebant monumenta, præter scripta Mosis quæ nunc habemus, pili non est faciendus; nisi rationes addantur, quæ hanc in rem plurima sunt leviores. Vide observata à nobis ad Genes. XIV. Vir infinitæ lectionis videbatur sibi probasse quidpiam, cùm plura nomina aliorum post alios adfirmantium quod non poterant scire, congesserat. Nos testimonia adpendenda, non numeranda censemus.

(7.) Isaaco parenti si solvit Decimas Deo votas Jacobus, primùm eas partim solvit sibi ipse, quippe Isaaci heredi; deinde, ut hoc faceret, non oportuit eum ire Bethelem, sed ad patrem, qui Chebrone habitabat, ut liquet ex Gen. XXX, 27. Talia confutare operosiùs piget, pudetque

(8.) Quia quisque paterfamilias sacra pro se & suis faciebat, ut adparet exemplo Kaïnis & Abelis, & omnium Patriarcharum, qui sacra fecisse dicuntur. Sed Judæi solent, ex consuetudine posterioris ævi, antiquiorum temporum mores interpretari.

Ad §. III.

(9.) Quæ hîc & §. IV. habentur non erant tanti, quippe quæ meritò ineptiæ non à tanto viro dumtaxat, quantus fuit *Seldenus*, sed & à quovis arguantur. At si ad Mosem nihil faciunt, attamen sine fructu non leguntur.

(10.) Vide notata ad eum Geneseos locum.

nem obtulisse invido animo; non ex opimis, neque ex primis fructibus suis, quod eum facere decebat. Sic certè faciebant Ethnici, aut ex jure suo pontificio facere debebant, in oblatione *Præmessi*, hoc est, primitiarum frugum suarum; aut *Calparis & vini inferii*, quæ erat vini opima pars. Disertè observat Moses, Abelem obtulisse *ex primitiis atque adipe pecudum suarum*, Kainem verò dumtaxat *è fructu terræ*. Prior, nimirum, quod opimum habebat & primum collegerat Deo obtulit; posterior neque præstantiæ rerum quas offerebat, neque temporis rationem habuit, sed è fructibus dumtaxat suis obtulit. Itaque hîc non quota pars fructuum offertur respicitur, sed τὸ ἀσυνάγωγον γνώμης *animus offerentis*, & præstantia oblationis. Ita *Chrysostomus* in Gen. Hom. XVIII. *Ambrosius* Lib. I. de Caïn & Abel. c. VII. & Lib. II. c. 6. Vide & Epist. ad Hebræos Cap. XI, 4.

IV. Si tamen audirentur deliria Cabbalistarum nonnullorum, primitiæ Abelis eadem essent cum Decimis, aut adfines iis essent. Primitiæ dicuntur בכורות *bchorosh*, Decima מעשר *mahscher*. Judæi autem ea censent adfinia esse, quorum nomina iis constant litteris, ex quibus idem numerus conflatur; nam litterarum Hebraicarum, ut Græcarum, certa est in numeris potestas. Duo habent, hac in re, Arithmeticæ genera, quorum unum pertinet ad majores numeros, eóque frequenter utuntur; alterum ad minores, cujus est hic usus, ut docet *Archangelus* in Dogmat. Cabbalist. c. XIX. Ex unaquaque Hecatontade, & Decade, ex litterarum arithmetica potestate confecta, sumunt Unitatem, eámque addunt reliquis, seu minoribus numeris. Quo peracto, si hac summâ conveniant duo vocabula, existimant se grande mysterium arcanæ adfinitatis duarum rerum, iis vocibus significatarum, retexisse. Hac autem viâ, deprehenditur æqualitas inter summas confectas, ex vocibus quibus *Primitiæ & Decimæ* significantur. Sic enim sunt disponendæ litteræ, earúmque potestates arithmeticæ.

ת	ו	ר	כ	ב
400.	6.	200	20.	2.
ר	ש	ע	מ	
200.	300.	70.	46.	

In priore voce ex 400, 200, & 20. detrahe 4, 2, & 2, hoc est, Unitatem è singulis Hecatontadibus & Decadibus, ita ut summa sit 8, quæ addita minoribus numeris faciet 16. Similiter in posteriore, ex 200, 300, 70. & 40. detrahe 2, 3, 7 & 4, quæ, quia non sunt minores numeri, addita efficient 16. quæ est eadem ac in superiore summa. Atque hoc sit γνώματος χάος impiæ licentiæ, quam hinc sumunt Judæi, ad inveniendam inter quævis adfinitatem mysticam.

Nec defuerunt planè similes argutiæ, inter Christianos, primis temporibus. Testes sunt *Marcosii & Colarbasii*, qui Α & Ω idem esse contendebant ac περιστερὰν, & varia id genus ex numerorum paritate colligebant. Usque adeò hisce ineptiis addicti fuerunt, ut statuerent *totam plenitudinem & perfectionem veritatis in istis litteris* (numeralibus) *esse dispositam*. Verba sunt *Tertulliani* de Præscr. Hæret. Cap. L. Id genus multa habes apud *Epiphanium* Tom. II. Lib. I. c. I. seu Hæres. XXXIV, & XXXV. & *Irenæum* Lib. I. c. 10. Imò verò nonnulli Patres ejus ævi, ut *Clemens* Alexandrinus Strom. Lib. V. tanti fecerunt hanc inquirendi, per Arithmeticam rationem, ut in historia victoriæ Abrami, quam retulit ductâ 318 hominum cohorte, & quâ recuperavit facultates Sodomensium, aliorúmque, tradi putent mysticè crucifixionem Christi, atque memorato numero innui. Scilicet, numerus 318. sic Græcè scribitur τιη. Numero autem 3000. qui littera τ signatur, aiunt innui crucem, quod & vulgò observatum ad Ezek. Cap. IX, 4. Ιη verò sunt duæ primæ litteræ vocis Ἰησοῦς. Ideò *Prudentius* in Præfat. ad Ψυχομαχίαν, ait nos sat divites fore,

Si quid trecenti, bis novenis additis,
Possint figurâ noverimus mysticâ.

Quædam exemplaria pro *bis* habent *bis*, sed sine sensu. At quis non videt, quàm inania sint ejusmodi mysteria?

Sed & licentia nimia nostrorum temporum, quâ confidenter indicatur *numerus Bestiæ* Apoc. XIII, 18. facere possit ut major ratio habeatur eorum, quæ ex numeris ita colliguntur. Doctissimi quippe, qui ea de re egerunt, varia vocabula protulerunt, ex quibus conficeretur numerus 666. quorum alia nobis favent, alia adversantur. Ut antiquior etiam addatur Scriptor Recentioribus, fuit qui multò ante Lutherum, in hoc nomine JOHAN OLD-CASTEL, quæsiverit implementum vaticinii, & se invenisse, æquè ac alii, crediderit. Is est *Thomas Elmham*, Prior Lentonensis, in Chron. Henrici V. quod opus exstat in Bibliotheca Bodleiana. Igitur ex numeralibus litteris vocis JOHAN OLD CASTEL facit 701. unde detrahit annum ejus ætatis, quo animosè se *Lollardis* adjunxit, atque ob hæresin damnatus est. Is annus erat 35. quo numero detracto, supersunt 666. qui character est Bestiæ, quæ fuit proinde *Joannes Old-Castellus*; quod malis versibus expressit ille Monachus.

— *Admissi risum teneatis amici?*

Hoc ejus somnium protulimus, ut vetus exemplum ridiculæ audaciæ, quâ multi posteriore Arithmeticæ Cabbalisticæ genere usi, ad interpretandum locum Joannis; in quo, ut ait *Hieronymus* ad Paulinam, *tot sunt sacramenta, quot verba*. De hoc viri magni *Joannis Calvini* responsum habemus, non ex minore judicio, quàm modestia, profectum; qui interrogatus quid de Apocalypsi sentiret, ingenuè respondit se omnia, quæ tam obscurus Scriptor significaret, non intelligere, ut auctor est *Joan. Bodinus* Method. Hist. Cap. VII. Hoc præsertim de hoc numero dici ab eo potuit; cujus mysterio, arithmeticâ ejusmodi collectione, quæ ex cujusvis arbitrio pendet, retecto, quisquis fidem habuerit, idem fortè adfinitatem fuisse inter oblationem Abelis & Decimas Abrahami crediderit.

JOANNIS SELDENI *Curæ Secundæ ad Sectionem Primam.*

§. I.

DE eo quod dixi, Abrahami Decimas fuisse dumtaxat ex spoliis hostibus ereptis, scio

 mul-

multos aliter sentire. Præter generalem adpellationem *Decimarum ex omnibus*, argumentum pro eorum sententia duci potest ex verbis Patriarchæ ad Regem Sodomensium, quibus negat *se à filo ad calceamenti vinculum ex omnibus, quæ ejus erant, capturum.* At neque hanc in rem disputare me profiteor, neque ullum ejusmodi consectarium ex eo loco duci posse crediderim, neque difficile est respondere huic objectioni, de qua vide *Franc. Junium* in Analys. Cap. XIV. Gen. Testimonia Judæorum & veterum Patrum adduxi, quibus ea quæ dicebam tuerer, ne interpretatione mihi propriâ, aut obscuri cujuspiam nominis conjecturâ Mosem viderer exponere. Nunc addo *Ambrosium* & *Eucherium* Lugdunensem Episcopum vocare etiam has Decimas, *decimas prædæ ac victoriæ.* Consulas *Eucherium* in Gen. Lib. II. c. 17. & 18. & *Ambrosium* (11.) in Ep. ad Hebræos Cap. VII. *Eucherius* manifestò respicit ad verba Ep. ad Hebræos, quæ ita à Vulgato Int. exprimuntùr *decimas de præcipuis*, pro eo quod est in Græco ἐκ τῶν ἀκροθινίων; ait enim: *de præcipuis prædis, Abraham Patriarcha decimas legitur obtulisse.* Interpretatur etiam vocem *omnia*, quæ exstat in Genesi, ita ut eam referat ad ἀκροθίνια; ac prius quidem in sat multis translationibus, posterius verò in memorato Proverbio Græco, denotat bellica spolia. Ad ejus Proverbii interpretationem, etiam consule, si placet, *Eustathium* ad Odyss. τ. Attamen idem *Eucherius*, haud multò pòst, vocat *Decimas omnis substantiæ suæ*; sed in prioribus verbis, manifestò ostendit *omnem substantiam* à se indigitari duntaxat *victoriæ prædam.* Rem similiter etiam intellexisse videtur *Philo* Judæus, in libro περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου, ubi inter alias contemplationes anagogicas, postquàm dixit Abrahamum à Semo decimum fuisse, τῷ θεῷ, inquit, τὰς δεκάτας χαριστήρια τῆς νίκης ἀνατίθησι; *Deo decimas, in gratiarum actionem, ob victoriam consecrat. Primasius*, Episcopus Afer, interpretatur *de præcipuis*, quod est in versione Latina, *de melioribus spoliis.*

Quidam cavillati sunt id quod dixi, ex *Hieronymi* sententia, nisi obstaret sacra Epistolæ ad Hebræos auctoritas, posse dubium videri utrum Abrahamus Decimas spoliorum Melchisedeko, ut Sacerdoti, solverit; an verò Melchisedekus decimâ bonorum suorum parte Abrahamum, unum quippe ex nepotibus suis, donarit. Si quid ea in re peccatum (quod non puto) hoc sibi sumant audaciæ, ut propterea doctos illos Patres castigare sustineant, *Hieronymum* (12.) & *Eucherium*, quem vide Lib. II. in Genes. Cap. XXV, & XXVII. præter *Freculphum* Episcopum Lexoviensem T. 1. Hist. Lib. I. cap. 42. aliósque veteres Scriptores, qui totidem syllabis idem adfirmant ac *Hieronymus*; ex quo reverâ *Eucherius* quæcumque habet notatu dignissima exscripsit.

Nonnulla hîc commodùm possunt à nobis in Lectorum animum revocari, quæ pertinent ad duas hujus historiæ circumstantias. Quæritur, nempe, quis Melchisedekus esset, & ubi esset regnum ejus, sive *Salem.*

Ad prius quod adtinet, Patres, qui ex Hebraico contextu veram Chronologiam hauserant, (13.) putant eum fuisse Semum; ut *Hieronymus* Tom. IV. Ep. ad Evagrium, *Eucherius* loco citato &c. Quæ opinio vulgò etiam recepta erat, apud veteres Samaritanos, ut liquet ex *Epiphanio* in Hæres. LV. & varios Judæos, præsertim posterioris ævi. Vide auctorem τοῦ *Midras hagadah*, apud *Jarchium* in Gen. XIV. & alios ibidem; item *Midras* in Ps. LXXVI. apud Galatinum de Arcan. Lib. III. c. 9. quem & vide Lib. X. c. 6. Novi alios Judæos jamdudum in alia sententia fuisse, qui, temerariâ illâ suâ fingendi libidine, dixerunt Melchisedekum fuisse nothum; qua de causa putant posterorum ejus, addito ejus nomine quasi stirpis principis, nullam mentionem fieri. Alii etiam, cum *Hieracitis*, eum supra humanam sortem evexerunt. Adi *Ambrosium* Lib. III. de Fide c. V. *Hieronymum* & *Epiphanium* ubi suprà, & Hæres. LXVII. Sed *Jerosolimitanum* Thargum, & quod *Jonathanis* Uzielidæ dicitur, disertè habent *Semum* eum fuisse *Noachi filium*; quod alii recentiores in operibus datâ operâ, ea de re conscriptis, probare studuerunt. Sine dubio, tempore victoriæ ab Abrahamo relatæ, Semus erat familiæ suæ princeps, & primogenitus, aut habebat jus primogeniti, seu Sacerdotium, in se à fratre majore translatum; quod addimus quia Rabbini, aliique viri eruditi Japhethum primogenitum fuisse volunt. Eam esse Rabbinorum sententiam notat *D. Kimchi* in rad. גרל. Ita & *Jarchi* ad Genes. X, 21. Sed quomodo hoc consistere potest cum eo quod aiunt Melchisedekum fuisse Semum, si, ex vetere traditione, tam inter Rabbinos quàm inter Christianos recepta, Sacerdotium ad filiorum primogenitum pertinebat; nisi jus primogenii transierit à Japhetho ad Semum, benedictione Noachi, Gen. IX, 26, 27? Sic translatum fuit ab Hesavo ad Jacobum, & fortasse à Caïne ad Abelem; qua de re vide *Philonem* περὶ ὧν ἱερουργοῦσιν Ἀβέλ τε καὶ Κάϊν. Idem etiam statuant oportet ii, qui existimant Abrahamum non fuisse primogenitum Therachi filiorum. Nam Veteres Sacerdotium, ante Legem, solitum fuisse primogeniti munus docent. Sic Exod. XXIV, 5. ubi dicitur Moses misisse *adolescentes*, qui holocautomata offerrent, pro את נערי *eth nahare*, habent Chaldaicæ Paraphrases ית בכרי *jath bochri*, id est, *primogenitos.* Hos eleganter vocat *Chrysostomus* Hom. XXXV. in Gen. ἱερέας αὐτοχειροτονήτους, *sacerdotes sine suffragio electos.* Vide & *Eucherium* ad Gen. Lib. II. c. 25. & 27. Ei autem muneri (seu nascendi ordine, seu benedictione haberent) adnexa erat *patriarchalis* quædam dignitas.

Quod

In Secundas Curas.

(11.) Is Commentarius non est *Ambrosii*, sed nescio cujus, qui eum ex *Chrysostomo* & *Hieronymo* consarcinavit, ut à doctis viris animadversum.

(12.) Citato *Hieronymo*, non opus erat addere *Eucherium* & *Freculphum*, nisi ut augeretur numerus; nam qui priores ἀβασανίστως exscribunt, quales hi duo erant, eorum auctoritas nullius est ponderis. Hoc antea confutavimus, nec veremur *Hieronymo*, viro doctissimo, contradicere, cùm res manifesta sit, & passim, si verum dicere velimus, ei desit criticum acumen.

(13.) Numerus testium, qui hîc à nostro adducuntur, conducere posset ad minuendam novitatis invidiam, si quæ ei objecta fuisset, sed nihil probat, ut antea monuimus.

Quod Japhethus habetur major natu Semo, id non est nuper inventum; sed multis sæculis ante scriptum Thalmudum, aut ullum aliud opus Rabbinicum, quod etiamnum exstet, ea vigebat opinio. Disertè eam habent LXX. Intt. Gen. X, 21. Καὶ τῷ Σὴμ ἐγεννήθη καὶ αὐτῷ πατρὶ πάντων τῶν υἱῶν Ἔβερ, ἀδελφῷ τοῦ Ἰάφεθ τοῦ μείζονος: *Semo etiam nati sunt liberi & ipsi patri omnium filiorum Heber, fratri Japhethi majoris.* Ambigua sunt verba Hebraica אחי יפת הגדול nam גדול ad utrumque potest referri. (14) Ex Chronologia etiam ea sententia confirmatur. Nam *cùm Noachus esset D annos natus, genuit Semum, Chamum & Japhethum* Gen. V, 32. Semus verò *duobus annis post diluvium, cùm esset C. annos natus, genuit Arphaxadum* Gen. XI, vers. 10. hoc est, (quod verisimillimum, si non & manifestum videtur) anno DCII. Noachi, quo Semus erat C. annos natus. Vide Cap. VII, 6. Itaque qui natus erat, cùm Noachus esset tantùm D. annos natus, is biennio major Semo erat; natum autem esse aliquem filiorum Noachi videtur docere Moses, ac proinde aut Japhethum, aut Chamum primogenitum fuisse. Hæc ratiocinatio, quâ utuntur Judæi, alisque hic eos sequuti, conjuncta cum LXX. Intt. auctoritate, tanti est ponderis contra eorum opinionem, qui Semum primogenitum fuisse censent; ut, quamvis vir summus *Jos. Scaliger* in Elencho Orat. Chron. *Dan. Parei*, p. 35. confidentissimè adfirmet Semum fuisse primogenitum, quòd primus recenseri soleat, & respondere Chronologicæ objectioni nitatur; attamen probabiliùs sequi possimus vulgarem, eamdémque antiquiorem sententiam, quâ Japhethus primogenitus fuisse statuitur.

Quidam volunt Chamum. Sed hæc prætermitto, manifestúmque existimo, si Semus fuit Melchisedekus (non est autem inusitatum in Scriptura uni viro duplex esse nomen) fuisse eum primogenitum, aut jus primogeniti in eum, singulari benedictione, translatum, adeóque τὸν μέγαν Ἀρχιερέα τοῦ μεγίστου Θεοῦ, *Pontificem Maximum maximi Dei*, ut eum vocat *Philo*, in Libro *de Abrahamo*.

Ad sedem ejus regni quod adtinet, *Salemum*, *Hieronymus* in Ep. ad Evagrium T. IV. à nonnullis Judæis edoctus, atque ex eo *Ambrosius* (15) in Ep. ad Hebr. VII, 2. *Eucherius*, *Primasius*, alisque existimarunt eam urbem sitam fuisse ad ripam Jordanis, LXXX. circiter milliaribus procul à Mamra, ubi degebat Abrahamus, eámque significari nomine *Salim*, in historia Joannis Baptistæ, Joan. III, 23. Aiunt etiam rudera palatii Melchisedeki illic ostensa fuisse. Sed receptissima Christianorum opinio, *Hieronymi* ævo, eadem erat, quæ nunc est doctissimorum Theologorum; nempe, *Salemam* eamdem fuisse urbem ac *Jerosolimam*. (16) *Salem nostri omnes*, inquit, & similia habent sequentium ætatum Scriptores, *arbitrantur esse Jerusalem*. At ipse aliter sentiebat, ut vidimus, quippe contrarium à magistro Judæo edoctus. Verùm cum aliis Scriptoribus Christianis consentiunt *Josephus*, & nonnulli recentiores Judæi. Vide *Midras Thebillim* apud *Galatinum*, de Arcanis Lib. III. c. 9. Hujus autem sententiæ veritatis argumentum est non spernendum in Mosis narratione; nam *regiæ vallis* (17.) unde Sodomæ rex obviam processit redeunti Abrahamo, Gen. XIV, 17. ita meminit Moses, ut eam non procul à Melchisedeki sedibus fuisse intelligamus. Jam autem certum habetur locum, in quo Abrahamus columnam statuit, (18) seu *vallem regiam* de qua 2. Sam. XVIII, 18. remotam non fuisse Jerosolimâ, & etiamnum hodie notam Absalomi nomine. Eo in loco, ut auctor est *Bredeabachius* in Per. 14. Julii, monumentum ille suum statuerat, & quicumque juxta transeunt solent lapides in eum conjicere, ut significent se rebellionem ejus detestari. Imò verò is ipse locus, in quo Melchisedekus Abrahamo vinum & panem obtulit, etiamnum, ut aiunt, notus est, in monte Calvariæ. Vide iter Gallicum *Villamontii* Lib. II. cap. 13. & 19. Atque hæc hactenus, de duabus circumstantiis, ad historiam Decimarum, & Abrahamo persolutarum, pertinentibus.

(14.) Quædam erant hic de versione Anglica, quæ non vertimus, cùm ad rem meliùs intelligendam nihil faciant.

(15.) Vel hinc intelligere poterat *Seldenus*, hunc Commentarium malè *Ambrosii* nomen præferre; cùm credibile non sit *Ambrosium*, hominem disertum, exscripturum fuisse æqualem Hieronymum, & quidem Latinè scribentem.

(16.) Hoc confutavimus ad Gen. XIV, 18. nec testimonia Mystagogorum, quæ postea adferuntur, & quibus nihil vanius esse omnes norunt, contrarium evincunt.

(17.) *Vade Sodoma Rex* &c. Habent Anglica: *Whence the King of Sodom came out.* Fallitur vir summus, nam Moses Gen. XIV, 17. non habet מעמק שוה mehemek schaveh, *è valle save*, sed אל עמק el hemek, *in vallem.* Quamvis certò situm hujus vallis indicare non possimus, attamen videmur posse conjicere eam fuisse ad septemtrionem Salemi; quandoquidem Abrahamo, ex septemtrione in austrum redeunti, illuc obviam ivit Melchisedekus.

(18.) At neque constat eamdem hanc esse vallem, de qua Moses; nam potuit esse vallis duplex eo nomine; neque certum est vallem, in qua sibi Absalomus monumentum statuit, eam esse quæ nunc ostenditur, cùm nihil sit fallacius Mystagogorum traditione, ut in Diss. de *Statuta Salina*, observavimus.

SECTIO SECUNDA.

De Decimis, prout ex Lege solvebantur.

I. Primitias, & Elatas Oblationes (hoc est, sexagesimam minimùm partem) ante omnia ex terræ fructibus solutas fuisse. II. Primam Decimam datam Levitis (qui hinc Sacerdotibus Decimam solvebant) dein Secundam. III. Errare eos qui constituunt tertiam Decimam. Secundam tertio quoque anno pauperibus solutam. Quid significet annus Decimæ in Deuteronomio. IV. Plus quàm sextam partem à Colono quotannis solutam, sed nullam ab eo Decimam Sacerdoti datam. V. Quâ ratione pecudes decimarentur. VI. Intermissio solutionis decimarum apud Judæos. Probiores inspectores electi, ut verè solverentur. Demai, *id est, res dubiæ, ex quibus non constabat an solvi oporteat Decimas. Loca* Epiphanii *&* Chrysostomi *de Decimis. VII. Decimatio singularum herbarum. Ex quibus Decimas deberi censerent Legis periti. VIII. Legem de Decimis, post secundi Templi eversionem, non ampliùs observatam, ex Legis peritorum sententia. Eos dicere Decimas non deberi, nisi ex Israëlitico solo, & aliquot vicinis. Presbyteratus Judæorum totius Angliæ olim concessus ab Anglorum Regibus.*

I. CUM proventus annuus esset, aut ex *soli fructibus*, aut ex *pecore*; sub Lege, fructuum primi, & præcocissimi, ante omnia, Sacerdoti solvebantur, in spicis Tritici, Hordei, Ficubus, Racemis, Oleis, Malis Punicis, & Dactylis, Exod. XXIII, 19. Levit. XXIII, 10. Num. XV, 20. Ex his solis septem speciebus, solvebantur *primitiæ*, & eâ quidem copiâ, quâ volebat Colonus. Vide Thalmud. in *Seder Zerahim*, *Massecheth Biccburim*, atque inde recentiores Judæorum Juris peritos. Deinde sequebatur *Therumah* תרומה seu *Elata oblatio*, vel primitiæ Tritici, Vini, Olei, Lanæ, similiúmque, quæ etiam Sacerdotibus solvebantur. (1.) Hæc oblatio dicebatur תרומה *oblatio magna*. Cùm verò Moses non definierit quanta esse deberet hæc oblatio, Judæi olim satis esse duxerunt, si quinquagesima proventûs offerretur, ita tamen ut necesse prorsus non esset omnes tantumdem solvere. Qui sexagesimam proventûs partem solvebat, non ampliùs teneri credebatur; at qui religiosissimi audiebant quadragesimam solvebant. Vide *Sal. Jarchium* ad Deut. XVIII, 4. ceteros Juris peritos Hebræos, *Hieronymum* ad Ezek. Cap. XLV. & *Cassianum* Collat. XXI. c. 3. Quinquagesimam vocabant תרומה בינונית *Therumam modicam*, seu *mediocrem*. Quadragesima erat תרומה עין יפה *Theruma oculi pulcri*, hoc est, hominis liberalis; sexagesima verò תרומה עין רעה *Theruma oculi mali*, hoc est, avari. Hanc loquendi formulam habemus, apud Matth. C. XX, 15. Observandum etiam eam, quam hominis avari oblationem esse dicebant, non fuisse minorem oblatione definitâ Ezek. XLV, 13. & 11. *Hæc erit*, inquit Propheta, *Theruma quam offeretis, sextam partem Ephæ, ex*

Notulæ in superiorem Sectionem & Curas Secundas.

In §. I.

(1.) SEquentia verba, *hæc oblatio* &c. paullò inferiùs erant, sed vitandæ ambiguitatis causâ huc à nobis translata. Noster neque ordinis, neque κυριολογίας umquam magnam rationem in scriptis suis habuit. Hæc tamen non parum faciunt ad perspicuitatem, quæ à scribente maximi semper fieri debet.

Ad §. III.

(2.) Fuere viri docti, nec Judaicarum rerum imperiti, qui, neglectâ Rabbinorum auctoritate, existimarint tertio quoque anno utramque Decimam, primam, & secundam, per Judææ oppida Levitis & pauperibus fuisse divisam. Inter hos patruus meus *David Clericus*, cujus vide Quæst. Sacrarum I. Tribus argumentis hanc in rem utitur. Primum petitum est ex eo quòd Moses Deut. XIV, 28. ita loquatur: *proferes omnem Decimam*, ut etiam Tobias Latinus habet *omnem decimationem*. Verùm *omnis Decima* potest intelligi de qua Moses v. 22. *& seqq.* & quam vocat *Decimam proventûs omnis sementis*, quamvis agat de secunda dumtaxat decima. Sæpe *universales propositiones*, ut loquuntur Dialectici, intelligi debent de una quapiam re. Alterum argumentum petitum est ex Tobia, cùm Latino, tum Græco, at ei respondit *Seldenus*. Tertium ducitur ex verbis *Josephi* Lib. IV. c. 8. ubi ita loquitur: ταῖς δὲ δεκάταις δυσὶν ἃς ἔτους ἑκάστου προεῖπον τελεῖν, τὴν μὲν τοῖς Λευίταις, τὴν δ' ἑτέραν πρὸς τὰς εὐωχίας· ΤΡΙΤΗΝ πρὸς αὐταῖς, κατὰ τὸ ἔτος τρίτον, συμφέρειν εἰς διανέμησιν τῶν σπανιζόντων, γυναιξί τε χήραις, καὶ παισὶν ὀρφανοῖς: *præter duas decimas, quas quotannis solvendas antea dixi; alteram Levitis, alteram verò ad convivia; præter has, inquam, tertiam tertio quoque anno oportet conferre, ut dividatur indigenti-*

ex Chomero tritici; dabitis etiam sextam partem Ephæ, ex Chomero hordei; quod eodem recidit, ac si dixisset: *offeretis Therumam ex sexagesima parte cujusque Chomeri.* Nam *Epha* sive *Bathus* erat decima pars *Chomeri*; adeóque Ephæ sexta pars Chomeri sexagesima.

Oblatâ Sacerdotibus Therumâ (ex unaquaque re, nimirum, suâ tempestate) ex eo quod supererat famebantur Decimæ, quæ in *primas*, & *secundas* optimè dividuntur.

II. PRIMÆ *Decimæ* solvebantur, ex eo quod supererat, Levitis Jerosolimæ; atque hæ quidem decimæ ita passim vocantur. Vide *Josephum* Archæol. Lib. IV. c. 7. Tobit. C. IV, 7. Levitæ verò ex his Decimis, aliam Decimam solvebant Sacerdotibus Num. XVIII, 28. ut Elatam Oblationem ex suis Decimis, quam vocabant etiam *Decimam Decimæ*. Sacerdotes enim nullas Decimas à Colono accipiebant, sed Levitæ dumtaxat; qui ipsi Decimas Sacerdotibus solvebant, cùm essent *tantò illis minores, quantò ipsi majores populo*, ut loquitur *Hieronymus* in Ep. ad Fabiolam. Ad hoc exemplum, Clerus Anglicanus solvebat Decimas Papæ; & posteriore lege, Regi. Vide *Stat. 26. Henr. VIII.* c. 3. Non poterant Levitæ uti Decimis acceptis, nisi *Decimam Decimæ* solvissent; quâ solutâ, reliquo, ad sustentationem familiæ, ubicumque vellent, uti poterant.

Primâ Decimâ solutâ, novem reliquæ partes censebantur חולין, id est, *profanæ*, vel aptæ usui communi; qua de re adi *Maimonidem* in *Jad chazaka*; Part. 3. Massech. de Decimis, Cap. VIII. Attamen dominus non poterat suis fructibus uti, nisi ex novem illis partibus *aliam Decimam* sustulisset, de qua Deut. XIV, 23. & cujus species ipsas per duos priores annos Jerosolimam vehere eum oportebat, vel si longinquius foret iter, eam adærare (additâ quintâ parte pretii, huic enim Decimæ aptant Judæi quod habetur Levit. XXVII, 30. ubi vide *Sal. Jarchium*) atque absumere in convivia ad Templum agitanda; quæ referebant veterum Christianorum Agapæ. Tertio verò quoque anno, eædem Decimæ fuerunt, intra cujusque oppidi mœnia, pauperibus & Levitis dividendæ.

Hisce Decimis persolutis, quod supererat ex horno proventu vocabant חולין מתוקנין *profana præparata*, hoc est, quibus uti pro arbitrio poterat dominus; cùm priores novem partes, nondum persolutis hisce alteris Decimis, non essent in communem usum expendendæ, nec *profanæ*, nisi certâ ratione. Hæc Decima vocabatur *secunda*, vel *Decima in convivia*, hoc est, δεκάτη πρὸς εὐωχίας, ut loquitur *Josephus* Archæol. Lib. IV. c. 7.

III. NONNULLI præterea *tertiam Decimam* fuisse volunt, ut Tobit. I, 7. καὶ τὴν τρίτην, inquit, ἐδίδουν οἷς καθῆκε, *tertiam decimam dabam iis ad quos pertinet.* Verùm intelligit dumtaxat *Decimam tertii anni*; hoc est, Decimam quam unoquoque tertio anno, post solutam *primam*, oportebat Colonum intra sua mœnia dare Levitis, peregrinis, orphanis & viduis. Hanc quoque *Josephus* Lib. IV. c. 7. vocat τρίτην κατὰ τὸ ἔτος τρίτον, & Rabbini מעשר עני *decimam pauperis.* Vocatur etiam *tertia*; sed, prout Decimas divisimus, meliùs secunda dicatur; (a.) nec opus est *tertiam* propterea constituere Decimam, nec reverâ est *tertia* diversa à *secunda.*

Ea, quod dictum sit bona cum venia magni *Scaligeri*, aliter sentientis in *Diatriba de Decimis Judæorum*, nullo modo haberi potest eadem ac *prima*, neque ei responder. *Prima* enim Decima solvebatur singulis annis, excepto dumtaxat Sabbathico: unde enim Levitæ & Sacerdotes habuissent, tertio quoque anno, quò se sustentarent? Hoc ipsum adfirmant doctissimi quique Judæorum Magistri, & quidem ex Thalmudicis decretis. Vide *Mosem Mikotsi* in Mitsvoth. c. CXXXV. *Ben Kattun* Præc. CCCCLXXIII. & alios. Primo, nimirum, anno solvebatur *prima Decima*, deinde *secunda*. Ita etiam fiebat secundo anno. At tertio, post persolutam *primam Decimam*, solvebatur מעשר עני *decima pauperis*; atque hoc anno מעשר שני יבטל *secunda cessabat*, vel non solvebatur. *Maimonides* in Mischn. Thor. Part. 3. *De Decima Secunda.* Cap. I. (3.) disertè testatur tertio & sexto anno pauperis Decimam fuisse חלף מעשר שני *loco secundæ Decimæ.*

Non potest id quod habetur in Tobia, de solutione secundæ Decimæ κατ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν (qua in re Hebraico & Græco Codicibus convenit, quamvis in aliis multùm dissentiant) aliter intelligi, quàm de unoquoque biennio, nisi ea ver-

tibus, mulieribus viduis, & pueris orphanis. Certè si *Josephus* credidit tertio anno secundam Decimam πρὸς τὰς εὐωχίας mutari in Decimam pauperibus dividendam, non potuit ἀκυρωτέρως loqui; ita enim mentem suam exprimit, ut aliter loqui non potuerit, si vellet dicere, tertio quoque anno, præter solutionem primæ & secundæ Decimæ, tertiam ab iis diversam fuisse solutam. At si credidit primam & secundam, ut patruus meus, mutari in unam illam, quæ *Decima pauperis* dicitur, non minus erit ἄκυρον. Ex eo videtur desumsisse *Jonathan* quod habet ad Deut. XXVI, 12. ubi ita loquitur: *Cùm finem feceritis decimandi omnes decimas proventûs vestri, anno tertio à Remissione,* (ab anno, nempe, Sabbathico) *dabitis decimam priorem Levitis; decimam verò secundam, quæ est decima pauperum, peregrino, pupillo & viduæ, ut comedant in urbibus tuis & saturentur. Decimam autem tertiam adduces & comedes coram Jehova Deo tuo.* Hoc tamen est discrimen, quòd Decimam pauperum, quæ *Josephu* est tertia, hic secundam vocet; & secundam, quam tertiam dixit Historicus Judæus. At tres diversas decimas solutas tertio anno docet. Existimarim *Josephum* huic errandi occasionem præbuisse, & *Josephum* ipsum incommodè mentem suam expressisse, cùm aliud non sentiret, ab eo quod vulgò postea Rabbini. Certè credibile non est Colonum, qui, ut ex calculo *Seldeni* liquet, ferè jam quintam partem reditûs annui solvebat, tertio & sexto anno Heptaeteridis novâ Decimâ mulctatum fuisse, præsertim instante anno Sabbathico.

Novi etiam litem *Joan. Seldeno* motam fuisse, cùm à *Ric. Montacutio*, tum à *Thom. Combero* viris doctissimis, quam meam facere nolim. Vide tamen *Guil. Guisium* ad Zerahim, Tit. Phea, Cap. VIII. ubi *Seldenum* defendit. Hîc Mosem solum illustramus, de consectariis Theologicis, quæ in usum Christianorum hinc ducuntur, planè securi. Itaque nec consectaria, quæ ex hisce fortè voluit deduci *Seldenus*, nec quæ de recentiore ævo scripsit, præstamus. Imò verò alibi etiam testati sumus commodissimam nobis videri rationem sustentandi Cleri, quæ fit per decimas.

(3.) Eumdem vide in libro *de donis pauperum*, C. VI. ubi similia habet.

verba contraria sint notæ Judaïcorum Canonum praxi. Itaque unoquoque tertio anno, Levitæ qui apud Templum erant, carebant secunda Decima, quæ in convivia illic absumi solebat; ea enim domi à Colonis, ex Lege divina, egenis distribuebatur. Nec re ipsâ *secunda* & *pauperis decima* differebant, sed tantùm circumstantiis. Divisio utriusque est planè eadem, & qui ea vesci debebant iidem, ad hanc rem quod adtinet. Ut enim Levitæ, vicibus suis ad Templum ministrantes, vocari debuerunt ad Convivia, quæ ex secunda Decima fiebant: eadem hac Decimâ in Colonorum oppidis, epulabantur, tertio quoque anno, Levitæ & pauperes. Omne discrimen in loco, in quo absumebatur, situm est; sed re ipsâ erat eadem, unóque nomine commodè vocatur. Hac in sententia, planè confirmor versione LXX. Intt. Deut. XXVI, 12. ubi sic habet Moses, prout ejus verba, ex Hebraica Lingua translata, Latinè sonant: *Cùm absolveris dare omnes decimas proventûs tui, anno tertio, qui annus est harum decimarum, & dederis Levitæ, peregrino, pupillo & viduæ, comederintque intra mœnia tua & satiati fuerint* &c. LXX. Intt. ita vertunt: Ἐὰν δὲ συντελέσῃς ἀποδεκατῶσαι πᾶν τὸ ἐπιδέκατον τῶν γεννημάτων τῆς γῆς σου, ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ, τὸ δεύτερον ἐπιδέκατον δώσεις τῷ Λευίτῃ καὶ τῷ προσηλύτῳ. Vulgatus verò: *Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ & advenæ* &c. Vides, in verbis Græcis, pauperis Decimam disertè secundam vocari, quo divisio nostra Decimarum confirmatur. Sine dubio in Codice suo legerant, pro שנת המעשר *anno decimæ*, ut nunc legimus, שנית המעשר *secundam decimam*; nec certè loci alius esse sensus potest, ut probè norant. In variis locis ejus Translationis, ejusmodi varietates animadvertere licet; & sæpe ii Interpretes Explicationem, æquè ac Translationem, nobis exhibent. Neque constructio mala est, quòd שנית quod est fœminini generis jungatur cum מעשר, quod masculinum est; sunt enim ejus rei frequentia in Scriptura exempla. (4.) Vox ἐπιδέκατον, quâ hîc utuntur, licèt (5.) non usitatissima ad significandas decimas, attamen aptissima est, atque ex ipsis Athenis ortum ducit, ubi, ut discere est ex *Xenophontis* Hist. Græc. Lib. I. eo nomine vocabatur Decima mulctarum seu bonorum publicatorum, quæ consecrabatur Minervæ. At locus Deuteronomii vulgò à Judæis exponitur: שנת המעשר אחד *annus decimæ unius*. Vide *Sal. Jarchium*. Quod optimè consentit cum mente LXX. Interpretum. Nam tertio anno, ut ait *Jarchius*, una dumtaxat Decima ex duabus vulgò notis solvebatur; hoc est, ex prima & secunda. Prima semel Levitis dabatur; secunda verò, eo saltem nomine, nulla erat, sed ejus loco *Decima pauperis*: Existimat præterea *Jarchius* mentionem hîc fieri Levitarum, ut significetur prima Decima tertii illius anni Jerosolimæ soluta fuisse; quo prorsus confirmatur quod antea à nobis declaratum est. *Secunda* ergo & *tertia* re ipsâ eadem erat. Omnium autem solutio qualis esset, sequente exemplo liquebit.

IV. Post primitias in spicis persolutas, sit hornus

Proventus	6000	Ephæ, Elata oblatio erit minimùm 100.
Reliquum	5900	Ephæ, *prima Decima* 590, ex qua 59. ad Sacerdotes pertinent.
Reliquum	5310	Ephæ; ex quibus *secunda Decima* 531. quam singulis duobus annis Levitæ habebant Jerosolimæ, & tertio quoque domi dividebant Coloni.

Supererant 4779 Ephæ, quæ erant Colonorum. Itaque ex 6000 Ephis, Levitæ & pauperes habebant in universum 1063, Sacerdotes 159. Colonus verò tantùm 4779. Ergo quotannis plus quàm sextam partem proventuum solvebat, præter primitias; hoc est, ferè quintam. Multi minorum gentium Eruditi, in recensendis & dividendis hisce Decimis, dormitantes crassa peccata commiserunt. Verùm hæc ex Scriptura, & Jurisconsultis Judæis petita sunt.

V. Ex Pecudibus primogenita Dei erant, Exod. XIII, 2. atque ex mundis quidem ipsæ species Sacerdotibus solvebantur: ex immundis verò, pretium, additâ præterea quintâ ejus parte. Ex earum incremento una tantùm Decima, eáque Levitis solvebatur. *Omnis decima boceri, ovilli, aut caprini generis, seu omnium pecudum, quæ sub virga transeunt, decima erit sacra Jehovæ*, ait Legislator Levit. XXVII, 32. Ideò ut decimarent, solebant agnos, exempli causâ, ovili includere, cujus ita arctum erat ostium, ut unus dumtaxat simul egredi posset. Dein aperto ostio, aliquâ arte eos evocabant, aut matres extra positas balare curabant, ut singuli exirent, dum servus stans ad ostium, & virgam gestans Ochrâ tinctam, numerabat usque ad decimum, quem virgâ suâ notabat. Sic intelligunt Magistri phrasin *transire sub virga*. Vide *Jarchium* ad *Levit. XXVII.* & *Rambam* in Mass. de Primogen. c. VII. (6.) Pecus quæ ita notata erat, quæcumque esset, seu mas, seu fœmina; seu pinguis, seu macilenta, decima habebatur, neque mutari poterat.

VI. Qua ratione solutio harum Decimarum observata fuerit, aut intermissa, partim colligere est ex Scriptura, nempe, 2. Paral. XXXI. Malach. III. Nehem. XIII. partim ex institutione fideliorum Ephororum (quos vocabant נאמנים *fidos*) ad veram earum solutionem procurandum. Postquàm enim dedicatum fuisset iterum Templum à Juda Macchabæo, usque ad quartum ejus successorem, Joannem Hyrcanum, si credimus *Maimonidæ* de Decimis Cap. IX. hoc est, ferè triginta annis, omnes quidem Primitias & Therumas integras solvebant, sed omnes Decimas, primas & secundas, pauci vel nemo, idque

(4.) Æquè commodum fuisset conjicere LXX. Intt. legisse שני *schni*. Verùm adversantur omnes Codices, & series orationis.

(5.) Oportet ἐπιδέκατον æquè usitatum fuisse, ac δεκάτη. quandoquidem sexies & decies exstat in versione LXX. Intt. Rectè autem vocem Atticam fuisse docet *Joan. Seldenus*, *Harpocration*: Ἐπιδέκατον τὸ δέκατον· Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ ἐπίπεμπτον οἴονται λέγειν τὸ πέμπτον, ὡς καὶ Εὔπολις Αὐτολύκῳ. Similia ex parte habent & *Suidas* & *Phavorinus*.

In §. V.

(6.) Vide notata à nobis ad locum *Levitici*.

idque Ephororum corruptione. Quare Synedrium, ſeu בית דין הגדול *magna domus judicii*, decrevit Ephoros eligendos ex probioribus; tum etiam ex omnibus ex quibus, ſeu corruptione, ſeu aliter dubium erat an Decimæ ſolvendæ eſſent néene (cujus generis omnia ferè erant, tempore quo hoc decretum factum eſt) Therumam Decimarum, hoc eſt, centeſimam partem ſolutum iri Sacerdotibus, deinde ſecundam Decimam in Templo. At nulla ex hiſce pauperis Decima ſolvebatur. Ejuſmodi fructus vocabant דמאי *demai*, de quibus extſtat ſingularis Titulus (*Maſſecheth* מסכת vocant) in Thalmudo, in *Seder Zeraim*. Ab eo decreto Synedrii, ad ultimum Templi exſcidium, ut videtur, integræ Decimæ perſolutæ ſunt; quod ſaltem de tempore vicino exſcidio conſtat, ex Ep. ad Hebræos Cap. VII, 9.

In Decimis & Therumis ſolvendis, ſuperſtitioſiſſimi erant Phariſæi. Fortè poſt geminas legitimas Decimas ſolutas, ſolvebant alias, & præterea quinquageſimam, & interdum trigeſimam partem in Therumis. Sic poteſt intelligi quod de iis habet *Epiphanius* Lib. I. Hæreſ. XVI: ἀπεδεκάτουν ᾗ τὴν δεκάτωσιν, τὰς ἀπαρχὰς ἐδίδουν, τριακοντάδας τε καὶ πεντηκοντάδας, quæ verba ita vertere poſſumus: *decimabant quod jam erat decimatum, primitias dabant, trigeſimáſque & quinquageſimas partes*. Sed adfirmare non auſim; nec ſcio an *Epiphanius* ſatis intelligeret decimarum rationem, & ejus mentem ægrè poſſumus hîc adſequi. Idem etiam, cum pace tanti viri, dixeris de eo quod *Chryſoſtomus* habet in Hom. CIII. τῶν διαφόρων. Tom. VI. pag. 897. & Λόγ. ι. in Ep. ad Philipp. T. IV. p. 54. Ed. Savil. de liberalitate Judæis erga Levitas lege impoſita: Ἐννόησον, inquit, ὅσα Ἰουδαῖοι ἐδίδοσαν, δεκάτας, ἀπαρχὰς, καὶ πάλιν ἄλλας δεκάτας, καὶ πάλιν τὰς ἑτέρας τρισκαιδεκάτας, καὶ τὸ Σίκλον, καὶ οὐδεὶς ἔλεγεν ὅτι πολλὰ κατεσθίουσιν: *cogita quàm multa Judæi darent* (Levitis & Sacerdotibus) *decimas, primitias, & iterum alias decimas, rurſúſque alias decimas tertias, & ſiclum* (Exod. XXX, 12.) *attamen nemo dicebat eos multa edere*. Sic habet ille duobus locis laudatis, totidem verbis, niſi quòd in altero eſt τρισκαιδεκάδας. Fateor me neutrum intelligere; neque enumeratio ejus conſentit cum Judæorum monumentis, aut cum Scriptura. Conjecturas aliis permitto, quamvis nonnullæ ſat probabiles adferri poſſent. Sed ab iis adferendis abſtineo.

VII. Decimatio παντὸς λαχάνου cujus meminit Chriſtus Luc. XI, 42. Matth. XXIII, 23. & quam obſervatam ait à Scribis & Phariſæis, nuſquam præcipitur in Scriptura, neque Thalmudicis Canonibus exigitur, ex ſententia Magiſtrorum; qui ſolutionem Decimarum ulteriùs patere nolunt, quàm תבואה *proventus*, de quo Moſes Deut. XXVI, 12. neque herbas eo nomine complectuntur. Ex traditione quidem Majorum, quæcumque ex terra oriuntur, atque eſculenta ſunt, Decimæ eſſe obnoxia aiunt, quod eorum Juriſconſulti hiſce verbis exprimunt: כל אוכל אדם הנשמר שגדוליו מן הארץ חייב בתרומות וכן במעשרות *Omne eſculentum hominis quod adſervatur, cujus incrementa ſunt de terra, obnoxium eſt elatæ oblationi, & pariter decimis.* Hinc contendunt ejuſmodi herbas eſculentas Decimis eſſe obnoxias, ſed de iis quæ ab hominibus non eduntur (7.) negant Decimas deberi. Excipiunt etiam ſpicilegia, racemationes, & quæ in extremis agris relinquebantur, de quibus Levit. XIX, 9, 10. Videntur tamen Phariſæi veriùs ſenſiſſe de ſolutione Decimarum ex herbis; nec Chriſtus eam improbat, cùm diſertè dicat *eam non fuiſſe omittendam*; quæ ejus admonitio valebat, quouſque Moſaicarum omnium Legum finis nondum erat, voce *conſummatum eſt*, ſignificatus.

VIII. Diruto ſecundo Templo, & latè disjectis Judæis, Leges de Primitiis, Therumis & Decimis obſervari deſiere. Eorum enim Magiſtri docent à nemine, niſi ab incolis terræ Iſraelitidis, Decimas exigi poſſe; quamquam ſapienter excipiunt incolas terrarum *Sinharis*, *Moabitidis*, *Ammonitidis* & *Ægypti*; quòd prima neque eſſet nimiùm remota à Chananæa, & ab ingenti Iſraelitarum numero incoleretur; ceteræ verò tres Chananæam cingerent. Sed eos qui terræ proventus colligerent, inter *Cuthæos* ſeu *Samaritanos*, veteres ſuos inimicos, vel etiam in *Aramæa*, ac conſequenter in aliis terris, quas non excipiunt, nulli ſolutioni obnoxios fuiſſe aiunt. Quàm in rem, multi ſingulares caſus in medium adducuntur à *Maimonide* in Jad Chazaka, de Theruma Cap. I. & à *Mikotſi* in Præc. CXXXIII.

Hodie ex Lege nemo quidquam ſolvit; & ii quidem qui degunt in terra Chananæa, quòd careant Sacerdotio & Templo; ii verò qui per varias regiones ſparſi ſunt, cùm propter adlatam rationem, tum etiam quia ſola terra Chananæa ſolutioni erat obnoxia. Atque hac de re, inter omnes convenit. At nonnulli Judæi interrogati à *Joſepho Scaligero*, ſi illis data eſſet facultas inſtaurandi Sacrarii, ut antea, an victimas immolaturi eſſent, (8.) Legéſque de Primitiis & Decimis obſervaturi, reſpondebant fruſtra hoc fore, quia non eſt Sacerdotium hodie in Iſraële; cùm nemo ſit inter eos qui poſſit demonſtrare ſe Levitam eſſe, quamvis multi ejuſmodi ſe eſſe contendant, & quidam ſpecie quadam Sacerdoti inter eos ſugantur.

Exempli causâ, hîc inter Majores noſtros, cùm Judæi in Anglia eſſent, videntur habuiſſe Præfectum aut Pontificem Maximum, qui à Rege ſolebat confirmari, aut etiam conſtitui in vitam; ut liquet ex veteribus Commentariis, qui oſtendunt Reges *Ricardum* I. & *Joannem* eam dignitatem Diplomatibus ſuis conceſſiſſe. Ejus exemplum, cùm ſit rarum, nec res ab inſtituto noſtro aliena, huc transferemus. *Rex omnibus fidelibus ſuis, & omnibus Anglis & Judæis, ſalutem. Sciatis nos conceſſiſſe, & præſenti charta*

In §. VII.

(7.) Nec contrarium docet locus Evangelii, nam quid obſtat quominùs ſubaudiamus, poſt πᾶν λάχανον, vocem ἐδώδιμον? Opus non erat eam à Chriſto addi, quia ex ipſa praxi nemo aliter ejus verba intelligere potuit.

In §. VIII.

(8.) Nihil habet *Scaliger*, de Primitiis & Decimis, ſed hæc addit *Seldenus*, quòd harum eadem ſit ratio ac inſtaurationis Templi. Vide Opuſc. Poſtuma *Joſ. Scaligeri* p. 69.

tâ nostrâ Jacobo Judæo de Londoniis, Presbytero Judæorum, Presbyteratum Judæorum totius Angliæ, habendum & tenendum, quamdiu vixerit, liberè & quietè, honorificè & integrè, ita quòd nemo ei super hoc molestiam aliquam aut gravamen inferre præsumat. Quare volumus, & firmiter præcipimus quòd eidem Jacobo, quod vixerit, Presbyteratum Judæorum per totam Angliam, garantetis, manuteneatis, & pacificè defendatis. Et si quis ei super eo forisfacere præsumserit, id ei sine dilatione (salvâ nobis emendâ nostrâ) de forisfactura nostra emendare faciatis, tanquam Dominico Judæo nostro, quem specialiter in servitio nostro retinuimus. Probibemus etiam ne de aliquo ad se pertinente ponatur in placitum, nisi coram nobis, aut coram Capitali Justitia nostra, sicut Charta Regis Ricardi fratris nostri testatur. Teste S. Bathoniensi Episcopo &c. *Datum per manus H. Cantauriensis Archiepiscopi Cancellarii nostri, apud Rothomagum* 31. *die Julii, anno regni nostri primo.* Rot. Cart. I. Reg. Joh. Part. I. Memb. 28. Cart. 171.

Fateor *Præsbyteratu* significari posse dignitatem, quæ in alium quàm in Levitam cadere queat. Sed cùm parum verisimile sit eo ævo Clericos, qui erant Cancellariæ ministri, & Diplomata solebant scribere, aut saltem de eorum stylo judicabant, passuros fuisse *Presbyratûs* nomen in ejusmodi significatum transferri; vix etiam puto idgenus Civilis Præfecti mentionem frequentem occursuram non fuisse, in monumentis ad Judæos spectantibus, quæ etiamnum exstant. Multa evolvi, sed nusquam alibi in hoc nomen incidi. Verùm huic Jacobo Sacerdoti, aut alii Judæo, nullæ Decimæ, Primitiæ, aut Therumæ solvebantur, vel ex Legibus Thalmudicis solvi debebant. Cum iis hac in re consentit *Eusebius* Dem. Evang. Lib. I. Cap. I. qui inter alias Leges Mosaicas, quæ intra Chananæam, & stante Jerosolimâ, observari tantùm poterant, Decimarum solutionem recenset. Nam adlato loco ex Deuter. XIV, 23. de edendis Decimis, *in loco, quem elegisset Deus, ut illic nomen suum collocaret* (quod spectat tantùm Decimam secundam, primo & secundo anno) & conjuncto cum aliis præceptis de Decimis, Paschate, Hebdomsdum & Tabernaculorum festo, quæ in certo loco iisdem verbis designato observari oportebat, subjicit tandem de omnibus: Διὰ τοσούτων οὖν τὸν τόπον ἐπισημαινόμενος, τοσαυτάκις τε εἰπὼν εἰς αὐτὸν ἀπαντᾶν πανγενεῖ καὶ πανοικί, πῶς ἂν ἥρμοζε τοῖς τῆς Ἰουδαίας καὶ ἐπὶ μικρὸν διεστῶσι, μήτι γε καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἔθνεσι: *cùm tot ergo rebus locum illum designet, & toties dixerit in eum eumdem esse cum tota prole & domo, quomodo conveniret iis, qui vel tantillùm à Judæa remoti sunt, nedum gentibus per totum orbem sparsis?* Verùm festa, de quibus loquitur, Judæi etiamnum hodie observant, quamvis non prorsus ex Lege Mosaica.

Curæ Secundæ ad Sect. II.

HACTENUS nullum vidi Scriptorem Christianum, qui plenè egerit, de iis quæ considaratu digna sunt, in solutione omnium Decimarum, inter Judæos. Nobilissimus & eruditissimus vir *Jos. Scaliger*, non satis accuratè ea de re egit, quamvis peculiari libello de industria Decimarum rationem explicare adgressus sit. Quanta cum ignorantia, & negligentia nonnulli ex nostris, sine auxilio *Scaligeri*, de Decimis egerint, cùm *tertiam & quartam* Decimam loquantur, & totius negotii sint imperiti, ii judicent qui hinc eorum errores cognoverint. Mense Martio præterito, in titulo observationum *Joan. Drusii* in Josuam, aliósque Vet. Testamenti libros, promittitur nova Dissertatio *de Decimis Mosaicis* scripta à *Sixtino Amama*, Professore Linguæ Hebraicæ Franekeræ; (9.) sed eam nondum cum Opusculis illis *Drusii* conjunctam, neque aliter editam videre licuit.

Quod de Decimis diximus, id habemus à doctissimis Judæorum Magistris, quemadmodum ab iis in Thalmudo, aut recentioribus Scriptis traditum est; quorum ad praxin & Historiam quod adtinet, testimonia sunt omni exceptione majora.

In verbis, quæ § 6. adtuli ex *Epiphanio*, ἀποδεκάτωσι τὴν δεκάτωσιν, crediderim potiùs eum significare solutionem Decimæ, quàm decimationem ejus quod jam erat decimatum. Notum est eloquutionem Græcorum Patrum, ac præsertim ejus ævi, refertam esse phrasibus LXX. Intt. Hi autem habent ἀποδεκατοῦν τὸ ἐπιδέκατον, καὶ δεκάτην, ut significent *solvere decimas*, quod cum Hebrorum phrasi aliquatenus consentit. *Epiphanius* sine dubio hanc loquutionem non aliter intellexit, quàm LXX. Interpretes, quamvis viri magni nominis aliter sentiant.

Ad alacritatem quod adtinet, quâ solvebantur Primitiæ, de qua *Epiphanius*, addam hîc ex *Philone*, qui stante secundo Templo vixit, & de eo quod ipse norat loquitur, solutas eas fuisse tantâ copiâ, ὡς καὶ τῶν ἀπορωτάτων τῶν ἱερέων, ἕνεκα περιουσίας τροφῶν, εὐπορώτατον δοκεῖν εἶναι, hoc est, ob solam copiam Primitiarum, & Therumarum, quæ à Colonis solvebantur Sacerdotibus, nullum fuisse Sacerdotem, in viginti quatuor classibus (in quas posteri Elehazaris, & Ithamaris fuerant à Davide distributi) qui dives ac locuples haberi non posset. Addit prætcrea Judæos tantâ festinatione eas solvisse, ut τοὺς αἰτοῦντας φθάνοντες, τὰς προθεσμίας ὑπερτιμῶντες, λαμβάνειν ἀλλ' οὐ διδόναι νομίζοντες, μετ' εὐφημίας καὶ εὐχαριστίας καθ' ἑκάστην τὴν ἐτησίαν ὥραν, ποιοῦνται τὰς εἰσφορὰς ἄνδρες ὁμοῦ καὶ γυναῖκες αὐτοκελεύστῳ προθυμίᾳ καὶ σπουδῇ παντὸς λόγου κρείττονι: *petentes antevverterent, statuta tempora inciderent, capere non dare sibi visi, cum adclamationibus & gratiarum actionibus unaquaque tempestate anni, adferrent oblationes, viri juxta ac mulieres, spontaneá alacritate & studio, quod verbis exprimi nequit.*

In Curas Secundas.

(9.) Edita postea est ea Dissertatio, & de ea hoc judicium fert, nec fortè iniquum, *Guil. Guisius* ad Cap. VIII. Tit. Phea, Ordinis Zerahim. *Lobantem Scaligerum malè fulcit Sixt. ab Amama, auctor humi repens, & à Scaligeri ore pendens. frigidissimis suis argumentis, in Commentariolo de Decimis Mosaicis.*

nequit. Lib. *de Præmiis Sacerd.* Quæ omnia ſpectant tantùm ad Primitias & Therumas, non verò ad Decimas, ut falsò innuit tranſlatio Latina, in qua ἀπάρχεσθαι malè intelligitur de Decimis, quas populus Sacerdotibus ſolveret; nam populus tantùm Primitias ſolvebat ἀμέσως Sacerdotibus, non Decimas, quas ſolis Levitis dabat; hoc eſt, iis qui, ut *Philo* loquitur, erant ἐν δευτέρᾳ τάξει *in ſecundo ordine* & νεωκόροι *æditui* Templi, Oſtiarii, Cantores, aliiſque ejuſmodi miniſteriis fungebantur. Levitæ verò ſolvebant Decimas Decimarum ſuarum Sacerdotibus; qui proinde, per manus Levitarum, accipiebant Decimas ex prædiis plebis. Sic intelligendus quoque divinus Scriptor Ep. ad Hebræos, ubi dicit, *eos qui de filiis Levi Sacerdotium acceperant, mandatum habuiſſe decimas ſumere à populo, ſecundùm legem*, Cap. VII, v. 5. Ex eadem Ep. adparet, etiam poſt *Philonis* ætatem, Decimas fuiſſe ſolutas; quas dum Hebræorum Reſpublica, à Deo conſtituta, ſtetit, ſolvi *ex conſcientia* debuiſſe nonnulli docent, inter quos *Suarezius* de Leg. Lib. IX. c. XIX. §. 16. *Hic quidem decimas*, ait Scriptor ad Hebræos v. 8. *morientes homines accipiunt*; nam vocula *hic* refertur ad vigentem conſuetudinem Judæorum, (ad quos Epiſtola illa miſſa eſt) ſtante ſecundo Templo. Sic *Primaſius*, Epiſcopus Afer: *Hic*, inquit, *hoc eſt, in præſenti ſæculo, vel in Templo quod adhuc ſtabat.* Morientes homines, *filii, videlicet, Levi, qui mortales ac moribundi ſunt, Decimas accipiunt.*

Colligere eſt etiam, ex ejus ævi Hiſtoria, Decimas Sacerdotibus à Levitis etiamnum fuiſſe ſolutas, ac conſequenter Levitis à populo. *Joſephus* Archæol. Lib. XX. c. 6. ait, cùm *Felix* Procurator eſſet Judææ, tumultum exortum eſſe, ac contentionem inter *Sacerdotum principes*, Ἀρχιερέων, & inter reliquos Sacerdotes ac principes populi; principes verò Sacerdotum, ut reliquos Sacerdotes malè haberent, vi abſtuliſſe ex Apothecis, in quibus adſervabantur, Decimas quibus vitam illi ſuſtentabant; quod uſque adeò iis exitiale fuit, ut nonnulli ex senioribus inopiâ interierint. Contigit hoc circa initium Neronis, *Euſebiuſque* Hiſt. Eccleſ. Lib. II. c. 2. & *Nicephorus* Lib. II. c. 26. qui rem habent ex *Joſepho*, eam ad Neronis tempora referunt; quamvis *Ruffinus*, in ſua *Euſebii* Tranſlatione, Claudio imperante factum hoc velit. Sub utroque certè, Felix fuit Judææ Procurator. Obiter obſervare poſſumus, ſub Neronis principatu, multos Sacerdotes, multò pauperiores eſſe factos, quàm paullò antea fuerant, ſi *Philoni* credimus, qui paullò ante Neronis principatum vixit. Oporter eorum nonnullos ad maximas anguſtias redactos fuiſſe, quandoquidem ſolâ Decimarum detractione perierunt. *Sacerdotum Principes* hoc loco ſunt principes viginti quatuor claſſium, in quas Sacerdotes erant diviſi, 1. Par. XXIV, 4, 5, Unus quidem ſemper fuit Pontifex Maximus, ex prima inſtitutione; ſed aliorum etiam Sacerdotum major fuit in memoratis claſſibus dignitas, quorum cùm *Joſephus*, tum etiam Evangelia meminerunt. Vide Matth. XXVI, 57, 59. Hi erant Pontifici Maximo quales, in Orientalibus Patriarchatibus, Σύγκελλοι ſeu *Suffraganei*, qui Patriarchæ abſentis munere fungebantur, aut quales Romæ Cardinales Epiſcopi. Videſis *Joſ. Scaligerum*, in Proleg. ad Chron. *Euſebii*. Horum principum Sacerdotum primus ac præcipuus erat veluti deſignatus ſucceſſor Pontificis Maximi, primúſque ejus Vicarius, ſeu Suffraganeus, vel alter Pontifex; qualis erat Tſephanja Serajæ 2 Reg. XXV, 18. aut Annas Cajaphæ. Viri doctiſſimi ita, quod de duobus poſterioribus in Evangeliis habetur, intelligunt, ut putent ambos Pontifices Maximos ſimul fuiſſe. Atque hoc obiter, quod tamen qui ignorant facilè ad hanc hiſtoriam offendere poſſent; &, niſi monerentur, ſat longum inquirendi laborem ſubirent.

Paſchaſius Ratbertus, Abbas Corbeienſis, in Matth. Lib. X. p. 591. cùm incidiſſet in locum Matthæi, quem laudavimus §. VII. ubi de accurata ſolutione Decimarum à Scribis & Phariſæis ſermo eſt, hoc ipſum eſt expertus. Cùm rerum Judaicarum imperitus eſſet, non potuit capere quomodo Scribæ & Phariſæi Decimas ſolverent: *Cùm ipſi Sacerdotes erant & Levitæ*, inquit, *qui magis accipiebant Decimas à populo, quàm darent?* Miror quî potuerit ea ſomniare, & tam abſurdè hac de re commentari. At certè *Scribæ & Phariſæi*, ſi ea tantùm vocabula conſiderentur, non magis pertinebant ad Tribum Levis, quàm ad aliam quamvis. Vel pueri in Scripturæ & Judaicæ hiſtoriæ lectione hæc norunt.

Canon Juriſconſultorum Judæorum, quem adtulimus, eodem §. VII. ex Maimonide, exſtat primùm in *Thalmudo*, Seder Zerahim. Maſſech. Mahſcher. Perek. 1. §. 1. ad quem locum in *Gemara*, hoc eſt, collectione opinionum Magiſtrorum, varii caſus proponuntur, de hoc aut illo fructu, ſolive proventu, ſed ſæpe parum ad rem facientes. Unum ei Canoni additur, in *Miſchna*, nimirum, quemlibet fructum, aut herbam eſculentam, æquè cùm tenera ſunt, & cùm grandiora facta, Decimam debere. At dum tenera ſunt, nec dum paſtui apta, אינו חייב עד שיעשה אוכל *nullum eſt obnoxium decimæ, donec factum fuerit eſculentum.*

Quod habemus § 8. de iis qui fruebantur agris, inter Samaritanos, aut in *Aramæa*, ſeu *Syria*; intelligendum de Judæis illic degentibus, atque agros colentibus. Nam ſi quis haberet agros in Syria, nec eo ſeciùs in Judæa viveret, ex iis Decimam debebat. Vide Thalm. Seder Zerahim, Maſſ. Demai. Cap. VI. & Maſſech. Mahſch. Cap. V. § 5.

Quamvis Templo & Sacerdotio deſtituti Judæi hodie Decimas non ſolvant, attamen inter Aphoriſmos Theologicos atque Ethicos, hunc habent, quemadmodum Maſſora eſt ſepimentum Legis: ita מעשרות סיג לעשר *decimas ſolutas eſſe ſepimentum divitiarum.* Pirke Aboth Cap. III. Quem in locum obſervavit *Paulus Fagius*, *& hodie qui religioſiores ſunt inter Judæos, loco decimarum Eleemoſynam pendere de omnibus lucris, decem aureos de centum, centum de mille* &c. Verùm quamvis religioſiores ejuſmodi Eleemoſynas dare queant, manifeſtum eſt legitimæ decimationi nullum ampliùs locum apud eos eſſe, quòd careant Sacerdotio, & Templo aut Tabernaculo. Attamen maxima eorum pars dudam exſpectarunt tertium Templum (*Vide Pet. Galat. de Arcan. Lib. V. cap. 9.*) alioqui tam ſtudioſi non eſſent Legum & ſingulatium caſuum circa Primitias & Decimas, quæ copioſiſſimè traduntur in quinque Titulis *Thalmudi*;

di; quod est corpus Civilium & Canonicarum Legum Judæorum, & quod multis annis, post dirutum secundum Templum, conflatum est, in usum dispersæ Gentis Judææ.

Quicumque hodiernas Decimas propugnat ex Mosaica Lege de Decimis, eum adcuratiùs oportet expendere, quàm hactenus ab ullo factum viderim, utrum Decimarum genus, ex duobus memoratis, sub Evangelico Sacerdotio, debeatur. Quidni enim secundum, æquè ac primum, debeatur? Præterea considerandum ei est, quâ ratione solutio Decimarum Sacerdotibus Evangelicis, à Laïcis, successerit solutioni Decimarum Sacerdotibus ex Aharone oriundis, à Levitis. Verùm tum demum hujusmodi examen institui potest, ubi cognitio *facti*, ut loquuntur, antecessit; nam sine adcurata distinctione variorum generum Decimarum, ratiociuatio illinc deducta, facilè posset esse crassa fallacia; quæ & eum qui ea uteretur, & eum quem ille doceret in errorem conjiceret. Qua de re judicium ferat candidus Lector.

Sed aliud est, quod magis ad rem nostram facit, & quod obiter adtingendum. Tantâ ignorantiâ, aut negligentiâ in inquirendis iis, quæ ad Judaicas Decimas pertinent, laborarunt nonnulli magni nominis viri; ut de proportione Decimarum & eorum qui eas accipiebant, in hoc calculo adquieverint; nimirum, Levitas, cùm iis una ex duodecim Tribubus constaret, habuisse Decimas quibus se sustentarent, quandoquidem ferè decima, hoc est, duodecima pars populi erant; quasi Populus Judæus, ejusque proventus arithmeticè ita fuissent divisi. Verùm alii absurditatem & falsitatem ejus opinionis dudum ostenderunt. Ac sanè, si statuatur ejusmodi proportio fuisse inter homines, & Decimarum nomen, dein tamen expendatur quid quid solvebatur Sacerdotibus & Levitis, Primitiarum, dumtaxat & Decimarum nomine, ad quintam proventuum partem proximè accedere comperietur. Atque hic omittimus Oppida & Suburbia iis adtributa, commoda quæ ex Sacrificiis ad eos redibant, redemtionis pretium primogenitorum & similia. Ad proportionem verò numeri, inter Tribus, quod adtinet, manifestò nos docent Sacræ Litteræ, Num. I, & III. rem planè aliter se habuisse. Viri ætatis militaris ex undecim Tribubus censi sunt 603550. eósque viginti annos minimùm natos esse oportebat. At masculi Levitæ, à mensem unum natis, fuere dumtaxat 22273. totidem enim sunt capita virilis sexûs familiarum Gersonis, Kehathi & Meraris. Hîc ergo Levitæ ita censi, ut à mensem unum natis numerentur, non sunt $\frac{1}{27}$ ceterarum Tribuum. Si verò censæ fuissent, ita ut masculi omnes similis ætatis numerantur, credibile est masculos Levitas, earum quinquagesimam aut sexagesimam etiam partem æquaturos non fuisse. Qualis verò est conjectura in uno sexu: talis etiam in altero. Sic postea, in censu à Davide instituto, 2 Sam. XXIV, v. 9. 1 Par. XXIII, 3, 27. videmus Levitas tricesimum annum superantes, non fuisse $\frac{1}{37}$ ætatis militaris totius populi. Ubi est ergo proportio inter numerum Sacerdotum & Levitarum, atque Decimarum nomen? Hæc autem non abs re à nobis investigata sunt. In hoc desino, virum esse Deo Leviticam Tribum eo modo ditare, quæ sacris Templi obeundis sola consecrata fuerat. Quare verò hoc fecerit, aut eam proportionem servarit, ii demum expendant qui profana sua figmenta Sacrarum Litterarum contextui admiscere, adeóque impudenter & sceleratè hæc inter se æquare sustinent.

SECTIO TERTIA.

De Decimis Ethnicorum.

I. Nonnulli Romani quibusdam Numinibus, aliquando dumtaxat, Decimas solvebant, ex lucro mercaturæ, aliísque facultatibus; sed plerumque ex voto, quo etiam heredes suos obligabant. II. Festi *testimonium falsò adductum à quibusdam, ut probent Veteres omnes universè solitos Decimas solvere. III. Exempla decimarum à Græcis solutarum. IV. Quomodo intelligi debeant qui adfirmant solitos Græcos Decimas Numinibus solvere. Verbum* δεκατεύειν *quare significet etiam simpliciter consecrare. V. Decima soluta Herculi Tyrio, & Sabi Arabum Deo, qui idem erat ac Jupiter Sabazius.*

I. CONSUETUDO offerendarum Decimarum, quæ apud Ethnicos viguit, & de qua vulgò Eruditi, apud Græcos potissimùm & Romanos quærenda est. Romani, ex religioso animi

Notulæ in superiorem Sectionem.

(1.) Decimarum à Regibus exactarum protulimus exempla ad Gen. XLI, 34. XLVII, v. 26. Addere potuimus Regum hunc per Orientem vulgò morem fuisse, ut liquet ex 1 Sam. VIII, v. 15, 17. Similis mos erat, apud Babylonios, *Aristoteles* Oeconom. Lib. II. sub finem: νόμου ὄντος ἐν Βαβυλωνίᾳ παλαιοῦ δεκάτην εἶναι τῶν εἰσαγομένων καὶ τὰ ἑξῆς: *cùm lex esset in Babylonia vetus decimam importatorum solvi* &c. Aliquando suspicati sumus Decimas à Deo ex Hebræis fuisse jure regio exactas, dein donatas Sacerdntibus.

(2.) Hercules Numen fuit Tyrium, ut multis facile probarem, si locus hoc pateretur; cumque præesset mercaturæ, non modo ei Tyriorum urbs, emporium celeberrimum, fuit consecrata, sed & mercatores ei decimam lucri solvere solebant. Aria-

animi adfectu, Decimas Diis consecrabant; sed neque quotannis, neque ex Lege, ut quidam falsò, & confidenter tamen adfirmarunt, ex humaniorum litterarum ignorantia. Ditissimi sæpe solebant ex facultatibus suis Herculi Decimam solvere; eâ in sacrificia, donaria Templo ejus adpendenda, & festa in ejus honorem agitanda absumtâ. Hoc liquet, neque aliter rem se habuisse, ex verbis *Plutarchi*, qui hoc in Quæst. Romanis sibi proponit: *Διὰ τί τῷ Ἡρακλεῖ πολλοὶ τῶν πλουσίων ἐδεκάτευον τὰς οὐσίας; quare multi divitum Herculi decimam facultatum solvunt?* Idem in *Lucullo* & alibi, ut & *Diodorus* Siculus Biblioth. Lib. V. aliique Veteres observant hanc fuisse singularem aliquot Fortunæ filiorum Religionem. Neque aliter intelligendus *Cassius*, apud *Aurelium Victorem*, de Origine Gent. Rom. ubi consuetudinem consecrandarum Decimarum Herculi ab institutione Recarani, Evandro æqualis, derivat. Is Recaranus, cùm ab Evandro recepisset boves sibi subreptas, sub Aventino, INVENTORI PATRI aram dedicavit, adpellavitque *maximam*, & apud eam Decimam sui pecoris profanavit. Cúmque ante moris esset uti homines (1.) decimum fructuum regibus suis præstarent; æquius sibi videri ait Deos potiùs illo honore impartiendos esse. *Inde videlicet factum*, subjicit scriptor de Orig. Urbis Romanæ, (2.) *ut Herculi decimam profanari mos esset.* Verùm neque ex Jure Civili, neque ex Pontificio solvebatur. Sæpe dabatur in gratiarum actionem, ob facultates auctas, sæpe etiam ex præmisso voto; sed plerumque erat ex divitiarum augmento ex mercibus venditis orto, aut hostilibus spoliis. Unde fit ut *Cicero* jocans Lib. III. de Nat. Deorum, dicat: *neque Herculi quisquam Decimam vovit umquam, si sapiens factus fuisset.* Soluta verò, ex pecunia mercibus venditis confecta, exemplum est Plautinus Parasitus, in *Sticho*. Act. I. Sc. 3. ubi facetè enumeratis mercibus suis, addit:

Hæc venisse jam opus est, quantùm potest,
Uti decimam partem Herculi polluceam.

Ad hostilia spolia quod adtinet, testis est inscriptio L. Mummii, qui Corinthum cepit, & quæ exstat etiamnum Reate.

SANCTO SEMIPATRI.

De Decuma victor tibi Lucius Mummius donum,
Moribus antiqueis, hoc pro usura dare se se,
Visum animo suo, perfecit sa pace rogaus te,
Cogendo, dissolvendo, ut felicia faxis,
Perficias decumam ut faciat veræ rationis.
Præter hoc, atque alieis doneis, des cuncta roganti.

Eam habent *Jan. Gruterus* Inscript. pag. 69. & *Jos. Scaliger* in Catalect. vet. lib. Tit. 14. Plura de hoc Epigrammate, quæ adjici possent, hic adnectere intempestivum esset. *Sancus* erat *Hercules*, qui vulgò vocabatur *Semo Sancus Deus Fidius*. Quidam inscriptionis titulum ita describunt: *Sanco Fidio Semu Patri*, qua in re falli eos existimem, & legi oportere *S. F. Semoni Patri. Donum de Decuma*, fuit donarium ex Decima spoliorum confectum; *decima* verò *veræ rationis* est summa prudentia, ut electissima quæcumque *Veteribus* dicuntur *educumata*; quod sæpe occurrit in Epistolis *Symmachi*. *Decumanum* dicebatur maximum & præstantissimum, in suo genere; ut *fluctus decumanus*, *scuta decumana*, *decima unda*. Videsis *Angelum Politianum* Miscell. Cap. LXXXVI.

Quanti autem essent pretii ea quæ in honorem Herculis ex hisce consecrabantur, adparet ex Mostellaria *Plauti* Act. IV. Sc. 2. ubi ita Phaniscus de Tranione servo prodigo:

— nunc isthic servus est sacerrimus
Tranio, is vel Herculi conterere quæstum possiet.

Sed nec Romani, nec eorum vicini suas Decimas soli Herculi consecrabant; verùm hæc eorum libera vota, & gratiarum actiones, ad alios etiam spectabant Deos. Veteres *Pelasgi*, qui, ut auctor est *Dionysius Halicarnas.* & *Stephanus* in voce *Aborigines*, colonias in Italiam deduxerant, solvebant Decimas lucri ex maritima mercatura confecti Apollini Delphensi, ex Oraculo quod eos ita alloquebatur, Aboriginibus mistos:

— δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ.

Decimam mittite Phœbo. Exemplum etiam Camilli

rianus Lib. II. p. 42. Ed. Steph. *ἔστι γὰρ ἐν Τύρῳ ἱερὸν Ἡρακλέους παλαιότατον ὧν μνήμη ἀνθρωπίνη διασώζεται, οὐ τοῦ Ἀργείου Ἡρακλέους, τοῦ τῆς Ἀλκμήνης· πολλαῖς γὰρ γενεαῖς πρότερον τιμᾶται ἐν Τύρῳ Ἡρακλῆς, ἢ Κάδμον ἐκ Φοινίκης ὁρμηθέντα Θήβας κατασχεῖν, καὶ τὰ ἑξῆς: est Tyri templum Herculis vetustissimum eorum, quorum humana memoria superest, non Argivi Herculis filii Alcmenæ, multis enim ætatibus colitur Tyri Hercules, antequàm Cadmus è Phœnicia profectus Thebas occupasset*, &c. Hunc Tyrii *præcipuè colebant*, hujusque *Numini urbem dicaverant*, ut auctor est *Curtius* Lib. IV. c. 2, & 3. Ideò eum vocabant מלך קרתא *melech kartha*, quod *Μελίκαρθος* extulit *Philo* Byblius, apud *Eusebium* Lib. I. c. 10. hoc est, regem urbis. Sed & *Hercules*, vel *Ἡρακλῆς* vox est Phœnicia הרכל *harochel*, mercator, quo nomine aut cognomine indigitatum Numen, quod mercatores potissimùm colebant; quales erant Tyrii, qui videntur ei Decimas & quidem annuas solvisse, si ex colonorum religione de consuetudine conditorum licet judicare. *Diodorus* Siculus Lib. XX. pag. 756. Edit. Rhodom. *Ἀποικισθέντες ἐκ ταύτης* (Carthaginienses Tyro) *εἰώθεισαν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις ΔΕΚΑΤΗΝ ἀποστέλλειν τῷ θεῷ ΠΑΝΤΩΝ εἰς πρόσοδον πιπτόντων: ex quo enim hac profecti in Carthaginiensem coloniam iverant, solebant prioribus tempestatibus Decimam mittere Deo omnium quæ in proventuum rationem cadebant.* Hoc erat, *anniversarium sacrum*, ad quod celebrandum venerant Carthaginiensium Legati, paullò antequàm Tyrus ab Alexandro obsideretur, ut narrat *Curtius* Lib. IV. c. 2. Ea consuetudo diu postea viguit, ut colligere est ex *Polybio* Excerpt. Leg. CXIV. qui docet Demetrium, Seleuci filium, *Καρχηδονίαν ναῦν ἱερογωγόν*, *Carthageniensem navem, quæ sacra gestabat*, conduxisse, ut in Syriam trajiceret, tum addit: *Συμβαίνει δὲ τὰ πλοῖα ταῦτα, κατ' ἐκλογὴν λαμβάνεσθαι ἐκ τῆς Καρχηδόνος, ἐφ' οἷς εἰς τὴν Τύρον ἐκπέμπουσιν οἱ Καρχηδόνιοι τὰς πατρίους ἀπαρχὰς τοῖς Θεοῖς: solent autem cum cura ha naves deligi, ex omni numero navium quæ sunt Carthagine, ad deferendas Tyrum primitias patrias, quas illuc Carthaginienses Diis mittunt.*

milli omnibus notum eſt, qui, ut prodidere *Plutarchus* in ejus vita & *Livius* Lib. V. vovit decimas prædæ Apollini, atque id ex juris Pontificii peritorum ſententia exſequutus eſt. Poſtumius Dictator diu poſtea, ut narrat *Dionyſius* Lib. VI. inſigni victoriâ ex Latinis relatâ, ex ſpoliorum Decima quadraginta talenta in ſacrificia, & (3.) ludos abſumſit, ædémque ex eo quod ſuperfuit Cereri, Baccho & Proſerpinæ faciendam locavit. Aliàs in honorem omnium Deorum, Decima ſoluta; aliiſque etiam Numinibus, præter memorata, conſecrata eſt, ut *Fortunæ*, & *Mercurio*, iter facientium & mercatorum Diis; *Semitalibus Diis*, ut *Vio* & aliis. Sic interpretatur *Joſ. Scaliger* quod dicit *Taurinus* de *Cæſio* parente mercatore, in arca Fortunæ inſcripta, Catal. Vet. Lib. I. Tit. 14.

Omnibus hic annis, votorum more ſuorum,
Centenas adicit, numero creſcente, coronas
Fortunæ ſimulacra colens, & Apollinis aras
Arcanúmque Vii.

Itaque moris erat in Italia, pro arbitrio, vovere & ſolvere Decimas Diis; quæ conſuetudo uſque ad poſtrema Imperii tempora viguit, ut adparet ex Lege, quam ex *Ulpiano* habet *Juſtinianus* Dig. Lib. L. Tit. 12. de Pollicit. §. II. Leg. 2. *Si Decimam quis bonorum vovit, decima non priùs eſſe in bonis deſinit, quàm fuerit ſeparata, & ſi fortè qui decimam vovit deceſſerit ante ſepoſitionem, heres ipſius hereditario nomine decimæ obſtrictus eſt. Voti enim obligationem ad heredem tranſire conſtat.* Ex hiſce liquet quamvis votum, aut ſolutio ſine voto, ex voventis aut ſolventis arbitrio penderet; attamen, intercedente morte, poſt votum conceptum, heredem, aut exſequutorem defuncti, debuiſſe ſolvere quod ille voverat. Quod inter veteres Chriſtianos, in ſimilibus votis, domuum aut agrorum, in honorem Martyris, Prophetæ, aut Angeli conſecratorum, Lege etiam ſancitum eſt. Vide Cod. Tit. *de Sacroſanctis Eccleſiis Leg. 15. ſi quis donaverit.*

II. Hinc adparet quàm falſum ſit, quod ex *Feſto* nonnulli adfirmarunt, *decima quæque Veteres Diis ſuis obtuliſſe.* Nihil ſimile uſitatum fuit. Quidam, iique interdum & de nonnullis rebus, & plerumque certis Diis, Decimas ſolvebant. *Feſtus* doctior erat, quàm ut ejuſmodi ignorantiæ monumentum relinqueret; nec dubium quin quæ ille pleniùs obſervarat, conſentaneáque iis quæ verè antea à nobis tradita ſunt ſcripſerat, nimis audacter contracta ſint, atque in enunciationem falſam depravata, à *Paulo Diacono*, qui *Feſtum* in Epitomen contraxit. Itaque multa obſervatu digna ex eo Scriptore perierunt, ut ex multis aliis, ignorantiâ juxta ac negligentiâ eorum, qui illos in compendia redigere adgreſſi ſunt. *Paulus* profectò à divino *Scaligero* propterea notatur. *Vide*, inquit, *quantum juris barbarus ille ſibi ſumſerit, in hoc loco mutilando.* Certè pleraque ex iis quæ, quaſi à *Sexto Pompejo Feſto* ſcripta, ejus nomine proferimus, ſunt dumtaxat *Pauli*, qui ea ex Feſto contraxit; ideóque à Scriptoribus medii ævi laudantur nomine Gloſſarum Pauli. Vide *Hincmari Rhemenſis* Opuſcula, adverſ. Epiſcop. Laudunenſ. c. 10.

Locum verò adlatum, *decima quæque Veteres Diis ſuis offerebant*, cùm ita caſtigat *Joſ. Scaliger*, ut dicat *uni tantùm Herculi hoc factum*, non ſatis emaculat, nam ſi ſcripſiſſet Feſtus: *decima quæque Herculi Veteres offerebant*, id fuiſſet falſum, ſi intelligeretur de Decimis, quæ ſolerent ab omnibus, & ex omnibus rebus ſolvi. Sitæ dumtaxat erant Decimæ in votis, & ſingularibus gratiarum actionibus, quæ liberrimè vovebantur, aut ſolvebantur; quemadmodum Angli, ex Comitiorum decretis, Decimas & Decimas-quintas aliquando ſolverunt. Si ſoliti fuiſſent Romani quotannis ex annuo proventu Decimas offerre, *Cato*, qui in libris *de Re Ruſtica*, copioſiſſimè ſacra à ruſticis facienda poſt meſſem perſequutus eſt, id numquam prætermiſiſſet.

III. Græci, ſub quorum adpellatione continentur Aſiatici Græcè loquentes, ſæpe conſecrarunt Decimas Apollini. Teſtis eſt inſcriptio, quæ Delphis legebatur, in ejus honorem, in qua erat hic verſus, quem habet *Clemens Alexandrinus* Strom. Lib. I.

Ὄφρα θεῷ δεκάτην ἀκροθίνιά τε κρεμάσαιμεν.

Ut Deo decimas & ſpolia adpendamus. Celebris meretrix Rhodopis, ut auctor eſt *Herodotus* L. II. c. 135. è decima ſuarum opum tot è ferro veru ad boves torrendos fecit, ad quot facienda ſufficeret decima. Crotonienſes bellum Locrenſibus illaturi, cùm reſponſum accepiſſent ab Apolline Delphico, priùs votis hoſtes quàm armis vincendos, *voverunt decimas prædæ*, Locrenſes verò, re cognitâ, *nonas*. Hæc *Juſtinus* Lib. XX. c. 3. Eidem Numini Siphnii quotannis Decimam metallorum ſuorum ſolvebant, ut reſtatur *Herodotus* Lib. III. c. 57. Phocenſes, relatâ ex Theſſalis victoriâ, ex Decima pecuniarum hoſti ereptarum ſtatuas conſecrarunt, ut idem narrat Lib. VIII. c. 27. Agidis & Ageſilai religionis teſtimonia ſimilia memoriæ prodita ſunt, à *Xenophonte*, Hiſt. Græcæ Lib. III. & in vita Ageſilai. Similia ſunt alia exempla.

Hinc Apollo dictus eſt δεκατηφόρος, quaſi tu *decimis redimitum* dicas; & quando ea quæ illi offerebantur erant Decimæ, aut Decimarum loco,

Ut Tyrii Herculis Numen aliis in oris coluerunt, quàm in patrio ſolo; nimirum, in coloniis, quas latiſſimè per omnia ferè littora maris mediterranei duxerunt: ita exemplum aliis gentibus ejus colendi, offerendarumque ei proinde Decimarum præbuerunt. Quidquid de *Recarano* narratur videtur fictum eſſe, niſi ſit Phœnicia fabula; cùm, ut vidimus, non Itali primi, ſed Tyrii Decimas Herculi ſolverunt. Adeò frequens erat decimam Herculi voveri, ut apud *Plautum* in *Truculento*, *Herculanea pars* ſit decima Act. II. S. VII. vſ. 11.

Quærunt viri docti quare Tyrii, aliique Decimas Diis ſolverint, non nonas, octonas, aut aliam quamvis partem? Ejus rei Pythagoricas rationes adfert *Joan. Spencerus* de Leg. Moſ. Rit. L. III. C. X. Sect. I. Una fuit, quæ & cauſa eſt cur ad denarium numerum ſupputando pervenerint omnes pænè Gentes, deinde iterum inceperint; nempe, numerus digitorum, qui idem eſt ubique. Hanc ſolam debuiſſet reddere *Ariſtoteles* Problem. Sect. XIV. Hinc enim primùm homines ſignificationem numerorum ſumſerunt, & cùm digitos omnes utriuſque

co, vocabantur *δεκατηφόροι ἀπαρχαί* *decumanæ primitiæ*.

> Ἀλλά τοι ἀμφιετεῖς δεκατηφόροι αἰὲν ἀπαρχαὶ
> Πέμπονται.
> *Sed tibi quotannis decumanæ semper primitiæ mittuntur.*

Sic *Callimachus*, Hymno in Delum, eam insulam in qua Apollo natus erat, & colebatur singularem in modum, alloquitur, v. 278. Sed & aliis Diis, unà cum Apolline, similia offerebantur. Sic post victoriam, quam Pausanias ex Mardonio retulerat, prædæ Decima divisa est inter Jovem Olympicum, Neptunum Isthmicum, & Apollinem Delphicum, ut docet *Herodotus* Lib. IX. c. 80. Aliàs Ephesia Diana in partem Decimarum fratri oblatarum venit, ut auctor est *Xenophon* de Exped. Cyri Lib. V. Aliquando aliis Numinibus, excluso Apolline, Decima data est, ut Jovi; qua de re vide *Pausaniam*, in Eliacis prioribus & Phocicis. Scripsit *Aristoteles* Oeconomicorum Lib. II. non procul ab initio, Cypselum Corinthium, cùm votum fecisset Jovi, si civitate illa potitus fuisset, Corinthiorum se dedicaturum facultates universas, jussit censum describi; illis autem professis, decimam bonorum partem abstulit à singulis, idémque per decennium fecit. (4.) Cyrus admonitus à Crœso, noluit Lydorum bona à militibus diripi, *ὡς σφέα ἀναγκαίως ἔχει δεκατευθῆναι τῷ Διΐ*: *quia necessariò erant Jovi decimanda*, quod narrat *Herodotus* Lib. I. c. 89. Interdum Juno Decimarum particeps erat, ut Sami, ubi Decima lucri quorumdam mercatorum, Tartesso reducum, Junoni consecrata fuerat, atque ex ea ingens crater æneus confectus, ut idem testatur Lib. IV. c. 152. Palladi etiam eas interdum solvebant. Boeoti & Chalcidenses ab Atheniensibus capti, redemtionis pretium solverunt, decimáque pars ejus pretii est Minervæ consecrata, ut ex eodem discere est Lib. V. c. 77. & ex ea facta ænea quadriga, quæ in arce erat. Eadem Dea Athenis sibi vindicabat Decimam omnium bonorum publicatorum, quæ vocabatur *ἐπιδέκατον*. Vide *Xenophontem* Hist. Græc. Lib. I. & *Joan Meursium* Attic. Lect. Lib. V. c. 13. *Lucianus* in Lib. de Saltatione, ait Italos perhibuisse Priapum bellatorem Dæmonem Martem à Junone acceptum adhuc puerum, non priùs armatum pugnare docuisse, quàm perfectum saltatorem reddidisset. Quamobrem mercedem illi à Junone datam fuisse, ut decimam partem spoliorum bello à Marte partorum semper ab eo acciperet.

IV. Hæc testimonia, de Decimis apud Græcos solutis, spectant ad Decimas votas, aut pro arbitrio, vel ex more loci singulari cuipiam Numini consecratas. Sed nec desunt loca, in quibus Græci, de suis, æquè generaliter loquuntur, ac *Festus* de Romanis: *Τὰ ἐκ τῶν πολεμίων ληφθέντα*, inquit, *Harpocration* in voce *Δεκατεύειν*, & ex eo *Suidas*, *ἐδεκάτευον τοῖς θεοῖς*: *hostibus erepta decimabant Diis*. *Didymus* apud eumdem Grammaticum, eodémque loco: *ἔθος ἦν*, inquit, *Ἑλληνικὸν τὰς δεκάτας τῶν περιγινομένων τοῖς θεοῖς καθιεροῦν*, *mos fuit Græcis decimas partorum Diis consecrare*. Ex quibus verbis, cùm *Harpocration*, tum *Suidas* rationem reddi posse crediderunt, ob quam *δεκατεῦσαι* significat etiam *consecrare*. Sed errarunt, neque hoc verbum significat simpliciter *consecrare*; sed singularem quamdam consecrationem virginum Dianæ celebratam ab Atticis puellis, festo *Brauroniorum*. Nulla, ex Atticis Legibus, nubere poterat, quæ non ita Dianæ initiata fuisset; neque ulla initiabatur, nisi inter quintum & decimum ætatis annum, à quo (quia pleræque eò usque ab iis ritibus abstinebant) initiandæ virgines vocabantur *δεκατίδες*, quasi *annum decimum agentes*. Atque hinc factum erat, ut vox *δεκατεῦσαι*, in hoc dumtaxat negotio, significaret consecrare vel initiare, quod propriè alioqui dicebant *ἀρκτεῦσαι*. Vide *Hesychium* & *Suidam* in *ἀρκτεύειν*, *Harpocrationémque* in *δεκατεύειν*.

Si illi Grammatici existimarunt ab omnibus solutas fuisse Decimas in Græcia, atque ex omnibus spoliis vel copiis, vehementer fallebantur & fallunt. At ita sunt intelligendi, ut loquantur de eo quod aliquando fiebat; aut ex singulari agendarum gratiarum animo. Quod dicunt Veteres *decimare solitos*, aut *decimasse*, simile est ei quod habet Cassius: *mos erat Herculi decimam profanari*, apud Romanos. Consuetudo ferebat ut interdum id facerent, & de nonnullis rebus: quemadmodum mos erat consecrare Numinibus statuas, capillos, vasa, aliáque similia. Attamen hæ consuetudines non erant generaliores, neque magis omnes obligabant; quàm mos, qui in nonnullis Angliæ urbibus obtinet, ut nuptialibus diebus pecunia offeratur. *Mos erat*, hoc est, ita multi factitabant. Exempla, ex prisca Historia, ante producta, rem manifestam faciunt. Hoc solo sensu, fides habenda laudatis Scriptoribus, quando loquuntur de consecranda Numinibus Decima. Interdum enim solvebatur Diis universè, sine ulla certi cujusquam Numinis designatione. *Suidas* in *Μάξος* Lydorum hanc in rem exemplum habet. Cùm Athenienses divisissent Lesbon in mille partes, consecrarunt hinc trecentas, hoc est, Decimam omnibus Diis universè. *Thucydides*. Lib. III. *τοῖς θεοῖς ἱεροὺς ἐξεῖλον*, hoc est, *ἐξαιρέτως ἀνέθεσαν*, *singularem in modum consecrarunt*, ait *Scholiastes*. *Pisistratus* in Epist. ad Solonem, quæ exstat apud *Diogenem Laërtium*, ait

que manûs numerarant, iterum incipiebant. Hinc numerus denarius ceteris insignior factus est, non è Pythagoricis somniis, serius notis. Quod cùm ita sit, cúmque certa pars esset constituenda, quæ Deo offerretur, mirum non est denarium numerum animis hominum se se obtulisse.

(3.) Pro *ludis*, *ἀγῶσι*, ut habet *Dionysius*, *Seldenus* posuit *prayers*, preces, aut potiùs scripserat *plays* ludos, quamvis in erratis calci operis subjectis hoc non legatur. Similia errata, inspectis ipsis Scriptoribus, quos laudat noster, non uno loco sustulimus. Quin & Libros & Capita aut Versus accuratiùs notavimus. Eo modo omnes citationes expendimus, verbísque ipsorum Scriptorum retulimus ea quorum sensum Anglicè expresserat. Quod semel monuisse satis erit.

Ad §. III.

(4.) *Cyrus admonitus à Crœso.* Hoc voluit *Seldenus*, non, *Crœsus admonitus à Cyro*, ut legimus. Res est clara.

ait se Decimas à singulis accipere, non tam in proprium usum, quàm *εἰς θυσίας δημοτελεῖς in sacra publica* omnium Deorum. Sic & Decima omnium, quæ Athenis à Coquis interficiebantur, comedendi causâ, solvebatur in honorem Deorum, nisi nos fallit *Scholiastes* in *Aristophanis* Equites.

V. Consuetudini Græcorum addere possumus exemplum (5.) Carthaginiensium, qui ex *præda Siciliensi Decimas* ad Herculem Tyrium miserunt, ut auctor est *Justinus* L. XVIII. c. 7. Memorabilis etiam est lex Arabum, quâ omnes Thuris mercatores cogebantur ferre suum Thus Sabotham (quam Eruditi censent esse Saubatham *Ptolemæi*, Arabiæ Felicis metropolin) Decimámque ejus Deo *Sabi* offerre, quam accipiebant Sacerdotes, nec ante mercari licebat. Vide *Plinium* H. N. Lib. XII. c. 14. Sabis erat sine (6.) dubio eorum *Bacchus*, *Uranus*, *Jupiter* aut *Sabasius*, qui unum Numen sunt. Numina enim Arabum constanter duo memorantur; Deus *Uranus*, qui & aliis nominibus notus: Deáque *Urania*, seu Venus. Simillimum ergo vero est *Sabin* eumdem fuisse ac *Sabazium*, (7.) quod corruptum ex *Tsebaoth*, quod passim in Scriptura, ut Epithetum veri Dei occurrit. Credibile est ut nomen: ita & solutionem Decimarum à (8.) vicinis Hebræis ad eos transiisse; quemadmodum Carthaginienses similia acceperant à conditoribus suis Phœnicibus, qui eodem sermone utebantur ac Hebræi, & multùm cum iis versabantur. Non incredibile etiam est antiquissimum & notissimum exemplum Abrahami (9.) initium fecisse consuetudini cùm Orientalium, tum Europæorum decimæ partis spoliorum consecrandæ; neque enim nunc primùm animadversum est antiquissimas Hebræorum consuetudines apud Ethnicos fuisse observatas, quamvis pro temporibus & locis variarent. Decimarum solutionis, quæ postremis temporibus inter Mohammedanos viguit, origo ad Legem Mosaïcam referenda est, quàm illi quasi divinam admittunt; sed hanc solutionem observant, prout Mohammedi visum est, atque ex Theologorum suorum placitis. Hoc in loco, memorare licet quod ait *Eudemus*, apud Ælianum Lib. IV. c. 53. nescio quas feras Africanas, semper dividere prædam suam in undecim partes, undecima tantùm vesci, & relinquere ceteras decem *ὡς ἀπαρχήν τινα, ἢ δεκάτην, quasi primitias quasdam, aut decimas.* Cujus rei fides sit penes auctorem.

Curæ Secundæ ad Sect. III.

Multis Decimarum solvendarum consuetudinem, ex Scriptoribus Græcis & Romanis, exposuimus, & quidem copiosiùs, quàm umquam antea ab ullo factum fuisset. Quamvis nimis multi, pertinaciâ aut ignorantiâ cæci, rem videre se negent, ostendimus quid credi oporteat de solutione generali Decimarum, collecta ex loco corrupto *Festi*, aut potiùs *Pauli Diaconi*, & quatenus patuerit; neque quisquam Lector, judicio præditus, de loci depravatione dubitabit. Quicumque norunt rationem scribendi quam *Festus* sequutus est, (quæ colligenda ex iis quæ sequuntur XI. Librum, ubi ipsa ejus verba partim etiamnum exstant) numquam sibi persuadebunt eum ita rem tradidisse: *decima quæque Veteres Diis suis offerebant.* In omnibus aliis adcuratior est, neque umquam *Deos*, aut *quæque* generaliter dixisset. At mirum non fuit *Paulum Diaconum*, qui sub Carolo Magno imperitè eum contraxit, rem ita extulisse; cùm illâ suâ detruncatione, ut docti norunt, non levem injuriam posteris fecerit. *Jos. Scaligeri*, in Ep. ad J. Monlucium, judicio fuit *homo confidentissimus, ac, uti res ipsa docet, ineptissimus.* Si ita se gessisset erga Festum, ut *Festus* se gesserat erga *Verrium Flaccum*, res ferri potuisset; quamvis enim *Festi* operâ multa *Flacci* perierint, attamen adparet eum quæ ex *Flacco* profert non sine judicio & diligentia contraxisse. Verùm *Paulus*, quem alioqui fateor virum magnæ lectionis, & eruditionis non spernendæ pro iis temporibus fuisse, non modò hîc, prout conjicimus, sed & in aliis locis manifestò ita extulit res hujusmodi, hoc est, quæ spectant ad Theologiam & ritus Ethnicorum, ut nisi ipsius *Festi* verba superessent, universam posteritatem perpetuò fefellisset. Nemo negarit, qui legerit quæ habet de vocibus *Malevoli*, *Nixi Dii*, *Præclamitatores*, *Navia*, aliisque, eáque contulerit cum *Festi* reliquiis, unde ea hausit, hominem hallucinatum esse, aut infidè ejus mentem retulisse.

Ad Ethnicos quod adtinet, verum est religiosissimos eos fuisse in offerenda parte quapiam annuorum proventuum, in honorem Numinum. Sic

In §. V.

(5.) Exemplum quod magis ad rem facit adtulimus ad §. 1.

(6.) *Sine dubio* adfirmat vir summus, quod summopere dubium est. Scio *Macrobium*, aliósque nugivendulos, ut *πολυθεότητα* defenderent, varia nomina ad paucissima retulisse Numina. Sed ea sunt inania figmenta, antiquissimis plerarumque gentium institutis contraria; quarum unaquæque Deum suum habebat, sæpe conditorem suum, aut hominem alium in Deorum numerum relatum. Qui tamen hic dicitur *Sabis*, videtur *sol* fuisse, ut *Sabis* sit pro שמש *schemesch*. Vide *Sam. Bochartum* in Phaleg. Lib. II. c. 17.

(7.) Imò verò Bacchus dictus est *Sabazius* à סבא *inebriavit*. Clamores orgiis Bacchi audiri adsueti *Evæ Saboe*, sunt Hebraica אבי כבאי, hoc est, *beus ebrie*. Vide eumdem Chanaan. Lib. I. c. 18. Qui omnia deducunt ab imitatione Hebræorum, ii statuunt Hebræos populorum omnium Orientis fuisse antiquissimos, quod falsum est; cùm Scriptura doceat Chananæos, Syros ad utramque ripam Euphratis, Ægyptios, Arabas & multos alios populos vicinos sedes certas babuisse & Respublicas constituisse, antequàm Jacobi familia in populum crevisset. Certè si hi populi Hebræo antiquiores fuerunt, suas consuetudines, suáque instituta habuerunt, antequàm audiretur populi Hebræi nomen; eorumque exemplum faciliùs Hebræi posteriores sequi potuerunt, quàm ipsi Hebræorum. Verùm hac de re hic non agemus.

(8.) Hæc confutavit *Joan. Spencerus* in Diss. de Decimis Sect. 2.

(9.) Initium fecisse consuetudini solvendarum Decimarum Abrahamum credibile non est, sed potiùs morem inter Chananæos receptum observasse. Profectò

Sic Attica lex primùm, ut fama est, à Triptolemo condita, dein à Dracone confirmata, jubebat *Θεὸς κάρποις ἀγάλλειν bonorare Deos fructibus.* Vide *Hermippum*, apud *Porphyrium* de Abst. Lib. IV. Idem satis constat ex *Thalysiis*, quod festum proximè post messem celebrabatur, ubi in honorem Cereris multos fructus absumebant, ut discere est ex *Theocriti* Idyll. V. ejúsque *Scholiaste*; ex *Alois*, in quibus similia sacra fiebant ei & Baccho, ut docet *Eustathius* ad Iliad. Α. denique ex variis *Dionysiis*. Quæ omnia festa non exiguam partem vini & tritici absumebant, ut jam alia minora hanc in rem omittamus.

Romani etiam libentissimè partem tritici & vini Diis suis consecrabant; ut videre licuit ex eorum *Sacrimis*, hoc est, primitiis musti, quas in honorem Bacchi effundebant; ex *Calpare*, sive primo & præstantissimo vino, quod *Jovi Dapali* consecrabatur; ex *Præmesso*, vel *præmetio*, ante messem, & *Floriferto*, post messem, consecrato in honorem Cereris utroque; aliisque similibus cùm Cereri, tum etiam Jovi, Jano & Baccho sacris; ut omittamus *Robigalia*, *Solitaurilia* aliáque idgenus. Verum harum omnium consecrationum modus, & ratio ex domini voluntate pendebat; atque hoc disertè significabatur verbis conceptis, quæ in musto offerendo dicebantur: *Macte*, aut *Mactus Jupiter hoc vino inferio esto*, nam *vinum inferium* est vinum quod infertur. Vide *Catonem* de R. R. c. 132. Atque hoc verbum *eâ causâ est additum*, ut docet *Trebatius* apud *Arnobium* adversùs Gentes Lib. VII. *eáque ratione profertur, ne vinum omne omnino quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus illud quod effunditur promtum est, esse sacrum incipiat, & ex usibus eripiatur humanis.* Addito ergo hoc verbo, solum erat quod offerebatur sacrum, nec religione obligabatur ceterum. Quâ de causâ, ita Ethnicos ritus *Arnobius* irridet: *Mactus hoc vino inferio esto, quid est aliud quàm dicere: Tantùm esto mactus, quantùm volo*; tantùm amplificatus, quantùm jubeo; *tantùm honoris adsumito, quantùm te habere decerno, & verborum circumscriptione definio? O Deorum sublimitas præpotens, quam venerari, quam colere officiis omnibus cærimonialibus debeas, cui legem venerator imponit, quam cum pactionibus adorat & formulis, quæ per unius formidinem verbi ab immodicis vini cupiditatibus arcetur!*

Nulla in his mentio Decimæ, aut certæ cujuspiam partis. Decima interdum duntaxat solvebatur, prout ei videbatur cui res feliciter cesserat (10.) seu, ut loquitur Servius ad Æneid. VIII, 362. *re bene gestâ*. Sic *Hersennus in prima adolescentia Tibicen postquàm arti suæ diffisus est, mercaturam instituit; bene re gestâ, decimam Herculi dicavit.* [Hæc *Servius* ex *Massurio Sabino*. Vide *Macrobii* Saturn. Lib. III. c. 6.] Consecratio hujusmodi solebat sollemnibus ritibus fieri, inter Romanos, apud Aram Maximam, non procul à Foro Boario. In hac Ara quidam dicebant, ut refert *Dionysius* Halicarnasseus Ant. Rom. Lib. I. sed fabulosè, quales sunt pleræque hujus rei circumstantiæ, Herculem ipsum solvisse Decimam eorum quæ Caco abstulerat, in festo sollemni, cum Evandro & aliis, à quibus propterea cultus est. In hac ipsa Ara, *δεκατεύσεις χρημάτων*, ait *Dionysius*, *γίνονται συχναὶ κατ' εὐχὰς, decimationes opum frequentes ex voto fiunt.* Ea vota plerumque solvebantur, expensis in Numinis honorem factis, dum festi dies celebrantur; qui repetebantur, donec persolutum esset votum, ab hominibus religiosis decimo quoque die. Diebus ita divisis, hilarè solvebatur votum, quia commodiùs convivabantur; convivæ verò domum dimittebantur laureâ, in honorem Dei, redimiti. Sic intelligo verba *Varronis*, apud *Macrobium* Saturn. Lib. III. c. XII. *Majores solitos Decimam Herculi vovere, nec decem dies intermittere, quin pollucerent, ac populum ἀσύμβολον cum corona laurea dimitterent cubitum.* Ad hoc festorum genus pertinebant convivia Orestis, de quibus *Cicero* de Officiis, Lib. II. c. 17. *Oresti nuper prandia in semitis, Decumæ nomine, magno honori fuerunt.* Videntur vota cùm ex lucris, tum ex hostilibus spoliis ei consecrata fuisse, quòd bello præesset, simúlque esset *ἀλεξίκακος averruncus.* Nam certum est, non tantùm in vetere Romanorum Mythologia, aut Theologia, Herculem pro Marte habitum, (quod constat ex *Saliaribus* sacris quæ promiscuè Herculi aut Marti, (11.) uni quippe Numini, duabus indigetato adpellationibus, fiebant) sed etiam in antiquissi-

fectò parum est verisimile numerosissimas Chananæorum gentes, quæ sua instituta sine dubio, ante natum Abrahamum, habebant, eáque, ut apud omnes Gentes solet fieri, magni faciebant, exemplum sibi unius familiæ, paucis tunc notæ, proposuisse, ut id imitarentur. Probè novi Abrahami familiam ob posteros, & præsertim ob Christum ex ea ortum, longè nobilissimam esse, & ceteris omnibus à nobis anteferendam; sed vicini, eorum quæ postea contigerunt ignari, non tanti eam faciebant, præsertim antiquissimo ævo, ut quique ad ejus exemplum se componerent. Videtur quidem honorificentius esse ei familiæ, si eam statuamus ceteris exemplar fuisse; at quærendum quid sit verum, non quid honorificum. Constat autem ex Historia Sacra Hebræos haud paullò libentiùs sequutos esse exemplum vicinorum, quàm vicinos Hebræorum. Quàm sæpe enim ad Idololatriam & malos finitimorum mores defecere Hebræi, à temporibus Mosis? At nulla vicina Gens religionem Hebræorum imitata est. Verum quidem est primos Patriarchas non fuisse Idololatras, atque ea in re populorum, inter quos versabantur, mores sprevisse; sed in rebus *ἀδιαφόροις* non video cur alios non potuerint imitari. Sed manum de Tabula.

Ad Curas Secundas..

(10.) Hic locus *Servii* bis, in ora Anglici Exemplaris, sic absurdè laudatur: *Servius ad Æneid.* 8. *commate* 30.

(11.) Non fuit unum Numen, quod nunc *Mars*, nunc *Hercules* diceretur. Prior enim fuit Numen Græcum ex Thraciæ montibus הרי vel הררי barari *homo montanus*, ut constat ex iis quæ Poëtæ omnes de Marte dicunt; posterior vero, ut diximus, Tyrius Deus הרכל *barochel*, aut הרכלי *barocheli*, Ἡρακλῆς, qua de re aliquando fortè adcuratiùs agemus. Sed quia uterque fortitudine excelluisse credebatur, ideò conjungebantur. Non moror *Macrobii* ineptias, qui Martem & Herculem, non modò idem Numen, sed Solem esse contendebat.

(12.) Op-

quissima Astronomia, in qua *Martis* Planeta vocabatur etiam (12.) *Herculis*, ut docet *Plinius* H. N. Lib. II. c. 8. neque id modò apud Chaldæos, ut temerè adfirmat *Macrobius*, sed & apud Ægyptios, à quibus rerum cœlestium cognitio in Europam derivata fuerat. Quamvis enim discamus ex Vet. Glossario, quod ad calcem notarum *Jos. Scaligeri* in *Manilium*, Martem vocatum fuisse ab Ægyptiis πυρόεντα, Ægyptiis, nimirum, septemtrionalibus circa Alexandriam, ubi Græcus sermo usitatus erat, antequàm Romanum Imperium eò perveniret, & postquàm ad ea loca prolatum fuerat; quamvis etiam *Vettius Valens* Antiochenus Lib. VI. Anthol. M. S., cujus verba reperiuntur in *Syntag.* I. *de Diis Syris Cap.* VI. dicat eum ab iis vocatum fuisse Ἄρτη, non Ἄρη; attamen *Achilles Tatius*, homo Ægyptius, in Arati Phænomena, disertè ait πυρόεις esse Græcum nomen *Martis*, sed in Ægypto vocatum fuisse *Stellam Herculis*. Sic scriptor libri de Mundo, qui *Aristoteli* adscribitur: Πυρόεις ὁ Ἡρακλέους τε καὶ Ἄρεως προσαγορευόμενος, *Pyrois qui vocatur Herculis & Martis stella*. Qua de causa *Apuleius*, quòd Herculis nomen non ita vulgò notum esset, sic de ea loquitur: *quam multi Herculis, plures Martis stellam vocant*. Idem ostendunt tituli, quibus in veteribus Inscriptionibus ornatur, *invicto*, *victori*, *defensori*, *pollenti*, aliique, qui proprii sunt Martis. His ac similibus nominibus ornatus colebatur, in omnibus ferè urbibus Italiæ, ut docet *Dionysius Halicarnass.* Ant. Rom. Lib. I.

Mallem hinc *Varro* deduxisset rationem, ob quam Hercules *Victor* dicebatur, quàm ex ridiculo hoc commento, quod ex eo habet *Servius*, ad Æneid. VIII. v. 362. *quod omne genus animalium decies vicerit*. (13.) Si dixisset ideò Decimas ei fuisse sacratas, quòd *decies vicisset*, rem credibilem & rationi consentaneam dixisset. Profectò mirum est virum reconditæ eruditionis, nec exigui acuminis, denique *togatorum doctissimum* sæpe usque adeò pueriliter labi, & tam absonas procudere Etymologias. Sed de Hercule satis.

Præter id quod de maritimis Pelasgis dictum est §. 1. qui in interioribus agris, in Umbria, nimirum, sedes ceperant, cum sterilitate laborarent, voverunt δεκάτας τῶν ἀεὶ γενησομένων ἁπάντων *decimas omnium eorum, quæ proventura erant*, Jovi, Apollini & Cabiris, eásque solverunt. Sed moniti sunt Apollinis oraculo votum non esse persolutum, nisi Decimam liberorum suorum mactassent, quod etiam fecerunt. Hæc *Myrsilus Lesbius*, apud *Dionysium* Halicarnasseum Ant. Rom. Lib. I. Quæ historia memoratur etiam ab *Eusebio*, in Orat. de Laudibus Constantini.


Expositâ verò Decimarum inter Ethnicos ratione, videre licet quàm bene ii colligant; qui hinc consectarium ducunt, ut ex Lege Naturæ vel Gentium, quasi ejusmodi Lege inter Ethnicos solutio Decimarum perpetua, aut ad quam cogi possent coloni, fuisset instituta.

(12.) Optandum esset nomina ipsa, quibus utebantur Chaldæi, & Ægypti suis Linguis loquentes, fuisse à vetere Scriptore servata; nam ex Græculorum interpretationibus nihil possumus colligere. Inepta gens passim barbarorum Diis nomina suorum, ob levem similitudinem, imponit, & omnia sic miscet.

(13.) Vocula *decies* videtur irrepsisse in locum *Varronis* à Servio adlatum, nam non legitur apud *Macrobium* Saturn. Lib. III. c. 6. ubi ita profertur: *Varro Divinarum* Lib. IV. *victorem Herculem putat dictum, quòd omne genus animalium vicerit.*


F I N I S.

T A-



ASIATICA.
SCYTHIA INTRA IMAUM.
MARE CASPIUM.
HISPANIA.
AFRICÆ PARS
SINUS PERSICUS.
CARMANIA DESERTA
CARMANIÆ PARS
PARTHIA.
HYRCANIÆ PARS.
MARGIANA.
PERSIS.
Sachalites Sinus.
MARE
INDICUM
Homeritæ.
Sapharitæ
Chatramotitæ vel Adramitæ
Abasem regio aromatifera.
Catanitæ a Conditore Kahtan seu Joctan
Chaldæa
Sagartii
Caspiæ portæ
Albania


63
67
68
ים אחרון
M
A
Jordanis
SICHONIS
REGNUM.
Abel
42
Campestria Moabi.
Arnon torrens
מלח ים
MARE SALSUM.
MOABITIS
41 Nabaron
Almon
Zored torrens
39 Dibongad
38
Tsohar
37
Oboth
36
Phunon
35
Tsalmonah
34
DOM.
Tsin
AEGYPTUS.
Tanis
Neb. צען
Tsoban
Nilus seu fluvius Aegypti.
MADIANITIS
1 Rahmeses
2 Succhoth
3 Etham
Migdol
Phihachiroth
20 Schepher
21 Charadah
22 Makheloth
23 Thachath
24 Tharach
5 Mithka
armonah
32
31
30
29
28



65 69

34

TABUL
TERRAE SAN
in usum eorum
PENTATEUC
Legunt

mascus

MAHACHATHAEI.

Chatsar-benan

Ijedad

Ziphron

KADMONAEI.

Jairis villæ

Sepham

אחרון

Rabla

33

Ain

OCCIDE

Rabba

Rabba

HAMMONITIS

MAR

Galaad Mons

ARABIA DESERTA

32

ECHOTH
DESERTUM.

P

Hatsmon

DIANITIS.

Addar

AMOR

31

HAMALEKI

65 69

TABULÆ CHRONOLOGICÆ
IN HISTORIAM
QUATUOR POSTERIORUM
LIBRORUM MOSIS

Quæ ad certum annum referri non potuere Asterisco notata sunt.

Anni Mundi.	
*	Jokebeda filia Levis, Mosis mater, in Ægypto nascitur, Exod. VI, 20. Ibidem nascitur Hamramus è Kehatho Levis filio, Ib. VI, 18.
2332	LEVIS in Ægypto natus 137 annos moritur, Ibid. VI, 16. *a*
*	Jokebedam uxorem ducit Hamramus, Exod. VI, 20.
2365	AHARON ex Jokebeda Hamramo nascitur, Ibid. VI, 20. VII, 7.
*	Edictum Regis Ægypti promulgatur de occidendis pueris, qui posthac apud Hebræos nascerentur, Exod. I, 15. *b.*
2368	MOSES nascitur, Exod. II, 2.
2408	Quadraginta annos natus Ægyptium, qui Israëlitam male habebat, interficit, aufugitque in Madianitidem, Exod. II, 11. *& seqq. c.*
2409	Chalebus Jephunnæ filius natus est, 40. annis antequàm à Mose mitteretur ad explorandam Chananæam, Jos. XIV, 7, 10.
1448 *Anno Primo ab exitu ex Ægypto*	Moses, cùm pasceret greges Jethronis, à Deo jubetur redire in Ægyptum, Exod. III, v. 1. *& seqq.* Eodem anno miracula edit in Ægypto, vernâ tempestate (Exod. V. *& seqq.*) Mensibus sexto & septimo. Mensis septimi, qui postea PRIMUS in anno sacro Hebræorum, die 14. mactatum est Pascha, & convivium paschale celebratum, Exod. Cap. XII, 11, 12. Die 15. sub mediam noctem, Israelitæ viam deserti, ex inferiore Ægypto, ineunt, Ib. XII, 29. *& seqq.* I. Mansio fuit *Rameses*, quæ à Josepho olim Israëli ejúsque familiæ data fuerat, Gen. XLVII, 11. II. *Succhoth*, Exod. XII, 37. III. *Etham* in extremo Troglodytarum deserto, Ib. XIII, 20, 21. IV. *Phi-hachiroth*, ad mare Rubrum (Ib. XIV, 2.) unde mari trajecto ad orientale ejus littus pervenerunt, Exod. Capp. XIV, & XV. V. *Marah*, quò post tridui à mari iter, pervenerunt, Exod. XV, 23. VI. *Elim*, Exod. XV, 27. Num. XXXIII, 9. VII. *Mare rubrum*, Num. XXXIII, 19. SECUNDI Mensis 15 die pervenerunt Israëlitæ ad aliam mansionem quæ fuit VIII. *Sin* desertum, ubi primùm Manna depluit, Exod. XVI, 1. IX. *Dophkah*, Num. XXXIII, 12. X. *Alus*, Ib. v. 13. XI. *Rephidim*, ubi confremuit populus, ob aquæ penuriam, Exod. XVII, 1. Hîc relata est victoria de Hamalekitis, Ibid. TERTII Mensis 15 die, pervenerunt Israëlitæ ad aliam mansionem, quæ fuit XII. *Sinai*, ubi lex data est, Exod. XIX. *& seqq.* Moses jussu Dei in Sinain adscendit, ubi per quadraginta dies remansit, Exod. XXIV, v. 9. *& seqq.* QUARTI Mensis instante fine aut paullò pòst, quadraginta diebus exactis, Moses è monte in castra rediit, ob conflatum vitulum aureum, Exod. XXXII, 1. *& seqq.* Rediit in montem, ubi iterum per quadraginta dies commoratus est, Exod. XXXIV, vers. 27. SEXTO Mense, ex monte rediit, Ibid. Censetur populus Hebræus, Exod. XXXVIII, 25. & confert quæ ad Tabernaculum, vasáque sacra conficienda necessaria erant. Opifices iis conficiendis incumbunt, Exod. Cap. XXXVI, 1. *& seqq.*
2449	PRIMI Mensis die 1. Tabernaculum Conventûs statuitur, unde in posterum Deus Mosem alloquutus est, Exod. XL, 2. *& seqq.* Ejusdem Mensis die 14. Pascha in Deserto celebratur, Num. IX, 1.

Anni Mundi.

Secundo Anno ab exitu ex Ægypto

Secundi Mensis die 1. secundus census fit Israëlitarum, exceptis Levitis, & Levitæ Tabernaculo præficiuntur, Num. I, 1. & seqq.
Moses Tabernaculum & omnia vasa sacra ritibus à Deo præscriptis consecrat, ut & Aharonem ejúsque filios, ut sint Sacerdotes populi Hebræi, Levit. VIII.
Ordo servandus in castris ponendis, & profectionibus edicitur, Num. c. II.
Levitæ, à mensem unum natis, censentur, Num. III, 3. & seqq.
Deo peculiarem in modum consecrantur, Num. VIII, 5.
Ab annos triginta natis numerantur, Num. IV.
Immundi omnes è castris ejiciuntur, Num. V.
Feruntur aliæ leges quæ eo Capite & sequente exstant.
Consecratione Aharonis absolutâ, intra septiduum, die octavo, sacra facit Aharon cum filiis, Levit. IX. Nadab & Abihu, quòd igne alieno suffitum accendissent, igne divinitus emisso exstinguuntur, Levit. X. Qua ex occasione feruntur Leges, quæ eo Capite habentur.
Principes Tribuum, nomine totius Israëlis, & singularum Tribuum donaria & victimas per duodecim dies offerunt, Num. Cap. V, 11.
Hujus Mensis 14 Die Pascha celebrarunt, qui tempore præstituto Paschatis immundi fuerant, Num. IX.
Blasphemus extra castra, Dei jussu, lapidibus obruitur, Levit. XXIV, v. 10.
Leges quæ leguntur XVII. postremis Levitici Capp. hoc mense latæ videntur.
Tubas argenteas duas fieri jubet Deus, de quibus Num. X.
Jethro Mosis socer, circa hoc tempus, Mosem invisit, uxorémque & filios ad eum adducit. Tum de Judicibus constituendis consilium dat genero, Exod. XVIII. collato cum Deut. I, 9. & seqq. & Num. X, 29.
Hujus Mensis die 20. jubentur Israëlitæ castra ad Septemtrionem movere, Num. X, 11, 12. postquàm ferè per annum ad Sinain consedissent. Tridui itinere in Pharanicam solitudinem pervenerunt, Ibid. 12, 13.
XIII. *Kibroth-thaavah* fuit decima tertia mansio, Num, XXXIII, 16.
Eo in loco frementes Israëlitæ plectuntur, Num. XI, 1. & seqq.
LXX. Viri spiritu prophetico, ad breve tempus, donantur, ut fremitus populi coërceant, Ib. 10. & seqq.
Hic Deus populo Hebræo Coturnices in integrum mensem suppeditavit, Num. XI, vers. 32.
XIV. *Chatseroth* fuit decima quarta mansio, Ibid. 35. & Cap. XXXIII, 13.
Hic Aharon & Mirjama in fratrem Mosem confremuerunt, Num. XII.
XV. *Rithma* in Pharanico deserto, non procul à Kades-barneha, Num. XII, 16. XIII, 26. XXXIII, 18.
Quinto Mense, ex Pharanico deserto, mittuntur exploratores duodecim in Chananæam, Num. XIII, 2. & seqq.
Sexto, post quadraginta dies, redierunt exploratores, quorum decem deterrent populum, ne possessionem terræ Chananææ adeat, Num. XIII, XIV. d.
Nascuntur hinc fremitus, propter quos viginti annis superiores, paucis exceptis, mori in deserto obeundæ damnantur Num. XIV, 22. & seqq.
Jubentur Hebræi castra movere ad Austrum, ut redeant ad Mare Rubrum, quo præcepto violato, cæduntur à Chananæis. Num. XIV, 40.
Diu morantur in Pharanico deserto, Deut. I, 46. quo fortè in loco contigerunt quæcumque habentur Num. Cap. XV, & quatuor sequentibus.

2450 ad 2486 Annis sequentibus

Converso ad Austrum agmine, Hebræi in Arabia vagati sunt per 38 annos, & in sequentibus mansionibus potissimùm commorati sunt, quot mensibus aut quot annis non liquet.
* XVI. *Rimmon-pherets*, Num. XXXIII, 19. & seqq.
* XVII. *Libnah.*
* XVIII. *Rissah.*
* XIX. *Kehelathah.*
* XX. *Mons-schepher.*
* XXI. *Charadah.*
* XXII. *Makheloth.*
* XXIII. *Thachath.*
* XXIV. *Tharach.*
* XXV. *Mithkah.*
* XXVI. *Chasmonah.*
* XXVII. *Moseroth.*
* XXVIII. *Bene jabakan.*
* XXIX. *Chor-gidgad.*
* XXX. *Jotbatha.*

* XXXI. *He-*

Anni Mundi.

* XXXI. *Habrona.*
* XXXII. *Hetsjongeber.*

2486 Jussi sunt Israëlitæ Hetsjongebero ad Austrum proficisci, ut Chananææ terræ possessionem adirent. Deut. II, 2. & *seqq.*

2487 Anno Exodi quadragesimo, Mense PRIMO, redierunt Hebræi
XXXIII. *Kades-barneam*, aut *Kadesum*, Num. XX, 1. XXXIII, 36.
Illic moritur Maria, Num. XXI, 1.
Fremit populus, Deúsque Mosi & Aharoni indignatur. Num. XX.
XXXIV. *Hor* mons, in quo obiit Aharon, Mense QUINTO, die 1 Num. XX, vers. 23. XXXIII, 38. ubi, per totum Mensem, eum Hebræus populus luxit, Num. XX, 29.
SEXTO Mense Israëlitæ primùm victi à Rege Haradensium, deinde eum vincunt. Num. XXI, 1, 2, 3. XXXIII, 40.
Hinc, circumacta Idumæa, in Moabitidem iverunt, ad Orientem. Num. XXXV. *Tsalmonah* fuit trigesima quinta mansio, ubi Chersydris infestati sunt Hebræi, Num. XXI, 5.
XXXVI. *Phunon*, Num. XXXIII, 42.
XXXVII. *Oboth*, Num. XXI, 10. XXXIII, 43.
XXXVIII. *Cumuli-Habarim*, ad ortum Moabitidis, Num. XXXIII, 44.
Zeredum torrentem trajecit populus Hebræus, anno 38. postquàm exploratores in Chananæam misisset. Deut. II, 13, 16.
XXXIX. *Dibon-gad.* Num. XXXIII, 5.
XL. *Halmon-diblathaim.* Num. XXXIII, 46.
XLI. *Montes Habarimorum.* Num. XXXIII, 47.
E Kedemotharum deserto, Moses legatos mittit ad Sichonem Emoræorum Regem, ad petendum transitum per ejus regnum; qui, cùm armatus occurrisset Israëlitis, cæditur, & omnibus agris exuitur. Num. XXI, 21. Deut. II, 24.
Postea similiter cæditur Hogus Basanitidis Rex, ejúsque regnum ab Israëlitis occupatur. Num. XXI, 33. & *seqq.* Deut. III, 1. & *seqq.*
His relatis victoriis, Israëlitæ castra ponunt in campis Moabiticis, è regione Jerichuntis. Num. XXII, 1. XXXIII, 48, 49.
XLII. *Sittim* vel *Abel-sittim.* Num. XXXIII, 49.
Dum hic castra haberent Hebræi, Balakus Moabitarum Rex conatur, per Balahamum, diris eos devovere. Vide Num. XXII, XXIII, & XXIV.
Populus Hebræus à puellis Madianitidibus ad peccandum allicitur. Phinchasus occidit Zimrin & Cozbin. Num. XXV.
Tertiùs census populi Hebræi fit à Mose & Eleazaré. Num. XXVI.
Tselophehadi filiabus prædium paternum promittitur. Num. XXVII, 1.
Mosi successor Josua designatur. Num. XXVII, 12. & *seqq.*
Madianitis bellum infertur. Num. XXXI.
Regna Sichonis & Hogi dividuntur Rubenitis, Gaditis, ac dimidiæ Tribui Manassæ. Num. XXXII. Deut. III, 12.
Deus varias leges fert, quæ exstant Num. Capp. XXXIII, XXXIV. & XXXV.
UNDECIMI Mensis die primo, Moses populum convocat, atque ad eum orationes habet, quæ exstant in Deuteronomio. Deut. I, 1, 3, 6.
Instaurat fœdus cum Israëlitis, Deut. C. XXIX. & scriptas Leges Sacerdotibus servandas tradit. C. XXXI. Canticum iis adjicit, quod exstat Deut. Cap. XXX. Novissima verba ad Israëlitas habet. C. XXXIII.
DUODECIMO Mense in Nebuutico jugo moritur, & per triginta dies à toto populo Hebræo lugetur. Deut. XXXIV.

Anno ab exitu ex Ægypto Quadragesimo.

N O T U L Æ
I N
SUPERIORES TABULAS.

a. LEvis videtur fuisse quinquennio ætate major Josepho, ut diximus ad Tab. in Gen. num. 4. ideóque cùm 137 annos vixerit, seu 22 superstes Josepho fuerit, hoc anno mortuus est.

b. Edictum hoc promulgari debuit inter dies natales Aharonis & Mosis, hoc est, intra triennium, quod intercessit; alioqui Jokebeda æquè anxia fuisset de Aharone, ac de Mose.


c. Vide ad Exod. II, 11.

d. Cùm exploratores uvas, mala punica & ficus adtulisse dicantur Num. XIII, 23. hinc meritò colligunt Chronologi institisse Mensem septimum, quandoquidem paullò ante Tabernaculorum festum, quod 15. die illius Mensis celebrabatur, fructus ex area & torculari colligebantur. Lev. XXIII, 39. Deut. XVI, 13.

Cetera quæ huc pertinent, ad singula loca in Commentario dicta, à nobis hic non repetentur.

APPENDICIS
COMMENTARII IN IV. POSTERIORES MOSIS LIBROS.

FINIS.



I N-

INDEX I.

VOCUM HEBRAICARUM

Quæ aut copiosiùs, aut novè exponuntur, in Commentario in Pentateuchum, in hac Editione auctior.

G significat Genesin, E Exodum, L Leviticum, N Numeros, D Deuteronomium,

Numeri Romani Caput, Barbari Versum.

א

ו *aut*.

ו *aut.* D. XVII, 9. passim abnndat, apud Hebræos. Gen. I, 2. XX, 16. pro *donec* Exod. XXXIV, 33. pro, *id est.* Gen. XIII, 15. interrogativum. E. XXIII, 5. *Postquàm.* G. VII, 20. E. XXXII, 4. *quamvis.* Gen. XVIII, 27. XLVIII, 14. *quando.* G. XXX, 39. *quia.* Lev. V, 1. *si.* E. III, 13. L. XIII, 3. Deut. XVII, 14.

והנה *& ecce*, aliquando vix posse Latinè exprimi. L. XIII, 4.

ויהי *& fuit*, passim abundat. G. XXXIX, 2.

ולא pro *annon.* D. XXIX, 4.

ועתה *sed.* N. XXII, 19.

ז

זבר *donare* apud veteres Hebræos, nt apud Arabas. G. XXX, 20.

זבח pro sacro salutari L. XVII, 8. Deut. XII, 6.

זבח *pecus* convivii causâ mactata. D. XVIII, 3.

זכר in Hiphil הזכיר *celebrare.* Levit. XXIII, 24. E. XX, 24.

זכר pro *nomine.* E. III, 15.

זמר *rupicapra.* D. XIV, 4.

זר *alienus* à familia quadam. L. XXII, 12. N. I, 51. III, 10.

זרוע *vires.* G. XLIX, 24.

ח

חבל *tractus* terræ, quare dictus. D. III, 13.

חבש *quærere* in Samaritico Codice. Gen. XXXI, v. 33.

חגב *Locustæ* species. L. XI, 22.

חגג *in orbem saltare*, & *festum celebrare.* E. V, 1.

חגרות *cingula* & fortè *scenæ.* G. III, 7.

חדקל *Tigris* à celeritate dictus. G. II, 14.

חובר *divini* genus, ex Arabismo. D. XVIII, 11.

חוילה *Chaalothæi* G. II, 11. X, 7.

חוילה regio Arabiæ חולאן dicta. G. X, 29.

חול *Cholobothene* Armeniæ tractus. G. X, 23.

חום *ver.* G. VIII, 22.

חוק *statutus* cibus. G. XLVII, 22. L. VII, 34.

חות *villæ*, ex Arabismo. N. XXXII, 41.

חטא in *Pihel*, *expiare*, conjunctum tam cum victima, quàm cum offerente. L. VI, 26.

חטאת quomodo distinguatur ab אשם. L. V, 16.

חטאת in hac phrasi מי חטאת *aqua lustralis.* Num. VIII, 7.

חי *vitæ vestræ consulite.* G. XLII, 17.

חיות *vegetæ.* E. I, 19.

חיל *opes.* D. VIII, 18.

חית pro quavis quadrupede. G. I, 29.

חיתו *fera*, abundante *Vau.* G. I, 24.

חכמי לב *sapientes corde*, id est, periti. Exod. XXVIII, 2.

חלב *pinguedo*, opimnm in suo genere. N. XVIII, v. 12.

חלבנה סמים *galbanum aromaticum.* E. XXX, 34.

חלד *Talpa.* L. XI, 29.

חללה puella *cui vitium oblatum.* L. XXI, 7.

חמד non modò *concupiscere*, sed etiam *invadere.* E. XX, 17. Deut. VII, 25.

חמט *Lacertæ* species. L. XI, 30.

חמנים *Solis ædes.* L. XXVI, 30.

חמס *injuria* quævis. G. VI, 13.

חמת *Antiochia* & *Epiphania* G. X, 17.

חמשים *homines quintæ generationis.* E. XIII, 18.

חניך *armatus.* G. XIV, 14.

חנוך *Henoch*, unde sic dictus. *Diss.* de L. H. §. II.

חסד *crimen probrosum.* L. XIX, 17.

חסד non semper *misericordia*, sed sæpe *benignitas.* G. XXI, 23. XXIV, 27.

חסידה *Ciconia.* L. XI, 19.

חפף *portum tenere.* D. XXXIII, 12.

חצר-מות regio thurifera Arabiæ. G. X, 26.

חרגל *Locustæ* species. L. XI, 22.

חרום *mutilus*, ex Arabismo. L. XXI, 18.

חרט *cælum*, ex Arabismo, & Syrismo. Exod. XXXII, 4.

חרטמים *occultorum inspectores*, sic dicti Ægyptii sapientes. G. XLI, 8.

חרם exitio devotum quare dicatnr. D. VII, 26.

חרם res ita *devota*, nt redimi nequeat. L. XXVII, v. 21.

חרמון *Hhermon* ita dictns Antilibanns à Chananæis, voce quæ significat *montem*, nam חרמן *hharmon* est mons excelsus, apud Arabas. D. III, 9.

חרף *autumnus.* G. VIII, 22.

חשב *textura polymita.* Exod. XXVII, vers. 28. XXIX, 5.

חשב *polymitarius*, ex Arabismo. E. XXVI, 1.

חשן *pectorale.* E. XXV, 6.

חשקים *virgæ* ad conjungendas columnas Atrii. E. XXVII, 10.

חתם in Hiphil החתים *desinere* L. XV, 2.

ט

טבחים *milites.* G. XXXVII, 36. qnis in Ægypto שר טבחים. *Ibid.*

טוב *faustus.* G. XL, 16. *formosus.* E. II, 2. *pinguis.* G. XVIII, 7.

טוטפות *frontale*, unde deducendnm. E. XIII, 16.

טהרה *illucens* de candelabro. E. XXXI, 8.

טליא *maculis respersus.* G. XXX, 32.

טף ex Arabismo, *impuberes.* G. XXXIV, 29.

טרם *antequàm*, præterito & futuro præfigitur. G. I, 1. pro בטרם G. II, 5.

י

י majusculum qnare. N. XIV, 17.

י in fine nominum abundans. G. XLIX, 11.

יבלת *myrmeciis laborans.* L. XXI, 22.

יבם *propinquitatis jure ducere.* G. XXXVIII, 8.

יה an sit compendium vocis יהוה E. XV, 2.

יהוה nomen hoc Dei non fuisse notnm ante Mosem; desiisse extremis temporibus Reip. Judaicæ efferri, & ejus loco *Domini* appellationem substitntam; prolationem ejus veram esse *Jahvoh*; eo non significari æternitatem; E. III, 15. sed enm qni facit nt res quas promisit sint. E. VI, v. 3.

יהלם quæ gemma E. XXVIII, 18.

יובב *Jobaritarum* conditor. G. X, 29.

יובל dictus à יבל *tubâ cecinit.* L. XXV, 10.

יון *Græcorum* pater. G. X, 2.

יותרת *maximus jecinoris lobus.* L. III, 3. Præter rationes adlatas, addenda auctoritas *Josephi* Ant. Jud. Lib. III. c. 9 ubi describit sacrificiorum ritus.

יחמור animal circa Euphratem frequens. Deut. XIV, 4.

יישם pro ישם G. L, 26.

ילד *natum est.* Verbum quod cum plurali jungitur. G. XLI, 50.

ילד in Hithpahel התילד *natales suos professus est.* N. I, 18.

ילפת *impetigo.* L. XXI, 20.

ים *occidens.* G. XII, 8.

ימים

ימים pro aliquot *diebus*. G. XXIV, 55.
ימים *dies* pro anno. G. IV, 3. XL, 4.
ימים pro *annis*. N. XX, 15.
ימין mundi *dextra pars*, hoc est, meridies. Exod. XXVI, 33.
ינשוף *Bubo*. L. XI, 17.
יצר *figmentum cogitationis* pro cogitatione. Gen. VI, 5. VIII, 21.
יקהה conventus. G. XLIX, 10.
יקטן *Joktan* Arabum conditor. G. X, 25.
יקע *luxari*, ex Arabismo G. XXXII, 25.
ירח *Alilæorum* Arabum conditor. G. X, 26.
ירם *clausus fuit*. N. XXII, 32.
ירכתים *extremitates*. E. XXVI, 22.
ירקרק *summopere viridis*, aut *flavus*. L. XIII, 49.
ישפה quæ gemma. E. XXVIII, 20.
יתר in Hiphil הותיר *quasi præcellentiorem se gessit*. G. XLIX, 3.
יתר *præcellentia*. G. XLIX, 3.

כ

כ solito minor. G. XXIII, 2.
כבור *opes*. G. XXXI, 1. *honorarium*. N. XXII, v. 17.
כברת certum terræ spatium non magnum. Gen. XXXV, 16.
כבשות הצאן *agnæ*. G. XXI, 28.
כהן *princeps* & *sacerdos*. G. XLI, 45.
כוח *vis* pro industria Deut. VIII, 18,
כומז *globulus*. Exod. XXXIV, 22. N. XXXII, v. 50.
כונן *instruxit*. E. XV, 17. *condere*, *instaurare*, *firmare*. D. XXXII, 6.
כוס *Onocrotalus*. L. XI, 17.
כוש *Mudianitidem* dici, non Æthiopiam. G. X, 6.
כח *Lacertæ* species. L. XI, 30.
כי sæpe abundat. G. XLIII, 9.
כי omissum. G. XII, 13. N. XIV, 14.
כי *alioqui*. Gen. XLVIII, 14. *quamvis*. E. XIII, 17. XXXIV, 9. *quando*. G. XXXI, 49. pro על כי *quapropter*. E. III, 11. *sed*. G. III, 5. *tamen*. D. XXXII, 36.
כיום הזה *aliquando*. G. XXXIX, 11.
כלאים *pecudes diversi generis*. L. XIX, 18.
כלה *prorsus* in hac phrasi, עשה כלה, G. XVIII, 21.
כמוש *Sol* à celeritate dictus. N. XXI, 28.
כנגדו *instar ejus*. G. II, 18.
כנף *ala* pro volucri. G. VII, 14.
כנור *cytharæ*. G. XLII, 11.
כסלחים *Pentapolitæ*. Gen. X, 14. Colchos fuisse censuit *Bochartus*. *Ibid.*
כסלים *lumbi*. L. III, 3.
כסף עבר, Galliceè *argent qui passe*. G. XXIII, 16.
כסף שקלים *pretium siclorum* quid L. V, 15.
כף *acetabulum* femoris. G. XXXII, 25.
כף *quidquid est cavum* & speciatim nubes. Exod. XXXIII, 22.
כפרת *operculum*, ex *Arabismo*, non propitiatorium. E. XXV, 17.
כעת מחר *crus hac horâ*. Exod. IX, 18.
כפתור non dictam *Cappadociam*, ut putabat *Bochartus*, sed Syrtim majorem. Gen. X, v. 14. Ita dictum fuisse *malum Punicum*, quòd vicina regio Africæ iis fructibus abundaret. *Ibid.* Si constaret vetus esse nomen, quo Itali & Galli eum sinum vocant, res planè confecta esset; nam, apud Arabas, סדרה *Sidra* est malum Punicum, & is Sinus vocatur *Golfo di Sidra*. Vetus esse nomen suadet quòd Veteres circa hæc loca *Lotophagos* collocent, *Loti* autem species Arabibus סדרתון *sidraton* dicatur. Sed de hoc nomine judicium cohibeo.
כר *stratum cameli*. G. XXXI, 34.
כרובים Hac voce significari *fortes*, & *Angelos*; eos figurâ ex quatuor animalibus mistâ effictos fuisse; Ægyptiacis institutis eam originem debere; ornamenti loco additos fuisse Arcæ. E. XXV, 18.
כרית *excisionis pœna*, mortis aut exsilii. G. XVII, v. 14. Vide Indicem Latinum in *Exscindere*.
כרע propriè *crura flexit*. G. XLIX, 9.
כתים esse *Macedoniam*, non *Italiam*, ut censuit *Sam. Bochartus*. G. X, 4.
כתית *tusione expressum* oleum, sive præstantissimum. E. XXVII, 10.

ל

ל significat interdum eventum, non finem agentis Gen. XXXIX, 14. Num. XVIII, 22.
ל in לטאה minusculum. L. XI, 30.
ל & ר miscentur. L. VII, 18.
ל significat adfinitatem. L. XIII, 2.
ל *quod adtinet ad*. G. XXXI, 42.
ל subauditum. G. XLIX, 24.
לאל pro *in*. G. XXXI, 29.
לאמר *qui diceret*. G. XXXVIII, 24.
לביא *leæna*. G. XLIX, 9.
לבנה *populus alba*. G. XXX, 37.
להבים *Libyægyptii*. G. X, 13.
לו *in ejus gratiam*. N. XXVII, 21.
לוד esse *Æthiopiam*. Gen. X, 13. aliquando *Lydos*, ut vult *Bochartus*. Gen. X, 22. videri potiùs hos Semi posteros circa Euphratem sedes habuisse. *Ibid.*
לוז *amygdala*. G. XXX, 37.
לח *viror* & *vigor*. D. XXXIV, 7.
לט *ladanum*. G. XXXVII, 25.
לטאה *Lacertæ* species. L. XI, 30.
לכן malè mutatum in לא כן à Septuaginta Intt. G. IV, 15.
למו pro לו. G. IX, 26.
לעט *deglutire*. G. XXV, 30.
לעמת *è regione*, hujus particulæ Ellipsis. Num. XXII, 1.
לפניהם pro, *quàm opus est*. G. XXXIV, 21.
לרגל *progressu*. G. XXXIII, 14.
לשד *humor*. N. XI, 8.
לשם quæ gemma. E. XXVIII, 19.

מ

מ & פ miscentur. L. XI, 19.
מגד *munus pretiosum*, ex Arabismo. D. XXXIII, v. 13.
מגדנת *munus* unde. G. XXIV, 51.
מגוג *Scythia*. G. X, 2.
מדי *Media*. G. X, 2.
מוט *ferculum*. N. IV, 10.
מולדת *cognatio* pro *cognatis* G. XII, 1.
מום in hac phrasi בני מום filii maculæ. Deut. XXXII, 5.
מועד *statum tempus* & *tempestas* G. I, 14.
מור דרור *myrra sponte fluens*. E. XXX, 22.
מזוזות *postes* à זז *moveri*. E. XII, 7.
מחספס *molle*. E. XVI, 14.
מים *aqua* pro quovis humore. Levit. XI, 34.
מכנסים *femoralia* Sacerdotum qualia fuerint. E. XXVIII, 42.

מכר in Hithpahel התמכר *proftitit vendendus*. D. XXVIII,68.
מכרה *desponsatio* ex Chaldaïsmo. G. XLIX,1.
מכשף *divinus*. E. VII,11.
מלא in hac phrasi ימלא אחרי *complevit post me* quid. N. XIV, 24.
מלא *plenitudo* pro *multitudine*. Gen. XLVIII, v. 19.
מלאכה *possessio*, vel *pecudes*, ex Samaritismo. G. XXXIII,14.
מלח *sal*, *solum salsum*, *æternitas*. *Diss. de St. S.* §. II.
מלון *locus in quo pernoctatur*. G. XLII,27.
מלק *ungue elidere*. L. I,15.
ממארת *exacerbatum* vulnus, ex Arabismo. Lev. XIII,51.
ממלח *mistus*. E. XXX,35.
מן an significet *ad*. Gen. XIII, 10. *quod adtinet ad*. Gen. IV, 11. *inter*. Gen. III, 14. *procul* Gen. XXVII,39. *propter*. G. V,29. XLIX, verf. 12.
מנוח & מנוחה *locus quietis*. Gen. VIII, 9. Gen. XLIX,15.
מנחה *donarium* quodvis, & præsertim farreum. Lev. II, 1.
מס *opus* quòd fit à vectigalibus, aut servis, & ipsi homines qui opus faciunt. E I,11.
מעונן *augur* quare dictus. Lev. XIX,26.
מעיל *tunica superior*, & laxior. Exod. XXVIII,4.
מצא in Hiphil המציא *admovere*, aut *porrigere*. L. IX, 12.
מצבה quidquid erectum est. G. XXVIII, 18.
מצולות *fundum*. E. XV, 4.
מצות *azymi*, à מצץ *purus fuit*, ut observavit *Bochartus*. E. c. XII, 8. ac sanè *καθαροὺς* panes vocant Græci ab Ægyptiis in sacris adhiberi solitos. E. XXIX, 2.
מצות *præcepta* an differat à חקות & תורות Gen. XXVI, 5.
מצנפת *cidaris*, à צנף *circumvolvere*. E. XXVIII, v. 4.
מצרים *Ægyptus* superior & inferior. G. X,6.
מקנה *pecuarius*. G. IV, 20.
מקצה idem ac מן *ab*, *ex*. G. XLVII, 2.
מקרה *fluxus*. D. XXIII, 10.
מראה *visio* vox ambigua. N. XII, 8.
מש aut משך pater accolarum *Masii* montis in Mesopotamia G. X, 23.
משה apud Hebræos, ut apud Æthiopas, aliquando esse *convivari*. L. VII, 35.
משחת *pastus*, ex Æthiopismo. Levit. VII, v. 35.
משכית in hac phrasi אבן משכית *lapis adspectûs*, quid sit. L. XXVI, 1.
משל *exemplum*, *similitudo*. D. XXVIII, 37.
משלים *figurata oratione utentes*. Num. XXI, v. 27.
משלח in phrasi משלח ידים *missio manuum*, pro bonis nostris. D. XII, 7. XVI, 10.
משך *Moschi*. Gen. X, 2.
משמרת in hac phrasi שמר משמרת *curam gerere*. Num. I, 53. III, 8, 25.
משמרת, במשמרת cum cura. N. IV, 27.
משפט *jus* & *consuetudo*. E. XXI, 9.
משפתים *repagula*. G. XLIX, 14.
משק *cursitatio*, unde בן משק procurator. G. XV, v. 2.
משקף *superliminare*. E. XII, 7.
משרה mistura in qua erat vinum. Num. VI, verf. 3.

מת *mortuus*, pro morti lege damnato. Genef. XLIV, 9.

נ

נ Inversum. Num. X, 35.
נא blandiendi particula. G. XII, 11.
נא *semicoctus*, ex Arabismo. E. XII, 9.
נביא *propheta*, ea vox in desuetudinem abiit, dein in usum revocata. Gen. XX, v. 7. orta à radice Arabica נבא *nabaa*, nunciare. *Ibid.*
נדבה *spontaneum sacrum* non esse votivum. L. VII, 16.
נדה *sordes* quævis, ut 2. Paral. XXIX, 5. Levit. XII, 2. *immundities* legalis. Esd. IX, 11.
נוא in Hiphil הניא, in hac phrasi הניא לב *animum fregit*. N. XXXII, 7.
נוה in Hiphil *decorare*. E. XV, 2.
נורא *illustris*. E. XV, 11.
נזיד *pulmentum*. G. XXV, 29.
נזיר *princeps*. Gen. XLIX, 26. *separatus*. Num. VI, 2.
נזיר *vinea non putata*. L. XXV, 5.
נזם annulus quo nares trajiciebantur. G. XXIV, v. 47.
נזר *diadema*. E. XXXIX, 30. N. VI, 7.
נחש *divinare* unde. L. XIX, 26.
נחש *serpentem* non esse dictum à נחש nihhesch, *auguratus* est. G. III, 1.
נטף *stacte*. E. XXX, 34.
ניחח *placamentum*, seu victima piacularis. G. VIII, 21.
נכאת nechoth, *styrax*. G. XXXVII, 25.
נכל in *Hithpael* יתנכל *callidum consilium iniit*. G. XXXVII, 18.
נכר in Pihel *alii tribuere*, D. XXXII, 27.
נס *signum* perticâ sublatum. E. XVII, 14.
נערה *ancilla*. G. XXIV, 61.
נפילים *nephilim* latrones dictos. G. VI, 4.
נפך quæ gemma. E. XXVIII, 18.
נפל *irruere* more latronum. G. VI, 4.
נפלא *difficile est*. G. XVIII, 14.
נפש pro *voluntate*. G. XXIII, 8.
נפש חיה *anima vivens*, unâ voce *animal*. G. I, 24. II, 7.
נפתחים *Marmaricæ* incolæ. G. X, 13.
נץ *accipiter*. L. XI, 16.
נציב *statua*, *cumulus*, *præsidium militare*, *columna*, aut *immotum quid*. *Diss. de St. S.* §. II.
נקר *pungere*, *σίζειν*. G. XXX, 32.
נקוה fluere ad perpendiculum. G. I, 9.
נקי *immunis pœnæ*. G. XLIV, 10.
נשא *pati*. L. XIX, 16.
נשא עון *pœnas luere*, nullo admisso piaculo. L. V, 1.
נשא פנים *tollere faciem* alicujus, hoc est, rationem ejus habere. G. XIX, 21.
נשה *nervus coxendicis*, ex Arabismo. Genef. XXXII, 32.
נשך *usura pecuniæ*. L. XXV, 36.
נשף *aurora* unde dicta. G. III, 8.
נשר *Aquila*. L. XI, 13.
נתן *permittere*. D. XVIII, 14.

ס

סבא dicti *Sabæi* ubi sedes habuerint. G. X, 7.
סבב *fluxuoso cursu adluere*. Gen. II, 11.
סבתה *Arabiæ* felicis populi. G. X, 7.

פרעה *caput* aut *princeps*. G. XII, 15.
פרעה *dominatio*. D. XXXII, 42. ubi *caput dominationum*, pro Rege.
פרת *ramus*, unde בן פרת *filius rami*, hoc est, surculus. G. XLIX, 22.
פשון fluvium dictum à radice פשא quæ, apud Arabas, significat *manare in publicum*. Gen. II, 11.
פשע *dolus malus*. E. XXII, 8.
פתח in Hiphil הפתיח *amplificare*. G. IX, 27.
פתיל *funiculus* aut *fascia*. G. XXXIII, 18.
פתל in Niphal נפתל *arte certare*, unde נפתולים *artes*. G. XXX, 8.
פתר *interpretatio* somnii. G. XL, 16.
פתרוס *Thebais*. G. X, 14.

צ

צ majusculum quare. D. XXXII, 4.
צאן *oves & capræ*. G. XII, 16.
צב *Crocodilus terrestris*. L. XI, 29.
צבא *agmen*. E. VI, 26.
צבא *bellum gerere*. Num. XXXI, 14.
צדיק, *innocens*. Deut. XXV, 1.
צדק in Hiphil הצדיק *insontem habere*. E. XXIII, 7.
צדק in Hithpahel הצטדק *purgare se*. G. XLIV, 16.
צהר *fenestra*. Gen. VI, 16.
צור *lapis* quare Deus dicatur. D. XXX, 4.
ציצית *crines summi cranii*. L. XIX, 27.
צלצל *locusta*. D. XXVIII, 42.
צמידים *armillæ*. G. XXIV, 47.
צנומות *tritæ* spicæ, quare ita dictæ. G. XLI, 23.
צפנת פענח *occultorum revelator*. G. XLI, 45.
צעיף *velum* quo utebantur mulieres. G. XXIV, vers. 64.
צפרים *aves* quævis. L. XIV, 4.
צרי *resina*. G. XXXVII, 25.
צרעה *crabro*. E. XXIII 28.
צרר *dolorem creare*. L. XVIII, 18.

ק

ק minus quare. G. XXVII, 47.
קאת *Pelecanus*. L. XI, 18.
קבה *tonlamus*, ut Arabicè אלקבה, *alcove* Gallicè. N. XXV, 8.
קבר pro loculo in rupe excavato. G. L, 5.
קדם *antica pars* mundi, hoc est, oriens. Exod. XXVI, 33.
קדם oriens dicitur Arabia G. XXV, 6. Mesopotamia. N. XXIII, 7.
קדוש propriè *mundus*, seu sordibus non inquinatus. E. III, 5. XXVI. 33. dein Deo *consecratus*. Ibid. L. XI, 44. D. XXIII, 14.
קדה *Cassia*. E. XXX, 24.
קדים dici *ventum* quemvis *vehementem*. Dis. de M. I. traject. §. IV.
קדים ventus urens in Ægypto. G. XLI, 6.
קדש in Pihel *sanctum habere*. E. XIII, 2. XX, 8. *lustrare*. *Ib.* XIX, 10.
קדש nusquam significare *polluere*. D. XXII, 9.
קדשה *meretrix* quare ita dicta. G. XXXVIII, 21.
קול *strepitus*. G III, 8.
קור *hiems*. G. VIII, 22.
קחטן Arabum conditor. G. X, 25.
קין *Kain* unde oriatur. *Diss. de L. H.* §. II. Quomodo vocetur ab Arabibus. *Ibid.*
קיר *centrum*. N. XXXV, 4.
קיץ *æstas*. G. VIII, 22.
קלום *contractior æquo*, ex Arabismo. L. XXII, 22.
קלי *hordeum tostum*. L. XXIII, 14.
קללה in hac phrasi קללת אלהים quod Deus vetuit. D. XXI, 23.
קנה *genitor*. D. XXXIII, 6.
קנה בשם *Calamus aromaticus*. E. XXX, 22.
קנמון unde dictum. E. XXX, 22.
קסמים *incantamenta*, pro eorum mercede. N. XXII, 7.
קצה in מקצה ad significanda *omnia*. Gen. XIX, v. 4.
קרא aut passivè *vocatum est*, aut subaudito nominativo, *vocavit*, *quispiam*, aut *quivis*. Gen. XI, 9.
קרובי אלהים *propinqui Dei* dicuntur Sacerdotes. L. X, 3.
קרח *frigus nocturnum*. G. XXXI, 39
קרחת *calvities*, aversa pars panni. L. XIII, 55.
קרי pro בקרי idem ac לקראת *contrà*, *obviam*. L. XXVI, 21.
קרן *splendidus factus est*. E. XXXIV, 15.
קשיטה nummi nomen. G. XXXIII, 19.
קשר *vincire*, unde מקשרות *pecudes vegetæ*. Gen. XXX, 40.

ר

ר & ל miscentur. L. VII, 18.
ראי *visio*. G. XVI, 13.
ראם *oryx*. N. XXIII, 22.
ראש in hac phrasi נשא ראש *summam subduxit*. Num. I, 2.
רב *satis est*. G. XLV, 28.
רביבים *tenuis pluvia*. D. XXXII, 1.
רבץ *quiescere*. G. IV, 7.
רגל in hac prasi לרגלך *tecum*. E. X, 23.
רגל in phrasi ברגלי *quantum progredi potero*. N. XX, 19.
רדנים ex sententia *Sam. Bocharti*, esse Rhodani accolas. Gen. X, 4. sed legendum videri דדנים ut intelligantur *Dodonenses* ex Epiro, aut Thessalia. *Ibid.*
רוה *irrigationem* vertimus Deut. XXIX, 19. Sed si pro הָרָוָה legeremus in infinitivo Hiphil הַרְוֵה commodior esset illic constructio: *ita ut pergas* הַרְוֵה אֶת הַצְּמֵאָה *irrigare terram sitientem*, quàm si dicamus, *addere rigationem cum sitiente*. Judicet Lector. Nos nihil mutamus: nam את potest esse idem ac אל, aut esse nota Dativi. Vide *Noldium. num.* 24.
רחמה *Vultur*. L. XI, 18.
רחמים *amor summus*, qui barbarè *teneritudo*. G. XLIII, 29.
רחף *moveri*. Gen. I, 2.
ריפת *Paphlagoniam* esse censet *Sam. Bochartus*, nos cum aliis Riphæos. Gen. X, 3.
רכב *currus* singularis ferè numeri. E. XIV, 7.
רמש *animal quadrupes non magnæ molis, aut etiam repens*, sed terrestre. Gen. I, 24.
רעבון *quod ad levandam famem sufficit*. G. XLII, v. 33.
רעמה *Arabiæ* felicis populi. G. X, 7.
רצה *expiare*. L. XXVI, 41.
רקיע *firmamentum*, quia subjecta omnia firmat. Gen. I, 6.
רקם *phrygio*. E. XXVI, 1.
רשע non significat *malum*, aut *impium*, sed *reum*, vel *cujus causa deterior est*. Exod. II, 13. N. XXXV, 30. Deut. XXV, 1. Hinc הרשיע *damnare*. *Ib.*

ש

ש tempore *Hieronymi* pronunciatum fuisse, ut *sch.* G. XXVI, 33.

שאל locus subterraneus, sepulcrum, status mortuorum. G. XXXVII, 35.

שאף *observare*, si qua nocendi occasio detur. G. III, 15.

שאת *dignitas.* G. IV, 7. XLIX, 3.

שאת *macula.* L. XIII, 2.

שאר בשר *caro carnis* vocantur Hebraicè propinqui. L. XVIII, 6.

שבא *Arabiæ* felicis populi. G. X, 7.

שבו *quæ gemma.* E. XXVIII, 19.

שבט *stirps.* N. IV, 18.

שבת interdum non Sabbathum, sed *feriæ.* L. XXIII, 11. *hebdomas.* Ib. 15.

שבת שבתון *feriæ Sabbathi.* E. XXXI, 15.

שגגה *error.* L. IV, 2.

שגר *fœtus*, ex Chaldaismo. E. XIII, 12.

שדי *omnipotens* ex Arabismo exponitur. Genes. XVII, 1.

שה *ovis* aut *capra.* G. XXX, 32.

שהם *onyx.* Gen. II, 12.

שוא *falsum.* E. XX, 7.

שוח *meditari.* G. XXIV, 63.

שוטרים *adparitores* magistratuum. E. V, 6.

שום *ponere, componere.* N. IV, 5.

שוף *conterere* & *observare.* G. III, 15.

שחין *inflammatio*, ex Chaldaismo. E. IX, 9.

שחלת *onyx.* E. XXX, 34.

שחף *Larus.* L. XI, 16.

שטה *deflexit* de muliere adultera. N. V, 12.

שטן *adversarius.* N. XXII, 22.

שטים fortè *cedri* species, sed nequaquam *acacia.* E. XXV, 5.

שיד *tectorium*, non calx. D. XXVII, 2.

שיח *viror.* G. II, 5.

שילה variæ hujus vocis interpretationes. Genes. XLIX, 10. Conjecturam protulimus, quâ ostendimus posse verti *finis ejus*, quam tamen nemini obtrudere volumus. Quod diximus in aliis difficultates esse, id negari non potest, nisi ab iis qui nesciant Interpretes se invicem non malè consulare, & ingentem esse sententiarum varietatem. Quod cum ita sit, fateor me non capere quis tantus esse possit ejus loci usus contra Judæos; qui meritò petent quam sententiam velimus eos sequi, inter tot & tam dissimiles. Sunt alia invicta argumenta quibus eos urgeamus, ex ipso Mose petita. Vide quæ notavimus ad Deut. XVIII, 15. Nec certè loco Gen. XLIX. usquam usi sunt Christus, aut Apostoli.

At Paraphrastæ Chaldæi hunc locum referunt ad Messiam, & Judæi eorum Paraphrastarum auctoritatem magni faciunt. Itaque iis hæc objici potest, adeóque is locus contra eos urgeri. Per me licet; sed non multùm proficiunt, qui ita contra Judæos argumentantur; quia quamvis voce שילה Messiam signari confiteantur, in ambiguitate reliquarum vocum latibula sibi quærunt, ex quibus eos ejicere Interpretes nostri non possunt, quandoquidem quod hic probat, illi displicet.

Objicientur fortè Judæi Christianam Religionem, ob id oraculum, ut aiunt, amplexi; sed accesserant sine dubio alia argumenta ex resurrectione, miraculisque Christi & Apostolorum ducta, quæ majoris fuerant ponderis. Hæc verò si quis Judæus Pseudo-Christianus elevet, ut extollat vim obscurorum vaticiniorum, is certè *astutam vapido servat sub pectore vulpem*, & nobis fucum facit. Verùm hæc obiter.

שכה *inventum* cadaver, apud Samaritas. Exod. XXIII, 19.

שכים *spinæ* ex Arabismo. N. XXXIII, 55.

שכן habitare sub tentorio, unde orta vox σκηνή. G. XVI, 12.

שכר quivis *potus inebrians.* L. X, 8.

שכר *liberaliùs se invitare.* Gen. XLIII, 33.

שלו vulgò *coturnix*, sed, ut putat *Ludolfus*, locusta. E. XVI, 13.

שלוחה *liberè vagans*, ubi de cerva, aut fera alia sermo est. G. XLIX, 21.

שלום *pax* prospera omnia complectitur. Gen. XXXVII, 14.

שלום in hac phrasi דבר לשלום *loqui pacatè.* G. XXXVII, 4.

שלח conditor *Selæ* in Susiana. G. X, 24.

שלט *regere* cùm summo jure, tum etiam minore auctoritate. G. XLII, 6.

שלך *Catarrhactes.* L. XI, 17.

שלף *Salapenorum* pater. G. X, 26.

שמאל *sinistra pars* mundi, hoc est, septemtrio. E. XXVI, 33.

שמים *cœli* esse pluralis, non dualis numeri. G. I, 1. an ex Arabica radice deducatur. *Ib.*

שמע non modò *rumor*, sed *nuncium.* G. XXVIII, vers. 13.

שמר *servare*, seu *recordari.* G. XXXVII, 11.

שעטנז vestis diversis filorum generibus constans. L. XIX, 19.

שעירים *imber vehementior.* D. XXXII, 1.

שפי *vallis*, ex Syrismo. N. XXIII, 3.

שפיפון *cerastes.* G. XLIX, 17. ex Arabico שפף *observavit*, quia observat aviculas, ut eas adprehendat. Scribit *Plinius* H. N. Lib. VIII. c. 23. *Cerastis corpore eminere cornicula, sæpe quadrigemina, quorum motu, reliquo corpore occultato, sollicitent ad se aves.*

שפן *Arctomus.* L. XI, 5.

שפר *voluntas, arbitrium.* Gen. XLIX, 21. unde אמרי שפר *verba quæ cuipiam visum est dicere. Ibid.*

שקה *cadaver pecudis fortè inventum*, vox Samaritici Codicis. E. XXIII, 19.

שקל ficius unde dictus. G. XXIII, 16.

שקערורת *cavitates* in muro leproso. L. XIV, 37.

שרד *vestis stragula.* E. XXXI, 10.

שרה *contendere*, ex Arabismo. G. XXXII, 25.

שרה propriè *principem multitudinis* signare. G. XVII, 15.

שרין *Schirjon*, nomen Antilibani, *montem* sonat. D. III, 9.

שרוע *redundans*, ex Arabismo. L. XXI, 18.

שרפים *serpentes urentes*, aut *Chersydri.* Num. XXI, 6.

שרץ *pisces, reptiles, quidquid non multùm eminet supra terram.* G. I, 20.

שש *linum* colore nativo. E. XXV, 4.

שתום *clausus.* Num. XXIV, 3.

ת

תאו *Oryx.* D. XIV, 4.

תהו *regio deserta & inanis.* Gen. I, 2.

תהום subterranei *latices.* G. XLIX, 25.

תהום *mare*. Gen. I, 2.
תהום גדלה *abyssus magna*, pro mari. G. VII, 1.
תהומות *abyssi* pro fontibus. D. VIII, 7.
תובל *Tibareni*. G. X, 2.
תובל קין nomine hoc significari *laminam æneam*. Gen. IV, 22.
תוגרמה *Cappadocia*. G. X, 3.
תודה sacrificii genus quodpiam. L. VII, 12.
תולדה *generatio*, *ætas*, *majores*, *posteri*, *æquales*, *Diss. de S. I.* §. III, & V. *ordo nascendi*. G. XXV, 13. Exod. XXVIII, 10.
תולדות modò *majores*, modò *posteri*. Gen. II, 4. an sit mysterium in eo quod pleuè scribitur. *Ib. generationes*, & *generatæ personæ*. Gen. V, v. 1. *ordo nascendi*. E. XXVIII, 10.
תולדות non significare eventus. G. XXXVII, 2.
תולעת שני *lana coccinea*. E. XXV, 4.
תועבה *id à quo quis abhorret*. G. XLIII, 30.
תועפות *altitudines*. N. XXIII, 22.
תחמס *Struthio mas*. L. XI, 16.
תחשים *byssginæ* pelles. E. XXV, 5.
תחת *sub*, particulæ ejus Ellipsis. N. XXI, 20.
תחת in hac phrasi מתחתיו *è loco suo*. E. X, 23.
תיבה *stabulum* potiùs significare, quàm *arcam*. G. VI, 14.
תירס *Thraces*. Gen. X, 2.
תכלת *Hyacinthina lana*. E. XXV, 4.
תכא *procumbere*, ex Arabismo. D. XXXIII, 3.
תלי *pharetbra*. G. XXVII, 3.
תם *mitis*. G. XXV, 27.
תמים *integer*, pro eo qui solius Dei Israëlis cultui est addictus. D. XVIII, 13.
תמימה de integritate membrorum, non de colore dici. N. XIX, 2.
תמים videri *margaritas* esse. E. XXVIII, 30.
תמונת יהוה *figura Jehovæ*, Symbolum quo ejus voluntas significatur. N. XII, 8.
תנינים *majores pisces*. Gen. I, 2.
תנואה *ultio*. N. XIV, 14.
תנשמת *Chamæleon*. L. XI, 30.
תנשמת *Noctua*. Lev. XI, 18.
תקומה *locus in quo subsistitur*. L. XXVI, 37.
תרבית *fœnus*, quod fructibus solvitur. L. XXV, vers. 36.
תרומה *elatum donum*. E. XXV, 2.
תנופה & תרומה quomodo differrent. E. XXIX, v. 24. Ad vocem תרומה interpretandam adfertur à nobis insignis *Aristeæ* locus.
תרועה *fractus sonitus tubæ*. N. X, 5.
תרפים quævis *statuæ*, & præsertim *statuæ* fatidicæ. C. XXXI, 19.
תרשיש in Hispania quærendam statuit *Sam. Bochartus*, nos in Macedonia, aut in Thaso insula malumus. G. X, 4.
תרשיש quæ gemma. E. XXVIII, 20.
תשבץ *tunica adstrictior*, eadémque interior. E. XXVIII, 4, 39.
תשומת יד *traditio in manum* quid. L. VI, 2.
תשוקה *cursitatio*, constructa cum אל *obedientia*. G. III, 16.



INDEX II.

Loquutionem & Rerum memorabilium.

Ama-

Asca-

Cen.

Di-

G.

H.

I.

K.

L.

Mi-

No-

O.

P.

Po-

Q.

R.

S.

X.

Z.

FINIS.

